UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Liber II. De Ivstitia Et Ivre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72459

Visual Library

LIBER SECVNDVS
DE IVSTITIA, ET IVRE, ET VIRTVTIBVS ANNEXIS IVSTITIÆ, VITIISQVE CONTRARIIS.

Diuisio Libri, & series Capitum.

EXplicata PRVDENTIA, *sequitur* IVSTITIA *cum suis partibus, virtus latissimè patens, vt quæ in omnibus hominum negotiis, quibus inter se communicant, cernatur. Itaque huius virtutis in quouis negotij genere leges & rationes necessariò cognoscendæ sunt, maximè iis qui aliorum Directores vel Iudices aliquando futuri.*

Vt autem in his omnibus compendiosiore methodo procedamus, diuidemus totam hanc tractationem de IVSTITIA, *quam secundo Libro comprehendemus, in septem Sectiones principales, & in Capita 47.*

SECTIO PRIMA.
De Iustitia, Iure, & speciebus Iuris.
Continet sex Capita.

Cap. 1. *De Iustitia in genere.*
Cap. 2. *De Iure in genere.*
Cap. 3. *De Dominio, Vsufructu, Vsu, Possessione; quæ sunt species Iuris.*
Cap. 4. *Quibus, & in quæ dominium competat.*
Cap. 5. *De modo acquirendi dominij in res quæ vel nullius, vel communes sunt. Vbi de Seruitute, Venatione, Piscatione, Aucupio, Thesauris.*
Cap. 6. *De modo acquirendi dominij in rem alterius: vbi de Præscriptione.*

SECTIO SECVNDA.
De Iniuriis, & damnis in omnibus humanorum bonorum generibus, & necessaria restitutione.
Continet hæc 10. Capita.

Cap. 7. *De Iniuria & Restitutione (quæ est actus Iustitiæ) in genere.*
Cap. 8. *De Iniuria in bonis spiritualibus.*
Cap. 9. *De Iniuria in corpus proximi per homicidium vel mutilationem.*
Cap. 10. *De Iniuria in corpus proximi per adulterium & stuprum.*
Cap. 11. *De Iniuriis famæ & honoris per detractionem & contumeliam.*
Cap. 12. *De Iniuriis fortunarum per furtum, rapinam, damnúmve illatum.*
Cap. 13. *De cooperantibus ad furtum, vel damnum.*
Cap. 14. *De Restitutione ratione rei acceptæ, & cui restitutio facienda.*
Cap. 15. *De ordine seruando in Restitutione, de modo, loco, & expensis.*
Cap. 16. *De excusantibus à restitutione.*

SECTIO TERTIA.
De Contractibus.
Continet hæc 12. Capita.

Cap. 17. *De Contractibus in genere.*
Cap. 18. *De Promissione & Donatione.*
Cap. 19. *De Testamentis & Legatis.*
Cap. 20. *De Mutuo & Vsurâ.*
Cap. 21. *De Emptione & Venditione.*
Cap. 22. *De Censibus.*
Cap. 23. *De Cambiis.*
Cap. 24. *De Locatione, Emphyteusi & Feudo.*
Cap. 25. *De Societate.*
Cap. 26. *De Ludo & Sponsionibus.*
Cap. 27. *De Deposito & Commodato.*
Cap. 28. *De Fideiussione, Pignore & Hypotheca.*

SECTIO QVARTA.
De Iniuriis in Iudiciis & Tribunalibus.
Continet Capita 3.
Cap. 29. *De Iudice.*
Cap. 30. *De Accusatore & Teste.*
Cap. 31. *De Aduocato & Reo.*

SECTIO QVINTA.
De Iustitia distributiua.
Continet Capita 4.
Cap. 32. *De Acceptione personarum in genere.*
Cap. 33. *De Vectigalibus.*
Cap. 34. *De Beneficiis.*
Cap. 35. *De Simonia.*

SECTIO SEXTA.
De Religione, quæ est prima pars Iustitiæ.
Continet hæc 10. Capita.
Cap. 36. *De Religione in genere.*
Cap. 37. *De Oratione & Laude Dei.*
Cap. 38. *De Sacrificio & Adoratione.*
Cap. 39. *De Decimis.*
Cap. 40. *De Voto.*
Cap. 41. *De Statu Religioso.*
Cap. 42. *De Iuramento & Adiuratione.*
Cap. 43. *De Superstitione eiusque speciebus.*
Cap. 44. *De Magia.*
Cap. 45. *De Irreligiositate.*

SECTIO SEPTIMA.
De ceteris Virtutibus Iustitiæ annexis.
Continet 2. Capita.
Cap. 46. *De reliquis Virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est debitum legale.*
Cap. 47. *De Virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est debitum morale.*

SECTIO PRIMA.

DE IVSTITIA, IVRE, ET SPECIEBVS IVRIS IN GENERE.

CAPVT PRIMVM.

De Iustitia generatim. *Habet 4. Dubitationes.*

D. Thom. q. 57. & 58.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Iustitia. *D. Thom. q. 58. multis articulis.*

Iustitia dua acceptiones.

Iustitia generalis.

1 NOTANDVM, nomen *Iustitiæ* duobus potissimùm modis accipi; vt colligitur ex Arist. 5. Eth. c. 1. Primò pro complexione omnium virtutum: *Iustum* enim dicitur quod est adæquatum & commensum suæ regulæ, cui debet commensurari. (includit enim debitum & adæquationem; vt docet D. Th. q. 80. a. vnico, & alibi.) Vnde *Iustitia* dicitur ea affectio, quæ efficit hanc adæquationem & commensionem. Quare cùm collectio omnium virtutum, siue actu siue habitu formaliter conformet, & veluti commensam reddat voluntatem suæ regulæ, legi diuinæ, rectè vocatur *Iustitia*, & quæuis virtus pars *Iustitiæ*, præsertim cùm hac ratione ordinetur ad alterum, quod etiam notio Iustitiæ postulat, (vt idem D. Thomas cum Aristotele docet) nempe ad Deum, cuius legi conformatur. per omnem enim virtutem reddit anima Deo quod ei debet. Sic accipitur passim in Scripturis: vt cùm dicitur, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: qui faciunt iustitiam.* Sic Chrysost. homil 12. in Matth. ait, *Iustitia nihil aliud est quàm omnium mandatorum plena custodia.* & Anselmus dialogo de veritate cap. 13. *Iustitia est rectitudo voluntatis, seruata propter seipsam.* Hinc fit vt nomen Iustitiæ accipiatur etiam pro ipsa *charitate*, nempe quia charitas voluntatem reddit conformem toti legi diuinæ; vt quæ omnium virtutum complexionem quodammodò contineat, iuxta illud Apostoli, *Vinculum perfectionis dilectio.* Vnde D. August. lib. de natura & gratia c. 38. *Charitas Dei qua vna iustus est quicumq; iustus est.* & c. vlt. *Charitas inchoata, inchoata Iustitia est; charitas magna, magna Iustitia est; charitas perfecta, perfecta Iustitia est.* Secundò accipitur pro virtute particulari, qua voluntas inclinatur

clinatur ad cuique reddendum ius suum ad æqualitatem: quo modo hic de ea disputamus, & quærimus quid sit.

Definitio Iustitiæ particularis. 2 Definitur ab Vlpiano L. Iustitia. ff. de Iustitia & Iure, hoc modo: *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Sensus est, Iustitia est virtus inclinans & firmans voluntatem ad perpetuò cuique tribuendum ius suum; idque ad æqualitatem. Dicitur Primò, *constans voluntas*, quia est propositum habituale deliberatum & firmum. Secundò, *perpetua voluntas*, quia ad perpetuò reddendum: qui enim tantùm semel, aut bis, non autẽ semper & in omni euentu vellet cuique ius suum reddere, non esset verè iustus, nec haberet hanc virtutem. Tertiò, *ius suum*, id est, quod cuiq; stricta obligatione est debitum. debet autem reddi hoc ius ad æqualitatem, alioquin non perfectè redditur, ac proinde non erit perfecta Iustitia: quia Iustitia æqualitas quædam est, vel certè æqualitatem inuoluit, vt nomen insinuat. Simili pænè modo definitur Iustitia à D. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 21. & Ambros. l. 1. de officiis cap. 24. *Iustitia est virtus quæ sua cuique distribuit.*

3 Hinc patet Primò, Iustitiam esse virtutem; nam reddere cuique ius suum, & constituere vbique in actionibus quibus homines inter se communicant debitam proportionem & æqualitatem, est per se honestum & rectæ rationi consentaneum; ac proinde virtutis opus.

Patet Secundò, Hanc virtutem esse in voluntate, quam inclinat vt velit cuique reddere quod debet: est enim propositum & inclinatio voluntaria ad id quod iustum est.

Ad alterum disponit. 4 Patet Tertiò, Hanc virtutem rectè disponere hominem ad alterum in functionibus & commutationibus mutuis. nam inclinat vt velis, & præstes quod alteri debes, & iuri eius ex æquo respondet. Nec obstat, quòd Iustitiæ sit velle etiam vt alter tibi ius reddat, ideoq; non solùm te disponat ad alterum, sed etiam alterum ad te: quia formaliter solùm subiectum suum disponit ad alterum; effectiuè tamen alterum ad se disponere potest. omnis enim virtus honestum sui obiecti amat in omnibus, illudque procurat quantum commodè potest.

Distinctio Iustitiæ à cæteris. 5 Patet Quartò distinctio huius virtutis à reliquis. Ab iis quæ sunt in intellectu; quia est virtus voluntatis. A ceteris quæ sunt voluntatis differt obiecto: à *Theologicis*, quòd earum obiectum sit Deus; Iustitiæ, debitum proximo. à *Religione*, quòd Religio spectet debitũ Deo, vt primo principio, cui æquale reddi non potest; Iustitia, debitum proximo, cui potest rependi æquale. à *Pietate*, quia pietas spectat solùm debitum parentibus & patriæ ratione ortus, cui etiam satisfieri ex æquo non potest. ab *Obseruantia*, quia hæc spectat debitum maioribus ratione gubernationis, cui etiam præmium æquale reddi nequit ab homine. ab *aliis Iustitiæ partibus*, quia debitum, quod spectant, est minus debito Iustitiæ. à *Temperantia*, quia hæc non disponit meam functionem ad alterum, sed ad meipsum, vt mihi sit commensa; inclinando me, v.g. vt comedam, & bibam, sicut ratio dictat mihi conuenire ad bonam valetudinem, ad functiones animi & corporis, sine vllo ad alterum iuuitu. à *Fortitudine*, quia hæc non respicit quid alteri debeatur, sed quid se deceat sustinere, & quantum, &c.

6 Patet Quintò, Cùm *Iustitia* sit ad alterum; hominis ad seipsum non esse propriè iustitiam, vel iniuriam, neque patris ad filium, aut filij ad patrem, iuxta Aristotelem & D. Thomam: quod intellige quoad iura & debita quæ sunt inter ipsos quà tales sunt. quod enim filius vt filius debet patri, debet ei lege pietatis, non iustitiæ: debet enim ei, non vt alieno & prorsus distincto, sed vt principio sui esse. similiter quod pater filio: debet enim ei tamquam sibi ipsi. est enim filius aliquid patris, scilicet fructus eius & veluti pars ab illo abscissa, iuxta Aristotelem 8. Ethic. cap. 12. in qua natura paterna conseruetur. quare cùm tanta inter ipsos sit vnio, maius est debitum quàm Iustitiæ vulgaris. *Inter filium & patrem.*

Nec obstat, quòd si filius patrem occidat, peccet contra Iustitiam, & teneatur heredibus ad restitutionem; quia non peccat contra Iustitiam præcisè, quatenus facit contra debitum filij & ius paternum: (sic enim solùm peccat contra pietatem) sed quatenus sine legitima auctoritate interimit hominem. Est enim in hoc facto duplex malitia, altera contra Iustitiam, ratione substantiæ personæ quæ læditur; altera contra pietatem, ratione circumstantiæ eiusdem personæ. Potest tamen inter ipsos esse debitum Iustitiæ, quatenus sunt distincte personæ habentes distincta iura & dominia. vt si filius sit emancipatus, vel habeat bona castrensia, aut quasi castrensia.

Pari modo inter dominum & seruum, quà tales sunt, propriè non est Iustitia. Ius enim domini in seruum non est Iustitiæ, sed despoticum, quo potest illi imperare, illoque vti in suum commodum, illum vendere, permutare, donare. Seruus enim est domini instrumentum & possessio. Seruus verò obstringitur domino, debito obseruantiæ seu duliæ, & debito obedientiæ. si tamen spectentur vt sunt homines distincti & in multis rebus liberi, suique iuris, diuersa iura habentes, sic potest inter eos esse Iustitia & Iniuria. vt si dominus seruum occidat, vel mutilet. nam in vita membrisque tuendis & conseruandis seruus non subest domino, sed est sui iuris. si seruus furetur vel damnum domino inferat, si fugam contra Ius & fas capessat; hoc enim furti genus est. *Inter dominum & seruum.*

Dvbitatio II.

Vtrùm Iustitia tantùm versetur circa actiones, an etiam circa passiones.

D. Thom. art. 9.

7 *Obiectum Iustitiæ.* Respondeo, & Dico Primò, Iustitiam primariò versari circa solas actiones ritè ad alterum disponendas, & circa res vt sunt actionum materia, non autem circa passiones, vt temperantia, & fortitudo.

Probatur; quia proprium officium Iustitiæ non est curare vt homo non nimiùm irascatur, vel ne metuat, aut ne voluptates amet plus quàm par est; sed vt cuique præstet quod ei debitum. & quamuis ab hoc impediri possit per iram, timorem, pecuniæ vel voluptatum amorem; tamen eius non est hæc impedimenta per se ipsam tollere, sed aliarum virtutum præsidio. omnes enim virtutes se mutuò iuuant, dum quæuis tollit quædam *Virtutes omnes se inuicem iuuant.*

dam aliarum impedimenta. Mansuetudo enim temperat iram; vnde iuuat illas virtutes, quarum functiones per iram impediri possent; vt Iustitiam, obedientiam, humilitatem. Fortitudo moderatur timorem, liberalitas pecuniarum amorem. Idem de ceteris esto iudicium.

8 Dico Secundò, Potest tamen Iustitia secundariò moderari passiones, quatenus illa moderatio est medium necessarium ad finem ipsius intrinsecum, qui est reddere cuique ius suum.

Quomodo Iustitia possit esse causa moderationis passionum.

Probatur Primò, Quia possum velle moderari iram, amorem pecuniæ, & timorem ne alicui faciam iniuriam; & ex vi huius intentionis sequetur moderatio illarum passionum, absque interuentu intentionis, quæ sit alterius virtutis: atqui intentio illa neminem lædendi est actus Iustitiæ: ergo Iustitia etiam moderatur passiones.

Secundò, Quia omnis virtus ob suum finem intrinsecum potest quosuis actus externos aliarum virtutum ad illum idoneos imperare; vt ostensum est 1.2.q.17.a.5. atqui moderatio passionum est medium idoneum & sæpè necessarium ad finem intrinsecum Iustitiæ, estque actus externus virtutis, cùm non sit in voluntate: ergo Iustitia potest illam imperare. Itaque illa moderatio tunc formaliter erit actus Iustitiæ, non autem temperantiæ, vel mansuetudinis, vel fortitudinis; quia immediatè sequitur ex affectu Iustitiæ, vt ostensum est 1.2.q.18.a.6 dub.1.

9 Hinc colligi potest quo modo Iustitia dicatur attingere *medium rei*, reliquæ virtutes *medium rationis*. de quo D.Thom. art.10. Iustitia enim non spectat quidnam sit commensuratum suo subiecto secundùm rectæ rationis regulam; sed quid sit commensum rei, veliuri alterius, vt nec minus nec amplius præstetur, sed æquale: Temperantia autem & Fortitudo spectant medium rationis; id est, quidnam iuxta rationis dictamen sit commensum subiecto, non excedens aut deficiens modum subiecti. vnde medium in his est variabile pro varietate subiectorum: quod enim respectu vnius est medium & æquale; ad alterum est nimium, ad tertium est parum. itaque rationis examine hoc medium est inuestigandum, & ex consensu cum regula rationis statuendum. In Iustitia autem semper est idem medium, qualecumque tandem sit subiectum, quod ipsa afficit: quod medium consistit in æqualitate rei ad rem, (vt pretij ad rem venditam) vel proportionis ad proportionem: nempe vt talis sit proportio inter munera & onera communia, qualis est inter personas quibus hæc distribuuntur. Vnde meritò dicitur medium rei, non excedens, non deficiens ad Ius alterius.

Iustitia attingit medium rei: aliæ virtutes medium rationis.

Dvbitatio III.

Vtrùm præter Iustitiam particularem sit aliqua Iustitia generalis quæ legalis dicatur, & quid illa sit.

D.Thomas q.58. art.5.6.7.

Respondeo, Esse quamdam Iustitiam legalem, seu generalem. Ita docet hîc D.Thom. art.5. & Aristoteles lib.5.cap.1.

10 Ratio est, quia omnis pars Reipubl. dupliciter potest ad alteram comparari. Primò, vt pars ad partem, ciuis ad ciuem; & sic est Iustitia particularis quæ hominem in hac habitudine perficit. Secundò, vt pars ad totum, scilicet ad ipsam Rempubl. sic est Iustitia generalis, quæ hominem in habitudine ad Rempubl. perficit.

Pars Reipubl. bifariam comparatur.

Sed tota difficultas est, quid sit hæc Iustitia; quod eius officium, & quomodo ab aliis distinguatur. nam D.Thom. hîc, & Soto l.3.de Iustitia q.2.a.3. existimant quamdam esse virtutem particularem distinctam à ceteris omnibus, quæ procuret bonum commune. Verùm Andreas Vega l.5. in Concil. Trid. c.4. & multi alij putant esse complexionem omnium virtutum.

Notandum est, nos posse loqui vel de reipsa, vel de mente Aristotelis, qui primus Iustitiæ legalis nomine videtur vsus. Si de reipsa loquamur,

Dico Primò, Non videri dubitandum quin 11
sit aliqua particularis virtus bonum commune Reipubl. intuens & procurans, cui hoc nomen Iustitiæ possit accommodari. Probat hoc satis D.Thomas art.6.

Ratio est, quia velle & procurare bonum Reipubl. habet specialem rationem honesti & laudabilis, quæ non inuenitur in functionibus aliarum virtutum: multò enim id est laudabilius quàm curare priuata: ergo ad specialem virtutem pertinet; quæ rectè dicetur *Iustitia legalis*. *Iustitia*, quia respicit quodammodò alterum, id est, Rempubl. *Legalis*, quia extendit se ad omnia quæ lege sunt statuta propter bonum commune.

Iustitiam legalem esse quadam ratione virtutem specialem.

Secundò, Quisque ciuium quà est pars societatis ciuilis, eiusque fruitur commodis, speciali debito obstrictus est ad procurandum bonum illius societatis: (nam pars est propter totum, & bonum partis propter bonum totius) sed vbi est specialis ratio debiti, ibi etiam est specialis ratio virtutis, & quidem Iustitiæ, cùm sit ad alterum, & etiam de iis quæ legibus sunt præcepta.

Tertiò, Si quis negligat bonum commune quando versatur in periculo, vel præponat ei priuatum commodum, peccat contra hanc Iustitiam: non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex officio ei incumbat huius boni conseruatio: quod signum est, hanc esse virtutem specialem distinctam à Iustitia particulari.

Dico Secundò, Probabile est hanc virtutem 12
non distingui à virtute *pietatis*; quatenus per pietatem, patriæ vel Reipubl. in qua viuimus, debitum cultum obsequiumque præstamus.

Videtur non distingui à pietate.

Probatur, quia secundùm D.Thom. *Iustitiæ legalis* est procurare bonum commune Reipubl. & ceteras virtutum functiones ad hoc destinare, quando opus est. v.g. si Respubl. versetur in periculo, Iustitia legalis conatur omnibus modis eam tueri; imperat arti militari vt excogitet modos defensionis, pericula contemnit, sumptus annonæ restringit, thesauros effundit: denique nihil non molitur ex affectu erga Rempubl. Sed hæc omnia videntur esse officia *pietatis* in patriam, vel Rempubl. neque explicari potest quænam alia virtus hæc præstet: ergo pietas est illa virtus, quam D.Thom. Iustitiam legalem vocat, vel certè parum ab ea distinguitur.

Dices, *Pietas* æquè est in subditis ac in Principe: 13
atqui *Iustitia legalis* non est æquè in vtroque. in Principe enim est principaliter, & architectonicῶs; in subditis secundariò & veluti in administris,

stris, vt docet D. Thom. art. 6. ergo sunt diuersæ virtutes.

Respondeo, Maiorem non esse veram. *pietatis* enim virtus quoad suas functiones externas (quæ sunt, Reipubl. bonum procurare & conseruare) principalius & excellentius est in Principe; idque ob duas causas. Prior est, quia Princeps, si consideretur vt priuata persona, est nobilissima pars Reipubl. pollens opibus, auctoritate, scientia rei militaris, alijsque præsidijs, quibus Respubl. defenditur. & sic lege pietatis tenetur pro suis viribus Remp. tueri; ac proinde alios dirigere, sicut membrum nobilius dirigit ignobiliora. Altera est, quia est Superior communitatis, cui ex officio incumbit publici boni curatio; & sic tenetur ad eadem obsequia externa pietatis, lege Iustitiæ: hîc enim non comparatur ad communitatem vt pars ad totum, sed vt pars ad partem. nam tota Respubl. se habet ad Principem sicut particularis persona ad custodem, quem stipendio ad se tuendum & custodiendum conduxit: & ob hanc causam maximè procuratio boni communis pertinet ad illum ἀρχιτεκτονικῶς; nam ratione officij est in illo auctoritas iubendi & alijs præscribendi.

14 *Verius est distingui à pietate.*

Dico Tertiò, Etsi hæc sententia probabilis sit, verius tamen est *Iustitiam legalem à pietate* distingui, si nomine Iustitiæ legalis cum D. Thoma & multis alijs intelligamus virtutem, quæ spectat bonum publicum, quatenus debitum à parte toti. Probatur, quia vbi est diuersa ratio debiti, ibi sunt diuersæ virtutes: sed hîc sunt diuersæ rationes debitorum; nam longè strictiori & altiori debito pars obstringitur toti, & ciuis Reipubl. quatenus ipsa est vnum corpus in quo ipse membrum; quàm effectus obligetur causæ iuæ secundariæ, & homo suæ patriæ, ratione auxilij quod ipsa ad eius ortum contulit. cuius signum est, quòd quisque suam Rempubl. cuius est membrum, teneatur præferre parenti & vitæ suæ, cùm tamen parens magis sit principium ortus quàm patria: atqui pietatis est curare bonum patriæ, quia hoc officium est illi debitum ratione beneficij ortus, quod ab ea accepimus: Iustitiæ autem legalis est, idem bonum siue patriæ, siue alteri Reipubl. cuius sumus ciues, procurare, quia id illi debetur ratione vinculi & nexus, qui est partis ad totum, & membri ad corpus; ergo sunt distinctæ virtutes.

15 *Aristoteli videtur esse complexio omnium virtutum.*

Dico Quartò, Si verò de mente Aristotelis lib. 5. Ethic. cap. 1. & 2. vbi de Iustitia legali agit, sit quæstio, videtur Iustitia legalis in subdito nihil esse aliud quàm omnium virtutum complexio, quatenus legi obtemperat; in Superiore eadem complexio virtutum, quatenus inclinat illum vt curet leges seruari.

Prior pars est Eustratij in illum locum, Burid. q. 4. Gyraldi q. 5. in lib. 5. Ethic. & aliorum.

Probatur Primò, quia Aristoteles c. 1. dicit *Iustitiam legalem non esse partem virtutis*, (i. speciem aliquam) *sed vniuersam virtutem: sicut iniustitia*, inquit, *legalis non est species malitiæ, sed vniuersa malitia*. Addit, *virtutem in genere, & Iustitiam legalē esse idē re, sed differre solum τῷ εἶναι*, id est notione & ratione, vt rectè Eustratius interpretatur. atqui non rectè diceretur de aliqua particulari virtute (etiamsi ipsa alias ad suum finem referret) non esse speciem virtutis, sed vniuersam virtutem; non differre à virtute in genere, nisi ratione.

Secundò, Ita se habet Iustitia legalis ad virtutem in genere, sicut iniustitia legalis (quam ipse παρανομίαν, i. legis violationem vocat) ad malitiam in genere, vt idem Aristoteles docet: atqui violatio legis, & malitia sunt idem, etsi ratione differant; ergo similiter Iustitia legalis & virtus.

Tertiò, Iustitia legalis nihil aliud est Aristoteli, quàm virtus vt legibus paret, sicut iniustitia est legum violatio, seu παρανομία: atqui omnis virtus legibus paret; ergo collectio virtutum est Iustitia legalis.

Quartò, Aristoteles dicit legalem Iustitiam esse in maxima admiratione apud omnes homines; & prouerbiali versu dici, *In Iustitia summatim est omnis virtus*, qui sumptus est ex Theognide: atqui hoc propriè conuenit perfectæ obedientiæ, quæ fit per complexionem virtutum. Itaque Aristoteles per *Iustitiam legalem* videtur intelligere *obedientiam*, non vt est virtus specialis, quæ affectu præcepti facit opus; sed vt est virtus generalis. omnis enim virtus quatenus facit id quod lege præceptum est, est obedientia legis, etiamsi id faciat non affectu obedientiæ, sed propriæ honestatis: quicumque enim facit quod lex iubet, & vitat quod ipsa prohibet, legi obedit, & legem implet. 16

Altera pars probatur, quia omnis virtus inclinat in suum bonum eo modo quo potest. Temperantia enim non solùm inclinat hominem vt ipse leges temperantiæ seruet, sed etiam vt ab alijs seruari curet, si commodè potest. ergo tota collectio virtutum in Principe inclinat illum vt omnium virtutum leges à subditis seruari curet. 17

18 *Vt curet seruari leges, ex variis causis potest esse debitum.*

Aduerte tamen, Superiorem posse multis modis inclinari vt curet seruari leges. Potest enim hæc cura considerari Primò, vt debita ex officio, & sic ad eam inclinat Iustitia particularis. Secundò, vt debita ex eo quòd sit præcipuum membrum Reipub. & sic ad eam impellit virtus, quam D. Thomas vocat Iustitiam legalem. Tertiò, vt debita patriæ, quæ genuit; & sic ad eam inclinat pietas. Quartò, vt debita ex honestate singularum virtutum, de quibus sunt leges; & hoc modo tota virtutum collectio inclinat ad eam curam. quæuis enim virtus, si potest, curat vt alius quoque sit virtute præditus, vt dictum est. Quintò, vt debita ex inclinatione charitatis naturalis in homines; & sic ad eam inclinat charitas naturalis, quæ etiam vocatur Iustitia: de qua Cicero de Finibus l. 5. *In omni honesto nihil est tam illustre, quàm ipsa charitas generis humani, quæ animi affectio suum cuique tribuens, & societatem coniunctionis humanæ æquè ac mirificè tuens, dicitur Iustitia.* Idem dicendum de quouis alio officio erga Rempubl. potest enim in eo multiplex ratio debiti spectari.

19 *Ratio Iustitiæ legalis videtur maximè conuenire obedientiæ.*

Dico Quintò, Si qua virtus particularis vocanda sit Iustitia legalis, videtur hoc nomen maximè conuenire virtuti *obedientiæ*. Probatur, Nam ea quæ Aristoteles hîc tribuit *Iustitiæ legali*, magis conueniunt obedientiæ quàm vlli alteri virtuti particulari.

Primò, quia Iustitiæ legalis obiectum secundùm Aristotelem est id quod lege sancitum est, quod ille τὸ νομιμὸν vocat: atqui id ipsum est obiectum obedientiæ.

Secundò, quia *obedientiæ* competit esse in magna admiratione apud homines, esse instar Hesperi inter virtutes, & omnes virtutes complecti,

(quæ Aristoteles tribuit Iustitiæ legali) quia omnes virtutes inserit, insertasque custodit.

Tertiò, Rectè dici potest virtus vniuersa; quatenus inclinat ad omnium virtutum functionem & materiam.

Quartò, Hæc virtus respicit alterum, id est, Superiorem, cuius legibus obedit, & bonum commune, quod consistit in legum custodia.

Denique Aristoteles nusquam alibi de obedientia agit; quasi eam hîc satis insinuauerit. In eamdem sententiam apertè inclinat D. Thomas quæst. 120. art. 2. ad 1.

Dvbitatio iv.

Vtrùm Iustitia particularis rectè diuidatur in Distributiuam & Commutatiuam.

D. Thom. q. 61. art. 1.

Respondeo, Dico Primò, Rectè ita diuidi. Probatur ex Aristotele 5. Ethic. cap. 2. vbi duas ponit Iustitiæ partes. quarum altera dirigimur in distributionibus, altera in commutationibus. Eadem est sententia communis Theologorum & Philosophorum. Sed difficultas est quomodo hæ species distinguantur. 20

Ex triplici habitudine in Republ. triplex virtus Iustitia.

Dico Secundò, Rectè distingui tali consideratione. In Republica est triplex habitudo. 1. partis ad partem. 2. totius ad partes. 3. partium ad totum. Nunc, virtus quæ singulas partes disponit ad bonum totius Reipubl. est Iustitia legalis, de qua dictū est. quæ verò disponit ad partem, est Iustitia particularis. Porrò ad partem est duplex habitudo, nempe totius ad partem, & partis ad partem. Virtus quæ dirigit partem ad partem (1. ciuem ad ciuem) vt constituatur æqualitas inter ciues in actionibus, quibus inter se communicant, dicitur Iustitia commutatiua. quæ verò dirigit totum seu congregationem ad partes, in distribuendis per ciues rebus communibus, officijs, & oneribus, iuxta proportionem inter ipsos repertam, dicitur Iustitia distributiua. Hæc propriè & principaliter residet in Principe vel Magistratu, ad quem pertinēt huiusmodi distributiones; in priuatis secundariò, quatenus eos disponit vt iustam distributionem ament, eaq; legitimè facta acquiescant. Colliguntur hæc ex D. Thoma q. 61. a. 1.

21 *Distinctio Iustitiæ cōmut. & distributiuæ.*

Itaque distinguuntur hæ duæ species, Primò, quòd Iustitia commutatiua disponat priuatum hominem ad priuatum, vel eos qui se instar priuatorum habent. Iustitia distributiua, communitatem, vel eum qui communitatem repræsentat, ad priuatum. Secundò, quòd illa dirigat commutationes, hæc distributiones. Tertiò, quòd illa spectet conditionem rei alterius, vt ei reddat æquale: hæc conditionem personæ, (vt sitne diues an pauper: nobilis an ignobilis: doctus an indoctus: idoneus ad officium an ineptus) vt secundùm proportionem illarum conditionum fiat distributio. Quartò, finis intrinsecus illius est, constituere æqualitatem inter datum & acceptum: huius finis est constituere æqualitatem inter proportionem & proportionem, vt eadem sit proportio inter res quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones personarū quibus fit distributio; v. g. est aliquid distribuendum secundùm dignitatem personarum: si is cuius dignitas est vt duo, accipiat 3. aureos; is cuius dignitas est vt quatuor, accipiet 6. cuius vt octo, accipiet 12. &c Vide Aristotelem lib. 5. Eth. cap. 3. & 4. Hinc patet, quando militi datur stipendium, vel operarijs publicis merces à Repub. pro cuiusque merito, non dari per *Iustitiam distributiuam*, sed per *commutatiuam*: quia non spectatur conditio personarum, sed operarum quas præstiterunt; & nihil aliud intenditur quàm vt in singulis constituatur æqualitas rei ad rem, scilicet mercedis ad operas. Vnde Respubl. non comparatur tunc ad illos vt totum ad partem: sed vt pars ad partem, vt ciuis ad ciuem: subit enim rationem vnius personæ conducentis operas singulorum. 22 *Respub. soluens stipendia militi, vtitur Iustitia commutatiua.*

Dices, Cùm fit distributio bonorum communium secundùm conditiones personarum, videtur etiam fieri per Iustitiam commutatiuam, & solùm per accidens videtur resultare illa proportionum similitudo inter multos, cuius signum est, quòd si distributor aliquem fraudauerit minus dando quàm postulabat eius conditio, faciet ei iniuriam; quam tenetur fatcire per legem Iustitiæ commutatiuæ, vt docet D. Thom. q. 62. a. 1. ad 3. Hæc ergo erat violata.

Omissis varijs solutionibus Respondeo, Proportionum similitudinem seu æqualitatem non resultare per accidens, sed esse primariò intentam à Iustitia distributiua, tamquam finem intrinsecum: sicut æquatio rerum primariò intenta est à Iustitia commutatiua. Tamen interdum Iustitia distributiua in sua functione includit commutatiuam, nempe quando fit distributio rerum, quæ stricto iure debentur, iuxta personarum conditionem. vt si quis relinquat centum aureos distribuendos studiosis alicuius Collegij pro cuiusque inopia, vel eruditione; Præses distributor, lege Iustitiæ commutatiuæ obligatur erga singulos; quamuis erga omnes teneatur seruare formam Iustitiæ distributiuæ, vt sit ea proportio eleemosynæ ad eleemosynam, quæ est inopiæ ad inopiam. vnde si alicui pauperiori minus dederit, tenebitur ex Iustitia commutatiua ei restituere ad iustam proportionem, non secùs ac si donator ei an particulari reliquisset, v. g. 20. aureos, & Præses solùm dedisset 5. hoc ipso enim quo donator vult talem proportionem stricte seruari, singulis implicitè assignat certam summam, iuxta proportionem inopiæ, quæ singulis debetur lege Iustitiæ commutatiuæ. 23 *Iustitia distribut. interdum includit commutatiuam.*

Confir. Quia si pro vno solo fuisset facta assignatio, deberetur illi ex Iustitia commutatiua: ergo etiam debetur quando fit pro pluribus secundùm proportionem paupertatis, vel doctrinæ. nam æquè multum iuris quisque acquirit, ac si ipsi soli assignatio facta esset. Eadem ratio locum habet quando distribuitur ærarium commune alicuius Vniuersitatis vel Collegij in singulos pro cuiusque dignitate vel ordine, iuxta leges & consuetudines receptas. Itaque quando dicitur aliquid stricto iure debitum, concurrunt in eodem actu Iustitia commutatiua & distributiua: distributiua, quatenus respicitur vt cuique detur secundùm proportionem suæ dignitatis: commutatiua, quatenus respicitur vt cuique detur æquale iuri quod habet, quod ius ortum est ex lege, vel consuetudine, vel donantis dispositione, supposita cer-

ta certa proportione dignitatis ipsius ad dignitatem aliorum, & quod alijs tantum vel tantum datum sit. Quare minus dando quàm oportet, simul violatur Iustitia vtraque: distributiua, quia non datur secundùm proportionem dignitatis quam habet ad alios: commutatiua, quatenus non datur æquale iuri quod ipsi acquisitum est. Quando verò fit distributio rerum quæ stricto iure non debentur secundùm conditionem personarum, tunc Iustitia distributiua non includit commutatiuam; vt fit in distributione beneficiorum & officiorum: quæ debent quidem conferri dignioribus, non tamen ita vt ipsi Ius strictum ad illa habeant. Vnde non fit ipsis iniuria, quæ ad restitutionem obliget, etsi aliàs conferantur: peccat tamen distributor contra Iustitiam distributiuam. de quo plura infrà cap. 32. dubit. 2. & 3. & c. 34. dub. 13.

Interdum non includit.

CAPVT SECVNDVM.

De ipso Iure in genere.

Habet 2. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Ius, & quodnam sit Iustitiæ obiectum.

1 *Ius potissimùm dicitur tripliciter, 1. vt sit idem quod Iustum. Iustum generale, speciale.*

NOTANDVM est, nomen *Iuris* potissimùm accipi tripliciter. Primò, vt sit idem quod *Iustum*. *Iustum* autem dupliciter accipitur, secundùm Aristotelem lib. 5. Ethicor. cap. 1. nempe generatim pro *legitimo* (& sic omne opus virtutis, quatenus consentaneum legi, dicitur *Ius* & *Iustum*) & speciatim, pro eo quod est *æquale & alteri debitum*. hæc enim tria inuoluit *Iustum* strictè acceptum, (vt colligitur ex D. Thom. q. 80.) *æqualitatem, debitum, & esse ad alterum*. sic dicimur reddere ius alteri. Secundò, vt sit idem quod *lex*, quæ est regula *Iusti* in genere: cumque sententia Iudicis sit etiam veluti quædam lex, (est enim lex priuata, non publica) etiam ipsa *Ius* dicitur. hoc modo Iudex dicitur dictare ius, & præesse Iuri dicundo: quamuis tunc possit accipi pro iusto & æquo. Tertiò accipitur ius pro *legitima potestate*. Sic acceptum potest hoc modo describi, *Ius* est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem; cuius violatio iniuriam constituit.

2. *Ius est lex.*

3. *Ius est potestas legitima.*

2 *Ius pro potestate legitima quid.*

Primò, *Est potestas*, id est, habitudo quædam ad aliquid, vnde dicimur aliquid posse. hæc autem se habet vel in modum potentiæ actiuæ; vt quando est ius ad aliquid agendum vel retinendum: vel potentiæ passiuæ, vt in iure quod habes vt alaris, vt custodiaris, vt tibi seruatur: vel potentiæ resistendi, vt in iure quod habes ne quis ædificet tali loco; ne aperiat fenestram in tuum hortum, vel aream; ne altiùs attollat murum; ne officiat tuis luminibus.

3 Secundò, *Legitima*, i. à lege concessa: quia facultas quæ secundùm legem non competit, non est ius, sed vis & iniuria. lex autem hanc potestatem concedens vel est diuina positiua, vt ad Sacramenta percipienda: vel est naturalis, vt ad vsum membrorum, ad vitam per cibum & potum sustentandam, ad matrimonium ineundum, ad vim vi propulsandam, & similia. Vel est humana, vt ad successionem hereditatis, ad præscribendam vel vsucapiendam certo tempore rem alienam, ad acquirendum, possidendum, retinendum, alienandum per varia contractuum genera. Tot enim sunt genera iurium, quot sunt genera legum, quæ ius tribuunt: quamuis hæc diuersitas non faciat diuersitatem in ipso Iustitiæ habitu.

Hinc sequitur, hanc potestatem non esse quid physicum, sed morale dumtaxat, competens homini ex aliqua Dei vel hominum ordinatione, vel deputatione, vel concessione; sicut esse magistrum, doctorem, regem, militem.

Tertiò, *Ad rem aliquam*: vt ad obtinendum rem aliquam per successionem hereditariam, per testamentum, per donationem liberalem, per contractus, per occupationem.

Quartò, *Ad functionem*: vt ad liberum vsum membrorum & rerum suarum.

Quintò, *Quasi functionem*: vt ad possessionem ciuilem & naturalem, ad retinendum dominium, statum, & conditionem in qua est.

Sextò, *Cuius violatio*, &c. quia iniuria nihil est aliud quàm alieni Iuris violatio. Dicitur autem violari, non quando aliquis priuatur suo Iure; sed quando iure manente contra illud agitur. Non enim agi potest contra ius quod non est. Vnde quando quis priuatur officio, quod est Ius quoddam, non fit ei iniuria, nisi in ipso aliud Ius maneat respiciens illud officium: potest enim esse ius ad Ius, & dominium Iuris. His positis,

Iniuria.

Dico Primò, Si *Ius* accipiatur pro *Iusto in genere*, est formaliter obiectum obedientiæ.

4 *Iustum in genere.*

Probatur, quia sic idem est quod *legitimum*, seu lege statutum: atqui hoc est obiectum formale obedientiæ, quæ ideò vult & facit quia est præceptum.

Dixi *formaliter*; quia si *legitimum* accipiatur materialiter, pro eo quod est lege statutum, est obiectum omnis virtutis: quia lex in omni materia virtutis aliquid statuit, vt suprà cap. 1. n. 15. dictum est.

Dico Secundò, Si *Ius* accipiatur pro *Iusto speciali*, quod est æquale, debitum alteri; sic est obiectum formale iustitiæ particularis. Probatur, quia is peculiari ratione dicitur Iustus, qui hanc æqualitatem debitam amat, intendit & seruat: Iniustus, qui eam non seruat, vt patet in contractibus. ergo hæc æqualitas quatenus debita, est

5 *Iustum speciale.*

obiectum formale Iustitiæ. patet consequentia, quia obiectum formale cuiusque virtutis est illud bonum honestum, quod per illam virtutem in opere intenditur.

Æqualitas duplex. Hæc autem æqualitas est duplex, vt suprà c. 1. n. 21. dictum est; altera *rei ad rem*, (vt pretij ad merces, rei reddendæ ad rem sublatam, vel peremptam) quæ æqualitas dicitur esse secundùm *proportionem arithmeticam*, estque obiectum Iustitiæ commutatiuę. Altera, *proportionis ad proportionem*, (vt cùm est æqualitas inter proportionem rerum quæ distribuuntur, & dignitatum secundùm quas distribuuntur) quæ æqualitas dicitur esse secundùm *geometricam proportionem*, estque obiectum Iustitiæ distributiuæ. Ratio istius appellationis est, quòd Arithmetica, præsertim vulgaris, spectet propriè proportionem numerorum & quantitatum, Geometria proportionum.

6 *Ius pro lege.* Dico Tertiò, *Ius secundo modo*, scilicet pro lege, non est obiectum, sed regula Iustitiæ & ceterarum virtutum. Ratio est, quia virtutes in suis functionibus debent dirigi secundùm præceptum legum: nisi enim legibus sint conformes, non erunt studiosæ nec laudabiles.

7 *Ius pro potestate.* Dico Quartò, *Ius pro potestate legitima*, non est *obiectum quod* Iustitia intendit: est tamen aliquid vnde obiectum Iustitiæ quodammodò pendet, & ad quod intrinsecum ordinem habet, quod *formale obiectum cui* dici potest.

Probatur, quia etsi Iustitia in opere suo non intendat Ius alterius, intendit tamen id quod iuri alterius est debitum; ac proinde id quod intrinsecum ordinem habet ad Ius alterius. quod confirmatur, quia obiectum quòd Iustitia intendit, includit esse debitum alteri ad æqualitatem; debitum autem non potest esse sine Iure in altero, nam est correlatiuum eius: debitum enim, Iuri est debitum. ergo obiectum Iustitiæ includit ordinem ad Ius alterius. Hinc fit vt nullum sit propriè opus Iustitiæ, sine Iure in altero: quia opus Iustitiæ est reddere quod Iuri alterius est debitum. vnde in altero postulat ius, in altero debitum. Quòd autem hoc ius rectè dicatur *obiectum formale cui*, patet, quia est ratio cur alteri aliquid sit debitum. Pro quo notandum est, in Iustitia, sicut & in omni virtute quæ est ad alterum, posse distingui *obiectum quod* & *obiectum cui*. *Obiectum quod* est illud, quod ipsa virtus intendit, & præstat exterius. Hoc in proposito est redditio rei æqualis, quatenus debita, seu redditio debiti ad æqualitatem Iuris alterius.

Obiectum quod & cui.

Obiectum cui est is cui præstatur. Hoc in proposito est proximus noster; quatenus Ius habet ratione cuius illi aliquid est debitum; ex iure enim ipsius in me vel mea, nascitur in me debitum præstandi id quod illud Ius impleat & exhauriat. quo posito, Iustitia inclinat vt id velim affectu & præstem effectu. itaque Ius est ratio obiectiua in *obiecto cui*, vnde tota ratio Iustitiæ pendet. vide infrà c. 36. Dubit. 2. & cap. 46. Dubit. 1.

Nec obstat quòd *Vindicatio* non respondeat Iuri alterius, sed ipsius vindicantis: quia hæc virtus non est species Iustitiæ particularis, sed pars potentialis, vt infrà ostendetur cap. 47. Dubit. 4.

Ex his patet, hanc Iuris acceptionem maximè seruire nostro proposito, quia tota Iustitiæ ratio ex ea oritur; nam ipsa, ratio debiti & obligationis nostræ ex ea pendet.

Dvbitatio II.

Quomodo Ius secundùm varias acceptiones diuidatur.

Respondeo, Dico Primò, Si *Ius* accipiatur primo modo, id est, vt idem sit quod *Iustum alteri debitum*, diuiditur in Iustum per æqualitatem rerum, & in Iustum per æqualitatem proportionum, vt dictum est num. 5. 8 *Diuisio Iuris pro Iusto.*

Dico Secundò, Si accipiatur secundo modo, pro lege, diuiditur sicuti lex. Itaque *Ius* aliud est naturale, aliud positiuum: *Ius positiuum* aliud est diuinum, aliud humanum. *Ius diuinum* aliud est vetus, aliud nouum. *Ius humanum* aliud est Ius gentium, aliud Ius canonicum, aliud ciuile. 9 *Diuisio Iuris pro lege.*

Ius naturale dicitur, quod ex ipsis rerum naturis oritur, scilicet ex natura rationali, & naturali conditione operum, de quibus hoc Ius disponit. Vnde eius rectitudo, suppositia existentia naturæ humanæ, non pendet ex aliqua libera ordinatione Dei vel hominis, sed ex ipsa rerum natura. Itaq; sicut naturæ conditio est immutabilis, ita quoque lex naturalis est immutabilis, manentibus ijsdem circumstantijs rerum: vt bonum faciendum, malum vitandum; Deum colendum, & cetera quæ continentur in Decalogo, vel euidenter ex eo ducuntur. *Ius naturale.*

Ius positiuum est quod pendet ex libera Dei vel hominum voluntate; vnde mutari potest, etiamsi omnes circumstantiæ, cum quibus anteà obligabat, eædem maneant. *Ius diuinum vetus* est, quod Deus in veteri Testamento tulit, de cærimonijs & politia. *Nouum* quod in nouo, vt sunt ea quæ de Sacramentis. *Ius humanum* est, quod auctoritate humana seu puri hominis est conditum. *Ius gentium* est quod passim apud omnes Gentes seruatur. *Ciuile*, quod auctoritate Principum sæcularium est conditum. *Canonicum*, quod auctoritate Pontificis vel Concilij conditum est. Sed de his plura 1.2. Tractatu de Legib. q. 96. *Ius positiuum.*

Dico Tertiò, Si Ius accipiatur tertio modo, scilicet pro *potestate legitima*, diuidi potest, Primò ex parte principij, nempe secundùm diuisionem legũ è quibus oritur. Vnde aliud est *naturale*, quod lege vel concessu naturæ competit: aliud *positiuum*, quod lege positiua, vel concessione libera Dei vel hominum competit: & sic deinceps in alijs membris. Secundò diuidi potest ex parte termini quem respicit, & sic diuiditur in *Ius ad rem*, & *Ius in re*. *Ius ad rem* dicitur quod non tribuit actionem in rem, sed tantùm in personam. Tale ius est quod tibi competit per stipulationem, per donationem, per emptionem, aliosve contractus, ante traditionem rei. Si enim res illa alteri vendatur, & reipsa tradatur, manet illi, nec potes illam vindicare, quia non res erat tibi obligata; sed tantùm habes actionem personalem in eum qui te fraudauit, vt infrà cap. 3. num. 12. & 13. dicetur. Tale etiam ius est, quod habes per electionem, postulationem, præsentationem ad beneficium. Imò tale etiam est, quod habes per collationem beneficij, ante acceptationem; & per successionem hereditatis, ante illius acceptationem. *Ius in re* dicitur, quod tribuit actionem realem, seu quod rem obligatam habet. Tale est quod habetur per emptionem, & alios contractus, secuta rei traditione; per collationem beneficij, secuta 10 *Ius pro potestate legitima.* 11 *Ius ad rem.* 12 *Ius in re.*

cuta acceptatione: per testamentum, vel successionem ab intestato, secuta acceptatione: tale etiam Ius est dominium rei, & vsus, & vsusfructus, id est, Ius vtendi & fruendi, respectu rei quæ subest illis Iuribus, item Iura quæ dicuntur *seruitutes*; Ius etiam hypothecæ & pignoris; denique omne Ius, quod rem aliquam siue corporalem, (vt sunt agri, domus, supellex) siue incorporalem (vt sunt officia, beneficia, redditus, seruitutes, & similia) ita nobis obstrictam tenet, vt ex ea possimus percipere fructus, vel emolumenta, vel securitatem creditorum, vel honorem, dicitur Ius in re. quocumque autem res talis transeat, potest vindicari tamquam nobis obstricta; quia res omnis transit cum suo onere, quo est affecta.

CAPVT TERTIVM.

De speciebus Iuris realis; vt sunt dominium, vsusfructus, vsus, possessio, & alia quædam.

Habet 13. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit dominium in genere, & quænam eius species.

1 RESPONDEO, *Dominium* in genere duo includit, nempe potentiam quamdam, & auctoritatem in rem vel personam (vt colligitur ex D. Thom. de Potentia q.7.a.10.) & subiectionem rei, vel personæ, talem, vt inde dicatur ipsa esse alterius. Dominus enim vocatur qui habet aliquid suum, de quo possit disponere, vel in quod auctoritatem exercere. qui autem nihil habet suum, in quod exerat potestatem, non dicitur Dominus.

Dominium generatim. Itaque *dominiũ in genere* nihil videtur esse aliud quàm ius gubernandi vel disponendi de re aliqua, tamquam sua. *Suum* autem dicitur, quod ita subiectum & astrictum illi, cuius esse dicitur, vt possit de eo disponere proprio Iure, non ex commissione alterius. Sic ius quod Deus habet in vniuersam creaturam tamquam rem suam, quo potest de illa statuere quod placuerit, est dominium Dei, & quidem perfectissimum, cùm creatura perfectissimè sit eius, vtpote ei summè subiecta & obstricta ratione creationis, conseruationis, gubernationis, & summæ ab eo dependentiæ omnium quæ in ipsa sunt. Similiter Ius quod Rex habet in suum regnum, Dux in suum ducatum, & quiuis in suas possessiones, dominium vocatur.

Dominium dei.

2 Hoc modo Dominium diuidi potest in dominium Iurisdictionis & Proprietatis. *Dominium Iurisdictionis* est potestas gubernandi suos subditos. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, iudicare, punire, præmiare. *Dominiũ proprietatis* est Ius disponendi de re aliqua tamquam sua in suum commodum. ab hoc dominio quisque dicitur rei suæ dominus; siue ille sit persona priuata, siue publica, siue communitas. nam persona publica & Respub. potest possidere bona iure priuato, instar priuatæ personæ. *Dominium Iurisdictionis* diuiditur eo modo, quo Iurisdictio ordinaria, quia ab hac non videtur distingui. vnde aliud est *sæculare*, aliud *Ecclesiasticum*. *Sæculare* est quod in rebus sæcularibus gubernat, pacem & publicam tranquillitatem procurans, vt est potestas Imperatoria, Regia, Ducalis, Comitalis, Marchionalis, & similes, respectu prouinciarum, oppidorum, & pagorum, quæ ipsis proprio Iure in negotiis sæcularibus subsunt. *Ecclesiasticum dominium* quod in rebus sacris & in rectè viuendi ratione dirigit; cultum diuinum, & salutem animarum spectans; vt est potestas Papalis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, & aliæ inferiores, respectu subditorum, qui ipsis in spiritualibus subsunt. *Dominium proprietatis* diuidi potest in perfectum & imperfectum. *Perfectum* dicitur quod continet proprietatem rei & commodorum eius. *Imperfectum*, quod tantùm habet vel proprietatem rei absque emolumentis, vel emolumenta absque rei proprietate. Vnde hoc dominium est duplex: aliud enim dicitur *directum*, aliud *vtile*. *Directum* continet solam rei proprietatem: vnde habens hoc dominium solet dici proprietarius. Tale dominium est quod habet filiusfamilias in peculio quod dicitur aduentitium; & Princeps in feudis; & qui dedit agrum ad emphyteusim, in agro; & omnis is qui dicitur dominus eorum, quorum alteri concessus est vsusfructus. *Dominium vtile* continet solam rei commoditatem & vtilitatem. Tale est quod habet vsufructuarius, feudatarius, emphyteuta. Hîc tamen aduertendum est, ne dominium directum esset omnino inutile, Iure statutum est, vt certis quibusdam casibus dominium vtile redeat ad dominum directum. vt patet Institut. de vsufr. §.1. Vide Siluestrum verbo Dominium, q.1.& 2. Omisso dominio Iurisdictionis (de quo 1.2. quæst.95. tractandum) explicandæ nobis sunt præcipuæ species dominij proprietatis, & quædam Iura affinia.

Dominium iurisdictionis.

Dominium proprietatis.

3 *Dominium sæculare, Ecclesiasticum.*

4 *Dominium proprietatis Perfectum, Imperfectũ.*

Directum.

Vtile.

5

DVBITATIO II.

Quid sit dominium perfectum, seu plenum.

NOtandum est, Dominium veteribus Latinis dici *mancipium*, quòd potissimùm apprehensione manuum hoc Ius acquiratur. vnde *res mancipi* dicebantur, quæ dominio erant subiectæ; & *homo sui mancipij*, qui sui iuris erat: *dari & accipi mancipio*, cuius transferebatur dominium. posteà hoc Ius cœpit vocari dominium, quo nomine passim vtuntur Auctores Digestorum, vt patet tit. de acquirendo rerum dominio, & alibi.

6 *Mancipiũ.*

Nunc

7 *Quid dominium perfectum*

Nunc Resp. Hoc dominium sic posse definiri; Dominium est ius in re, extendens se ad omnem eius vsum seu dispositionem, nisi lege prohibeatur. Definitur hic dominium plenum, continens in se dominium directum & vtile. Definitio habet tres partes. Prima est *ius in re*, hoc enim est loco generis: omne enim dominium est ius in re: non contrà, vt patet in hypotheca & pignore, in vsu & vsufructu; & in iure quod coniuges habent in mutua corpora: sunt enim hæc iura in re, non tamen dominia. Excluduntur hîc omnia iura ad rem. Dico *in re* generatim, quia etsi Iurisperiti

8 *Dominium iurium.*

tantùm rerum corporalium velint esse dominium; incorporalia autem (vt officia, iura) possideri *quasi dominio*: tamen hæc differentia passim non seruatur, neque vulgò, neque à Theologis, neque à Iurisperitis: dicimur enim passim domini reddituum, & similium iurium. vnde quotidie emuntur & venduntur etiam chirographa, & actiones

Ad omnem vsum.

personales, & seruitutes. Secunda, *Extendens se ad omnem eius vsum*: quæ pars est loco differentiæ. nam proprium est perfecti dominij, vt possis re tua vti pro tuo arbitratu, eam vel tibi seruando,

Quæ exclusa.

vel vendendo, vel donando, vel vastando. Hîc excluduntur. Primò, omnia ea iura, quæ etsi dicantur dominia, non sunt tamen dominia plena; vt *dominium directum*, quod est dominium proprietatis nudæ sine vsufructu: & *dominium vtile*, qnod est solius vsusfructus, vel vsus: & *dominium Iurisdictionis*, quale habet rex in regnum, & omnis superior in subditos. Secundò excluditur ius pignoris, & hypothecæ, & similia. quamuis enim per hæc obtineatur aliquod ius in re ad aliquem determinatum effectum & vsum, non tamen ad omnem vsum: quia res, in quibus hæc iura habentur, non possunt vendi, donari, destrui. Sic Religiosus non habet dominium in vestes & libros, quia non habet ius ad omnem eorum vsum, sed solùm ad determinatum.

9 *Lex interdum impedit vsum.*

Tertia est, *nisi lege prohibeatur*. quia etsi dominium ex natura sua tale sit vt tribuat potestatem ad vsum seu dispositionem rei qualemcumque; tamen interdum lege impediente fit vt hæc potestas non possit exire in actum. Sicut qui habet potentiam naturalem videndi, impeditur interdum ne possit ea vti ad videndum; quo impedimento sublato, statim sine accessione noui auxilij potest in actum exire. Sic pupillus prohibetur alienare rem suam vsque ad certum tempus, cùm tamen sit verus dominus, vt Apostolus ait ad Gal.4. Sic maioratus, fideicommissa, & alia bona, quæ dicuntur vinculata, alienari ex legum dispositione non possunt; cùm tamen vero dominio possideantur. non enim hoc impedimentum quod lex inducit, tollit naturam dominij aut Ius in re, sed solùm impedit eius Iuris vsum aliquem & executionem; quo impedimento per lapsum temporis, vel aliter cessante, sine collatione noui Iuris potes illa alienare. Simili modo potest impediri per votum & iuramentum, vt infrà patebit.

10 Ex his facilè intelligi potest illa Iurisperitorum definitio, *Dominium est Ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur*. vbi *corporali* meliùs omittitur, vt dictum est. Hæc tamen definitio non explicat hoc ius esse in re fundatum; quod tamen ad rationem dominij est necessarium.

Dices, Dominium videtur quid pri us Iure ideò enim habes ius in re illa ad omnem vsum & dispositionem, quia es eius dominus; non contrà: ergo dominium non est formaliter Ius.

Resp. Perfecta ratio dominij non est prior Iure & potestate disponendi de re; sed hanc essentialiter includit: esse enim dominum rei, est rem illam ita habere sibi subiectam & astrictam per aliquem actum, v.g. per emptionem & apprehensionem, vt ex vi illius subiectionis possis de ea liberè disponere. Itaque *dominium* ex parte rei dicit subiectionem rei, & veluti seruitutem, qua domino est obstricta, & dicitur formaliter esse res mea, tua, sua: ex parte domini dicit non tantùm nudam illam habitudinem, qua dicitur rem habere per emptionem & traditionem, sed etiam potestatem & ius quæ ex vi modi illius habendi sequuntur. Ad rationem in oppositum

11 *Dominium essentialiter includit potestatem & Ius.*

Resp. Etiam dicimus hominem posse intelligere, quia habet intellectum; & tamen intellectus essentialiter est potentia intelligendi. Itaque iste modus loquendi non est sufficiens signum, rationem dominij esse priorem quàm sit ratio Iuris; potentia enim omnis considerata in se & ad se, concipitur vt prior seipsa, considerata in ordine ad actum; cùm tamen reuerà prior non sit; eò quòd respectus & ordo ad actum sit illi essentialis.

Dvbitatio iii.

Quænam requirantur ad dominij acquisitionem.

12 Respondeo, & Dico Primò, Quando dominium ab vno in alium transferendum est, ad acquisitionem dominij ordinariè duo requiruntur, *titulus* & *traditio:* ita docet Couar. lib. 2. var. c. 19. Colligitur apertè L. Traditionibus. 20. C. de pactis. *Traditionibus dominia rerũ, non nudis pactis transferuntur.* iuncta simul lege Numquam. 31. π. de acquir. rer. dom. *Numquam nuda traditio transfert dominiũ; sed ita, si venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.* Ex his duabus legibus apertè habetur vtrumque requiri & sufficere. Ratio est ipsa legum dispositio: nam Iure naturæ non est necessaria traditio: est tamen rationi consona. quia sicut vt possim re aliqua vti naturaliter, requiritur in me vis vtendi, & in re conueniens applicatio: ita, vt possim re aliqua vti moraliter tamquam dominus, requiritur ex parte mea aliquod ius, per contractum aliquem, vel similem modum, & ex parte rei debita applicatio, quæ fit per traditionem vel apprehensionem. Accedit, quòd hac ratione euitetur etiam incertitudo dominiorum, multarum litium seminarium.

13 *Titulus* est id in quo totum ius primitus fundatur, vt emptio, donatio, successio hereditaria, & similia. per hæc tamen nondum habetur dominium, aut ius in re; sed solùm ad rem: nisi accedat certa quædam traditio, quæ est veluti conditio necessaria vt ex vi prioris donationis vel emptionis resultet dominium. Vnde si Petrus tibi vendidisset prædium, domum, pannum, equum, vel aliud quiddam, & ante traditionem venderet alteri & traderet, secundus emptor acciperet eius dominium, nec teneretur illud tibi cedere, sed solùm haberes actionem damni in venditorem: vt patet ex L. Quoties. 15. C. de rei vindicatione. Nisi fortè alteri esset tradita titulo gratuito; tunc enim

enim posses illam vindicare. similiter, si alteri esset quidem tradita titulo oneroso, sed scienti eam tibi anteà venditam. de quo vide Couarr. lib.2. Variarum c.19.num.5.& infrà cap.21.Dub.19.

14 Notandum est, Ex eo quòd per solum titulum, vel contractum non consequimur dominium, vel aliquod ius in re ante traditionem, sed solùm actionem personalem, (præterquam in pignore & hypotheca) resultare multos effectus, vt benè ostendit Antonius Gomez. de seruit. n.23. & 24. Primò, promisisti alicui vel vendidisti seruitutem in prædio, (v.g. ius eundi, vel currum ducendi per tuum prædium) & nondum tradidisti eo modo, quo tradi debet; si alteri vendis prædium, ille non habebit actionem in emptorem, aut in prædium,

15 sed in te. Secundò, si vendidisti prædium cum pacto de retrouendendo, & ille vendat alteri, non habebis actionem in illum secundum emptorem, aut in prædium, sed in primum; quia nudum pactum de retrouendendo non tribuit tibi ius in re, sed actionem contra emptorem. Tertiò, si alienasti bona tua in fraudem creditorum, & emptor alienarit in tertium; creditores non habent actionem in illa bona, vel in tertium, sed tantùm in secundum, si fuit conscius fraudis, &c. vide plura apud Gomez. suprà.

16 Dixi *ordinarie*, quia in quibusdam casibus non est traditio necessaria ad dominium acquirendum. Primò, in *beneficiis*: nam in his acquiritur ius in re, & quasi dominium per collationem & acceptationem. vt patet ex cap. Si tibi absenti, tit. de præbendis, in 6. Secundò, in *hereditate*: vt enim quis fiat dominus hereditatis, siue per testamentum, siue ab intestato, non requiritur aliud quàm vt hereditas adeatur. vt patet ex L. Cùm heredes. 23. π. de acquirenda vel amittenda possessione, vbi sic dicitur, *Cùm heredes instituti sumus, aditaher editate omnia quidem iura ad nos transeunt, possessio autem nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet.* Aditur autem hereditas, dum acceptatur verbo, vel facto, vt habetur Instit. de heredum qualitate, §. vlt. Tertiò, in *legato*. Si enim tibi res certa legata sit, statim hoc ipso quo heres acceptat hereditatem, efficeris eius dominus. vt colligitur ex L. A Titio 64. π. de furtis. vbi dicitur *quòd res legata recta via ab eo qui leganit, ad eum cui legata est, transeat*. Quartò, Quando aliquid donatur, venditur, aut relinquitur ciuitatibus, ecclesiis, aut aliis piis locis, aut in redemptionem captiuorum. vt colligitur ex L. Vt inter Ius diuinum. 23. C. de sacrosanctis Ecclesiis. Quintò, In contractu societatis omnium bonorum per matrimonium. de quo vide Couar. lib.3. variar. cap.19.n.1.& 2. Sextò, Si donasti & tradidisti alteri domum, fundum, vel quid simile, sub ea conditione vt tibi alimenta præbeat; illo non præbente, vt debet, statim recipis dominium & possessionem illius rei, absque vlla traditione. L.1. C. de donat. quæ sub modo. Septimò, Si Princeps contrahat cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, erit translatum absque alia traditione. vt docet Couar. lib.2. variar. c.19.n.3. Ratio est, quia sicut ex voluntate Principis est quòd requiratur traditio; ita etiam ipsius arbitrio potest omitti. Præter hos vix inuenias alios casus, in quibus ad comparandum dominium siue plenum, siue non plenum, non requiratur traditio Iure communi Cæsareo. nam de Iuribus propriis variorum regnorum, vel dominiorum non est nobis hîc sermo.

Quando traditio non sit necessaria.

Aduerte tamen, ad ius hypothecæ vel pignoris, talem traditionem aut apprehensionem non esse necessariam, sed nudam conuentionem, vel legis dispositionem sufficere. vt patet L.1.π. de pignoribus.

Dico Secundò, quando dominium non transfertur ab vno ad alterum, ad acquisitionem eius sufficit apprehensio: sic enim acquiruntur dominia earum rerum, quæ nullius sunt; vt infrà dicetur cap.5.

Dvbitatio iv.

Quidnam sit vsusfructus.

REspondeo, *Est ius rebus alienis vtendi fruendi, salua rerum substantia.* Ita habetur Instit. de vsufructo, in principio. Habet hæc definitio 5.partes. Prima, *est ius*; quia non loquimur hîc de vsu actuali, quem Iurisperiti vocant vsum facti, sed de ipso iure vtendi fruendi. Secunda est, *vtendi*, vt excludatur ius, quod habet creditor in pignore vel hypotheca, vel depositarius in deposito; hi enim non possunt vti rebus illis: quòd si vtantur inuito domino, tenentur ei restituere æstimationem vsus. Tertia, *fruendi*, vt excludatur nudum ius vtendi re aliqua, quod non extendit se ad eius fructus percipiendos: sicut facit hoc ius, quo non solùm datur potestas vtendi re illa, in qua constitutum est, (v.g. equo, domo, agro, silua) sed etiam fruendi, id est, percipiendi omnes fructus; ita vt hoc ipso quo eos colligit, acquirat in eis plenum dominium. Si tamen fructuarius, priusquam eos collegerit, moriatur, (etiamsi iam sint maturi) acquiruntur domino proprietatis, non heredibus fructuarij. vt habemus Instit. de rerum diuisione. §. Is verò. Ratio est, quia quamdiu adhærent fundo, censentur vnum cum solo, vnde pertinent ad dominum soli, donec fructuarius eos colligendo comparauerit sibi eorum dominium. quare si durante suo iure non collegerit, manebunt domino fundi. *Fructus* autem dicuntur, in grege quidem, lana, lac, fœtus: in fundo, fœnum, segetes, virgulta, salices, & omnes arbores cæduæ: fructiferæ autem non censentur in fructu. proles ancillæ non censetur in fructu, ob dignitatem naturæ. Vide de his omnibus lib.7. π.tit.1. potissimùm L.8. & 59. & 68. Quarta, *rebus alienis*, vt excludatur ius vtendi & fruendi, quod quisque habet in re sua. Quinta, *salua rerum substantia*, quia fructuarius debet rem integram proprietario reseruare. Hinc fit vt vsusfructus propriè dictus non possit constitui in rebus quæ vsu consumuntur, vt in vino, oleo, frumento, pecunia. Vtilitatis tamen causa in his constitui potest quasi vsusfructus. tunc autem transfertur dominium in fructuarium; sed hic debet dare cautionem se finito tempore præscripto restituturum pecuniam, vel rei æstimationem. Vide Instit. suprà, §. Constituitur.

17 *Explicatur definitio.*

Fructus qui.

Quasi vsusfructus.

Notandum autem est Primò, ob hanc vltimam particulam, *vt salua maneat rei substantia*, fructuarium obligari ad hæc quatuor. Primò, Si habet vsumfructum gregis, vel armenti, quamuis possit vtifrui lacte, lana, & fœtu; tamen in locum capitum demortuorum, vel inutilium, debet

18 *Obligatur ad 4.*

debet è fœtu substituere alia capita : quæ postquam substituerit, cedent in dominium proprietarij: vnde si pereant,ipsi peribunt. Ita habemus Instit. de rerum diuisione. §. Sed si gregis. hoc tamen non habet locum quando conceditur vsus, non gregis collectiuè, sed animalium,seu singulorum capitum ; tunc enim non tenetur substituere. Ita habemus L. Quid ergo. 70. ff. de vsufructu. Ratio est, quia grex est æternus ; sed singula capita seorsum pereunt.

Secundò , Si vsusfructus sit constitutus in silua aut vinea , tenetur fructuarius loco arborum vel vitium demortuarum alias serere; nisi vi tempestatis vel simili casu essent euersæ. quod enim fortuitò perit absque culpa fructuarij , proprietario perit.

Tertiò , Si in ædibus sit constitutus vsusfructus , tenetur ad modicam earum reparationem proprio sumptu, vt integræ permaneant; non tamen tenetur ad magnos sumptus quibus efficiantur meliores.

Quartò , Tenetur ad dandam cautionem proprietario , se boni viri arbitratu vsurum fruiturum re ipsius , eamque restituturum finito tempore præscripto : vide plura apud Silu. sed minoris momenti.

19 *Dupliciter acquiritur.* Notandum Secundò , Vsumfructum acquiri dupliciter, Primò,Legis ordinatione. Hic dicitur *legalis*, vt is, quem pater habet in peculio filij aduentitio, quamdiu filius est sub patria potestate, & quem habet mater transiens ad secunda vota in bonis prioris tori.

Secundò , Priuata dispositione, vt testamento, pactionibus,stipulationibus. vt habetur Instit. de vsufructu. §. 1. Hic dicitur *conuentionalis*. vide Gomezium, de seruitutibus, n.primo.

Dvbitatio v.

Quomodo vsusfructus amittatur.

20 Respondeo , Amitti multis modis. Primò, si moriatur vsufructuarius. Secundò , si res ipsa pereat : vt si domus incendio consumpta sit. Tertiò,si tanto tempore non vtatur suo iure,quanto opus est vt dominus directus contra eum præscribat. Hoc autem tempus est 10.annorum inter præsentes,& 20. inter absentes; vt colligitur C.de vsufructu, L. pænult. Quartò , per maximam capitis deminutionem. Dicebatur autem maxima capitis deminutio , cùm ciuitas simul & libertas amittebatur: hoc autem fiebat tribus casibus. Primus est,per condemnationem ad metalla, vel ad bestias, vel generatim ad mortem. Sæpè enim condemnatio ad mortem longo tempore antecedebat executionem. Hi dicebantur effecti serui pœnæ. quòd autem omnes ad mortem condemnati huc pertineant,patet L. Qui vltimo,29.ff.de pœnis,& clariùs L.Quod ad statum,12. ibidem. vbi dicitur, *eos in quos animaduerti iubetur , statim seruos pœnæ fieri.* eódem pertinent damnati perpetuò ad triremes; vt docet Gomezius ad L 4. Tauri n.1. Et quamuis per Authent. primam de nuptiis c.8. ablata sit seruitus pœnæ , quatenus erat impedimentum dirimens matrimonium ; non tamen est ablata , qua parte faciebat amitti vsumfructum, eumque reuerti ad proprietarium , vt eruditè ostendit Molina disput.9. Secundus est, quando libertus ingratitudinis in patronum condemnabatur, ideoque rursus in seruitutem reuocabatur. Tertius,quando se patiebatur vendi, vt esset particeps pretij. Hi tres casus habentur Instit. de cap.demin.§.2. Quintò,per mediam capitis deminutionem ; quæ est, cùm ciuitas amittitur , sed libertas retinetur ; hoc autem fiebat duobus casibus : Primò,cùm quis deportabatur in insulam. Secundò, cùm aliquis proscribebatur interdictus aqua & igni : vt habetur Instit. sup.vbi

Capitis deminutio maxima tribus casibus.

22 *Media capitis deminutio.*

Aduerte , hæc debere esse perpetua , & cum amissione omnium bonorum ; quo modo fiebat apud veteres: alioquin non inducunt mediam capitis deminutionem. Hi omnes dicuntur mortui ciuiliter , quia testari non poterant , & respectu bonorú perinde se habebant ac si mortui fuissent. vide Silu.v.Testamentum.1.q.4.eódem pertinent damnati ad carceres perpetuos, iuxta communem sententiam Doctorum. Per professionem verò non redit vsusfructus ad proprietarium , sed transit ad monasterium , si est capax successionis; vt rectè Nauar. commentario secundo de Regular.n.70.& sequent. colligitur Authent.Ingressi. C.de sacrosanct Eccl.de quo inf.c.41.Dub.10.

Sextò , Si vsufructuarius cedat iure suo ipsi proprietario.

Septimò , Si acquirat rei proprietatem : quod consolidatio dicitur. Vide Instit. de Vsufructu. §.Finitur,& Siluestrum verbo Vsus quæst.11.

23 *Si parens hæreticus.* Octauò,Si pater fiat hæreticus, hoc ipso amittit vsumfructum in bonis aduentitiis filij; itaque stat coalescit cum dominio directo, quod habet filius. Ita docet Iacobus Simanchas Institutionum catholicarum tit.9 n.81. & noster Molina disp.9. Ratio est, quia propter crimen hæresis paternum, etsi adhuc occultum , filius omnino exit patriam potestatem, efficiturque sui iuris, adeò vt nulla alia emancipatione egeat , vt expressè habetur cap.2. de hæreticis in 6.Alexand. 4. Si nulla alia eget emancipatione , ergo etiam quoad bona sua est exemptus à iure paterno. vnde sequitur, posse illum vi occulta compensatione , si aliter suo iuri consulere nequit.

Dvbitatio vi.

Quid sit vsus.

24 Respondeo, *Vsus est ius vtendi re aliena, salua ipsius substantia.* De hoc agunt Institutiones & Digesta , post titulum de Vsufructu. Patet ex dictis de vsufructu. Additur *salua rei substantia*, vt excludatur ius ad vsum , quo res consumitur, vel alienatur; qui etiam dicitur vsus , sed non ita propriè. Quid autem concedatur in vsu fundi, ædium, serui , pecoris,eleganter explicatur in Instit.tit. de vsu, & habitatione.

25 *Discrimen vsus & vsusfructus.* Solùm hic duo Notanda. Primum , Eum, cui concessus est vsus alicuius rei , non posse illam alteri locare, vel gratis concedere : secùs est de eo qui habet vsumfructum. hic enim potest rem illam alteri locare,& percipere pretium elocationis, vel gratis concedere. Instit. de vsu §.1. non tamen ita vt alter fiat vsufructuarius : sed vt habeat ius quoddam ad percipiendos fructus dependens à iure vsufructuarij.

26 Secundum , In omnibus rebus alienis , quibus aliquo modo vti vel etiam frui possumus , consi-

derari

derari quamdam relationem subiectionis & obligationis respondentem iuri nostro, quod in illis habemus;quæ subiectio seu obligatio vocatur *seruitus* à Iurisperitis.tit.de Seruitutibus rusticorum prædiorum, & vrbanorum. ff. eodem titul.

Seruitus.

27 Dico, in omnibus rebus alienis, quia *nemini res sua seruire dicitur*, secundùm Iurisperitos, sed aliena tantùm,vt habetur L.Vti frui 5.ff.Si vsusfructus petatur: idque distinctionis causa à dominio; quia Ius seruitutis formaliter minus est quàm Ius dominij. Vnde Iurisperiti subiectionem rei, in quam habemus dominium, non vocant seruitutem formalem, sed causalem. vide Gomezium de Seruitutibus, in principio.

Dvbitatio vii.

Quid sit seruitus apud Jurisperitos.

28 NOtandum est, hoc nomen dupliciter accipi apud Iurisperitos; Primò,pro subiectione & obligatione quæ est in re alterius, vt ipsa quodammodò seruiat alteri. Secundò,pro iure,quod respondet illi obligationi.

Quid seruitus pro Iure.

Si accipiatur pro *Iure*,sic nihil aliud est quàm ius fruendi,vel aliquo modo vtendi re aliena,vel aliquid circa eam impediendi.hoc modo est quid generalius quàm vsus & vsusfructus.omne namque ius vtendi vel fruendi est seruitus; vt docet Gomezius de Seruitutibus, n.1.& 2.non contrà: nam Ius impediendi ne altiùs attollas murum,est seruitus; non tamen est vsus vel vsusfructus.

Quid pro obligatione.

Si autem pro *subiectione rei*, sic nihil est aliud quàm obligatio realis,qua res alteri est obstricta, vt possit ex ipsa percipere fructum,vel ea aliquo modo vti, vel circa eam aliquid impedire.

29 *Seruitus triplex.*

Diuiditur autem in tres species,secundùm Gomezium,& alios. Alia enim *seruitus* est *merè personalis*,vt ea quæ à persona debetur personæ: vt si mihi vsum serui tui ad tempus,vel ad vitã meam concesseris.Alia est *merè realis*,vt ea quæ à re debetur immediatè alteri rei:talis est quæ respondet iuri agrorum, vel domorum,& similium rerum. Dixi *immediatè*, quia hæc seruitus etiam debetur à re personæ; sed mediatè tantùm,nempe ex eo quòd fiat talis rei dominus vel cõductor,v.g.ager meus habet ius vt per agrum tuum possit iri,vel iumentum duci in meum; ager tuus seruit meo: estque hæc seruitus realis;quia à re debetur immediatè rei, & consequenter hoc ius transit ad eum ad quem transit meus ager. Alia est *mixta*, quæ à re debetur immediatè personæ: hæc extinguitur cum persona cui debetur. talis est in re, qua possumus vti vel frui immediatè.

30 *Seruitus realis.*

Seruitus autem *realis* diuiditur in *Rusticam* & *Vrbanam*,id est,in eam quæ prædio rustico,& quę vrbano debetur. *Prædium vrbanum* in Iure vocatur omne habitaculum,etiamsi in villa sit,& hortus annexus,causa amœnitatis. *Rusticum* quoduis aliud;vt stabulum,horreum,ager. *Seruitutes* igitur *vrbanæ* sunt, v.g. vt ædes tuæ non possint altiùs attolli,ne officiant vicini luminibus: vt in tuum parietem possit immitti tignum à vicino, & similia. *Rusticæ*,vt liceat tibi per fundum alterius ire in tuum,vel iumentum agere,vel aquam ducere, & similia; quæ optimè explicantur Instit.de Seruitutibus,& lib.8. Digestorum tit.1.2.3.4.qui sunt de Seruitutibus. Hæc enim non magnopere pertinent ad nostrum institutum. Vide plura apud Gomezium, de Seruitutibus.

Dvbitatio viii.

Vtrùm distinguatur vsus à dominio, in rebus quæ ipso vsu consumuntur.

SVnt duæ sententiæ admodum celebres, occasione Ordinis Fratrum Minorum, qui dicunt se nullius rei habere dominium, ne in communi quidem; sed nudum dumtaxat vsum. Prior est 31
Ioannis XXII.Extr.quæ incipit, *Ad conditorem*. §.Quòd autem.& duabus seqq.Ius vtendi rebus illis, quæ ipso vsu consumuntur vel alienantur, non distingui à dominio earum; ac proinde Fratres Minores habere verum dominium in hisce rebus. Hanc sententiam sequitur Franciscus Sarmiento, de Redit.parte 1.c.1.& 1. parte Defensionum contra Nauar. pag.11. & Silu. verbo Dominium.§.3. & Turrecremata lib.2. Summæ c.112. ad 10. argumentum.

Altera sententia est omnino contraria; nempe in hisce rebus hæc duo distingui,& proinde Minores, etsi vsum habeant talium rerum, nullo tamẽ modo habere dominium, sed hoc esse penes Sedem Apostolicam. Ita declarauit Nicolaus III. Extrau. *Exijt qui seminat*.,de Verborum significatione, in Sexto, & posteà Clemens V.in Clementina, *Exiui de Paradiso*,eodem tit. Ante Nicolaum in eadẽ sententia fuere Innocentius IV.& Alexander IV. & Gregorius IX. quos Nicolaus pro se citat. Hanc sententiam sequitur Soto lib.4. de Iustitia q.1.art.1. Nauar.commentario 2. de Regul. n.3. & plerique alij. pro qua

Dico Primò, Ius vtendi potest esse separatum 32
à dominio, etiam in iis rebus quæ vnico actu vtendi consumuntur, vel alienantur. explicatur simul, & probatur.

Vsus concedi potest dupliciter.

Dupliciter enim potest alicui concedi vsus, & Ius vtendi pane,vel pecunia. 1.*irreuocabiliter*: & tunc non videtur multum differre à dominio. 2.*omnino reuocabiliter*,& dependenter à voluntate concedentis, ita vt quouis momento possit reuocari sine vlla iniuria vsuarij: & hoc ius sine dubio distinguitur à dominio, quia dominium est ius in re absolutum, & firmum, non dependens ex alterius nutu & arbitrio. hoc autem est conditionatum, & debilissimum. habeo enim illud, si velis; non habeo, si nolis me habere.Tale est quod singuli Religiosi in vestes,libros,cibos,& similia,quę illis à Superioribus conceduntur, habent. Non enim ita conceditur illis ius vtendi, quin ad nutum Superioris reuocari possit.nam ratio Religiosæ paupertatis hoc intrinsecè includit.

Notandum autem est, *Vsum irreuocabilem* à 33
Nicolao III.Extrau. *Exiit*,vocari *Vsum Iuris*;tum quia in eo habetur Ius absolutum; tum quia Iura de eo loquuntur. *Vsum* autem *reuocabilem* vocat *Vsum facti*;non quòd in eo nihil sit iuris (sic enim iniustus esset, vt rectè Ioannes argumentatur) sed quia non est ius absolutum & solidum, vtpote ab alieno nutu dependens, donec res ipso facto consumatur.

Dico Secundò, Verius est, Conuentus, totumque Ordinem Minorum, non solùm in rebus aliis, sed etiam iis quæ vnico actu vtendi 34

Minores non habent dominium in communi.

consumuntur, habere nudum vsum seu ius vtendi separatum ab omni dominio.

Patet ex decretis Pontificum Nicolai & Clementis, quibus tres alij Pontifices consentiunt: estque communior sententia DD.

Probatur Primò; Quia cùm hæc possint separari, nihil mirum si de facto in aliquo ordine sint separata.

Secundò, Certum est, Religiosos singulos tantummodò habere talem vsum, absque omni dominio: nam quidquid habent, potest illis ad nutum Superioris auferri sine vlla iniuria. quod neque hi, qui sunt alterius sententiæ, negant vel negare possunt; nam hoc est de essentia paupertatis Euangelicæ: ergo nihil est incommodi, si idipsum in aliqua communitate constituatur; ita vt ipsa tota nihil habeat, nisi nudam rei concessionem ad vsum, sine omni proprietate dominij.

35 *Obiectiones.*

Obiicies Primò Ioannes XXII. Extr. Ad conditorem, dicit *se abdicare a se & à Sede Apostolica, omne dominium harum rerum, ne Fratres Minores prætendant illud esse apud Sedem Apostolicam.* ergo vel est apud nullum, vel est apud ipsos Minores.

Respondeo, Fideles, qui iltas res largiuntur, vel intendunt sibi reseruare earum rerum dominium donec consumantur, vel non intendunt: si intendunt, manet apud ipsos: si non intendunt, transit ad Sedem Apostolicam; nam post renuntiationem illam alij Pontifices rursus illud admiserunt, vt habetur in priuilegiis Minorum, verbo Paupertas. Itaque Sedes Apostolica habet dominium non solùm rerum immobilium, sed etiam omnium mobilium Ordini à Fidelibus absolutè donatorum, ita vt possit Ordinem hisce priuare sine iniuria.

Obiicitur Secundò, Vsus distinctus à dominio est qui competit alicui in re aliena, salua rei substantia; vt habetur Institut. de Vsu & habitatione, & patet ex dictis. ergo ille vsus, quo quis potest rem consumere, non est distinctus à dominio: ac proinde Minores talium rerum habebunt dominium.

36 Resp. Negando consequentiam: nam solùm sequitur, hunc vsum, quo quis potest consumere rei substantiam, non esse talem, qualis est ille de quo Iura loquuntur, qui propriè & strictè dicitur vsus.

Differunt hic vsus & ille de quo Iura.

Est autem magna differentia inter hos duos vsus: etsi enim vterque sit ius quoddam vtendi; tamen hic de quo nunc loquimur, quem ponimus in Minoribus, (quique *Vsus facti* vocari solet) est ius ad nutum reuocabile. vnde si dominus tollat rem quam dedit, non faciet illis iniuriam. ille verò de quo Iura (quem *Vsum iuris* vocant) non est reuocabilis: vnde si dominus tollat rem ante tempus concessum, faciet iniuriam. Deinde hic extendit se ad rei consumptionem, donationē, venditionem, sicut dominium; ille verò solùm ad vsum, in quo salua manet domino rei substantia. Vnde hic vsus ratione iuris est minor altero; ratione tamen functionum ad quas se extendit, est maior.

Objcitur Tertiò, D. Tho. quæst. 78. a. 1. docet, in illis rebus, quæ vsu consumuntur, cuicumque conceditur vsus, concedi etiam rem ipsam eiusque *dominium*. vnde colligitur, in mutuo talium rerum non posse exigi vsuram. i. pretium vsus distinctum à pretio rei: ergo sentit *ius vtendi* non distingui in his à dominio.

Resp. D. Thom. loquitur de vsu, seu iure vtendi absolutè & independenter ab alio; quod sanè nihil vel parum distinguitur à dominio in talibus rebus, quæ vnico actu consumuntur: nos verò loquimur de iure vtendi dependenter ab alio, quod distinguitur à dominio rei. 37

Inferes: Ergo hoc ius poterit pretio vendi, retento dominio directo; & alio contractu vendi poterit ipsum dominium: quod est aperire magnam fenestram vsuris.

Resp. Concedo, absolutè posse vendi hoc Ius seu hunc vsum; sed minoris valet quàm dominiū rei, vel Ius irreuocabile vtendi. Non enim tanti valet ius ad nutum alterius reuocabile, quanti ius irreuocabile. Neque ius quod conceditur solùm ad vsum determinatum, quanti illud quod ad indeterminatum. Quòd si quis alio contractu velit vendere dominium directum, non potest pluris vendi quàm per se valeat seorsim ab illo vsu; & ita pretium vsus & pretium dominij illius directi non superabunt iustam rei æstimationem: sed hic modus contrahendi non est vsitatus; nam facilè palliaret vsuras; quamuis per se non sit illicitus.

An iste vsus possit vendi seorsim à dominio.

Objcitur Quartò, Si vsus distinguitur à dominio, ergo Ioannes XXII. errauit. 38

Respondeo Primò, Esto; quia non in quæstione pertinente ad fidem; neque ipse asseruit suam sententiam tamquam ad fidem pertinentem; neque alios obligare ad ita sentiendum voluit: sed solùm quid sibi videretur vt vir doctus explicuit.

Resp. Secundò, si quis benè rem totam introspiciat, deprehendet non esse differentiam inter has sententias, nisi in modo loquendi. non enim negasset Ioannes, Fratres Minores sine consensu Superioris non posse vendere cibos, qui illis apponuntur: & Superiores posse illis auferre sine iniuria. vnde quando vult eos habere dominium, non loquitur de dominio propriè dicto; sed de quodam iure, quod in effectu æquè valet ac dominium; quia ita liberè consumunt ac si domini essent. Vide Franciscum Sarmiento, de Redditibus parte 1. cap. 1.

Conciliatio sententiarum.

Dvbitatio IX.

Quid sit possessio.

NOtandum est, *possessionem* dici à *pedum positione*, vt habetur L. 1. π. de Acquir. vel amit. possess. nam per *pedum positionem* super bona immobilia, quæ sunt potissima, vt super agrum vel fundum, solet acquiri possessio. tribuitur autem hoc nomē interdum ipsis rebus possessis. Sed hoc loco accipimus pro actu, vel iure possidendi, à quo denominatur quis possessor. Actus possidēdi dicitur Possessio facti. Ius possidendi dicitur Possessio iuris. Vtraque nobis est explicanda. 39

Dico Primò, *Possessio facti est detentio rei, corporis, & animi, & iuris adminiculo.* Ita Sil. verbo Dominium q. 2. ex Hostiensi. eam explicat ex parte Couar. ad regulam Possess. p. 2. n. 2. in principio. 40 *Possessio facti quid.*

Prima pars, *est detentio rei*; vbi rem accipio in genere, quia non solùm res corporales, sed etiam incorporeæ, vt census, beneficium, seruitus, & similia dicuntur possideri à Theologis; quæ à Iurisperitis dicuntur quasi possideri, vt notat Couar. suprà. Nomine autem *detentionis*, intelligitur etiam

etiam apprehensio prima, quæ ordinariè requiritur; quæ apprehensio est possessionis inceptio, & acquisitio, vt notat Couar.

Secunda, *corporis adminiculo*; quia vt res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se, vel in alio, in quo censeatur contineri; vt statim dicemus.

Tertia, *animi adminiculo*; quia debet eam apprehendere animo possidendi. Vnde depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo retinendi sibi.

Quarta, *iuris adminiculo*, non quòd omnis possessio facti sit iusta; (nam fur verè possidet rem furtiuam) sed quia ius facit vt talis detentio sufficiens censeatur ad constituendam possessionem: nec eam impedit, sicut impedit ne detentio rei sacræ, vt loci religiosi, facta à laico, censeatur possessio; vt patet L. Qui vniuersas. 30. ff. de Acquir. & amit. possessione.

41 *Possessio iuris.* Dico Secundò, *Possessio iuris est ius insistendi alicui rei, tamquam suæ, non prohibitæ possideri.* Ita Bartol. in L. 1. de Acquir. vel amit. poss. & Couarr. suprà num. 3.

Prima pars, *est ius*, vt excludatur possessio facti, quæ formaliter est ipsa occupatio & detentio, vnde hoc ius oritur, si iusta fuerit. quòd si illa detentio fuerit iniusta, non oritur ex ea ius in conscientia; vnde solùm dicetur possessio facti: quamuis Iurisperiti omnem possessionem Ius appellent, respicientes forum externum.

Secunda, *insistendi rei*, vt excludatur dominium quod per se & formaliter tantùm est ius disponèdi de re. Hoc verò ius in eo situm est, quòd possessor possit rem pacificè tenere, & Iuris remedijs, & interdum etiam armis tueri aduersus perturbantes, quod hîc dicitur *insistere rei.*

Tertia, *tamquam suæ.* Si quis insistat rei nomine alterius, non erit vera possessio. vnde tutor non est possessor bonorum pupilli; quia illa non detinet vt sua, sed nomine pupilli: nam pupillus possidet per tutorem. Sic etiam possum aliquid possidere per seruum, & per filium. *Vt autem possideam per alium*, requiritur vt ille habeat animum rem detinendi pro me. si enim intendat pro se detinere, id est tamquam suam, non possideo per illum: quia non meo nomine, sed suo detinet. Excipio tamen seruum & filium nondum emancipatum. hi enim, cùm sint eius conditionis vt non acquirant sibi, acquirunt nobis; etsi hunc animum non habeant, vt docet Couarru. suprà: quod intellige, si iustè acquirant. si enim acquisitio esset iniusta, nec sibi nec nobis acquirerent; sed possessio maneret apud antiquum dominum. Colligitur Instit. Per quas personas nobis acquir. §. Item placet, in fine. & L. Quod seruus. 24. ff. de Acquir. possess.

42 *Per alium possidere*

Seruus & filius fam. non acquirunt nec possident sibi.

Quarta, *non prohibitæ possideri.* quia nemo potest habere ius possidendi contra Iuris dispositionem, seu Iure resistente; vt rei sacræ, loci publici, decimarum à laico.

Dvbitatio X.

Quomodo diuidatur possessio.

43 Resp. Etsi varijs modis diuidi possit, nimirum vel pro diuersitate titulorum, vel ratione bonæ & malæ fidei; vsitatissima tamen est ea diuisio, qua in *Ciuilem* & *Naturalem* diuiditur. *Ciuilis est quæ solo animo retinetur.* quamuis enim initio vt incipias possidere, requiratur adminiculum animi pariter & corporis, vt dictum est; tamen postea vt retineas & continues possessionem, sufficit animus retinendi rem, nec desistendi à possessione, vt habetur Instit. de Interdictis. §. Possidere. Hoc modo possidet is qui abest à rebus suis, sed animo eas retinet & occupat. Dicitur autem hæc *possessio ciuilis*, tum quia magis constat Iure ciuili, quàm naturali; cùm naturalis modus possidendi sit per corporalem insistentiam: tum quia parit effectus ciuiles, scilicet vsucapionem rei, & dominium fructuum. *Ciuilis possessio quid.*

Naturalis est quæ corpore simul & animo retinetur; vt quando quis occupat rem vt suam. potest hæc *naturalis* coniungi cum *ciuili*; vt quando quis est præsens per se vel alium, rebus quas ciuiliter possidet: diciturque tunc possessor ciuiliter & naturaliter possidere: quæ possessio est firmissima. Potest etiam esse separata à *ciuili*: vt si inuasor occupet rem meam immobilem; ego ciuiliter, ille naturaliter eam possidet. hæc possessio infirmior est quàm ciuilis. Ad hoc tamen valet ne possessor possit ab extraneo deturbari, & interdum ne ab ipso quidem domino sine auctoritate publica. 44 *Naturalis possessio.*

Sed aduerte, hæc duo nomina interdum aliter accipi; nempe, vt *possessio Ciuilis* dicatur, qua res possidetur quoad dominium directum. *Naturalis* autem, qua possidetur secundùm vsumfructum, vel vsum, vel habitationem, vel alia iura diuersa à dominio, vt docet Couarru. ad reg. Possessor p. 2. n. 4. Sic fructuarius possidet rem nomine suo naturaliter, quoad vsumfructum; quamuis non possideat eam nomine suo, quoad dominium directum. Idem possidet vsumfructum (seu ius vtendi fruendi, quod habet in re) ciuiliter. Supradictis duabus speciebus possessionis à quibusdam DD. addi solet tertia, quam vocant *Ciuilissimam*, quæ sola legis ordinatione constat. de qua infrà n. 48. 45 *Ciuilissima.*

Dvbitatio XI.

Quibus modis acquiratur possessio.

Resp. Tribus modis acquiri, *Apprehensione vera, apprehensione ficta, legis dispositione.* 46

Apprehensio vera est quæ fit manibus vel pedibus. hæc est necessaria, quando acquirenda est possessio earum rerum quæ dominum non habet; vt ferarum, gemmarum, thesaurorum, insularum, fluminum. Item hereditatis relictæ, quia domino caret, qui eam tradat. quando quis etiam clàm vel vi possidere vult, requiritur vera apprehensio. denique si alius rem possideat, qui tibi nolit possessionem tradere, debes eam verè apprehendere, vt possideas. Nisi fortè auctoritate Iudicis ea tibi eminus ostendatur, & ficto modo tradatur. Vide Antonium Gomezium in legem 45. Tauri, numero 55. *Vera apprehensio vbi sit necessaria.*

Apprehensio ficta locum habet, quando res habet possessorem à quo tradatur; vel quando loco possessoris auctoritate Iudicis traditur. huius sunt varij modi: vsitatiores sunt isti, 47 *Ficta vbi locum habeat.*

1. Si antiquus possessor tradat alteri, cui vult possessione cedere, claues domus in qua sunt merces tradendæ; idque apud ipsam domum, seu in præsentia domus. vt probat Couarru. l. 3. Variarum

rum c.16.n.11. Ratio est, quia dum emptor apprehendit claues, censetur res ipsas intus conditas apprehendere.

2. Si tradat alteri scripturam, seu instrumentum, quo constet de titulo & iure quo rem possidebat. Nam in tali instrumento res ipsa contineri videtur.

3. Si antiquus possessor eminus vel cominus ostendat mihi fundum, dicatque se tradere illius possessionem; & ego significem me acceptare: oculi enim sunt veluti longæ quædam manus quibus res visas quasi contrectamus.

4. Quando post contractum, consentiente antiquo possessore, apponitur custodia nomine eius ad quem res transfertur: siue res sit mobilis, vt pecora, triticum, vel aliæ merces: siue immobilis, vt fundus, castrum, oppidum.

5. Si dem, aut vendam tibi rem absentem, & constituam me tuo nomine eius rei possessorem: tunc enim per me incipis possidere, nec opus est alia apprehensione. Hoc Iurisperiti vocant tradere & acquirere possessionem per *clausulam constituti.*

6. Si re tibi vendita vel donata, constituam me conductorem eius, vel reseruem mihi vsumfructū: nam hoc ipso censeris per me accepisse possessionem. Vide plura apud Antonium Gomezium, ad legem Tauri 45. à numero 45. & deinceps, & Molinam disp. 14.

48 *Dispositio legis.* *Legum dispositione* interdum transfertur possessio absque vlla vera vel ficta apprehensione, si leges ita statuant, vt optimè probat Couarru. lib.3. Variarum cap 5. num.6. Ratio est, quia modus acquirendæ & amittendæ possessionis iuri humano subiacet, quod potest statuere varios modos, prout magis videtur expedire Reipub. pro diuersitate rerum & prouinciarum. In regno Castellæ, Maioratus possessio, & omnium pertinentium ad ius primogeniti, transit ad proximum cognatum, vel agnatum, cui iure debetur, sine vlla vera vel ficta apprehensione. vt habetur L. 45. Tauri, citata apud Couar. Simili modo, apud Gallos possessio defuncti transit in eius heredem, etiam extraneū, sine vllo apprehensionis actu; teste Couar. ibidem, qui id ex multis DD. probat. Hunc modum possidendi DD. vocant *Ciuilissimam possessionem:* quia fit sola legis ciuilis potestate, absque vllo animi vel corporis adminiculo, etiam nesciente eo qui incipit possidere. *Ciuilissima possessio.*

49 *Possessio iurium quo modo apprehenditur.* Possessio autem *Iurium & seruitutum* apprehenditur dupliciter. Primò, Si mittam te in agrū, in quo volo tibi seruitutem constituere, tuque illuc eodem animo eas. Secundò, Si vtaris aliquo iure tamquam ad te pertinente, sciente & ferente eo cuius intererat concedere vel prohibere: qui modus est generalis; & extendit se etiam ad ea quæ non sunt in re aliqua constituta; vt ad ius eligendi, præsentandi, & similia. de quo vide Couarr. reg. Possessor 2.p. initio, à §.8. Quomodo autem beneficij possessio acquiratur, idem l.3. Variarum cap.16. num.10. vbi vide multa alia ad hanc quæstionem de acquirenda possessione variarum rerum & iurium pertinentia. Verùm in his omnibus spectandæ sunt consuetudines regnorum & prouinciarum, quæ admodum sunt variæ. *Possessio beneficij.*

Dvbitatio xii.

Quomodo amittatur possessio tum mobilium, tum immobilium.

50 *Possessio mobilium amittitur quatuor modis.* Resp. & Dico Primò, *Possessio rerum mobilium* tum ciuilis, tum naturalis, amittitur Primò, Sola voluntate possessoris nolentis eam amplius possidere. Secundò, Per furtum aut rapinam alterius. Tertiò, Si alterius custodiæ subsit, qui eam incipiat detinere tamquam suam. ad quod requiritur vt eam corporaliter apprehendat re vera, animo eam sibi retinendi. L. Possideri. 3. ff. de acquir. possess. Quartò, Per amissionem rei, v.g. bursæ, annuli: vel per fugam, *si sint animalia*; vt si pecus aberrauerit à grege, desinit statim possideri à domino: si gallinæ & similes aues domesticæ auolarunt, nec habeant consuetudinem per se redeundi: secùs verò si habeant consuetudinem redeundi. De quibus & aliis animalibus, vt piscibus, feris, columbis, vide plura d. L. Possideri. ff. de acquir. & amit. possessione. Dixi, *si sint animalia*; quia possessio serui & ancillæ non amittitur per ipsorum fugam, vt patet L. Pomponius. 13. ff. ibidem.

51 *Possessio immobilium amittitur multis modis.* Dico Secundò, *Rerum immobilium possessio ciuilis & naturalis* amittitur Primò, Si possessor sit longo tempore absens; nec per alium rei insistat, neque etiam protestetur se nolle amittere possessionem: quòd si non diu absit, vel protestetur, amittit solùm naturalem, non ciuilem. 2. Si rem sciat ab alio occupatam, & negligat. 3. Si reuersus, statim quidem repetat suam possessionem, sed ab occupante repellatur, nec audeat ei resistere. 4. Si timens repulsam non audeat repetere, aut inuadere possessionem. 5. Si nesciat rem esse suam, & ideò nec censeat illam in bonis suis: tunc enim caret animo possidendi. Hinc per longam obliuionem perditur possessio, vt docet Glossa in cap. 11. Clerici. 16 q 4. & colligitur ex L. Furtum. ff. de vsucapionibus. Item si id quod possidemus, ita perdiderimus, vt ignoremus vbi sit, vt habetur L. Si id quod. ff. de acquirend. possess. 6. Si res ita sit occupata, vt non sit probabilis eius recuperatio. vt si vir valdè sit potens, qui illam occupet; vel mare aut flumen assiduè inundet. quamdiu verò possessor est in ipsa re, vt in domo, vel fundo; aut in conspectu eius; aut saltem propè, ita vt præstò possit adesse cùm opus fuerit, retinet semper rei immobilis possessionem, tum naturalem tum ciuilem. Vide plura apud Gomezium supra; & ff. tit. de acquir. & amit. possess.

Dvbitatio xiii.

Quid priuilegij conferat possessio.

52 *Quos effectus parit.* Resp. Primò, *Possessio*, si sit bonæ fidei, parit præscriptionem; id est, facit vt res quæ non est tua, elapso certo tempore fiat tua, & omnes fructus percepti. Secundò, Si oboriatur dubium de rei dominio, & adhibita diligenti inquisitione maneat adhuc dubium vtrius sit, melior est conditio possidentis. Tertio, in iudicio parit præsumptionem dominij. vnde possessor non debet probare rem esse suam; sed alter, qui eam repetit: qui nisi id satis probet, nihil obtinebit. Quartò,

Pos-

Possessor potest armis suam possessionem non solùm naturalem, sed etiam ciuilem tueri, L.3.π.de vi & vi armata. & L.1. C. Vnde vi, & cap. Olim. de restit. spoliatorum. vt si foris rediens, inuenias domum tuam vel agrum ab aliquo iniusto inuasore occupatum, potes illum armis expellere, conuocatis ad id auxilijs necessarijs: seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia hoc non est inuadere alium, sed suam possessionem tueri. sicut enim non teneor pati vt quis me deijciat à possessione naturali domus vel agri; ita neque à ciuili: deijcior autem, si non audeo illum expellere. Quintò, Possessor expulsus potest armis suam possessionem repetere, modò id fiat confestim & non exinteruallo, inquit Vlpianus dicta L.3. vt dum fur rem tuam auferens fugit; dum rediens domum, repulsus es ab iniquo inuasore. Dicitur autem *fieri confestim*, vel *ex continenti*, quod fit quamprimùm commodè fieri potest, spectata rei difficultate & ceteris circùstantijs; vt si auxilia contrahenda essent. vide Silu.v.Bellum 2. n.3. Sextò, Si dominus rei expellat iniustè possessorem à possessione, amittit dominium, & applicatur expulso. Si non sit dominus, tenetur reddere possessionem expulso, & insuper æstimationem eius; vt habemus L. Siquis in tantã.7. C. Vnde vi. sed hæc lex, præterquàm quòd pœnalis sit, ac proinde non obliget ad hanc restitutionem ante sententiam, non videtur ampliùs in vsu, vt docet Couar. l.3. variarum c.16.num.7. Septimò, Si is qui amisit possessionem, non expellat occupatorem, sed probet, illum vi, clàm, aut precariò à se accepisse, adiudicabitur ei possessio, siue ille occupator titulum habeat, siue non. Spoliatus enim ante omnia est restituendus. c.1.2. & multis aliis de restit. spoliat. & 3.q.1. & π.de vi & vi armata. & π.quod vi aut clàm. & π. de precario. Si autem nihil horum trium probare potuerit, alter retinebit possessionem. §. Quorum vis. in fine Instit. de Interdictis. Sed agendum erit de proprietate, quod vulgò de petitorio dicitur.

Si res subtracta erat defuncto, qui illam tempore mortis possidebat; adiudicanda est eius possessio heredi, postquam hereditatem adierit. §. Sequens diuisio. Institut. de Interd. L.1.π. & C. Quorum bonorum. nec refert vtrùm clàm subtracta sit, an palàm tradita tamquam heredi vel legatario, cùm talis non esset. Si tamen possessor statim posset ostendere legitimum titulum, non esset priuandus possessione: vt si res vsucapta sit; vt colligitur ex dict. L.1.π. Quorum bonorum. iuncta Glossa.

CAPVT QVARTVM.

Quibus, & in quæ Dominium competat. *Constat* XI. *Dubit.*

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm soli naturæ rationali Dominium competat.

1 RESPONDEO, *Soli naturæ rationali conuenire; scilicet Deo, Angelis, hominibus.* Ratio est, quia fundamentum omnis dominij est intellectus & libera voluntas, quæ soli naturæ rationali insunt. Quod probatur, Primò, Quia illud est fundamentum dominij, per quod homo habet potestatem disponendi de rebus: hanc autem habet per intellectum & voluntatem; quia per hæc immediatè habet potestatem in suos actus, & per suos actus in res externas. Secundò, Quia ratio dominij includit potestatem liberam, & ordinationem in aliquem finem: atqui solius rationis & voluntatis est ordinare aliquid liberè in aliquem finem. Tertiò, confirm. ex Script. Genes.1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, bestijs terræ*, &c. vbi tribuitur homini præfectura & dominium in bestias terræ & pisces maris, ratione imaginis diuinæ, quæ consistit in intellectu & voluntate libera. Vide Franciscum Victoria, relect. de Indis, 1.p.n.20.

2 Deus quidem summum quoddam, absolutissimum, & prorsus independens in omnes creaturas habet dominium, ratione creationis & conseruationis, per quam tota creatura & secundùm substantiam & secundùm omnes suas perfectiones est ex ipso, & per ipsum, & in ipsum. Vnde de omnibus liberè disponere potest prout placuerit; nec cuiquam fiet iniuria: seposita tamen ipsius liberali promissione & ordinatione, quæ quamdam obligationem inducit, non quidem *Iustitiæ* propriè, sed *Fidelitatis*, seu *Veritatis*; quæ virtus passim in Scriptura *Iustitia* vocatur. de quo plura 1.2.q.114. Cumque sit immutabilis, inducit etiam quamdam necessitatem, ita vt aliter disponere nequeat, quàm ordinauit. Hoc dominium Deus neque potest abdicare, neque vlli creaturæ communicare, neque vllam creaturam ab eo eximere: quia titulus eius neq; communicari potest, neque ab eo quisquam eximi. Hic enim titulus est creatio & assidua conseruatio causæ supremæ & independentis. Itaq; omne dominium quod creaturis communicatur, infinitis partibus est minus; & essentialiter dominio diuino circa vnamquamque rem subordinatum, ab eoque dependens.

Dominium Dei quale.

Angeli propriè non videtur habere dominium, nisi suarum actionum. Possunt tamen etiam dici habere dominium rerum corporalium; quia magnam habent auctoritatem illas administrandi; quæ auctoritas interdum dominium dicitur. Sed hoc dominium non est tale, quale humanum, de quo modò loquimur. Non enim administrant illas vt suas, neque in suum commodum; sed sicut Præfecti Regij prouincias & vrbes, Regis nomine. Secùs est de dominio Christi hominis, cui omnia dedit Pater in manus, vt sint ipsius. de quo 3.p. quæst.8. 3 *Angelorum quale.*

Hominibus propriè conuenit hoc dominium in res externas: nam his solis res externæ concessæ sunt, vt de illis liberè disponant ad sua commoda: quod maximè verùm est de omnibus rebus 4 *Hominum.*

sublunaribus. Vnde Psal. 8. dicitur, *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues*, &c. Cælestia corpora etsi condita sint ad hominis ministerium, tamen homo non propriè dicitur illorum dominus; quia nihil circa ea potest disponere, vel mutare: commoditatum tamen quæ ab illis percipiuntur, dominus dici potest.

Dvbitatio II.

Vtrùm paruuli ante vsum rationis habeant verum dominium.

6 Resp. Habere verum dominium, vt patet ad Galat. 4. *Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium.* vbi Apostolus illi tribuit verum dominium hereditatis relictæ. Nec refert quòd careat vsu rationis, & libero arbitrio: quia etli ad vsum dominij requiratur vsus rationis; non tamen ad dominium ipsum habituale, quod immediatè fundatur in potentiis. quòd autem non possint habere vsum istarum potentiarum, prouenit tantùm ab impedimento extrinseco; scilicet ex redundantia humorum in cerebro. Idem dicendum de amentibus. Vide Victoriam relectione de Indis, numero 21. & 22.

Dvbitatio III.

Vtrùm filiifamilias sub patria potestate constituti habeant dominium, & quarum rerum.

Magni refert hæc nosse, vt sciamus de quibus validè absque patris consensu possint disponere.

7 *Quadruplex genus peculij.* Suppono quadruplex genus *peculij* filiisfamilias posse competere, *castrense*, *quasi castrense*, *aduentitium*, *profectitium*: est communis sententia DD. Vide Silu. verbo Peculium. & Nauar. cap. 17. num. 142. *Castrense* dicitur quod in militia, vel occasione militiæ partum, vt stipendia militum, & aliorum qui castra sequuntur; prædæ ex hostibus; donatiua ducum, vel commilitonum; testamenta & legata occasione militiæ; mobilia, à parentibus, vel alijs data eunti ad militiam, vel obsequium Principis, vel in illis versanti; item quæ in obsequio Principis in palatio, & quæ in custodia alicuius arcis acquiruntur. Denique omnia lucra quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proueniunt. *Castrense.*

Quasi castrense dicitur omne id quod ex beneficio Ecclesiastico acquiritur. Imò quidquid acquiritur post clericatum, etiamsi aliàs esset aduentitium, vt expressè habetur Auth. Presbyteros. 1. C. de Episcopis & Clericis: quod valdè notandum. Item quidquid acquiritur officio publico, non mechanico, vt Iudicis, Aduocati, Tabellionis; vel professione alicuius artis liberalis; & quod datur intuitu talis functionis, vt libri qui dantur à parente vel alio ei qui artem professurus liberalem; & quod liberalitate Principis. denique quod ab aliquo datur filiofamilias, vt sit tamquam castrense; seu vt ipse tantùm, non pater, habeat vsumfructum. vocantur hæc quasi castrensia, quia habent priuilegium castrensium, etsi verè castrensia non sint: & quia clerici sunt milites spirituales. *Quasi castrense.*

Aduentitium, quod non prouenit à parente, respectu cuius dicitur aduentitium; neque eius causa vel intuitu principaliter datur; (sic enim esset profectitiũ) sed successione, vel donatione alio intuitu facta, vel industria propria, vel fortuitò ei obuenit; ita tamen vt non sit castrense, aut quasi castrense: vt si inueniat thesaurum; si lucretur negotiando ex pecunia furtiua, aut mutuò accepta; tunc enim lucrum est peculium aduentitium; si in domo parentis aliquid extra ordinem lucretur, præstitis ordinarijs operis ad quas tenetur; si plus lucretur quàm consumit, & insinuet se cupere lucrum: si non insinuat, censetur id concedere amori parentis. de quo vide infrà c. 12. nu. 81. Mortua matre ante patrem, bona materna sunt aduentitia filio respectu patris. Non tamen si pater præmoriatur, eius bona sunt aduentitia filio respectu matris: quia hoc ius oritur ex patria potestate, quam non habet mater in filium. Vide Nauar. & Silu. suprà, & Molinam disp. 9. & 232. & L. 4. & 6. C. de bonis quæ lib. in potestate, &c. *Aduentitium.*

Profectitium est quod prouenit à parente viuo, vel principaliter & proximè eius causa datur; nec est castrense, aut quasi castrense, vt sunt ea quæ à parentibus conceduntur filiis, vt ea administrent; & quæ dantur filio ab aliis ob amicitiam vel obsequium parentum: secùs si ob amicitiam, vel obsequium filij. L. 6. C. de bonis quæ lib. &c. & Silu. suprà cum Nauar. *Profectitium.*

His positis, Dico Primò, Filiusfamilias habet plenum dominium in peculio castrensi & quasi castrensi; ita vt tota proprietas, & vsusfructus, & administratio horum bonorũ sit penes filium. Ita communiter DD. Vide Nauar. & Silu. suprà, sunt enim aperta Iura. 7. & C. de Castrensi peculio. 8 *De castrẽsi & quasi castrense potest disponere.*

Hinc sequitur Primò, filium de his posse disponere, non secùs ac si esset paterfamilias, per donationes vel contractus, imò etiam per testamentum & vltimas voluntates: si tamen sit pubes. i. si expleuerit annum 14. ante enim hoc tempus testari nequit. L. A qua ætate. 5. π. Qui test. fac. poss. qua de re infrà cap. 19. dubit. 4.

Sequitur Secundò, parentem ex his bonis non posse sibi quidquam vsurpare, nisi quantum necessarium ad alimenta filij, cùm illum ex suis alit: alioquin tenetur ad restitutionem, si filius velit. quòd si filius non speret futurum vt parens restituat, potest vti occulta compensatione, vel mortuo parente petere à coheredibus: quod est notandum.

Dico Secundò, *Peculij aduentitij* filius est dominus directus, seu proprietarius: non tamen habet vsumfructum, seu vtilitatem, quamdiu est sub patria potestate; exceptis aliquot casibus. Primus est, Si pater filio condonet vsumfructum. hoc enim non est donare de suis, (quod facere non potest) sed non vsurpare de bonis filij. vnde filius non tenetur hoc conferre in suam legitimam, quando cum fratribus cernet hereditatem paternam. Secundus est, Si aliquid donetur filio, ea lege vt parens vsumfructum non habeat: tunc enim filius habebit etiam vsumfructum: vt Nauar. suprà. Tertius, Si aliquid ei donetur patre contradicente. non enim est æquum vt parens ex eo commodum reportet. Quartus, Si vsusfructus alicuius rei filio relictus sit: tunc enim parens nihil habe- 9 *De aduentitio an disponat.* 10 *Quibus euentis vsusfructus pertineat ad filium.*

habebit. Ratio est, quia super vsumfructum non potest statui alius vsusfructus. nam vsusfructus est ipsa commoditas & vtilitas rei. vnde dicunt Iurisperiti, *seruitutis non esse seruitutem*. Quintus, Si filius vnà cum patre succedat in hereditate fratris vel sororis. Vide Silu. verbo Peculium 1.q.3. His
11 adde 6. casum, Si parens fiat hæreticus. nam hoc ipso filius efficitur sui iuris. cap. 2. §. fin. de hæret. in 6. ac proinde redit ad eum vsusfructus, quem pater habebat in bonis aduentiitis filij. Simanchas in Cathol. instit. tit. 9. num. 81. His euentis vtilitas pertinet ad filium; sicut bonorum castrensium & quasi castrensium; & coalescit vsusfructus cum dominio directo. Spectandæ tamen hac in re locorum consuetudines & propria Iura. Hinc sequitur, filium de istis extra casus prædictos non posse disponere; quia administratio & vtilitas est penes patrem; potest tamen de istis donare causa mortis, patre consentiente: vt expressè habetur L. Tam 15. 25. ff. de mortis causa donat. Non tamen de his testari, etiamsi pater consentiat, nisi ad pias causas. vt patet ex cap. Licet pater. 4. de sepulturis, in 6. Potest tamen de castrensibus & quasi castrensibus absolutè testari, vt ibidem dicitur.

12 Dico Tertiò, *Profectitiorum* nullo modo habet dominium; quia dominium directum & vtile est apud parentes: neque filius habet auctoritatem administrandi, nisi in eorum vtilitatem. vnde non potest de his quidquam alienare, vel in suam vtilitatem conuertere absque consensu parentis, respectu cuius profectitium dicitur; alioquin furtum committit. Hinc fit vt ob crimen filij hæc bona non possint fisco addici.

Dvbitatio 1v.

Vtrùm serui habeant dominium aliquarum rerum.

13 Respondeo & Dico Primò, Seruos non videri habere aliquod dominium omnino perfectũ & independens à potestate dominorum. Proba-
Seruorum dominium non est independens. tur Primò, quia Iura expressè dicunt, *seruos, quidquid acquirunt quauis causa, vel occasione, dominis acquirere*, vt patet Instit. Per quas personas cuique acquir. §. Item nobis. & L. Id vestimentum. 25. ff. de peculio. vbi dicitur, *seruum nec esse dominum vestimenti quotidiani; quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest.*

Secundò, quia Innoc. IV. in c. Cùm olim. 2. De priuilegiis, dicit *seruum & Monachum in eo esse pares, quòd neuter alicuius rei dominium habeat.* quam sententiam Nauar. de Redd. q. 1. monito 10. in praxi & theoria receptam ait.

Tertiò, quia si seruus secundùm se totum quidquid est domini est, multò magis ea quæ habet domini sunt; accessorium enim sequitur suum principale.

14 Hinc sequitur, Dominum non facere iniuriam propriè, si seruo res suas adimat; sicut faceret si ab alio acciperet: quia Ius omnia serui subiecit potestati domini. peccaret tamen dominus, si id quod concessit ei vt proprium, de quo pro arbitrio suo posset disponere, absque iusta causa auferret. id enim, præterquam quòd sit inhumanum, est etiam contra fidem tacitè ei datam. nam dum sic concedit, concedit absolutè & in perpetuum, taciteque promittit non reuocare.

Dico Secundò, Possunt tamen serui habere ali- 15
quarum rerum dominium imperfectum, ita vt eas non teneantur dominis suis tradere; quamuis domini absque iniustitia possint illos priuare.

Probatur Primò, quia etsi Iura concesserint dominis potestatem res seruorum sibi vsurpandi; non tamen idcircò fecerunt seruos incapaces omnis iuris & dominij, instar Religiosorum; nempe vt non possint ea quæ acquirunt occultare, & teneantur ea dominis exhibere. imò credibile est *Lex non potest seruos ita reddere incapaces vt sient profesi.* id non potuisse facere: tum quia nulla causa legitima suberat; (vnde ob nullum delictum talis incapacitas hactenus est inflicta) tum quia non est consentaneum humanæ imbecillitati, vt tale onus imponatur inuito: esset enim nimis magna occasio peccandi. Secundò, quia serui possunt seipsos redimere. vt patet L. Vix. 53. ff. de iudiciis. vbi seruis datur actio contra dominos, *si dicant se suis nummis redemptos, & non manumissos contra placiti fidem*. Casus autem præcipui, in quibus potest 16
seruus aliquod dominium comparare, videntur esse isti.

1. Si dominus expressè vel tacitè consentiat vt possit aliquod peculium habere. *Quibus euentis seruus sibi acquirat.*

2. Si seruo aliquid donetur, vel legetur ea conditione vt ad dominum non perueniat: tunc enim si dominus vsurparet, hoc ipso amitteretur.

3. Si relinquatur seruo absolutè & sine conditione, non tamen intuitu domini, v. g. ob industriam, vel officium exhibitum: hoc enim videtur dari vt non sit domini, sed tantùm serui.

4. Si ei aliquid detur in compensationem iniuriæ illatæ. compensatio enim fit vt ex ea solatium capiat, loco doloris quem passus est; non vt dominus eius inde ditescat. vnde contra omnem humanitatem esset hoc ei auferre.

5. Si aliquid lucretur sua pecunia: sicut si filius lucretur peculio castrensi vel quasi castrensi. lucrum enim subit eamdem rationem quam sors, quando quis nomine suo eam exponit.

6. Si aliquid sibi subtrahat sine domini incommodo, quod liberè poterat consumere vel expendere; aut præter opera præscripta quædam alia faciat ex quibus quæstum colligat.

Ex his patet, multum interesse inter Monachos 17
& seruos quoad dominij rationem. etsi enim in eo *Discrimen inter dominium serui & Monachi.* conueniant quòd neutri habeant dominium omnino perfectum; tamen Monachi nullum omnino in particulari habent, vt statim dicemus, & præterea sunt omnino incapaces; serui verò sunt capaces, & præterea habent aliquod dominium imperfectum, ratione cuius possunt sua auctoritate rebus suis vti & frui, easque alienare absque domini consensu. & quamuis potestati domini aliquo modo subiectum sit, esset tamen inhumanitas & abusio quædam herilis auctoritatis, si hac potestate dominus vteretur. Vide Nauar. de Redditibus, q. 1. monito 10. & 11. & Petrum Nauar. l. 3. de Restit. c. 1. num. 217.

Notandum tamen est, multos DD. concede- *Sententia mitior.*
re seruis verum & perfectum dominium in plerisque casibus suprà dictis; eisque fieri veram iniuriam obligantem ad restitutionem, si dominus res ipsis concessas auferat. Iura autem, quæ tradunt, seruos, quidquid acquirunt, domino acquirere, intelligenda regulariter. Ita Molina

Disput. 38. Posset etiam addi, iura illa consuetudine esse mitigata: & hoc malim in praxi. Itaque posset seruus vti occulta compensatione, si dominus ei res suas abstulisset.

DVBITATIO V.

Vtrùm Religiosi habeant aliquarum rerum dominium.

18 *Sententia Nauarri.*

NAuarrus commentario 2. de Regularibus, num. 3. 34. & alibi, docet, ne ipsis quidem congregationibus Religiosorum, quæ possunt habere redditus & bona immobilia in communi, cõpetere dominium propriè talium bonorum; sed solùm administrationem: dominium autem consistere apud solum Christum Dominum. Idem docet de omnibus Clericis respectu bonorum Ecclesiasticorum, in Apolog. q. 1. monito 24. & seqq. In eadem sententia est Maior in 4. d. 24. quæst. 6. Ratio præcipua est, quia hæc bona passim in Iure vocantur *patrimonium Christi*. Sed contraria sententia est communis DD. pro qua

19 Dico Primò, Religiosi professi possunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita vt ipsa congregatio vero dominio illa possideat.

Conuentus Religiosorum habet dominium.

Probatur Primò ex Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de Regularibus, vbi conceditur *omnibus Monasteriis & domibus tam virorum quàm mulierum etiam mendicantium, exceptis Franciscanis, (nempe Capucinis & Minoribus de Obseruantia) vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* atqui non propriè dicitur *possessor*, qui solam habet administrationem, sed qui dominium.

Secundò, Quia Nicolaus III. Extrauag. Exijt, docet, *dominium rerum quibus Franciscani vtuntur, ad Papam pertinere, non autem ad eorum congregationẽ*; vbi insinuat, in aliis Religionibus, quibus licet habere bona in communi, dominium pertinere ad ipsas congregationes.

Respondet Nauar. comm. 2. nu. 3. per *dominium* ibi intelligi *Ius administrandi*.

Contra; Quia Sedes Apostolica plus iuris in illa bona, quàm sit Ius administrandi, habere videtur. nam potest ea pro suo arbitratu illis auferre & dare aliis absque iniuria; quod non potest in ea bona quorum tantùm habet administrationem. Non enim potest vnius Monasterij bona sine iusta causa dare alteri Monasterio vel Ecclesiæ, absque peccato iniustitiæ; cuius ratio non est alia, quàm quòd non habeat illorum dominium, sed solùm Ius administrationis.

Tertiò, Quia communis sententia DD. est, *Monachum, quidquid acquirit, non sibi acquirere, sed Monasterio:* vt docet Innocent. communiter receptus in cap. Cùm olim. 2. de priuilegiis. atqui hoc impropriissimè diceretur, si solùm ius administrandi, non autem dominium Monasterio acquireretur.

Quartò, Si communitas non haberet dominiũ horum bonorum, vel id proueniret ex Ecclesiæ ordinatione, vel ex vouentium intentione, vel ex intentione donantium. sed ex nullo horum potest prouenire: neque enim vlla est talis ordinatio Ecclesiæ, quæ communitatem faciat incapacem dominij: neque intentio vouentium est, vt per votum paupertatis, aut professionem excludant dominium à communitate; sed tantùm à singulis in particulari: neque intentio fidelium donantium hæc bona, est transferre dominium illorum in quemquam alium quàm in ipsos Ordinum Conuentus; sicut qui dat pauperi eleëmosynam, non intendit transferre dominium in alium quàm in pauperem. vide Franciscum Sarmentum de Redditibus Eccl. p. 1. c. 2. n. 21. & 22.

Aduerte tamen, hoc dominium non ita esse absolutum & independens vt sæcularium: Primò, quia annexum habet onus vt non possit alienari, (saltem quoad bona immobilia & mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt) nisi in commodum Religionis; sed debeat transmitti ad posteros: sic enim illorum Conuentui donatum est, & sacris Canonibus constitutum, vt Religio perseuerare possit. qua in re est simile maioratibus, qui etsi alienari non possint, tamen vero dominio possidentur. Secundò, quia ob legitimam causam, per Papam (qui est summus administrator omniũ Ecclesiasticorum bonorum) potest ipsis adimi, & aliò transferri, relictis tamen ad vitam necessariis: vt patet tum ex praxi quotidiana, tum quia hac mente à fidelibus censentur donata Monasteriis, vt si cultus diuinus in ipsis deficiat, possint per summum Ecclesiæ dispensatorem melioribus vsibus applicari. Ad rationem Nauarri respondebitur infrà. 20 *Hoc dominium est limitatum, & affectum.*

Dico Secundò, Religiosi professi solemniter, 21
sunt in particulari omnino incapaces omnis dominij, vsusfructus, possessionis, & similis iuris rerum temporalium, mobilium, & immobilium; ita vt nemo ex illis aliquid suo nomine, seu tamquam proprium tenere possit. Est certa, & communis Doctorum.

Probatur Primò ex cap. Non dicatis. 12. q. 1. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Desumptum est ex regula D. Augustini. Scripsit in illud Nauar. commentarium secundum de Regularibus.

Secundò ex capitulo, cùm ad monasterium. 6. de statu Monachorum. vbi Innocentius III. sic ait: *Prohibemus districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorũ proprium aliquo modo possideat.* Et infrà dicit *nec Papam in eo dispensare posse.* & cap. Monachi. 2. eodem titul. Concil. Lateran. ait: *Qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, a communione remoueatur altaris,* &c.

Tertiò, ex Concil. Trident. sess. 25. c. 2. *Nemini Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur.* Ratio est, quia Religiosus per solemnem professionem non solùm spoliauit se omni dominio; sed etiam se incapacem omnis dominij & iuris temporalis fecit. etsi enim voto simplici paupertatis non amittas dominium, nec etiam eius fias incapax; tamen voto solemni amittis, & incapax redderis.

Vnde autem votum solemne paupertatis hanc 22
vim habeat, quæri potest. de quo infrà cap. 41. Dubitat. 8. Nunc tamen breuiter Dico, Ex ordinatione Ecclesiæ hanc vim habere. quod ex eo constat, quia non habet eam præcisè ex natura voti; vt patet *Votum solemne reddit incapacem ex vi ordinationis Ecclesiæ.*

ter in voto simplici; quod non minùs est efficax in ratione voti, quàm solemne; & tamen numquam potest inducere hanc incapacitatem. Neque etiam ex intentione vouentis: si enim voueas in Religione non approbata à Sede Apostolica, quantumuis intendas te reddere incapacem dominij, tamen incapax non fies: nemo enim suo arbitratu se potest reddere incapacem. Vnde non relinquitur aliud quàm ordinatio Ecclesiæ, statuentis vt professio in Religione approbata hunc effectum habeat. Simile est in incapacitate matrimonij, per solemne votum castitatis inducta.

Dices, Suprà n. 21. dictum est Papam non posse concedere vt Monachus *proprium* habeat; atqui si ex constitutione Ecclesiæ proueniret quòd non sit capax dominij, Papa posset ei proprium concedere; quia potest in Ecclesiæ constitutione dispensare.

Quomodo non potest habere proprium, seu dominium.

Resp. *Proprium* dupliciter accipi potest. Primò, vt significet dominium, quod in se & sui vsu sit omnino independens ab arbitrio Superioris, & tale proprium non potest concedere: quia essentiæ status regularis repugnat. Nam ex vi voti paupertatis, & ipsa dominij retentio, & eius vsus arbitrio Superioris subijcitur; ita vt si Religiosus dominiũ retineat, illud secundùm se & sui vsum debeat assiduè à nutu Superioris dependere, vt infrà c. 41. Dubit. 9. ostendemus. Itaque constante Religionis natura, hoc proprium concedi nequit. De tali loquitur Pontifex d. cap. Cùm ad Monasterium. 6. & Concil. Lateran. loco citato.

Secundò, potest accipi generatim, vt comprehendat etiam dominium, quod in se & in sui vsu à Superioris arbitrio dependet. & hoc modo Papa potest *proprium* seu dominiũ concedere. tale enim proprium cum essentia Religionis non pugnat, vt infrà loco notato dicetur. & huius *proprij* incapacitas ex Ecclesiæ constitutione prouenit, non ex ipsius voti natura, aut vouentis intentione, vt ostensum est.

23 Addo, Ecclesiam etiam absque professione posse aliquem incapacem dominij & matrimonij reddere; vt videre est in ijs, qui in nostra Societate cooptantur in Coadiutores formatos, siue spirituales, siue temporales; qui etsi professionem non faciant, tamen per formulam suorum votorum redduntur incapaces & dominij & matrimonij; ita statuente Sede Apostolica. Simili modo, qui in gradum Scholasticorum vel Coadiutorum post biennium admittuntur, fiunt inhabiles ad matrimonium, eiusdem Sedis Apostolicæ decreto, quæ hanc incapacitatem & inhabilitatem votis illorum

24 adnexuit. Ex supradicta propositione infert Nau. lib. de Redditibus, quæst. 1. monito 10. & 12. & commentario 2. num. 2. Religiosum professum nullius rei habere dominium, ne vestis quidem qua induitur, aut panis quo vescitur; sed quidquid habet, esse penitus subiectum administrationi Superioris; sine cuius consensu nihil omnino habere possit.

25 Vnde sequitur Primò, Peccare mortaliter, si aliquid notabilis momenti recipiat & retineat, sine tacito vel expresso consensu Superioris. Secundò, Si donatione, vel alio modo tale quid alienet, sine Superioris consensu; & eum, qui accepit, teneri ad restitutionem. Tertiò, Si abscondat, ne Superior sciat. Quartò, Si possideat aliquid tamquam proprium, nolens illud permittere Superioris dispositioni; aut murmurans tamquam iniuria affectus, dum ei adimitur. Ratio est, quia hæc omnia, dum absque consensu Superioris fiunt, sunt actus dominij independentis, & iuris proprietarij; qui per votum paupertatis religiosæ redduntur illiciti; vt quibus votum & professio violetur.

Consectaria. Peccat Religiosus peccato proprietatis.

Dixi, *Religiosos esse incapaces dominij rerum temporalium*; quia iurium & bonorum spiritualium possunt habere dominium vel quasi dominium. Nam Regulares beneficiarij habent dominiũ, vel quasi dominium & possessionem suorum beneficiorũ; & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & adipiscendum, retinendum & recuperandum eorum possessionem. Similiter simplex Religiosus potest agere nomine proprio, super iure eligendi sibi competente, & iure alimentorum; & iure manendi in tali vel tali Monasterio. de quo vide Nauar. q. 1. de Redditibus, monito 9. & commentario 2. de Regularibus. Ratio est, quia Religiosi per votum paupertatis non renuntiant bonis spiritualibus, nec iuribus prædictis, aut honoribus, qui pro talibus debentur; sed tantùm temporalibus, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 4. & Caietan. ibidem.

26 *Non sunt incapaces iurium spiritualium.*

Dico Tertiò, Quidam Religiosi non professi, 27 sed tamen per solum votum simplex acceptatum ab Ecclesia facti verè Religiosi, non sunt incapaces dominij: sed retinent illud quamdiu Superiori videtur; non tamen possunt habere vllum vsum suorum bonorum, vel aliorum, sine Superioris consensu. Patet ex constitutione Greg. XIII. edita hac de re anno 1584. quæ incipit, *Ascendente Domino*, &c. Tales sunt Scholastici approbati, & Coadiutores, emissis votis post biennium probationis, in Societate IESV.

Religiosi non professi.

Vbi Notandum est, non esse de essentia paupertatis religiosæ vt reddat hominem dominij incapacem, vel etiam vt dominio priuet, sed tantùm vt priuet potestate vtendi, ita vt absque Superioris consensu non possis vlla re vti, vel de vlla disponere; & illo volente tenearis etiam eius dominium abdicare. Ratio est, quia parui momenti est dominium, cuius vsus ita est impeditus & dependens, & alienatio sic obstricta & debita. dominium enim rerum non æstimatur nisi propter vsum & potestatem disponendi: vnde si potestas vtendi & disponendi ita impediatur in aliquo per votum ac si non esset dominium, sanè talis meritò religiosæ paupertatis cultor est censendus. nihil enim amplius habet in rebus temporalibus potestatis, quæ in actum possit exire, quàm is qui dominio caret.

Essentia paupertatis religiosæ.

Hinc sequitur Primò, Talem, si alicuius rei, 28 etiamsi sua sit, vsum vsurpet, absque Superioris consensu tacito vel expresso, peccare mortiferè, si res sit notabilis momenti; quia non secùs est priuatus potestate vtendi quàm si sua non esset. Secundò, Si de ea disponat in alium, per donationem, testamentum, vel aliter absque consensu Superioris, non solùm peccare mortaliter, sed etiam dispositionem esse irritam. Cuius ratio est, quia per votum paupertatis à legitimo Superiore acceptatum priuauit se potestate disponendi suo arbitrio, solumque retinuit potestatem disponendi ex arbitrio & consensu Superioris. vnde si hic consensus desit, dispositio erit irrita; idque multò maiori ratione quàm dispositio

Consectaria. Dispositio est inualida absque Superioris consensu.

sitio Prælati de re Ecclesiæ est irrita, si fiat absque consensu Capituli. Simili modo dispositio pupilli est irrita absque consensu tutoris. etsi enim totum dominium sit in pupillo; tamen hoc dominium est impeditum, translata potestate disponendi in tutorem. Simili modo dominium talis Religiosi est impeditum, ita vt non possit exire in actum, nisi dependenter à voluntate Superioris. concessa tamen potestate disponendi, potest disponere in quasuis pias causas: nec Superior potest illum ad hanc vel illam restringere; vt ex Constitut. constat.

29 *Religiosi beneficiarij.* Dico Quartò, Religiosi beneficiatij, vt Abbates, Priores, Præpositi, Commendatores, & similes habentes beneficia regularia vel sæcularia, etsi nullum habeant dominium, habent tamen ius administrandi & dispensandi fructus suorum beneficiorum, tum ad sui status congruam sustentationem, tum ad alias pias causas. Id enim Iure & consuetudine est eis concessum, quamdiu illa beneficia obtinent; vt probat Nau. comment. 2. de Regular. n. 10. quamuis Franciscus Sarmiento prima parte Defensionis, monito 11. contrarium teneat. de quo plura infrà c. 41. dubit. 11.

Quomodo Religiosi possint expendere. Ex his sequitur, Religiosum factum Abbatem, Commendatorem, vel Episcopum, etsi possit expendere in vsus proprios necessarios & decentes, & ad pias causas; non tamen posse expendere in res vanas, aut ditare suos amicos; & si fecerit, teneri ad restitutionem: similiter & eos, qui illa acceperunt. Ratio est, quia omnium istorum bonorum non est dominus, sed solùm administrator & dispensator, habens tantummodò ius ad expendendum illa bona iuxta præscriptum Canonum, & Religionis, & intentionem eorum qui ea Religioni vel Ecclesiæ reliquerunt. Vide Nauar. q. 3. de Redditibus, monito 17. & 33.

30 *Concessio bonorum stabilium.* Dico Quintò, Superiores Religionum non possunt alicui regulari concedere vlla bona stabilia, (vt sunt fundi, redditus, ædium locationes) etiam ad vsum dumtaxat vel administrationem. Colligitur ex Trid. sess. 25. cap. 2. de Regularibus, vbi sic habetur, *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum vel Conuentuum, ad solos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat.* Nauar. *Sententia Nauarri.* comment. 1. de Regul. n. 15. & 16. putat hoc decretum solùm continere Ius commune, esseque declarationem capituli *Cùm ad Monasterium*: ac proinde solùm prohiberi concessionem superfluã, aut ad quosuis vsus etiam profanos. sed longè verius est hîc nouum Ius contineri, & introduci; idque tum ad tollendos abusus, qui ex hisce concessionibus bonorum immobilium sequi solent; tum propter speciem proprietatis, dum regulares talia bona tamquam sua videntur administrare, & fructus in quosuis vsus expendere. Itaque etiamsi non sit contra votum paupertatis aut contra Ius commune, habere cum facultate Superioris, cumque assidua ab eius nutu dependentia, talium bonorum administrationem & vsum ad quasuis pias causas; tamen Concil. id in posterum prohibet, & vult ad solos officiales horum administrationem deinceps pertinere; vt apertè colligitur ex responsis Illustrissimorum Cardinalium, qui præsunt dubiis circa decreta Concilij Tridentini obo-

rientibus, qui ne nobilissimis quidem personis id concedere voluerunt, hoc Concilij decreto permoti.

Hinc sequitur, etsi census vitales possint permitti pro alimentis & vsibus necessariis eorum qui Monasterium ingrediuntur, tamen horum administrationem non posse ipsis concedi, sed solis officialibus; quamuis eorum fructus vsibus destinatis impendantur. Illi quoque, pro quibus relicti sunt, nihil sibi iuris in illis vindicare possunt. Vnde Superior potest illos etiam in alios vsus expendere, modò tamen aliunde satis ipsis prouideat. Pontifex tamen cuiuis Religioso potest talium bonorum liberam administrationem & vsum concedere; modò tamen id fiat ad causas pias: quia cùm sit supra Concilium, potest in eius præceptis dispensare; de quo 2. 2. q. 1. a. 10.

31 *Censuum vitalium administratio.*

Aduerte tamen, si alicubi talis administratio rerum mobilium vel immobilium ad vsus necessarios concederetur, non teneri Religiosos ea Superioribus sponte tradere; nisi constaret alia ratione, ex communi penu (vt fit vbi perfecta vitæ communio seruatur) ipsis prospectum fore. vnde multis locis possunt excusari. nisi enim hoc modo illis esset prouisum, plerumque necessariis rebus destituerentur, maximè vbi Abbatiæ dantur in Commendam, vel malè per Prælatos administrantur. Si tamen à Superiore legitimo alia ratio certa institueretur, per quam iuxta formam vitæ communis, ipsorum necessitatibus satis foret consultum; non possent huic reformationi resistere, etiamsi illam priorem rationem in ingressu inuenissent.

32 *An teneantur sponte cedere.*

Dico Sextò, possunt tamen Superiores concedere aliqua mobilia suis subditis ad vsus necessarios, & etiam ad opera pia. Est communis sententia Doctorũ, v. g. vestes, libros, & similem supellectilem, (hæc tamen debet esse statui paupertatis accommodata, omni carens superfluo, vt Concil. inquit) & etiam aliquam pecuniam, præsertim ad vsus certos & determinatos. Vtrùm ad vsus suos, vel pios indeterminatè concedi possit, dubium est. Verius videtur posse; quia hoc neque est contra professionem paupertatis, neque vllo iure vetatur.

33 *Aliqua mobilia possunt concedi. etiam pecunia.*

Dices, Concil. Trid. etiam mobilium possessionem hisce Religiosis prohibere videtur. 34

Resp. Concilium loqui videtur initio capitis de eis bonis, quæ nondum erant incorporata Monasterio, aut sine iusta licentia Superioris à Religiosis obtinebantur: nam immediatè pòst tantùm vetat ne Superiores concedant stabilia, nulla facta mentione mobilium. Expedit tamen ob periculum proprietatis & abusus talia non concedi, nisi ad vsus omnino definitos.

DVBITATIO VI.

Vtrùm Clerici non religiosi habeant aliquorum bonorum dominium, & quorum.

NOtandum ex Nau. q. 1. de Redditibus, monito 19. *Beneficiarios sæculares tria genera bonorum habere posse; Patrimonialia*, qualia sunt quæ ipsi hereditate, vel industria, vel donatione, vel alio modo, quo laici solent, sibi acquirunt. *Quasi patrimonialia*; quæ ipsi acquirunt vt Clerici, ministerij 35 *Tria genera bonorum Clericã.*

steriis Clericorum absque beneficio; vt celebrando, concionando, canendo, confessiones audiendo, Vicaria temporali: item quæ assignantur alicui ad honestam sustentationem ab Episcopo vel Pontifice. *merè Ecclesiastica:* vt sunt ea quæ recipiuntur ratione Canonicatus, Decanatus, vel alterius beneficij titulo. His positis,

36 Respondeo & Dico Primò, Clerici non religiosi habent verum dominium bonorum patrimonialium, & de illis vt laici possunt disponere. est communis DD. Ratio est, quia per Clericatum vel Ordinem neque fiunt incapaces dominij, neque etiam se abdicant dominio, neque se obligant ad patrimonialia in pias causas expendenda.

37 Dico Secundo, Clerici etiam habent absolutum dominium quasi patrimonialium, neque tenentur ea magis in vsus pios expendere, quàm bona patrimonialia. Ita Couarru. in cap. Cùm in officijs. de Testamentis nu. 4. Nauarrus, & alij. Ratio est; quia hæc dantur vt stipendium quoddam sustentationis, & veluti merces ratione operis præstiti, vt de ijs disponant pro arbitrio: non enim fideles qui hæc tribuunt, intendunt illis vllũ onus imponere, sed permittunt liberrimæ illorum dispositioni; sicut permittunt operarij arbitrio vsum mercedis quam ei persoluunt. Nec refert quòd hæc stipendia interdum longè excedant operam; quia liberè à fidelibus dantur. Vnde si alicui pro vno Sacro dentur 10. aurei, non minùs fiet illius pecuniæ absolutus dominus, quàm is cui datur vnus dumtaxat regalis. si enim pauper fit absolutè dominus eleëmosynæ quæ ei datur sine onere, etsi ea magna sit; cur Clericus non fiat dominus stipendij, quod ei liberaliter pro aliquo opere constituitur? Vide Nauar. quæst. 1. de Redditibus, monito 19. & 39. vbi docet contra Innocentium, hæc bona æquari patrimonialibus; ac proinde Clericos de illis liberè disponere.

Possunt liberè disponere de bonis quasi patrimonialibus.

38 Vnde sequitur, si de his viuant, vel expendant in pias causas, posse tantumdem accipere ex redditibus beneficij, deque eo tamquam de patrimonialibus disponere; quia cùm habeant ius accipiendi totam sustentationem ex beneficio, non tenentur viuere ex alijs suis bonis. vnde si ex aliis viuant, possunt vti compensatione, accipiendo tantumdem ex beneficio. Rursus cùm alia bona non teneantur absolutè in opera pia expendere; si sic expenderint, poterunt vti compensatione ex bonis beneficij, quæ alioquin in talia opera conferre debuissent; vt docet Nauar. monito 32. nisi fortasse intenderint non vti compensatione: quod non est præsumendum, nisi id expressè intenderint, & voluerint sibi libertatem illam disponendi adimere. Nemo enim se priuat iure suo, nisi volens.

39 Dico Tertiò, Episcopi, Canonici, & alij beneficiarij, quod ad eam partem fructuum attinet, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita fiunt domini, vt non magis teneantur ex ea erogare ad opera pietatis, quàm ex bonis patrimonij. est ferè communis sententia Theologorum, etsi multi Canonistæ dissentiant. Ratio est, quia hæc pars est iusta merces eorum, qui Ecclesiæ seruiunt. qui enim Ecclesiæ seruit, iure potest ex bonis Ecclesiæ viuere. Vnde sequitur, si quid velint ex hac parte sibi detrahere, posse de eo disponere sicut de bonis sæcularibus: quia nullam habent obligationem particularem cur hæc potiùs quàm sæcularia bona sua in pauperes vel pias causas teneantur impendere: vt rectè docent Couarr. in c. Cùm in officiis. num. 2. Nauar. de Reddit. quæst. 1. monito 30. Sotus l. 10. q. 4. a. 3. concluſ. 6. Si enim liberè poterant hæc in suos vsus conuertere; cur, si seipsos fraudare, & parciùs viuere velint, vel reseruatis fructibus beneficij vti patrimonialibus, non possint eos fructus cuiuis alteri donare? Idem sentit Couarru. de his redditibus, quos dignissima, inquit, mercede iustitiæ, & laboris impensi in regimine Ecclesiæ, recipit is qui Ecclesiæ curam gessit; vt Pastor, Lector Capituli, Scholasticus, Decanus Christianitatis, & similes: quod etiam ex proposit. 2. satis constat. est enim iusta laboris merces, iustumque stipendium.

Pars sustentationi necessaria.

Dices, Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. omnino interdicit ne Ecclesiastici consanguineos ditare studeant de redditibus Ecclesiasticis. 40 *Obiectio.*

Resp. Concilium non loquitur de ijs, quæ quis sibi hoc modo subtraxit, vel quæ iusto labore promeritus acquisiuit; (hæc enim non censentur fructus beneficij, sed propriæ industriæ; vt rectè notat Nauarr.) sed loquitur de ijs, quæ tantùm ratione beneficij obueniunt, & sustentationi redundant.

Notandum hîc ex Nauarro, monito 45. sicut iustum pretium rerum non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem; (datur enim infimum, medium, & summum:) ita etiam congrua sustentatio suos gradus habet. quare sicut quiuis iustè potest rem vendere pretio summo seu rigido; ita potest insumere quod ad summum conuenientis sustentationis est necessarium: ac proinde si quid velit huic detrahere, poterit de eo disponere. v.g. infimum congruæ sustentationis sit 500. medium 600. summum 700. si velit vti infimo, & expendere tantùm 500. in se suamq; familiam alendam, poterit 200. cõdere, vt liberè de eis disponat.

In congruenti sustentatione possunt dari tres gradus.

Sed tota difficultas est de ea parte fructuum, quæ non est vlli gradui conuenientis sustentationis necessaria, sed superflua: vt si percipis 1000. florenos ex tuo Canonicatu, è quibus 500. omnino sufficiunt, ita vt facilè 500. quotannis recõdas, quæritur vtrùm efficiaris dominus illorum 500. ita vt non tenearis ex iustitia in opera pia expendere. Sunt duæ celebres sententiæ. Prior est Nauarri, qui lib. de Redditibus Ecclesiasticis, summis viribus nititur ostendere, Clericos non esse dominos illius portionis redundãtis, sed solùm dispensatores; ita vt ex iustitia teneantur expendere in pias causas. si secùs fecerint, obligari ad restitutionem in opera pia ex aliis bonis, quæ pleno iure retinent: sicut œconomus bona domini sui contra intentionem illius expendens, ad restitutionem tenetur. Idem docent multi Theologi, Alexander Halensis 3. p. quæst. 36. num. 5. artic. 2. Richardus in 4. d. 45. q. 1. circa 3. principale. Henricus quodlib. 8. quæst. 27. hi expressè dicunt, Clericos fructuum Ecclesiasticorum solùm habere vsum, non proprietatem, Maior in 4. dist. 24. q. 6. vbi etiam dicit nullum Doctorem ante ipsius ætatem contrarium tenuisse: in quo tamen fallitur. Gabriel in 4. d. 15. q. 8. a. 2. & Paludanus dist. 24. q 3. sub finem, inclinant in hanc sententiam tamquam probabiliorem & dictis Sanctorum conformiorem: etsi fateantur alteram esse probabilem. Thomas Waldensis tom. 1. lib. 4. c. 42. & quatuor sequentibus. Petrus Soto de Instruct. Sacerdotum, p. 2. lect.

41 *De parte quæ excedit latitudinem congruæ sustent.*

Sententia Nauarri.

lect.3. vbi dicit: *Primò omnium constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis, & ipso Iure diuino, bona omnium Ecclesiarum, cùm Christi sint, meritò etiam pauperum esse; nec vllo vsu, aut potestate humana fieri posse, vt licitè in alios vsus quam Ecclesiasticos & pauperum expendi possint.* & infrà: *Contrarium credimus errorem esse grauissimum; saltem contra bonos mores, & Iustitiam: & quidni etiam contra Scripturam?*

In eadem sententia sunt plerique Canonistæ, vt ostendit Nauar.tract.2.de Reditibus, monito 7.& Sarmiento p.2. de Reditibus cap.1. & seq. etsi in quibusdam minutis inter se discrepent. Eamdem tenet Franciscus Turrianus in quadam Epistola ad Episcopum Laodicensem, quam refert Nauar. tract.de Redit.q.3.monito 35.

Altera sententia huic ex diametro aduersatur; Clericos beneficiarios esse absolutè dominos omnium prouentuum, quos ex beneficiis percipiunt, etiam partis illius redundantis. hanc docent passim recentiores.

42 *Sententia Nauarri est valdè probabilis.*

Dico Quartò, Sententia Nauarri, qua parte tenet, Beneficiarios non ita esse dominos partis superfluæ, quin ex Iustitia teneantur eam in opera pia expendere; adeò vt si in alia insumpserint, obligentur ad restitutionem; est valdè probabilis, sacris Canonibus & rationi valdè consentanea. Primò, quia est multorum Theologorum, & omniũ pænè Canonistarum, vt Nauar. ostendit. Secúdò, quia multi Canones dicunt eam partem, quæ sumptibus necessariis supereſt, esse pauperum; & ex bonis Ecclesiæ vnam quartam deberi pauperibus; vt patet 12.q.2. Tertiò, quia fideles non contulerunt tantas opes in Ecclesiam, vt Ecclesiastici soli illis fruerentur: sed vt ex illis caperent quod decenti sustentationi necessarium; & reliqua in pauperes aliaque pia opera cõferrent: ergo acceperunt illa bona cum tali onere. quare etsi dominium omnium fructuum accipiant, tamen accipiunt cum hoc onere, vt quod supereſt, in pauperes expendant. Hanc sententiam tamquam tutiorem, iudico in praxi Beneficiariis consulendam. Nihilominùs

43 *Altera verior.*

Dico Quintò, Verius videri, post erecta beneficia, certosq; prouentus singulis Titulis assignatos, Beneficiarios effici absolutè dominos omniũ illorum prouentuum; ita vt quamuis partem superfluam profanè expenderint, tamen ad restitutionẽ pauperibus vel aliis piis causis non teneantur: peccare tamen mortiferè, si hanc partem in opera pia non expenderint. ita passim DD. huius temporis. Tradit hanc sententiam Sotus lib.10.de Iustitia q.4. art.3. & 4. & videtur esse sententia D.Thomæ q.185.a.7.vt conatur ostendere Sotus & Sarmiento, quamuis Nauar. illum à se stare contendat. Adrianus in 4.tract. de Restit. §. Pro clariori, concluſ.2.& 4.Couar.in c. Cùm in officiis, de Testam. Franciscus Sarmiento de Reditibus p.2.cap.1.& 2.& p.4.& alij multi recentiores. Dixi *post erecta beneficia*, quia antequam essent instituta, & singulis sua portio assignata, alia erat ratio. tunc enim omnes oblationes & redituum prouentus erant bona communia: nam Clerici viuebant in communi, sicut modò Religiosi; & singulis dabatur ab Episcopo, qui omnium erat administrator, quantum cuique opus: quæ superabant, conferebantur in pauperes, vel in alios pios vsus, vt colligitur ex Canonibus 12.quæst.2. Vnde tunc nemo habebat dominium, nisi eius partis quam in singulos dies consumendam accipiebat. Verùm processu temporis, refrigescente charitate, multa exorta sunt incommoda; vel quòd non possent ita communiter pacificè inter se viuere; vel quòd plerique maiores commoditates expeterent; vel quòd nollent se statui Ecclesiastico sub tanta disciplina, tamque tenui diæta mancipare. Itaque sensim beneficia & præbendæ institutæ, certique prouentus annui singulis annexi, ex quibus copiosè, seorsim, & pro suo arbitratu possent viuere.

Fieri dominos prouentuum.

Nunc probatur prior pars, *Ipsos fieri absolutè dominos omnium prouentuum.* Primò, quia Canones id satis apertè indicant: nam cap. vnico, de Clerico non residente, in 6.dicitur, *Qui diuinis Officiis non interſunt, (nisi infirmitas seu iusta & rationabilis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas reluet) non sunt domini quotidianarum distributionum; neque faciunt eas suas; sed ad restitutionem sic perceptorum obligantur.* Supponunt ergo, alios, qui interſunt, fieri dominos: quòd si isti fiunt domini quotidianarum distributionum, cur non etiam aliorum prouentuum? præsertim cùm omnes dentur propter diuinum Officium, siue publicè siue priuatim dicendum?

Respondet Nauarrus & Canonistæ, *esse dominos* quoad fidelem administrationem. Sed hæc expositio est extorta; nam sic etiam Abbates essent domini suorum prouentuum, quod nemo dixerit. Secundò, Conc.Trid.sess.22.c.3.de Reformatione *statuit, vt in omnibus Ecclesiis cathedralibus & collegiatis tertia pars prouentuum, omnium dignitatum, personatuum, & officiorum, in distributiones diuidatur; vt scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens ibi seruitium quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant; sed fabricæ vel alteri loco applicetur.* Tertiò idem sess.23. ca.1.de Reformatione *statuit, vt Episcopi, qui vltra tres menses (nisi vrgente necessitate) absunt à suis Ecclesiis, fructus non faciant suos pro rata temporis absentiæ: sed teneantur fabricæ vel pauperibus erogare.* Idem statuit de aliis curam animarum habentibus. His & aliis locis apertè insinuat Concilium, Beneficiarios, si præstent quod debent, fieri integrè dominos omnium suorum prouentuum.

44 *Non teneri ad restitutionem.*

Altera pars, *quòd non teneantur ad restitutionem etsi profanè expendant*, videtur sequi ex dictis. Si enim absolutè sunt domini, cur teneantur ad restitutionem? quisque enim rei suæ est moderator & arbiter. Idem sentire videtur D.Thom.q.185. a.7.vbi cùm ex can. De reditibus.12.q.2.ostendisset, reditus Ecclesiæ & oblationes fideliũ in quatuor portiones esse diuidendas, ex quibus prima danda sit Episcopo, secunda fabricæ, tertia pauperibus, quarta Clericis; subdit: *Si ergo distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda; non est dubium quin contra fidem dispensatoris agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. De his autem, quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadẽ ratio quæ est de propriis bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum & vsum, peccet quidem si immoderata sibi retineat, & aliis non subueniat,*

Probatur ex D. Tho.

ueniat, sicut requirit debitum charitatis. hęc ille. vbi videntur deesse hæc verba, *non tamen ad restitutionem teneatur*, vt notat Sotus: quia hanc redditionem requirit illud *quidem*; alioquin est oratio imperfecta & ἀναπόδοτον. idem postulat illa oppositio, quam statuit inter portionem ipsius vsui specialiter deputatam, & inter portiones aliis deputatas, quarum solùm est dispensator. deinde, etiamsi illa verba non addantur, tamen satis manifestè res ipsa videtur insinuari, dum ait eamdem esse rationem de bonis specialiter ipsius vsui deputatis, & de proprijs seu patrimonialibus. quod non est ita intelligendum, quasi Episcopus possit vtraque eodem modo expendere, dum superflua sunt, & honestæ sustentationi redundant: id enim falsum est, & contra Conc. Trident. sess. 25. cap. 1. de reform. & contra multos Canones antiquos, quibus iubentur Ecclesiastici, quæ ipsis superant, in causas pias erogare. Denique repugnat communi prudentum iudicio. quis enim dixerit, cui quotannis viginti, triginta vel plura aureorum millia redundant ex fructibus Ecclesiasticis, eum posse de illis ita liberè disponere vt de sæcularibus? Itaque illud accipiendum quoad dominium & immunitatem à restitutione in vtroque bonorum genere; vt colligitur ex verbis præcedentibus in corp. art. Item quoad hoc, quòd non teneatur illa, nisi necessitate vrgente, in pauperes erogare: qua non vrgente liberum ei sit in alia pia opera insumere. In his igitur est eadem ratio bonorum patrimonialium & fructuum Ecclesiasticorum alicui specialiter deputatorum. non tamen negat D. Thomas quin absolutè teneatur superflua bonorum Ecclesiasticorum vel in pauperes vel alia opera pia erogare, & quidem strictiori Iure quàm superflua bonorum sæcularium; vt colligitur ex resp. ad 2. vbi solùm permittit de illis bonis dari consanguineis, quantum necesse est vt non egeant. Aliter hunc locum exponit Sarmiento & Sotus: sed meo iudicio non rectè; quia sequeretur, Episcopum vanè insumendo 50. millia aureorum superflua ex redditibus Ecclesiæ, non plus peccare quàm tantumdem insumendo ex sæcularibus.

45 *Probatur ratione.* Idem probatur ratione. Primò, Nemo cogendus est ad restitutionem alicuius rei, nisi constet esse alienam, vel lege iustitiæ alteri debitam: atqui nulla ratione vel auctoritate constat Beneficiarios vel non habere dominium omnium suorum prouentuum, vel aliquam partem horum lege iustitiæ alteri deberi: ergo non sunt ad restitutionem cogendi. Maior patet ex Reg. Iuris, *In dubio nemo spoliandus est iure, quod possidet.* &, *In pari causa potior est conditio possidentis.* Minor probatur, quia hoc neque potest conuinci ex modo donationis fidelium, quo hæc bona ad Ecclesiam translata sunt; neque ex Ecclesiæ præcepto, aut dispositione. Non ex modo donationis; quia non constat, fideles qui hæc bona contulerunt, sub hoc modo & hac conditione donasse, vt Ecclesia lege iustitiæ teneretur, ex iis quæ ministrorũ honestæ sustentationi superessent, pauperes alere, vel alia opera pia promouere, vt diuersa opinio supponit. quamuis enim fideles intenderint vel desiderauerint vt hoc fieret, tamen valdè credibile est eos Ecclesiæ talem obligationem non imposuisse: tum quia non dubitabant quin Episcopi & Prælati, qui illa administrabant, id sponte sua essent abundè facturi, quod eos passim tam sollicitè facere videbant. *Non ex modo donationis.*

tum quia modestiores, & in suos Superiores reuerentiores erant, quàm vt illis auderent huiusmodi obligationem imponere; præsertim cùm hęc darent in redemptionem suarum animarum, vel vt seruorum Dei preces & suffragia consequerentur, vel ad cultus diuini amplificationem.

Confirmatur, Quia bona Ecclesiæ à fidelibus relicta, vel sunt decimæ, vel prædia, vel census, vel dominia pagorum, oppidorum, prouinciarum, &c. atqui nullum genus horum videtur relictum cum tali onere: nisi fortè in particulari aliqua donatione id expressum sit: ergo generatim non est putandum tale onus esse impositum. Minor probatur, Nam quod ad Ius decimarum attinet, fideles ratione illius non potuerunt Ecclesiæ vllam obligationem erga pauperes imponere: decimæ enim debentur illi lege Iustitiæ, ratione administrationis spiritalium; vt communiter Doctores tradunt, & docet D. Thom. q. 77. art. 1. Ratio est, quia tenetur populus lege Iustitiæ eos qui ipsi spiritalia administrant, pro dignitate sustentare: idque lumine naturali constat, etiam apud Ethnicos. Porrò ad hanc sustentationem Ecclesia ab initio determinauit decimam fructuum partem, exemplo Legis veteris: vbi etsi longè pauciores essent Leuitæ & Sacerdotes, alijque sacrorum ministri; minor quoque esset eorum dignitas, minor labor, minor sacrorum sumptus; tamen decima pars fructuum, præter primitias & oblationes, à Deo constituta & præcepta fuit: neque ipsis vlla obligatio Iustitiæ ad superflua in pauperes erogandа fuit imposita. Itaque decimæ (de quibus tamen maximè est quæstio) post illam determinationem non dantur libera fidelium voluntate, sed soluuntur lege Iustitiæ; sicut tributa Principibus. quare non potuerunt fideles vllam obligationem Clericis ratione decimarum, quo ad modum expendendi superfluos illarum fructus, imponere. verùm de his infrà, cap. 39. Dub. 1. & 2. *Diuersa bona Ecclesiæ.* *Decimæ.*

Dominia, prædia, & census prouenium quidem ex libera fidelium donatione; non tamen videntur donata cum tali onere; dominia enim data sunt Ecclesiæ ad splendorem & auctoritatem: prædia & census, ad fundationem Ecclesiarum vel Monasteriorum, eorumq; conseruationem, ad augmentum cultus diuini, ad erectionem alicuius beneficij, ad satisfactionem pro peccatis, ad alimenta ministrorum Ecclesiæ, & aliorum in communi viuere volentium; vt constat ex multis Can. 12. quæst. 1.

Sed neque ex dispositione Ecclesiæ constare potest Beneficiarios ad restitutionem malè expensorum teneri. Primò, quia nusquam id in Canonibus clarè explicatur; cùm tamen sit res maximi momenti, vt quæ ad omnes Beneficiarios pertineat, & summoperè ad publicam ædificationem, & pauperum subuentionem faciat. sanè si vel ex natura rei, vel ex Ecclesiæ præcepto obligantur, id clarè debuisset per summos Pontifices, vel Concilia œcumenica, aut prouincialia exprimi, nec tanta iniquitas tolerari: cùm in rebus multò minoribus & per se clarioribus id fecerint, ne quis prætextu ignorantiæ se posset excusare; v. g. eum teneri ad restitutionem, qui diuino Officio non interesset, vel Preces canonicas, aut partem earum aliquando prætermitteret, aut à sua residentia supra tres menses emaneret; & alia id genus: vt videre est in Conc. Lateran. sub Leone X. Concil. Trident. *Non ex ordinatione Ecclesiæ.*

Trident. & variis Canonibus 12. quæst.1. & q.2. & alibi.

46 Secundò, Probatur, quia Ecclesia non rescindit pacta, vel donationes quibus beneficiarij fructus redundantes alienant, vel profanè aut vanè expendunt: quod tamen omnino facere deberet, si putaret eos pauperibus stricto iure deberi. Hanc enim prouidentiam & curam ipsa pauperum causis debet; vt si quid lege Iustitiæ eis debitum sit, præstari curet, & debitores, si opus sit, compellat; sicut in testamentis & piis legatis facere consueuit. Eamdem debet suis subditis, Clericis & laicis: vt nec illis permittat quod pauperum est alienare, nec his retinere. Et sanè mirum esset, Ecclesiam permittere tantam iniustitiam, & non cõpellere ad restitutionem; sicut administratores alienorum compelli solent, si illa in suos vsus conuerterint, vel malè expenderint: maximè cùm causa pauperum sit in primis fauorabilis. Hæ sunt præcipuæ rationes pro hac sententia. qui plures desiderat, videat Franciscum Sarmiento de Reditibus p.4. cap.1. vbi 12. rationes adfert: sed ferè iam dictis continentur.

47 Tertia pars, *quòd mortaliter peccent, si expendant illam portionem redundantem in vsus profanos, vel ad ditandos amicos*, est communis sentẽtia DD. vt fatetur Sarmiento. & Probatur Primò, quia est contra districtum Ecclesiæ præceptũ. Nam Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de reformatione, sic ait, *Omnino enim eis interdicit* (Episcopis sancta Synodus) *ne ex reditibus Ecclesiæ, consanguineos familiares ve suos augere studeant; cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, eis vt pauperibus distribuant.* & infrà: *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Ecclesiastica beneficia, tam sæcularia quam regularia obtinentibus, pro gradu suæ conditionis obseruari, sed etiam ad S. E. R. Cardinales pertinere decreuit.*

Esse peccatum legale.

Conc. Trid.

Vbi Notanda Primò sunt illa verba, *omnino interdicit*, quibus apertè insinuatur strictum præceptum.

Notandum Secundò, Non solùm ipsos reditus, sed etiam redituum fructus, *res Ecclesiasticas*, & *res Dei* vocari. quod ex eo liquet, quòd Episcopi non reditibus ipsis, sed fructibus eorũ consanguineos locupletare soleant: fructus quoque, non reditus in pauperes distribuantur. Denique quia hoc præceptum extenditur ad omnes minores Beneficiarios, quorum pauci administrationem habent, nisi suorum beneficiorum; qui si reditus ipsos in consanguineos transferre vellent, omnes illis obsisterent. Vnde etiam constat, Concilium loqui non solùm de fructibus alienis, quorum habent solùm administrationem; sed etiam de iis qui mensæ Episcopali sunt applicati.

Cur dicantur esse res Dei.

Dicuntur isti fructus esse *res Dei*; quia sunt destinati tum ab Ecclesia, tum à donatoribus, vt ad honorem & cultum Dei impendantur: quo modo etiam decimæ dicuntur esse Dei. quæ causa sufficiens est vt Ecclesia singulis possit imponere præceptum, ne ex his consanguineos ditare studeant, aut vanè expendant. Idem probari potest ex antiquis Can. quibus præcipitur, vt portio fructuum & oblationum, quæ Episcopo, Clericis & Fabricæ non esset necessaria, distribueretur pauperibus; quod à temporibus Apostolorum multis sæculis seruatum est, & à variis Pontificibus & Conciliis confirmatum: cui ordinationi Ecclesia per erectionem beneficiorum, & per hoc quòd singulis suæ partis administrationem permisit, derogatum noluit: sed potiùs voluit ei per singulos, pro cuiusque facultate, satisfieri. quare sicut Episcopi, cùm illa administrarent, tenebantur portionem ceteris non necessariam, pauperibus seponere: ita Beneficiarij, qui in illam administrationem ex parte successerunt, tenentur ea, quæ sibi redundant, in vsus pauperum, vel saltem in pias causas, quando graues necessitates non occurrunt, seponere.

Secundò probatur, Nisi Ecclesiastici obligarentur superflua in pios vsus impendere, valdè improuidè faceret Ecclesia, tantam affluentiam fructuum illis permittendo. quid enim hoc aliud esset quàm dare illis ansam & instrumentum luxus, libidinum, superbiæ; & frustrari pia fidelium vota? deberet potiùs bonam partem illis detrahere, & inde alia bona opera instituere.

Tertiò, Clerici ratione gradus, quem obtinent in Ecclesia, sunt veluti patres & tutores pauperum & orphanorum: ergo peculiari nexu charitatis & misericordiæ tenentur illis opem ferre. Confirmatur; quia eleëmosyna sæpè est necessaria ad bonum spiritale in subditis conseruandũ; vt quando pudicitia virginum ratione paupertatis periclitatur: aut aliqui ad furta & latrocinia se conuertunt. Ergo Ecclesiastici, (maximè Episcopi & parochi) qui ex officio bonum spiritale subditorum procurare debent, partem prouentuum suorum præ ceteris in opera pietatis impendere tenentur. vide Sotum lib.10. quæst.4. art.4. concluſ.2. & 3. Verùm hæc ratio non probat extra tales casus teneri illos sub peccato mortali præcisè ratione superflui. Itaque præcipua ratio, cur tam strictè extra necessitatem grauem corporalem vel spiritalem proximi teneantur superflua illa in pauperes vel opera pia impendere, est Ecclesiæ præceptum: quo semoto, etsi nonnulla sit inordinatio, tamen non videtur mortifera.

Contra 1. & 2. partem oppositionis quintæ, qua parte astruit dominium absolutum Beneficiariorum, eosque à restitutione liberat, sunt multa argumenta ex Canonibus & Patribus, vt videre est apud Nau. q.1. de Redit. Monito 21. 22. 23. vbi habet 17. rationes: quarum præcipuas attingemus. *Obiectiones.*

Obiicitur Primò, Multi Patres & Pontifices in suis Canonibus dicunt bona Ecclesiæ *esse patrimonium Christi, res Dei, bona pauperum: & Clericos tantùm esse dispensatores & procuratores bonorum Ecclesiæ:* vt videre est 12. q.1. & 2.

Resp. Dicuntur *patrimonium Christi*; quia propter Christum, & ad cultum Christi sunt donata. Dicuntur autem *bona pauperum*; tum quia omnia superflua dicũtur esse pauperum, vtpote pauperibus eroganda: (qua ratione Hieron. etiam de sæcularibus dicit, *Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria retinere probatur*, vt habemus d.42. Canon. Hospitale:) tum quia peculiari ratione Clerici ex his bonis pauperibus subuenire debent: tum denique quia hæ sententiæ referẽdæ sunt maximè ad illud tempus, quo nondum beneficia erant diuisim erecta, sed viuebatur in cõmuni: tunc enim verè erãt bona pauperum, non laicorum propriè, sed Clericorum, qui tunc pauperes erãt, & in particulari nullum habebant dominium, sed communiter omnia possidebant; & aliqui ex illis erant bono- 48 *Patrimoniũ Christi & bona pauperum quomodo dicantur.*

bonorum communium administratores, sicut in monasterijs. Nos autem agimus de tempore post erecta beneficia & bona diuisa.

49 Obijcitur Secundò, Multi canones iubent fructus reddituum Ecclesiasticorum, & oblationes fidelium diuidi in quatuor partes, & vnam tribui Episcopo, alteram Clericis, tertiam fabricæ, quartam pauperibus. Ita habemus can. de Redditibus, qui est Simplicij, & can. Vobis, can. Concesso, & can. Quatuor, qui sunt Gelasij; item can. Cognouimus, can. Mos est, qui sunt Gregorij primi, & habentur 12.q.2. atqui in plerisq; locis non videtur quidquam assignatum pauperibus; sed solùm Episcopo, Clericis & fabricæ: ergo portio pauperum permixta est prouentibus Clericorũ & Episcoporum: ac proinde tenentur ex iustitia illam in pauperes conferre. ea autem portio censebitur esse pauperum, quæ ipsorum statui non est necessaria. Nec satisfacit si dicas, canones illos intelligendos de bonis vsq; ad illud tempus donatis; nõ autem de donandis in posterum: quia Gregorius expressè iubet, *vt siue de præteritis redditibus, siue de his quæ in posterum obuenient, quartæ secundùm distributionem canonicam dispensentur.*

Resp. Ex istis canonibus satis conuinci, Clericos teneri præcepto Ecclesiæ ijs locis, vbi pauperibus sua quarta non est assignata, quæ sibi redundant, erogare: non quòd ex iustitia hæc pauperibus debeantur; sed quia sacri canones iubent vt ipsis ex Ecclesiæ redditibus quarta portio detur: vt habetur can. Mos est, 12.q.2. Vnde cùm passim in bonorum Ecclesiasticorum diuisione & beneficiorum erectione nihil pauperibus videatur assignatum; dubitandum non est quin obligentur Beneficiarij singuli pro sua parte. diuisis enim bonis, simul diuisa est obligatio his bonis ordinatione Ecclesiæ imposita. Non enim Ecclesia voluit (sicut antè diximus) per erectionem beneficiorum & bonorum diuisionem hanc obligationem extinguere, vt satis ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de Reform. constat.

Dices, Hospitalia ex his bonis videntur constituta: ergo pauperibus sua quarta est assignata.

Resp. Negando antecedens; pleraque enim alia ratione sunt erecta, ita vt bonis Ecclesiasticorum nihil sit detractum. & quamuis constaret alicubi ex hisce bonis erecta esse, nihilominùs superflua tenentur in pauperes vel alias pias causas, quæ numquam desunt, impendere; quia hæc est mens canonum, & intentio fidelium.

50 Obijcitur Tertiò, Clerici non possunt de bonis Ecclesiasticis testari: ergo non sunt domini. antecedens patet cap. Relatum, 12. & cap. Ad hæc, 8. tit de Testamentis. & Confirmatur; quia agri, domus, & similia acquisita bonis Ecclesiasticorum pertinent ad Ecclesiam, non ad ipsos Clericos; vt patet ex can. Placuit, 2.q.3. qui est Concilij Carthaginensis Tertij, & ca. Sacerdos, 12.q 4. ex Concilio Toletano IX. item ex toto tit. de peculio Clericorum. ergo pecunia, qua acquiruntur hæc bona, ad eos non pertinet.

Resp. Hinc tantùm sequi, vsum dominij in certis actibus impediri; sicut in impubere. meritò autem in condendo testamento impeditur, tum quia par est vt quod ipsis supereſt relinquatur Ecclesiæ: tum quia hac ratione auocantur à studio accumulandi, & incitantur vt in vita ad pios vsus erogent. Nunc tamen consuetudine tandem obtentum vt testari possint, de qua infrà cap. 19. Dub. 4.

Ad Confirmationem

Resp. Neg. consequent. quia Ecclesia potuit statuere, vt si aliqua immobilia comparentur pecunia Ecclesiastica, ea cedant in dominium Ecclesiæ; nimirum ne Clerici opibus congerendis instar sæcularium inhiarent, sed potiùs suam pecuniam in pauperes conferrent. Vide plura apud Nauarr. suprà, & Sarmiento, 3. p. de Redditibus Ecclesiasticis cap. 2. quæ quia difficultatem non habent, omitto.

Dvbitatio VII.

Vtrùm Clerici habeant dominium bonorum immobilium Ecclesiæ & supellectilis sacræ.

Resp. Nemo in particulari habet dominium 51
bonorum immobilium Ecclesiæ, vel supellectilis sacræ, sed cœtus Ecclesiasticorum cuiusq; Ecclesiæ habet dominium bonorum suæ Ecclesiæ; sicut conuentus Monachorum habet dominium bonorum monasterij: cum his tamen limitationibus. Primò, vt Pontifex tamquam caput omnium Ecclesiarum & conuentuũ Ecclesiasticorum habeat supremam omnium administrationem: de quo vide Nauarr in cap. Non licet, De spoliis Clericorum. §. 3. Secundò, vt si sit necessarium, vel valdè expediens ad commune bonum Ecclesiæ, possit Pontifex ea ad alios vsus, & etiam ad alias diœceses transferre. sic videmus interdum bona Ecclesiastica Principibus sæcularibus concedi ad Ecclesiæ vtilitatem. absque tamen iusta causa id facere non potest: quia non est dominus, sed administrator; ac proinde leges fidelis dispensatoris seruare debet. prima autem lex est publica Ecclesiæ vtilitas. Tertiò, vt conuentus Ecclesiasticus cuiusque diœcesis teneatur illa ad posteros transmittere, nec possit ea vendere, vel extinguere pro arbitrio quod vinculum prouenit partim ex decreto Ecclesiæ, partim ex donatorum dispositione, qui voluerunt ea perpetuò esse cultui diuino dicata. Vide Adrianum in 4. de Restit. §. Pro clariori. & Turrecrem. lib. 2. de Ecclesia cap. 113.

Pontifex administrator vniuersalis bonorum Ecclesiasticorum.

Dvbitatio VIII.

Vtrùm omnia homine inferiora cadant sub eius dominium.

Resp. Res omnes externas vsibus humanis 52
subiectas, cadere sub dominium hominis, idque Iure naturæ; vt agros, montes, flumina, plantas, bestias, metalla, & similia. Cælorum autem & astrorum propriè non sumus domini: etsi enim propter nos condita sint, vt nostris vsibus famulentur; tamen non sunt nobis ita subiecta vt de illis possimus disponere; sicut res inferiores, quas contrectamus & aptamus ad nostra commoda. Sumus tamen domini effectuum, vt luminis, caloris, auræ salubritatis; quia his vtimur quodammodò, sicut aliis rebus externis. Alio tamen modo possumus dici domini cælorum & astrorum, quia in obsequium nostrum facta sunt. Vide D. Th. 1.p.q.96.a.2.

Quo modo Iure naturæ dominium sit.

53 Aduerte tamen, cùm dicitur hominem Iure naturæ habere dominium in res inferiores, non esse id ita intelligendum, quasi singuli habeant completum dominium à natura; sed quia potestatem habent res inferiores occupandi, & earum dominium completum comparandi. hoc enim ius cuique à natura concessum in rem quamlibet, vt eam occupare, sibique vindicare possit, si ab alio antè occupata non fuerit.

DVBITATIO IX.

Vtrùm homo cadat sub dominium alterius hominis.

54 REspondeo, & Dico Primò, Iure naturæ non habet homo dominium in alterum hominem. Ratio est, quia omnes homines naturæ conditione sunt pares; cùm sint eiusdem naturæ, ex eodem parente, & ad eumdem finem conditi. &

Quo modo quidam naturâ serui, quidam domini. Nulla seruitus in statu innocentiæ.

quamuis quidam à natura sint magis apti ad imperandum, alij ad seruiendum, (qua ratione Aristoteles 1.lib.Polit.c.1.& 3.dixit *quosdam naturâ seruos, quosdam dominos*) nemo tamen naturâ est *seruus* propriè. cuius signum est, quòd in statu naturæ integræ nulla futura fuerit seruitus, vt communiter docent Patres, Aug.lib.19.de Ciuit. cap.15. & Gregorius lib.21. Moral.cap.11. quia seruitus est pœna peccati.

55 Dico Secundò, Iure tamen gentium & ciuili potest quis effici seruus, idque multis modis, vt statim dicemus. Patet ex Scriptura, Exodi 21.Leuit.25. Deuter.20.& 21.vbi variæ leges præscribuntur de variis seruitutum generibus. & Apostolus 1 Cor.7. *Seruus vocatus es? non sit tibi curæ.* Vnde constat, etiam Christianos posse esse seruos, non solùm gentilium, sed etiam Christianorum; de quo vide Gratianum dist. 54. vbi habet multa decreta de seruis Christianis.

56 Dices, Seruitus est contra naturam; ergo. Respondeo, Non est ita contra naturam vt sit contra rectam rationem vel præceptum naturale; sed dicitur esse contra naturam, quia est contra primæ-

Seruitus quo modo contra naturam.

uam naturæ conditionem, secundùm quam cùm omnes essent recti & sine peccato, iniquum fuisset si alter alterum seruituti subiecisset. nunc autem, supposito peccato, est secundùm rationem: sicut vti pharmacis, & cruciatibus afficere homines, est contra primam naturæ constitutionem; non autem est contra rationem, supposito morbo vel peccato. docet hoc D. August. lib 19. de Ciuit.cap.15. *Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori. condicio quippe seruitutis, iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret. nomen itaque istud culpa meruit, non natura,* &c.

DVBITATIO X.

Vtrùm homo sit dominus vitæ suæ & membrorum.

57 REsp.& Dico Primò, Hominem non esse dominum, sed solùm custodem vitæ suę membrorumque, & quasi vsuarium: dominium verò horum esse apud solum Deum. Ita passim DD. D.Thom. q.64 a.1. Caietan. in Summa, verbo Homicidium. Victoria relect. de homicidio n.21. Sotus lib.4.de Iustitia, q.2.a.3.

Homo vitæ vsuarius eam tenens precariò.

Probatur ex Scriptura, Deuter.32.vbi insinuatur diuinæ potestatis esse, posse occidere, & vitam concedere. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam.* i. habeo ius & potestatẽ occidendi. Sapientiæ 16. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Idem docuerunt non solùm Doctores Christiani, sed etiam Philosophi. Cicero de Senectute refert Pythagoram dixisse, *Nemini fas esse iniussu Imperatoris summi Dei, de præsidio & statione vitæ discedere.* Eadẽ est sententia Aristot.l.5.Eth.c.10.

Cur homo non sit vitæ suæ dominus.

Ratio est, Primò, quia dominium non est nisi in res eas, quas nostra industria nobis possumus adsciscere: has enim sicuti possumus acquirere, ita etiam relinquere: atqui vitam nemo sua industria potest acquirere. Secundò, quia vita est fundamentum omnis dominij humani: antequam enim vitam accipiat, nullius dominij est capax, quia non est: ergo par non est vt ipsa sub dominium cadat: sicut fundamentum omnium accidentium non potest esse quid accidentarium. Tertiò, quia dominium non est nisi in res distinctas: vita autem & membra non sunt quid distinctum à nobis, sed pars nostri vel substantia.

58 Dico Secundò, Neque Princeps, neque etiam Respublica est dominus vitæ suorũ subditorum, vel seruorum. Sequitur ex dictis, & Confir. Primò, Exodi 21. *Qui percusserit virga seruum vel ancillam, & in manibus eius mortui fuerint, criminis reus erit:* nempe homicidij. Secundò, Proprium veri dominij est, rem pro arbitratu suo posse perimere, etiã voluptatis causâ: atqui solus Deus pro arbitrio potest interficere etiam innocentes, non autem Respub. ergo Respub. non habet dominiũ in vitã hominis. Tertiò, Nemo est dominus suorum membrorum, sed solùm custos, & gubernator, vt ostensum est: atqui quisque priuatus se habet ad Rempub. vt membrum & pars, ex qua vnà cum aliis partibus ipsa veluti vnum corpus constat: ergo non habet dominium in priuatos.

Nec obstat quòd Principes possint interficere malefactores, & exponere subditorum vitam in bello: quia id faciunt non vt illorum domini: sed vt custodes tranquillitatis & boni publici: sicut homo vt custos vitæ suę resecat membrum putridum, & exponit partem pro salute totius.

DVBITATIO XI.

Vtrùm homo sit dominus suæ famæ, & honoris.

59 CAiet.infrà q.73.ar.2. negat. cùm enim fama sit bonum medium inter vitam & res externas, potiùs censet eam collocandam cum vita, cuius domini non sumus, quàm cum rebus externis, quarum domini sumus. Idem videtur sentire Siluester ver. Detractio q.3.

Homo famæ suæ dominus.

Sed dicendum est, hominem esse verè dominum famæ suæ, sicut rerum externarum. colligitur ex D.Th. infrà q.64.art.5. ad 3. vbi docet, *Hominem licitè posse disponere de seipso, quatum ad ea quæ pertinent ad hanc vitam; sed transitum de hac vita ad aliam non subiacere libero eius arbitrio.*

& cla-

& clariùs q.73.a.4.ad 1. vbi docet, *in cuiuſque arbitrio eſſe patr detrimentum ſuæ famæ, niſi hoc vergat in detrimentum aliorum.* Idem docet Sotus libro 4.de Iuſtitia q.2.a.3. & Adrian.in 4.quæſt.de reſtitutione, circa finem.Couar.l.2.variarum c.2. num.8.& alij recentiores.

Probatur Primò, quia homo famam & honorem, poſt vitam diuinitus acceptam, ſibi acquirit & auget, ſicut res ceteras: ergo eſt illius dominus vt ceterarum.

Secundò, Quia niſi eſſet dominus, non poſſet eius reſtitutionem condonare: (nemo enim condonare poteſt quod non eſt ſuum) atqui certum eſt poſſe condonare eius reſtitutionem. Nec obſtat (quod contra hanc rationem obiicit Adrian.) quòd poſſimus condonare mutilationē membri, cuius tamē non ſumus domini: quia ſi membrum poſſet reſtitui ſicut fama, non poſſemus condonare. quòd igitur condonamus,eſt ſatisfactio pro illata iniuria, & reſtitutio pecuniaria pro damno ſecuto:non autem propriè reſtitutio membri.

Poteſt homo interdū ſe infamare.

Tertiò, quia in multis caſibus poſſumus nos infamare.Primò,ad petendum conſilium.Secundò, ad noſtri humiliationem;ſicut latro ille apud Climacum Gradu 4. qui publicè grauiſſima crimina confeſſus eſt. Tertiò,ad vitandum peccatum ſuperbiæ vel aliud. Quartò,quando iniuſtè aliquem infamauimus, tenemur reſtituere ipſi famam, etiam cum noſtra infamia, ſi opus eſt; atqui ſi non eſſemus famæ domini, nihil horum liceret: ſicut non licet ſeipſum occidere,mutilare,vulnerare,ob horum finium aliquem.

Contrà obiicitur Primò, Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine*,&c.ergo non licet famam negligere.Reſp.Non licet eam negligere ſine iuſta ratione: hinc tamen non ſequitur, hominem non eſſe eius dominum: quia etiam pecuniæ ſine iuſta cauſa profundi non debent.

Obiicitur Secundò, D. Auguſt. lib. de Bono viduitatis cap. 22. dicit, *conſcientiam noſtram eſſe neceſſariam nobis, famam proximis, ac proinde crudelem eſſe qui famam negligit.*

60 *Tripliciter fama noſtra proximis neceſſaria.*

Reſp. Fama noſtra tripliciter poteſt eſſe proximis neceſſaria. Primò,quando ex noſtra fama ita pendet fama proximi, vt ex noſtra infamia illius infamia ſequatur: ſicuti ex infamia Monachi ſequitur infamia quædam monaſterij. Secundò, quando fama noſtra eſt neceſſaria vt proximo præſtemus officium ei ſtricto iure debitum, ſicut fama perſonæ publicæ,Epiſcopi, Parochi, Abbatis, neceſſaria eſt vt benè regat ſubditos. & in his duobus euentis, multorum iudicio contra Iuſtitiam peccat, qui ſe infamat: non quia præcisè ſeipſum fama priuat; ſed quia ex conſequenti proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel ſe reddendo ineptum ad ei impendendum debitum officium. Tertiò,quando non ex officio, ſed ſolùm ex charitate proximo prodeſſe tenemur, & per infamiam ad hoc reddimur inepti; tunc ſolùm contra charitatem peccat,qui ſe infamat: ſicut contra charitatem peccat, qui pecuniam, qua pauperibus prodeſſe poterat, abiicit. Hæc de dominio vitæ & famæ; cetera dicentur infrà cap.9. de Homicidio. & cap.11. de Detractione.

CAPVT QVINTVM.

De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes ſunt: vbi de mancipiis, venatione, piſcatione,aucupio,theſauris.

Conſtat Dubitationibus 18.

DVBITATIO PRIMA.

Quomodo facta ſit prima rerum diuiſio ſeu diſtinctio dominiorum.

1 *Occupatio. Sortitio.*

RESPONDEO, Hæc diſtinctio facta eſt partim *occupatione*, partim *ſortitione*. hi enim ſunt primi modi acquirendi dominij. Nam poſteri Adæ in hunc mundum veluti in ampliſſimam domum opibus refertam venientes, vt quiſque prior aliquid occupaſſet,ita quoque dominus illius efficiebatur.quòd ſi dubium erat vter prior occupaſſet, vel ſi ante occupationem plures ad idem aſpirabant, ſorte decidebatur. Similiter poſt diluuium, filij Noë alij aliam terræ partem, maximè poſt linguarum confuſionem occupauere;vel ſorte diuiſere; vt patet Geneſ.10.& 11. Deinde creſcente genere humano, illæ partes multipliciter rurſus, & propè in infinitum ſectæ, diuiſæ & diſtractæ ſunt.

DVBITATIO II.

Vtrùm hæc diuiſio dominiorum licita fuerit,& commoda humano generi.

D. Thom. quæſt. 66. art. 1. 2.

2 RESP. Poſt peccatum hæc dominiorum diuiſio non ſolùm fuit licita, ſed etiam ſalutaris generi humano:

Quòd licita fuerit,eſt certò tenendum.Nam ex multis Scripturæ locis conſtat, licitè aliquid tamquam proprium poſſideri: & contrarium eſt hæreſis quorumdam, qui vocati ſunt Apoſtolici, vt refert D.Aug.hæreſi 40. & Epiphanius hæreſi 61. *qui aſſerebant hominē non poſſe ſaluari, niſi viueret*

Apostolici & Pelagius fas non esse possidere proprii.

instar Apostolorum, nudus ab omni diuitiarum proprietate. Idem docuit Pelagius, vt colligitur ex Augustino epist. 106. quæ est ad Paulinum.

3 *Fuisse vtilem diuisionem rerum.*

Quòd etiam *commoda generi humano*, Probatur Primò, Si possessiones mansissent communes, relictæ fuissent incultæ; tum quia homines facilè negligunt communia, tamquam parum ad se pertinentia; maximè autem curant propria, iuxta illud Aristotelis, *Amabile bonum, cuique autem proprium:* tum quia quisque fugit labores, præsertim abiectos & graues, (quales sunt in agricultura & rebus mechanicis) sectaturque otium & dignitatem. quamobrem quisque alteri talium rerum curam & procurationem reliquisset.

Maior esset perturbatio si res mansissent communes.

Secundò, Si mansissent communes, mundus arderet perpetuis contentionibus & bellis: quia plerumque plures concurrerent ad eamdem rem occupandam, qui se mutuò conarentur impedire: & potentiores plerumque omnia raperent. nec *meum* & *tuum* (quæ dicuntur esse potissima causa dissensionum) tunc minùs fuissent quàm modò: quisque enim conatus fuisset rem communem, dum ea vtendum esset, facere suam; sicque assiduò rixæ & pugnæ inter homines extitissent. his incommodis per diuisionem vtcumque occursum est: multò enim pauciores & rariores sunt nunc occasiones, quàm tunc fuissent: (vnde Genes. 13. cùm essent iurgia coorta inter familiam Abrahæ & Lot communiter pascentes, diuisione regionis conciliati sunt) quamuis ob hominum prauitatem non omnia incommoda vitari potuerint. Denique idipsum Aristoteles lumine naturæ ductus docuit lib. 2. Polit. c. 2. & 3.

Obiectiones.

Obiicitur Primò, *Iure naturæ omnia sunt communia*, vt habetur cap. Ius naturale, d. 1. ergo etiam post peccatum omnia debent esse communia.

Sententia Scoti.

Respondent quidam, in statu innocentiæ *omnia* Iure naturæ debuisse esse communia, sed hoc ius post lapsum esse reuocatum, & ideò potuisse fieri diuisionem. Colligitur ex Scoto in 4. d. 15. q. 2. a. 1. conclus. 1. & 2. Sed contrà Primò, quia etsi communitas rerum valdè fuerit consona statui innocentiæ; nullo tamen præcepto diuino vel naturali vetabantur inducere diuisionem: quia Deus res istas inferiores hominum dispositioni subiecit, & ex hac diuisione nihil incommodi secutum fuisset. nam singulis relictũ fuisset quod abundè sufficeret: & quinis cum altero libentissimè ex rebus suis communicassent. Secundò, non rectè dicitur

In statu innocentiæ cõmunitas rerum non fuit præcepta.

Ius naturæ non potest abrogari.

Ius naturæ abrogatum: tum quia est immutabile & perpetuum, vtpote immutabilem rectitudinem continens: tum quia Ius non dicitur reuocari ex eo quòd cesset eius obligatio in aliquo ratione alicuius circumstantiæ mutatæ: (alioquin Ius naturale, quo teneor opitulari in extrema necessitate constituto, reuocaretur eo ipso quo cessat illa necessitas, quod est absurdum; semper enim manet illud ius & illud dictamen, etiamsi defectu materiæ hîc & nunc non me obliget actu) sed quia cessat voluntate legislatoris, qui manentibus iisdem circumstantiis materiæ, potest illud tollere. hoc enim interest inter Ius naturale & positiuũ, quòd Ius naturale semper vim habeat, manentibus iisdem circumstantijs materiæ; Ius positiuum possit tolli, etiamsi nulla mutatio fiat circa materiam.

4 Respondeo igitur, non fuisse aliquod præceptum naturale iubens rerum communitatem & vetans diuisionem: sed omnia dicuntur *Iure naturæ communia*, partim negatiuè, quia *Ius naturæ* diuisionem non fecit, aut præcepit: partim positiuè, quia omnibus potestatem fecit vtendi quauis re, & dominij capiendi, priusquam ab aliquo sit occupata, quod Ius etiamnum durat.

Quo modo omnia dicantur Iure naturæ communia.

Obijcitur 2. Cap. Dilectissimis, 12. q. 1. dicit Clemens I. *Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud, & sic inter mortales facta est diuisio.* Respondeo, omissis variis expositionibus, sensum esse, per iniquitatem hominum fuisse occasionem datam cur recta ratio dictarit esse faciendam diuisionem, cùm ante iniquitatem omnia essent communia. Canon enim iste acceptus est ex epistola 5. S. Clementis, qua hortatur Fideles, qui erant Ierosolymis, ad vitam communem, ex eo quòd sit consentanea statui innocentiæ, vbi non erat *meum* & *tuum*; rerum autem diuisio orta sit occasione peccati. 5

Obijcitur Tertiò, Patres dicunt neminem debere dicere, *Hoc est meum, hoc est proprium; eò quòd omnia sint communia:* ita Ambros. in cap. 12. Lucæ, Chrysost. Hom. 10. in Epist. 1. ad Corinth. in morali. & Orat. in S. Philogonium, &c. Respondeo, Tantùm volunt, neminem ita sibi rem aliquam debere vindicare, quin paratus sit eam, quando necesse erit, cum altero communicare; eò quòd in necessitate omnia sint communia. de quo plura suprà, de eleëmosyna. q. 32. 6

Dvbitatio iii.

Quo Jure facta sit hæc diuisio.

Non Iure diuino facta est.

Resp. & Dico Primò, non esse factam Iure diuino. Deus enim neq; fecit diuisionem illam primam, neque eam præcepit fieri. Dedit quidem Israëlitis spolia Ægyptiorum, & regna Chanaitarum; hoc tamen factum est præter vsitatum morem. Denique Deus nusquam in Scripturis reuelauit hanc diuisionem esse faciendam. 7

Nec Iure naturæ.

Dico Secundò, non est etiam facta propriè Iure naturali. Probatur, quia Ius naturæ neque fecit hanc diuisionem, cùm omnia reliquerit communia; neque etiam præcepit eam fieri, neque natura secundum se ad eam inclinat: non enim illam quærit, nisi in vita ciuili, vbi viuendum cum aliis, & suppositis incommodis ex hominum prauitate prouenientibus. Hac ratione matrimonium dicitur esse Iuris naturæ; nimirum quia natura secundùm se, id est, extra vitam politicam, & sepositis externis incommodis cælibatus, ad illud inclinat: non sic ad rerum diuisionem. 8

Tripliciter potest aliquid dici Iuris naturæ.

Quomodo dicatur facta Iure gentium.

Dico Tertiò, Hæc diuisio facta est Iure gentium, vt habetur d. 1. cap. *Jus gentium est sedium occupatio.* & 7. de Iustitia & Iure. L. *Ex hoc iure dominia distincta*, &c. Hoc tamen non est ita intelligendũ, quasi sit aliquod præceptum apud omnes, sed quia commune omnium iudicium est, diuisionem rerum expedire tum ad pacem, tum ad meliorem rerum administrationem; idque spectata mortalium conditione, quæ sui est amans, & alieni negligens; quæ cupiditati & ambitioni miserè est subiecta. Itaque hoc *Jus gentium* nihil est aliud quàm commune hominum iudicium, & gentium consensus: vel est concessio & ius ex communi iudicio & consensu proueniens. Et quia hæc vitia plerumque in genere humano regnant apud omnes nationes; ideò expedientissimum fuit apud omnes 9

Quid intelligitur per Ius gentium.

fieri

fieri diuisionem. Vnde sequitur, si in aliquo cœtu, dono supernaturali hæc vitia possint tolli, vel comprimi vt non dominentur, Ius gentium ibidem non postulare, aut magis expedientem censere rerum diuisionē, sed potiùs earumdem communitatem, qualis erat in statu innocētiæ: præsertim cùm multa alia ex hac sequantur commoda; temperantia, modestia, tranquillitas animi, vacuitas sollicitudinis rerum temporalium, mentis ad res diuinas & ad studium sapientiæ expeditio: hoc modo Fideles, Ecclesiæ primordio omnia habuere communia, maximè Ierosolymis & Alexandriæ. Idem seruatur, & quidem perfectiùs, in Monasteriis & cœtibus Religiosorum; qui cùm ex multitudine sint selecti, & toti rebus diuinis mancipati, faciliùs illa vitia, quæ diuisionem rerum postulant, deuitare queunt. quare meritò inter eos, vt omnia sint communia, statuitur.

Communitas rerum vbi sit expediens.

Obiectiones.

Obijcitur Primò, Instit. de rerum diuisione. §. Feræ, dicitur, *Id quod antè nullius est, naturali ratione conceditur occupanti.* ergo diuisio est facta

10 Iure naturali. Respondeo 1. *Ius gentium* interdum vocari *Ius naturale*, vt dicitur §. precedenti eodem tit. 2. aliud est res esse diuidendas, aliud rem fieri occupantis. quòd enim res, quæ nullius est (præsertim fera vel gemma, cuius possessio alteri non adfert incommodum) fiat occupantis, est Iuris naturæ. nam etiam in statu innocentiæ locum habuisset. quòd verò facienda sit rerum diuisio, est Iuris gentium.

Dicitur aliquando Ius naturale.

Obijcitur Secundò, Furtum est contra Ius naturæ: ergo dominium rei competit alteri Iure naturæ. Resp. negando consequentiam, quia Ius naturale dictat nihil alteri inuito auferendum, quocumque iure illi id competat. Sicut etiam iubet Superiori obediendum, etiamsi illa potestas ei nisi Iure humano non competat.

11 Obijcitur Tertiò, Id est Iuris naturæ, quod ratio naturalis dictat omnino necessarium ad pacem generis humani: sed diuisio rerum est huiusmodi: ergo est Iuris naturæ. Resp. 1. Concedi posse illam hac ratione esse Iuris naturæ; quamuis alio modo negetur esse Iuris naturæ. 2. Naturalis ratio non dictat id esse omnino necessarium: posset enim in singulis communitatibus institui politia, secundùm quam pænè omnia manerēt communia: vt fit apud Anabaptistas in Morauia. excipe tamen vxores, quas illi fœdè nimis contra omnia Iura communes faciunt.

Obijcitur Quartò, *Quod hæc villa sit mea, & illa tua, est ex iure Imperatorum,* vt inquit Augustinus tractatu 6. in Ioannem; ergo non Iure gentium. Respondeo, Diuisio rerum in genere est Iuris gentium, non autem huius vel illius rei variis personis particularibus facta attributio. Hæc enim prouenit vel ex prima occupatione, vel ex variis contractibus, aliisve modis Iure ciuili approbatis.

DVBITATIO IV.

Quibus modis acquiratur dominium in homines seu mancipia.

12 Resp. Quatuor modis seu titulis, *Iure belli, natiuitate, iusta condemnatione, & emptione*; vt rectè docet Siluester verbo Seruitus q. 3.

Primus Titulus est *Ius belli.* 1. in bellis seruari consuetum, & communi gentium consuetudine receptum; quo non quidem præcipitur, sed datur potestas ei, qui aliquem in bello iusto capit, vt vindicet illum sibi in seruum. vt patet L. Hostes. ff. de captiuis. cuius Iuris institutio profecta est ex naturali quadam commiseratione; ne capti occiderentur, (cùm tamen meritò possent occidi) sed seruarentur, morte in seruitutem commutata. vnde & *serui* dicti sunt. Instit. de Iure personarum. Extenditur hoc Ius etiam ad paruulos hostium & innocentes; qui etsi non peccarint, tamen seruituti possunt addici tamquam hostilis Reipub. membra, quæ vti commodis, ita & incommodis sui corporis participant, in bonis præsertim externis. Vnde cùm in his etiam censeatur libertas, hac spoliari possunt. accedit quòd hac ratione etiam parentes, qui deliquerunt, in suis puniantur. sed de his plura 2. 2. quæstione 40. Apud Christianos tamen consuetudine introductum vt Christiani capti à Christianis non fiant serui; idque in honorem libertatis, quam per Christum sumus consecuti. si tamen bellum iniustum gerant contra infideles & capiantur, fiunt eorum serui Iure gentium. Vide Couar. in reg. Peccatum 2. p. §. 11. num. 6.

Vnde seruitus iure belli.

Innocentes in seruitutem rapi possunt.

Aduerte tamen, eum, qui in bello ex parte sua iusto capitur, non contrahere veram seruitutem. quòd si vtrimq; iustitia belli sit ambigua ob probabile Ius vtriusque partis, capti vtrimque fiunt serui; vt rectè Couar. ex lege supradicta. vbi tamen constare cœperit vtri parti faueat iustitia, tunc ea pars, quæ iniustè cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere.

Secundus Titulus est *Natiuitas:* ratione cuius 13 efficitur seruus, qui ex ancilla natus est: *nam partus sequitur ventrem*, L. Partum. Cod. de rei vindicatione. idque meritò, quia mater est certior: & plus confert materiæ corpulentæ quàm pater: seruitus autem secundùm corpus conuenit.

Notandum tamen, si mater fuit libera quando concepit, aut in partu, aut tempore aliquo medio inter conceptum & partum (etsi vel ad momentū) proles Iure Cæsareo non contrahit seruitutem; vt expressè habemus Institut. de Ingenuis. §. Sed & si quis. Ratio est; quia hoc ipso momento, quo mater efficitur libera, etiam proles libertati est restituta. vnde calamitas matri superueniens, non debet nocere proli libertatem assecutæ, præsertim cùm causa libertatis sit maximè fauorabilis.

Proles quando non contrahat seruitutem.

Vbi tamen nulla est lex vel consuetudo disponens de seruitute prolis, sufficit vt mater in partu sit ancilla: quia proles in partu est fructus ancillæ, non liberæ. Ita seruari dicitur apud plerasque gentes, quæ Iure communi Cæsareo non vtuntur.

Tertius Titulus est *Iusta condemnatio*, qua quis 14 fit seruus, si ad hoc propter crimen à legitimo Iudice condemnetur. Sicut enim potest quis morte damnari; ita etiam seruitute, quæ mors est ciuilis. Sic qui deferunt arma vel alia prohibita ad Turcas vel Saracenos, fiunt serui Christianorum eos capientium. c. Ita quorumdam, 6. tit. de Iudæis & Saracenis. Raptor puellæ in seruitutem deditur. 36. quæst. 1. cap. De raptoribus. Femina quę sciens contraxerit matrimonium cum eo, qui sacro Ordine initiatus est, potest à Principe in seruitutem rapi. cap. Eos qui. d. 32. filij autem ex tali coniugio

Pœna seruitutis.

suscepti efficiuntur serui Ecclesiæ, cui parens inscriptus erat, 15.q.8.c. Cùm multæ. Quæ omnia intellige post sententiam Iudicis: ante enim illam pœna seruitutis legibus statuta non incurritur. Vide Silu. suprà q.3.

15 Quartus Titulus est *emptionis & venditionis.* loquor de illa emptione, qua quis primò fit seruus ex libero; vt quando quis vel seipsum vendit, vel à parentibus venditur.

Potest quis seipsum vendere. Quòd autem homo liber possit seipsum vendere, probatur: quia est dominus suæ libertatis, sicut famæ & pecuniæ: ergo eam potest liberè abdicare. quod Confirmatur exemplo tum S. Paulini, qui se vendi in seruum voluit, vt filium viduæ redimeret: tum eorum, qui Religionem ingrediuntur, qui non solùm bona externa, sed etiam Libertatem suam abdicant propter Christum: quamuis hi non efficiantur serui; eò quòd hoc non faciant in commodum Prælati temporale, sed suum spirituale. Idem apertè colligitur Exodi 21.& Deut.15. vbi conceditur Hebræo, vt se sponte possit alteri in perpetuum seruum tradere.

Vnde patet, Iure naturæ hominem liberũ posse suam libertatem vendere vel donare. vt tamen id fiat sine peccato, debet adesse iusta aliqua causa: alioquin esset profusio libertatis, quæ bonis fortunæ & famæ est præstantior.

16 *Conditiones, vt venditio Iure Cæsareo sit rata.* Aduerte tamen, Iure communi, in fauorem libertatis requiri 6. conditiones vt hæc venditio sit rata. 1. Vt is qui se patitur vendi, sit maior viginti annis. 2. Vt intendat esse particeps pretij. 3. Vt reipsa sit particeps. 4. Vt emptor credat ipsum esse seruum. Vnde non permittit Ius vt quis seipsum per se vendat, sed vt id per alium fiat. 5. Vt sciat se esse liberum ante venditionem. 6. Vt venditor sciat ipsum esse liberum. His omnibus conditionibus simul concurrentibus, venditio est valida: si vel vna desit, Iure communi est irrita. Vide Sil. verbo Seruitus q.3. vbi tamen Iure Cæsareo non vtuntur, potest quis seipsum liberè vendere, nulla habita ratione istarum conditionum.

17 *Potest & parens filium.* Quòd verò etiam parentes possint Iure naturæ vendere proles non emancipatas, colligitur Exodi 21.v.7. Ratio est; quia proles est veluti pars & fructus parentis, trahens ab ipso esse & vitã. vnde parens ius habet ex illa percipiendi ea emolumenta quæ ipsa de se, si sui iuris esset, percipere posset. atqui ipsa si esset sui iuris, posset se vendere: ergo, &c.

Cõditiones requisitæ vt parens possit vendere filium. Ius tamen ciuile requirit certas conditiones, vt patet L.2.C. de patribus qui filios distraxerunt. Primò, vt id fiat *per nimium paupertatem & victus causa*, vt illa lex ait. quòd si ob aliam causam pretio filij egeat, v. g. ad se redimendum à morte vel seruitute, vel perpetua captiuitate, non poterit filium vendere, nec obsidem dare, vt docet Couar. l.3.variar.c.14.n.4. ex Accursio, Dyno, & Alciato; quia lex illa 2. id tantùm concedit *victus causa*. Si tamen nudum Ius naturæ spectemus, poterit ob quamuis grauem necessitatem. Secundò, vt soli patri hoc liceat: tamen Iure naturæ etiam licitum matri. Tertiò, vt solùm possit vendere filium nondum emancipatum. qui enim sui Iuris est effectus, non subest amplius patriæ potestati. Quartò, vt filius ita venditus possit recuperare libertatem, soluto pretio, vel oblato alio mancipio, perinde ac si numquam fuisset seruus; ita habetur L.2. suprà. Vide Couar. loco citato.

Dvbitatio v.

Vtrùm serui ita transeant in dominorum potestatem, vt non possint fugere.

18 Respondeo, & Dico Primò, Certum est posse fugere si non sint iustè in seruitutem tracti; nec solùm fugere, sed etiam vi repellere impedientes, & surripere à suis dominis quantum satis ad compensationem iniuriæ, & operæ præstitæ; imò quantum possunt, si adhuc duret bellum quod ex parte capientium sit iniustum. quia tunc possunt hoc modo nocere hosti, ex tacito Principis iustum bellum gerentis consensu, vt rectè notat Molina. Sic Christiani à Turcis capti possunt eos spoliare & fugam capessere. *Iniustè addicti seruituti.*

19 Dico Secundò, Si à domino incitentur ad aliquod peccatum, qui rogatus nolit desistere; vel si inhumaniter tractentur, fugere possunt. Prior pars constat; quia non tenentur cum periculo animæ suæ (ob quod etiam maximè coniuncti deserendi, iuxta illud, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proyce abs te*) domino suo seruire. *Quando serui possunt fugere.*

Altera probatur; quia inhumaniter tractando (vt si fame siti, frigore, verberibus sine causa affligat) facit eis iniuriam, à qua se possunt eripere per fugam, cùm alia ratio non suppetit. Cessantibus tamen his causis tenentur reuerti, si in posterum non est periculum: sicut coniunx, quæ ob similem causam toro maritali se subduxit. Nisi fortè iniuria tanta fuerit, vt meritò Libertate sit compensanda.

20 Dico Tertiò, Si dominus sit Iudæus aut Paganus, iurisdictioni Principis Christiani subiectus; vel si sit hæreticus; seruus Christianus hoc ipso fit liber, ac proinde potest dominum deserere.

Probatur L. Deo nobis. 56. C. de Episcopis & Clericis. vbi Iustinianus ait: *His ita dispositis, repetita lege iubemus, vt nullus Iudæus vel Paganus vel hæreticus seruos Christianos habeat; quòd si inuenti in tali reatu fuerint, sancimus seruos omnibus modis liberos esse, secundum antiquiorem nostrarum legum tenorem.* Idem colligitur ex c.vlt.de hæreticis, & c.2.& vlt.de Iudæis & Saracenis.

Adde, seruos infideles istorum posse etiam fugere ad Ecclesiam vt fiant Christiani, & factos Christianos statim esse liberos; vt habetur dicta L. Deo nobis. suprà.

21 Dico Quartò, Qui à se vel à parentibus legitimè sunt venditi, fugere non possunt.

Ratio est, quia cùm sint facti serui per legitimum contractum, in quem ipsi vel parentes eorum loco iustè consenserunt, tenentur contractu stare, nec possunt illum violare absque iniustitia; sicut nec alias venditiones.

22 Dico Quintò, Qui in pœnam criminum iustè ad seruitutem sunt condemnati, non videntur posse fugere. est communis ferè DD. sententia.

Ratio est, quia reus tenetur exequi iustam sententiam, si pœna talis sit vt non possit nisi per reum executioni mandari. atqui seruitus est talis pœna. ergo. sed de hoc plura infrà. nam si seruitus illa sit valdè calamitosa, probabile est fugere posse oblata commoda occasione. contrarium enim est nimis durum & superans humanam conditionem, præsertim talium hominum.

Dico

Dico Sextò, Proles eamdem conditionem subit quam mater. Vnde si mater se vendidit, vel à parentibus iustè vendita est, vel ob crimen seruituti addicta, proles non potest fugere.

23 Hinc sequitur, eum, qui huiusmodi seruis consilium vel auxilium ad fugam præbet, peccare, & ad restitutionem teneri totius damni inde secuti. vt si fugit & abstulit simul 100. aureos, is qui fugam suasit, tenetur domino restituere non solùm pretium serui, sed etiam damni, quod fugiens intulit; quia totius damni causa censetur, vt rectè notauit Nauar. c. 17. n. 103.

24 Dico Septimò, Serui bello capti licitè possunt fugere ad suos; non possunt tamen dominis persequentibus vi resistere. Est contra Nauar. c. 17. n. 103. & multos alios. sed ita sentiunt D. Soto lib. 4. de Iustitia, q. 2. ar. 2. Bannes 2. 2. q. 40. ar. 1. dub. 13. Couar. ad regulam Peccatum, 2. p. §. 11. n. 6. & l. 1. variar. c. 2. n. 10 & aliqui alij.

Serui bello capti fugere possunt.

Probatur priõr pars §. Item ea. Instit. de rerum diuisione: vbi de seruis bello captis sic dicitur: *Qui tamen si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt.* Idem insinuatur L. Nihil 26. ff. de captiuis & postliminiò reuersis. *Nihil interest*, inquit, *quomodo captiuus reuersus sit, vtrùm dimissus, an vi vel fallacia potestatem hostium euaserit; ita tamen, si ea mente venerit vt non illò reuerteretur.*

Probatur Secundò ratione, Primò, quia cùm hæc seruitus communi consensu gentium sit introducta, non debet eius conditio magis onerari quàm consuetudine totius orbis sit receptum. atqui consuetudo habet vt tales serui sine conscientiæ scrupulo possint ad suos fugere. neq; hoc censetur illicitum, nisi fortè dedissent fidem de non fugiendo, & ea lege vita eis esset condonata; tunc enim tenentur stare promissis. Secundò, quia hæc seruitus ceteris est nobilior, minusque probrosa: vnde etiã in viros nobiles cadere potest. ergo non est cogenda in eas angustias, in quas aliæ seruitutes. Tertiò, Si non possent fugere, beneficium illud legum, quo cõceditur libertas in termino, esset inutile; quia non possent illud consequi nisi per peccatum: vnde esset illecebra ad peccandum.

Dixi, *posse fugere ad suos*; quia non licet eis fugere ad euagandum extra potestatem dominorum: sed solùm animo contendendi ad suos. hæc enim sola fuga iure & consuetudine seruis concessa est, vt per eam possint libertatem in termino recuperare: nẽpe cùm ad suos, vel ad amicam ciuitatem, vbi publico nomine tuti sint, peruenerint: vt habetur L. Postliminiò. 17. ff. de captiuis. quòd si in via intercipiantur, possunt reduci: quia antequam perueniant ad suos, non recuperant libertatem. Postquam autem peruenerint, ita sunt liberi, vt etiamsi redeant causa mercaturæ, vel simili, non possint à priori domino retrahi in seruitutem. Si autem fugiant non animo redeundi ad suos, peccant, & tenentur redire, vt rectè Couarr. suprà. quia priuant dominum vsu sui, dum adhuc continentur sub eiusdem dominio; nec sunt in via subtrahendi se ab eo per fugam Iure permissam.

Quousque fuga sit illis concessa.

Non possunt fugere animo vagandi.

25 Altera pars, *quod dominis persequentibus vi resistere non possint*, Probatur; nam domini habent ius illos intercipiendi & detinendi quamdiu ad suos non peruenerint; alioqui inutilis esset seruitus. quare cùm non possit esse bellum vtrimque iustum, non possunt se vi tueri. Simile est in reo, qui etsi fugere possit, non tamen ministris Iustitiæ persequentibus resistere.

Ex his sequitur Primò, Licitum esse cooperari huiusmodi seruo ad fugam; modò scandalum & aliæ indebitæ circumstantiæ absint. Secundò, Idem esse iudicium de prole; quia non est deterioris conditionis suo parente. Tertiò, Idem ius permanere, etiamsi decies quis vendatur. nam iure belli seruus censetur, cuius primæua seruitus sic est constituta, etiamsi decies vænierit.

Potest quis cooperari ad fugam.

Obiicitur Primò à Nauarr. cap. Si quis seruum 17. q. 4. vbi Concilium Gangrense sub anathemate prohibet *ne quis alieno seruo suadeat ministerium domini sui destituere.* Idem prohibetur cap. sequenti, quod est Concilij Romani sub Martino 1. & confirmatur L. 1. C. de seruis fugitiuis. vbi dicitur *fugitiuus seruus furtum sui facere domino.* Et L. 3. si in fuga deprehendatur, grauis ei pœna decernitur, nempe pedis amputatio, vel damnatio ad metalla. 26

Obiectiones.

Resp. Illis canonibus solùm prohiberi, ne quis prætextu religionis seu libertatis Christianæ doceat seruum contemnere dominum suum, & deserere eius ministerium; vnde nihil ad nostrum propositum. Ad Confirmationem; lex prima loquitur de eo qui fugit ad alium dominum. lex autem tertia loquitur indistinctè de seruis, qui fugiunt ad barbaros, hostes Romani Imperij; vnde excipi debent illi, qui fugiunt ad suum populum, vt colligitur ex aliis Iuribus allatis.

Obiicitur Secundò, Qui damnatus est exilio ad certum locum, non potest ex eo loco fugere: ergo cùm seruus Iure gentium damnatus sit seruitute, non potest fugere.

Resp. Negando conseq. quia hi serui non damnantur vt malefactores in iudicio, sed nobiliori quodã modo, & minùs ignominiosa seruitute, cui ex more gentium hoc priuilegium est relictum.

Obiicitur 3. Serui à dominis solent grauiter puniri si contingat eos fugere, & à fuga retrahi. ergo non licet eis fugere: quia alioqui iniustè punirentur. Resp. Primo, Fortè illos dominos sequi alteram sententiam, quæ censet fugam esse illicitam, quæ etiam est probabilis, etsi nostra sit probabilior. Secũdò, Probabile est, etiamsi dominus putet fugam licitam, nihilominùs seruum posse castigari; non quòd peccauerit, sed quia priuilegium fugiendi videtur illi cum hoc onere concessum in gratiam domini; sicuti custodia publica inclusi licitè fugiunt, vt infrà dicetur; & tamen deprehensi puniuntur, L. 1. ff. de effractor. & alibi. quod magis locum habere potest in seruis: quia cùm caperentur in bello, poterant iustè occidi: sed mors illis ita commutatur in seruitutem, vt si fugiant, nolentes in ea persistere, prior pœna ex parte possit reuocari, irrogato graui supplicio. 27

Quo modo iuste possint plecti si fugerint.

Dvbitatio vi.

Quæ animalia licitè occupentur venatione, piscatione, aucupio.

28 NOtandum est, animalium quædam naturali indole esse mansueta, vt sunt oues, boues, equi, sues, gallinæ domesticæ, anates domesticæ, & similes: alia esse fera seu siluestria: & horum alia vsu sunt mansuefacta, vt cuniculi, cerui, quos domi

domi nutrimus, pauones, columbæ domesticæ: alia retinent indolem siluestrem.

Mansueta restituēda. Nunc Resp. & Dico Primò, Animalia naturâ mansueta & domestica, etiamsi dominorum potestatem longiùs euaserint, non licet capere. patet §. Gallinarum, Instit de rerum diuisione, vbi dicitur *furtum committere qui hæc animalia cum effugerint, detinet.* Ratio est; quia hæc, licet fugerint, non tamen ideò recuperant libertatem; cùm naturali sua indole sint domestica; vnde adhuc manent in dominio prioris domini. quare vbicumq; hæc inuenta fuerint oberrantia, dominis sunt restituenda. Imò etiam si capta à lupo vel à vulpe fuerint; qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuerit.

Dico Secundò, Animalia fera seu siluestria vsu mansuefacta, quę consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in potestatem domini, non licet occupare. Instit. suprà §. Pauonum. Vnde qui in suo columbario appositis illecebris, aliorum columbas eò traducit, tenetur ad restitutionem: secùs si id sine fraude accidat, v.g. quia meliùs eas alit, vel commodiorem stationem aptauit. consuetudo tamen est consideranda. nam quibusdam locis dicitur esse moris vt omni arte alienas columbas liceat accersere.

29 *Columbaria permissa.* Dubitant Doctores, an columbaria sint licita. Sed dicendū est, ordinariè licita esse, nisi lege aliqua sint prohibita. Ita Nauar. c. 17. n. 126. Caiet. ver. Columbarium. Sil. Restitutio 3. q. 4. Sotus lib. 4. q. 6. a. 4. Molina disp. 48. Primò, quia passim est consuetudo. Secundò, quia non sentitur ordinariè damnum notabile: non enim minùs vescuntur seminibus prauis, quæ fata suffocant & strangulant, vt lolio, melanthio, orobanche, quàm bonis: vnde Astensis dicit quosdam tenere tantum prodesse quantum nocent. Tertiò, quia potissimùm vescuntur granis prolapsis è spica, nec scalpendo detegunt semina terræ mandata; vt ferunt harum rerum curiosi. Quartò, nisi haberētur columbaria, esset maior numerus siluestrium; quia pauciores caperentur, & ita magis nocerent satis. Deniq; quia cedunt in cibum Reipub. Curare tamen debent qui eas fouēt, vt pabulum in columbariis non desit, sic enim minùs nocere possunt.

30 Dico Tertiò, Si hæc animalia amittant consuetudinem redeundi, licet occupare, & fiunt occupantis, vt habemus expressè Instit. loco citato.

Fera vsu eicurata. Ratio est, quia tunc censentur se recepisse in naturalem libertatem, & non àmpliùs esse in potestate prioris domini. vnde columbæ tuæ si se aggregarint columbis alterius columbarij, & cōsuetudinem redeundi deseruerint, fiunt alterius. Dicuntur autem consuetudinem redeundi deseruisse, si bis tèrve tempore consueto non redeant, vt docet Nauar. c. 17. n. 128. & Sil. verbo Inuentum, q. 2. quod de columbis est verum; non tamen de ceruis & aliis, quæ interdum vagantur iuxta domum, & sponte non redeunt, tamen facilè patiuntur se reduci. Itaque prudentis arbitrio definiendum est quando censeantur consuetudinem redeundi deseruisse.

31 *Omnino fera.* Dico Quartò, Animalia omnino fera & siluestria, si potestatem domini euaserint, & in libertatem naturalem se vindicauerint, vbicumque reperta fuerint, licet prosequi & capere, & fiunt occupantis. Ratio est eadem quæ suprà, quia iam nullius sunt.

Vbi Aduerte, eum qui ceperit aliquod animal ferum seu siluestre, vt ceruum, leporem, perdicem, columbam, tamdiu censeri dominum, quādiu illud sua custodia coërcet. quod si eius custodiam euaserit, rursus fiet primò occupantis: vt si ceruus ex silua vel prato concluso euaserit. Dicuntur autem recuperasse naturalem libertatem, quando ita euaserunt, vt difficilè possint comprehendi. tunc enim sunt extra domini potestatem. quòd si facilè, nō censentur esse extra dominium.

Vnde patet, examen apum, cùm siluestris sit natu- 32
ræ, si ita euolet vt sit difficilis eius prosecutio, *Examen apum.*
posse à quolibet capi, etiamsi ex arbore tua dependeat. Sicut enim auis non ideò fit tua, quia in tua arbore nidificat; ita nec examen apum, quia ex tua arbore pendet, tuum est; potes tamen alium re adhuc integra prohibere ne fundum tuum ingrediatur, vel arborem conscendat, vt illum præuenias. quòd si in tuum alueare inuolet, tuum efficitur. Hæc omnia expressè habentur Instit. de rerum diuisione. & fusiùs in Pandectis L. 3. 4. 5. π. de acquirendo rerum dominio. & L. 3. §. Item feras. π. de acquirenda possessione. Vide etiam Nauar. c. 17. n. 128.

Aduertendum tamen, in his omnibus habendam esse rationem consuetudinis locorum & prouinciarum.

Dvbitatio vii.

Vtrùm Principes possint iustè prohibere venationem, piscationem & aucupium in locis publici iuris.

33 COuar. ad regulam Peccatum p. 2. §. 8. refert multos Doctores, qui tenent, Principes non posse id prohibere; eo quòd Iure naturæ vel gentium licitum sit animalia libera capere: quod Ius Princeps tollere non potest. Ita Hostiensis, Ioannes Andreas, Decius, Tiraquellus, Rebuffus, & plures alij, & Iason dicit hāc sententiam esse communem. Sed Couar. tenet contrarium; adductis pro se multis Iurisperitis, & conciliatis illis, qui aliter sentire videbantur. Idem ex Theologis tenent Caiet. tom. 1. opusc. tract. 17. cap. 12. & Ioannes Medina Cod. de Restit. q. 12. Sotus lib. 4. de Iustitia q. 6. a. 4. & alij passim. Pro qua sententia

34 Dico Primò, Principes possunt prohibere hanc venationem seu captionem animalium in locis publici iuris, ex consensu populi, siue gratis, siue per aliquem contractum præstito. Ratio est, quia populus potest cedere iure suo.

Dico Secundò, Possunt etiam eam prohibere, si iudicetur id necessarium ad Reipub. onera sustinenda; nempe vt inde confletur maxima vis pecuniæ, officio & administrationi Principis necessaria. Quo titulo quidam Principes reseruant sibi ius piscandi certa genera piscium; vt apud Hispanos reseruant sibi ius piscandi thynnos, vt inquit Couar. n. 10.

Sed difficultas est, Vtrùm ad solam recreationem possint sibi absque populi consensu tale ius reseruare?

35 *Princeps potest ad suam recreationem reseruare ius venādi.* Resp. & Dico Tertiò, Principes etiam ad solam recreationem possunt absque consensu populi ius venandi in quibusdam locis sibi reseruare. Ita Couar. Sotus, & Medina suprà.

Ratio

Ratio est, quia Princeps cùm laboret pro Repub. potest etiam aliqua loca communia suæ recreationi reseruare; præsertim cùm id etiam pertineat ad Principis dignitatem.

Non tamen vbique. Dico, *in quibusdam*; quia non potest populum ab omnibus locis publicis excludere, & sibi totam venationem reseruare; nisi fortè eam ob causam remittat aliquid de tributis sibi debitis, vel aliter compenset. Ratio est, quia est nimis inhumanum & tyrannidem sapiens (vt rectè docet Medina) tantummodò sui commodi & oblectationis gratia, vniuersum populum omni recreatione & vtilitate venationis, quæ iure naturali & gentium eis est concessa, priuare.

36 *Potest quibusdam concedere.* Notandum Primò, Posse Principem personis de Repub. benè meritis ius venandi vel piscandi in loco communi attribuere, ceteris exclusis; modò tamen id absque notabili communitatis incommodo fiat. Sic videmus quibusdam Monasteriis & Nobilibus varia priuilegia in hoc genere concessa.

Notandum Secundò, etiam consuetudine legitimè præscripta posse huiusmodi ius acquiri, tum Principi, tum alijs: vt docent Caiet. Medina, & Couar. suprà. Ratio est, quia consuetudo habet vim legis & priuilegij: & sicut alia iura præscriptione acquiri possunt, ita & istud. Videndum tamen ne huiusmodi consuetudo malo titulo vel tyrannicè sit vsurpata, vt monet Couar. n.10.

37 *Obligatur ad damna.* Notandum Tertiò, Principes qui sibi tale ius reseruant, obligari ad cauenda damna quæ feræ multiplicatæ possent agris vicinorum inferre; & si quæ inferant, teneri ipsos ad restitutionem. ita Couar. suprà n.10.ex Caietan. Estque communis DD. sententia. Ratio est, quia reseruatione istius iuris, & lege illa qua vetat venationem & ferarum peremptionem, dat causam damni quod per feras infertur. qui autè dat causam damni, ipsum quoq; damnum dedisse videtur; ac proinde tenetur sarcire. Neque satis est si dicant se velle sarcire damna quæ inferentur; sed etiam debent cauere quantum opus est ne inferantur; vt rectè notat Nauar. c.17. num.125. aliud enim peccatum est inferre damnum, aliud nolle compensare illatum. quamuis si verè paratus esset totum damnum absque mora compensare, & diligenter de eo subinde inquireret; non putarem peccare mortiferè: quia non inferret notabilem iniuriam. Verùm hoc in praxi rarum est. Excipiuntur tamen duo casus, quibus Princeps ad neutrum tenetur. Primus, Si consensu Reipub. & eorum qui possident agros vicinos, hoc ius haberet: quiuis enim potest cedere iure suo. Quo tamen casu dissimulare deberet cum eo qui feram segetes vastantem in agro suo perimeret. Vtitur enim ille iure naturalis defensionis, quo populus ille se priuare voluisse non censetur. Secundus, Si in terra hostili à se occupata tale ius in aliquo saltu instituat, antequam agri vicini diuidantur: tunc enim agri illi transeunt cum hoc onere seu seruitute ad suos possessores.

Duobus casuum non tenetur.

38 *Prohibens iniustè venationem.* Notandum Quartò, Eum, qui iniustè prohibet alium à venatione, piscatione, aucupio, teneri ad restitutionem probabilis lucri, quod ille deductis expensis & laboribus facturus erat, vt rectè notat Couar. num.11.& 12. Nauar. cap.17.n.120. non tamen ad restitutionem animalium, quæ capta non sunt: quia illa nondum fuerunt in potestate eius qui prohibitus est. Vnde etiam secundùm quosdam non tenetur Ecclesiæ compensare decimas, quas venatores de rebus captis in quibusdam locis soluere solent: (etsi Couar. contrà sentiat) quia decimæ, nisi de rebus iam perceptis, non debentur. idem iudicium esto de eo, qui impedimento fuit agricolæ in agricultura. Sed de his infrà, cap. 39. Dubit. 3.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm quis possit venari in prædio vel saltu alieno.

RESP. Absolutè posse, modò illa loca non sint ita concluſa, vt feræ non possint egredi. cauendum tamen ne quid damni inferatur. Quisque tamen potest ius venandi in suis prædiis sibi reseruare, & alijs prohibere ne ibi venentur; vt habemus §. Feræ. Instit. de rerum diuisione. hæc tamen prohibitio erit irrationabilis, ac proinde parum curanda, si ipse dominus nolit ibi venari, & feræ multiplicatæ damna inferant. imò talis dominus tenebitur tunc ad restitutionem damnorum; quia censetur illorum causa per suam prohibitionem, vt notat Couar. n.11. Et consentiunt omnes DD. vt suprà diximus. 39

Prohibitio aliquando parum curanda.

Simili modo cauendum venatoribus, ne ipso actu venandi in locis alienis, vel transitu per illa, damnum inferant proterendo sata, sternendo segetes, excutiendo grana, lædendo vineas, dissipādo sepes, & similia. alioquin tenentur ad restitutionē. Ita docent omnes DD. qui hanc rem attingunt. Siluester v. Venatio, *Vtrum*, inquit, *venatores conculcantes agros, vineas & segetes, & quorum canes occidunt gallinas, & animalia pauperum, & aliorū, teneantur restituere: dicit Astensis quòd sic, ad æstimationem: aliàs peccant mortaliter; nisi damnum sit ita modicum, quod probabiliter creduntur non curare.* Idem ijsdem verbis affirmat Angelus, eodem verbo. Caietanus in Summa, eodem verbo, dicit, *Actum venandi esse peccatum, si damnum agris aut vineis inferatur, idque pro magnitudine damni.* Barthol. Fumus eodem, n.1. dicit, *Actum venandi esse peccatum si fiat cum damno proximi in persona vel rebus; vt quia venator exponit se periculo occidendi vel vulnerandi proximum ex defectu circumspectionis, vel destruit segetes, semina, vineas, vel huiusmodi, & tunc iudica mortale vel veniale secundùm qualitatem actus vel periculi cui se exponit; & vltra peccatum tenetur de damno per eum illato, vel eius occisione.* Nauarrus in Enchiridio cap. 17. n.125. *Peccat qui ad venandum profectus permittit vt canes sui noceant alienis auibus domesticis, gallinis, anatibus, anseribus, & id genus aliis; aut vt sui equi aut famuli notabile damnum inferant prædiis, aut satis per quæ transeunt, aut eorum fructibus; & non vult restituere. Hostiensis in Summa de pœnit. & remiss.* Omitto alios, quia idem omnes nemine discrepante docent. 40

Cauenda damna.

Ratio est perspicua. Quia vel venatio instituitur ad oblectationem, vel ad proprium commodum, vel ad bonum commune. v.g. ne feræ multiplicatæ noceant agris, pecoribus, hominibus. Si ad oblectationem vel propriū commodum, manifestum est id non posse fieri cum dispēdio aliorum. Nec refert, etiamsi fortè sit persona publica vel gubernator patriæ; quia in iis quę ipse agit in commodum

modum proprium comparatur ad subditos, vt priuatus ad priuatum: vnde non minùs tenetur de damno quàm si esset priuatus. Si verò ad bonum publicum instructa sit, nulla æquitas patitur, vt damnum quod occasione boni publici contractum est, à paucis hominibus priuatis sustineatur; sed iusta proportione distribuendum in omnes. alioquin peccatur contra Iustitiam distributiuam: quæ sicuti præscribit bona communia certa proportione distribui in singulos; ita etiam onera & damna, quæ causa communis boni imponuntur, vel inferuntur. Sicut enim bonum quod intenditur commune est, ita etiam damnum commune esse debet. Itaque deberet huiusmodi ex causa damnum passis fieri compensatio ex bono communi. v. g. remissione tributorum vel exactionum, vel immunitate à milite, vel simili modo. Pari ratione cùm causa boni publici solum alicuius occupatur, vt conuertatur in viam publicam, vel vt in eo fiat propugnaculum; vel cùm deijciuntur ædificia priuatorum, facienda est compensatio ex publico. Cùm autem damnum illatum est causâ proprij commodi, ex propriis compensatio facienda, vt per se notum est.

41 *Limitatio.* Aduerte tamen, si damnum est modicum, & dominus loci tantum ferè commodi adferat agricolis occidendo feras, quantum damni ipso actu venandi; vel si rebus illorum consulat, sua auctoritate auertendo milites, eosque ab aliis incommodis tutando, ita vt meritò videri possint illa damna, quæ subinde ex venatione sentiunt, non curare, & condonare; non esse obligationem restituendi: quo modo fortasse aliqui locorum domini possunt excusari. hoc tamen non habet locum quando damna sunt grauia. Quomodo autem damnum graue aut leue agris & satis inferatur, & quodnam tale censendum sit, optimè ex ipsis agricolis cognosci potest.

An præscriptio excuset. Dices, Quid si ab hominum memoria sit vsurpatum, vt tota venantium turba cum equis & canibus, prout occasio tulerit, per media sata sese inferat, non curans quid damni inde resultet; nec vlla ob id fiat restitutio, maximè cùm nemo querelas apud iudicem deponat? videtur enim hoc euentu habere locum præscriptio, quo tanti temporis tractu hoc ius sit à domino loci vsucaptum. Resp. Vt titulus præscriptionis hîc locum habeat, debere cõstare 1. De ipsa consuetudine & vsu qui memoriam hominum antecedat. 2. Non fuisse factam compensationem cùm damna irrogata erant grauia. 3. Quòd damno affecti non deposuerint querelas, nec mouerint litem, id non factum desperatione obtinendi iuris, aut metu maioris mali, sed omnino liberè, & animo condonandi. alioquin cùm præsumptio sit in contrarium, non poterit censeri bona fides in venatoribus damna illa inferentibus. Sic Tyrannus non potest vsucapere ius imperij in populum liberum, quando solo metu illum coërcet, ita vt non præsumatur liberè in illum consentire. Ratio est, quia præscriptio in huiusmodi, quæ vi præsumuntur vsurpata, non potest dare ius, nisi quatenus tanti temporis vsus & possessio parit præsumptionem liberi consensus eorum ad quos pertinet. Si tamẽ huiusmodi fundi essent beneficiarij, iuri feudi vel emphyteusis domino obnoxij, posset ex huiusmodi consuetudine præsumi, talem seruitutem ab initio fuisse voluntate Principis annexam; & idcircò minorem pensionem minúsve obsequium domino ab emphyteutâ vel feudatario præstari. Quis autem primo loco, quis secundo, & in subsidium hîc in restitutione veniat, ex regulis generalibus colligendum. Vide infrà cap. 13. Dub. 5. & sequentibus.

Dvbitatio ix.

Quomodo peccet, & an teneatur ad restitutionem is, qui contra iustam prohibitionem venatur, aucupatur, piscatur.

42 *Quadruplici ratione potest esse venatio prohibita.* NOtandum ex Couar. venationem prohiberi generatim quatuor rationibus. Primò *ratione status personæ.* Ita prohibetur Clericis, & multò magis Monachis; præsertim ea venatio, quæ fit magno strepitu canum & armorum, vt patet c. 1. De Clerico venatore: quod sumptum est ex Concil. Aurelianensi: vbi *Episcopus qui crebrò talibus venationibus dat operam, iubetur suspendi tribus mensibus à communione: presbyter vero duobus: diaconus ab officio:* vnde videtur frequentatio talium venationum esse peccatum mortale. Quieta tamen venatio cum retibus, laqueis, paucisque canibus, modò rarò fiat, non est omnino prohibita Ecclesiasticis; vt notat Medina q. 12. C. de Restitut. & Silu. verbo Venatio: siue fiat causa necessitatis, siue exercitij, siue moderatæ recreationis, vt notat Panorm. in illud c. 1. citatum.

Secundò, *ratione temporis.* Sic videri possit prohibita venatio diebus festis & ieiunij, ex cap. An putatis. d. 86. sed hoc intelligendum est quando ratione venationis omitteretur Sacrum, vel violaretur ieiunium. alioquin absolutè non est prohibita, cùm non sit opus seruile; vt notat Nauar. c. 13. num. 11. quamuis in magnis festis & quibusdam ieiuniis sit valdè indecora, ob nimiam animi effusionem, & corporis agitationem. *Venatio & aucupium non est opus seruile.*

Tertiò, *ratione publicæ vtilitatis*, ne videlicet soboles ferina extinguatur. sic prohibetur interdum venatio illis mensibus, quibus feræ sunt grauidæ, & quando sunt niues; quia tunc facilè capiuntur; & vsus certorum instrumentorum, vt bombardarum, retium tenuium, & similium, quibus facilè magno numero concluduntur.

Quartò, *ratione loci*; vt si in aliquo loco à Principe statuta sit immunitas ne quis ibi venari possit, vel si locus sit alienus. His positis,

43 *Quale peccatum.* Dico Primò, Quando venatio solùm est prohibita ratione status vel temporis, ordinariè non est nisi peccatum veniale; modò scandalum absit, & periculum occisionis vel mutilationis: & animal captum non est necessariò restituendum.

Prior pars patet ex dictis; estque Medinæ, Siluestri, & aliorum.

Altera probatur; quia conditio personæ vel temporis non facit illum actum iniustum, aut rem obnoxiam restitutioni.

Dico Secundò, Etsi venatio prohibita sit ratione vtilitatis publicæ, tamen non est peccatũ mortale, nisi quando modus venandi censetur notabiliter pernicios us commodo Reip. & idcircò sub graui pœna est prohibitus; vel quando reipsa notabile damnum bono publico infertur (vt si sobolem ferinam notabili ex parte extingueret) animalia tamen capta non sunt in foro conscientiæ restituenda. Ita Couar. ad reg. Peccatum p. 2. §. 8.

&

& alij. Ratio est, quia leges in hisce casibus non prohibent ipsam acquisitionē ferarum, sed vsum venationis: vti autem venatione cōtra legis mandatum, non censetur notabilis iniuria vel læsio Reipub. cùm Iure gentium liceat occupare quæ nullius sunt. Vnde fit vt venator non teneatur ad restitutionem ferarum captarum; etiamsi instrumētis vetitis ceperit: quia feræ non sunt res Reip.

Restitutio quando necessaria.

Aduerte tamen, si quis aquas inficeret, vnde contingeret magnam vim piscium mori, vel alio modo graue damnum inferret, teneretur ad restitutionem Reipub. quæ habebat ius piscandi, quatenus censetur illud ius grauiter læsisse, & spem lucri & oblectationis eripuisse. ipsa tamen animalia non tenetur restituere: sed solùm quantum illa spes, seu ius venandi censebatur valere.

Dices, Ergo semper tenebitur ad aliquam restitutionem, etiamsi vnam dumtaxat vel alteram feram ceperit; nam iniquè priuauit Rempub. iure illius venandi, & sic censetur læsisse.

Resp. neg. consequentiam, quia illud ius venandi non censetur notabiliter læsum propter vnam atque alteram feram subtractam: quamuis enim duæ vel tres feræ sint magni momenti; ius tamen venandi respectu earum, in magno saltu est parui momenti.

Qui venatur in fundo personæ priuatæ.

Dico Tertiò, Qui venatur in alieno fundo, vel prædio, vel silua, inuito domino, non tenetur ad restitutionem eius quod cepit; peccat tamen pro ratione iniuriæ & damni illati, (si quod inferat) & tenetur ad eius compensationem. Docet hoc Couar. suprà n. 4. Medina q. 12. & alij.

Prior pars probatur, quia animal siluestre non erat domini illius fundi, sed nullius: ergo transit in dominium primò occupantis. Ratio est, quia animantia non sunt fructus agrorum vel siluarum vel fluuiorum, sicuti arbores quæ solo hærent; sed alia ex alijs procreantur. Vnde sequitur, etiamsi ager vel possessio talis sit vt eius fructus in venatione consistant, ipsaque venatio sit alteri elocata, non tamen ideò animalia fiunt conductoris, vel vsumfructum habentis, quamdiu naturali libertate fruuntur; sed conductor & vsufructuarius solùm ius venandi in tali fundo habent, quod ius censetur ad fructus agri vel siluæ pertinere. Vide Couar. n. 9. & 11.

Feræ non sunt fructus fundorum.

Altera pars probatur, quia is qui venatur in aliena possessione inuito domino, facit illi iniuriam. Dominus enim Ius habet vt nemo ibi se nolente venetur, vt habemus §. Feræ. Instit. de rerum diuisione. & L. Item si fundi. 9. §. Aucupiorum. π. de vsufructu, vbi dicitur, *Reditus aucupiorum, sicut & venationum, ad fructum agri pertinere, nec esse rationabile in agro alieno quemquam, nolente domino, aucupari.* Vnde vlteriùs patet, si damnum aliquod inferat, teneri ad restitutionem, vt si segetes proculcet, si sepimenta dissipet: item, si dominus illam feram venari volebat, & probabiliter erat capturus; spectanda est æstimatio illius spei. Denique si Ius venandi alteri vendere vel elocare statuerat; & tu crebra venatione effeceris vt parui æstimetur. quòd si nullum damnum sit illatum, (vt si dominus ipse nolebat venari, nec ius illud elocare) non tenetur venator ad vllam restitutionem, etiamsi inuito domino venatus sit; quia notabile damnum non irrogauit. vetatio quoque illa parum erat rationi consentanea, cùm ipse eo iure vti nollet.

Aduertendum autem est, eamdem esse rationem extranei venantis in loco publico, atque ciuis venantis in loco priuato alterius, inuito domino: vterque enim sarcire damnum, si quod illatum fuerit, tenetur, non ipsas feras.

Dico Quartò, Qui venatur in loco publico venationi Principum vel aliarum personarum iustè assignato, peccat venialiter: & si notabile damnum infert, mortaliter; teneturque ad compensationem damni, non autem ad restitutionem animalis capti. 44

Qui in fundo Principi tributo.

Probatur prior pars, nam lex illa prohibens in tali loco venationem, etiamsi pœnam appositam habet, communi tamen hominum iudicio non censetur grauem inducere obligationem; quamuis ipsi domini ibi venari soleant; nam feræ sunt nullius, & siluæ sunt communes: & aliàs non est notabilis læsio. Vnde rationi consonum est vt reseruatio illa iuris venandi facta per principem, non adeò strictè accipiatur.

Dices, Si est peccatum veniale, ergo ratione grauitatis materiæ potest esse mortale.

Respondeo, Ipsa materia, secluso damno, ex genere suo est parua, & ita non constituit peccatum mortale, si damnum abstit.

Altera pars constat; nam ratione damni potest censeri peccatum mortale: vt si animalia capta essent magni pretij & multa; ideoque Princeps non posset tam multa capere quàm aliàs solet. Item si feræ sint redditæ fugaces, vt difficillimè postea capiantur. Denique si aliqua ratione damnum sit notabile. Potest tamen venator excusari à restitutione, (vt notat Medina) quia Principes non solent talem restitutionem curare, sed sufficit illis vt deprehensi pœnam luant.

Hæc autem pœna non debet esse corporalis; vt mutilatio, vel flagellatio, (vt rectè notauit Silu. verbo Venatio. Nauarr. cap. 17. n. 121. & alij DD. communiter) sed pecuniaria; quia non censetur graue crimen, etiamsi graue damnum intulerit. Vnde si sit statuta pœna corporalis, non est mandanda executioni; nisi quis valdè sæpè esset deprehensus, & minoribus pœnis non emendatus; tunc enim posset aliqua corporalis, v. g. flagellatio adhiberi. 45

Pœna quælis.

Vltima pars, *quòd non teneatur ad restitutionem animalis capti*, patet ex dictis. Notandum est, hoc etiam locum habere, etsi quis arte magica vel alia praua machinatione feras elicuerit, & ita extra siluas ceperit: vt notat Couar. n. 14. Nam modus iste capiendi, etsi sit graue peccatum, non tamen facit vt ipsa captio sit contra Iustitiam. Quamuis iste puniri possit, sicut is, qui intra siluam venatur. Qui tamen feras extra locum suum absque vlla fraude egressas caperet, non solùm ad nihil tenetur, sed neque ideò puniri debet; vt ibidem Medina & Couar. quia ipsæ feræ cùm sint nullius, Iure gentium permittuntur occupati extra saltum prohibitum. Adde, Idem dicendum si quis venetur feram in saltu concluso, sed ita vasto, vt in eo difficillimè capiantur: nam in tali loco non minùs fruuntur libertate naturali quàm si captæ non essent. Quod Confirm. quia animalia quæ sunt in Insula duarum vel trium leucarum, naturali libertate fruuntur, & fiunt primò occupantis: ergo idem dicendum de saltu amplissimo clauso. Ita Couar. suprà n. 15. 46

Si arte magica ceperit.

Saltus conclusus, si vastissimus sit, non tollit feris libertatem naturalem.

Vtrùm autem feræ, quæ naturali libertate

fruuntur, possint per aliquam legem ita alicui Magnati addici, vel bono publico seruari, vt non tranieant in dominium capientis, dubit ri potest. Verius est posse, modò legitima causa subsit: vt si alia ratione non posset commodè sumptibus quibusdam necessarijs prouideri. hoc tamen raro in praxi vsu venit. Ratio est, quia lex ob iustam causam potest alios reddere inhabiles ad certæ rei dominium comparandum. Sicut enim actiones humanæ subsunt legum disposition, adeò, vt per leges possit tibi concedi ius, vel imponi obligatio, aut etiam injci impedimentum ad aliquas actiones obeundas: ita etiam res externæ, earumque dominium & possessio, legum dispositioni subiacet; sic vt ius acquirendi, vel incapacitas, per eas irrogari possit. Hinc quidam sunt incapaces quorumdam officiorum, successionis hereditariæ, possessionis immobilium, &c.

Dvbitatio x.

Vtrùm fera à me vulnerata, & posteà ab alio capta, sit mea, an capientis.

47 Respondent communiter DD. esse capientis, & non vulnerantis. Ita Couar. ad reg. Peccatum p. 2. §. 8. n. 13. & alij, quod patet §. Illud quæsitum, Instit. de rerum diuisione. Sed hoc intelligendum est, nisi ita vulnerata sit vt percussor insequens eam certò esset capturus. Vnde tria requiruntur vt fiat percussoris. Primò, vt læserit eam quantum satis ad capiendum. Secundò, vt læsam insequatur. Tertiò, vt moraliter certum sit quòd eam sit apprehensurus. Ratio est, quia tunc habet illam quodammodò in sua potestate, censetur enim quasi capta: vnde alius non potest illum præuertere. Secùs est quando dubium erat vtrùm fera esset euasura: tunc enim fit occupantis; quia adhuc videtur habere suam naturalè libertatem, vt colligitur ex L. Naturalem. 5. ff. de Acquir. rerum dominio, vbi dicitur, *fera recepisse naturalem libertatem, quando difficilis est eius prosecutio.*

Tria requiruntur vt fera ita fiat percussoris.

Dvbitatio xi.

Vtrùm fera meo laqueo capta sit mea, an eius qui fortè superueniens laqueo eximit & abstulit.

48 Couar. suprà n. 13. & Nauar. cap. 17. n. 176. adiudicant illam eximenti; nisi contraria sit consuetudo in aliquo loco particulari. Idem sentiunt plerique Doctores, ob L. In laqueum. 55. ff. de acqu. rer. domin. vbi insinuatur esse eximentis. Confir. quia non acquiritur dominium feræ, nisi per apprehensionem: is autem qui laqueum posuit, nondum apprehendit. ergo, &c. Hæc sententia est probabilis.

49 Verius tamen videtur, & rationi naturali magis consentaneum, vt sit eius qui laqueum posuit. Ratio est, quia hic eam apprehendit & occupauit per suum instrumentum, adempta ei libertate naturali: quæ apprehensio sufficiens videtur vt debeat illius censeri. sicut enim manibus, ita instrumentis aliquid apprehendere possumus, & in nostram potestatem redigere. Fauet dicta L. In laqueum, ff. de acquir. dominio, vbi hic casus ponitur, & respondetur, *feram meam esse, si in potestatem deuenerit*; atqui venit in meam potestatem per meum laqueum. Vnde ad argument. contrar. sententiæ Respondeo, Illam legem, si benè expendatur, videri facere à nobis. in alio sensu non puto receptam. Nemo enim est qui non putet sibi iniuriam fieri, si fera sic capta tollatur. Ad Confirm. ille apprehendit per suum instrumentum. quòd si talis apprehensio non est sufficiens ad comparandum dominium, (quod tamen probari non potest) nihilominùs satis est ad comparandum ius ad rem; quò tu, exclusis alijs, possis illam apprehendere; ita vt si alius præueniat, & te impediat à consecutione illius rei, teneatur ad restitutionem. ita Molina disput. 42.

Videtur eius qui laqueum posuit.

Hìc tamen aduertendum est Primò, Si fera se erat extricatura, potuisse ab alio occupari; quia tunc non peruenerat omnino in tuam potestatem, nec tu eam habiturus eras. Molina tamen putat tunc æstimandam spem tuam, & ab altero compensandam: quod est satis æquum. 50

Si erat eluctatura.

Dices, Si auem cauea concluſam teneam, parumque absit quin erumpat, & tu superueniens eam eximas, mihi est restituenda, quia necdum effugerat: ergo similiter fera laqueo meo capta.

Respon. neg. consequentiam; quia hæc fera nondum facta est mea, cùm nondum eam omnino occupauerim: illa autem auis iam antè erat mea; vnde nisi reipsa assequatur naturalem libertatem, mihi est restituenda.

Secundò, Si fera, quam ego persequor, incidat in laqueum tuum, vterque habet ius occupandi; tu, quia laqueo tuo capta; ego, quia meâ industriâ incidit. nisi enim excitassem, non incidisset, itaque erit alterutrius qui prior illam occupauerit.

Si in tuum laqueum adigam.

Tertiò, Si nassam in flumine intenderim piscibus capiendis, pisces capti mei sunt: eadem enim est ratio quæ laquei. quòd si tu, vbi plena fuerit, exemptis piscibus eam eodem loco vel alibi reponas, quod secundo loco captum erit, tuum erit, si prior occupaueris. quia etsi meo instrumento, tamen hoc factum tua industria, qui nassam ibi tuo nomine posuisti: meum verò, si ego prior, quia meo instrumento captum. Hoc maximè equitati congruit.

Nassa mea ab al. intenta.

Dvbitatio xii.

Vtrùm venæ metallicæ auri & argenti, censeri debeant in nullius dominio, sicut feræ; & fiant primò occupantis.

Notandum est, præter feras, in nullius dominio esse lapillos, gemmas, ambarum, coralium, & similia, quæ in litore maris, vel promontorijs, vel fluminibus inueniuntur. vnde hæc omnia fiunt primò occupantis, vt patet Instit. de rerum diuisione. §. Feræ. & §. Lapillorum. Sed difficultas est de venis metallicis.

Quæ in nullius dominio.

Respon. & dico Primò, Valdè probabile esse, has in nullius dominio censeri. Sotus lib. 5. q. 3. a. 3. & alij. 51

Probatur, quia Principes passim sibi vindicant Ius effodiendi hæc metalla, & concedunt priuatis Ius ea inquirendi vbilibet, etiam in agro alieno; & bonam partem sibi reseruandi, compensato dum-

Metalla auri & argenti in nullius dominio.

dumtaxat damno, quod infertur loco: quod non facerent si ista metalla essent in dominio eius cuius est ager.

Vnde sequitur, si quis eruisset aurum vel argentum in agro alieno, etiam inuito domino, non teneri ad restitutionem auri domino agri; sed solùm ad æstimationem damni illati: in quo spectanda etiam est spes illa & verisimilitudo, qua dominus putabatur auro illo potiturus. Si tamen pars aliqua auri vel argenti eruti, per regni leges esset attributa Principi, ea esset persoluenda.

52 *Ius effodiendi cui competat.* Dico Secundò, Et si tales venæ nullius sunt, & res eruta fiat occupantis; tamen secluſa omni lege & consuetudine particulari, potestas & Ius effodiendi tantùm competit ei qui est dominus loci: vnde si locus est hominis priuati, Ius etiam est priuati; si est publicus, competit Reipub.

Ratio patet ex dictis de venatione; præsertim cùm metalla sint fundo permixta & inhærentia: animalia autem sint vaga; ergo si cuique competit Ius venandi in suo fundo, multò magis Ius ibidem effodiendi metalli.

Vnde sequitur, Indos Occidentales iure potuisse prohibere Hispanos ab occupatione talium ve- *Possunt exteri prohiberi.* narum in sua regione: vt rectè docet Sotus libro 5.q.3 ar.3.ad 2.(quamuis contrarium senserit Victoria relect.de Indis p.3.n.4.) quod intellige antequam illæ Prouinciæ Hispanico imperio essent subiectæ. Nam quæque Respub. potest prohibere extraneum à venatione in silua publici iuris; & quisque priuatus alium à venatione in suo fundo; vt suprà dictum est. ergo multò magis ab eruendis metallis.

53 *Alia venæ cedunt fundo.* Dices, Lapicidina, quæ est in meo fundo, mea est, & non tantùm ius cædendi ibi lapides; vt ostendit Couarr.qq practicarum cap.37.nu.3. & colligitur ex L. Vir in fundo. 8. ff. de fundo dotali. Idem sentiendum est de fodina carbonaria, cretaria: ergo similiter vena auri & argenti, stanni, cupri, &c.

Respond. neg. conseq. Primò, quia venæ metallicæ sunt maximæ æstimationis; quare non est æquum illas cedere vilissimo fundo. qua ratione, §. Litteræ, Instit. de rerum diuisione, dicitur *ridiculum esse, picturam Apellis vel Parrhasy in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.*

Secundò, quia venæ istæ ab ipsa natura in Ius publicum, non autem priuatis vsibus institutæ videntur, vt rectè Sotus lib.6.q.3.art.3.ait, suntque difficillimæ inuentionis & rarissimæ.

Dvbitatio XIII.

Vtrùm iustè prohiberi possit pastio, & lignatio, in pascuo vel silua Reipublicæ.

54 *Lignatio in silua communi.* Respondeo, Rempublicam posse id iustè prohibere, etiam suis ciuibus, saltem secundùm certum modum & mensuram, v.g. ne tali loco, tali tempore pascant, ne talem exscindant stirpem, ne maiorem molem lignorum auferant. Ratio est, quia id potest esse multùm expediens bono publico. atqui potestas Reipub. vel Principis (in quem Respub. suam transtulit auctoritatem) extendit se ad omnia, quæ bono publico conducibilia censentur. Non videtur tamen omnino & in totum posse prohibere; quia singuli Ius habent inde necessaria sumendi: quo iure absque suo consensu non possunt spoliari, nisi fortè aliunde sibi illa commodè parare valerent; de quo plura apud Couarr.pract.qq.c.37.

Dvbitatio XIV.

Quale peccatum sit, contra iustam prohibitionem pascere, vel ligna cædere.

Respondeo, & dico Primò, Si ciuis in loco 55 publico communitatis, cuius ipse est pars, *Lignatio peccatum veniale.* id faciat, solùm venialiter peccat; nec ad restitutionem tenetur; nisi magnum detrimentum communitati censeatur illatum. Ita Sotus lib.4.qu.6. art.4.& alij.

Ratio est, quia in hisce rebus communibus, non censetur notabilis iniuria committi per eos, qui aliàs ius habent; nisi fortè enorme damnum inferatur; vt si stirpes multæ notabiles incidantur, si grandiores arbores ædificiis idoneæ sternantur.

Dico Secundò, Idem dicendum de incolis duorum oppidorum vel pagorum habentium loca compascua vel siluas cæduas, si alteri in alterorum siluis hinc inde lignentur.

Ratio est, quia etsi incolæ huius loci non habeant ius lignandi in silua communi alterius loci, nec vicissim: tamen quia passim scitur contrarium ab vtraque parte fieri, censentur communitates vicissim condonare quod ereptum fuerit, contenti mulcta, si qui in furto capiantur.

Dico Tertiò, Si pascas vel ligneris in loco ali- 56 cuius priuati, vel Reipub. alienæ, cuius ciues *Si locus sit alteri elocatus vel alienus.* non possunt idem facere in loco Reipub. tuæ, vel si id facias in loco communi elocato alteri; peccas pro ratione rei ablatæ vel damni illati, (quod sæpè multò pluris est, quàm res succisa valeat) & teneris ad restitutionem. Ita Sotus suprà: vbi tamen illud de restitutione intellige, si *Quando hic non sit opus restitutione.* persona vel Respub. possidens locum solet curare recuperationem talium. alioquin si non solet curare, sed satis ei sit vt comprehensi mulctam luant, non erit necessaria restitutio. Vide plura de iure pascendi apud Couarr. pract. qq. c. 37. quæ ideò non adfero, quia variantur pro diuersitate locorum: vnde consuetudo & leges municipales in his seruandæ.

Dvbitatio XV.

Quomodo acquiratur dominium in thesauros.

Tractat hoc Couarr. regula Peccatum. p. 3. §.2. Siluester & Summistæ v.Inuentum.

Notandum est, thesaurum esse dictum quasi 57 θήσαυρον εἰς ἄνειον, quòd in crastinum seu futurum reponatur, vt docet Couarr. ex Alciato. Definitur autem π. de acq. rerum dominio. L. Numquam, 31. hoc modo: *Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat.* Vbi nomine *pecuniæ* intelliguntur quæuis opes mobiles, vt catenæ, gemmæ, vasa, nummi aurei & argentei. quòd si non sit vetus, non censebitur thesaurus; vnde non fiet inuentoris; sed si dominus inueniri nequit, *Thesaurus quid.*

expendi conuenit in pios vsus, sicut alia bona incerti domini. His positis

58 Dico Primò, Iure naturali & gentium thesaurus transit in dominium inuentoris occupantis. est communis sententia DD. quæ enim nullius sunt, fiunt primò occupantis. at thesaurus in nullius dominio censetur: ergo, &c.

Dices, Quid si possit sciri à quorum maioribus sit conditus?

Respond. Non refert; quia quod tanto temporis spatio desiit possideri, desiit etiam esse in dominio cuiusquam.

Notandum tamen, Ius commune multa circa inuentionem thesaurorum disposuisse, vt patet §. Thesauros. Instit. de rerum diuisione. & L. vnica C. de thesauris. quare hoc ius sequendo

In proprio fundo. Dico Secundò, Thesaurus inuentus in proprio fundo totus est inuentoris. Instit. suprà, vbi dicitur, *thesauros, quos quis in loco suo inuenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos inuenerit.* & L. vnica C. de thesauris, idem habetur, addita ratione, *ne Dei beneficium inuidiosa calumnia prosequatur.*

59 *In fundo alieno.* Dico Tertiò, Inuentus in fundo alieno, (etiamsi is fundus Principis fuerit) si quidem fortuitò sit repertus, dimidium erit inuentoris & dimidium domini fundi; si autem de industria quæsitus sine consensu domini, totus erit domini.

Prior pars apertè habetur vtroque loco citato; estque seruanda in foro conscientiæ, etiam ante omnem Iudicis sententiam.

Ratio est, quia hæc dispositio Iuris non est pœnalis, sed definitiua proprietatis rerum; vt rectè docet Nauar. c. 17. n. 175. & Caietan. infrà q. 66. ar. 5. & alij passim.

Secunda pars, *vt totus sit domini, si de industria quæsiuisti*, non videtur obligare in conscientia ante sententiam Iudicis; sed sufficit dare dimidiam partem domino fundi, parte altera dimidia retenta. *Dispositio pœnalis.* Ratio est, quia ista dispositio est pœnalis, ad puniendam iniuriam, quam inuentor domino loci intulisse videtur, quærendo absque eius consensu in eius fundo. Confirmatur ex L. vnica C. de thesauris. vbi sic dicitur, *In alienis verò terrulis nemo audeat inuitis, id est, nec volentibus vel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari. quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter huius legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus inuenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur.* Vbi expende verbum *compellatur*, quod indicat legem esse pœnalem, & compulsionem Iudicis esse exspectandam.

60 *Quando dominus fundi consensit.* Dico Quartò, Si dominus consensit vt quæreret, sciens quid ille quæreret, standum est pacto, si quod initum est; si autem nullum sit pactum, totus thesaurus erit inuentoris. Nauarr. cap. 17. nu. 172. & alij. Ratio est, quia tunc videtur illi partem suam condonasse: nisi fortè inuentor certò sciuerit ibi latere thesaurum, & simulauerit se nihil scire; tunc enim dominus ita deceptus non censetur condonasse, vt rectè Sil. verbo Inuentum q. 3.

Sed difficultas est, si fundus habeat duos dominos, nimirum directum & vtilem; vtri domino dimidium sit restituendum.

61 Resp. & Dico Quintò, Quando fundus hoc modo duobus dominis subest, dimidium erit inuentoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo est diuidendum, tamquam inter dominos loci. *Quid si fundus sit duorum dominorum.*

Ex quo sequitur, si dominus vtilis (vt feudatarius, vel emphyteuta) inueniat thesaurum, reddet domino directo tantummodò quartam partem, & sibi reseruabit alteram quartam partem, quatenus est eius loci dominus; dimidium verò quatenus est inuentor: quod est contra Nauarr. nu. 172. & quosdam alios.

Ratio est, quia idem est inuentor, & sic debetur illi dimidium; & est etiam dominus loci ex parte, vnde ei debetur altera quarta. conductoris autem & vsuarij nulla habetur ratio; quia nullo modo sunt domini. idem dicendum de pigneratore. vide Molinam disput. 56.

De Vsufructuario nudo quæri potest, vtrùm censeatur hic esse dominus loci. Communis sententia est non censeri. colligitur ex L. Fructus 7. π. soluto matrimonio, vbi dicitur, *thesaurum inuentum in fundo dotali, in quo vir habet vsumfructum, non deberi viro, sed vxori, cuius est fundus: quia thesaurus non est fructus fundi.* Nauar. tamen nu. 174. & quidam alij putant hunc censendum dominum, & eum quoque qui ad vitam conduxit. Sed quod dixi, est verius. *Vsufructuarius.*

Dico Sextò, Qui scit alicubi thesaurum latere, & emit locum antequam eruat, efficitur dominus totius thesauri. Ita Nauarr. nu. 175. & Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 3. a. 3. ad 2. & indicat D. Thom. infrà q. 66. ar. 5. Idem insinuatur in parabola Domini, Matth. 13. 62 *Emi potest fundus.*

Ratio est, quia eruit illum ex loco proprio; nec tenebatur domino priori indicare, sed poterat vti sua scientia, emendo agrum illum secundùm communem æstimationem; ad quam æstimationem nihil facit thesaurus absconditus, cuius nulla habetur suspicio.

Petes, Quid si thesaurus conditus fuerit in re mobili, v. g. in saxis lana plenis, vtrùm is qui efficitur dominus lanæ, efficiatur etiam dominus thesauri?

Resp. Non videri hoc ipso effici dominum thesauri; quia non intendit illum occupare. Habet tamen ius illum thesaurum occupandi ante alios. Vnde miles, qui excussit hosti saccos lupulo refertos, in quibus erant laminæ aureæ & argenteæ reconditæ, non fuit factus dominus illarum; cùm illos vendiderit antequam sciret quid lateret.

Dvbitatio XVI.

Cui cedat, si in loco publico, vel sacro inueniatur.

63 *In loco publico.* Respondeo & Dico Primò, Si in loco publico, v. g. in flumine, in platea effossa, in via publica inueniatur, totus videtur esse inuentoris; non Principis vel Reipub. Ita Couar. regula Peccatum. p 3. §. 2. nu. 3. citans pro se Baldum, Cynum, & alios quosdam.

Ratio est, quia Respub. vel Princeps non est dominus talis loci iure dominij specialis, de quo Leges loquuntur; sed dominio iurisdictionis, & auctoritate disponendi.

Dices, §. Thesauros, Instit. de rerũ diuisione dicitur, *Si quis in fiscali loco, vel publico, vel ciuitatis thesaurum inuenerit: dimidiũ esse fisci, vel ciuitatis.*

Resp.

Respon. Per *locum publicum* non intelligi forum, plateam, vel similem locum, qui proprie nullius est, omnium vsibus deputatus; sed de loco, quem Respublica, specialis dominij iure possidet, vt silua, pascuum, domus, hortus: alioqui dimidium non deberet dari ciuitati, vtibi dicitur, sed potiùs Principi.

Probabile est dimidiũ esse Principis.

Fateor tamen contrariũ esse probabile, quia plerique Iurisperiti ita sentiunt, teste Couar. suprà.

Aduerte, quando agitur de loco publico, nihil interesse vtrùm fortuitò ibi repertus sit, an de industria quæsitus. Ratio est, quia locus publicus non censetur alienus, sed communis; distinctio autem illa solùm locum habet in loco alieno.

64 *In loco sacro casu inuentus.*

Dico Secundò, si inueniatur in loco sacro vel religioso casu fortuito, totus est inuentoris, vt patet §. Thesauros. Instit. de rerum diuisione. Idem habet Glossa ad ca. Si quid inuenisti 14. quæst. 5. & Summa Rosella verbo Furtum n. 11. Contrarium tamen etiam est probabile, quod tenet Couar. & multi alij: qui docent dimidium deberi Ecclesiæ vel Prælato; quia Ecclesia & Prælatus habentur pro domino loci sacri. Verius tamen puto quod dixi; quia Iustinianus, etsi optimè nouerat conditionem locorum sacrorum apud Christianos; tamen in suis Institutionibus confirmauit Legem Adriani, cuius hæc est dispositio. vnde cùm Ius Canonicum ei non derogauerit, videtur seruanda. Intelligo autem hæc de locis sacris & religiosis omnino publicis, quæ in Iure dicuntur esse nullius; secùs de monasteriis & similibus, quæ specialis dominij iure possidentur.

Inuentus βιαίως.

Dico Tertiò, Si data opera inuentus sit in tali loco, dimidium cedet Ecclesiæ.

Probatur, quia Ecclesia censetur dominus talis loci. vnde secundùm Legem vnicam, C. de thesauris, debetur ei dimidium.

Dices: Ergo etiam debetur dimidium, si fortuitò.

Resp. neg. conseq. quia obstat aliud Ius particulare, quod aliter in eo casu disposuit.

Dvbitatio xvii.

Quid si per magiam repertus sit.

65 *Arte magica repertus.*

Resp. In eo casu pertinere ad fiscum. Ita communiter DD. ex L vnica. C de thesauris.

Notandum tamen, inuentorem non teneri illum tradere antequam à Iudice compellatur; vt rectè Nauar. n. 175. Ratio est, quia lex illa pœnalis est, & quidem sententiæ ferendæ, non latæ. Nihil enim aliud dicit Imperator, quàm *se cuique in suis locis tribuere facultatem quærendi thesaurum, & inuento fruendi; dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificijs aut alia qualibet arte legibus odiosa quærat.* hîc nullum verbum habet quo illum reipsa priuet inuentis.

66

Porrò hîc aduertendum est, Primò, Si hic thesaurus quæsitus sit in loco alieno arte magica, solùm eam partem adiudicandam per sententiam fisco, quæ fuisset inuentoris; quia dominus loci ob maleficium alterius non debet suo iure priuari.

Secundò, ea quæ hactenus dicta sunt de thesauris, procedere secundùm Ius commune. quòd si in aliqua Prouincia sint aliquæ leges particulares, vel consuetudines hac de re iustæ, sunt seruandæ. Quod autem quidam dicunt, consuetudinem habere vt thesaurus vbiuis inuentus sit Principis, hoc multi censent non obligare in conscientia, vt Sil. verbo Inuenta. n. 13. Sotus l. 5. de Iustitia q. 3. a. 3. ad 2. quem vide. Sæpè tamen potest iusta subesse causa vt pars aliqua Principi assignetur: vt si tale subsidium iudicaretur necessarium ad onera Reipub sustinenda: vt autem totus applicetur, durum videtur; quia valdè difficile est, & dissonum Iuri naturali. Fateor tamen, contrarium non esse improbabile, quod tenet Couar. suprà n. 4. quamuis rationes ipsius non conuincant.

An Principi totus seruandus.

Dvbitatio xviii.

Quænam dicantur haberi pro derelicto, ita vt dominium eorum concedatur primò occupanti.

Respon. & Dico Primò, *Pro derelicto haberi,* 67 quod dominus ea mente abiecit vt id in numero rerum suarum esse nolit; vt patet §. pænult. Instit. de rerum diuis.

Pro derelicto.

Vnde sequitur, ea quæ in tempestate proiiciuntur, leuandæ nauis causâ, non haberi pro derelicto; vt dicitur §. vlt. suprà. quia ea libentissimè dominus seruaret, si posset; & postquam proiecit & in portum euasit, summè desiderat ea recuperare. Vnde iniqua est consuetudo, quæ in quibusdam locis seruatur, vt dominus Prouinciæ, vel territorij, bona naufragorum tamquã ἀδέσποτα, id est quæ possessore careant, occupet. Nam præterquam quòd sit contra Ius naturale, vtpote alieni occupatio, & magnã in miseros crudelitas, est etiam contra Ius Cæsareum, Auth. Nauigia, C. de Furtis. Et si sint bona Christianorum, occupantes ea incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. de quo vide Nauar. c. 27. n. 60. & 118. & Couar. ad reg. Peccatum p. 3. §. 1. n. 5.

Bona naufragorum.

Dices, Quid si ea res certò fuerit peritura, nisi ego eripuissem (vt saccarum, frumentum, farina, papyrus) possũmne retinere?

Resp. Non potes; quia (vt habetur ex L. Pomponius. 44. π. de acquirendo dominio) quælibet res nostra, quantumcumque periclitetur, manet nostra, quamdiu non est consumpta; nempe si cupimus eam nostram manere. Vt si ouis nostra ex faucibus lupi eripiatur, aut domus ab incendio, nostra manet. Vnde quod ait Nauar. c. 17. n. 99. posse nos talia retinere, si cum aliquo vitæ periculo ea ex vndis eripuerimus, non est absolutè verum; nisi quando rationabiliter credi potest, dominum permittere res huiusmodi, siue eiectas, siue ex naufragio periclitantes, ei, qui se periculo voluerit exponere; vt quando res illæ statim essent perituræ, & non sine discrimine possent recuperari, ita vt periculum ferè tanti æstimetur quanti res ipsa: tunc enim etsi dominus ius habet rei vindicandæ, tamen recuperator potest exigere æstimationem sui laboris & periculi. Vnde si dominus nihil dicat, poterit retinere tamquam ratione periculi concessam.

Dico Secundò, Pro derelicto etiam haberi videtur res ea, quæ fluctibus procul abrepta est, & dominus sciens vbi sit quærenda, non curat eam recuperare; vel quia eam parui facit, vel quia essent magnæ expensæ faciendæ.

Quando res potest recuperari, sed dominus non vult.

Probatur, quia dominus rem talem non videtur velle habere in bonis suis, ob incommodum coniunctum. secùs est quando omnino vellet eam recuperare, si aliquo modo posset.

Quando nulla est spes recuperandi.

Addunt quidam, rem etiam haberi *pro derelicto*, quando dominus ita eam proiicit vel relinquit, vt nulla ei spes supersit industria aliqua vel aliquo casu eam recuperandi. Itaque tunc si ego extraordinariâ industriâ eripiam, vel saluem, efficiam meam. Ita Petrus Nauarr. l.4. c.1. nu.58. sed non existimo id esse verum; nisi dominus significauerit se eam concedere occupanti; vel æstimatio industriæ sit ferè par illi rei.

CAPVT SEXTVM.

De modo acquirendi dominij in rem alterius absque eius consensu; quod fit præscriptione.

Habet Dubitationes 18.

1 HACTENVS diximus de modo acquirendi dominij in res quæ nullius sunt, vel communes: sequitur vt explicemus quomodo acquiratur in res, quæ dominum habent; seu, quo modo dominia ab alio in alium transferantur. Generatim autem transferuntur vel volente priore domino, vel inuito. *Volente* transferuntur tripliciter; donatione, vltima voluntate, contractu, de quibus infrà. *Inuito* totidem modis. Primò, Iure gentium; sic res bello captæ fiunt capientis, de quo sup. 2.2. q.40. quæ est de Bello. Secundò, auctoritate alicuius legis particularis; idque vel sine culpa domini, vt lege præscriptionis: vel ob culpam eius, vt ob crimen hæresis, læsæ maiestatis, incestus nuptias: de quo 1.2.q.96. Tertiò, sententia Iudicis; vt si fur damnetur in quadruplum; qui modus etiam obligat in conscientia, quando sententia non nititur falsa præsumptione. de quo infrà, sect.4. Itaque ad præsentem locum solùm pertinet tractatio de Præscriptione.

DVBITATIO 1.

Quid sit Præscriptio & Vsucapio.

2 NOtandum est, nomen *præscriptionis* tripliciter accipi apud Iureconsultos, (vt colligitur ex Couar. ad reg. Possessor, in principio, & §. vnico, relectione 1.) 1. generatim, vt idem sit quod *exceptio*, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab actore; vnde cùm exceptio sit vel *dilatoria*, (vt si opponas, iudicem non esse competentem, testes infames, actorem excommunicatum,) vel *peremptoria*, (vt si opponas te mandato Principis fecisse; iam antè soluisse quod petitur) etiam præscriptio erit vel dilatoria vel peremptoria. Hoc modo accipitur in titulo De exceptionibus & præscriptionibus, lib. 44. Digestorum. Simili modo accepit Tertullianus, inscribens librum suum *De præscriptionibus aduersus hæreticos*: agit enim de illis, quæ hæreticis per suam doctrinam veluti litem intentantibus opponi possunt à Catholicis, ne ab eis vincantur.

Præscriptio tripliciter dicitur.

Exceptio.

Secundò, accipitur specialiùs pro *exceptione peremptoria* proueniente ex eo, quòd tempore legibus definito rem aliquam possedimus, vel iure aliquo vsi sumus, vel quòd alius tali tempore ab vsu alicuius Iuris cessauerit, vt docet Couarr. suprà §.vnico nu.4. & patet ex titulis, C. de præscriptione longi temporis. & de præscript. 30. & 40. annorum.

Tertiò, accipitur pro *dominij acquisitione*, vel *iuris alieni elisione*, ex tempore legibus definito proueniente. Hoc modo dicimur præscribere domum, vineam, agrum, id est, acquirere dominium domus, vineæ, agri. Verùm sic non accipitur in Iure ciuili, sed in iure Pontificio, & passim ab Interpretibus vtriusque Iuris; vt docet Couarr. nu.6. Ratio cur sic acceperint est, quia qui dominium alicuius rei per continuatã eius possessionem comparauerat, si impetebatur à priore domino, præscribebat. i. excipiebat, & opponebat certi temporis possessionem, per quam fecerat rem suam: & ita eius actionem perimebat. Hinc ipsa *vsucapio* & *dominij acquisitio* cœpta est vocari *præscriptio*; cùm tamen præscriptio ex vsucapione oriatur, vt patet L. Emptor. 7. C. de præscriptione longi temp.

Ex his patet quid sit *præscriptio*. Nam si primo modo capiatur, nihil est aliud quàm exceptio, seu oppositio aduersus actionem actoris. 3 *Quid præscriptio.*

Si secundo modo, est exceptio peremptoria contra priorem dominum, ex tempore legibus definito vim habens.

Si tertio modo, est dominij acquisitio, vel alieni iuris, siue realis, siue personalis peremptio, per continuationem temporis lege definiti. Vbi Aduerte, si acquisitionem dominij paulò latiùs accipiamus, non opus est addere illam partem (*vel alieni iuris peremptio*) quia qui ius alterius perimit, acquirit dominium suæ libertatis; liberatur enim obligatione, qua alteri erat obstrictus. rectè tamen additur causa claritatis.

Vsucapio verò *est acquisitio dominij per continuationem temporis lege definiti*. Ita habetur L.3.ff. de Vsucap. quæ definitio causaliter est intelligenda. Vsucapio enim est causa acquisitionis dominij. formaliter autem videtur esse *possessio* quædam rei alienæ. Vnde dicimus Vsucapionem interrumpi. Potest tamen etiam accipi pro ipsa acquisitione formali dominij. nemo enim dicitur res vsu cepisse, nisi iam dominium acquisierit. *Vsucapio.*

Ex his colligi potest quomodo præscriptio ab vsucapione differat: si enim primo vel secundo modo sumatur, res est clara: quia præscriptio his modis est oppositio contra actorem. si tertio modo, sic est magis commune quàm vsucapio. omnis enim vsucapio est præscriptio, non contrà. Nam præscriptio, qua extinguitur actio personalis vel realis *Differentia inter vsucap. & præscript.*

realis alterius, non est propriè vsucapio, tamen est præscriptio. Generaliter tamen posset dici vsucapio, quatenus Ius & libertas ab aliqua obligatione potest dici vsucapi; & sic æquè latè paterent præscriptio & vsucapio.

4 Aduertendum tamen, Iuris Interpretes passim distinguere præscriptionem ab vsucapione; quòd vsucapio sit mobilium, præscriptio verò immobilium. verùm hæc differentia non est fundata in Iure Nam vsucapio etiam est immobilium. vt patet Instit. de Vsucapionibus, in principio; vbi non semel ad res immobiles refertur. & L. vnica C. De vsucapione transformanda. Similiter præscriptio in rebus mobilibus locum habet: nam quando eas vsucepimus, vtimur præscriptione, seu exceptione erga priorem dominum. Itaque hisce nominibus vtemur tamquam synonymis.

Dvbitatio II.

Quæ conditiones requirantur ad præscriptionem seu vsucapionem.

5 *Quatuor conditiones.* Respondeo, Ordinariè requiruntur quatuor, ex communi DD. sententia, vt testatur Sil. verbo Præscriptio. n.1. *Possessio, titulus probabiliter præsumptus, bona fides, & continuatio possessionis cum bona fide, per tempus lege præscriptum.*

Possessio. Primò, requiritur *possessio*; quia vt habet regula Iuris in 6. fine *possessione præscriptio non procedit*, oritur enim hoc totu ius ex possessione. debet autem hæc possessio esse qua quis nomine suo possidet, non autem nomine alieno: quia hic verè non est possessor, sed alter qui per illum possidet. cùm autem possessio alia sit *ciuilis tantum*, alia *naturalis tantum*, alia *ciuilis & naturalis simul*, hæc vltima est aptissima gignendæ præscriptioni. *naturalis tantum* non sufficit. *Ciuilis tantum*, qua solo animo rei nostræ etiam absentes insistimus, sufficit; vt probat Couar. reg. Possessor, p.1.§. vnico. n.7. hæc enim etiam ideo *ciuilis* dicitur, quòd hunc ciuilem effectum pariat.

Ciuilis sufficit, non autem naturalis.

6 Ob defectum huius conditionis non possunt præscribi, Primò loca sacra, & ius decimarum à laico; nam non est capax possessionis ciuilis taliũ; cùm Ius ei resistat, vt patet ex dictis suprà cap.3. dub.9. Secundò, Religiosus professus non potest quidquam præscribere, seu vsucapere; quia nihil potest nomine suo possidere. Tertiò, Fructuarius, colonus, emphyteuta, feudatarius, conductor, commodatarius, pignerator, non possunt rei proprietatem præscribere seu vsucapere: tum quia hanc non possident nisi naturaliter, cùm dominus directus eam possideat ciuiliter; tum quia non possident eam nomine suo, ne naturaliter quidem, sed nomine directi domini. Vnde si post centum annos probare posses initiũ possessionis, nimirum rem illam nomine tuo possessam fuisse ab initio, nulla præscriptio tibi obstabit. ita expressè Glossa in cap. Clerici. 11.v. in Ius proprium. 16. q.4. Ioannes Andreas ibidem. Silvest. Præscriptio 2.n.20. & alij. Quod probatur d.cap. Clerici, vbi dicitur, *Quæ precario possidentur, in ius proprium præscriptione temporis non posse revocari.* Idem confirm. cap. Si Episcopus. 12. ibidem. Et quamuis loquantur solùm de rebus Ecclesiæ, eadem tamen sunt intelligenda de rebus aliorum, cùm eadem in omnibus sit ratio, vt Glossa exponit. Idem confirm. Iure ciuili. nam L. Malè agitur, C. de præscript. 30. annorum, sic dicitur: *Malè agitur cum dominis prædiorum, si tanta precariò possidentibus prærogatiua defertur, vt eos post 40. annorum spatia qualibet ratione decursa inquietare non liceat.* Et infrà: *Nemo igitur qui ad possessionem conductor accedit, diu res alienas tenendo ius sibi proprietatis vsurpet; ne cogantur domini aut amittere quæ locauerunt, aut locatores vtiles sibi fortassis excludere, aut annis omnibus super dominio suo publicè protestari.* Sed hæc intellige, si res apud illum qui nomine alterius possidebat, vel apud eius heredem, maneat. secùs si alteri vendita ab herede bona fide fuerit. sed de hoc plura infrà dubit. 15. Possunt tamen isti præscribere Ius vtilitatis; non quia naturaliter possident rem, (vt quidã volunt) sed quia hoc ius ciuiliter possident, vtpote suo nomine; vt rectè Couar. suprà n.7. Quartò, Si colonus vel quiuis fructuarius venderet domum vel agrum absente domino & ignorante, emptor non posset præscribere; quia non haberet possessionem ciuilem, sed solùm naturalem; ciuilis enim manet apud dominum absentem, quamdiu retinet animum possidendi, vel donec sciat rem suam ab alio occupatam, & sciens non audeat eum depellere: vt dictum est c.3. dub.12. vbi tamen dominus amiserit possessionem, emptor poterit præscribere, vt dicetur dub.13. Quintò, Nemo potest præscribere quamdiu apud ipsum non est possessio ciuilis, sed apud alium. nam præscriptio incipit ab eo die, quo dominus prior amittit possessionem ciuilem, vt omnes DD. tradunt, teste Couar. n.7. tunc enim primùm incipit detentor ciuiliter possidere.

Colonus.

Quando incipit præscriptio.

Petes, Vtrùm hæc conditio requiratur etiam in 7 *Præscriptio contra actionem.* præscriptione, quæ fit per debitorem vel reum contra actionem personalem vel realem creditoris vel actoris? Quidam negant, eò quòd reus vel debitor qui sic præscribit, nihil videatur possidere: cùm hæc præscriptio ex eo oriatur; quòd creditor vel actor aliquid omittat. Sed conformiùs dicitur, etiam hîc necessariam esse quamdam possessionem, nempe libertatis suæ, quæ certo duret tempore, vt infrà dubit. 11. patebit.

Secundò requiritur *Titulus probabiliter præ-* 8 *Titulus.* *sumptus*, id est, qui bona fide putetur validus; vt donationis, testamenti, vel successionis ab intestato, emptionis, permutationis, &c. Non est autem necessarium vt ille titulus sit verus, i. validus: nam hic sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secuta traditione: sed satis est vt probabiliter putetur verus, quamuis reuerà inualidus sit, (vt quia venditor non habuit potestatem vendendi) tunc enim Ius facit vt res aliena, exacto tempore definito, fiat tua. Debet autem hęc opinio, qua putas titulum validũ, prouenire, non ex ignorantia Iuris, præsertim manifesti & indubitati, (vt si putares minorem posse vendere rem immobilem sine decreto Iudicis, aut parentem validè donare filio) vt infrà dub.5. dicetur; sed ex ignorantia facti: vt si putes decretum Iudicis interuenisse, & non interuenit: si id quod parens dedit, putes fuisse donatum per cessionem vsusfructus, quem in bonis eius habebat. In dubio autem vtrùm ex ignorantia Iuris aut facti prouenerit hæc opinio de titulo, exacto tempore præscriptionis præsumendum pro præscribente, ob possessionem bona fide toto illo tempore continuatam. secùs si

constet prouenisse ex errore Iuris. Aduertendũ tamen est, non semper requiri titulũ ad præscriptionẽ, vt docet Cou.2.p.§.8. quia sæpè fit vt tituli obliuiscamur; multa enim habemus in rebus nostris, quæ vtrũ emptione, donatione, testamento, an aliter acceperimus, ignoramus. Requiritur tamen vt breuiore vel ordinatio tempore fiat præscriptio.

9 *Bona fides.* Tertiò, Requiritur *bona fides*, vt patet ex regula Iuris in Sexto, *Possessor malæ fidei non præscribit.* (in quam regulã Couarr. doctissimum commentarium scripsit, quem sæpè hîc citamus.) Idem habetur in c finali. de præscriptionibus, quod sumptum est ex Concil. Magno Lateranensi, vbi dicitur, *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est. Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quàm ciuilis; cum generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari. Vnde oportet vt qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Ex quibus verbis hoc etiam colligitur, *bonam fidem* in proposito esse credulitatem, qua quis sibi prudenter persuadet rem esse suam, vel saltem nescit esse alienam. Dico *prudenter*, quia si ex ignorantia crassa, vel inordinata cupiditate illa persuasio procedat, non erit bona fides.

Quid bona fides.

Continuata possessio. Quartò, Requiritur certi temporis continuata possessio: quod tempus varium est pro varietate rerum præscribendarum, vt infrà dicetur.

Circa prædictas conditiones, præsertim circa 3.& 4. sunt aliquot dubitationes. Vnde fit

Dvbitatio iii.

Vtrùm dubitans an res sit sua, censeatur bona fide eam possidere.

10 TRactat hoc Couar. ad regul. Possessor, p.2. §.7.n.3. & sequent.

Resp. & dico Primò, Qui dubitat, non censetur habere bonam fidem ad inchoandam possessionem, quamdiu manet dubitatio. Ita Couar. suprà. Ioannes Medina Cod. de restitutione q. 17. & est communis sententia Doctorum.

Ratio est, quia vt rem quam anteà non habebam, incipiam mihi vindicare & vsurpare, requiritur vt determinatè iudicem eam vel esse nullius, (& ita fieri meam per occupationem) vel certè esse meam, quamuis id anteà non aduerterim. Quòd si dubitem an sit mea, an aliena, iniquè ago eam mihi arrogans; cùm non sit melior mea conditio quàm alterius. In hoc casu, si dubium versetur inter duos, quorum neuter bona fide possidebat, res est diuidenda: quia par est Ius vtriusque; neque est vlla ratio cur alteri potiùs quàm alteri adiudicetur, vt dictum est 1.2.q.19.

Si sit dubiũ quando neuter possidet.

11 *Dubitatio non interpellat præscriptionẽ.* Dico Secundò, Qui dubitat, censetur habere bonam fidem sufficientem ad continuandam possessionem bona fide initam. vnde quando dubium superuenit ei qui bona fide cœpit possidere, non violat, nec interrumpit eam. Ita Couar. suprà §.7. n.3. & sequentib. vbi multos citat pro hac sententia. Idem docet Medina loco citato. Est contra Adrianum in 4.q. de præscriptione. & Sotum l.4. de Iustitia q.5. a.4. & quosdam alios, qui dicunt bonam fidem per tale dubium interrumpi, & ita non procedere præscriptionem. Sed probatur nostra sententia ex cap. Si virgo. 34. q.1. vbi dicitur, *In iure prædiorum, tamdiu vnusquisque possessor bona fidei dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum.* Idem indicatur c. finali de præscriptione, cùm dicitur, *Vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* atqui dubius non est sibi conscius rem esse alienam, & ignorat se possidere alienum: ergo manet possessor bonæ fidei, & procedit præscriptio. loquuntur autem hæc capita de continuatione possessionis, non autem de inchoatione.

Secundò, Probatur ratione; quia in pari dubio melior est conditio possidentis quàm non possidentis: ergo cùm is, qui incipit dubitare, iam possideat, melior est eius conditio quàm non possidentis; ac proinde potest rem retinere, etsi adhibita diligentia adhuc maneat dubitatio. quòd si potest rem retinere, etiam potest continuare possessionem perseuerante illo dubio. ergo hæc continuatio poterit perficere præscriptionem. nam sola illa possessio est inutilis ad præscribendum, quæ non est sine peccato, vt patet ex dicto c. finali.

Obijcitur contrà, Bona fides est existimatio, qua quis prudenter existimat rem, quam retinet, esse suam; atqui dubitans non existimat esse suam: ergo non habet bonam fidem.

Respon. Non tantùm est bona fides cùm quis positiuè credit rem esse suã, sed etiam cùm nescit esse alienam; vt colligitur ex cap. finali suprà. Vnde cùm dubitans nesciat esse alienam, censetur habere bonam fidem talem, qualis quidem non sufficit ad inchoandam præscriptionem, tamen ad continuandam sufficiens est.

Ex his potest colligi resolutio cuiusdam dubitatiunculæ, quam Couarr. tractat nu.2. suprà: Vtrùm detur medium inter bonam & malam fidem? Dicendum est dari medium, si hæc speculatiuè consideretur: non autem si in ordine ad praxim. Dubitans enim speculatiuè, nec bonam nec malam fidem habet, quia nec credit positiuè rem esse suam, nec alienam; sed hæret in medio. In ordine autem ad praxim habet vel bonam fidem vel malam: bonã, si agatur de continuatione possessionis benè inchoatæ; malam verò, si agatur de possessione primùm ineunda. Qui enim dubitat an res sit sua, mala fide possessionem incheat: quia contra conscientiam facit. scit enim se eam rem, de qua dubitat an alterius sit, sibi vindicare non posse. bona tamen fide possessionem ritè inchoatam continuat; quia cùm possessio ei suffragetur, nouit se rem illam ob dubitationem superuenientem non teneri deserere, & alteri tradere; sed satis esse vt diligenter de veritate inquirat; & si adhibita conuenienti pro rei momento inquisitione adhuc dubium perseuerauerit, se in sua possessione progredi posse: eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis.

12 *An detur medium inter bonã & malam fidem.*

Dvbitatio iv.

Si quis dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat eam retinere, & tamen retineat, vtrùm bona fide continuet possessionem, an mala.

13 REsp. Mala fide continuat possessionem; vnde non procedit ei præscriptio; vt expressè habe-

habetur L. Si fur π. de vsucapionibus, vbi dicitur, *Si quis id quod possidet non putet sibi licere per leges vsucapere, dicendum est, etsi erret, non procedere tamen eius vsucapionem, vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in iure erranti non procedat vsucapio.* Sed occasione huius legis occurrit dubium, de quo fusè Couarr. reg. Possessor. p. 2. §.7.n.5.& sequent.

Dvbitatio v.

Vtrùm si quis ex ignorantia iuris rem vsurpet vt suam, suamque esse existimet, habeat bonam fidem sufficientem ad præscribendum.

VErbi gratia, comparasti rem aliquam contractu vsurario, quem putabas iustum; quòd existimares vsuras mediocres iustè exigi; accepisti à Religioso vestem, equum, &c. nesciens Religiosum non posse donare; vtrùm cum tali errore currat præscriptio? Ioannes Medina q. 17. docet, quamuis ignorantiam inculpatam tam iuris quàm facti sufficere ad præscribendum in foro conscientiæ. Sed contrarium est verius, si agatur de præscriptione ordinaria. Pro quo

14 Dico Primò, Iuris clari ignorantia non sufficit ad præscriptionem rei, etiamsi sit omnino inculpata. Est communis sententia DD. vt docet Couar. reg. Possessor. p. 2. §. 7. n. 6.

Probatur L. Numquam 31. π. de vsucapionibus, vbi dicitur, *Numquam in vsucapionibus Iuris error possessoribus prodest.* & L. Iuris 4. π. de Iuris & fact. ignor. *Iuris ignorantia in vsucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* Et L. Error. 8. π. eod. tit. *Error facti, ne maribus quidem in damnis vel compendijs obest. Iuris autem error, nec feminis in compendijs prodest. ceterùm omnibus iuris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.* Idem habetur L. sequenti. Quare cùm leges nolint hunc errorem prodesse, non procedet cum eo præscriptio. sicut enim præscriptio iure humano constat, ita ab eodem potest circumscribi.

Error iuris impedit præscriptionem, maximè si vincibilis.

15 Dico Secundò, Huius tamen iuris ignorantia seu error inculpatus sufficit ad præscribendos fructus ex re illa perceptos. Ita Nauar. lib. 1. consil. 6. tit. de officio Iudicis. Couar. l. 1. variarum resolutionum cap. 3. nu. 8. Glossa in L. Si fur. 32. ff. de vsucap. §. 1. Innoc. Ancharana, Cardinal. & Imola, in cap. Ad nostram. 11. de rebus Eccl. non alien. & alij multi. Probatur ex L. Sed etsi 25. §. Scire. 6. π. de petitione hereditatis: vbi insinuatur, eum qui in iure errans possidet, posse comparare fructus; modò non sit prædo, id est malæ fidei possessor. Nec refert vtrùm fuerit error iuris nec assistentis nec resistentis cõtractui, an iuris resistentis: quia vtroque casu verum est, vt docet Nauar. & Couar. supra; etsi multi Iurisconsulti cum Bartolo id non admittant, cùm est error iuris resistentis. Ratio est, quia quando ius non distinguit, nec nos debemus distinguere: atqui d §. Scire, non distinguit, nec est vllus textus aut ratio efficax, qua illa distinctio probetur, vt Nauarrus ait. Deinde præter auctores citatos, ita docet Glossa in L. 2. C. Si quis ignorans rem min. esse; vbi Baldus & Salicetus secuti Glossam docent, errantẽ in iure bona fide, acquirere fructus ex contractu nullo & iure reprobato. Idem tenet Couarr. suprà. Præscribuntur autem fructus triennio bona fide possessi, vt docet Couar. suprà n. 7. & ex infrà dicendis patebit. Ratio cur fructus præscribatur, esse potest, quia error circa fructus videtur esse error facti; putat enim possessor se eos percipere ex re sua.

Sufficit ad fructuum vsucapionem.

Dico Tertiò, Ignorantia vel error Iuris valdè dubij, & etiam verè dubij, sufficit ad præscriptionem ipsius rei. Ita Nauar. suprà. *Error*, inquit, *iuris dubij perinde prodest ad hoc*, (vsucapionem) *sicut error facti.* Probat ex Glossa, Panor. Felino, & aliis in cap. De quarta, de præscriptionibus. Idem tenet Couar. §. 7. nu. 12. & Sil. verbo Præscriptio. §. 4. & alij. Nec refert, quòd aliqui ex his requirant vt hoc ius sit valdè dubium; quia sufficit esse verè dubium, vt Nauar. & Sil. Ratio est; quia quando Ius aliquod est verè dubium, (id est, de quo vtrimque sint multorum sententiæ) prudenter possumus in praxi vtramlibet sequi, perinde ac si ius planum esset. 16 *Error Iuris dubij.*

Hinc sequitur, posse vsucapere eum, qui aliquid contractu ambiguo, de quo vtrimque sunt opiniones Doctorum, comparauit.

Sed difficultas est, vtrùm sententia Medinæ sit aliquo modo probabilis. Quidam negant esse probabilem, etiamsi agatur de præscriptione longissimi temporis, quæ non requirit titulum, qualis est 30 & 40. annorum. Probatur Primò, ex iuribus adductis nu. 14. quæ expressè habent, iuris errorem in præscriptione non prodesse. Secundò, quia cum mala fide non procedit vllo tempore præscriptio. cap. fin. de præscript. Atqui is qui per ignorantiam iuris rem acquirit, comparando illam per contractum iure inualidum, habet malam fidem, vt iura loquuntur; ergo. Minor probatur ex L. Quemadmodum. 7. C. de agricolis & censitis, vbi dicitur, eum, qui emit adscriptitium sine gleba, non posse vsucapere. *Quia*, inquit, *malæ fidei possessorem esse nemo ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.* Vbi aduerte, non dici, talem præsumi habere malam fidem, sed habere malam fidem. Nam Iura malam fidem vocant non solùm credulitatem qua quis credit, aut dubitat rem non esse suam quam retinet vt suam, sed etiam, qua quis ex errore iuris seriò putat esse suã; hanc enim ideò vocant malam, quia est inutilis ad præscriptionẽ. Tertiò, probatur ex cap. Dudum 31. de decimis. vbi Pontifex decimas, quas Rex Hungariæ dederat Hospitalariis S. Stephani, adiudicat Episcopo: eò quòd acceperant illas à manu laici, qui iure eas non poterat possidere, ac proinde nec donare: vbi Pontifex non ponderat lapsum temporis 40. annorũ nondum expleti, sed titulũ ex errore iuris inductum, ac proinde inualidum. Quartò, Etiamsi pars aduersa, contra quam Titius intendit præscribere, fateretur illum ignorantia inuincibili iuris laborasse, nihilominùs in foro externo Titius condemnaretur: ergo ibi non proceditur ex præsumptione malæ fidei, sed ex eo quòd credulitas ex errore proueniens sit reuerà mala fides. Confir. Quia alioquin Ius ciuile foueret peccatum, auferendo rem vero domino, qui iam præscriptione acquisiuerat verum dominium. Quintò, Etiamsi concederetur illas leges procedere ex præsumptione malæ fidei, tamen res istæ non possent præscribi tempore 30. annorum, sed solùm tempore cuius initij non extat memo- 17 *Sententia Medinæ an sit probabilis.*

ria:

ria: quia præsumptio iuris illi obstat, iuxta cap.1. de præscript.in 6.

Hæc ferè sunt argumenta, quibus hæc sententia probari potest, quam proinde tenet noster Molina disput. 64. (qui etiam putat contrariam non esse probabilem) Glossa in cap.2. de his quæ fiunt à Prælato. & in cap. Apostolicæ, 9. de donat. Felinus in cap. De quarta, 4.n.34. de præscript. Abbas in cap. Cùm non liceat, col. 6. Cynus in l. Si quis emptionis, §.1.C.de præscript.30.annorum. Bart.in L. Sed etsi, §. Scire, ff. de petit. heredit.

Contraria probabilior.

Sed contrariam iudico veriorē & probabiliorem, quando agitur de præscriptione 30.annorū. Hanc tenet expresè Couar.ad regul.Possessor.p.2.§.7. n.6.concl.2. *Error*, inquit, *iuris bonam fidem inducis sufficientem ad eam præscriptionem quæ titulum non requirit, sed sola bona fide procedit*, qualis nimirum est 30.annorum. Et quamuis in sequentibus videatur hoc restringere ad errorem iuris nec assistētis nec resistentis: (quale plurimorum DD. iudicio est de testamentorum solemnitatibus) tamen posteà n.11. idem concedit de errore iuris contractui resistentis, modò sit error inuincibilis. *Quantum*, inquit, *ad præscriptionem error iuris excluditur, nec ex eo præscriptio procedit, quia illa culpa & negligentia in iuris errore, & in non inquirendo diligēter quid leges de illo actu ad eius iustitiam statuerint, efficit, vt ad effectum præscribendi iuris error vel mala fides iudicetur, vel eius vicem habeat; iuxta regulam, Qui contra iura, &c. quo fit vt si contingat errorem iuris etiam resistentis inuincibilē esse, tunc præscriptio in animæ iudicio obtinebit, atque ita defendi poterit Ioannis Medinæ opinio. Imò & ea sic intellecta apud Iudicem exteriorem admittenda est, sicut apertissimè in tertia conclus. probatur.* Hæc Couarr. Eamdē sententiam tenet Alexander Imolensis in d. cap. De quarta. & in repetit. cap. fin. col.4.in fine de præscript.& col.10.adducit Antonium Butrio in cap. Cura.11. de iure patron. qui etiam id docet in cap. Peruenit 4. de empt.& vendit. vbi dicit, *Licet error iuris circa titulum impediat præscriptionem ad quam requiritur titulus, non tamen impedit præscriptionem ad cuius substantiam nō requiritur titulus, sed sola bona fides, vt est præscriptio 30. annorum.* Idem tenent Paulus de Castro consil.152.§. Circa præsentem casum, col.3. & consil.40. §. in causa. col.1. & maximè in L. Celsus.27.post principium. ff. de vsucap. Ludouicus Romanus consil.123.§. Circa primum dubium, col.4. Pro eadem citat Couar. Alexandrum consil.125. Felinum in cap. Cùm contingat 24. de rescriptis. Iason. in L. Si quis id quod. notab.8. & ibidem Decium, ff. de Iurisdictione omnium Iudicum, & Anton. Rub. cons. 75. qui hanc omnium fatetur esse communem.

Probatur Primò, Præscriptio tricenaria non requirit titulum, sed tantùm possessionem bonæ fidei tanto tempore continuatam: atqui is qui errat in iure, potest habere bonam fidem, & cum ea possidere tempore præscripto; ergo. Minor probatur, quia doctiores, quos commodè potuit, consuluit, & omnia fecit quæ tenebatur facere ad cognoscendas contractus leges; ita vt ignorantia sit planè inuincibilis; ergo habet bonam fidem. Quod cōfirmatur: quia cùm ius est obscurum seu dubium, ideò error iuris non excludit bonam fidem de titulo, quòd error tunc planè sit inculpatus, & homo fecit quidquid debuit ad veritatem cognoscendam. ergo similiter quando ius non est quidem obscurum sed ignotum, error non excludet bonam fidem, si homo fecit quod in se est vt veritatem cognosceret. Ita Couar. suprà, vbi dicit hanc rationem apertissimè concludere.

Secundò, Ideò error iuris impedit præscriptionem, quia qui sic errat, præsumitur habere malam fidem, vel reuerà habet; sed iure ciuili præscriptio tricenaria & quadragenaria locum habet etiam cum mala fide: vt patet L. Si quis emptionis. C. de præscript. 30. vel 40. annorum: ergo iure ciuili tricenaria præscriptio valet etiam cum errore iuris. Conseq. est clara, & antecedens quoad vtramque partem admittitur ab omnibus.

Dices, Ius ciuile qua parte concedit præscriptionem tricenariam cum mala fide, est correctum per Canones; vt patet cap. Vigilanti 5. & cap. fin. de præscriptione.

Respon. non esse correctum nisi quoad malam fidem, quæ est cum peccato: tota enim ratio illius præscriptionis tollendæ erat, quia sine peccato & dispendio salutis non poterat seruari. atqui cùm est error iuris inuincibilis, nullum est peccatum in possessione: ergo quoad hanc malam fidem non est correctum. Hæc ratio videtur hanc sententiam planè conuincere.

Tertiò, Ideò leges iuris ignorantiam circa titulum non admittunt in præscriptione ordinaria, quia is qui ius sui contractus ignorat, præsumitur non bona fide inchoasse possessionem; quia tenebatur adhibere diligentiam vt sciret quid ius præscribat, vt rectè docet Couarr. suprà nu.10. ergo si reuerà nulla fuit negligentia, & error sit prorsus inculpatus, in foro conscientiæ, vbi cessat præsumptio, poterit præscribere. Antecedens est Couarr. suprà, & multorum DD. & confir. ex regula 82. in 6. *Qui contra iura mercatur, bonam fidem habere non præsumitur.* quam regulam intelligi de præsumptione iuris docet ibidem Glossa, & ipsa verba satis indicant. Idem confir. ex L. Quemadmodum.7.C de agric.& censit.

Quartò, Multi DD. docent præscriptionem ordinariam, quæ titulum requirit, procedere cum ignorantia iuris in iis, in quibus error iuris toleratur; vt in minore, rustico, milite, muliere: quia in his non præsumitur mala fides si aliquam diligentiam adhibuerunt: ita Molina Iureconsl.lib.2. de primogeniis cap.7 n.69 cum aliis quibusdam quos citat.& Baldus in L. Venditioni, C. de Vsucap.pro empt.& in L. Possessiones, C. Si quis ignor. rem minor. esse. Vbi dicit excusari si errans est miles, vel mulier, vel est passus in iure difficilis, de quo interrogans sapientem, habuit responsum erroneum. Ex his patet Medinæ sententiam esse valdè probabilem, & iure veriorem in præscriptione 30.annorum, quæ titulum non requirit: in præscriptione autem ordinaria, quæ requirit titulum, in foro conscientiæ non esse improbabilem. imò non videri improbabile etiam in foro externo admittendam esse, si probatum fuerit nullam negligentiam possessoris interuenisse, sed illum fecisse quantum pro sua conditione potuit, vt iura cognosceret. Idem probant 3.& 4.ratio, & confirmatio primæ rationis.

Nec obstat quòd hæc præsumptio malæ fidei sit præsumptio Iuris, & de iure, contra quam nō admittitur probatio, cùm sit instar iuris; quia etsi ordinariè non admittatur, tamen quando subest euidens

dens causa, potest admitti, vel Iudicis benignitate, vel restitutione in integrum, ex clausula generali, Si qua mihi iusta causa esse videbitur, de qua L.1.in fine, ff. Ex quibus causis maiores, &c.

Ad argumenta. Ad Primam rationem sententiæ aduersæ Respon. illa Iura loqui de præscriptione ordinaria requirente titulum, quæ triennio, 10. vel 20. annis expletur, non autem de præscriptione 30. annorum. Hæc enim iure Pandectarum (vnde sunt illæ leges citatæ) non est cognita, sed iure Codicis introducta. Secundò, dici potest illa procedere ex præsumptione malæ fidei. præsumitur enim, cùm est error iuris in cõtractu, interuenisse saltem negligentiam aliquã, nec adhibitam omnem diligẽtiam, quæ potuit & debuit adhiberi. & ita error iuris non prodest in cõpendijs: nisi probetur adhibitam omnẽ diligentiam vt ius sciretur. Cũ hoc tamen stat, quòd possit prodesse in foro conscientiæ, vbi cessat præsumptio, & statur ipsa veritate.

Ad Secundam, Nego illum reuerà habere malam fidem, si error erat inuincibilis. solùm enim præsumitur habere, quia præsumitur non adhibuisse diligentiam quam debuit, vt sciret Iura. Neque Iura credulitatem ex errore inculpato vocant malam fidem, eò quòd sit inutilis ad præscriptionem: esset enim petitio principij. Ideò enim credulitas aliqua est inutilis ad præscriptionem, quia est mala fides; non autem ideò est mala fides, quia inutilis ad præscriptionem. Deinde valdè impropriè diceretur talis mala fide possidere. Denique cap. Vigilanti, & cap. fin. de præscript. nullam agnoscit in hac materia malam fidem, nisi quæ est cum peccato: talis autem credulitas ex errore iuris inculpato non est peccatum.

Nec obstat L. Quemadmodum. sensus enim est, nullus iuris peritus ambigit esse malæ fidei possessorem (nempe quoad forum externum) qui contra legum interdicta mercatur. Confir. quia ex illa lege sumpta est regula Iuris 82. *Qui contra Iura mercatur, bonam fidem nõ præsumitur habere.* quæ apertè loquitur de præsumptione, illamque legem explicat: vnde eodem modo intelligenda. Confir. 2. quia eadem L. dicitur, emptorem amittere pretium: atqui hoc non est iustum, nisi interuenerit aliqua culpa in emptione: ergo agitur de errore culpabili. Addo, Etiamsi mala fides sic acciperetur, timen cùm præscriptio 30. annorum Iure ciuili cum mala fide procedat, & talis mala fides non sit reiecta per Canones, consequens est eam non obsistere tali præscriptioni; cuius etiam signum euidens est, quòd in d. L. Quemadmodum. solùm dicatur, per talem malam fidem excludi præscriptionem longi temporis: insinuando non excludi præscriptionem longissimi temporis, qualis est tricenaria.

Ad Tertiam, Ad præscribendas illas decimas requirebatur possessio 40. annorum bona fide cum titulo; vel possessio à tempore immemorabili sine titulo. quia ius illi præscriptioni resistit, vt constat ex cap. 1. de præscript. in 6. Illi autem Hospitalarij non possederant à tempore immemorabili. vnde cogebantur ostendere titulum; in quo titulo acquirendo præsumitur fuisse malæ fidei, eò quòd errauerint in iure manifesto, qui error præsumitur culpabilis, nisi contrarium probatum fuerit. An tempus 40. annorum fuerit elapsum, non constat ex textu, itaque non est mirum, si Pontifex id non ponderarit.

Ad Quartam, Nego id esse verum in præscriptione tricenaria; imò probabile est nec in ordinaria verum esse, si pars aduersa fateatur illũ omnem diligentiam adhibuisse. Ad Confir. Non magis fouet peccatum, quàm quãdo testamenta non solemnia rescindit, vel non protegit, aut promissionem absque stipulatione factam non admittit, &c. Vel dici potest, quòd sicut præscriptio est iure ciuili introducta; ita etiam iure ciuili in quibusdam casibus possit rescindi; vt patet cùm datur restitutio in integrum contra præscriptionem. Probabile tamen est in foro conscientiæ, si constet omnem operam debitam fuisse adhibitam, non rescindi ratione ignorantiæ iuris, etiamsi contra præscribentem sententia feratur. quia sententia procedit ex falsa præsumptione. Parendum tamen sententiæ ob scandalum, & ne iuris ratio perturbetur, sicut in multis similibus vsuenit.

Ad Quintam, Negandum est antecedens Ad probationem Resp. illud cap. loqui non de præsumptione malæ fidei ratione ignorantiæ iuris, sed ratione conditionis ipsius rei; eò quòd res ipsa talis sit naturæ, vt iure communi non videatur posse à tali possideri, sicut decimæ à laico; aut decimæ huius diœcesis ab Episcopo alterius diœcesis. itaque nihil ad rem facit.

Dico Quartò, Error inducens bonam fidem 18
omnino sufficientem ad vsucapionem, regulariter est error facti.

Sequitur ex dictis; vt si rem acceperis à fure, nesciens esse furem, tenes illam bona fide, orta ex errore facti. Similiter si emptione vel donatione habeas à pupillo, nesciens esse pupillum; vt patet L. Pro emptore. 2. ff. Pro emptore. Pari modo si emas à Prælato rem Ecclesiæ, putans Capitulum consensisse, est error facti, & potes præscribere, etiamsi Capitulum non consenserit. Si autem emeris à Prælato, putans non requiri consensum Capituli, est error iuris; nec potes præscribere, nisi fructus rei, non autem rem ipsam. vt docet Couar. n. 6. intellige tempore ordinario, & vt suprà explicatum.

Dvbitatio vi.

Vtrùm aliquando cum mala fide procedat præscriptio.

Vide Couar. ad reg. Possessor, p. 2. §. 11.

Resp. Proprie loquendo numquam pro- 19
cedit præscriptio cum mala fide. Nam leges ciuiles statuentes præscriptionem 30. aut 40. annorum etiam cum mala fide procedere, sunt abrogatæ Iure canonico. vt patet c. finali, de præscriptionibus. Vnde omnes leges particularium locorum, statuentes præscriptionem post certum aliquod tempus, siue in rebus corporalibus siue in spiritualibus (.i. iuribus seu actionibus realibus & personalibus) requirunt suo modo bonam fidem. vt fusè docet Couar. §. 11.

Vnde infertur Primò, vt præscribam contra *Præscriptio contra debitum pecuniarium, vel actionem.* debitũ pecuniarium, vel contra actionem ad tale debitum, quam habet Petrus in me, nõ sufficit vt Petrus toto tempore non exigat debitum, aut non meminerit; sed requiritur vt ego certo temporis spatio bona fide existimem me nihil debere Petro; v.g. vt putem esse condonatũ, vel solutum, vel

vt

vt omnino memoria exciderit. Ratio est, quia aliàs non censebor bona fide possidere ius non soluendi. etsi enim creditor me non interpellet; tamen terminus elapsus ipsaque dies interpellat & monet solutionis. quare cùm peccem non soluendo, non potest mihi procedere præscriptio: iuxta cap. finale suprà. Similiter, etsi famulus intra biennium, ex quo desijt famulari, non petat stipendiũ à domino; non tamen potest dominus præscribere contra debitum illud, nisi bona fide putet solutũ.

20 *Potest denegari actio in iudicio.* Aduerte tamen, non esse improbabile, cum mala fide posse præscribi contra actionem personalem; ita vt si certo tempore creditor non exigat debitũ, postea non possit illud petere in iudicio, eique denegetur actio; vt docet Adrianus quodlib. 6. a. 3. Sic Carolus V. anno 1540. Bruxellæ statuit, vt famuli mercedem pactam petant à dominis intra biennium, à die à quo seruire cessauerint: alioquin non possint eam petere in iudicio, nisi scripturã producant. non tamen per hoc liberatur dominus in conscientia, si mala fide retinet: sicut non liberatur is, qui rem emit minoris iusto, etsi non infra dimidium: neque is qui nudo pacto promisit aliquid; etsi contra hos non detur actio in foro externo. Contrarium tamen est verius, vt ostendit Couar. si enim constaret debitorem mala fide non soluisse, condemnaretur. hoc autem constare vix potest, nisi ex ipsius confessione.

21 *Ius eligẽdi, præsentandi, &c.* Infertur Secundò, Vt quis præscribat ius eligendi, præsentandi, pascendi, aut venandi in alieno prædio, aut alterius seruitutis; requiri vt bona fide vtatur tali iure tempore lege constituto; si enim mala fide vtitur, sciens se non rectè facere, non currit præscriptio.

Obiectiones. Contra actionem fisci. Obijcitur Primò, Is cuius bona per legem pœnalem addicta sunt fisco, eiusque heredes præscribunt contra fisci actionem, cùm tamen sciant bona sua fisco deberi. ergo aliquando cum mala fide currit præscriptio.

Resp. Iurisperiti hoc passim vocant malam fidem: sed rectiùs dicitur cum Theologis, tales habere bonam fidem: non quidem qua sibi persuadeant hæc bona absolutè & pleno iure esse sua: sed qua iudicent licere sibi ea retinere, donec per fiscum auferantur: & se non teneri fisco ea offerre. de quo vide Couar. ad 4. Decretal. p. 2. c. 6. §. 8. à numero 5.

Contra seruitutem rusticam. Obijcitur Secundò, Possùm præscribere contra eum, qui habet ius seruitutis rusticæ in meo prædio, etiamsi sciam ipsum hoc ius verè habere: ergo cum mala fide.

Resp. neg. conseq. Aliud enim est acquirere ius aliquid agendi in re alterius; aliud extinguere ius, quod alter habet ratione prædij rustici in re mea. hoc denique nihil aliud est quàm præscribere libertatem rerum mearum: quod fieri potest etiamsi sciam alterum ius habuisse. Itaque altero habente ius seruitutis in prædijs meis, (v. g. vt possit transire per meum hortum vel agrum; vt possit pascere in meis prædijs) cùm non requiratur vllus actus in me vt ego contra ius illud præscribam; sed sufficiat vt ipse iure suo certo tempore non vtatur (vt habetur L. Hæc autem iura. 6. π. De seruitutib. vrbanor. prædior.) nõ sum in mala fide, etsi sciam illum ius habere. nam nihil facio illicitum, nec aliquid omitto, quod debeo. non enim teneor illum monere vt iure suo vtatur. Itaque sum in bona fide, vt rectè Medina q. 17. c. de restitutione: quia bona fide sino illum iure suo non vti, & mihi libertatem creari. secùs verò est quando alter habet ius, non quidem aliquid faciendi circa rem meam; sed vt ego aliquid non faciam; v. g. ne altiùs ædificem, ne fenestras in hortum ipsius aperiam, & similia. Tunc enim vt ego extinguam illud ius, requiritur vt bona fide faciam contrarium, & ille per certum tempus non contradicat; iuxta legem citatam.

Dvbitatio VII.

Quantum temporis requiratur ad vsucapionem rerum mobilium.

NOtandum est, ante tempora Iustiniani res mobiles in Italia potuisse vsucapi annali possessione bona fide continuata; immobiles biennio. Verùm ipse hoc ius tamquam parum consentaneum æquitati, plenumque litigiorum reformauit, vt videre est Tit. De annali except. Italic. contract. tollenda, & Tit. de Vsucap. transfor. cuius reformationem amplexum est Ius canonicum. Iuxta hanc igitur

22 *Res mobiles.* Respondeo & dico primò, Ad vsucapionem rerum mobilium priuati hominis, vel etiam Ecclesiæ, cum titulo requiritur & sufficit possessio per triennium bona fide continuata. Est communis sententia DD. vt docet Couar. reg. Possess. p. 2. §. 2. n. 5. *De rebus priuatorum*, habetur C. de vsucapione transformanda, L. vnica. & Instit. de vsucapionibus, §. 1.

De rebus Ecclesiæ habetur Authent. Quas actiones, C. de Sacrosanctis Eccl. *Quæ actiones aliàs decennalis, aliàs vicennalis, aliàs tricẽnalis præscriptio excludit; hæ, si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur: Vsucapione trienny, vel quadrienny præscriptione in suo robore durantibus: sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio vel priuilegio.* Quæ Authent. recepta est ab Ecclesia, vt patet ex Decret. 16. q. 3. c. vit. & pænult. Ex qua constat, in rebus & actionibus, quæ minore tempore quàm decennio vsucapiuntur vel præscribuntur, par esse ius priuati & Ecclesiæ. talis est actio redhibitoria, actio de dolo, quanti minoris, & similes. Tituli autem huius Vsucapionis à DD. numerantur decem.

Tituli Vsucapionis mobilium 10. Primus est, *Pro soluto.* vt si putans me ex aliqua causa debere tibi 100. aureos, soluam, vel catenam auream loco solutionis tradam, tuque bona fide recipias. ita habetur L. 2. π. Pro emptore; vbi dicitur, *Si existimans me debere, tibi ignoranti tradam, vsucapies.* Idem dicendum cùm quid per errorem soluitur secundò. Excipe tamen, nisi putem me debere, vel possidere ex emptione quæ non præcessit. Tunc enim triennio id non vsucapietur; vt ibidem dicitur.

Secundus, *Pro emptore.* vt si emas rem bona fide à furioso quem putabas sanæ mentis. secùs si à prodigo vel aleatore, cui interdicta administratio: quia requiritur bona fides non solùm in accipiente, sed etiam in tradente. idque necessarium in omni vsucapione mobilium, quocumque titulo vsucapias. L. 2. π. Pro emptore.

Tertius, *Pro transacto.* vt cùm aliquid bona fide est traditum & acceptum causa transactionis, vt à lite recedatur. L. Ex causa, C. de Vsucap. pro

pro empt. vel transact. vbi dicitur, *Ex causa transactionis habentes iustam causam possessionis, vsucapere possunt.* Nec refert etiamsi ea res fortè sit aliena: modò non sit furtiuè ant vi possessa, aut res fisci, aut pupilli; sed talis quæ vsucapi possit: quod in omni vsucapione ordinaria est necessarium.

Quartus, *Pro herede.* vt cùm quis verè est heres, aut bona fide se heredem putat. intellige vt suprà, nisi res sit vitiosa, id est, cuius conditioni obstet Vsucapio. Aduerte tamen, quando extat heres qui dicitur *suus*, alios non posse contra illum vsucapere, vt infrà Dub. 13. dicetur.

Quintus, *Pro donato.* vt cùm quis bona fide donauit rem alienam ignoranti. L. 2. π. Pro donato. *Si is qui alienam rem donauerit, reuocare constituerit donationem, etiamsi iudicium ediderit, remque cœperit vindicare, currit vsucapio.* Hîc tamen requiritur vt donatio non sit inualida ratione personæ. Hinc filius sub patria potestate constitutus non potest vsucapere donatum à patre, nec coniunx donatum à coniuge, vt habetur L. 1. π. Pro donato. Qui tamen emit à coniuge, quod sic donatum nouit, potest illud vsucapere. quia cum consensu coniugis præsumitur venditum, vt habetur L. Si id quod. π. Pro derelicto.

Sextus, *Pro derelicto.* vt cùm quis cœpit bona fide possidere rem, quæ à domino putabatur habita pro derelicto. Idem dicendum de eo qui conditionem rei sciens, illam emit, vt habetur d. L. Si id quod.

Septimus, *Pro legato.* vt si testator credebatur sanæ mentis, non tamen erat: si legatum per codicillum ademptum erat, & id ignorabatur; L. 4. π. Pro legato. *Pro legato potest vsucapi, si res aliena legata sit; aut testatoris quidem sit, sed adempta codicillis ignoratur. in horum enim persona subest iusta causa, quæ sufficit ad vsucapionem.* Addit: *Idem dici potest, etsi in nomine erit dubitatio: veluti si Titio legatum sit, cùm sint duo Titij, vt alter eorum de se cogitatum existimauerit.* Idem L. fin. π. eodem.

Octauus, *Pro dote.* vt si res aliena bona fide pro dote data sit; L. 1. π. Pro dote. Incipit autem hæc vsucapio à tempore quo cœpit esse maritus per contractum de præsenti, non antè, vt ibidem dicitur: quia dos tunc primùm incipit possideri titulo dotis. Si sponso aliquid à sponsa detur ea mente vt statim fiat eius, poterit illud vsucapere *pro suo*, non *pro dote*, vt ibidem habetur.

Nonus, *Pro suo.* hic titulus est valdè generalis, & oritur ex omnibus iis quibus putamus nobis acquiri dominium, remque possidemus vt nostram; vt patet L. 1. π. Pro suo. Hoc modo potest quis vsucapere fructum rei furtiuæ, quam bona fide emit: v. g. agri, vel ancillæ, etsi rem ipsam furtiuam vsucapere nequeat. L. 4. π. eodem. Sic si heres putet Titio aliquid legatum, quod non est legatum, vsucapiet Titius pro suo. ibidem. Denique quando quis in rebus suis inuenit aliquid non furtiuum, aut vi possessum, quod bona fide ex aliquo titulo, etsi falso, putat esse suum, potest illud vsucapere, L. fin. π. Pro suo.

Hi ferè nouem tituli habentur lib. 41. Digest. & in C. lib. 7. Addunt DD. decimum, *Pro iudicato.* vt cùm res est iudicata, & spatio decem dierum non est appellatum. Hoc modo excluditur ius appellationis; & sententia transit in rem iudicatam, vt habetur Nouella 23. Quod etiam amplexa est Ecclesia in iudiciis ecclesiasticis, vt patet cap. 27. Anteriorum. 2. q. 6. Ex his satis patet quomodo se habeat vsucapio in mobilibus.

Ecclesia Romana.

Petes, Vtrùm vsucapio triennalis etiam locum habeat contra Ecclesiam Romanam? Videtur non habere; nam post illa verba, *Vsucap. triennij*, &c. subiungitur, *sola Ecclesia Romana*, &c. quasi sit exceptio ab vtraque sententia præcedente. Confirm. cap. Cùm vobis. 14. de præscriptionibus. vbi generatim absque distinctione mobilium & immobilium dicitur, *Contra Ecclesiam Romanam, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi vendicat.* vbi Glossa, v. Centum: *Hæc præscriptio obtinet in rebus & possessionibus.* distinguens *res* à *possessionibus*, tamquam mobilia ab immobilibus. & Panorm. in cap. Cùm dilecta. 4. de Confir. vtili vel inutili. v. Possessiones: *Ecclesia Romana gaudet præscriptione centum annorum, non solùm in rebus priuatis ipsius Romanæ Ecclesiæ, sed etiam in omnibus iuribus & possessionibus, quæ competunt ratione libertatis datæ: vt cùm eximit aliquod Monasterium, vel Capitulum a iurisdictione Ordinarij.* addit Panorm. *Et sentiunt DD. hîc ex illa generalitate verborum hoc procedere tam in rebus mobilibus quàm immobilibus, corporalibus & incorporalibus, quod bene notes. Ex hoc enim infertur, quòd vsucapio triennalis in rebus mobilibus non habet locum contra Ecclesiam Romanam.* Idem tenet Siluest. v. Præscriptio 1. num. 7. §. Tertium. Hæc sententia est valdè probabilis. Nihilominùs altera quoque sententia probabilis est; nimirum triennalem mobilium præscriptionem contra Ecclesiam Romanam locum habere. ita Couar. suprà, generatim docens, par esse ius priuati & Ecclesiæ in rebus & actionibus quæ minori tempore quàm decennio vsucapiuntur. & Molina disput. 68 citans Glossam, & DD. in illam Authent. Probatur, quia illa exceptio, *sola Romana*, &c. solùm intelligenda est fieri ab illis verbis, *Hæ si religioso loco competant*, &c. & illa, *Vsucapione triennij*, &c. veluti per parenthesin interiecta. Id apertè indicant DD. in periocha huius Authent. Confir. quia alias non rectè diceretur, *Vsucapionem triennij*, &c. *in suo robore durare*, hoc enim significat nihil in illa mutari: at aliquid in ea mutaretur, si statim ab ea fieret exceptio. Deinde hæc Authentic. ex tribus diuersis Iustiniani Nouellis contexta est. Prima pars est ex Nouella 131. cap. 6. pro temporalibus præscriptionibus, &c. Secunda, *vsucap. triennij*, ex Nouella 111. cap. 1. Tertia, *sola Romana*, ex parte est ex Nouella 9. vbi solùm in præscriptione longissimi temporis, quale est spatium 30. annorum, concedit Ecclesiæ 100. annos. Vnde hoc non est extendendum ad vsucapionem triennalem & quadriennalem. Mihi tamen probatur prior sententia, quia hæc res non solùm pender ex vi istius Authentic. sed maximè ex ordinatione Canonum, qui generatim loquuntur.

Sico Secundò; Ad vsucapionem rerum mobilium sine titulo, requiruntur anni 30. siue priuati eæ sint, siue Ecclesiæ. est communis DD.

Prior pars patet ex L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annorum; vbi res immobiles contra priuatum præscribuntur 30. annis, sine titulo. Idem ergo censendum de mobilibus, cùm nihil aliud de his sit statutum, absente titulo.

Altera probatur; quia cùm Ecclesia in mobilibus non habeat priuilegium, sed solùm in immobilibus, eodem iure censeri debet quo priuatus. de quo vide Couar. §. 5. n. 2. Ego tamen excepterim Ecclesiam Romanam, iuxta prædicta.

DVBITATIO VIII.

Quantum temporis requiratur ad immobilium præscriptionem, siue contra priuatum, siue contra Ecclesiam, vel piam causam.

23 *Immobilia priuatorũ.* DIco Primò, Ad præscribenda bona immobilia priuatorum, cum titulo requiritur spatium 10. annorum inter præsentes, 20. inter absentes: sine titulo requiruntur anni 30. Est communis sententia DD. in cap. Sanctorum, de præscript. & alibi.

Prior pars habetur Instit. de vsucap. §. 1. & L. Cùm in longi. vlt. C. de præscript. longi temporis. vbi tria notanda sunt. Primum est, Longum tempus in materia vsucapionis vocari spatium 10. annorum inter præsentes, 20. inter absentes. longissimum autem spatium 30. vel 40. annorum. Patet ex d. L. Cùm in longi.

Longum tempus.

Longissimum.

Præsentes. Secundum, *Præsentes* dici, qui in eodem territorio habitant; vt sunt omnes qui in territorio Louanienſi, etiamsi non in ciuitate: *absentes*, qui in diuersis territoriis, vt docet Panorm. in cap. De quarta, de præscriptione. num. 30.

Tertium, Si præsens fueris 7. annis, & posteà egrediaris territorium habitaturus alibi, opus est adhuc sex annis, vt res immobilis contra te præscribatur. Ratio est; quia supererant tres anni ad complendam præscriptionem contra præsentem, qui debent duplicari ratione absentiæ: vt habetur expresè Auth. Quòd si quis. C. de præscriptione longi temporis. vnus enim annus præsentiæ æquialet duobus annis absentiæ. Silu. verbo Præscriptio. 1. q. 7. & reliqui DD.

Vnus annus præsentiæ æquialet duobus absentiæ.

Altera pars, *Sine titulo requiri annos* 30. patet ex cap. Sanctorum, de præscriptione. Idem colligitur ex L. Si quis emptionis. 8. §. 2. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum.

Vbi non requiratur titulus. Vbi aduerte, quando agitur de præscriptione 30. vel 40. annorum, *ordinariè* neque Iure Pontificio neque Cæsareo requiri titulum; sed sufficere bonam fidem cum possessione tanti temporis: vt docet Couar. reg. Poss. §. 5. num. 2. ex communi Doctorum sententia. Dixi *ordinariè*, quia interdum exigitur tituli probatio; nempe quando præsumptio Iuris est contra præscribentem, vt docet Couar. l. 1. variat. cap. 17. n. 7. vt fit quando Episcopus vnius diœcesis vult præscribere decimas sitas in alia diœcesi, vt habemus c. 1. de præscriptione, in 6. Hìc enim ex possessione 40. annorum non præsumitur titulus; sed requiritur tituli probatio; vel certè, vt à tempore, cuius initij memoria non extat, possederit.

Tituli probatio.

24 *Contra pupillum & minorem.* Dico Secundò, Si priuatus ille fuerit pupillus, nulla contra eum, quamdiu est in ea ætate, datur præscriptio, siue mobilium siue immobilium: si autem non sit pupillus, sed minor (id est, nondum habens 25. annos expletos) requiruntur 30. anni.

Prior pars patet L. Sicut in rem. 3. C. de præscriptione 30. annorum. factum id est in fauorem pupillaris ætatis & status.

Altera pars habetur L. vltima, C. In quibus causis in integrum restitutio necessaria non est. Ratio est, quia minores non ita rebus suis possunt inuigilare, vt maiores, præsertim cùm administrationem non habeant.

Dico Tertiò, Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur anni 100. contra aliam Ecclesiam, vel Hospitale, vel Monasterium, vel contra pias causas, requiruntur anni 40. est communis DD. De Ecclesia Romana habetur Authentica, Quas actiones. C. De sacrosanctis Ecclesiis; vbi præscriptionis tempus contra reliquas Ecclesias & pia loca restringitur ad annos 40. (cùm anteà esset annorum 100. vt patet ex L. Vt inter diuinum, quæ immediatè præcedit) & soli Ecclesiæ Romanæ inter loca pia reseruatur priuilegium 100. annorum. Dico, *inter loca pia*, quia hìc non reuocatur priuilegium, quod in dicta lege, Vt inter diuinum, erat concessum ciuitatibus, vt contra eas non possit præscribi nisi 100. annorum spatio, si quid illis per vltimam voluntatem relictum, vel si quid donatum vel venditum fuisset; vt rectè Couar. §. 2. num. 15. Idem de *Ecclesia Romana* habent in multis Canonib. tit. de præscriptione. De *alijs Ecclesiis* habetur tum alibi, tum cap. De quarta, de præscriptione. De *alijs pijs locis & causis* habetur Authent. Quas actiones; & probat Couar. reg. Possessor. §. 2. n. 3. vbi etiam refutat quosdam, qui putabant contra pauperes non prælcribi.

25 *Contra Ecclesiam & pias causas.*

Hìc tamen notandum est Primò, Quibusdam Monasteriis & Collegiis Regularium concessum esse vt res immobiles non possint contra ipsos præscribi nisi annis 60. Concessit hoc Eugenius IV. de plenitudine potestatis, Ordini S. Benedicti, & Iulius II. Congregationi S. Saluatoris, vt ex eorum priuilegiis manuscriptis constat. Idem concessum Ordinibus illis, qui horum priuilegiis participant; vt Societati nostræ, & quibusdam aliis.

Priuilegiũ quorumdã Regulariũ.

Secundò, Si res priuati incipiat esse Ecclesiæ, & contra priuatum præsentem anni quinque sint exacti, non requiri vlteriùs spatium 35. annorum ad complendam præscriptionem contra Ecclesiam; sed sufficiunt 20. quia quinque priores contra priuatum continent dimidium tempus necessarium. vt docet Silu. verbo Præscriptio, q. 7. §. Sextum. consentiunt alij DD.

Tertiò, nomine *bonorum immobilium* hìc etiam intelligi Iura, & actiones ad immobilia: item beneficia, census, reditus, Ius patronatus, vsusfructus, & seruitutes. hæc enim omnia fixa manent, & instar immobilium fructum vel commoditatem adferunt. Itaque de his iudicandum iuxta duas propositiones supradictas. Maioris tamen lucis causa, & quia interdum in his est aliqua diuersitas, breuiter agemus de singulis.

Bona immobilia quæ.

DVBI-

DVBITATIO IX.

Quanto tempore præscribantur seruitutes, & quanto amittantur.

DE hac re fusè agit Gomezius, tractatu de seruitutibus, tom. 2. cap. 15.

26 *Seruitus personalis, vt acquiratur.*

Dico Primò, Seruitus merè personalis, quæ debetur personæ à persona, nullo tempore præscribi potest. i. vsucapione acquiri. L. finali, C. de longi temporis præscriptione. idque verum est, etiamsi bona fide putans esse seruum, emeris. ratio est, quia æquitas non patitur hominem liberum fieri seruum ex errore opinionis.

Dico Secundò, Seruus tamen præscribit libertatem contra dominum, si per 20. annos bona fide putauerit se liberum; etiamsi titulum libertatis non habeat. L. 2. C. de longi temporis præscript. quæ pro libert. Gomez n. 26. hoc constitutum est in fauorem seruorum.

27 *Seruitus mixta.*

Dico Tertiò, Seruitus mixta, quæ à re debetur personæ, vt est vsusfructus, præscribitur cum titulo 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: sine titulo annis 30. L. fin. C. de præscript. longi temporis. & Gomezius sup. v. g. aliquis, qui non erat dominus rei, vel non habebat potestatem, constituit tibi vsumfructum in agro, silua, vel alia re simili; tuque inde possedisti bona fide hoc ius per 10. annos præsente eo ad quem pertinebat. etiamsi postea constet illum non potuisse constituere, tamen tu retinebis ad vitam, vel ad tempus constitutum: quia hoc ius effectum est tuum lege præscriptionis. quòd si dominus, ad quem pertinebat, sit absens, requiruntur anni 20. Si titulum non habes, quo ad te peruenit, (vt si dictum tibi fuit ad te pertinere, nescias autem qua ratione) sicque bona fide per 30. annos possideas, tuus erit ad vitam. Idem dicendum est de feudo & emphyteusi; præscribuntur enim vt vsusfructus, cùm sint species quædam illius.

Vbi tamen aduerte, vsumfructum non præscribi ratione possessionis rei fructiferæ; vt agri, siluæ, vel alterius; (quia vsufructuarius non possidet hanc rem suo nomine, nec possessione ciuili, sed tantùm naturali & nomine alterius) verùm ratione possessionis ipsius Iuris, quod vocatur vsusfructus, vt benè Gomezius suprà, qui citat alios, debes enim hoc Ius possidere tamquam tuum.

28 *Seruitus merè realis cum titulo.*

Dico Quartò, Seruitus merè realis, siue sit continua vel quasi continua; (vt tigni immittendi, oneris ferendi, stillicidij, aquæductus) siue discontinua; (vt eundi per tuum prædium, agendi iumentum, ducendi currum) cum titulo & bona fide præscribitur 10. annis, præsente eo contra quem agitur; 20. verò eo absente. est communis DD. ex L. finali, C. de præscriptione longi temporis. vt si is qui verè non erat dominus rei, tamen putabatur esse, tibi concessit ius immittendi tignum in murum, vel stillicidium in aream, vel ducendi aquam per hortum, vel iumentum, aut plaustrum per agrum; & tu bona fide hoc ius per decennium possideas, præsente eo cuius interest, verè efficeris dominus talis iuris, lege præscriptionis. neque hîc requiritur scientia & patientia illius, contra quem præscribitur, quando inulus adest, vt communiter Doctores tradunt.

Sine titulo.

Dico Quintò, Seruitus merè realis, si sit continua vel quasi continua absque titulo, cum scientia & patientia aduersarij præscribitur decennio inter præsentes, vicennio inter absentes; discontinua verò absque titulo, non præscribitur nisi tempore immemorabili, id est, cuius initij non extet memoria. Prior pars est communis DD. ex L. 1. & 2. C. de seruitutibus & aqua; eamque tradit Gomezius tomo 2. c. 15. num. 27. Si enim dominus, vel is cuius interest, scit & permittit tanto tempore, censetur hoc ius sponte concedere. Altera est etiam communis, ex L. Seruitutes. 4. ff. de seruitutibus. Itaque non præscribis ius agendi iumentum, vel ducendi currum per agrum alterius absque titulo, nisi ab hominum memoria fuerit consuetudo. quod ideò leges statuerunt, tum quia non facilè potuit à domino aduerti possessio huius iuris, vt posset eam impedire, cùm sit valdè interrupta; tum quia non potest assignari tempus quo possessio cœperit. Itaque hîc non tam præscriptio, quàm præsumptio iuris antiqui & veri tituli locum habet; sicut etiam in aliis, quæ tempore immemorabili nituntur: secùs est in seruitute continua, cuius vsus cùm sit continuus vel quasi continuus, facilè aduertitur. vide Gomezium num. 28.

Tempus immemorabile.

29 *Initium possessionis considerandum.*

Notandum est, cùm tota præscriptio nascatur ex continua possessione, quæ certo tempore duret, diligenter aduertendum initium possessionis, quod aliter accipitur in seruitutibus affirmatiuis, aliter in negatiuis; vt docet Gomezius suprà. In *affirmatiuis* enim (vt sunt illæ, in quibus tribuitur ius ad aliquid agendum circa rem alterius; vt sunt tigni immittendi, stillicidij, aquæductus, & similes) incipit possessio ab eo die, quo quis tali iure vtitur bona fide. In *negatiuis* (vt sunt in quibus datur Ius ad impediendum ne aliquid agas; vt, ne altiùs attollas domum, ne propiùs ædifices, ne interfis electioni, ne venêris in tali silua, &c.) possessio incipit ab eo die, quo prohibes vel impedis alterum, qui contrarium molitur. His positis, videndum quomodo seruitutes extinguantur præscriptione.

30 *Quomodo amittatur.*

Dico Sextò, Vsusfructus & omnis seruitus, quæ non vsu amittitur, extinguitur 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: habetur expresè L. pænult. C. de seruitutibus.

Differentia inter seruitutes rusticas & vrbanas.

Aduerte tamen, esse differentiam inter seruitutes rusticas & vrbanas. Nam *rusticæ seruitutes*, sicut & vsusfructus, extinguuntur per solum non vsum: nec requiritur vt dominus prædij aliquid faciat, quo incipiat vsucapere suam libertatem; (vt habetur L. Hæc autem iura. 6. ff. de seruit. vrban. prædiorum) vel vt nesciat te ius habere. Itaque ius itineris, agendi iumenti, ducendi plaustri, deriuandæ aquæ per prædium alterius, pascendi pecoris, aquandi, arenæ fodiendæ, & similia, amittis solo non vsu per decennium, si præsens fis, si absens, per vicennium. *Vrbanæ* autem non amittuntur solo non vsu, sed requiritur vt possessor loci debentis seruitutem, aliquid faciat bona fide, quo incipiat vsucapere suam libertatem; vt habetur d. L. Hæc autem iura, v. g. habes ius immittendi tigni in murũ alterius; si eximas tignum, & possessor nihil faciat quo impediat ne rursus immittas, nõ perdis vmquam ius tuum: sed si ille

foramen obstruat, & tu per 10. annos non vtaris tuo iure, perdis ius tuum. Similiter si habes ius ne ille altiùs attollat, vel propiùs ædificet, non amittis ius nisi ille contrà faciat; & tu post illud factum, 10. annis præsens sileas. requiritur autem vt ille nesciat ius tuum, & bona fide agat. Habentur hæc omnia expressè d. L. Hæc autem Iura. ff. de seruit. vrban. prædiorum. Vide Silvest. verbo Præscriptio 1.q.7.§. Vndecimò. Molinam disp.70. Couarr. lib.1.variar. cap.17.

Dvbitatio x.

Quanto tempore præscribatur ius Patronatus (i. ius præsentandi ad beneficium) & beneficium ipsum.

31 De hoc Couarr.reg.Possessor.p.2.§.10.
Dico Primò, Si constet Ecclesiam olim fuisse liberam, ius Patronatus à laico præscribi nequit. Est communis sententia DD.

Ratio est; quia hoc ius est spirituale. Hæc ratio tamen non videtur firma. cùm enim laicus sit capax huius iuris, cur ex possessione à tempore immemorabili non debet præsumi iusto titulo concessum? sed benè probat non præscribi absque titulo, nisi tempore immemorabili: quia præsumptio Iuris illi resistit. ampliùs conuincere non videtur.

Dico Secundò, Ius Patronatus etiam in Ecclesia parochiali, de qua dubium est an olim libera fuerit, potest præscribi à parochianis 40. annis cum titulo; tempore immemorabili, absque titulo: imò etiam annis 40. absque titulo.

Prior pars patet, quia cum titulo colorato vel præsumpto possunt præscribi à laico bona immobilia & iura (vt feudum & emphyteusis) contra Ecclesiam; cur non etiam ius Patronatus, quod est minoris momenti? Nec præsumptio Iuris est contra ipsos; cùm credibile sit ipsos esse fundatores illius Ecclesiæ, quando de alio non constat. Altera probatur, quia ex possessione huius iuris per tempus immemorabile, præsumitur iustus titulus in parochianis. Addo, etiam *absque titulo* posse ipsos spatio 40. annorum hoc ius præscribere; quia neque Ius commune, neque malæ fidei præsumptio illis obstitit, vt colligitur ex Couar.loco citato. Idem docet Molina disputat.75.§. Meritò tamen.

32 Dico Tertiò, Ius nominandi Rectorem aut Prælatum in Ecclesia collegiata vel cathedrali, præscribi non potest à laico contra ipsam Ecclesiam, nisi annis 40. cum titulo, aut tempore immemorabili absque titulo. Ratio est, quia Ius commune repugnat. vnde est vehemens præsumptio vsurpationis & malæ fidei. Nam Iure communi istorum debet fieri electio, quæ pertinet ad Capitulum; nisi Patronus, qui Ecclesiam ædificauit aut dotauit, id sibi cum consensu Episcopi tamquam ex pacto reseruasset, vt patet cap. Messana. 56. de electione. Quia tamen non est incapax talis Iuris, (potuit enim competere maioribus eius vel ex pacto in fundatione cum Episcopo inito, vel ex priuilegio Pontificis) potest illud præscribere 40. annis cum titulo colorato, (vt si concessum fuisset inualidè ob excommunicationem, vel alia de causa) vel absque titulo tempore immemorabili. Tam diuturna enim possessio huius iuris, & vsus absque contradictione frequentatus, tollit præsumptionem malæ fidei, & inducit titulum præsumptum. vide Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 9. vbi declaratur quomodo hæc iura sint examinanda & probanda. Hoc modo multi Principes præscripserunt in maioribus beneficiis Ius Patronatus.

Dico Quartò, In Ecclesia non libera, ius Patronatus à laico contra verum Patronum præscribi potest cum titulo colorato decem annis inter præsentes, 20. inter absentes: sine titulo annis 30. Est sententia communis DD. teste Couarr. Patet, quia est eadem ratio quæ bonorum immobilium, & iurium contra priuatum; vt feudi, emphyteusis, quæ simili modo præscriptione acquiritur. Non enim hîc agitur contra Ecclesiam, sed contra priuatum. 33 *Ius patronatus contra priuatum præscribitur.*

Dico Quintò, Beneficium Ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem verè pertinebat, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, sicut alia iura, quæ bonis immobilibus annumerantur. est communis sententia. Sine titulo non potest præscribi, quia non potest nisi institutione Canonica acquiri eius possessio. 34 *Beneficiū.*

Dico Sexto, Qui pacificè aliquod beneficium absque simoniaco ingressu triennium possedit, præscribit contra actionem cuiusuis impetitoris. patet ex regula Cancellariæ 33.

Sed difficultas est, vtrùm hæc possessio bona fide cum titulo colorato & absque simonia per triennium continuata, præscribit proprietatem beneficij, ita vt possessor posteà non teneatur illud resignare? Couarr. tenet non præscribere: itaque beneficium in foro conscientiæ esse dimittendum, simul atque constiterit collationem non fuisse validam. 35

Verùm Nauarr. l. 3. consil. 40. & 42. de præbendis, post Couarr. & alios, tenet contrarium, cum glossa antiqua in regulas Cancell. & Rebuffo, qui affirmat ita iudicari in Parlamentis Galliæ. Estque rationi valdè consentaneum. cùm enim Pontifex post triennium nemini ampliùs concedat actionem ad illud beneficium, videtur possessorem reddere etiam securum in conscientia, si bona fide cum titulo possedit: tamquam qui triennali vsucapione fecerit suum: in qua sententia etiam est Emanuel Sà, & alij quidam recentiores.

Dvbitatio xi.

Quanto tempore præscribantur debita, actiones, hypothecæ, legata, fideicommissa, & maioratus.

36 Dico Primò, Debita rerum mobilium & immobilium præscribuntur cum bona fide annis 30. contra creditores: & excluditur actio ad ea petenda. est communis sententia ex L. Sicut in rem. 3. C. de præscript. 30. & 40. annorum, vbi dicitur, *nec actiones reales, nec personales vltra 30. annorum spatium protendendas.* & infrà: *Debita.*

omnes

omnes huiusmodi actiones 30. annorum iugi silentio emori. Idem de omnibus actionibus personalibus vndecumque ortis, vt familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum, pro socio, furti, bonorum vi raptorum, &c. dicitur L. 1. §. Ad hæc. C. de annuali except. Excipitur actio hypothecaria, quæ etsi, quando competit contra extraneum, extinguatur annis 30. tamen quando contra creditorem eiusque heredes, non excluditur nisi annis 40. vt statim dicemus. Huc pertinet etiam actio illa, quam quis habet, cùm rem suam vendidit infra dimidium iusti pretij, ad petendum supplementum pretij, vel rescindendum contractum. Similiter cùm quid emit vltra dimidium iusti pretij, ad repetendum excessum. excluditur enim 30. annis, vt ex dicta L. 1. sequitur, & docet Gomezius tom. 2. cap. 2. n. 22. de emptione & venditione, ex communi Doctorum sententia.

Actiones variæ breuiori tempore excluduntur.

Aduerte tamen Primò, multas actiones breuiori tempore extingui, & præscribi aduersus eos quibus competunt. Etsi enim omnes extinguantur 30. annis, non tamen omnes tantum temporis requirunt. Nam actio, quam habet Respubl. aduersus Quæstores & Administratores, postquam computus sunt subscripti seu expuncti, excluditur ab ipsis quidem annis 20. ab eorum heredibus annis 10. vt expressè habetur L. in omnibus, π. de diuersis temporalibus præscriptionibus.

Actio redhibitoria ad recuperandum pretium, quando error dedit causam contractui (vt cùm quis emit rem vitiosam, quam non emisset si vitium sciuisset) præscribitur contra emptorem sex mensibus, computandis à die quo vitium resciuit. In foro tamen conscientiæ venditor ob dolum non liberatur. Si bona fide egit, potest vsucapere pretium triennio: vt constat ex dictis Dubit. 7.

Actio quanti minoris, quæ est ad recuperandam partem pretij, quam noluisset dare, si vitium ei perspectum fuisset, excluditur anno. vide L. 1. & sequentes, π. de ædilitio edicto. Si tamen huiusmodi actio vtilis competat Ecclesiæ, aut pio loco, ad eam excludendam requiruntur anni 40. Omnis enim actio, quæ aliàs 10. aliàs 20. aliàs 30. annis excluditur, hæc si loco religioso competat, non excluditur nisi annis 40. vt habetur Authent. Quas actiones. C. de sacrosanct. Eccles. vide suprà num. 22.

Item actio personalis nuda & simplex in Hispania extinguitur 10. annis: si autem habet annexum ius summariæ executionis, quòd sæpè fit, extinguitur 20. annis; ipsum autem ius executionis, decem prioribus. Actio famulorum ad petendam mercedem in iudicio, extinguitur in Hispania triennio, computando à die quo desierunt seruire; in Belgio biennio. Couar. ad Regul. Possessor. p. 2. §. 11.

Quando locus vnius Episcopatus à fide Catholica defecit, si Episcopus loci monitus ab aliis Episcopis vt eum reducat, per 6. menses neglexerit; potest alius Episcopus eum conari reducere, & si reduxerit, ipsius erit; cap. 15. Placuit vt quicumque. 16. quæst. 4. Si autem non monitus neglexerit, & alius reduxerit, & reductum triennio possederit pacificè, ipsius erit: & sic ius repetendi competens priori Episcopo, extinguitur triennio, cap. 1. de præscriptione.

Pari modo, si colonus prædium, quod Reipubl. superiorem non recognoscenti in temporalibus vel supremo Principi est tributarium, colere neglexerit, & alius agricola id colere curauerit; biennio illud sibi acquirit, priore excluso. si præmissa monitio fuerit, sex menses solùm ad repetendum prior colonus habet. Ita statuitur in fauorem boni publici, L. Locorum, & L. Qui agros. C. de omni agro desert. Vide Couarr. suprà.

Actio iniuriarum exspirat lapsu vnius anni: L. Si non conuitij. C. de iniuriis; & Panormit. cap. Ea noscitur. num. 4. de sentent. excommunic.

Actio ad accusandum adulterium ad pœnam criminalem, vel ciuilem, perit lapsu quinquennij: L. Adulter. C. ad L. Iuliam. de Adult. non tamen extinguitur ad petendum diuortium, c. 8. Admonere. 33. q. 2.

Actio de aliis criminibus accusandis ad pœnam, extinguitur annis 20. L. Querela. C. de falsis. Non tamen extinguitur ius Iudicis, quo ex officio potest procedere contra infamatum, vel canonicam purgationem indicere: quod etiam post 40. annos facere potest; vt docet Panormit. cap. Accepimus. 14. num. 1. de purgat. canon.

Actio ad reclamandum contra professionem extinguitur quinquennio, vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 19. de quo infrà cap. 41. Dubit. 7.

Actio quod metus causa, in minore exspirat lapsu anni, in maiore, si prima opportunitate eam intentare negligat. Panorm. cap. Si quis autem. 2. n. 4. de Regular. Ex his apparet, quanta in huiusmodi actionibus, vt contra eas præscribatur, sit diuersitas.

37 *Hypothecæ.*

Dico Secundò, Si res hypothecata possideatur à debitore vel heredibus eius, non extinguitur actio hypothecaria, quam creditor habet, nisi 40. annis. requiritur autem in debitore bona fides se non debere; & vt tanto tempore post diem solutioni assignatum creditor non exegerit. Si verò possideatur ab eo, qui non est debitor, nec heres eius, (vt si fuit vendita ei qui ignorabat hypothecatam) extinguitur decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes: habentur hæc L. Cùm notissimi. C. de præscriptione 30. annorum, & L. 1. & 2. C. Si aduersus creditorem. Vide Couarr. ad reg. Possess. 3. p. §. 3.

38 *Contra fisci actionem.*

Dico Tertiò, Quando bona alicuius ob non solutum vectigal, vel ob similem causam ipso facto sunt commissa, (i. fisco addicta) præscribuntur à reo, & ab heredibus eius contra actionem fisci quinquennio: ita vt si quinque annis à die commissi non petantur, exspiret ius fisci. L. 2. C. de vectigalibus & commissis. vbi dicitur, *commissum, quod ante quinquennium factum dicitur, nisi lite res anticipata sit, vindicari non posse.*

Commissum ob crimen.

Dico Quartò, Quando ob aliud crimen sunt commissa (v. g. ob crimen perduellionis, ob incestas nuptias) reus quamdiu puniri potest, non potest ea præscribere; alij tamen (siue heredes sint, siue non) ad quos ea deueniunt, præscribunt

ea quinquennio contra fiscum, præterquam in casu hæresis.

Prior pars, quòd *reus non possit ea præscribere quamdiu potest puniri*, per se patet. quamdiu enim potest puniri, fiscus ius habet ea sibi vindicandi.

Altera probatur ex L.2. supradicta, quæ generaliter loquitur. Excipio casum *hæresis*; quia bona hæretici, & consequenter bona apostatæ, numquam possunt præscribi contra actionem fisci, nec ab ipso, nec ab heredibus eius, neque ab aliis ad quos ea deuenerint, nisi ipsi ignorauerint illum hæreticum esse, & 40. annis cum hac ignorantia ea possederint. Colligitur ex cap.2. de præscript. in 6. De quo vide Couar. in epitome 4. decret. p.2.c.6. §.8. quia hæc res merè est fori externi. non enim in conscientia tenentur ea tradere, nisi post sententiam cogantur.

Bona hæretici 40. annis.

39 Dico Quintò, Legata & fideicommissa non possunt præscribi contra legatarium & fideicommissarium nisi spatio 30. annorum. Colligitur L.vlt C.Communia de legatis. vbi dicitur, *Nec vsucapione, nec longi temporis, (id est, 10. vel 20 annorum) præscriptionem contra legatarium & fideicommissarium procedere:* quòd autem 30.anni sufficiant, est communis sententia DD. vt docet Couarr. regula Possessor.3.p.§.3.n.6.

Legata, fideicommissa.

Ratio est, quia defectus tituli, & mala fides eius qui rem transfert, non nocet in præscriptione tricenaria. tantum enim spatium temporis supplet defectum tituli in possessore bonæ fidei.

40 Vtrùm autem fideicommissum possit etiam præscribi contra eos, quibus post 30. vel 40. annos erat tradendum, qui fortè nondum nati erant currente tempore præscriptionis, disputat Couarr. & ostendit multis rationibus, probabile esse absolutè præscribi; ita vt successoribus non sit vmquam restituendum. Idem dicendum de Maioratu & Primogenio.

Traditum mala fide requirit annos 30. non si bona.

Aduerte, hanc tricenariam præscriptionem requiri, si legatum vel fideicommissum, vel Maioratus, qui ad alium peruenire debebat, tibi fuit traditus ab eo, qui alteri tradere debebat: tunc enim ratione malæ fidei, quæ est in auctore, non potes præscribere ante 30.annos, vt infrà dicetur. Secùs si à tertio habeas, qui bona fide acceperit ab illo: tunc enim potes præscribere tempore ordinario: vt notat Couarr. & consentiunt alij Doctores.

Dvbitatio xii.

Quanto tempore possit præscribi aduersus Principem.

NOtandum est, quinque genera bonorum Principis posse considerari: vt docet Couarr. Reg. Possessor. p.2.§.2.num.7.

41 In primo sunt ea, quæ per sententiam fisco sunt tradita: hæc non possunt præscribi nisi 40. annorum spatio. L.Omnes. 4 C.de præscriptione 30. vel 40. annorum. nec obstat §. Res fisci. Institut. de Vsucapionib. vbi dicitur, *Res fisci vsucapi non potest:* hoc enim est intelligendum tempore ordinario, quo res priuari potest; vt tribus. 10. 20. annis. Secùs autem extraordinario; vt ibidem notat Glossa.

Fisco illata.

Quando autem res nondum fisco est incorporata, sed manet apud reum vel heredes, potest præscribi quinquennio: vt dictum est suprà num. 38.

In secundo sunt ea, quæ quis debet Principi in recognitionem subiectionis suæ & supremæ potestatis ipsius; vt sunt census & tributa: horum exemptionem & immunitatem nemo potest præscribere. Panormit. in cap. Cùm nobis. & cap. Ad audientiam, & alij. Secùs est de immunitate ab indictionibus & collectis, quæ non in recognitionem supremæ potestatis, sed pro expensis alicuius belli vel simili aliqua publica necessitate soluuntur: hæc enim potest præscribi contra ciuitates annis 40. vt ostendit Couarr. ibidem, num.8. Idem dicendum aduersus Principem, vt colligitur ex d.L. Omnes. C. de præscript. 30. vel 40. annorum, nisi aliud particulari lege statutum sit, vt ex aliis docet Couarruuias suprà num.15.

Tributa.

Simili modo præscribi à subditis nequit immunitas ab obedientia Principis, vel ab ipsius correctione, vel vt ad eum non possit appellari; quia potestas præcipiendi, iudicandi, & castigandi omnino intrinseca est auctoritati Principis respectu subditorum. Potest tamen subditus præscribere exemptionem & libertatem, per quam desinat esse subditus, & non agnoscat illum Superiorem in temporalibus: quod multi Principes anteà subditi Imperio Romano fecere. ad hoc autem sufficiunt quadraginta anni cum titulo, & sine titulo tempus immemorabile: vt ex iis quæ nunc dicentur, colligi potest. Exemptio tamen à potestate spiritali summi Pontificis nullo modo præscribi potest, sicut nec ipse Pontifex potest aliquem à sua Iurisdictione eximere: quia hæc Iure diuino annexa est Pontificatui in omnes Christianos, illis verbis Domini, *Pasce oues meas*, Ioannis 21.

Obedientia.

In tertio sunt ea, quæ etsi dignitati Principis non sunt intrinseca; tamen ei propriè conueniunt & reseruantur. vt posse indicere vectigal, instituere Tabelliones, legitimare, & similia. Hæc acquiri possunt præscriptione ab inferiore, spatio 40 annorum cum titulo: sine titulo per tempus cuius initij non extet memoria. Panormit. in C. Cùm nobis, de præscript. estque communis opinio, teste Couarr. Ratio cur hæc acquiri possint ab inferiore, est, quia possunt hæc per Principem communicari subdito. Vnde si subditus (v.g. Comes aliquis eiusque maiores) à tempore immemorabili hoc vsurpauerit, præsumitur à Principibus concessum.

Principi reseruata.

Quadraginta anni non sufficiunt sine titulo; quia nisi titulum ostendat, (v.g. concessionem alicuius, qui fuerit Princeps vel pro Principe habitus) præsumptio est contra eum quòd mala fide vsurpauerit: vt patet in simili cap.1. de Præscriptione in 6. vbi Episcopus sine titulo non potest; præscribere decimas alterius diœcesis, eò quòd præsumptio iuris sit contra illum; cùm decimæ Iure communi pertineant ad Ecclesias diœcesis. Simili modo cùm hæc Iura Principum sint propria, præsumptio malæ fidei est contra subditum. tollitur autem præsumptio illa, vel ostensione tituli colorati, vel possessione temporis immemorabilis. idem dicendum de præscriptione meri & misti imperij;

40. anni non sufficiunt absque titulo.

perij : vt docet Couarruuias §. 3. num. 3.

Corona annexa. In quarto sunt bona Principatus, quæ coronæ sunt annexa; vt prata, saltus, viuaria, prædia rustica & vrbana, vrbes, castra. hæc præscribi non possunt contra Principem, nisi 100. annis. Probatur ex L. Vt inter diuinum. 23. C. de sacrosanctis Ecclesiis, vbi in præscribendo legato, vel donato, vel empto, contra ciuitates requiruntur 100. anni; ergo multò magis contra Regnum vel Prouinciam. Hæc enim sunt bona Regni vel Prouinciæ. Est communis sententia Doctorum. Secùs est de fisco Principis. hic enim non fruitur priuilegio præscriptionis centenariæ, sed tantùm 40. annorum : sicut neque ciuitates, contra quas etiam 40. annis præscribitur; exceptis iis quæ habentur d. L. Vt inter diuinum, quæ sunt hereditas, legatum, fideicommissum, donatum, emptum : vt enim hæc contra ciuitatem aliquam præscribas, requiruntur 100. anni. In ceteris sufficiunt 40. vt passim docent Doctores.

Ius ciuitatis in quibusdam, quæ ipsis relicta.

Priuata Principis. In quinto sunt ea, quæ Princeps possidet vt priuatus. In his quiuis præscribit contra Principem, sicut contra priuatum. Ita Couarr. suprà num. 16. ex Baldo & aliis : nam & res patrimoniales Clericorum præscribuntur contra eos, sicut contra alios. Neque vllum Ius extat, quo Principibus hac in parte aliquod Priuilegium præ ceteris, maximè Ecclesiasticis tribuatur.

Dvbitatio XIII.

Quanto tempore præscribat, qui rem accepit à possessore malæ fidei, vel eo qui mala fide tradidit.

42 *Heres auctoris malæ fidei non præscribit.* RESpon. & dico Primò, Is qui accepit eam vt heres immediatus, nullo tempore potest eam præscribere, etiamsi bona fide acceperit & possederit. Est communis sententia DD. vt docet Couarr. reg. Possess. §. 9. in principio. Colligitur ex L. Cùm heres, π. de diuersis temporal. præscript. vbi dicitur : *Cùm heres in jus omne defuncti succedat, ignoratione sua defuncti vitia non excludit; veluti cùm sciens alienum ille vel precariò possedit : quamuis enim precarium heredem ignorantem non tenet, nec interdicto rectè conueniatur, tamen vsucapere non poterit, quod defunctus non potuit.* Addit : *Idem Iuris est, cùm de longa possessione quæritur, cùm exordium rei, bonæ fidei ratio, non teneatur.* Et §. Diuina. Instit. de Vsucap. *Si ille* (defunctus) *initium iustum non habuit* (id est, si mala fide cœpit possidere) *heredi & bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest.* Idem habetur L. vlt. C. Communia de Vsucapion. Ratio est; quia heres, defuncti personam repræsentat, ita vt fictione Iuris censeatur vna eadem persona; & eorum possessio, quasi vna continuata possessio. vnde cùm initium istius possessionis in defuncto sit vitiatum mala fide, censetur etiam vitiata qua parte extenditur ad heredem, ita vt heres fictione Iuris mala fide censeatur possidere. atqui cum mala fide non procedit præscriptio. vnde sicut defunctus non poterat rem illam præscribere, ita nec heres. Hæc ratio colligitur ex Iuribus citatis.

Probabile illum vsucapere. Aduerte tamen, non videri omnino improbabile, heredem posse præscribere spatio triginta annorum : quia hic non requiritur titulus, sed solùm possessio bonæ fidei. atqui iste heres reuerà bona fide possidet. Nec obstat, quòd iuris fictione dicatur possidere mala fide, tum quia id solùm est verum quatenus continuatur eius possessio cum possessione defuncti, & vna cum illa censetur; non autem quatenus consideratur ipsa per se, & vt ab ipso herede habens initium per nouum actum, quo adita hereditate cœpit possidere : tum quia, cùm illa non sit vera mala fides, sed solùm ficta vel præsumpta, quæ etsi impediat præscriptionem ordinariam, quæ tribus, decem, aut viginti annis completur, non debet ei tribui tanta vis, quanta malæ fidei veræ. vnde non debet impedire extraordinariam, quæ est triginta vel quadraginta annorum, & nullum postulat titulum, nisi præsumptio Iuris ei aduersetur. itaque heres poterit triginta annis illa bona præscribere, non vtendo tamen accessione temporis, quo mala fide illam possedit defunctus. Hanc opinionem Iure Canonico veram esse, tenent Dynus, Bartolus, Bellamerus, & quidam alij. imò eamdem etiam Iure ciuili obtinere docet Alexander, consil. 110. num. 7. & multi alij relati per Baldum. Vide Couarr. suprà num. 14. & 5. qui etiam satis in illam inclinat. Tamen altera opinio videtur Iuri conformior, quod causam cur talis heres non possit præscribere, refert in malam fidem præsumptam, qua censetur possidere : quæ mala fides etiam præscriptioni tricenariæ obstat. Eamdem tenet Siluest. Præscriptio 1. num. 8. & alij passim.

43 *Heres mediatus.* Dixi, *vt heres immediatus*; quia heres mediatus, id est heres huius heredis, potest eam tempore ordinario præscribere, si bona fide vera prior heres possederit. Ratio est, quia fictio illa Iuris de mala fide ad secundum heredem non extenditur. vitant enim Iura duas fictiones ex eadem causa. vnde etsi mala fides vera defuncti pariat in herede fictionem, & veluti vmbram malæ fidei : non tamen hæc mala fides ficta seu vmbratilis potest similem parere in successore. vmbra enim vmbram non facit, sed verum corpus. quare etsi prior heres succedens immediatè auctori malæ fidei, ac proinde labem malæ fidei Iuris fictione ab eo contrahens, non possit rem illam vsucapere; secundus tamen heres, ad quem fictio illa non peruingit, poterit. Quòd si heres potest illam vsucapere, multò magis donatarius, emptor, & legatarius poterunt, cùm personam sui auctoris non repræsentent. vnde si immediatus heres rem defuncto commodatam, aut locatam, aut apud eum depositam, existimans hereditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit : dubium non est, quin is qui acceperit, vsucapere possit, vt habetur §. Sed tamen. Instit. de Vsucap.

Donatarius, emptor, legatarius.

Hoc tamen quod diximus, secundum heredem posse vsucapere, limitandum censent DD. nisi hic secundus sit heres, qui *suus* in Iure vocatur. Hic enim rem illam non potest vsucapere titulo heredis. ita colligitur ex L. Nihil pro herede. 2. C. de Vsucapion. pro herede; vbi dicitur : *Nihil pro herede posse vsucapi suis heredi-*

An heres suus possit vsucapere.

bus existentibus, obtinuit quam legem DD. communiter sic intelligunt, quasi diceretur, *suos* heredes non posse vsucapere titulo pro herede, si succedant in rebus alienis apud defunctum repertis, quamuis defunctus bona fide eas tamquam suas possederit. Idem confirmant ex L.2. π. Pro herede, vbi dicitur: *Filius à patre heres institutus, res hereditarias à patre sibi donatas, pro parte coheredum vsucapere non potest.* Heres autem *suus* (quem Græci οἰκεῖον, id est domesticum, vocant) est filius & filia respectu patris; nepos & neptis respectu aui morientis in cuius sunt potestate; si tamen pater illorum per mortem vel aliter non amplius eidem auo subeat, vt habetur §. Sui autem. Instit. de hered. qualit. & differ. Dicuntur isti heredes *sui*, vel quia proprij & domestici, vel quia sibi ipsis quodammodò succedunt: nam etiam viuo patre quodammodò domini bonorum existimantur; vt habetur Instit. loco citato. Causa autem, iuxta communem DD. sententiam, cur talis non possit præscribere titulo heredis, est, non quòd fingatur habere malam fidem, sicut eius decessor, sed quia non habet titulum possidendi distinctum. censetur enim continuare possessionem sui decessoris, & ex ipsius titulo. Vnde cùm ille non haberet titulum, vtpote heres mali auctoris; nec heres illius habet.

Quis dicatur heres suus.

Duo tamen hîc aduertenda: Alterum est, cùm dicitur heredem *suum* non posse vsucapere, id intelligendum de vsucapione ordinaria, quæ requirit titulum, & in mobilibus peragitur triennio; in immobilibus decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes. vnde non dicitur absolutè, non posse præscribere, sed non posse præscribere *pro herede*, id est titulo heredis. Huic tamen nihil obstat, quin possit præscribere vsucapione extraordinaria non requirente titulum, qualis est tricenaria & quadragenaria, quando præsumptio Iuris non aduersatur, vt patet ex dictis. non tamen potest vti accessione temporis sui decessoris, nisi hic etiam præscribere potuerit. Vnde si ponamus heredem immediatum iniqui possessoris, qui catenam auream mala fide possidebat, non posse vsucapere 30. annis illam catenam etiam cum bona fide; huius filius requiret 30. solidos annos. Si autem iuxta probabilem sententiam suprà insinuatam dicamus immediatum heredem potuisse tanto tempore illam vsucapere, secundus heres poterit vti accessione temporis, quo prior possedit. vnde si tempus illud sit 30. annorum, solùm requiret annos 20. si sit 20. solùm requiret 10. ad complendam præscriptionem.

Probabile posse vsucapere.

Alterum est, ea quæ diximus de herede suo, ipsum non posse vsucapere pro herede, procedere secundùm intellectum illarum duarum Legum, quem communiter amplectuntur DD. Satis tamen probabile est, longè aliam esse mentem illarum Legum, vt ostendit Viglius in Tit. de hered. qualit. & differ. §. Sui autem. Cùm enim L.2.C.de vsucap. Pro herede, dicitur; *nihil pro herede posse vsucapi, suis heredibus existentibus*; non significatur heredes suos non posse vsucapere, sed alios non posse vsucapere titulo pro herede, contra heredes suos. Cùm enim suppetunt heredes sui ad quos ea res pertinet, alius caret titulo pro herede. vnde non potest vsucapere, nimirum tempore ordinario. Confir. L. Ex testamento. 2. C. Vnde liberi; quæ est eiusdem Imperatoris, vbi dicitur, *Ex testamento, vel ab intestato existente filio vel nepote suo herede, neminem posse ab intestato heredem existere.* Vnde sequitur, illum non posse habere titulum heredis, ac proinde non posse pro herede vsucapere. Nec obstat dicta L.2. π. Pro herede: quia solùm agitur de rebus à patre donatis filio; quas cùm filius titulo donationis naturaliter possidere cœperit viuo patre, non potest posteà illo mortuo easdem incipere possidere titulo heredis (ob dictum vulgare, quod habetur eadem Lege, *neminem sibi causam possessionis mutare posse*) vnde nec pro herede vsucapere.

Ad rationem contrariæ sententiæ respondet Viglius, *heredi suo* Iuris fictione tribui quidem dominium idem quod decessori, non tamen eamdem possessionem. Etsi enim viuo patre filius dicatur dominus ob futuram successionem necessariam, non tamen possessor. vnde etiam nihil potest attingere sine consensu patris. Accedit, quòd nec primo heredi, qui immediatè succedit auctori malæ fidei, desit titulus (rem enim habet titulo successionis hereditariæ) nec defectu tituli negatur ei vsucapio; sed defectu bonæ fidei, vt ostensum est. multò minùs secundo heredi deest titulus, cùm priori de nouo succedit. Iuxta hanc sententiam *heres suus* potest vsucapere titulo pro herede, sicut alij. quæ sententia in re non multùm discrepat à sententia multorum DD. qui dicunt, etsi heres suus non possit præscribere titulo pro herede, quatenus est filius, posse tamen quatenus est cognatus vel agnatus testatoris. hoc enim nihil aliud est, quam absolutè fateri illum posse pro herede vsucapere, licet sub alia qualitate, seu formalitate quàm filij. quæ tamen qualitas semper includitur. Vide Gomezium tom.1.c.9. de transmissione hereditatis, num.19. & Couarr. Regul. Possessor. p. 2. §.5. num.3. & sequentibus.

Dico secundò, Qui bona fide accepit eam alio titulo (vt legati, donati, empti, &c.) ab auctore malæ fidei; potest eam præscribere tempore ordinario: præterquam in duobus casibus. Primus est, si res sit immobilis, & is, contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri. Secundus est, si res illa sit *furtiua*, vel *vi possessa*: tunc enim requiruntur 30. anni. Est communis DD. ex L.An vitium. 5.π. de diuersis temporalibus præscriptionibus, vbi dicitur, *vitium auctoris non obesse emptori vel legatario.* vt si Titius vendat tibi quod alteri oppignorauerat: tunc enim mala fides auctoris solum versatur circa rei possessionem, quam sibi iniquè vsurpat, non circa proprietatem, vt habetur d. L. An vitium. Si tradat tibi quod alteri anteà à se venditum & nondum traditum fuerat. Si Prælatus sine consensu Capituli in te aliquid transferat, cùm putares eum consensum habere. Si tibi donatum à minore quem putabas maiorem: secùs si erres in iure, putans Prælatum sine consensu Capituli posse alienare, aut minorem donare. Si accepisti ab inuentore qui putabat id necessariò dandum pauperibus. In his igitur & similibus, cùm res non sit furtiua, nec vi possessa, mala fides auctoris

44

Si alio titulo accipiatur.

auctoris non nocet successori particulari, nimirum emptori, donatario, &c. Denique si accepisti bona fide à possessore malæ fidei, & dominus sciens rem suam alienatam, intra decem annos, si præsens fuerit, & intra viginti si absens, litem in te non fuerit contestatus, firmiter eam obtinebis, vt habetur Authent. Malæ fidei. C. de longi temporis præscriptione, & Nouella 119.

Probantur exceptiones. Fecimus duas exceptiones. Prior de re immobili apertè colligitur ex d. Authent. Malæ fidei; vbi dicitur: *Malæ fidei possessore alienante, cessat longi temporis præscriptio, si verus dominus ignoret ius suum, & alienationem factam. spectatur ergo 30. annorum defensio.* Secùs verò quando scit, & non se opponit, vt dictum est.

Res furtiuæ & vi occupatæ. Altera exceptio probatur, quia *res furtiuæ* & quæ *vi occupatæ* (etiamsi posteà ab aliquo bona fide emptæ fuerint) non possunt præscribi spatio longi temporis, id est decem vel 20. annorum: vt expressè habetur §. Furtiuæ. Instit. de Vsucap. Habent enim ex dispositione Iuris vitium obsistens ordinariæ præscriptioni, vt patet Instit. loco citato. Quare fallitur Sotus libro 4. de Iustitia quæst. 5. art. 4. post secundam conclusionem, vbi docet, latronis filium, si bona fide paternam hereditatem adiuit, & toto tempore præscriptionis illa fide possedit, esse tutum in conscientia, etiamsi posteà innotescat fuisse aliena. Idem docet de emptore, qui bona fide emit à latrone. Sed est apertè contra Ius; heres enim mali auctoris titulo heredis numquam præscribit; vt ostensum est: emptor verò non præscribit tempore ordinario.

Sententia Soti.

Nec obstat L. Si aliena. 10. π. de vsucapionibus, quam Sotus pro se citat; nam ex eadem lege, in fine, constat rem furtiuam non posse vsucapi, ne à possessore quidem bonæ fidei. Aduerte tamen, emptorem talis rei posse illam vsucapere tempore longissimo, nempe triginta annis; vt communiter Doctores docent, & colligitur ex L. Sicut in rem. 3. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum. & L. Si quis emptionis. 8. §. Quòd si. C. eodem. Vnde si Breuiarium emeris à fure, & 25. annis bona fide possederis, & tunc intelligas furto fuisse sublatum, non potes retinere: vt ait Siluest. secùs si 30. expleueris. quòd si vbi 20. annis possedisti, alteri tradas; potest ille vti accessione temporis tui, & ita præscribere 10. annis. 10. enim & 20. efficiunt triginta annos præscriptionis: idque semper fieri potest, quando alter alteri in possessione succedit: si tamen vterque poterat rem vsucapere. Si enim prior non poterat vsucapere, eò quòd mala fide possideret, vel quia est heres eius, qui mala fide possidebat; non potes vti accessione temporis, quo ille rem possedit, sed debes ipse integrum tempus possidendo explere. ita habetur §. Diutina. & seq. Instit. de Vsucap. & L. pænult. & vlt. π. de diuersis temporibus præscript.

Vsucapiuntur 30. annis.

Vti accessione temporis alieni.

Idem dicendum de rebus *vi possessis*, cùm aliquis alterum è possessione sua vi deiiciens illam occupat: quamuis res litigiosa sit, aut ille suam esse putet. talis enim res, etsi bona fide ab illo inuasore eam emeris, non potest vsucapi, nisi 30. annis, secluso tempore quo ille eam possedit. Si tu illam alteri tradas, poterit ille vti accessione temporis quo tu illam possedisti, vt antè dictum est.

Si vacabat possessore. Petes, quid si illa res vacabat possessore, propter longam obliuionem domini absentis, aut negligentiam, aut mortem, & ab altero absque vi occupata fuit?

Resp. Illam rem posse vsucapi per eum qui bona fide illam ab vsurpatore emerit, vel dono acceperit, tempore ordinario, nimirum decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes, vt expressè habetur §. Quod autem. Instit. de Vsucap. quia res illa nec est furtiua, nec vi possessa: vt ibidem dicitur. Sed hoc Ius posteà est correctum ab eodem Iustiniano Nouella 119. vbi requirit 30. annos in emptore, & aliis qui à malæ fidei possessore perceperunt. *Si*, inquit, *verus rerum dominus ignorat, simul quòd ea res ad ipsum pertineant, simul quòd alienatio interceserit; iubemus vt non aliter quam tricenny præscriptione excludatur: cùm is qui res hoc modo possidet, dicere nequeat, quòd ipse bona fide possideat, quando à malæ fidei possessore hasce acceperit.*

Dvbitatio XIV.

Quantum temporis requiratur vt consuetudo præscribat contra legem.

Svppono ex dicendis 1.2. quæst. 97. Consuetudinem posse præscribere contra ius positiuum, illudque tollere, & nouam obligationem inducere: modò sit *rationabilis & legitimè præscripta*; vt expressè definitur cap. vlt. de consuetudine; vbi Greg. IX. sic ait: *Licet longæuæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est vsque adeò valitura, vt vel iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* 45

Rationabilis. *Rationabilis* dicitur, quæ lege statui potest; siue quæ iusta censeretur & obligaret, si lege statuta esset. Eadem enim est materia legis iustæ & consuetudinis. nam cõsuetudo est tacita quædam lex, vt insinuatur l. 3. C. Quæ sit longa consuet. & ex eodem fonte profluit. vnde etiam eamdem vim habet. Quare sicut lex posterior tollit legem priorem; ita etiam consuetudo priorem legem tollere potest. Nec refert, etiamsi in lege dicatur, *non obstante vlla consuetudine etiam immemorabili:* vel, *nulla consuetudine in contrarium vllis vmquam futuris temporibus valitura.* Nam prior clausula intelligitur de consuetudine quæ viguit ante illam legem, quam ea lex, vtpote posterior, abrogare potest, sicut & legem priorem. Altera loquitur quidem de consuetudine futura; sed intelligenda, durantibus circumstantiis cum quibus illa consuetudo tunc non videbatur rationabilis: illis tamen mutatis, & subortis aliis cum quibus consuetudo contraria incipit videri rationabilis, potest vim illius legis tollere, & nouam inducere, vt passim DD. tradunt. Et Couarr. lib. 3. variarum cap. 13. num. 4. vbi dicit hanc opinionem esse communem.

Sic consuetudine quædam festa & ieiunia Iuris communis quibusdam locis abrogata, vel alia noua introducta. Sic decimæ multæ sublatæ; sic multa circa ritus Sacramentorum consuetudine mutata. Denique idem locum habet in legibus irritan-

irritantibus,& quibusdam inhabilitatibus ad officia, beneficia, vel etiam matrimonia, inducendis vel tollendis.

Nec obstat, quòd sicut lex non potest habere vim absque consensu Principis, ita nec consuetudo: quia sicut consuetudo est tacita quædam lex; ita etiam ad eam sufficit tacitus & generalis consensus Principis, quo statuit vt consuetudo legitimè præscripta vim legis obtineat,& ius positiuum tollat. Similiter non obstat, quod habetur L. 2. C. Quæ sit longa consuetudo; vbi dicitur: *Consuetudinis vsusque longæui non vilis auctoritas est, verùm non vsque adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat aut legem.* Sensus enim est, consuetudinem debere cedere rationi naturali: vnde vt vim habeat, debere esse rationabilem; vt Pontifex ad verba huius legis respiciens, ait. Similiter debere cedere legi superuenienti: quia per legem tolli potest. Hinc tamen non sequitur, quin possit legem priorem abrogare, si legitimè fuerit præscripta, vt d.cap. fin. dicitur.

Requiri 10.annos. His positis, difficultas est quantum temporis ad hoc requiratur. Multi Doctores putant requiri 10. annos, vt consuetudo legem ciuilem aboleat: 40. vt legem Ecclesiasticam. Ita Panormit. in cap.vlt.de consuetudinibus,num.11.Angelus verbo Consuetudo, n. 8. & 9. Siluest. eodem verbo,nu.6.Nauarr.l.11.consil.1.tit. de consuet. Ratio est; quia ad introducendam consuetudinem, Ius ciuile requirit longum tempus, C.Quæ sit longa consuetudo.atqui longum tempus est tempus 10. annorum. C. de præscript. longi temporis.ergo contra legem ciuilem requiruntur decem anni.

Quòd verò contra legem Ecclesiasticam requirantur 40. videtur ex eo probari, quòd contra Ecclesiam non procedat præscriptio,nisi quadraginta annis.

Sed distinguendum est. Vel enim illa consuetudo viget sciente & tolerante Principe; vel eo in particulari illam ignorante. Nunc

Non requiri certum tempus. Dico Primò, Si priore modo consuetudo se habeat, verius est non requiri certum tempus vt possit legem tollere. Ratio est; quia vt consuetudo tollat legem, solùm requiritur vt passim agatur contra legem, seu vt lex non seruetur, quando occurrit seruanda, sciente Principe & non se opponente: vt docent passim Theologi & Canonistæ. Panormit. suprà, Glossa in cap. 1. de treuga & pace, & alij. dum enim scit suam legem non seruari, & silet, censetur consentire vt non seruetur, ne Respubl. perturbetur; ac proinde censetur tollere obligationem legis. & hoc modo consuetudo dicitur tollere vim legis nempe quia Princeps permittens consuetudinem, implicitè detrahit suæ legi vim obligandi. Confirmat. quia consuetudo populi habentis Principem, non potest per se tollere vim legis, quam Princeps imposuit (cùm singuli seorsim, & omnes simul ei subsint) sed hanc vim tantùm habere potest à consensu tacito vel expresso Principis. censetur autem tacitus consensus, dum consuetudini non se opponit, etiamsi id fiat metu difficultatum.

Vnde consuetudo habet vim tollendæ legis.

Hinc sequitur, sæpè fieri, vt paucis annis lex abrogetur per consuetudinem, etiamsi antè recepta fuerit: quia vt dicatur esse consuetudo contraria, sufficit bis terve contrà actum esse, vt docet Siluest.verbo Consuetudo,n.6.Panormit.suprà,& alij passim: quam consuetudinem si constaret Principem scire & dissimulare, desineret lex obligare.

Nec obstat quòd Ius ciuile ad consuetudinem requirat longum tempus. Primò, quia non omne longum tempus est decennij; tantùm enim in materia vsucapionis ita definitur. Secundò,quia vt consuetudo tollat legem, non requiritur vt sit longior, quàm necesse est vt Princeps censeatur eam permittere, & suo consensu approbare. *Longum tempus.*

Dices, Cap. fin. de consuetud. dicitur, consuetudinem, vt tollat legem, debere esse *legitimè præscriptam*; sed ad præscriptionem requiritur certum tempus. ergo.

Respon. Hoc intelligendum de consuetudine quam Princeps in particulari ignorat. Huic enim non censetur ita consentire, sicut illi quam nouit, & sponte tolerat. quod enim quis ignorat, non potest in particulari approbare. solùm ergo huic consentit in genere, quatenus consentit in decretum, quo statuit consuetudinem legitimè præscriptam esse instar legis. Itaque requiritur certum tempus necessarium ad præscriptionem.

Dico Secundò,Si consuetudo ignorante Principe vigeat, vt censeatur legitimè præscripta, ita vt possit legem tollere, requiruntur decem anni, quibus ea consuetudo bona fide à subditis promiscuè sit seruata; eosque probabile est etiam sufficere. 46

Decem annos requiri, est communis sententia Doctorum. Itemque contra legem ciuilem sufficere, Probatur, quia lex ciuilis longæ consuetudini tribuit vim legis, eamque instar legis iubet seruari. C. Quæ sit longa consuetudo. L.1. 2.3.atqui tempus 10. annorum eodem iure censetur tempus longum, & longam efficiens possessionem,vt patet C.de præscriptione longi temporis. ergo etiam longum vsum & longam consuetudinem.

Quòd etiam 10. anni sufficiant contra legem canonicam, nondum receptam moribus vtentium, docet Nauar. lib. 5. consil. tit. de excommunic.consil.8. & fusè probat Felinus in cap. 1. de treuga & pace, num.13. pro eadem adducens multos DD. nimirum Cald. Imolensem, Butrium, Zabar. & Dominicum, &c. idem tenet Couarr.lib.2.variar. c.16.n.6. citans Iasonem in L. Rem non nouam. §. Patroni. C. de Iudiciis. sequitur Azorius lib.5.Instit.moral.cap.4.q.3.& alij recentiores. Ratio est, quia cùm lex moribus vtentium minimè recepta non obliget,acproinde non sit in possessione, faciliùs inducitur & conualescit aduersus eam consuetudo, quàm si iam recepta esset.quæ consuetudo ad hoc valet, vt non teneamur post decennium eam admittere, nisi Princeps de nouo eam constituat, eique nouum vigorem tribuat. itaque opus est noua promulgatione:nam lapsu decennij,vis eius est antiquata. ante decennij lapsum, etsi non obligarentur subditi,cùm non viderent illam receptam;tamen poterant compelli ad eam seruandam etiam ab inferioribus Principe. Ita DD.supradicti.

An verò decem anni sufficiant contra recaptam, maior est difficultas. Non videtur improbabile sufficere; primò, quia nusquam Ius aliquod

Contra legem Ecclesiasticam.

quod distinguit inter legem Ecclesiasticam & ciuilem hac in parte: ergo si contra legem ciuilem sufficiunt decem anni, etiam contra Ecclesiasticam.

Nec obstat, quòd contra Ecclesiam non procedat præscriptio nisi annis 40. quia hoc intelligendum de bonis immobilibus, & Iuribus Ecclesiæ, quæ sunt instar bonorum immobilium. obligatio autem subditorum ad legem seruandam, non potest censeri inter bona vel iura Ecclesiastica: itaque illæ leges præscriptionum non sunt huc traducendæ. Secundò, Si 10. anni sufficiunt vt Princeps sæcularis censeatur tacito quodam consensu remittere vim suæ legis; cur non sufficiant Principi Ecclesiastico? præsertim cùm eius sit curare, ne subditi peccent, neve assiduis angantur scrupulis, qui ex huiusmodi interminatis obligationibus nasci solent. Itaque cùm Ecclesia contrarium non expresserit; probabiliter existimari potest, eam sequi, vt in aliis multis solet, Iuris ciuilis morem. Tutius tamen est, sententiam communem amplecti. Porrò aduertendum est, requiri, vt per illud tempus subditi bona fide legem non seruauerint, ita vt non seruando non peccauerint: alioquin contra eam non præscribent, vt rectè Siluester & alij docent.

Dices, Si currente illo tempore non peccant, quomodo ergo possunt puniri propter legis violationem?

Resp. Quia præsumuntur peccasse. non enim præsumitur legum communium ignorantia, nisi probetur. deinde quia hac veluti conditione tacita conceditur Ius præscriptionis; vt si intra illud tempus deprehensi fuerint agere contra legem, possint plecti: vt hac ratione lex non exarmetur, dum adhuc viuit, sed habeat quo se possit tueri.

47 Dico Tertiò, Si consuetudo sit aliquo modo contra Ius Ecclesiæ, requiruntur anni 40. Patet ex dictis Dubit. 8.

Dvbitatio xv.

Quæ res non possint præscribi.

48 *Non præscribuntur tempore ordinario.*

NOtandum est, quædam in Iure dici non posse præscribi, seu vsucapi; quia ordinario tempore non vsucapiuntur. sic res furtiuæ, res vi possessæ, & res fisci, dicuntur non posse vsucapi; cùm tamen possint, hæ 40. illæ 30. annis.

Prohibita alienari.

Simili modo dicuntur non posse vsucapi ea, quorum alienatio est prohibita; vt, fundi dotalis, maioratus, legati, fideicommissi: quæ tamen possunt præscribi tempore ordinario, ab eo qui bona fide illa possidebat, & iam vsucapionem inchoauerat, antequam illa bona contraherent hæc onera, seu obligationes reales. Vbi verò iam contraxerunt, non potest inchoari præscriptio ordinaria ab eo, qui hæc accepit ab auctore malæ fidei (secùs de eo qui accepit à tertio:) benè tamen tricenaria, vt patet ex dictis Dubitat. 11. Idem dicendum de bonis aduentitiis filijfamilias, si pater ea alienet. Vbi enim cœperint esse bona eius aduentitia, non potest inchoari in illis præscriptio contra filium, quamdiu est sub potestate patris; sed inchoabitur solùm postquam desierit esse sub illa; & ab illo tempore debet continuari per 30. annos, ob malam fidem eius, qui alienauit. Vide Leg. 1. C. de bonis maternis, & Siluest. Præscriptio secundò, num. 3.

Vsucapio inchoata antequam bona fierent obnoxia.

Bona aduentitia.

Pari modo dicuntur non posse præscribi, quæ alieno nomine possidentur, vt precarium, commodatum, conductum, pignus, res emphyteutica aut feudalis: nimirum ab eo qui hæc sub tali titulo possidet, aut ab eius herede, vt constat ex dictis Dubit. 3. & insinuatur generatim cap. Si diligenti. 17. de præscriptione, & L. Cùm notissimi. 7. §. In his. C. de præscript. 30. & 40. annorum: id expressè habetur de re emphyteutica, & conducta. Eadem est ratio rei feudalis: quia feudum & emphyteusis eodem ferè iure constant. & L. Nec creditores. 10. C. de pignoratitia actione, idem dicitur de pignore. Azo tamen ad illam legem docet, heredem longissimo tempore, nempe 30. annorum, posse pignoris proprietatem præscribere. Hæc tamen omnia possunt præscribi à successoribus particularibus, quibus titulo legati, donati, empti, &c. obtigerint. vt constat ex dictis suprà Dubit. 13. Ius tamen feudale & emphyteuticum quoad proprietatem potest præscribi contra dominum directum annis 30. vt habetur lib 2. feudorum, tit. 26. §. 4. *Si quis per 30. annos rem aliquam vt feudum possedit, & seruitutem domino exhibuerit: quamuis ea de re non sit inuestitus, præscriptione tamen 30. annorum se tueri potest.* Idem dicendum de iure emphyteutico, si vniformem pensionem toto illo tempore soluit. Cum titulo autem præscribitur hoc ius 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes; iuxta ea quæ diximus suprà num. 27.

Alieno nomine possessa.

Denique, quando Ius commune vel præsumptio malæ fidei obstat præscribenti. Tunc enim res illa præscribi non potest ab illo, nisi spatio 40. annorum cum titulo, vel tempore immemorabili sine titulo, vt expressè habetur cap. 1. de præscript. in 6. tam diuturna enim possessio habet vim tituli: nam facit iusti tituli præsumptionem, & excludit præsumptionem malæ fidei. Hoc modo dicitur non posse præscribi exemptio à iurisdictione Ordinarij, quæ tamen 40. annis cum titulo, & tempore immemorabili sine titulo acquiritur, vt constat cap. Cùm personæ. 7. de priuilegiis, in 6. Simili modo decimæ & ecclesiæ vnius diœcesis dicuntur non posse præscribi ab Episcopo alterius diœcesis. Nam iure statutum est, vt omnes ecclesiæ sint in potestate Episcopi in cuius territorio sunt sitæ; vt habetur cap. 10. Omnes. 16. q. 7. Possunt tamen, si possideantur 40. annis cum titulo, vel tempore, cuius initij memoria non extet, sine titulo; vt patet ex d. cap. 1. de præscript. in 6.

Idem dicendum, Primò, de iure patronatus, ad nominandum Rectorem vel Prælatum, qui Iure communi erat eligendus à Capitulo. Secundò, de immunitate à soluendis decimis: omnes enim Iure communi soluere tenentur. quia tamen interdum aliqui eximuntur, potest hæc exemptio præscriptione 40. annorum cum titulo, vel tempore immemorabili sine titulo acquiri: non tamen ita, quin, si opus sit, Ecclesia possit rursus obligationem soluendi imponere: quia Iure naturæ populus tenetur ecclesiæ ministros alere; vt infrà cap. 39. Dub. 1. dicetur. Tertiò, de immunitate à contributionibus, aliisque publicis oneribus. Quartò, de potestate faciendi vel concedendi aliquid, quod non nisi à Principe summo

ſummo fieri, aut concedi ſolet, vt ea quæ ſunt meri & mixti imperij. Vide ſuprà Dub.10.& 12.

Nullo modo præſcribuntur. Nullo autem modo præſcribi poſſunt, Primò, exemptio ab obedientia Superioris,& alia, de quibus Dub.12.Secundò,res vſibus publicis deputatæ;vt forum,via publica,pons: hæc nec in totum, nec in partem præſcribi poſſunt. Tertiò,Ius decimarum percipiendarum à laico. Et quidem ſi de ipſo primæuo & fundamentali iure loquamur; nullo modo à laico præſcribi poteſt,quia eſt ſpirituale,fundatum in miniſterio ſacro. Si autem de aliquo iure, quod ab illo primæuo ſit deriuatum, vt eſt ius feudale, quo olim, nimirũ ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. circa annum Domini 1179. celebratum, laicis interdum decimæ ſolent concedi; dubium eſt, an hoc Ius aliqua ratione poſt illud Concilium poſſit præſcribi. Couarru.lib.1. variarum cap.17.num.5.negat: quia, inquit, non ſolùm ius commune illis reſiſtit, & malæ fidei præſumptio, ſed etiam facti ſunt incapaces per illius Concilij decretum; quod habetur cap. Quamuis.17.& cap. Prohibemus.19.de decimis. quando autem eſt incapacitas, non habet locum præſcriptio.Nihilominùs, ſi cuius maiores à tempore cuius initij non extet memoria,tale ius poſſediſſent, præſumerentur habuiſſe ante Concilium,nec opus eſſet alia tituli probatione, vt plurimi Doctores, quos ipſe Couarru.citat & ſequitur, docent. Quartò, Limites Prouinciarum, Epiſcopatuum,& parœciarum: quod intellige, ſi de his conſtet; ſi autem non conſtet, præſcribi poſſunt. Quintò, Res indiuiſa communis pluribus, nullo tempore ab aliquo illorum præſcribi poteſt; quia ille nomine aliorum poſſidet. Colligitur L. Si communem. 10. π. Quemadmodum ſeruitus amittatur. Vide plura apud Silueſt. Præſcriptio ſecundò.

Dvbitatio xvi.

Quando præſcriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi.

49 REſpondeo & Dico Primò, *Præſcriptio* dicitur *non procedere*, quando ob aliquam cauſam non incipit,vel non poteſt incipere.Ita Couar. reg.Poſſeſſ.§.12. Hoc fit potiſſimùm ob 4.cauſas.

Non procedit ob 4. cauſas. Primò,ſi deſit poſſeſſio ciuilis. Secundò, ſi deſit titulus, non poteſt incipere præſcriptio triennalis, decennalis, aut vicennalis: poteſt tamen tricennalis;vt dictum eſt Dubitat.8. Tertiò,ſi deſit bona fides. Quartò, ſi res non poſſit alienari, lege reſiſtente; vt dictum eſt de fundo tali, de bonis aduentitiis filijfamilias, de legato, fideicommiſſo, maioratu.

Dormire dicitur. Dico Secundò, Præſcriptio dicitur *dormire*, quando iam inchoata aliquanto tempore ceſſat; ita tamen,vt illo exacto,rurſus vim habeat, & continuetur cum tempore priore. Sic dicitur dormire Primò, tempore belli, quando ius non dicitur, vel homines diffugiunt in aliud territorium. Similiter tempore peſtis. Secundò, quando Eccleſia caret Rectore, ceſſat contra Eccleſiam. Tertiò, quando is contra quem præſcribitur non poteſt agere; vt eſt filiusfamilias, pupillus durante ætate pupillari, (nempe vſque ad annum 14. exactum in mare; in femina vſque ad 12. exactum,) vxor viuente marito. Vide Silueſt. Præſcriptio 1. numero 9.

Dicitur interrumpi. Dico Tertiò, Præſcriptio dicitur *interrumpi*, quando inchoata ita ceſſat, vt ſi rurſus reuiuiſcat, non continuetur cum tempore priore;ſed de nouo debeat inchoari.

Interruptio fit dupliciter. Hæc *interruptio* generatim fit dupliciter:primò, naturaliter. ſecundò,ciuiliter. *Naturaliter* interrumpitur, quando incipit aliquid deeſſe, quod eſt neceſſarium ad naturam præſcriptionis; vt poſſeſſio,vel bona fides. *Ciuiliter* interrumpitur,quando per aliquem actum iuridicum interpellatur; vt, per litis conteſtationem,vel citationem:vt docet Couarru. §.12. ex Panorm.& alijs. *Triennalis* vſucapio non interrumpitur litis conteſtatione. Si tamen is,qui volebat ita vſucapere, condemnetur, debet rem reſtituere: ſi non condemnetur, maneatque in bona fide, expleto triennio illam poterit retinere. *Decennalis* tamen, *vicennalis & tricennalis* interrumpitur, litis conteſtatione facta coram Iudice competente. Si tamen actor ſuccubuerit in lite, vel ſi litem ſponte deſeruerit, non interrumpitur. Similiter ſi animo tantùm interrumpendi præſcriptionem,litem mouerit.His addo, præſcriptionem contra actionem fiſci interrumpi ſola citatione. De his plura apud Couar. & Silueſt. ſed parum vtilia Theologo.

Dvbitatio xvii.

Vtrùm qui legitimè præſcripſit rem aliquam, ſi termino præſcriptionis elapſo, conſtet fuiſſe alienam, teneatur eam reſtituere.

MVlti exiſtimant, talem teneri ad reſtitutionem, niſi interceſſerit negligentia domini in re ſua inquirenda: ita Adrian.in 4.q.2.de Præſcript.p.166. Ioannes Med.C.de Reſtit.q.8. eiuſdem ſent.videtur Scotus in 4. d.15.q.2.§. De ſecundò;nam eodem fundamento nititur: & Gabr. ibid.q.14.a.1.in fine,& alij nonnulli:fundamèntum huius ſententiæ eſt, Quòd leges præſcriptionis videantur ſolùm vel potiſſimùm inſtitutæ in pœnam negligentiæ domini: vbi ergo negligentia non interuenerit, ibi locum non habere. quare is qui vſucepit, vel præſcripſit, ad reſtitutionem obſtrictus erit, vbi conſtiterit nullam negligentiam interceſſiſſe. Sed contrarium eſt verius. 50

Vnde Dico Primò, non ſolùm quando domini prioris interceſſit negligentia, ſed etiam quando conſtat nullam interceſſiſſe, res legitimè præſcriptæ tranſeunt in dominium noui poſſeſſoris, ita vt non teneatur eas reſtituere, niſi prior dominus per iudicem reſtituatur in integrum. Ita Couarru.ad reg.Poſſeſſor. p.3.§.2.n.3.vbi multos alios refert. & Sotus lib.4. de Iuſtitia quæſt.5. art.4. & paſſim Doctores.

Præſcriptio transfert dominium, etſi abſit negligentia.

Probatur; quia L. 3. π. De vſucapionibus, definitur *vſucapio eſſe dominij acquiſitio per continuationem temporis lege definiti:* ergo tranſacto illo tempore, non tenetur is, qui vſucepit, ad reſtitutionem, cùm dominium acquiſierit. Secundò,Leges præſcriptionis numquam meminerunt, eam ſtatui in pœnam negligentiæ dominorum: ſed ob

bonum

bonum publicum, nam L. 1. ff. de vsucapionibus dicitur, *bono publico introducta est vsucapio, ne diu & ferè semper incerta essent rerum dominia.* & L. vltima. ff. Pro suo. *concessa* dicitur *vt aliquando litium esset finis.* Similiter canones indistinctè & absque restrictione negligentiæ, approbant præscriptiones bonæ fidei; atqui Princeps per suas leges potest priuare subditum re sua, etiam absque eius culpa, si ratio boni communis ita postulat. ergo cùm ratio boni id exigat, (nempe ne semper incerta sint dominia, & ne infinita quædam litium seges suboriatur) non est dubitandum quin hisce legibus dominium transferatur.

Tertiò, quia lege pœnali non amittitur dominium ante sententiam; atqui præscriptio simul atque peracta est, dominium adimit, & in nouum possessorem omnino transfert: ergo leges præscriptionis non sunt pœnales dumtaxat, punientes dominorum negligentiam. Confir. quia ista negligentia rei suæ, non est nisi venialis, quæ non meretur ablatione rerum puniri. Vnde Adrian. requirit in ea culpam mortalem. sed hæc vel numquam vel rarissimè accidit; & ita ferè numquam præscriptio habebit effectum.

Denique non potest sciri quanta negligentia à domino priore sit commissa: itaque hæc res tota erit plena scrupulis, & inutilis ad praxim.

Dico Secundò, Præscriptio non solùm transfert dominium vtile, sed etiam directum, idque tam in bonis immobilibus, quàm in mobilibus. Ita Couar. suprà §. 1. in fine, & passim Theologi. Leges enim & canones iudistinctè loquuntur de dominio; nec restringunt ad dominium vtile, vt patet cap. 3. 4. 6. de præscript. & ex cap. Clerici, 26. q. 3. vbi dominium acquisitum per præscriptionem vocatur *proprietas.* Denique ex c. Placuit. 1. & 2. 16. q. 3. Idem colligi potest ex legibus citatis, & ex toto tit. C. de præscript. 30. annorum. Fundamentum Iurisperitorum, qui contrarium tenent in bonis immobilibus, falsum esse ostendit Couarr. suprà §. 1. num. 1. 51 *Non solùm vtile, sed etiam directum.*

Obijcitur Primò, Nemo sine culpa debet priuari re sua; ergo debet interceßisse culpa. *Obiectiones. Interdum priuatur quis re sua sine culpa.*

Resp. Antecedens verum est, nisi ratio boni communis aliud postulet, vt fit in proposito.

Obijcitur secundò, Fundamentum præscriptionis est bona fides: ergo postquam constiterit rem fuisse alterius, subuertitur præscriptio; quia subuertitur eius fundamentum.

Resp. Non subuerti bonam fidem ex eo quòd peracta præscriptione constet rem fuisse alienam: quia tunc verè potest iudicare rem esse suam, quamuis anteà alterius fuerit.

Obijcitur tertiò, Cui res est adiudicata per sententiam nitentem falsa præsumptione, tenetur ad restitutionem: atqui leges præscriptionis nituntur falsa præsumptione: ergo is, cui res est adiudicata per talem legem, tenetur ad restitutionem.

Resp. Primò, negando conseq. quia Iudex per sententiam non intendit transferre dominium, sed solùm declarare vtrius sit: vnde si fundamentum est falsum, quo sententia nititur, ipsa quoque corruit, nec est seruanda in conscientia. At verò Princeps per legem præscriptionis intendit transferre dominium absolutè: & quamuis fortè falsa præsumptione ex parte nitatur, tamen iustam causam habet ita statuendi absolutè.

Secundò Respondeo, neg. minor. quia verum non est, leges præscriptionis potissimùm præsumptione negligentiæ nixas esse; vt ex dictis constat.

Dvbitatio XVIII.

Quibusnam aduersus Præscriptionem restitutio in integrum concedatur.

NOtandum est, *Restitutionem in integrum* esse quoddam remedium, quod, finita præscriptione, relinquitur priori domino, qui rem suam amisit; nempe vt auctoritate Iudicis possit restitui in dominium & possessionem rei amissæ. 52

Quo posito, Respondeo, Hoc remedium concedi, Primò, minoribus ætate, id est, qui nondum 25. annos expleuerunt. Secundò, Pijs locis & Ecclesijs, etiamsi præscriptio sit 40. annorum. Ita docent Glossa, & DD. in Auth. Quas action. C. de sacrosc. Eccles. verb. Excluduntur; estque communis opinio, teste Panorm. in cap. 1. de præscript. & in cap. Auditis, eodem. Eccleliæ enim concessum est priuilegium minorum, estque ipsa instar minoris, vel etiam pupilli; vt tradunt DD. in cap. 1. & 2. de restit. in integrum lib. 6. quibus locis etiam expressè Ecclesijs hoc beneficium restitutionis conceditur. Vbi aduerte, Ecclesiis & minoribus hoc concedi; quamuis ipsis scientibus & resistere valentibus præscriptio facta sit; vt docet Couarr. ad reg. Possessor. p. 3. §. 3. nu. 3. quia ratione fragilis ætatis id concessum minoribus, quorum priuilegium extenditur ad Ecclesiam & alia pia loca. conceditur verò per quatuor annos postquam sciuerint completam contra se præscriptionem. L. fin. C. de tem. in integrum restit. Tertiò, maioribus ætate conceditur in præscriptione 10. & 20. annorum; modò tamen probent, cum iusta & probabili ignorantia sua, aut omnino sine sua negligentia præscriptionem fuisse peractam. L. 1. §. fin. ff. Ex quibus causis maior. Abbas & Felinus in cap. Vigilanti, de præscript. & alij, estque sententia communis, teste Couarr. suprà n. 1. Habent & hi quatuor annos postquam sciuerint completam præscriptionem. In præscriptione autem 30. & 40. annorum non conceditur maioribus restitutio, iuxta Couarr. nu. 1. qnamuis alij aliter sentiant: minoribus autem conceditur. Sed hæc ad forum externum pertinent. Vide infrà cap. 17. Dubitatione 9. *Minoribus.* *Ecclesia.* *Maioribus.*

SECTIO SECVNDA.

DE INIVRIIS ET DAMNIS IN OMNIBVS HVMANORVM BONORVM GENERIBVS, ET NECESSARIA RESTITVTIONE.

EXplicuimus *superiori Sectione, per sex capita, quid* Iustitia, *quid* Ius, *quænam eius species, & in primis quid* Dominium, *quibus & in quæ competat, quibúsve modis comparetur. Sequitur nunc vt tractemus de* Iniuriis *&* Damnis *quibus Iustitia & Ius violatur;* & Restitutione, *quæ est principalis actus Iustitiæ commutatiuæ, per quem Ius violatum instauratur.*

Primum igitur dicemus de Iniuria & Restitutione in genere. 2. De Iniuria in bonis spiritualibus. 3. De Iniuria in corpus proximi per homicidium vel mutilationem. 4. De Iniuria in corpus proximi per adulterium & stuprum. 5. De Iniuriis famæ & honoris per detractionem & contumeliam. 6. De Iniuriis fortunarum per furtum, rapinam, damnum illatum. 7. De Cooperantibus ad hæc. 8. De Restitutione ratione rei acceptæ. 9. De Ordine seruando in restitutione, deque eius expensis. 10. De Excusantibus à restitutione.

CAPVT SEPTIMVM.

De Iniuria & Restitutione in genere.

Habet 10. *Dubitationes.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit iniustitia & iniuria. *D.Thomas q.59.*

1 NOTANDVM est, sicut nomen *Iustitiæ* dupliciter accipitur (vt suprà cap. 1. Dub. 1. ostensum est) Primò, pro omni virtute, quatenus est quædam legis obedientia. Secundò, pro virtute particulari, quæ constituit æqualitatem in commutationibus & distributionibus: ita etiam nomen *Iniustitiæ* dupliciter accipitur, vt expressè docet Aristoteles 5 Ethic. cap. 1. Primò pro *omni legis violatione*, quam ipse ἀνομίαν vocat, nos iniquitatem. Hoc modo omne peccatum est *Iniustitia* quædam: quia est violatio æqualitatis seu conformitatis debitæ legi vel præcepto Superioris. Hinc *peccatum* definitur, *cælestium inobedientia mandatorum, & diuini præuaricatio præcepti.* Vnde passim in Scripturis omne peccatum vocatur *iniustitia*, & peccatores *iniusti*. Ioannis 7. *Iniustitia in illo non est.* Ad Rom. 1. *Reuelatur enim ira Dei super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Ezech. 18. & alibi. Similiter omne peccatum vocatur *iniquitas*, seu ἀνομία. E contrario omne opus bonum vocatur *iustitia.*

Iniustitia dupliciter dicitur.

Hinc patet, hanc rationem *Iniustitiæ* esse generalem, & communē omni peccato, sicut esse contra charitatem; neque videri distingui à ratione generali inobedientiæ: quia hæc *iniustitia* consistit in hoc, quòd conformitas legi debita violetur, quæ violatio nihil est aliud, quàm legis inobedientia. Itaque peccatum non contrahit aliquam specialem prauitatem ex hac malitia (quia generalis est, essentialiter omni peccato conueniens) nisi ipsa in illo peccato, speciali modo sit volita; vt cùm quis ex contemptu legis peccat, quod fit, quando quis directè vult legem violare, vt ostendat se eam nihili pendere. generalis enim conditio obiecti non potest specialem malitiam tribuere actui voluntatis, nisi speciali modo sit volita: quia malitia

2 *Ratio Iniustitiæ communis omni à peccato.*

3 *Peccatum ex contemptu.*

forma-

formalis in actu voluntatis sumi debet ex ordine, quem habet ad malitiam obiectiuam, quæ cernitur in obiecto volito: vt ostensum est 1.2. quæst.18.art.1.

4 Secundo modo accipitur *Iniustitia* vt opponitur Iustitiæ particulari; idque vel vt actus, vel vt habitus. Si vt actus, sic nihil est aliud, quàm alieni Iuris violatio; neque differt ab *iniuria*. Sicut enim actu Iustitiæ cuique ius suum tribuitur; ita Iniustitiæ hoc ius violatur: in qua violatione sita est *iniuriæ* ratio. Si verò accipiatur vt habitus, habituì Iustitiæ oppositus, sic nihil est aliud, quàm praua voluntatis dispositio ex iniustis actibus orta, & ad similes inclinans. Quamquam si Theologicè magis quàm Philosophicè loquamur, *habitualis iniustitia* non tantùm consistit in praua dispositione reali; sed etiam morali & imputatiua: quod vt intelligatur,

Iniuriæ ratio.

5 Notandum, duplici modo fieri alterì iniuriam, *commissione* & *omissione*; neque minùs omissione reddi hominem iniustum, quàm commissione. Omissio nuda non relinquit in voluntate aliquam dispositionem realem; relinquit tamen hominem iniustum habitualiter, donec restituat, vel satisfaciat. En habitualem iniustitiam sine reali dispositione voluntatis. Et quamuis raro fiat, vt quis debitum officium omittat absque positiua voluntatis complacentia & assensu; tamen fieri potest, & interdum fortasse fit. Idem in aliis vitiis locum habet, vbi omissione peccatur; remanet enim homo habitualiter vitiosus, absque reali habitu. Idem quoque locum haberet in virtutibus & omnibus vitiis, si ex actu nihil reale relinqueretur: morale enim illud & imputatiuum ex actu relictum, sufficeret ad denominandum hominem iustum vel iniustum, temperantem vel intemperantem. Sed de hoc plura 1.2. quæst.49.art.1.

Dupliciter fit iniuria.

6 Hinc patet, *Iniustitiam habitualem* generatim non tantùm consistere in reali dispositione; sed etiam in morali, seu imputatiua: quatenus complacentia interpretatiua omissionis, per quam illa omissio fuit voluntaria, censetur manere secundùm moralem æstimationem, & imputatur vt præsens, donec fiat restitutio.

Iniustitia habitualis.

Dvbitatio II.

Vtrùm aliquis dicatur iniustus, eo ipso quòd faciat aliquid iniustum.

D. Thom. art. 2.

7 Respondeo, & Dico Primò, Qui sciens aliquid esse *iniustum*, sponte illud facit, eo ipso est *iniustus*. Probatur; qui vult liberè id quod nouit esse iniustum, censetur etiam velle ipsam iniustitiam & inæqualitatem annexam, ac proinde meritò dicitur iniustus. D. Thomas dicit talem intendere formaliter iniustum; quia intendit id quod scit esse iniustum, & ita intentio fit formaliter iniusta: quamuis ipsam iniustitiam per se non intendat.

Qui sciens facit.

8 Dico Secundò, Qui ignorantia inculpata nescit esse iniustum, vel si scit, non consentit in opus, sed vi externa impulsus facit; non est dicendus iniustus. Ratio est; quia malitia annexa operi; nullo modo est volita, ac proinde non potest ipsius voluntatem contaminare.

Qui ex ignorantia probabili.

Dico Tertiò, si ignorantia sit culpabilis, vel vis extrinseca, aut passio, qua incitatur, talis sit, vt ei possit resisti; verè erit iniustus, si faciat opus iniustum; licet minùs, quàm si sciens & volens Ratio est; quia hæc non impediunt quin ille absolutè censeatur velle & voluntariè facere quod iniustum est, vt ostensum est 1.2.q.6.a.7.& 8.

9 Notandum tamen, Aristotelem lib.5. Ethic. cap.8. vbi hanc quæstionem tractat, docere, eum qui ex ignorantia vel passione quippiam iniustum designat, non esse dicendum iniustum: quia non operatur iniustè, id est, ex habitu & affectu directè inclinante ad id quod iniustum est, sed solùm per accidens & indirectè. Verùm hoc intelligendum est, non tam perfectè dici iniustum, quàm eum qui sciens & sua sponte facit: alioqui talis absolutè est iniustus: indirectè enim voluntarium in peccatis, recidit in speciem voluntarij directi: vt constat ex 1.2.q.6.

10 Notandum Secundò, circa Respons. D. Thomæ ad 3. dum quis per ignorantiam ineulpatam facit opus iniustum, hoc opus non dici formaliter *iniustum*; quia non procedit à voluntate (quæ in moralibus est instar formæ) iniusta. dicitur tamen iniustum materialiter; quia constituit veram inæqualitatem rei ad rem. Idem videtur dicendum de reliquorum vitiorum operibus. qui enim accedit ad non suam per ignorantiam, vt Iacob; vel plus comedit quàm natura postulet, facit opus materialiter intemperatum; (quamuis formaliter, vt subest voluntatis affectui, possit esse temperatum) etsi enim non incongruens sit homini tale dictamen ex errore inculpato habenti; tamen est ei incongruens secundùm se & absque illo errore considerato. & ita quamuis ratio intemperati non conueniat illi operi in ordine ad actuale dictamen, conuenit tamen ei in ordine ad naturam rationalem absolutè consideratam.

Formaliter iniustum quid.

Dvbitatio III.

Vtrùm aliquis possit pati iniustum volens.

D. Thom. art. 3.

11 Respondeo, & Dico Primò, Sicut nemo potest facere *iniustum* propriè vel iniuriam, nisi volens; ita nemo potest propriè pati *iniuriam* nisi nolens. ita D. Thomas art.3. ex Arist. 5. Ethic. cap.9.& 11.

Prior pars patet; quia iniustum formaliter & iniuria includunt rationem voluntarij. hinc fit vt amens, & brutum non faciat iniuriam, etsi lædat. sufficit autem siue directè, siue interpretatiuè sit voluntarium.

12 Altera pars probatur; quia nemo potest pati *iniuriam*, nisi Ius eius violetur: non potest autem violari Ius alterius, nisi ipso nolente, vel expressè, si sciat; vel implicitè, si nesciat; & ita sit affectus, vt, si sciret, expressè nollet. Cuius ratio est; quia si velit, vel certè positiuè permittat se lædi, iam cedit iure suo, illudque abdicat, vel certè in arbitrio lædentis ponit: ac proinde, etsi ipse lædatur, Ius tamen ipsius (quà ipsius est) non violatur. sicut si concedam tibi vt vestem meam auferas, pono domi-

Si consentit, cedit iure suo.

dominium rei meæ in tuo arbitrio. vnde si auferas, non violas ius meum.

Dixi, *qua ipsius est*; quia etsi non violetur præcisè quà ipsius est, potest tamen violari quatenus ad alium pertinet. Seruus enim habet ius vt non spolietur rebus suis inuitus; & dominus habet ius vt idem non spolietur etiam volens. Vnde qui spoliat seruum consentientem, etsi non faciat iniuriam seruo, facit tamen iniuriam domino. similiter qui vastat vineam custode consentiente. Idem vsuuenit quotiescumque alter alteri ita subditus aut connexus est, vt iura eorum inter se connexionem aut dependentiam habeant. Sic qui seipsum interficit, etsi non facit propriè iniuriam sibi, facit tamen iniuriam Reipub. cuius ipse est pars, & etiam Deo (iuxta D. Thomam) qui solus vitæ humanæ est dominus. Vnde tales peccant contra præceptum, *Non occides*; & pœna homicidij, si fieri posset, plectendi essent: & post mortem in tanti criminis pœnam non minore ignominia afficiuntur. De quo vide Iulium Clarum lib.5. recept.opinion.§.fin.num.37. Sed de hoc plura infrà cap. 9. Dubitat. 6. Pari modo qui alium volentem interficit, non facit quidem illi propriè iniuriam (volendo enim occidi, cedit iure suo, ac proinde interfector non tenetur heredibus ad vllam restitutionem) facit tamen iniuriam Reipub. & Deo, & peccat contra iustitiam legalem. Vnde Dauid puniuit Amalechitem tamquam homicidam, qui se occidisse Saulem volentem dicebat, 2.Reg.1. Idem dicendum, quando coniunx consentiente coniuge adulterium committit. Non enim facit propriè iniuriam consentienti, sed peccat contra matrimonij legem.

Facit iniuriam Deo.

Cessio iuris. Notandum tamen est, non censeri quempiam cedere iure suo, si aliquo modo inuoluntariè, & renitente affectu consentiat, inductus ab eo qui læsurus est. Sicut enim donatio debet omnino esse libera; ita etiam cessio iuris, quæ tollit iniuriam. Vnde qui soluit vsuras, non cedit iure suo: quia non cupit vt vsurarius has exigat, nec intendit se vllo iure priuare, aut donare; sed soluit, quia aliter pecuniam obtinere nequit. Ex his patet intelligentia illius regulæ, quæ est 27. inter reg. Iuris in *6. Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus.*

13 *Sententia quorundã Doctorum.* Aduerte tamen, quosdam Doctores hanc regulam & ea quæ dicta sunt, limitare ad ea, in quibus iure nostro cedere possumus; vt in fama, honore, & aliis bonis externis, quorum sumus domini. In his enim scienti & volenti non fieri iniuriam: quia cùm hæc subsint nostræ dispositioni, hoc ipso, quo volumus his spoliari, iure nostro nos priuamus, & illud in alterius collocamus arbitrio; secùs esse in aliis, quorum non sumus domini, sed custodes dumtaxat: vt in vita, & membrorum integritate, in coniuge, in prolibus, & similibus, in quibus iure nostro cedere non possumus. In his enim propriè fieri iniuriam ei, cui ipsa commissa sunt, vel obnoxia, si perimantur, vel lædantur; etsi id ipso volente fiat. Ratio est, Quia cùm cessio Iuris sit inualida, totum Ius permanet in suo vigore: ac proinde si contra illud fiat, peccatur contra iustitiam, & fit verè & propriè iniuria, quamuis consentienti. Vnde inferunt, eum qui interficit Titium volentem, facere ei propriè iniuriam, quia Titius non poterat iure illo cedere: similiter cùm quis adulterium committit cum vxore Titij ipso Titio consentiente. Alij dicunt, non fieri in istis propriè iniuriam personæ, sed naturæ, vel statui.

Verùm id quod diximus est magis consentaneum vsitato modo loquendi. nemo enim, qui volens in corpore læsus fuerit ab aliquo, vel coniugem alteri violandam dederit, dicet sibi iniuriam factam, aut de iniuria conqueri poterit. Deinde est ipsa doctrina Aristotelis lib.5.Eth.cap.9. vbi ostendit *neminem sponte pati iniuriam; etiamsi possit sponte ladi, & damno affici:* quia ad illud requiritur vt inuitus patiatur. Neque id intelligit solùm in iis; quæ subsunt nostræ dispositioni, vt in fama & diuitiis; sed etiam in aliis, in quibus iure nostro cedere non possumus, vt in vita & membris: quod ex initio capitis constat; vbi ex Euripide adducit exemplum eius, qui matrem volentem & rogantem interfecit. Confirm. nam idcircò nemo sibi ipsi iniuriam facere, aut à se iniuriam accipere potest; quia non potest à se inuitus pati: non enim fieri potest, vt quis sibi damnum velit inferre, & simul nolit illud à se pati. Idem docet D. Thomas art.3.q.59. Confirmatur secundò, Quia qui violat filiam consentiente parente, non facit parenti iniuriam; & qui furatur à pupillo consentiente tutore, non facit tutori iniuriam: & tamen isti iure suo cedere non possunt. ergo ad formalem iniuriam non sufficit, quòd quis iure suo non possit cedere.

Contrarium verius.

Nec obstat, quòd quis in illis iure suo cedere non possit, ac proinde ius illud, quod habet vt in illis non lædatur, permaneat: quia non permanet sub ratione formali iuris iustitiæ, sed solùm materialiter; cùm ipse nolit eo vti, eoque, quantum in se est, cedat. Vnde non censetur iniuria in illum nisi materialiter: sicut enim potest esse iniuria materialis ex parte irrogantis, ita etiam ex parte eius cui irrogatur.

Est iniuria materialis.

Dico Secundò, fieri potest, vt quis ex parte sua iniuriam inferat, & tamen alter propriè iniuriam non patiatur: & è contrario fieri potest, vt quis iniuriam vel potiùs iniustum patiatur, & alter propriè iniuriam non inferat. ita D.Thomas ad 3. ex Aristotele suprà. Prioris exemplum est; si detrahas famæ alterius, vt illi noceas, & ille cedat iure suo, optans haberi infamis propter Christum. posterioris est; si per ignorantiam vendas alteri rem vitiosam, quam ille putet esse probam. 14

Dices, Ergo Christus & Sancti propriè non sunt passi iniuriam; cùm libenter passi sint, & pati desiderauerint.

Verũ Christus & Sancti sint passi iniuriam.

Resp. Nego conseq. quia vt quis dicatur non pati iniuriam, non satis est quòd ob aliquam causam libenter patiatur, seu quòd gaudeat illo malo; sed oportet vt etiam cupiat illud sibi à tali irrogari, cedendo, quantum in se est, iure suo: alioquin retinet actionem iniuriarum in illum; & ille tenetur ad restitutionem, vel satisfactionem. Christus autem & Sancti non cupiebant sibi ab impiis illa mala irrogari, nec illis ad hoc vllum ius vel auctoritatem tribuebant; sed solùm permisiuè se habebant non repugnando, & se non subtrahendo illorum potestati; vt sic eorum malitia ad maius bonum vterentur. Vnde retinent actionem iniuriarum in illos coram tribunali diuino; vt patet Sapientiæ 5. *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt.*

DVBI-

Dvbitatio iv.

Quid sit restitutio, & cuius virtutis actus.

D. Thomas quæst. 62. art. 1.

15 NOtandum est, *Restitutionem* propriè significare positionem rei in pristinum statum, & quia dum res ablata redditur, in priorem statum reponitur, ideò significat *redditionem rei ablatæ, siue iure, siue iniuria ablata sit*; quod aliter Latinis dicitur *Redhibitio*, & *redhibere*. Sic depositum & commodatum dicitur restitui, & etiam mutuum; quia saltem secundùm speciem est idem. Emptor verò pretium numerans non dicitur *restituere*, sed *soluere*: & qui damnum intulit, *compensat*, non *restituit*.

Restitutio quid.

Apud Theologos tamen hoc nomen accipitur generaliùs, vt etiam comprehendat omnem illati damni cõpensationem; & sic nihil est aliud, quàm *rei acceptæ redditio*, vel *damni illati cõpensatio*. Hoc modo qui damnum intulit, dicitur facere restitutionem, dum illud compensat, & æquiualens rependit. posset etiam hoc modo emptor soluens pretium, dici facere restitutionem, quia reddit rem in æquiualenti; quamuis non ita vsitatè.

16 Hinc patet, Restitutionem esse opus externum Iustitiæ commutatiuæ; quia huius virtutis est constituere æqualitatem inter datum & acceptum, inter damnum & compensationem; quod fit restitutione.

Est actus Iustitiæ commutatiuæ.

Nec obstat, quòd etiam error contra Iustitiam distributiuam commissus, sarciatur restitutione, & ita videatur etiam esse opus Iustitiæ distributiuæ; quia sæpè in actu distributionis continetur debitum Iustitiæ commutatiuæ, quod debitum violatur praua distributione: sicque non est mirum, si opere Iustitiæ commutatiuæ instaurari debeat; vt ostensum est cap. 1. dub. 4.

17 Petes, Quomodo differt restitutio à solutione & satisfactione?

Differt à solutione & satisfactione.

Respondeo, A *solutione* differt, quòd non omnis solutio propriè sit restitutio, nec contrà. dicimur enim *soluere* quod ex voto, iuramento, charitate aut misericordia debitum est (nam & ex his virtutibus debitum & obligatio aliquid dandi in proximum nascitur) non tamen propriè dicimur *restituere* aut facere restitutionem. & è contrario, qui reddit depositum, restituit, non tamen soluit. *Restitutio* enim postulat vt res quodammodò sit eadem vel in se, vel in æquiualenti: *Solutio*, vt sit diuersa.

18 A *satisfactione* verò, Primò, Quòd satisfactio sit quiddam generalius: omnis enim restitutio est satisfactio, non contrà. Secundò, Quòd satisfactio respiciat personam, dum præstat id quod alteri satis est, etsi non sit æquiualens debito. restitutio autem respicit rem, dum præstat æquiualens, vel rem ipsam exhibet. Tertiò, Satisfactio propriè fit pro iniuria illata, & honore violato, quamuis nihil damni illatum sit. restitutio verò propriè vbi damnum illatum, vel res alterius ablata. Sic Deo satisfacimus, cui tamen nihil propriè restituere possumus, cùm omnia perfectissimè sint ipsius. Quartò, Satisfactio fit etiam pro damno irreparabili, restitutio solùm pro reparabili.

Dvbitatio v.

Ex quibus capitibus generatim nascatur obligatio restitutionis.

19 REspondeo, eam ex duplici capite nasci; nempe ex *iniusta acceptione*, vel *ex re accepta* siue iustè, siue iniustè. colligitur ex D. Thom. qu 62. art. 6. & 7. docet Caiet. ibidem, & Couarr. ad reg. Peccatum. 2. p. in principio.

Quid iniusta acceptio.

Per *Iniustam acceptionem* intelligo non solùm furtum, sed etiam damnum quoduis per homicidium, adulterium, stuprum, furtum, infamiam, siue alio modo iniquè illatum. quicumque enim alteri damnum infert, aufert aliquid ab eo; & sic dicitur teneri ratione iniustæ acceptionis.

Res accepta.

Per *Rem acceptam* intelligo non solùm eam, quæ à domino ablata est, vt equus, vestis, pecunia; sed etiam eam, quæ ex iustitia alteri debita est, & apud me retinetur; vt legatum alteri, aut venditum, quod apud me est.

Quòd autem ex priori capite nascatur obligatio restitutionis, Probatur; Quia qui damnum intulit, violauit æqualitatem, quam poscit Iustitia commutatiua: ergo vt æqualitatem illam sarciat, tenetur lege iustitiæ ad restitutionem, etiamsi nihil emolumenti acceperit.

Quòd etiam ex secundo capite, patet; Quia qui habet rem alterius, etsi nullam iniuriam intulerit, habet tamen plus quàm suum; & verus dominus tantumdem habet minùs quàm suum. Vnde vt fiat æqualitas iustitiæ, per quam cuique tribuitur suum, debet domino restitui. Vide D. Thom. artic. 6. & 7. qu. 62. quamuis hæc duo capita paulò aliter explicet; sed res est eadem.

Dices, Qui obligatur ex stipulatione, non tenetur ex altero horum capitum: ergo hæc non sufficiunt.

20 Respondeti potest, talem non propriè teneri ad restitutionem, sed ad solutionem. Si tamen nomen restitutionis generatim accipiatur pro omni redditione, qua res ex iustitia debita redditur in seipsa vel in æquiualenti, sic assignanda sunt *tria capita omnis restitutionis*. Primum, *Ex iniusta acceptione*, seu damno illato. Secundum, *Ex re accepta* iustè vel iniustè. Tertium, *Ex contractu*. Nam mutuum & pretium rei emptæ, & similia, non debentur propriè ratione rei acceptæ, (nam fieri potest vt hæc non extet) sed ex contractu.

Tria generatim capita restitutionis.

Notandum est, inter hæc capita esse magnum discrimen. quando enim aliquid debetur ex iniusta acceptione, vel ex contractu; manet obligatio restitutionis, etiam si res debita pereat, sine nostra culpa: quando verò debetur tantùm ratione rei acceptæ, non manet obligatio, re absque culpa nostra pereunte, vt patet in depositio.

21 *Discrimen inter illa.*

Ex his plurima possunt deduci, vt patebit ex sequentibus.

Dvbitatio vi.

Vtrùm nascatur obligatio restitutionis ex damno dato absque culpa, vel per culpam leuem extra officium & contractum.

22 NOtandum Primò, tripliciter fieri posse vt damnum alteri culpa mea obueniat. Primò,

Si tenear ex officio impedire, & negligam. Secundò, Si ex contractu. Tertiò, Extra officium & contractum, de quo modò hîc agimus.

Culpa dupliciter dicitur.

Notandum Secundò ex Adriano in 4. De restitut. §. Vtrùm in foro animæ, *culpam* aliter accipi apud Iurisperitos, aliter apud Theologos. Apud Theologos enim *culpa* idem est, quod peccatum, siue mortiferum, siue veniale. apud Iurisperitos verò est idem, quod omissio alicuius diligentiæ, vnde sequitur aliquod incommodum Diuidunt autem culpam, in latam, latiorem, latissimam, leuem, & leuissimam. *Culpa latissima est dolus apertus. latior, est dolus præsumptus.* Est autem *dolus quæuis calliditas, fallacia & machinatio ad circumueniendum, fallendum, & decipiendum adhibita. Callidtas fit tacendo, fallacia mentiendo, machinatio arte verborum.* ita tradit Glossa 7. de dolo. L. 1. Sequuntur passim Doctores.

Culpa quintuplex.

23

Culpa latissima. Latior. Dolus.

Culpa lata.

Culpa lata est omissio eius diligentiæ & circumspectionis, quam passim homines eiusdem conditionis adhibere solent: vt si quis librum commodatum relinquat foris ante ostium.

Leuis.

Culpa leuis est omissio eius diligentiæ & circumspectionis, quam solent diligentiores illius artis vel professionis adhibere.

Leuissima.

Culpa leuissima est omissio diligentiæ, quam diligentissimi & prudentissimi adhibent. Vide Nauarrum cap. 17. n. 177. & sequentibus. & Siluest. verbo Culpa, in principio.

His positis; Angelus verbo Culpa n. 6. sentit, ex quauis culpa, etiam leuissima, nasci obligationem restitutionis. idem tenet Adrianus suprà. probant ex quibusdam Canonibus. sed contraria sententia est tenenda; pro qua

24

Solùm tenemur ex culpa lata, extra contractum.

Dico Primò, Quando non intercessit aliquis contractus, non oritur obligatio restitutionis ratione damni dati (saltem in foro conscientiæ) nisi ex culpa lata; non autem ex leui, vel leuissima. ita communiter DD. vt fatetur Angelus; Innocentius in cap. Sicut dignum, de homicidio. Gabr. in 4. d. 15. q. 14. art. 3. Dubit. 2. Silu. verbo Culpa. n. 6. vbi citat Panor. & alios. & verbo Restitutio secundò. §. 12. & 17. Sotus lib. 4. de Iustitia. q. 7. art. 2. & lib. 5. q. 1. art. 9.

Probatur Primò; Quia nemo tenetur adhibere maiorem diligentiam in suis operibus, ne alteri noceat, quàm eiusdem conditionis homines passim in similibus adhibere solent; (nemo enim tenetur esse prudentior & circumspectior hominibus suæ sortis:) ergo damnum eueniens non debet illi imputari, sed censebitur inuoluntarium.

Secundò, Talis neque tenetur ratione contractus; (sicut tenetur, qui ignorans vendidit rem vitiosam:) neque ratione rei acceptæ; cùm ea non extet: neque etiam ratione iniustæ acceptionis; cùm sine omni peccato damnum sit secutum: nemo enim tenetur ratione iniustæ acceptionis, nisi quando in ea est peccatum; (alioqui teneretur quis ex casu fortuito & præstitâ summâ diligentiâ; quod tamen nemo dixerit:) ergo cùm hîc non fuerit peccatum, non tenetur. Quod autem ratione culpæ leuis vel leuissimæ non interuenerit peccatum, patet; quia non tenebatur diligentiam & circumspectionem adhibere, quam prudentiores & prudentissimi solent adhibere; sed solùm eam, quam prudentes: ergo hanc adhibendo & illam omittendo, non peccauit.

Teneri verò *ex culpa lata*, constat; quia quisque in actionibus periculosis tenetur præstare diligentiam, quam homines eiusdem conditionis communiter præstare solent: ergo si hanc non adhibuerit, censebitur damnum illi voluntarium; quia non fecit quod potuit & debuit, vt constat ex dictis 1. 2. q. 6. a. 3.

Notandum est, quosdam limitare hanc propositionem hoc modo. Non teneri ex culpa leui, &c. *Nisi quis aduerterit damnum secuturum, vel illud intenderit.* Sed si quis benè consideret, non est necessaria hæc limitatio; quia qui *aduertit* ex sua actione secuturum damnum, tenetur maiorem diligentiam adhibere: nam quiuis prudens tunc eam adhiberet. Vt autem quis *intendat* damnum inferre per eam actionem, cui adhibet sufficientem circumspectionem, vix vnquam contingit. si enim facit aliquid vt noceat, quo modo adhibet sufficientem circumspectionem ne noceat? Fieri tamen absolutè potest: vt si quis diligenti consideratione adhibita, quam prudens adhiberet, putet esse feram, & veniat in mentem fieri posse, vt sit hostis, ideoque telo petat.

25

Potest intendi damnum per actionem, cui sufficiens cautio adhibetur.

Vtrùm autem tunc ad restitutionem teneatur, est dubium. videtur teneri; cùm directam nocendi intentionem habeat. Sed verius videtur, non teneri: quia damnum respectu illius actionis censetur fortuitum. actio enim illa, facta cum tali circumspectione, non censetur vllo modo tendere ad homicidium, aut esse periculosa, vt vitari debeat. nec refert, quòd ab intentione eò dirigatur; quia dirigitur in incertum tamquam in effectum fortuitum; sicut si quis iaculetur in altum eo fine, vt cadat in caput inimici, eò quòd cogitet id esse possibile; quamuis credat inimicum longè abesse. Simile ferè est, si quis in aliquo opere omnem diligentiam debitam præstet, ne noceat; optet tamen casu obuenire damnum vel mortem, (vt posset contingere in medico vel chirurgo) & ideò non adhibeat circumspectionem diligentioris aut diligentissimi: hic enim non tenebitur ad restitutionem. Ratio est; quia non tenebatur maiorem diligentiam adhibere: adhibuit enim totum quod ex iustitia debuit: vnde omittendo illam maiorem diligentiam, non fecit ei iniuriam; ac proinde, si æger moriatur, non illi imputabitur homicidium: quamquam coram Deo si reus, quòd optauerit; & vt casu moreretur, omiserit maiorem diligentiam; quæ omissio fuit contra charitatem: sicut quando quis omittit pauperi succurrere in necessitate.

Potest fieri vt quis omittat diligentiam indebitam, vt dānum eueniat.

Ex his infero, Si ex facto tuo vel omissione secutum est alteri damnum, & tu nihil in hoc peccaueris, ob naturalem inconsiderationem, vel obliuionem, non teneri te ad restitutionem; quamuis in foro externo, hoc lata culpa commissum diceretur. quia neque ratione rei acceptæ teneris; vt quæ non extet: neque ratione iniustæ acceptionis; cùm non peccaueris: neque ratione contractus; cùm nullus interuenerit, vti suppono. ita Sotus suprà. v. g. egrediens cubiculum, & alia cogitatione abreptus, non clausisti ostium; hinc ingressi fures multa abstulerunt. Habes lucernam iuxta locum periculosum; & quamuis sollicitè proposueris extinguere, tamen aliquid interuenit, quo absque culpa obliuiscaris; vel in somnum incidis, & excitatur incendium. Aperuisti puteum, & casu oblitus es tegere vel sepire, ne quis incidat: censetur enim huiusmodi euentis damnum fortuitò datum.

26

Si non aduertis dānum posse sequi.

datum. tales casus solent sæpè contingere inter homines, sine vllo eorum peccato, Deo sic disponente, vel permittente.

Sed difficultas est, Vtrùm in culpa lata, vt quis obligetur ex ea, debeat esse peccatum mortale.

27 *Culpa lata obligans ad restitutionem debet esse mortifera.*

Respondeo, & Dico Secundò, debere esse peccatum mortiferum commissum in damno dato, vt quis ex culpa obligetur ad restitutionem: ordinariè autem quando damnum est graue, culpa, seu negligentia, qua commissum est, censetur mortalis; nisi aliunde constet non esse. Prior pars est ex mente Siluestri locis citatis, & Auctorum quos ipse citat, Innocentij, Antonij de Butrio, & aliorum, vt constat per exempla ipsorum; Soti lib. 4. de Iustitia, q. 7. art. 2. ante solutionem primi argumenti, vbi ne in commodato quidem putat esse obligationem restitutionis damni, nisi intercesserit culpa mortalis: *Quia à venialibus*, inquit, *homines liberi esse nequeunt*: sed de hoc infrà. Approbamus sententiam Soti, quando nullus intercedit contractus. idem tenent multi recentiores, vt Petrus Nau. l. 2. c. 1. n 48. Henriquez tractatu de Irregularitate c. 15. vbi citat alios, Emmanuel Sà v. Restitutio. Ratio est; quia quando solùm culpa venialis commissa est, non est actus perfectus in ratione iniuriæ, sed imperfectus: ergo non inducit obligationem restitutionis, saltem perfectam, qua astringat sub peccato mortali. non enim potest obligatio maior esse in suo ordine, quàm fuerit iniuria, ex qua nascitur, in suo.

Culpa venialis non est perfecta iniuria.

Petes, Vtrùm saltem sub veniali sit obligatio?

28 *Non tenetur sub veniali.*

Quidam affirmant. Sicut enim cùm nulla est culpa, nulla est obligatio; cùm est letalis, est obligatio sub peccato letali: ita etiam cùm est culpa venialis, videtur esse obligatio sub veniali. Sed verius videtur, nullam esse obligationem restituendi, quod satis indicat Siluest. & alij DD. Nam obligatio in materia graui, non potest esse nisi sub graui peccato; pendet enim obligatio ex materiæ grauitate, posito præcepto naturali vel positiuo. mirum enim esset, hominem sub veniali dùtaxat obligari ad restitutionem decem millium aureorum; nec posse hoc peccato liberari, nisi proponat restituere. Ratio est; quia cùm solùm venialis culpa in damno inferendo intercessit; vt cùm ex quadam inconsideratione & animi ἀκαταξία prouenit, censetur quasi fortuitò obuenisse. quis enim in huiusmodi rebus periculosis non aliquando aliquam negligentiam admittit? rarissimè tamen hinc talia damna accidunt: quare meritò quasi fortuita videri debent.

Subita ira excidens.

Ex dictis sequitur, Eum, qui subita ira correptus aliquem interimit, ita vt fuerit solùm motus secundò primus; non teneri sub mortali ad restitutionem; vt rectè colligit Petrus Nauarra.

29 *Inconsideratio imperfecta crebrior circa motus animi, quàm circa actiones externas.*

Altera pars probatur; Quia quando opus est periculosum, vel aduertis periculum, vel non aduertis: si omnino non aduertis, naturali quadam mentis distractione, vel quia nihil occurrit quod mentem excitet ad periculi considerationem, non peccas, etiamsi non adhibeas diligentiam. si autem aduertis periculum, ordinariè peccas mortaliter, debitam diligentiam omittens: rarò enim in operibus externis contingit inconsideratio imperfecta, quæ sit venialis; quæ tamen frequens est in subreptitiis cogitationibus & internis animi motibus. Ratio est; tum quia opera externa statim periculum suum ingerunt & excitant mentem ad considerationem: tum quia membra exteriora non mouentur ad opus, nisi per rationem superiorem; vt docet D. Thomas 1.2.qu.74.art.7. Interdum tamen contingit, hanc negligentiam considerationis esse venialem: quamuis exteriùs iudicetur esse lata culpa, quia non adhibuit eam omnem circumspectionem, quam homines communiter adhibere solent: & tunc verius est, non esse obligationem restituendi.

Sed contra has duas propositiones Obiicitur Primò ex cap. vltimo, de iniuriis, vbi Gregor. IX. dicit, *Non excusari eum, cuius imperitia vel negligentia damnum est datum, sed solum eum, qui vt non occideret, de contingentibus nihil omisit.* 30 *Obiectiones.*

Resp. Loquitur de culpa lata, quæ est peccatum: nomine enim negligentiæ & imperitiæ intelligitur peccatum; vnde subdit: *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere.* Quòd autem ait, *illum non teneri, qui de contingentibus nihil omisit*, intelligendum est de *iis contingentibus*, quæ prudens prouideret: non autem de omnibus; nam certum est, neminem ex casu fortuito teneri.

Obiicitur Secundò ex Can. Consuluisti. 2. q. 4. vbi Stephanus V. scribit, *Monendi sunt & protegendi parentes, ne tam tenellos secũ in vno lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur vel opprimatur, vnde ipsi rei homicidij inueniantur.*

Respondeo, Loquitur de negligentia quæ sit peccatum: quæ facilè committitur in re tam periculosa & tam crebra; quam negligentiam quiuis prudens conaretur vitare.

Obiicitur Tertiò ex L. Qui occidit 30. π. ad L. Aquiliam. §. In hac quoque. Sed reuerà illa lex pro nobis facit. Primò enim dicit, in hac actione puniri dolum, & culpam; & subdit exẽplum eius, qui in stipulas ignem immisit die ventoso; deinde addit, *At si obseruauit omnia quæ oportuit, & subita vis venti longius ignem produxit, caret culpa.* Ad- *In foro externo punitur.* uertendum tamen est, in foro externo, tam Ecclesiastico, quàm ciuili, interdum puniri culpam leuissimam, præsertim in committendo positam; partim ob præsumptionem fraudis, quæ potiùs locum habet in commissione; partim ne detur locus negligentiæ vel fraudi. Sed nos loquimur in foro interiori, vbi præsumptio non habet locum.

Dvbitatio vii.

Vtrùm nascatur obligatio restituendi ex damno, culpa leui vel leuissima in officio vel consilio dando, commisso.

Respondeo & dico Primò, Neminem teneri 31 in foro conscientiæ ex culpa leui vel leuissima in officio; sed solùm ex graui. Docent hoc Auctores suprà allati Dubit. 6. Ratio est eadem; quia nemo tenetur in officio vel artificio esse prudentior & diligentior, quàm passim homines eiusdem conditionis esse solent: v. g. aduocatus non tenetur esse diligentior aut prudentior, quàm passim boni aduocati esse solent. vnde si contingat te cadere causa, eò quòd non præstitit quod doctissimus & diligentissimus præstitisset; tamen bona fide præstitit quod solent diligentes & docti in similibus causis; non tenetur ad restitutionem. Idem dico de medico, architecto, Prætore, Magistratu, Principe, & aliis officium vel artificium

Solùm ex culpa graui tenetur.

aliquod facit antibus. Vnde sequitur, etiam tutorem & curatorem non teneri in foro conscientiæ ex culpa leui vel leuissima, sed solùm ex lata, quidquid dicat Sil. v. Restitutio 3.q.8.§.3. cuius sententia in foro exteriori videtur seruari.

32 Aduerte tamen, hæc intelligenda, nisi quis profiteretur se diligentiorem aut peritiorem aliis, aut etiam diligentissimum peritissimumque: & hac ratione eum, qui talem quærebat, ad se pertraxisset: tunc enim tenetur ex culpa leui, & etiam leuissima; vt rectè Silvest. verbo Culpa. q.4. Ratio est, quia tunc promittit saltem implicitè, amplius quàm alij passim præstent, & alter hanc ob causam cessat meliorem quærere: ergo, nisi hanc diligentiam præstet, tenebitur ad restitutionem, non quidem totius damni; sed quanti iudicabitur spes illa valere, qua sperabat alter, maiori illa diligentia & peritia, quam quærebat, se voti compotem fore.

Nisi promiserit operam maiorem.

Dices, Qui aliquid ex officio facit, videtur semper teneri ex culpa leui, quia pro ea re stipendium accipit, ac proinde intercedit veluti contractus quidam in vtilitatem vtriusque: atqui cùm contractus est in vtilitatem vtriusque, tenetur ex culpa leui, vt infrà dicetur.

Respondeo, quodam sensu dici posse talem teneri ex culpa leui; quia debet maiorem diligẽtiam adhibere, quàm si nihil commodi perciperet, vel non ex officio faceret. Verùm quia non debet maiorem diligentiam, quàm communiter debent homines eiusdem officij; ideò commodiùs dicitur, eum non teneri nisi ex culpa graui, nempe quæ grauis est inter homines eiusdem officij.

Quomodo dicitur teneri ex culpa leui.

33 Dico Secundò, Qui præbet consilium, tenetur ad restitutionem damni secuti ratione ignorantiæ crassæ, vel culpæ latæ, si erat Parochus, confessarius, concionator, Theologus, Iurisconsultus, vel eius professionis, ad quam talis consultatio spectabat. Ita Ioan. Medina Cod. de restitut. q.7. vt si confessarius dicat quempiam teneri ad restitutionem, qui non tenetur; vel non teneri, qui tenetur; vel contractum quempiam esse licitum, qui est illicitus; si ignorantia sit crassa, vel considerandi negligentia sit grauis, tenetur ad restitutionem damni secuti. Probatur Primò, Quia talis ex officio & professione tenebatur hoc scire, & in respondendo hunc errorem vel negligentiam vitare, & non fecit: ergo censetur causa damni secuti. Secundò, Quia ratione suæ professionis vel officij, habetur sufficiens ab eo qui consilium petit: ergo si non sit sufficiens, & tamen respondeat, decipit alterum. Imò quicumque dat alteri consilium, suadens vt hoc vel illud faciat, aut absolutè asserens illum posse facere, tenetur habere euidentiam moralem, illud cum his circumstantiis huic esse licitum: alioquin committit culpam latam, vt patet ex dictis lib. 1. de Prudentia, Dub 1. Ratio est, quia nemo potest aliquid aggredi, nisi cum tali iudicio, ob periculum peccati: ergo neque alteri esse auctor.

Aduerte tamen Primò, Numquam teneri eum, qui consultus respondet iuxta opinionem verè probabilem: vt ostensum est 1.2. q. 19. Secundò, Neque eum, qui simpliciter aperit suam opinionem, dicens ita sibi videri; non autem suadet vt alter sequatur. Tertiò, Nec eum qui indicat se dubitare; tunc enim si alter sequatur, suæ temeritati ascribat.

Qui non teneantur.

Dico Tertiò, Si is qui præbet consilium; erat illarum rerum parum peritus (v.g. quia non pertinebant ad eius professionem) & alter sciens eius insufficientiam petat consilium; consultor non tenebitur illi ad restitutionem. Ratio est, quia sibi debet imputare, si damnum ex illo consilio capiat; scienti enim & volenti non fit iniuria. Si tamen agatur de damno alicuius tertij, tunc talis tenebitur illi tertio. vt si suades alicui certum contractum iniustum, vel vt non restituat, &c. Ratio est, quia tuo malo consilio illi tertio inuito damnum infers. Nec refert, quòd tu consultor, inculpabiliter ignorabas veritatem; quia nemo potest se miscere dandis consiliis in rebus quas non intelligit. vnde latam culpam committis.

34 *Si sciatur eius ineptitudo.*

Dvbitatio viii.

Vtrùm nascatur obligatio restitutionis damni ex culpa leui, vel leuissima, quando intercessit contractus commodati, conducti, depositi, pignoris, vel alterius similis.

35 Scotus l.2.de Iustitia q.7.art.2. existimat etiam tunc requiri culpam mortiferam; ita vt si is cui res commodata, vel locata, vel oppignorata est, negligenter eam custodiat, & ipsa eius negligentia pereat, non teneatur ad restitutionem, nisi negligentia fuerit tanta, vt sit peccatum mortiferum coram Deo: *Nam*, inquit, *à venialibus homo vix liberari potest; vnde ob illas negligentias non est tanta pœna plectendus.* Idem tenent multi recentiores. Emmanuel Sà v. Commodatum, Henriquez de Irreg.c.15. vbi citat alios addens, eos qui contrarium tenent, *esse limitandos, vt id locum habeat in foro exteriori.* Verùm contraria sententia est ferè communis.

36 Respondeo igitur, & Dico Primò, Si res apud commodatarium vel conductorem pereat fortuitò, ad nullam ipse restitutionem tenetur, nisi aliter expressè sit conuentum. Ita habetur c. vnico de Commodato. Probatur; quia res quæque domino suo perit, si nulla intercessit culpa vel pactio, ratione cuius tenearis ad damnum sarciendum.

Si pereat fortuitò, non tenetur.

37 Aduerte tamen, in tribus casibus teneri commodatarium de euentu fortuito, qui in illo cap. exprimuntur. Primò, Si intercessit pactum de restituendo, quomodocumque periret. quod pactum is qui commodat, semper potest exigere, quando gratis commodat; secùs autem quando iusto pretio; quia supra iustum pretium nihil potest exigi pretio æstimabile. talis autem obligatio præstandi euentum fortuitum, est pretio digna. Secundò, Si sit in mora restituendi; vt si tempore statuto non restituat, & posteà pereat; si enim restituisset, fortè non periisset. est autem in mora, qui potest restituere, & non restituit, cùm tamen teneatur. Tertiò, Si ex culpa, data sit occasio casui fortuito; vt si non sis re illa vsus eo loco, quo conuentum est, sed alio, vbi erat maius periculum, ipsaque periit. v. g. accepisti vtendum vas argenteum domi tuæ, & foras extulisti. vide Instit. Quibus modis re contrah. obligatio. § Item is.

Excipe tres casus.

Dices, Quid si bona fide putauit se facere volente domino?

Resp.

Si sub ratihabitione vtatur vltra terminum, vel alio modo.

Resp. Si verè domino placebat vt sic vteretur, vel vt retineret vltra terminum, non tenetur; secùs verò si deprehendat domino displicuisse. Prior pars probatur, Quia vsus est sub ratihabitione domini. ergo si posteà ratum habeat, liberabitur; *quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato aquiparatur*, vt habetur reg. 10. de reg. Iuris in 6. quod verum est maximè in contractibus & quasi contractibus; hic autem est contractus commodati. Sicut ergo, si domini expresso consensu fuisset vsus, non teneretur de casu illo fortuito; ita nec modò tenetur accedente ratihabitione, quæ æquialet præuio & expresso consensui.

Dices, Iam est ius acquisitum domino, cui non intendit renuntiare. Confirm. Quia ratihabitio non extenditur ad ignorata.

Respondeo, Illi non est ius acquisitum absolutè, sed solùm dependenter à consensu vel dissensu in vsum præteritum: sicut delata vel deuoluta hereditate ad Titium, Titius non habet ius nisi dependenter ab acceptatione.

Ad Confirmationem. Ratihabitio non extenditur principaliter ad ignorata, extenditur tamen accessoriè. sicut & consensus in contractibus; vt si emas rem tibi damnosam futuram, vel, si ego nomine tuo contraxerim vtilissimè, & tu nolis ratum habere. error enim circa extrinseca in contractibus non vitiat contractum. Hinc fit vt sæpè contrahamus vel ratificemus, ex quibus maximum nobis obuenit damnum.

Altera pars patet ex dictis, & confir. Quia non potuit vti re illa nisi cum animo compensandi in euentu quo dominus nollet ratum habere ipsius factum; alioquin commisisset furtum, contrectando rem alienam inuito iusta ratione domino. ergo si dominus nolit ratum habere illum vsum, tenebitur perinde ac si illo inuito vsus esset. Nam re vera illo inuito vsus est; nec potest excusari à peccato, nisi per bonam fidem cum animo compensandi, si dominus nollet ratum habere.

Dices, Etiam cùm dominus ratum habet vsum præteritum, non videtur id facere nisi saluo iure de compensando si res periit.

Resp. negando assumptum; Sicut enim in contractu commodati in futurum non postulauit vt commodatarius teneretur de casu fortuito; ita nec putandus est id requirere in ratihabitione præteriti, nisi id exprimat. Quod diximus de commodato, multò magis locum habet in conducto: quia conductor ad euentum fortuitum obligari non potest, sicut commodatarius.

38 *Si eodem modo peritura apud dominum.*

Nota tamen, Si res eodem modo erat peritura apud dominum, commodatarium in his casibus non teneri ad restitutionẽ, vt docet Cou. reg. Peccatum. p. 2. §. 6. n. 1. & multi alij, de fure & omni iniusto detentore: quia tunc non censetur domino causa damni: de quo plura infrà c. 12. Dub. 15.

Dico Secundò, Si consistamus intra limites Iuris naturalis, nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamsi apud ipsum sit ex contractu; nisi ob dolum, aut latam culpam. Colligitur ex Siluest. & aliis Dubit. 6. citatis; quia generatim loquuntur.

39 *Iure naturæ solùm tenemur ex culpa lata.*

Probatur Primò, Quia Iure naturæ nemo tenetur maiorem diligentiam præstare in custodia rei commodatæ, conductæ, &c. quàm in re propria, & quàm ipse dominus adhibuisset, si apud ipsum mansisset: ergo si hæc diligentia sit præstita, si contingat rem perire, sine culpa peribit, ac proinde sine iniustitia: atqui nemo tenetur Iure naturæ in conscientia de damno dato, nisi iniustè datum sit: ergo cùm hîc nulla sit iniustitia commissa, non obligabitur in conscientia. Confirmatur; Quia quando quis præstitit omnem diligentiam, quam tenebatur præstare, res censetur casu periisse: ergo, &c. Probatur; Quia Iure naturæ non minorem postulat custodiam *precarium* quàm *commodatum* (cùm precarium nihil sit aliud quàm commodatum ad tempus incertum, nempe ad arbitrium domini:) atqui *precarium* non requirit nisi custodiam communem, ita vt solùm præstare debeas dolum, & latam culpam, vt patet L. Contractus 23. ff. de regulis Iuris. & L. Quæsitum est 8. §. Eum quoque. ff. de precario. ergo, &c.

Dico Tertiò, Positis tamen legibus humanis, de hisce rebus latis, si res alterius sit apud te per contractum, qui in tuam solius vtilitatem tendat; teneris non solùm ex lata culpa, sed etiam ex leui & leuissima. v. g. Si gratis tibi commodaui librum, equum, vestem tua causa, teneris in ea re custodienda adhibere non solùm eam diligentiam, quam homines communiter in suis rebus similibus præstare solent; sed etiam quam diligentiores & diligentissimi: vnde si librum commodatum reliquisti in cubiculo, & egrediens ostium attraxisti, sed non tentasti an firmiter clausum esset, teneris ad restitutionem. Probatur hæc sententia ex cap. vnico, de commodato, vbi dicitur: *Cum gratia sui tantum quis accommodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur*; quod DD. interpretantur de culpa iuridicè accepta; quamuis Sotus velit eam Theologicè accipi pro vera culpa in conscientia. Idem colligitur ex L. In rebus commodatis 18. ff. Commodati vel contrà. & Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio. §. Item is. Ratio est; Quia æquitas postulat, vt is qui gratis re alterius vtitur in suam vtilitatem, summam diligentiam adhibeat, ne domino pereat; id enim Iure naturæ ex gratitudine rependere debet; vnde sufficiens subfuit fundamentum, ad hoc lege sanciendum, & inducendum strictam obligationem.

40 *Iure positiuo, si contractus in tuã solius vtilitatem, tenetur ex leuissima.*

Dico Quartò, Si contractus tantùm cedat in commodum domini, cuius ipsa res est; teneris solùm ex dolo, vel lata culpa, non autem ex leuissima vel leui. Patet instit. suprà. §. Prætereà & is. vbi dicitur, *depositarium* (nempe qui gratis rem depositam custodit) *teneri solum ex dolo.* vbi nomine *doli* etiam *lata culpa* continetur, vt ibidem insinuat Glossa. Vnde si tibi commodaui librum, arma, vestem, in meum dumtaxat commodum; teneris solùm ex culpa lata. Ratio est; quia æquitas postulat, vt tunc non maiorem tenearis custodiam præstare, quàm passim homines in suis rebus solent; cùm tibi nulla fiat gratia, nec tuum commodum spectetur, sed domini.

Si in vtilitatẽ domini, ex lata.

41

Dico Quintò, Si contractus cedat in vtilitatem vtriusque, teneris ex culpa lata, & leui; non autem ex leuissima. Patet hoc ex d. L. Contractus. 23. ff. de regulis Iuris, & Instit. suprà. §. Creditor. talis est contractus pignoris; pignus enim datur vtriusque gratia, nempe creditoris & debitoris: vnde is qui pignus accepit, non tenetur nisi ad exactam diligentiam in eo custodiendo, vt habetur Institut. suprà: non tamen ad exactissimam, vt ibidem probat Glossa. Talis etiam est cõtractus conducti & locati; & contractus depositi,

Si in vtilitatem vtriusque, ex leui.

42

siti, quando datur pretium pro rei custodia: secùs si gratis fiat. Denique contractus commodati, quando vtriusque causa fit. Ratio est; quia cùm res aliena tibi concedatur in tuam vtilitatem, æquitas postulare videtur vt valdè diligenter eam custodias: non tamen diligentissimè; quia non tua solius causa, sed etiam ob commodum domini traditur.

Sed nunc difficultas est, vtrùm hæ leges obligent in conscientia ante sententiam Iudicis, ad damni ex culpa leui vel leuissima dati reparationem.

43 *Probabile est illas leges non obligare ante sententiam.* Sotus putat ante sententiam non obligare; esse enim pœnales, & procedere ex præsumptione culpæ interioris. Idem videntur sentire ceteri suprà citati. Quæ sententia meo iudicio non est improbabilis; non quòd hæ leges pœnales sint, propriè loquendo, cùm restitutio non sit pœna: sed quòd in foro conscientiæ non videantur receptæ: nemo enim est, qui pignori vel rei conductæ putet se maiorem custodiam debere ex iustitia, quàm dominus ipse adhibere solet. Idem videtur de commodato: etsi enim maiore cura hoc custodiat, quàm dominus; non tamen id facit, quòd putet se teneri lege iustitiæ, sed ex gratitudine: id enim gratitudo postulat, propter commodum, quod ex re alterius percipit. nec minùs putant homines se teneri ad custodiam precarij, quàm commodati. Vnde etiam plerumque fit restitutio, non solùm si commodatum periit, sed etiam si precarium; quamuis absque omni culpa perierit.

44 Dices, Si non tenetur, ergo iniquè cogitur in foro exteriori.

Respondeo, negando consequentiam: potuit enim hoc lege statui propter bonum commune; tum vt vitetur omnis fraus & negligentia circa res huiusmodi, tum vt omnes excitentur ad diligentiam eam, quæ æquitati naturali est consentanea, etsi ex iustitia non sit debita. Sicut enim qui defloruit virginem volentem, ante sententiam nihil ei ex iustitia debet; tamen in foro externo cogitur eam dotare, lege sic statuente propter bonum commune: ita etiam qui amisit commodatum absque culpa, etsi nihil ex iustitia debeat ante sententiam; tamen potest cogi ad restitutionem, ex vi legis ob bonum commune ita statuentis. Neque hoc mirum videri debet; quia in foro externo, dum agitur de damno dato, etiam culpa leuissima spectatur, vt patet L. In lege. 44. 7. Ad legem Aquiliam: tamen in foro conscientiæ hæc non obligat; vt ostensum est Dubitatione 6.

45 *Contraria communior.* *Ratio, cur obligare videantur.* Fateor tamen contrariam sententiam (nempe has leges obligare ad reparationem damni ante sententiam) esse communiorem, ac proinde ordinariè in praxi seruandam. Ratio est; quia istæ leges sanciunt, id quod naturali æquitati est consentaneum circa rem alienam (quam mediante contractu apud nos habemus) præstare. qua sanctione posita (qui facit talem contractum, accipiendo commodatum, conductum, depositum, pignus) implicitè se obligat ad præstandam eam diligentiam, quam leges requirunt. quare si hanc diligentiam non præstet, (quamuis id naturali obliuione, sine omni culpa factum sit) tenebitur ad restitutionem. Vide Couarr. in Epitome 4. decret. pag. 2. cap. 6. §. 6. nu. 15. & Nauarr. cap. 17. num. 184.

Dvbitatio ix.

Vtrùm oriatur obligatio restitutionis ex damno dato cum ignorantia comitante.

46 *Ignorantia comitans.* Respondeo, Minimè oriri, (quidquid aliqui dixerint) si ignorantia fuit inculpata. vt patet ex dictis 1.2.q.6.a.8. Vt, si putans esse feram, & telo petens interficias; deinde deprehendas fuisse inimicum, quem ad necem quærebas. Ratio est; quia occisio illa inimici, vel hominis, nullo modo est voluntaria; ac proinde absque omni culpa: & consequenter non inducit obligationem restitutionis. Nec refert, quòd illum æquè voluisses occidere, si sciuisses esse inimicum, & quòd gaudeas occidisse; quia illa voluntas non est causa operis; cùm non sit, nec fuerit; sed solùm esset, posita conditione, quæ non ponitur. gaudium verò sequitur opus. Vnde non magis obligat ad restitutionem, quàm si gauderes ab alio factum.

Dvbitatio x.

Vtrùm restitutio sit necessaria ad salutem.

D. Thom. q. 62. a. 2.

47 *Græcorum sacerdotes.* Gvido Carmelita assignat Græcis hunc errorem, Restitutionem iniquè ablatorum non esse necessariam ad salutem; sed sufficere eleëmosynam ex illis datam. Sed non puto Græcos Doctores hoc docuisse; cùm Scriptores antiqui non meminerint. quamuis credibile sit, aliquos eorum sacerdotes ex auaritia hoc in absouendis pœnitentibus obseruasse, vt partem obtinerent.

Respondeo igitur, Ipsam restitutionem externam, esse necessariam ad salutem, si facultas suppetit: si autem non suppetit, non est quidem ipsa externa restitutio necessaria, propositum tamen restituendi est necessarium. Docet hoc D. August. epist. 54 quæ est ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Prior pars probatur; quia non restituere, cùm possis, est voluntariè nocere & facere iniuriam proximo: (non restituendo enim, noces proximo; nam impedis illum à possessione & vsu rei suæ vel debitæ) atqui necessarium est ad salutem vt nemini voluntariè noceamus, aut iniuriam faciamus; vt ex multis Scripturis constat. ergo necessaria est restitutio. Vide plura apud Alphonsum Castrium v. Restitutio.

Dices, Lucæ 11. Cùm Dominus dixisset Pharisæo, *quod intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate*, subdit; *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. ergo sufficit eleëmosyna ad expianda peccata iniustitiæ.

Respondeo, Si hoc argumentum valeret, etiam probaret pœnitentiam non esse necessariam iustis. itaque non vult Dominus eleëmosynam sufficere, sed esse optimam dispositionem ad munditiam animi. q.d. Date eleëmosynam pro vestra facultate (id enim videtur significari in Græco, cùm dicitur, τὰ ἐνόντα, id est, κατὰ τὸ ἐνὸν) & facilè mundabimini; quia disponetur animus ad veram pœniten-

nitentiam & restitutionem. Vide Ambrosium & Theophylactum in hunc locum.

48 *Propositum restituendi est necessarium.*

Altera pars probatur: quia nemo obligatur ad impossibile. quòd tamen propositum restituendi tunc sit necessarium, patet; quia ad remissionem peccati, necessaria est contritio, vel saltem attritio cum Sacramento: hæc autè continent propositum restituendi; tum quia continent dolorem de peccato iniustæ ablationis, in quo dolore continetur implicitè propositum restituendi; tum quia continent propositum emendationis, & seruandi diuina præcepta, inter quæ est præceptum restituendi.

49 *Præceptum restitutionis est affirmatiuum.*

Petes, Quale est præceptum restitutionis, affirmatiuum, an negatiuum? Multi dicunt esse negatiuum; quia idem est dicere, *Restitue*, &, *Ne detine alienum*. Sed verius est, esse affirmatiuum. Primò, Quia præcipitur actus positiuus; in negatiuo solùm præcipitur abstinentia ab aliquo opere positiuo. Nec obstat, quòd interdum videatur fieri restitutio sola cessatione detinendi: vt si deseras domum vel agrum, quem vi occupasti: quia hæc cessatio eò dirigitur, vt alter rem suam consequatur, fiatque æqualitas: & ita habet terminum positiuum. Vnde est instar actionis positiuæ, qua impletur præceptum affirmatiuum. Secundò, Quia non obligat pro omni tempore, sed solùm quando est opportunitas restituendi. Negatiuum autem obligat pro omni tempore. Illud autem præceptum, *Ne detine alienum*, in re potiùs est affirmatiuum, quàm negatiuum; quia non potest seruari, nisi per actum positiuum; neque obligat pro omni tempore.

Aduerte tamen, præceptum restituendi, nasci ex præcepto negatiuo, *Non furtum facies*. Eiusdem enim rationis est furari, & detinere alienum, cùm potes reddere. Vnde hoc ipso, quo præcipitur, *Non furaberis*, præcipitur etiam, *vt non detineas*, si potes reddere: & consequenter, *vt restituas*; quia actus restitutionis est necessarius ad non detinendum alienum.

50 *Oritur ex negatiuo.*

CAPVT SECVNDVM.

De iniuriis & damnis in rebus spiritualibus, & necessaria restitutione.

Complectitur Dubitationes 3.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm is, qui priuat aliquem per iniuriam aliquo sensu, vel vsu rationis, philtro, veneno, vel alio modo, teneatur ad restitutionem.

1 *Priuatio mentis, vel sensus, non potest pecuniâ rependi.*

SOTVS lib.4.q.6. art.3. in solut. 1. argumenti, & quidam alij putant pro his damnis præcisè consideratis esse faciendam restitutionem pecuniariam, arbitrio boni viri.

Resp.breuiter, Verius videri, talem non teneri ad restitutionem præcisè pro ipso damno sensuum, vel vsus rationis; sed tantùm pro damno temporali, quod inde sequitur: vt si non possit eam artem vel functionem obire, quâ lucrum faciebat. colligitur ex Gomezio tom.3.c.6.num.12. vbi probat, cicatricem & deformitatem ex iniuria remanentem, non posse æstimari à Iudice vel offenso; *quia sicut liber homo nullam recipit æstimationem; ita nec cicatrix vel deformitas eius*, quod expressè habetur L.fin.7. de his qui deiecerint vel effuderint. Idem docet Nauar.c.15.nu.19. & 20. multique 2 alij infrà citandi. Ratio est, quia hæc damna nullo pretio sunt æstimabilia; sunt enim in bonis, quæ supremum locum inter bona humana tenent; nec quidquam est in hominum potestate, quod his censeatur æquiualens: vnde per pecuniam non potest fieri compensatio. Itaque pro his satis est pœnitentia coram Deo, cum petitione veniæ pro iniuria illata, quando scitur auctor. sed de hoc infrà cap.9.Dubit.23.

DVBITATIO II.

Vtrùm is, qui alterum grauiter læsit in bonis animæ, pertrahendo ad peccatum, teneatur ad aliquam restitutionem.

RESP. & Dico Primò, Qui alterum metu vel 3 fraude pertraxit in peccatum, tenetur ex iustitia ipsum, suæ libertati restituere, & vim fraudemque tollere, ne ille in posterũ simili modo peccet. est communis sententia DD. Probatur; quia minari, aut vim inferre, est contra iustitiam, si sine iusta auctoritate fiat: quæ numquam iusta esse potest, dum quis ad peccatum cogitur. Similiter decipere alterum falsa doctrina circa fidem, mores, vel artes humanas. sicut enim quisque habet ius iustitiæ, ne ab alio lædatur in corpore; ita etiam ne in anima lædatur inuitus, errore: sed is, qui aliquid facit contra iustitiam, tenetur lege iustitiæ cessare, & quantum in se est, illud retractare, & irritum infectumque reddere: ergo ex iustitia tenetur vim tollere, minas remittere, fraudemque patefacere. Vnde non est verum, quod quidam docent, eum, qui fraude pertraxit aliquem in errorem, si ille error non versetur in materia iustitiæ (v.g. circa contractum vel restitutionem) sed in materia

materia fidei, vel temperantiæ, non teneri errorem tollere lege iustitiæ, sed solùm lege illius virtutis, circa cuius materiam decepit. Ratio illorum est; quia eodem præcepto, quo quis tenetur nihil contra aliquam virtutem sciens facere; eodem tenetur nihil contra illam suadere, aut docere: tam enim est contra rationem, malum scientem consulere, quàm facere. Sed etsi hæc ratio optimè probet,

4 *Duplex malitia in conctione & in deceptione ad peccatum.*

eum, qui suadet falsum sciens, in materia fidei, vel temperantiæ, peccare contra has virtutes; tamen non probat, eum non peccare etiam contra iustitiam. Nam etsi non inuitum & sine fraude induceret, peccaret contra has virtutes; ergo quãdo fraude vtitur (id est, quando scit vel dubitat se malè docere, vel consulere, & alterum ex simplicitate decipi inuitum) peccat contra iustitiam.

5 *Si voluntariè deceptus.*

Aduerte tamen, si quis putaretur non inuitus, sed volunrariè deceptus (quo modo multi iam ad hæreses pertrahuntur auidi nouitatum, & auribus prurientes) non nasci obligationem ex Iustitiæ lege ad errorem dedocendum; sed tantùm ex lege illius virtutis, contra quam fuit alteri auctor peccandi, & ex lege correptionis fraternæ. Idem dicendum, si deceptus cognoscat aliunde veritatem;

Si aliunde veritatem recognoscat

tunc enim deceptor non tenetur ex iustitia contrarium suadere. Ratio est; quia ablatus est error intellectus, ratione cuius deceptor censebatur causa operis mali: vnde si alter adhuc pergat in opere malo, non id facit ex ignorantia, sed propria ma-

6 litia; ac proinde non potest imputari ei, qui antè deceperat. nisi fortè varijs suasionibus animum ipsius inflexerit ad malum: tunc enim tenetur, si damnum tertio impendeat, quantum in se est, suadere contrarium; quamuis ille sciat aliunde veritatem. Ratio est; quia non solùm veritatis ignoratione, sed etiam tua suasione fuit inclinatus in malum: ergo nisi contrarium suaseris, censebëris adhuc causa operis, ratione effectus relicti in animo ipsius; nempe ratione inclinationis prauæ, & propositi tua suasione excitati. Sed de hoc plura infrà cap. 13. Dub. 3.

7 Dico Secundò, Qui tamen alterum pertraxit ad peccatum, siue prece vel pretio, siue vi vel fraude, non tenetur ex iustitia curare vt conuertatur; tenetur tamen ad id lege charitatis, idque magis quàm alij. docet Sotus lib. 4. de Iustitia, q. 6. art. 3. ad primum. Sil. Restitutio 3. q. 1. Petrus Nauarr. cap. 2. n. 1. & alij recentiores. Videtur esse contra Scotum in 4. d. 15. quæst. 3. art. 1. & Adrianum q. de Restitut. §. Ex causa. & quosdam alios, qui sentire videntur, omnes istos, & etiam qui exemplo suo fuerunt alijs causa peccandi, teneri ex iustitia. sed rationes eorum solùm probant teneri ex charitate.

Nõ tenetur ex iustitia facere vt conuertatur.

Probatur Primò, De eo, qui pretio vel prece induxit, sine vi & fraude. Nam qui ita induxit, non abstulit aliquid ab inuito, cùm iste inductus, sciens & prudens peccauerit: ergo non est ei illata iniuria.

8 Dices cum Adriano, Etiamsi ille actu elicito non fuerit inuitus, (liberè enim consensit;) tamen actu secundùm legem diuinam debito, fuit inuitus: (nam debebat ei displicere.) Sicut si quis te roget vt sibi manũ abscindas, etsi ipse sponte hoc damnum patiatur; tamen quia actu secundùm legem debito patitur inuitus, peccas contra iustitiã.

Resp. Si sufficeret ad peccatum iniustitiæ, vt quis actu debito sit inuitus, semper esset contra iustitiam inducere alium ad quoduis peccatum; quia deberet ille inuitus induci & facere; id est, deberet nolle tibi obsequi. Vnde si alicui suasisses, vt pecuniam suam profunderet in lusum vel con-

Ad iniuriam non sufficit, vt quis actu debito sit inuitus.

uiuia, tenereris ad restitutionem; quod nemo dixerit. Neque illa abscissio manus est iniuria in eum qui consentit, sed in Rempub. & Deum, qui non consentit; quia fit inuita Republ. Deoque nolente. Vt igitur ipsi non fiat iniuria, sufficit vt reipsa non sit inuitus.

Secundò, Probatur generatim de omni eo, qui inductus est ad peccatum etiam vi & fraude, & scit se esse in peccato, & posse resurgere: quia nemo tenetur ex iustitia ad resarciendum damnum ei, qui censetur illud condonare; sed is qui à te inductus est in peccatum, postquam scit se esse in peccato, & posse ope diuina resurgere, & tamen non vult, censetur tibi damnum spiritale condonare; nam vult in eo permanere, & gratiã amissam veluti ante oculos positam, non vult recuperare. Sicut si res ablata Petro, esset in eius conspectu, ita vt eam facilè posset recuperare, & tamen nollet; censeretur eam habere pro derelicto, & restitutionem condonare.

9 *Qui scit se esse in peccato, & vult permanere, censetur condonare.*

Tertiò, is qui fuit principalis & directa causa damni spiritalis, non tenetur ex iustitia, nempe is qui fecit opus malum; eò quòd is qui passus est, censeatur condonare; nempe idem sibiipsi: ergo nec is qui est causa remota, consilio, prece, vel etiam vi, tenetur; cùm alter condonet.

10

Quòd tamen lege charitatis præ ceteris teneatur, patet; quia æquitas postulat, vt is qui est auctor mali, præ ceteris laboret vt emendetur. & hoc benè probant argumenta Adriani. maius enim ille attulit nocumentum, quàm si abstulisset pecunias: imò multi peruertendo alios exemplo, consilio, vel praua doctrina, plus mali faciunt, quàm tota vita omni diligentia sua poterunt compensare. Itaque æquitas postulat, vt omnem operam per se & alios nauent, vt illi emendentur. Puto tamen, hanc obligationem, quatenus præ ceteris obligantur, non esse sub mortali, vt docet Nau. l. 5. consil. tit. 3. consil. 2. n. 4. Probatur iisdem rationibus, quibus ostensum est non esse contra iustitiam: charitas enim non obligat ad correptionem sub mortali, nisi in necessitate, quando etiam alij obligantur. vnde præ ceteris non tenetur sub peccato mortali.

Teneri ex charitate.

Dico Tertiò, Si is qui fraude inductus est in errorem, faciat opus malum, priusquam veritatem cognouerit, imputatur consultori qui decepit: quamuis qui fecit, ob ignorantiam inculpatam non peccarit. Ratio est; quia consultori hoc opus est voluntarium, cùm sciat esse prauum: ei autem qui facit, est prorsus inuoluntarium quà malum; quia omnino eius prauitatem ignorat. Vnde si est homicidium vel mutilatio, consultor irregularitatem incurret, non executor. Adeò verum illud Hesiodi, *Malum consilium consultori pessimum.* Vide 1.2. q. 6. art. 3. & 8.

11

Dvbitatio III.

Vtrùm is, qui auertit aliquem à Religione, quam volebat ingredi, vel ingressum extraxit, teneatur ad aliquã restitutionem.

Dvpliciter potest quis abduci à Religione. 1. Vi vel fraude. 2. Solis precibus aut suasionibus,

nibus. item potest esse quæstio de restitutione vel personæ, vel cõmodi temporalis. quibus notatis,

12 *Qui nouitium sine vi & fraude abducit.*

Respondeo & Dico Primò, Qui nouitium sine vi & fraude extraxit, non tenetur ex iustitia Religioni aliquid restituere, etiamsi malo animo fecerit, & grauissimè peccarit. Est contra Adrianum suprà. Ita Sotus l.4.de Iust. q.6. art 3. & Petrus Nauarr.l.2.de Restitut.c.2.nu.15. Ratio est; quia Religioni non est facta propriè iniuria: nam ante votorum acceptationem (quæ in alijs Religionibus fit in professione, in nostra verò, dum post biennium probationis, emittuntur vota simplicia Scholasticorum) Religio non habet ius ad personas, quamuis ipsæ voto se astrinxissent; vt in votis realibus, & in omni promissione accidit. Hinc patet, illum etiam non teneri ad compensandum vtilitatem temporalem, quam Religio sperabat à nouitio; quia non habebat ius ad eam, nisi mediante libera voluntate nouitij, quam ille in sua libertate reliquit, dum nullam vim vel fraudem adhibuit.

Ex decentia tenetur.

Dixi, *non teneri ex Iustitia*; quia ex æquitate quadam seu decentia tenetur illum hortari ad bonum propositũ resumendum; vt reparet magnum illud bonum, quod nefariè in animo eius destruxit, spiritum Dei extinguens.

Qui vi vel fraude abduxit.

Dico Secundò, Is qui vi aut fraude abduxit à Religione siue professum siue nouitium, non tenetur ex Iustitia vel alio præcepto ipse ingredi;

13 sed tenetur vim tollere, & fraudem aperire, suadereque reditum. quòd si ille redire nolit, vel procul absit, vt conueniri non possit, tenetur ex æquitate quadam alium inducere, si commodè potest; non tamen ex iustitia.

Non tenetur ingredi.

Prima pars, *quòd non teneatur ipse seductor ingredi*, probatur; Tum quia ipse fortè non est aptus; tum quia status Religionis debet liberrimè acceptari: est enim status perfectionis; quæ non nisi liberis, minimeque coactis functionibus acquiritur: vnde par est, vt eius obligatio non nascatur ex vllo delicto; sed tantùm ex spontaneo voto. quo

14 *Obligatio Religionis ingrediendæ non potest nasci ex delicto.*

fit, vt etsi ob delictum possit quis concludi in Monasterio ad agendam pœnitentiam, tamen non possit cogi vt Religionem profiteatur.

Secunda pars, *quod teneatur vim & fraudem tollere*, patet ex Dubit.2.

Tertia verò pars, *quod ex æquitate teneatur alium inducere*, patet ex dictis. Cùm enim Deo & Religioni subtraxerit obsequium illud, quod ille præstabat, par est vt compensẽt eo modo, quo potest.

Non ex iustitia alium inducere.

quòd tamen *non teneatur ex Iustitia*, docet Sotus; & probatur, Primò, Quia nec ipse Religiosus ex iustitia tenetur redire, sed solùm ex voto Religionis; vt quidam volunt. Secundò, etiamsi teneretur redire ex iustitia, (quod verius videtur) tamen auctor non tenetur ex iustitia, nisi vim & fraudem tollere, & suadere reditum: nam aliter non potest personam restituere. vt autem aliam huius loco restituat, nec moribus receptum est, nec iustitia postulat; quia capessere Religionem, non est persuasionis humanæ, sed pendet ex inspiratione diuina. Tertiò, Quia Monasterium non possidet Religiosum tamquam mancipium, propter quod, si abductum fuerit vi vel fraude, debet aliud restitui: sed tamquam filium, propter quem abductum vel occisum non restituitur alius. Quartò, Qui Religiosum occidit, non tenetur ex iustitia alium inducere: ergo, &c. Quintò, Nullus Iudex in foro exteriore id ei iniungeret; quod signum est non teneri ex iustitia.

Dico Tertiò, Qui nouitium vi vel fraude seduxit, auertitque à Religione professionem, tenetur ex iustitia Monasterio compensare, quanti spes illa temporalis commodi, quod ex ipsius hereditate, donatione, vel industria expectabatur, valebat. Probatur generali ratione; Quia qui aliquem impedit vi, fraude, mendacio, metu, ne tibi relinquat legatum, hereditatem, aut ne tibi conferat beneficium, quod proposuerat conferre; tenetur tibi ad restitutionem, quanti illa spes, iudicio prudentum, æstimatur. Etsi enim tu non habeas ius ad beneficium, vel legatum istud; habes tamen ius, ne alteri vis aut fraus fiat in tuum detrimentum: pari modo Religio ius habet, ne vi aut fraude eum, qui statuit ingredi, auertas. Vnde qui ita auertit, violat ius Religionis; ac proinde tenetur ad restitutionem damni consequentis, qua parte pretio illud est æstimabile.

15 *Tenetur damnum compensare.*

Hic tamen aduerte; si restituit illum suæ libertati, fraudemque aperuit intereà temporis, dum adhuc illi est integrum redire, probabile esse non ampliùs teneri: quia in posterum non censebitur causa damni Monasterio; sed nouitius solus sponte non rediens. Idem dicendum, si nouitius ille fraudem aliquo modo aduertit: nam egressio tunc non fuit inuoluntaria. quòd si non ampliùs sit ei integrum redire; vt, si interim contraxit matrimonium, vel alia ratione impeditus est; tenebitur deceptor quanti spes illa Monasterij æstimabitur: quia censetur causa damni in posterum. Dixi, *esse probabile*; quia etiamsi nouitio sit integrum redire; tamen si occasione fraudis vel vis illatæ mutet seriò animum, deceptor videtur causa damni; quia iniustè eius occasionem dedit.

Sed difficultas est, si quis professum seducat, maximè sine vi vel fraude. Quidam putant talem teneri ad restitutionem commodi temporalis, quamuis sine vi vel frau[illegible] abduxerit. Ratio est; quia Religio ius habet ad percipienda commoda temporalia ex eius functionibus; (vt si erat concionator, vel Doctor, à quo magnus prouentus, vel eleëmosynæ) atqui hoc ius impedit is, qui suadet egressum: ergo peccat contra Iustitiam. Sed contrarium videtur verius; Vnde

16 *Qui professum abducit.*

Dico Quartò, Qui vi vel fraude abduxit à Religione professum, tenetur Monasterio compensare, quanti emolumentum temporale ex ipso prouenientis æstimabitur: non tamen, si precibus vel consilio absque vi & fraude id fecit.

Docent hoc quidã recẽtiores, inter quos Petrus Nau. suprà n.23. & Michael Salonius q.62.a.2.

Prior pars patet; quia est efficax causa damni, modo iniusto; idque multò magis, quàm qui nouitium abducit. qui enim professum vi vel fraude abducit, non potest id ita facere, vt non censeatur velle nocere Religioni; cùm ipse iam sit astrictus Religioni, & teneatur (saltem ex vòto obedientiæ) pro Religione laborare, & habeat voluntatem laborandi; ex quo labore prouenit emolumentum. itaque censetur causa propinqua damni, idque modo iniurioso.

Hic tamen aduertendum est Primò, An reuerà damnum sit acceptum: si enim ille tantumdem consumebat; vel si alius absque notabili incommodo in eius locum substitui potest, qui parem vtilitatem adferat, non est opus restitutione.

17

Secundò, Postquam Religiosus suæ libertati restitutus est, fraude detecta, vel vi laxata, abductorem non teneri in posterum; sed solùm pro eo damno, quod datum est interim dum vis vel fraus durabat. Ratio est; quia in posterum non censetur causa damni, sed ipse Religiosus nolens redire.

18 *Religiosus non tenetur laborare ex Iustitia, sed ex virtute religionis.*

Altera pars probatur; Quia Religiosus non tenetur ex Iustitia procurare illa emolumenta; sed solùm ex virtute obedientiæ & religionis; vt docet Bannes q.62.art.2.dubit.6.& alij. Vnde etsi nolit laborare, & commoda Monasterij conquirere, non peccat contra Iustitiam. Ergo is qui illi suadet absque vi & fraude vt non procuret, non peccat peccato iniuriæ in Monasterium, sed peccato irreligiositatis. Si enim ipse Religiosus non facit propriè iniuriam nolendo laborare, cùm tamen sit principalis auctor damni; ergo neque consultor, cùm solùm teneatur secundariò.

Dices Primò, Iste facit iniuriam Religioni, dum suadet egressionem, & ex hac iniuria sequitur damnum: ergo tenetur de damno.

Resp. Primò, Non esse iniuriam, quæ sit contra Ius Iustitiæ, sed contra virtutem Religionis; cuius violatio non obligat ad restitutionem.

19 Resp. Secundò, & meliùs; Etsi sit iniuria in Religionem, suadere Religioso egressum; non tamen est iniuria suadere otium, vt illa commoda non procuret. Ac proinde suasor iste non tenetur ad illius damni vel incommodi sartionem.

Confirm. ex facto ipsius Religiosi; hic enim etsi faciat iniuriam Religioni egrediendo, & ex hac iniuria sequatur damnum: tamen ad compensationem damni illius non tenetur. Ratio est; quia etsi egredi sit iniuria; non tamen nolle procurare vtilitatem temporalem est iniuria, eò quòd non teneatur ad hoc ex Iustitia, sed solùm ex obedientia. Vnde non omne damnum sequens ex iniuria obligat ad restitutionem; sed solùm illud quod ita sequitur, vt per ipsam actionem iniuriosam inferatur; quòd hîc non cernitur. quia quamuis suadere egressionem sit iniuria, quatenus est causa egressionis; non tamen respectu damni secuti, eo quòd hoc damnum immediatè ex libera voluntate Religiosi, non ex suasione illa dependeat.

Damnum per accidēs ex iniuria sequens.

Dices Secundò, Si quis seruo suaderet ne laboraret, teneretur ad restitutionem domino: similiter si seruo emptitio suaderet fugam. ergo etiam qui monacho suadet fugam vel otium.

Respondeo, Qui tali seruo suasit fugam, effectu secuto, tenetur ad æstimationem serui; in quam veniunt etiam commoda ab illo sperata. Ratio est; quia seruus est principaliter ad commodum domini: imò quatenus est vtilis ad temporalia, est possessio domini, sicut iumentum. Vnde si seipsum domino subtrahat, furtum sui committit, & tenetur ad sui restitutionem: vt suprà cap.4. Dubit.9. dictum est. Secùs est in Religioso, quia Religiosus non est principaliter propter commodum temporale Prælati, vel Religionis; sed ob suum bonum spiritale: propter hoc enim se Religioni sponte mancipauit. vnde non possidetur à Prælato tamquam seruus; sed subest tamquam filius in suum commodum, vt ad suam salutem rectè dirigatur. Quòd si quis seruo suaderet, non quidem fugam, sed otium & cessationem ab operibus iniunctis; etsi grauiter peccaret, non videretur tamen peccare contra iustitiam, nec teneri ad restitutionem: quia nec ipse seruus dedens se otio videtur contra iustitiam peccare; sed contra obedientiam domino suo debitam. Non enim actiones serui sunt debitæ domino lege Iustitiæ, sicut mercenarij, qui pretium pro illis accipit: nec cogitur in foro conscientiæ compensare, etsi negligentiùs laborauit: sed eo Iure debentur, quo seruus tenetur obedire domino. Itaque cùm principalis auctor & executor non teneatur; etiam non tenebitur suasor. Posset tamen talis tamquam corruptor serui puniri.

20 *Suadens seruo otiū.*

CAPVT NONVM.

De iniuriis in corpus proximi per homicidium vel mutilationem, & de necessaria restitutione.

Habet Dubitationes 26.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm liceat occidere aliquid viuens. *D.Thomas q.64.art.1.*

1 *Manichæorum error.*

RESPONDETVR affirmatiuè. Notandum, Manichæos negasse animantia aut plantas interimi posse; quòd omnes animas putarent esse quasdam Dei particulas, vt refert D.August. lib.1. de Ciuitate, cap.20.& lib.de hæres.cap.46. Sed fide tenendum est, homines in suos vsus animantia & plantas posse interimere. Probatur Genes.1. *Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem semen super terram, vt sit vobis in escam.* & Gen.9. post diluuium conceduntur animantia, & omnia viuentia in cibum. 1.ad Corinth.10. *Quidquid venit in macellum, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Denique ipse Dominus manducauit agnum Paschalem, quem anteà oportuit occidere. Idem definitum est in Concilio Bracarensi 1.c.14. vbi hæc hæresis damnatur. Ratio est, quia homo naturaliter est dominus omnium rerum inferiorū, iuxta illud Gen.1. *Dominamini piscibus maris,*

& vo-

& volatilibus cæli, & vniuersis bestiis terræ : ergo potest eas in suum vsum conuertere. Confirmatur; quia non potest homo ali elementis simplicibus, vt terra, aqua, &c. ergo compositis, qualia sunt animalia & plantæ, quæ sine anima non possunt conseruari, sed mox corrumpuntur : vnde anima est ipsis data instar salis conseruantis à putredine, (vt rectè dixit Philo) vt homo possit illis vti, cùm libuerit.

2 *Abstinendum à crudelitate.* Aduerte tamen, etsi liceat animantia occidere, abstinendum tamen à crudelitate, ne sine causa doloribus conficiantur: vnde Prouerb. 12. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Exodi 23. *Deus præcepit diem sabbati, etiam propter quietem iumentorum.* Ionæ vlt. *Parcit Niniue, tum ob homines, tum ob iumenta.* Deut. 22. *Non arabis simul in boue & asino*; ne videlicet totum iugum in asinum decidat; cùm sit minor. & cap. 25. *Non alligabis os boui trituranti.* Nec obstat quòd Apostolus hunc locum adferens dicat, *Numquid de bobus cura est Deo* ? vult enim dicere, hoc non esse principaliter scriptum propter boues, sed ob rem significatam: secundariò tamen, etiam vt animantia cum ratione tractentur.

Hinc patet Primò, Posse in hac re esse peccatum, saltem veniale. est enim abusus quidam potestatis herilis, & dominij. Secundò, quanta sit suauitas diuini spiritus, etiam in creaturas ratione carentes.

Dvbitatio II.

Vtrùm liceat occidere peccatores.

D. Thom. art. 2.

3 Respondetur affirmatiuè. Ratio est; quia pars est propter totum : quare ob totius conseruationem potest excindi: ergo cùm singuli peccatores sint pars Reipub. ob eius incolumitatem possunt occidi.

Notandum est, Scotum in 4.d.15.q.3 art.2. docere, non quosuis peccatores posse à potestate publica occidi: sed eos dumtaxat, quos Deus in veteri Testamento expressit. Ratio est; quia Deus Exodi 20. & Matth. 5. absolutè & generatim prohibet hominis occisionem : *Non occides.* ergo non licet quemquam occidere, quantumuis ille malus sit, nisi Deo dispensante in suo præcepto. atqui Deus non dispensauit nisi circa quosdam peccatores, quos excepit Exodi 22. & alibi. Hinc vlteriùs infert, fures non posse occidi, quia non sunt excepti.

Scoti sententia, fures occidi non posse.

4 *Contrarium probatur.* Sed hæc sententia defendi nequit. Primò, Nam D. Thomæ ratio generatim probat de omnibus peccatoribus Reipub. noxiis; quæuis enim pars est propter totum, ergo ob totius incolumitatem potest rescindi. Secundò, Quia si illos solos licebat occidere in veteri Testamento, quos Deus excepit, nempe maleficos, blasphemos, adulteros, Sabbatum violantes, & paucos alios; ergo in nouo Testamento nullos licebit occidere, quia illæ leges, quibus hi iubebantur occidi, erant iudiciales, accommodatæ statui illius populi; ac proinde iam cessarunt : & in Scriptura noui Testamenti nihil de his vel aliis occidendis habemus. Hoc Iulianus Apostata prætexens, Christianos priuabat Magistratu; vt habet Socrates lib. 3. histor. c. 11. Tertiò, Principes ethnici laudabiliter occidere poterant malefactores : (qui tamen Scripturam non legerant, vt possent scire quos Deus excepisset) vt patet ad Rom. 13. *Non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram illi, qui male agit.* Vide D. Augustl. lib. 1. de ciuitate cap. 21. Denique Scoti sententia infirmo nititur fundamento; nam præceptum *Non occides* intelligitur tantùm de innocentibus, iuxta illud, *Iustum & innocentem non interficies*; & de occisione, quæ fit priuata auctoritate, aut non seruato ordine Iuris.

Præceptum Non occides, quomodo intelligitur.

Dvbitatio III.

Vtrùm priuata auctoritate liceat interficere maleficos.

D. Thomas art. 3.

Respondeo, Non licere priuata, sed dumtaxat publica auctoritate. quod intellige de occisione ad punitionem, non ad necessariam sui defensionem. Ratio est; quia non licet interficere peccatores, nisi ob bonum Reipub. sicut non licet amputare membrum, nisi ob salutem corporis: atqui procuratio boni publici pertinet ad publicam potestatem, quæ est in Principe, vel Magistratu: ergo ad solum Principem pertinet, malefactores è medio tollere; sicut ad solum suppositum, membrum secare. Vide D. Augustl. l. 1. de Ciuit. cap. 17. 21. 26. & Gratianum 23. q. 5. 5

Nec obstat, quòd interdum permittatur, vt quiuis possit occidere publicos hostes Reipubl. vt latrones & proscriptos, quos Bannitos vocant; quia tunc non occiduntur auctoritate priuata, sed publica, concessa à Principe, qui illam dare potest; primò, quando alia via malum impendens auerti nequit: vt sæpè accidit in coniurationibus. secundò, quando criminosus alia ratione castigari non potest; tamen illum castigari omnino expedit, vel ad terrorem aliorum, vel ne plura scelera patret; vt fit in Bannitis. vide infrà num. 15. Dubit. 5. 6

Dvbitatio IV.

Vtrùm homini priuato liceat interficere tyrannum.

Alphonsus à Castro lib. de hæresibus v. Tyrannus, sentire videtur nullum tyrannum ab homine priuato posse interfici; idque probare conatur multis argumentis. Verùm distinctione vtendum.

Respondeo igitur, dupliciter fieri posse, vt quis sit *Tyrannus*. Primò, ratione *tituli*, nempe si absque vllo Iure, armis principatum inuadat, vel occupet; sicut Turca regna Orientis, & alia vicina. Talis potest à quouis de regno interfici. est communis sententia DD. D. Thomæ 2 Sententiarum d. vltima q. 2. a. 2. ad 5. vbi pro hac sententia adducit Ciceronem laudantē eos, qui Cæsarem, quamuis familiarem & amicum, occiderunt; eumq; explicans ait : *Tullius loquitur in eo casu, quando aliquis dominium sibi per violentiam surripit, nolentibus subditis; vel etiam ad cōsensum coactis; & quando non est recursus ad Superiorem, per quem iudicium de inuasore fieri possit. Tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrānum occidit, laudatur & præmium accipit.* Idem eruditè docet Caiet. q. 64. a. 3. 7 *Tyrannus duplex. 1. ratione tituli.*

Sotus l.4.de Iustitia q.1.art.3.& alij passim. Ratio est;quia talis non est Princeps, sed iniquus inuasor & oppressor Reipub.& singulorum : atqui quiuis potest iniquum oppressorem Reipubl. (quando aliud non est remedium) è medio tollere. sicut enim priuata persona,si iniquè ab aliquo opprimitur,potest vim vi repellere, & inuasorem è medio tollere,quando alius modus liberationis non suppetit ; ita Respubl.si iniustè inuaditur, potest per quemuis suorum vim repellere, &, si opus est,inuasorem è medio tollere.Sic Aod sustulit è medio Eglon Regem Moabitarum,qui oppresserat tyrannicè Israelitas,Iudicum 3. & Iudith Holofernem, Brutus,Cassius,& alij Iulium Cæsarem. denique apud omnes Gentes passim maximis honoribus publicè affecti sunt, qui tales tyrannos occiderũt. vide Herodotum lib.3.Xiphilinum in Augusto,& Alexandrum ab Alexand. lib.3. cap.26.

8 *Duplici iure potest è medio tolli.*

Potest autem id fieri duplici iure. Primò, Iure defensionis innocentis:& hoc iure posset etiam is, qui non est pars Reipubl. oppressæ. mens enim Reipubl. est, vt à quouis defendatur, si aliter liberari non potest.Secundò,Iure vindictæ: quia Respub. vel eius Princeps, (si Principem habet) potest vindicare iniurias illatas ; ita tamen vt iniuriam vindicta non superet. Hoc iure non potest vti nisi auctoratus , vt miles; quia vindicta requirit auctoritatem. Vnde in pace non infertur, nisi per Iudicem sententia interueniente; in bello, nisi per milites.

9 *Triplex cautio necessaria.*

In his tamen obseruandum Primò, Necessarium esse, vt constet illum esse iniustũ inuasorem. Si enim aliquod probabile ius habet , non censetur tyrannus. vnde non licet interficere. Quamobrem Romani cùm omnes quibuscum bella gerebant, haberent pro legitimis hostibus , qui iure cum ipsis pugnare possent, noluerũt permittere vt priuatus quispiam ducem eorum insidiosè interimeret : vnde transfugam,qui promittebat se Pyrrhum veneno necaturum, Pyrrho tradiderunt; vt testatur Cicero 3.Officiorum. Secundò, Vt non timeantur maiora mala à filio tyranni, vel amicis. Tertiò , Vt non sit contra expressam Reipub. voluntatem. Huius enim est, auctoritatem istam vel certè consensum dare. censetur autem consentire, quando passim ciues optant illum sublatum ; imò quando non constat de contraria voluntate : nam tunc præsumitur velle , quod iustè velle potest vt liberetur: atqui hoc iustè velle potest, cùm alia ratio non suppetat. ergo, &c.

10 *2. ratione administrationis.*

Secundò,Potest quis esse *tyrannus* ratione dumtaxat *administrationis*; vt si is,qui est verus Princeps , regni administrationem flectat non ad bonum publicum , sed ad sua priuata compendia; onerando illud iniustis exactionibus , vendendo officia Iudicum, condendo leges sibi commodas, publico parum vtiles. Talis non potest à priuatis interimi,quamdiu manet Princeps. Hoc tantùm probant rationes à Castro adductæ.

Probari id solet, Primò,ex 1.Petri 2. *Serui subditi estote in omni timore dominis , non tantùm bonis & modestis , sed etiam dyscolis.* verùm hic locus non agit de subditis Principum, sed de mancipiis; & continet potiùs consilium , quàm præceptum. hortatur enim vt obediant , etiamsi ob fidem multas patiantur iniurias à suis dominis : cùm tamen in hoc casu possint fugere , si scandalum absit.

Secundò , Probatur ex Concil. Constantiensi sess.15. vbi damnatur hic articulus : *Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vasallum suum vel subditum ; etiam per clanculares insidias , & subtiles blanditias vel adulationes,non obstante quocumque præstito iuramento seu confœderatione factis cum eo,non expectata sententia vel mandato Iudicis cuiuscumque.* In quo articulo sunt multi errores. Primò, Quemlibet tyrannum posse occidi ; nempe tam eum, qui tyrannicè administrat, quàm qui tyrannicè titulũ occupat. Secundò, Debere occidi per quemuis subditum: cùm tamen ex his plerique excusentur. Tertiò,Idque etiam contra iuramentum,& fœdus iuratum : cùm omne iuramentum licitum sit seruandum. Quartò, Nulla sententia Iudicis expectata:cum,si Superiorem habet,ad eum primò sit confugiendum.

Tertiò,Probatur; Quia Princeps, etsi tyrannicè regat, tamen manet Superior (vnde Scriptura iubet nos,in rebus licitis, parere Principibus Ethnicis tamquam Superioribus,ad Rom.13. 1.Petr.2. & alibi ; etsi maximi essent tyranni, vtpote qui Ecclesiam persequerentur , & ad impietatem cogerent:) ergo non potest à subdito interfici,nisi fortè ob necessariam vitæ suæ defensionem ; de quo infrà. etsi enim auferat bona ; hæc tamen non sunt tanti momenti , vt ob eorum tutelam possit interfici , vim vi repellendo , sicut priuatus quispiam: tum quia hęc multis modis possunt per ipsum vel Rempub.restitui : tum quia habenda est ratio maiestatis principalis, quæ omnibus sacrosancta esse debet, cùm nobis auctoritatem diuinam repræsentet : præsertim cùm bona externa administrationi Principis sint subiecta. Adde, si tantùm excrescat tyrannis , vt non videatur ampliùs tolerabilis,nec vllum aliud remedium supersit,primùm à Repub. vel comitiis regni , vel alio habente auctoritatem,esse deponendum,& hostem declarandum ; vt in ipsius personam liceat quidquam attentare. Tunc enim desinit esse Princeps. Vide Caietanum & Sotum suprà.

11 *Non potest in defensionem fortunarum interfici.*

12 *Est primò deponendus.*

Dvbitatio v.

Vtrùm licitum sit occidere filiam in adulterio deprehensam , vel ipsum adulterum.

Qvidam putant, Primò, fas esse parenti, si filiam in adulterio deprehenderit , ipsam cum adultero occidere ; modò adsint illæ conditiones, de quibus in L.Patri.20. & sequentibus. π.de adulteriis.quarum prima est, Vt filia sit iuncta matrimonio. Secunda, Vt sit in patris potestate. Tertia, Vt eodem impetu occidat filiam & adulterum , si possit. Quarta, Vt id faciat in domo patris vel generi. Quinta, Vt deprehendat eos in opere turpi.

13 *Sententia quorumdam,esse id licitum.*

Secundò, Putant idem licitum marito in domo propria,in adulterum vxoris,si adulter sit persona vilis. ex L.Marito.24. π. de adulteriis,& L.Graechus.4. C. eodem titulo. Ita sentit Iulius Clarus l.5.Sententiarum.§.Homicidium.n.48.& sequẽtibus. & alij quidam recentiores. Probari potest hæc sententia, Primò, Quia leges ciuiles non solùm hoc permittunt,quatenus volunt esse impunè (vt cõmuniter responderi solet) sed etiam expressè

14

dant

dant ius & potestatem. Nam d. L.20.ff. de Adulteriis dicitur: *Patri datur ius occidendi adulterum cum filia, quam in potestate habet.* L.22.§.2. *Ius occidendi patri conceditur domi suæ, licet ibi filia non habitet, vel in domo generi.* L.23. *Voluit lex ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsa turpitudine filiam deprehendat.* & C. eodem titul. L. Gracchus: *Permittitur marito vt occidat adulterum, si vilis sit: & hunc* dicit *legitime interfici.* Idem patet ex L. duodecim tabularum, *Mœchum in adulterio deprehensum necato.* vt refert ex aliis Couar. de matrimonio 2.p.c.7.§.7. quæ lex etiam multò antè Athenis viguit, lata à Dracone & Solone; teste Plutarcho in Solone.

Ex his patet, legem dare hanc auctoritatem, & constituere parentem & maritum veluti executores iustæ punitionis. vnde non faciunt auctoritate priuata, sed publica.

Responsio quorumdam. Respondent quidam, has leges esse iniustas. Ita Fortunius tractatu de vltimo fine, illatione 11. Sed cõtrà Primò, Mirum est tot præclara ingenia Græcorum & Romanorum hanc iniustitiam tot sæculis non vidisse, eamque legibus & moribus à tempore Solonis probasse. Secundò, Eædem leges redactæ sunt in Codicem Iustiniani Principis Christiani, & à reliquis Principibus & Iureconsultis Christianis acceptatæ. Tertiò, Lex ciuilis potest facere potestatem occidendi Bannitos (quos vocant) ob graue aliquod crimen: nam passim in Italia extant statuta, per quæ licet impunè tales occidere, vt refert Clarus suprà num.52. Item transfugas, qui ad hostes fugere tentant. L.3.§. Transfugas. ff. ad L. Corneliam, de sicariis: cur non etiam possit dare potestatem occidendi adulterum & filiam in scelere deprehensos? cùm enim tales mortẽ mereantur, cur non potest ea, concessu legis, per patrem vel maritum inferri? Adde; olim apud Germanos pœnam adulterarũ, maritis permissam sine omni iudicio: vt refert Tacitus, de moribus Germanorum. Hîc tamen aduerte, Iure Cæsareo non permitti maritis vt occidant vxores adulteras, vt quidam Theologi recentiores putant: sed tantùm vt occidant adulterum: & tunc vxorem accusent in iudicio vt puniatur, vt docet Couarr. suprà. & colligitur ex L.2. ff. de adulterijs. Olim quidem aliquamdiu licuit; sed Augustus sustulit: vt refert Suetonius in Augusto, patri tamen permittitur vt occidat filiam simul & adulterum.

15 *Non conceditur marito occidere coniugem.*

16 Ob has rationes videri possit hæc sententia non improbabilis.

Verius, non licere. Respondeo tamen, & Dico Primò, contrarium (nempe in foro animæ non esse licitum ante sententiam) esse tenendum. Primò, Quia est communis sententia DD. vt affirmat Couar. suprà n.15. à qua, in quæstione practica tanti momenti, non est facilè recedendum. Secundò, Quia istæ leges videntur improbatæ per Canones. Nam 33.q.2.cap. Inter hæc, Nicolaus Papa consultus, Vtrùm maritò liceat secundùm *legem mundanam* (nempe Longobardorum, vt ait Glossa, quæ tunc in Italia seruabatur) vxorem, quæ adulterium perpetrauit, interficere: respondit; *Sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritalem, quo non occidit, sed viuificat.* vbi occultè insinuat, Ecclesiam improbare illam legem. Ad idem confirmandum adduci solet caput Admonere, ibidem, sed si benè examinetur, nihil probat. Confirmari potest ex D. Augustl.2. de adulterinis coniugiis c.15. *Postremò quæro abste, an marito Christiano liceat, vel secundum veterem Dei legem, vel Romanas, adulteram occidere;* (alij legunt *abiicere*, sed malè) & post pauca: *Si, quod verius dicitur, non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantùm dimittere; quis dicat tibi, fac quod non licet, vt tibi liceat quod non licet? cum enim vtrumque secundùm legem Christi illicitum sit, siue adulteram occidere, siue illa viuente alteram ducere; ab vtroque abstinendum est.* idem credibile est Augustinum dicturum de parente & filia, marito & adultero.

Ratio autem potissima, cur illa potestas non sit concedenda, est; quia exponitur manifesto periculo salus animæ eorum, qui sic interficiuntur; idque absque vlla necessitate: nam possunt capi, accusari, & per sententiam puniri: secùs est de Bannitis, qui capi non possunt: deinde quia datur occasio occidendi impunè quem velis, domi tuæ; fingendo quòd cum vxore vel filia voluerit habere commercium. 17 *Non subest causa sufficiens ad id concedendum.*

Dico Secundò, Post sententiam legitimè latam, 18 potest parens occidere filiam, & maritus vxorem, si per Iudicem ei occidenda tradatur; vt fit in quibusdam Regnis: tunc enim committitur executio iustæ sententiæ, quæ sicut cuiuis alteri, ita etiam ipsis concedi potest.

Dvbitatio VI.

Vtrùm liceat seipsum interficere.

D. Thomas art.5.

NOtandum est, Donatistas, qui dicti sunt Circumcelliones, censuisse esse genus martyrij, seipsum interimere: vnde passim se variis modis perimebant: vt Augustl. refert hæresi 69. & alibi. contra hos disputat toto ferè lib.2. quem scripsit contra epistolam Gaudentij. & lib.1. de ciuitate, à cap.17. vsque ad 28. & alibi. 19 *Donatistarum error.*

Respondeo igitur & Dico Primò, Absque diuina auctoritate non esse licitum seipsum directè seu ex intentione perimere; est communis sententia DD. Probatur Primò; Quia est contra illud Exodi 20. *Non occides.* vbi prohibetur occisio cuiusuis hominis sine legitima auctoritate: vt docet Augustl. cap.17. suprà: atqui nemo habet auctoritatem in seipsum; cùm non sit seipso superior: ergo, &c. Secundò, Quia est contra illud præceptũ, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; vbi dilectio nostri constituitur mensura dilectionis proximi: atqui non licet occidere proximum sine auctoritate in ipsum; ergo nec seipsum: nam hoc est summi odij signum. 20 *Absque diuina auctoritate non est licitum.*

Dices, Optare sibi mortẽ, si causa subsit, non est signum odij, imò nec illicitum: ergo nec irrogare.

Resp. negando conseq. multa enim sunt, quæ nobis aliisque optare possumus, nimirum vt inculpato modo obueniant; quæ tamen inferre non possumus. Exemplum DD. multi adferunt in pollutione. sic possum maleficio imprecari commeritum supplicium, non tamen inferre: possum optare multa pati pro Christo, quæ non possum inferre aut procurare, &c.

Tertiò, Qui se occidit, Reipub. iniuriam facit: nam illa inuita, veluti quoddam ipsius membrum

abscindit. etsi enim Respubl. non habeat dominium in suos ciues, sicut dominus in seruum; habet tamen ius quoddam illis vtendi in rebus necessariis.

21 *An sit iniuria in Rempub.*

Dices, non videri propriè iniuriam in Rempub. sed tantùm generali ratione, quatenus est contra legem Reipub. si qua talis lex vel consuetudo id prohibens in Repub. sit. quod confirmatur, tum quia Respub. non putat se ob id iniuria affectam; sicut si quis ærarium expilaret: tum quia quiuis potest se subtrahere à Repub. & conferre se ad exteras Prouincias, & tunc non plus commodi ex ipso constabit in Rempub. quàm si mortuus esset: tum quia fieri potest, vt is qui se interficit, sit Reipub. inutilis, vel etiam molestus: tum denique quia fieri potest vt sit solitarius, nulli Reipublicæ insitus.

Resp. Quidquid sit de istis rationibus, saltem est contra iustitiam legalem, quæ non est minoris, sed potiùs maioris momenti, quàm commutatiua. vera ratio est, quia deest auctoritas.

22 Quartò, Qui se interimit, iniuriam quamdam Deo facit, rem eam, quæ ipsi soli subiecta est, absque auctoritate destruens; nam *ipse solus vitæ & necis potestatem habet*, vt Sapientiæ 16. dicitur. ordo enim rerum naturalis postulat, vt ea quæ homine sunt inferiora, ipsius potestati sint subiecta, ita, vt ea possit in vsum suum interimere: ipsa verò humana vita non sit subiecta nisi Deo; & in certis casibus (nempe quando vita alicuius Reipub. est noxia) ipsi Reipub. loco Dei: non enim par est vt illud donum, quod nulla sua industria homo potest sibi comparare, nulloque modo ab ipsius consensu pendet, in ipsius sit potestate, sicut res inferiores.

Quomodo sit iniuria in Deum.

Dices, Si est iniuria in Deum; ergo est contra virtutem religionis.

Respondeo, negando consequentiam propriè loquendo. dicitur enim iniuria in Deum, quia interimitur res, quæ tantùm generali modo est in dominio solius Dei; idque sine auctoritate à Deo concessa: tunc autem est propriè contra religionẽ, quando speciali modo est res Deo consecrata, & violatur absque auctoritate. Denique hanc sententiam multis locis docet D. August. lib. 1. de ciuit. cap. 26. sic ait: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus; neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales; ne incidat in perpetuas. neminem propter aliena peccata; ne hoc ipso incipiat habere grauissimũ proprium, quem non polluebat alienum. neminem propter sua peccata præterita; propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari. neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur; quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

23 *Obiectiones. Martyres se occidentes,*

Sed contrà obiicitur Primò, Quidam coluntur vt martyres, qui tamen directè seipsos occiderunt; vt feminæ illæ, quæ cùm ad tyrannum essent adducendæ, se in flumen præcipitauerunt, ne pudicitiam amitterent; de quibus Eusebius lib. 8. cap. 12. & 17. & Ambr. lib. 3. de Virginibus, ante medium: & S. Apollonia seipsam in rogum coniecit, vt refert idem Eusebius l. 6. c. 33. Palladius etiam, historiæ Lausiacæ c. 150. aliam quamdam feminam laudat, quæ cùm accerseretur à tyranno, seipsam interfecit.

Resp. Has & similes, dupliciter posse excusari. Primò, Quòd id fecerint diuina inspiratione. ita excusat eas D. August. loco citato. Simili modo etiam excusat Samsonem ibidem cap. 21. quamuis hic etiam aliter facilè possit excusari, vt infrà num. 33. dicetur. Secundò, Possunt excusari per ignorantiam inculpatam. Nam se occidere ob patriæ salutem aut pudicitiæ custodiam, non est ita euidens esse malum, quin inculpatè possit ignorari, & putari licitum: cùm non solùm ethnici, (præsertim Stoïci, quorum sententiam eleganter explicat Iustus Lipsius cent. 2. epist. 26.) sed etiam multi Christiani, etsi doctissimi, ita videantur sensisse: D. Hieronymus in cap. 1. Ionæ, versus finem. *Vnde in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo, vbi castitas periclitatur.* vbi apertè insinuat, in periculo castitatis id licere. Scio Glossam & alios quosdam hunc locum Hieronymi in contrarium sensum explicare; sed violentè. Ambros. & Eusebius suprà, laudant mulieres illas, quòd se occidissent, ne violarentur. Neque id tribuunt diuinæ inspirationi; sed laudant factũ, tamquam honestum, ob talem finem. Palladius quoque non meminit vllius reuelationis. Simili modo excusat Sotus S. Apolloniam: & excusari potest Razias, de quo 2. Machab. 14.

Dices, Quomodo coluntur vt martyres, si se illicito modo occiderunt; cùm martyr ab alio debeat occidi? 24

Resp. Quia propter fidem Christi ad hoc fuerunt quodammodò compulsæ. Vnde cùm ipsæ in eo facto non peccauerint, secundùm moralem æstimationem censentur ab ipsis persecutoribus occisæ, & sic sunt martyres. *Quomodo sint martyres.*

Obiicitur Secundò, Quando aliquis legitimè condemnatus est ad mortem, potest cuiuis à iudice committi executio; ergo etiam ipsi reo: ergo saltem in hoc casu poterit seipsum directè occidere. Confirmatur; quia tunc omnes rationes supradictæ cessant: non enim tunc agit contra charitatem sui, neque contra præceptum *Non occides*, quia non occidit innocentem, neque propria auctoritate, neque absque Iuris ordine. Denique nulla videtur posse adferri ratio, cur tunc non liceat, saltẽ absque peccato mortali. Si dicas, esse contra naturalem inclinationem, esseq; nimiùm crudele. Hoc quidem probat, reum non teneri in se exequi, neque Iudicẽ id posse præcipere, ita vt obliget in conscientia; non tamen cõuincit, reum sponte non posse hanc commissionem suscipere: præsertim si permittatur illi mors facilis; vt vena abrupta, veneno hausto, corde transfixo, alioquin subituro acerbissimam. Sanè multò leuius est, minusque natura horret sibi conscisceere letum suaue; quàm ab alio perpeti dirissimum. Adde, neminem sine causa & iusta auctoritate posse in seipsum esse crudelem: tamen ex causa, & cum tali auctoritate non videtur esse peccatũ, saltẽ graue, si in seipsum crudelis sit. Secùs tamen si tyrannus iuberet, vel is qui non potest iustè cõdemnare: quia sicut tunc non potest alteri cõmitti executio, ita nec reo. deest enim iusta auctoritas. qua in re multùm errarunt Stoïci, non intelligẽtes veram causam, cur homo non possit se interficere. 25 *An reo possit committi executio in seipsum.*

Ob has rationes hæc sententia videri potest alicui non improbabilis, eamque insinuat Franciscus Victoria relect. de homicidio n. 30. vbi docet, *eum, qui damnatus est vt veneno pereat, posse illud haurire; imò posse ad hoc obligari.* Idem docet Arragon. q. 69. artic. 4. & Corduba lib. 1. q. 36. addens esse *Hausta veneni.*

eamdem

eamdem rationem aliarum pœnarum. Et sanè dubitandum non videtur, quin possit os aperire vt infundatur. parum autem videtur referre, an ipse infundat, an alius, quando nulla datur amplius dilatio vel tergiuersatio : item si serpentis ictu pereundum, an ipse reus applicet, an alius eum præstò habens. Quòd autè tuis se directè occidat (quidquid Arragon excuset) patet; quia intrò sumit rem, quæ non minùs directè extinguit, quàm ignis, vel gladius, vel plumbum liquatum. Neque inter hæc videtur esse alia differentia, quàm quòd hausta veneni minus habeat horroris, nec possit commodè decorè per alium inferri, sicut supplicium ignis & gladij.

26 Verùm mihi placet contraria sententia : tum quia communis Doctorum, à qua in rebus practicis non facilè recedendum : tum quia sicut nemo est idoneus executor sententiæ mortis in parentem, ob reuerentiã illi, qui est principium vitę, debitam, & ob naturalem coniunctionẽ; ita multò minùs in seipsum : est enim actio directè pugnans cum inclinatione communis naturæ ; nulla enim res seipsam vllo casu perimere intendit. Ex quo fundamento soluas argumenta alterius sententiæ.

27 *Indirectè & per accidens se occidere.* Dico Secundò, Etsi non liceat seipsum directè occidere, licitum tamen est quando iusta causa subest, aliquid facere vel omittere, vnde certò sciatur secuturus interitus indirectè. Ita passim DD. infrà citandi. Ratio est ; quia non est prohibitum homini ne vitam suam periculis vmquã exponat, aut vt eam conetur semper seruare; sed tantùm ne ex intentione illam quasi exosam auferat ; & ne absque causa illam exponat, aut conseruare omittat : tunc enim censeretur illam ex intentione perdere. sicut prohibitum est, ne se ex intentione polluat, aut absque iusta causa, eius periculo se exponat. Explicari autem hoc potest multis casibus.

Primò, Miles potest & tenetur non deserere stationem in periculo communi, etsi certus sit se occidendum.

28 *Potest se sistere Iudici plectendum.* Secundò, Reus potest non fugere ex carcere, etsi certò sciat se morte plectendum, vt multi martyres fecere. imò potest malefactor zelo Iustitiæ & exempli publici, se offerre Iudici puniendum, vt docet Petrus Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 73. quia ob iustam causam potest quis desiderare mortem, & etiam procurare legitimo modo, sicut alteri, ita & sibi.

29 *Recusare cibum oblatum.* Tertiò, Condemnatus ad mortem per famem, potest abstinere à cibo clanculùm oblato; vt rectè docet Henricus quodl. 5. quæst. 31. Sotus lib. 5. quæst. 6. art. 4. Lopez c. 63. Instruct. quod mirum est negari ab Arragon. & Victoria, cùm doceant reum teneri bibere venenum, si ad hoc condemnetur. qui enim haurit venenum, positiuè sibi infert aliquid directè interimens: qui non comedit, nihil sibi infert, sed permittit calore interno vitam absumi; itaque solùm non conseruat vitã: ad quos satis grauem causam habet, nempe vt se iustè sententiæ conformet. Confirmatur ; quia si quis tantùm haberet idolothyta in extrema necessitate, posset iis non vesci, & præoptare mortem ; vt docet August. epist. 154. in fine, & Henricus suprà. Idem dico, si solùm haberet carnes humanas, quamuis etiam eo euentu talibus posset vesci, vt docet Caiet. q. 148. a. 2. ad 2. argumentum Martini. vide infrà lib. 4. cap. 3. dubit. 2.

Quartò, Si duo in extrema necessitate constituti sint, potest alter alteri cedere pane, quem habet, quo vitam tueri poterat, & sinere se emori : habet enim iustam causam non comedendi, officium charitatis in proximum. Victoria n. 26. suprà, Toletus l. 5. c. 6. & alij.

Quintò, Potest quis se obiicere telo ad conser- 30
uandam vitam Principis, & etiam ad conseruan- *Offerre se pro amico.*
dam vitam amici : imò si amicus sit condemnatus
ad mortem, potest se pro illo offerre occidendum, inquit Toletus; intellige, si iniustè: si enim iustè, alliceret alterum ad peccatum.

Sextò, In naufragio potes alteri permittere ta- 31
bulam nondum à te occupatam (imò etiam occu- *Concedere tabulam.*
patam) & committere te vndis, etsi non sit spes
euadendi, vt docet Victoria num. 26. suprà, & Petrus Nauarr. hoc enim non est directè se interimere, sed exponere se periculo, vt ab vndis, deprimẽte corporis pondere, vincatur. Vbi aduerte, eum, qui prior rem occupauit in tali euentu, non teneri alterum admittere, sed posse impedire ; nisi vtrique sufficiat : si simul occuparunt, sorte dirimendum ; nisi alter alteri sponte cedere velit.

Septimò, Potes seruire infectis peste, etsi putes te inficiendum.

Octauò, Potes iniicere ignem in puluerem tor- 32
mentarium, ad euertendam turrim hostilem, etsi *Accendere puluerem.*
certum sit momento te dissipandum. neque enim
tu te interimis propriè, sed ignis impetus, vel turris ruina ; quibus te ob iustissimam causam exponis, non secùs ac is, qui se obiicit telo vt corpus Principis saluet. sic Eleazarus interfecit elephantem, à quo videbat se opprimendum; qui laudatur lib. 1. Machab. cap. 6. Sic Samson Iudicum 16. vt 33
interficeret hostes populi, euertit domum, cuius ruina est & ipse obrutus. Nec obstat quòd D. August. lib. 1. de ciuitate c. 21. dicat, Samsonem non excusari, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat; quia alij hîc nullam talem iussionem censent necessariam. vide Caietanum in illum locũ, & Ambros. lib. 1. Officiorum cap. 40. vbi factum Eleazari, quod est omnino simile, valdè laudat. Idem tenet Lopez 1. p. c. 65. in fine, & multi recentiores; estque res in bellis pænè quotidiana: alioquin non liceret cum periculo vitæ suffodere turres & mœnia. Hoc modo excusari possunt nostri milites & 34
socij nauales, qui sæpè fortissimè cum hæreticis prælio nauali dimicantes, cùm iam vident nauem in potestatem hostium venturam, communi consensu ignem pulueri iniiciunt, & se mari committunt, ne ipsi & nauis veniant in hostium potestatẽ. non enim intendunt sui interitum, sed ne hostis naui cum publico damno potiatur, & vt se ipsi (si qua ratione possint) morti certissimæ ab hoste inferendæ eripiant : si enim quis potest desilire in mare vt saluet amicum, cur non vt euadat hostis crudelitatem?

Nonò, Grassante incendio, si non suppetat alia 35
ratio tam horrendæ mortis euadendæ, potes te è *Vt vitetur incendium.*
sublimi per fenestram demittere, etiam cum certo
vitæ periculo : non enim intendis te occidere, sed dirum illud tormentum fuga euadere. quin etiam animantia instinctu naturæ, modis talibus se saluare nituntur.

DVBITATIO VII.

Vtrùm aliquo euentu liceat interficere innocentem.

D.Thomas art.6.

V. G. Si tyrannus perſequeretur innocentem, vt olim Conſtantius Athanaſium,& minaretur vrbi excidium niſi illum interimat.

36 REſpondeo & Dico Primò, Non poſſe interfici. Probatur,Exodi 23. *Inſontem & iuſtum non occides; quia auerſor impium.* eſt ergo impietas hoc facere. ratio eſt; quia cùm nullus hominum habeat dominium vitæ alterius,nemo poteſt eam tollere,niſi vel ad neceſſariam defenſionem,vel ad criminum punitionem. Vnde D. Auguſtinus lib.1. de ciuitate cap. 17. & 19. docet, grauius eſſe peccatum occidere innocentem, quàm peccatorem.

Obiectiones. Dices Primò,Reſpublica poteſt exponere vitam ſuorum ciuium,ob communem ſalutem; ergo etiam poteſt vitam alicui eripere, quando id neceſſarium eſt ad commune bonum. Secundò,Poteſt quis ad obtinendam victoriam dirigere tormentum in locum, vbi videt multos innocentes: quod nihil eſt aliud, quàm eos occidere. Tertiò, Viri Samariæ occiderunt 70. filios Achab timore belli quod Iehu illis minabatur, vt patet 4. Regum cap. 10.& factum illud Deo placuit: ergo ob commune bonum licet interficere innocentes.

37 Ad primum Reſpondeo, Rempub. poſſe ſuorum ciuium vitam exponere imperando iuſtam defenſionem, neceſſariam ad patriæ ſalutem, ad quam defenſionem Iure naturæ obligantur: quod longè aliud eſt, quàm ipſam vitam directè eripere, ſeu inferre mortem. eripere enim vitam innocenti, nihil per ſe confert ad auertendam Reipub. calamitatem; ſed ſolùm ex malitia tyranni. Itaque cùm per ſe malum ſit, non fit licitum ex eo, quòd referatur ad talem finem, alioquin licitum eſſet Sacramenta profanare, & hæreticas cærimonias inducere, ſi tyrannus id præciperet, excidium interminans.

Quo modo poſſit exponere vitam ſubditorum.

Dirigere tormenta eò,vbi innocentes. Ad ſecundum, Hoc non eſt directè & ex intentione occidere innocentes, ſed præter intẽtionem; intendit enim demoliri turrim, quod licitè poteſt ad obtinendam vrbem. Neque tenetur abſtinere, quòd hoſtes ibidem pueros & turbam imbellem collocent;(alioquin numquam victoria poſſet obtineri) ſed cœpta proſequi poteſt,quatenus ad victoriam neceſſe, etiamſi inde ſequatur illorum interitus. Si tamen illi eſſent in caſtris obſidentium, non poſſent interfici, vt ciuitas cogatur ad deditionem.

Ad tertium, Valdè veriſimile eſt,Iehu indicaſſe ipſis, voluntatem Domini eſſe, vt progeniem Achab deleret: alioquin peccaſſet inducendo eos ad peccatum. fuiſſe autem Dei voluntatem, qui vitæ neciſque in omnes poteſtatem habet, patet 2.Paralip.c.22.vbi dicitur,Deum vnxiſſe Iehu, vt deleret domum Achab.

38 Dico Secundò, Poteſt tamen Reſpub. cogere innocentem vt tyrannum accedat, &, ſi ire nolit, poteſt illum tyranno tradere. Ita docet Lopez 1.p. cap.6. Inſtruct. & Adrianus, quem ibidem citat, & Petrus Nauar. lib.2.cap.3.num.120.quamuis Sotus lib.5.q.1.a.7.& quidam alij negent. Probatur Primò; quia ille innocens tunc ex charitate & pietate in patriam & ex Iuſtitia legali tenetur regredi,& ſe morti exponere,ſi certum ſit calamitatem communem auerſum iri: ergo etiam ad hoc poteſt cogi.

Poteſt illum tradere.

Reſpondet Sotus, eum non teneri ex Iuſtitia particulari,ac proinde non poſſe cogi. Sed in hoc fallitur; nam ad multa cogi poſſumus per Magiſtratum, ad quæ ex iuſtitia non obligamur: vt ad dandam eleëmoſynam in magna fame, ad vendendum frumentum,ad vitandos ſumptus immodicos in veſtes & conuiuia;ad vitandam ebrietatẽ, fornicationẽ,inceſtum, ſodomiam, blaſphemiam, certos ludos, & ſimilia; ad quæ tamen ex iuſtitia non obligamur.ergo ſimiliter poterit iſte innocens cogi, vt tyrannum accedat, etiamſi certiſſimè ſit interficiendus: ſicut cogi poteſt vt ſtationem ſuam tempore belli obeat, etiamſi conſtet eſſe interficiendum. quòd ſi nollet ire, iam verè non eſſet innocens: vnde poſſet à Republ. tyranno tradi. ſimiliter ſi timeretur fuga elapſurus cum pernicie Reipubl.

Secundò, Si Principe in extrema neceſſitate 39
conſtituto, non ſuppeteret niſi vnus panis hominis priuati, poſſet ille cogi ad cedendum eo Principi,& etiam vi ſpoliari,etiamſi eſſet moriturus fame: ergo etiam poteſt cogi vt accedat tyrannum, quando id neceſſarium eſt ad ſalutem Reipubl. Conſequentia patet; quia qui aufert illi panem, non minùs videtur ad mortem cooperari, quàm qui cogit adire tyrannum, vel qui alium tradit.

Tertiò,Si in hoc eſſet aliqua iniuria, id proueniret ex eo, quòd iſte tradatur inuitus. atqui hoc non obſtat: quia panis etiam aufertur ab inuito; & tamen non fit ei iniuriâ,eò quòd ex charitate obligetur illum ſponte dare: ergo cùm hîc ſit obligatio ſponte accedendi ad tyrannum; ſi cogatur,non fiet iniuria. poteſt enim legitimus Superior cogere ad ea,ad quæ Iure naturali obſtringimur.

Dices Primò, Tradere innocentem tyranno in 40
hoc caſu, eſt ipſi cooperari ad necem innocentis: *Obiectiones.*
atqui hoc eſt illicitum. ergo, &c. Antecedens probatur,quia ſi ſatellites ipſius caperent & traderent illum, verè cooperarentur; ergo ſimiliter ſi Reſpub. id faceret.

Secundò, Si tyrannus in hoc caſu peteret ſibi tradi virginem ad violandum,non poſſet Reſpub. illam inuitam tradere: ſimiliter ſi peteret codices ſacros ad comburendum, vel Sacramenta ad temerandum:ergo nec innocens poterit tradi,qui ad mortem quæritur.

Ad primum Reſpondeo,negando id eſſe propriè cooperari ad necem. Ad probationem; Eſt diſpar ratio inter ſatellites tyranni & Rempubl. nam illi nullam auctoritatem habent in innocentem; vnde inferunt ei iniuriam. Reſpubl. verò habet auctoritatem;eſt enim Iure naturæ Superior ſingulorum: vnde poteſt cogere ad id, ad quod ille Iure naturæ erat obſtrictus; vtitur enim iure ſuo.

Ad ſecundum, Nego conſequentiam: eſt enim ratio diſſimilis. virgo enim ob periculum animæ non tenetur ire; vnde nec Reſpub. poteſt eam cogere vel tradere. poteſt tamen vrbe excludere, & non tueri: non enim cum tanto ſuo damno tenetur illam protegere, vel apud ſe retinere.

Quòd

Codices sacri.

Quòd ad codices sacros & Sacramenta attinet, dici potest esse disparem rationem ; quia neque in rebus ipsis est obligatio vt tradi debeant ; neque Deus tenetur sustinere illam iniuriam, vt homines non occidantur. Accedit, quòd in huiusmodi tradendis ad imperium tyranni, ferè semper sit periculum scandali publici ; videtur enim proditio quædam rerum sacrarum. vnde Veteres illud semper pro magno crimine habuerunt ; vt patet ex D. Augustino epistola 64. & 71. & Hæresi 69.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm liceat alterum occidere in vitæ suæ defensionem.

D. Thomas art.7.

41 REspondet D. Thomas, licere, quando id necesse, modò tamen non intendatur mors inuasoris.

Notandum est, Augustinum de Ancona tractat. de potestate Ecclesiæ quæst. 52. artic. 3. docuisse, *occidere inuasorem non esse licitum, sed solum permissum.* Idem videtur sensisse Gerson tract. de Eucharistia. Ratio eorum est ; quia tenemur potiùs corporalem mortem oppetere, quàm vt proximum in æternam damnationem præcipitemus. Sed contraria sententia est communis ; pro qua

Dico Primò, Fas esse occidere iniustum inuasorem, ob defensionē vitæ suæ, & integritatis membrorum, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita D. Thomas hoc loco, & Victoria relect. de homicidio nu. 17. Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 22. & sequent. Couar. relect in Clement. Si furiosus. 3. p. §. vnico num. 6. Sotus lib. 5. de Iustitia q. 1. art. 8. & alij. Probatur Primò, Quia Exodi 22. dicitur, *eum, qui furem nocturnum occiderit, non esse reum homicidij* ; nempe quia discerni nequit, an venerit animo occidendi, an furandi tantùm, vt D. Augustin. quæst. 84. in Exodum exponit. Secundò, Quia *vim vi repellere, leges omniaque iura permittunt*, vt ait Alexander III. cap. Si verò. 1. de sententia excommunicationis. & Innocent. III. cap. Significasti. 2. de homicidio. Quare etiam Clericis & Monachis hoc concessum, licut & laicis: idque contra quoscumque, etiam contra Superiores; vt monacho contra Abbatem, filio contra parentem, seruo contra dominum, vasallo contra Principem : & in quocumq; officio sit quis occupatus; vt si celebret & inuadatur, potest se tueri, & occidere inuasorem, si necesse sit, & postea Sacrum continuare; vt docet D. Anton. 3. p. tit. 4. cap. 3. §. 1. Silvester verbo Bellum 2. §. 7. & 5. & alij.

Defensio sui contra quemuis concessa.

42 Vnde quod Sotus ait, si inuasor sit Princeps vel persona admodum vtilis Reipubl. ego verò parum vtilis, teneri me perpeti mortem ; tantùm verum est eo euentu, quo ex interitu alterius, sequeretur magnum Reipub. damnum ; vt, bella ciuilia ob successionem, &c. Idem Ius suo modo locum habet in bestiis. Si enim bos tuus inuasus à boue alterius, occidat inuadentem, non teneris dedere eum noxæ, domino bouis occisi ; vt colligitur ex L. 1. §. Cùm arietes. 7. Si quadrupes pauper. fecisse dicatur. Eodem Iure furiosi & amentes occidi possunt quando inuadunt, si aliter elabi nequeas.

43 Dixi, (*cum moderamine inculpatæ tutelæ*, (hic enim loquitur Alexand. III. suprà) id est, cum ea moderatione, sine qua iniuria depelli non potest: quia in defensione non potes vti maiori vi, quàm sit necesse ad iniuriam arcendam : alioqui non est defensio, sed vltio. vnde teneberis ad restitutionem. Itaque eum, qui percussit, & iam fugit, vel certè destitit, & ampliùs non metuitur, non potes occidere vel repercutere ; (nisi fortè interdum ad defensionem honoris ; de quo infrà) quia illa repercussio non est necessaria ad vitam tuendam ab iniuria, vt quæ iam illata sit. si tamen paret se percussor ad feriendum secundò, vel putetur aliter non destiturus, potest statim repercuti: si alioquin vis eius declinari nequeat.

Defensio inculpata quæ.

Vt autem melius intelligatur, quo modo quisque vitam suam tueri possit, & in quibus periculis, Notandum est, vitam multis modis impeti posse & inuadi.

Primò, Si reipsa me ferias armis. De hoc nullum est dubium.

Secundò, Si accedas ad feriendum, nec possim euadere, nisi vel fugiam, vel te præueniam. Et quidem si possim absque periculo vel ignominia declinare vel fugere, teneor ex charitate, vt graue damnum in me vel in proximo caueam. Vnde Religiosi & Ecclesiastici tenentur fugere ; quia id illis non probro, sed laudi datur : non enim illorum laus est in armis & audacia, sed in pietate & humilitate. Si tamen nolint fugere, non peccabunt contra iustitiam, etiamsi inuasorem occidant, iusta moderatione seruata, vt docet Iulius Clarus de homicidio num. 32. addens hanc esse communem sententiam ; incurrent tamen irregularitatem. Si absque periculo, vel nota ignominiæ non possim fugere, possum te præuenire : non enim teneor exspectare donec percusseris. Ita Couar. Sotus, Gom. & alij, estque communis sententia DD. teste Iulio Claro num. 35.

44 *Accedens ad occidendum.*

Tertiò, Si nondum accedis, tamen instructus es ad inuadendum, nec possum euadere nisi præueniam : tunc enim possum præuenire, vt ijdem Doctores docent, & Nauar. c. 15. n. 3. vbi ponit exemplum de marito, qui pugionem condidit sub ceruicali vt vxorem interficiat ; quem vxor id certò sciens, si aliud remedium non supereat, potest præuertere. Ratio est ; quia etsi nondum actu inuadat, parat tamen inuadere, & ita illam tenet conclusam & obsessam, vt aliter euadere nequeat. Idem docet Cordub. lib. 1. q. 38. de eo, qui alteri parauit venenum ; posse enim illud industria conuerti in auctorem, si alia ratio euadendi non supersit.

45 *Instructus armis.*

Quartò, Si per famulum vel ficarium me stat tueris occidere, nec alia sit spes euadendi. Hoc etiam casu videtur licitum præuenire, si periculum sit præsens: vt, si actu mandes vel suadeas. videtur enim eadē ratio, quæ in tertio. parum enim refert, an per te, an per alium inuadas & coneris interficere. quòd si periculum adhuc esset longinquum, vt si coniuraueris in meam necem, iamque cum sicariis egeris, vt opportunitatem quærant exequendi; maior est difficultas. Sed videtur eadem ratio, si nulla alia supersit via euadendi; quia ita vitę meę insidiatur, vt alia ratione non possim elabi. non enim teneor perpetuò me intra domum concludere, vel in exteras regiones concedere. esset tamen insidiator ille aliquoties antè monendus vt desistat. Ita docet Bañes q. 64. a. 7. dubit. 4. & quidam alij recentiores.

46 *Per sicarium inuadens.*

Mihi tamen hic modus in praxi non probatur, tum

tum ob alias causas, tum ob periculum abusus, tum quia perrarum est, vt non suppetat alia ratio mortis euitandæ.

47 Quintò, Si falsis criminationibus, testibusque subornatis (verbi gratia, imponendo sacrilegium vel crimen nefandum) vitam meam impetas in iudicio, nec alia sit ratio effugij; quidam Doctores concedunt, inter quos Bañes loco citato; vbi dicit, licitum esse occidere eum, qui vadit ad Iudicem vt imponat falsum testimonium, propter quod eris occidendus, vel infamandus, vel amissurus bona temporalia. Ratio ipsius est; quia hoc non est inuasio, sed iusta defensio. Idem extendit ad eum, qui contra Iustitiam legalem pandit crimen occultum.

Petrus Nauarra lib.2.cap.3.nu.361. sentit esse probabile. Fauet Caietanus infrà q.95.a.8.ad 3. Probari potest Primò, Quia nihil refert vtrùm inuadas me gladio tuo, an alieno, vt ait Caietanus: atqui calumniator ille inuadit gladio alieno, nempe Iudicis. vnde Nathan ad Dauid ait, *Interfecisti Vriam, gladio filiorum Ammon.* & Iudæi, iuxta D. August. occiderunt Dominum *gladio linguæ.* Secundò, Si dominus vocaret famulos vt me occiderent, possem præuenire, occidendo dominum, vt famulos in meam necem concitare desinat, si aliter saluus esse nequeam: vt docet Bañes loco citato. Atqui eadem videtur ratio, cùm calumniator conatur per Iudicem: cogit enim illum vt me occidat. Tertiò, Quia in hoc casu licitum est mihi acceptare duellum, vt docet Caietanus suprà. Et in Summa verbo Duellum, & alij Doctores passim. Atqui tunc possum occidere in pugna, si aliter euadere nequeo iniuriam: cur non etiam sine duello? nam acceptatio duelli nullum ius tribuit, sed solùm facit, vt honestiore modo videar me tueri. Imò Bañes apertè indicat, in eo casu licitum esse non solùm acceptare, sed etiam prouocare calumniatorem ad duellum; citans in eam sententiam Caietanum: quamuis ego id apud Caietanum non inueniam. Sed & hæc sententia, etsi fortasse speculatiuè probabilis videri queat, non tamen in praxi est admittenda, ob incommoda quæ ex ea sequi possunt. Facilè enim homines sibi persuadent, se per calumniam accusari, & non esse effugium, nisi morte accusatoris: sicque multæ cædes iniustæ patrarentur. denique talis in Republ. benè constituta, vt homicida plecteretur.

Calumniator.

48 Sextò, Si malefica potris certis signis magicis assiduè per dæmonem noceat. Hoc casu si aliud remedium non suppeditet, vti poterimus Iure defensionis, cogendo eam verberibus, vt ab iniuria cesset: si tamen certò constet, eam esse mali auctorem, & putetur sine nouo maleficio prius maleficium tollere posse. Ratio est; quia illa perinde facit, atque si tyrannus aliquis per suos satellites torqueret: vtitur enim dæmone tamquam instrumento, eum assiduè instigans signis illis, quibus se dæmon obstrinxit, ad noxam inferendam. Nihil autem interest, per te, an per ministros tuos noceas.

Malefica.

49 His adde, quando necesse est ad vitæ defensionem, nec alia patet ratio contra iniustum inuasorem, posse acceptari duellum; imò etiam offerri: vt si inimicus armatus te inermem inueniens, permittat tibi arma, vt militariter te occidat, vel si roges vt arma tibi permittat: tunc enim est vera defensio. Caiet. suprà. Nauarrus c.11.n.39. & c.15. n.9. Angelus v.Duellum n.2. Lyranus in cap.17. lib.1.Regum, & alij. Eadem videtur ratio in inuasione fortunarum; vt colligitur ex iisdem Auctoribus; traduntque in specie Angelus & Bañes. Nam fortunæ sunt necessarium vitæ instrumentum, subsidium, & ornamentum.

Duellum.

Contra hanc propositionem Obiicitur Primò, Matth. 26. vbi Dominus Petro volenti se & ipsum defendere, dicit, *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et confirmatur ad Roman.12. *Non vos defendentes charissimi.*

Obiectiones.

Respondeo, Petrus reprehenditur, Primò, Quia defensio illa habebat potiùs speciem vindictæ quàm defensionis: non enim erat probabile, tantam turbam tali modo posse repelli. Secundò, Quia erat contra Domini voluntatem, cuius responsum debebat expectare. Tertiò, Quia Dominus non habebat opus tali defensore, nec decebat eum tali modo defendi. Quartò, Quia erat contra Patris ordinationem, qui volebat vt Filius illorum vim iniquam non defugeret. Vide D. August. tract. 112. in Ioannem.

50 *Cur Petro prohibetur defensio.*

Ad confirmationem, *Defendere* ibi accipitur pro *vlcisci*, vt patet ex Græco, ἐχ ὑμᾶς ἐκδικοῦντες. Simili modo Iudith cap.1.& 2.accipitur.

Obiicitur Secundò, Plus tenemur diligere salutem animæ proximi, quàm vitam nostram corporalem: ergo ad hanc seruandam non licet proximum occidere; quia si occidatur, anima peribit.

51 *Quando vita exponenda.*

Resp. Negando consequentiam; quia non tenemur lege charitatis exponere salutem corporis pro salute animæ alterius, nisi quando ea est in extremo discrimine, ex quo non potest se nisi mea ope vindicare: vt si infans esset moriturus sine Baptismo. Hic autem sponte & mera malitia conficit se in discrimen saluus, & potest liberrimè se eximere. Deinde qui inuaditur, non est certus suæ salutis, si se permittat occidi; inuasor etiam iam vulneratus, potest pœnitere, & saluari.

Quæ sit mens SS. Patrum.

Tertò, Possent multa obiici ex Patribus, qui insinuant hoc esse illicitum. Sed hi Patres loquuntur vel de vindicta, vt Cyprianus lib.1. epistola 1. & Cyrillus Alexandr. lib.11. in Ioannem cap.35. Vel de defensione non necessaria, vt Ambros. l.3. Officiorum cap.4. Vel de aggressione, vt August. epist. 154. quæ est ad Publicolam. Vel denique loquuntur de periculo excessus odij, iræ, & debitæ moderationis, vt idem Augustinus lib.1. de libero arbitrio cap.5.

Obiicitur Quartò, Clerici olim ante Clement. Si furiosus. fiebant irregulares, si aliquem, se defendendo, occiderent: ergo non erat illis licitum.

52 *An irregularis.*

Resp. Verius est non fuisse irregulares, vt colligitur ex cap. Si verò, & cap. Significasti, suprà citatis, & cap. De his Clericis, d.50. Neque D. Th. hoc art. ad 3. contrarium sentit: quia loquitur de illo, qui in defensione sui, modum excessit. Citat enim cap. De his Clericis. quod agit de illis, qui debitum modum non seruarunt, vt exponit Glossa: quibus ob id pœnitentia ibidem dicitur imponenda. numquam autem pœnitentia imponenda fuit, quando defensio cum debito moderamine facta est; vt apertè ex Alexandro III. & Innocentio III. locis suprà citatis colligi potest. sed de hoc plura suo loco.

Sed difficultas est, Vtrùm liceat occisionem intendere; an solùm ipsam defensionem, ita vt occisio solùm per accidens inde sequatur: vt videtur docere D. Tho. hîc, Caiet. & plerique Thomistæ.

Alij

Alij videntur aliter sentire, sed in re non est discrepantia. vnde

53 *Licitum est intendere mortem in causa.*

Dico Secundò, Licitum est in actu defensionis intendere omne id, quod iudicatur ad vitæ membrorumque defensionem necessarium: ac proinde interdum etiam læsionem mortiferam; & consequenter ipsam mortem; nempe in causa. Ita docet Sotus suprà, & Victoria relect. de homicidio n.17. & Nauar. c.15.n.3. D. Antoninus 3.p.tit.4.cap.3. §.1. Ratio est; quia nisi liceret eam sic intendere, defensio sui sæpè redderetur impossibilis: sæpè enim fieri nequit vt te defendas, nisi inuasori vulnus letale infligas, vt sclopo vel hasta. Quòd autem D.Th. insinuat, priuatæ personæ non licere occidere inuasorem nisi per accidens: omissa Soti solutione, sensus est, personæ priuatæ non esse licitum, absolutè desiderare vt inuasor moriatur. hoc enim non est necessarium ad sui defensionem; sufficit enim vt concidat viribus destitutus, ne ampliùs lædere possit. Non tamen vult negare; quin modis omnibus possit se tueri, & intendere quidquid ad hoc prudenter iudicatur necessarium. Vnde in periculoso conflictu non debet esse scrupulosè anxius ne hostem letaliter vulneret; sed potest eum ferire eo modo, quo commodius fuerit, vt vim ipsius comprimat; etiamsi caput vel pectus traijciendum foret. quòd si mors sequatur, id ei displicet: non enim id directè & secundùm se intendebat: & hoc est quod vult Caietanus, & alij.

54 *Priuata auctoritate constat defensio.*

Petes, Qua auctoritate id facit, publica, an priuata?

Resp. Priuata; quia non facit vt Iudex, vel Princeps repræsentans Rempub. vel publico nomine, seu vt custos boni publici: sed eo Iure, quod quisque habet, vt est custos rei suæ: quo iure noxia retundere, & vim vi repellere potest, quo etiam omnia animantia vtuntur. Si publica auctoritate faceret, posset illum occidere animo vindictæ; sicut facit Iudex.

55

Dico Tertiò, Etsi licitũ sit occidere inuasorem, quando aliter nos tueri nequimus; tamen *sæpè* est salutare consilium, permittere se potiùs occidi, quàm occidere. Ita D. Antoninus suprà, & Silu. verbo Bellum. 2.§.7. & patet exemplo Christi & multorum Sanctorum. Idem colligitur ex D. Augustl. 1. de libero arbitrio, c.5. *Legem quidem non reprehendo, quæ tales* (latrones inuadẽtes) *permittit interfici; sed quomodo istos, qui interficiunt, defendam, non inuenio.* nempe quia facilè excedunt modum, vel opere, vel affectu. & D. Ambros. l.10. in Lucam, exponens illa verba Lucæ 22. *Emat gladium*, dicit *licitum esse se defendere vsque ad Euangelium, non autem posteà*; non quòd absolutè non liceat, sed quòd non ita deceat; quod insinuat cùm ait, *Vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.* Ratio est Primò; Quia periculum est, ne ira vel odium se admisceant, néve modum excedamus: & sic dum volumus seruare vitam corporis, vitam perdamus animæ.

Secundò, Quia hoc modo magis conformamur Christo, eiusque Apostolis, & Martyribus.

Tertiò, Quia charitas, etsi non obliget, tamen ad hoc magis inclinat, ne proximus in æternu pereat.

Est saluare consilium.

Ob has rationes, sentio hoc consilium magni faciendum, & omnibus Clericis, maximè viris Religiosis amplectendum; vt malint mortem perpeti, quàm iniquum inuasorem occidere.

Dixi *Sæpè*; Quia si quis putaret se esse in peccato, & valdè timeret damnari, si tunc occideretur; teneretur se tunc omnibus modis tueri: quia magis tenetur diligere salutem animæ suæ quàm proximi. Ita docet D. Antoninus suprà. 56

Dvbitatio IX.

Si is qui inuaditur non possit se tueri, nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, vtrùm ei liceat se cum illo periculo defendere.

Resp. Probabilius est posse. ita Corduba q.33. lib.1. & Petrus Nauar. l.2.c.3.n.147. 57

Probatur Primò, Quia qui inuaditur, Ius habet se defendendi, quo iure non priuatur ex illa innocentis interpositione, vt quæ ipso inuito facta sit. Secundo. A simili; qui vrbem iustè obsidet, potest dirigere tormentum in turrim vel mœnia, prout necessarium ad victoriam, etiamsi hostes ibi liguerint aliquos innocentes; vt communiter sentiunt DD. ergo similiter ad necessariam vitæ defensionem, potes petere aduersarium, quamuis ille innocentem obijciat.

Aduerte tamen Primò, Si potes fugere, teneris, saltem ex charitate, ne innocentem interficias. 58

Secundò, Non potes directè imperere innocentem, vt illo sublato faciliùs superes aduersarium. potes tamen petere aduersarium, etiamsi ipse innocentem ante se teneat: vt notauit Corduba.

Petes, Quid si fugiens hostem, non possit euadere nisi per angustum iter, vbi proteret infantem, vel claudum; poteritne illac fugere, vt se saluet?

Resp. Petrus Nauarra negat; nisi sit aliqua probabilis spes non interficiendi. Sed reuerà videtur eadem ratio, quæ in casu superiori. ita Corduba l.1.q.38. dub.2. & colligitur apertè ex Caietano q.67.a.2. vbi dicit, *occidere innocentem per accidés, dando operam rei licitæ & necessariæ, non est contra Ius naturale, diuinum, vel humanum.* 59 *Si periculum claudo vel infanti.*

Probatur; Nam iste Ius habet ad fugam via publica; quo iure non potest priuari in tanto discrimine, ratione infantis, vel claudi ibi fortè constituti: sicut si fugienti amens quispiam vel ebrius se obijceret, non teneretur cum certo vitæ periculo aliò deflectere. sufficit igitur in tali casu, vt eam circumspectionem adhibeat, quam pro tempore & loco potest, ne noceat. quòd si læsio vel mors secuta fuerit, non censebitur ab ipso intenta, sed solùm permissa. Nam vtitur iure suo, extremè sibi necessario, ea circumspectione, qua potest.

Si tamen infans sine Baptismo esset moriturus; eo euentu, lege charitatis teneretur potiùs se permittere occidi: quia salutem proximi spiritualem, suæ corporali tenetur anteponere

Dvbitatio X.

Vtrùm ad conseruationem vitæ matris liceat præbere pharmacum, quo proles putetur moritura.

Qvidam DD. sentire videntur, licitum esse dare pharmacum ad faciendum abortum, fœtus 60 *Sententia quorundã.*

fœtus nondum sit animatus, quando id necessarium putatur ad curationem matris periclitantis: secùs verò si sit animatus. Ita videtur sentire diuus Antoninus p.3.tit.7.cap.2.§.2.ex Ioane de Neapoli. *Medici*, inquit, *dando medicinas prægnantibus ad procurandum abortum, & mortem eius, vt occultetur peccatum, mortaliter peccant. sed si faciunt hoc ad præseruandũ prægnantem à periculo mortis, in quo est ex puerperio; tunc secundum Ioannem de Neapoli in* 10. *Quodlibeto, distinguendum est de puerperio: si enim erat animatum, dando talem medicinam, medicus peccat mortaliter; quia est causa mortis puerperij corporalis & spiritalis: si autem puerperium nondum est animatum, posset & deberet tunc dare talem medicinam*, &c. Eadé verba refert Siluest.v. Medicus. q.4. & Fumus v. Aborsus. num.2. Eamdem sententiam tenet Henriquez, & noster Sanchius lib.9.de Matrim.disput.20.n.6. & 10. Ratio est, quia in hoc casu fœtus est aggressor: nam veluti inuadit matrem, dum eius saluti periculum creat; sicuti praui humores inuadunt naturam. ergo simili ratione pelli potest, cùm nihil incommodi maioris momenti ex ea re sequatur. Melius enim est depellere partum nondum animatum, quàm extingui matrem. Secùs est cùm proles est animata. tunc enim esset directum homicidium innocentis. Confirm. quia ob salutem totius licitum est abscindere partem, vt infrà Dubit.14. dicetur. atqui fœtus est pars ventris, priusquam distincta anima informetur. L.1.§.1. π. de ventre inspiciendo.

Etsi hanc sententiam non damnem, tamen contraria mihi videtur omnino vera, si de directa intentione abigendi partus loquamur. Vnde

61 *Non licet directè procurare abortum.*

Respondeo & Dico Primò, Non licet ei præbere pharmacum eo animo vt faciat prolis abortionem, siue ante, siue post animationem. Ita Couarru. Clement. Si furiosus.p.2. §.3. num.1. & ceteri Doctores; est enim communis omniũ sententia, vt inquit Petrus Nauarr.l.2.c.3. nu.140. Probatur: Non licet post animationem; quia non potes directè occidere innocentem, vt alium seruues. vnde ei qui hoc fecerit cõstituitur pœna mortis. L. penult. C. de Sicarijs. & L. Diuus. 4 π. de Extraord. crimin. Neque etiam ante; quia procurare abortum propter sanitatem, est illicitũ; sicut procurare pollutionem ob eumdem finem: vtrumque enim est contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem. Confirmat Couarruuias ex Tertull. in Apol. c.9. *Nobis homicidio semper interdicto, etiã conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci. nec refert, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem. Homo est qui futurus est: nam fructus in semine est.* Item cap. Si aliquis. 5. de homicidio, dicitur, *eum qui fecerit vt mulier non possit concipere, vel generare, vel vt proles non possit nasci, vt homicidam tenendũ.* quia tamen verè non est homicida, non punitur morte, sed exilio, si est nobilis; ad metalla, si ignobilis, vt expressè habetur L. Si quis aliquid. 38. §. Qui abortionis. π. de Pœnis.

Dices, Quid si certa sit mors vtriusque, nisi adhibeatur tale pharmacum; & probabile sit matrem posse saluam conseruari illo adhibito?

Resp. Non refert; numquam enim licet ista directè procurare; vt patet in simili de pollutione, & de acceleratione mortis infirmi; quæ nullo casu procurari possunt. Imò est magis directè & propinquè contra naturam generationis, expellere fœtum, quàm procurare pollutionem; sicut fœtus etsi nondum animatus, longè propinquior est naturæ humanæ quàm semina nondum commixta. Deinde in pollutione solùm expellitur semen rude vnius generis; idque ex sede non vltima, sed instrumentaria; in abortu expellitur semen geminum, commixtum, elaboratum, idque ex sede primaria & finali à natura ad hoc destinata.

Dices, Pollutionem nullo casu esse licitam ob voluptatem coniunctam, quæ tanta est vt homines in ea locarent summum suum bonum, si aliquo casu permitteretur: ea autem voluptas non est in abortione. ita quidam Doctor.

Sed contrà: Primò, quia sic non tam Iure naturali, quàm positiuo diuino pollutio esset prohibita (quod est contra communem DD. sententiam) illa enim causa prohibendi est omnino extrinseca & remota, & etiam locum haberet in actu coniugali. Secundò, quia pollutio non est prohibita propter voluptatem, sed voluptas illa est prohibita ob pollutionem seu seminis inordinatam emissionem; tum quòd naturâ suâ incitet ad spermatismum, vt infrà lib.4.c.3. Dubit.vlt. dicetur; tum quia voluptas in ratione moris sequitur conditionem operationis ex qua resultat.

Ad rationem contrariæ sententiæ. Etiam semen simili modo inuadit quando abundantia vel retentio morbum creat; & tamen directè pelli non potest. imò proles animata multò magis inuadit quàm inanima, cùm sit robustior, & plus alimenti absumat, magisque naturam offendat. ergo si hæc directè potest depelli, etiam illa. Ad Confirm. Concedo maiorem; sed nego fœtum propriè partem esse. Lex illa citata non loquitur de fœtu inanimo tantùm, sed etiam animato. *Partus*, inquit, *antequam edatur, mulieris portio est vel viscerum.*

Quod ad Auctores illos tres primo loco citatos attinet, verba illorum sunt obscura, & solùm videntur velle dicere, licere dare medicinam talem quæ abortum faciat, non quidem directa intentione pellendi partus, sed curandi morbi; vt si necesse sit ad salutem matris mouere menses, aut detrahere sanguinem, licitum est hæc intendere, etsi certissimè inde sequatur abortus. Si tamen partus est corruptus, tunc liceret directè abigere ob matris salutem quia non habet ampliùs rationem fœtus aut puerperij, sed molæ aut malignæ massæ.

Dico Secundò, Si mater periculosè laboret, & 62 *Licitum indirectè.*
non supersit aliud remedium, potest ei præberi pharmacum directè tendens in curationem, etiamsi putetur inde abortio secutura: modò proles nondum sit animata. Est communis sententia DD. Siluestri v. Medicus, q.4. Anton. 3.p.t.7.c.2. §.2. Nauarr. cap.25.n.62.

Probatur Primò, Quia mater ante prolem conceptam ius habebat vtendi remedijs necessarijs ad vitæ suæ conseruationem, quod ius superuentu prolis non est ei ablatum.

Secundò, Quia abortio tunc censetur solùm permissa, non procurata; quia præter intentionem superuenit, matre suo iure vtente: sicut si valetudinis causa vtendum sit medicamento, vel certo cibi potúsve genere, vnde pollutio secutura pute-

putetur, quam nullo modo intendis, censebitur solùm permissa, & per accidens eueniens.

63 Dico Tertiò, Si proles iam sit animata, non est licitum præbere matri medicamẽtum directè curatiuum, cum notabili periculo prolis; si certum erat, vel valdè probabile, prolem sine illo viuam edendam. est contra Cordubam q.38. dub.2. & Ludouicum Lopez cap.63. Sed nostram sententiam docent D. Anton. Nauar. & alij suprà. Ratio est; quia quilibet tenetur præferre salutem æternam proximi, suæ vitæ corporali, & hanc pro illa exponere; ergo si matre à medicamento abstinente, proles ad Baptismum seruari potest, alioquin ante Baptismum moritura; tenetur mater abstinere, quamuis cum certo vitæ discrimine id futurum esset. Adde tamen, si valdè probabile esset,
64 non adhibito remedio vtrumque moriturum; eo verò adhibito saltem matrem posse seruari; eo casu licitè posse hæc remedia adhiberi.

Petes, Quando proles animatur anima rationali?

65 Resp. Couarruuias suprà putat mares animari
Animatio prolis. die 40.à conceptu, feminas 80.& ita communiter sentire DD. Sed nulla videtur ratio, cur tanta sit discrepantia inter marem ac feminam. Itaque verius est, vtrumque fœtum animari simul atque fuerit formatus. Nam Exod. 21. iuxta versionem LXX. dicitur: *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima: si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia.* vbi apertè insinuatur fœtum habere animam, simulatque formatus fuerit. idem docent Medici. Quoto autem die formatio absoluatur, docet Læuinus Lemnius cap.11. citans Hippocratem lib.de natura fœtus, *maris formationem absolui aliquando die* 30. *aliquando* 35. *aliquando* 40. *aliquando* 45. *feminæ verò, nunc* 35. *nunc* 40. *nunc* 45. *nunc* 50. Verùm Hippocrates id non docet. nam lib. de natura fœtus, n.10. docet, masculum, vt longissimè, 30. diebus formari; feminam, vt longissimè, 42. diebus. idque duobus locis eodem lib repetit. & probat ex purgatione, quæ post masculi partum durat diebus 30. post feminæ 42. vt diutissimè.

Dvbitatio XI.

Vtrùm liceat occidere furem, in defensionem suarum facultatum.

COuarruuias in Clement. Si furiosus, p. 3. §. vnico, n.6. putat id esse licitum. Primò, Si sit fur nocturnus; eò quòd præsumatur animo occidendi veniisse. Secundò, Si sit fur diurnus, & telo se defendat, dum possessor vult impedire ne rem auferat. Ratio est; Quia in his duobus casibus miscetur periculum personæ cum periculo rei familiaris. Tertiò, Non esse licitum, si cum re fugiat; quia non miscetur periculum personæ.

Alij putant id absolutè esse licitum laicis, non tamen Clericis.

66 Resp. & Dico Primò, Laicis id esse licitum, si
Laicis licet. illæ facultates sint magni momenti; nec sit probabilis spes aliter illas recuperandi. est communior sententia DD. Antonini 3.p.tit.4. cap.3.§.2. (vbi docet non solùm pro rebus suis quemque posse defensionem suscipere, vim vi repellendo; sicut pro sua persona: sed etiam pro rebus apud se depositis vel commodatis, & pro rebus amicorum, eos adiuuando) Caietani q.67.art.7. Silvest. Homicidium. 1.num.5. Ioannis Medinæ Cod. de Restit.q.4. Soti lib.5. q.1.art.8. & multorum aliorum DD. Idem tenent plerique Iurisperiti, teste Silvestro & Couarruuia.

Probatur Primò ex Scriptura Exodi 22. vbi dicitur *non fore reum sanguinis, qui furem nocturnum occiderit, sed qui diurnum.* quod non ideò tantùm dicitur, quòd nocturnus præsumatur venire ad occidendum, diurnus minimè: sed potissimùm ideò, quòd ea quæ noctu surripiuntur, ordinariè non possint recuperari, fure ignoto: vt rectè docet Ioannes Medina Cod. de Restit.q.4. Ea verò quæ interdiu, plerumque possunt. Hinc qui furem diurnum, non se telo defendentem interficeret, non excusaretur ab homicidio in foro externo; in foro tamen conscientiæ excusaretur, si non erat probabilis spes recuperandi; vel si recuperatio non erat certa, sed dubia, vt Sotus ait: quia non tenetur res suas perdere, aut probabili periculo exponere, vt fur saluus sit.

Secundò probatur ex Iure Canonico. Primò, ex cap. Interfecisti.2.de Homicidio; vbi ex Pœnitentiali Romano dicitur: *Si autem sine odij meditatione, te tuaq; liberando, huiusmodi diaboli membra interfecisti; si aliquid ieiunare volueris, bonũ est tibi, & eleëmosynas fac largiter.* Vbi indicat, nõ esse necessariam pœnitentiam, ac proinde hoc licitum fuisse; hortatur tamen ad eleëmosynas, ad cautelam, ne fortè modum excesserit. Secundò, Ex cap. Olim.1.de restitut. spoliatorum. vbi Innocentius III. approbat, quòd Episcopus Tridonensis, Templarios, qui ipsò ignorante possessionem occupauerant, vim vi repellendo eiecerit. Tertiò, Ex
67 cap. Dilecto.6. de sententia excom. in 6. *Cùm omnes leges, omniaque Iura, vim vi repellere, cunctisque sese defendere permittant, licuit vtique ipsi Decano (si prædictus Balliuus eum bonis suis mundanis iniuriosè spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit) contra illius violentiam iniuriamque se tueri.*

Tertiò probatur ex Iure ciuili, L. Furem. 9. ff. ad L. Cornel. de sicariis, & L. 4. ff. ad L. Aquiliam.

Quartò, Ratione. 1. Quia bona temporalia sunt ad vitam seruandam necessaria: ergo sicut licet vitam tueri; ita etiam hæc, quæ vitæ sunt necessaria, non solùm præcisè vt viuamus; sed etiam vt conuenienter & honestè viuamus. 2. Quia alioqui daretur occasio furibus & latronibus viros probos spoliandi; nihil enim ab illis esset tutum, si defensio necessaria non posset objici. concessa autem defensione, etiam concessa censetur occisio, sine qua sæpè non potest esse defensio.

Dixi in propositione, *Si res illæ sint magni mo-* 68
menti; quia pro re minima, non videtur concessum Ius defensionis cum tanto alterius malo. est enim valdè iniquum, vt pro pomo, vel etiam vno aureo seruando, alicui vita auferatur. Si tamen tibi verteretur probro, nisi rem furi extorqueas, posses conari, & si opus esset etiam occidere, iuxta Sotum; tunc enim non tã rei quàm honoris esset defensio.

Dixi, *Nec sit probabilis spes aliter recuperandi,* 69
quia si possit aliter recuperari, (v.g. per Iudicem) sæpè erit saltè contra charitatem, pro illius defensione occidere: vt si fur re ablata fugiat. quòd si *Si fur fu-* non fugiat, sed vi se velit tueri contra eum qui ni- *velit tue-* titur furtum impedire, poterit vicissim illa vis vi *ri.*

repelli,quantum necesse est,vt res salua sit; (vt fatetur Couarr.& alij) etiamsi res per Iudicem recuperari possit: quia non dictat charitas,vt patiar res meas in mea præsentia capi, vtque tantæ furis improbitati non resistam. Ratio est; quia hoc faciendo magnam contumeliam infert, quæ vi repelli potest. Confirmatur ex cap. Olim.suprà. vbi Innocentius III. docet, licitum fuisse Episcopo,vi eijcere iniustum occupatorem possessionis; & tamen facilè iudicio potuisset recuperari. Idem docet Siluester verbo Bellum. 2. num. 3. vbi dicit: *Quando res per viam iudicij potest rehaberi,nõ licet eam defendere, nisi dum est in ipso rapi.* intellige, dum raptor adhuc præsens est, nitens alterũ possessione naturali ipsius rei spoliare, etsi eum præsentem videat;hoc enim est magna contumelia.

70 Idem dicendum, quando in iudicio non potest nisi magnis molestijs recuperari.

Si fugiat. Petes, An sit contra iustitiam, si furem procul fugientem conficias, quando res iudicio est recuperabilis.

71 Resp. Verius videri,non esse,vt docet Caietanus art.7.& colligitur ex dictis:quia quisque ius habet defendendæ suæ possessionis, etiam ciuilis; quam retines,quamdiu furem habes in conspectu. vnde potes eam tueri. erit tamen contra charitatem, quæ postulat vt cum quàm minimo malo proximi, rem tuam salues.

72 Dico Secundò, Idem licitum Clericis pro defensione rerum suarum. ita expresè D. Antoninus suprà: vbi docet omnibus concessam esse defensionem rerum, quibus concessa defensio vitæ. Idem tenent reliqui suprà. & colligitur euidenter ex cap. Olim.& cap.Dilecto,suprà. Nam ibi conceditur Episcopo & Decano. Ratio est; quia Iure naturæ id illis est concessum, neque Iure humano illis est prohibitum sub peccato:ergo, &c. Vnde idem Ius extenditur ad Religiosos, secũdùm prædictos DD.Neque obstat cap.Suscepimus,de homicidio; quia illi duo fratres Benedictini non iudicantur ibi peccasse, & esse irregulares, quòd res suas moderatè defenderint; sed quòd occasionem dederint homicidio, latrones captos ligando, & cùm se soluere vellent occidendo; cùm sine occisione se suaque salua habere possent.

Idem concessum Clericis,

& Religiosis.

75 Vtrùm autem Clericus vel laicus sit irregularis, qui ob defensionem rerum suarum occiderit, alibi dictum est. Nunc breuiter dico, laicum non esse. Idem probabile est de Clerico, si id fecerit cum debito moderamine. Cur enim fiat irregularis ob id,quod (vt habetur cap.Dilecto.6.de sent. excom. in 6.) omnes leges & omnia Iura ei permittunt? Confirm. Quia occisio, priuata auctoritate facta, non inducit irregularitatem defectu lenitatis, sicut cùm fit publica auctoritate à Iudice eiusque ministris; sed ratione culpæ. Vnde cùm absit culpa,non debet censeri irregularis. Vide Sotum l.5.q.1.a.8.Couarru. Clem. Si furiosus.3.p. §.vltimo. idem postremò egregiè defendit noster Suares in præclaro Opere suo de Censuris.

Varij modi inuadendi rem alienam. Sed difficultas est, quousque se extendat hæc defensio. quare Notandum est, variis modis posse rem meam inuadi.

Primò, Si per te nitaris auferre,teque defendas contra impedientem. In hoc casu est communis sententia,posse interfici. & fatetur Couar.

74 Secundò, Si re accepta fugias. Tunc possum insequi,& ferire; vel si necesse sit,eminus telo petere, vt si quis equo meo fugiat. ita Sotus sup.a.8. Siluester v. Bellum. 2.n.3.& 10. & alij passim.

Probatur Primò, Quia inuasio rei durat, donec se in tutum receperit,vbi quietè possidere incipiat.

Secundò, Quia nisi id esset licitum, defensio rerum maxima ex parte esset inutilis;possent enim fures quidlibet rapere,& statim fuga se proripere; in fuga enim essent tuti.

Tertiò, Si re certo loco deposita, volentem in- 75
gredi in eum locum, vi impedias. Tunc videtur *Si intrare volentem impedias.*
concessum vt vim vi repellam, meamque rem vi recuperem: si tamen desit Iudex, cuius ope id possum consequi. ita Siluester v.Bellum.2. num.13. & Panorm.in cap. Sicut.3.de Iureiurando. Idem sentiunt multi DD.fieri posse, quando quis nulla mora interposita rem suam persequitur. D. Antoninus suprà.Siluest.v.Bellum.2.num.10.Ioannes à Lignano, cuius verba citantur ab Anton. Siluestro, Fumo, & alijs, quibus docet, *Si vi possideas rem meam,posse me eam recuperare in cõtinenti; nec posse te mihi resistere; secùs si id tentem ex interuallo.Si possideas precariò, & ego eam velim mihi restitui; si deneges restitutionem, posse me ex continenti vim tuam repellere. Nam denegando, videris spoliare. Si possides rem meam clandestinè, posse me domum tuam ingredi; quod si me nolis admittere,posse me vim tuam repellere.* Verùm puto hæc non concedenda,si res per Iudicem possit recuperari,vel si maior perturbatio metuenda.

Quartò, Si inuadas res meas per famulum, vel arte magica per dæmonem; nec alia ratione,quàm nece tua possit impediri.

Quintò, Si coniuraueris in mea damna.

Sextò, Si impedias iniquè meos creditores, ne mihi satisfaciant.

Septimò,Si falsa accusatione, vel falso testimonio, me fortunis coneris euertere; nec alia ratio impediendi suppetat.

Sed de his modis satis constat ex dubit. 8. & rursum aliquid dicetur dubit.12.

Dvbitatio xii.

Vtrùm pro defensione pudicitiæ & honoris liceat occidere eum qui tentat violare.

Resp. & Dico Primò, Licitum est mulieri, 76
adolescenti, & cuiuis alteri, pro defensione *Pro pudicitia.*
pudicitiæ occidere inuasorem.Est communis sententia DD.quamuis D.August. l.1.de libero arbitrio c.5.videatur dubitare.Ratio est;quia pudicitia pluris meritò æstimatur, quàm multæ opes: præterquã quòd in hac re sit periculum peccati. Idem Ethnici senserunt. Nam vt scribit Cicero Oratione pro Milone, adolescens, qui tribunum occiderat, volentem vim inferre eius pudicitiæ, à Mario exercitus Imperatore absolutus fuit.

Dico Secundò, Fas etiam est viro honorato oc- 77
cidere inuasorem, qui fustem vel alapam nititur *Pro vitan-da ignominia.*
impingere, vt ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Ita docet expresè Sotus art.8.Nauarr.cap.15.num.3.& Siluest.verbo Homicidium.1.quæst.5. & Ludouicus Lopez c.62. Antonius Gomez.to.3.cap.3.nu.23.Iulius Clarus §.Homicidium n.26.vbi dicit *periculũ famæ æquiparari periculo vitæ.* Ratio est; quia hic conatur auferre honorem, qui meritò pluris apud homines

æstima-

æstimatur, quàm damnum multarum pecuniarum; ergo si potest occidere, ne damnum pecuniarum accipiat, potest etiam ne hanc ignominiam cogatur sustinere.

78 *Varij modi impetendi honoris.*

Notandum est, varijs modis honorem alterius posse impeti & auferri, in quibus videtur concessa defensio.

Primò, Si baculum vel alapam nitaris impingere. de quo iam dictum est.

Ad depellendam contumeliam.

Secundò, Si contumelijs afficias, siue per verba, siue per signa. Hìc etiam est ius defensionis. Nam, ex sententia omnium, licet contumeliosum occidere, quando aliter ea iniuria arceri nequit, (quamquam ipse armis non inuadat) ait Petrus Nauarr. lib. 2. cap. 3. num. 376. Etsi autem id non inueniam apud Auctores expressum, tamen videtur ex illis posse colligi (præciso scandalo, & alijs grauibus incommodis) quando contumeliæ sunt atroces, & alia ratione vitari nequeunt. Ratio enim naturalis dictat, licitam esse eam defensionem, quæ necessaria sit ad contumeliam depellendam & comprimendam: alioqui daretur licentia improbitati, optimos quosque contumelijs vexandi: quæ tamen multò quàm damna rei familiaris sunt acerbiores, magisque mordent animos. Cauenda tamen vindictæ libido. Non enim licet priuata auctoritate contumeliam vindicare, sed tantùm compescere. quod etiam in vitæ & rerum defensione seruandum: tanti interest quo animo quid agas. Verùm hæc sententia non est sequenda. Satis enim esse debet in Republ. vt iniuriæ verbales verbis repelli, & legitima vindicta comprimi & castigari possint.

79 *Ad alapam vitandam.*

Tertiò, Si illata alicui alapa, cesses, vel etiam fugias; multi DD. censent in hoc casu, si vir nobilis vel honoratus huiusmodi iniuria sit affectus, posse statim repercutere, vel fugientem insequi, & tantùm infligere verberum vel vulnerum, quantum putatur necessarium ad honorem recuperandum. ita tenet Nauarr. cap. 15. num. 4. Henriquez de Irregularitate cap. 10. vbi citat multos pro hac sententia: inter ceteros Iasonem, Cordubam, Mantium, Pennam, Clarum, Caietanum, & Antoninum. eamdem docet Petrus Nauar. lib 2. c. 3. num. 380. & citat pro hac sententia Mercatum. Idem tenet Victoria, relect. de Iure belli num. 5. vbi dicit, *eum, qui colaphum accepit, posse statim repercutere, etiam gladio; non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam & ignominiam, etiamsi iniusor non esset vlteriùs progressurus.* Vnde sequitur, si ille fugiat, posse læsum statim insequi & percutere. si enim potest repercutere manentem, cur non fugientem?

Probari potest hæc sententia, Primò, Qui rem meam accepit & cum ea fugit, potest à me percuti, vt eam relinquat, vel reddat, si aliter nequit recuperari. atqui is qui illata graui ignominia fugit, honorem meum quodammodò secum defert: nam in potestate illius est eum mihi restituere, offerendo satisfactionem: ergo possum illum percutere, vt honorem meum restituat, vel saltem vt eum sic recuperem.

Dices, Est dispar ratio; nam res adhuc extat, & manet tua; sed contumelia illata, honor iam perijt: ergo hìc non est defensio.

Resp. In eo est paritas, quòd sicut res potest recuperari; ita etiam honor, qui in signis excellentiæ & hominum æstimatione consistit.

Secundò probatur; Quia si damnum à te rebus meis illtum, non posset alia ratione sarciri, quàm tui percussione, posses statim percuti, vt illo modo fiat damni reparatio: ergo si violato honore, non potest fieri aliter reparatio, quàm si feriatur is qui eum læsit, poterit feriri. debet autem hoc fieri in continenti, dum adhuc læsio honoris veluti pendet, suspensis hominum de tua fortitudine & generositate iudicijs.

Tertiò, Quia aliàs dabitur licentia improbis, quoduis genus contumeliæ in quemuis ingerendi: nam sola fuga vel cessatione tuti erunt; præsertim quando desunt testes, qui eos norint, vel quando non morantur in eodem loco.

Hìc tamen aduerte, si læsor veniam petat, offendi non posse; quia quantum in se est, honorem restituit. vnde si alter velit ipsum impetere, poterit se tueri, vt rectè notat Petrus Nauarra.

Ob has rationes hæc sententia est speculatiuè probabilis; tamen in praxi non videtur facilè permittenda. Primò, Ob periculum odij, vindictæ, & excessus: si enim D. Augustinus ob has causas ægrè admittit, vt quis pro vita tuenda alterum possit occidere; quantò minùs in tali casu, ob honorem tuendum concederet? Secundò, Ob periculum pugnarum & cædium. vnde qui tali casu occideret, puniretur in foro externo, vt docet Gomez. supra n. 24. etsi mitiùs; tum quia alter dedit causam; tum quia homo intenso dolore permotus, non est omnino sui compos. 80

Quartus modus est, *Si nomini meo falsis criminationibus apud Principem, Iudicem, vel viros honoratos detrahere nitaris, nec vlla ratione possim illud damnum famæ auertere, nisi te occultè interficiam.* Petrus Nauar. num. 375. inclinat, licitum esse, talem è medio tollere. Eamdem tamquam probabiliorem defendit Bañes q. 64. art. 7 dub. 4. addens, idem dicendum, etiamsi crimen sit verum; si tamen est occultum, ita vt secundùm iustitiam legalem non possis pandere, idem tenent quidam alij recentiores. Probari potest, 81 *Ad vitandam infamiam.*

Primò, Quia si baculo vel alapa impacta velis meum honorem vel famam violare, possum armis prohibere: ergo etiam, si id coneris lingua. nam parum videtur referre, quo instrumento quis nitatur inferre noxam, si æquè efficaciter nocebit.

Secundò, Quia contumeliæ possunt armis impediri; ergo etiam detractiones.

Tertiò, *Periculum famæ æquiparatur periculo vitæ.* quod est commune pronuntiatum Iurisperitorum, inquit Clarus nu. 26. atqui ob periculum vitæ euadendum, licitum occidere; ergo, &c.

Quartò, Quia Ius defensionis videtur se extendere ad omne id quod necessarium est, vt te ab omni iniuria serues immunem. monendus tamen detractor priùs esset, vt desisteret.

Verùm hæc quoque sententia mihi in praxi non probatur; quia multis occultis cædibus cum magna Reip. perturbatione præberet occasionem. In Iure enim defensionis semper considerandum, ne eius vsus in perniciem Reipub. vergat: tunc enim non est permittendus. Accedit, quòd etsi speculatiuè vera esset, tamen vix in praxi posset habere locum. Nam infamia vel est illata, vel non est. Si est illata; non extinguetur per mortem infamantis. Si non est illata; plerumque non satis constat, aliter non posse eam impediri: ac proinde non poterimus eo modo defensionis vti. 82

83 *Si prouocer ad duellum.* Quintus modus est, Si aliqua occasione me prouoces ad duellum, & nisi acceptem, censebor ignauus & meticulosus; nec potero ampliùs in aula comparere, vel vllam promotionem militarem sperare, vt in quibusdam aulis Principum dicitur vsitatum. Cur enim tali euentu non possim duellũ acceptare: non equidem animo illum interficiendi, sed comparendi in loco condicto, ne famam & opinionem strenuitatis (quæ nobilibus æquè est chara atque ipsa vita) amittam? ita tamen vt si me inuaseris, statuam me tueri cum debito moderamine. Confirmatur Primò, quia si quis mihi velit adimere vitam vel bona, nec possim aliter ea tueri nisi acceptando duellum, possem acceptare: vt patet dub.8. cur non etiam vt seruem meum honorem & famam?

Dices, Recusare duellum non est dedecus apud sapientes, sed tantùm apud stultos: ergo, &c. Respondetur, Quidquid sit, est tantum dedecus, vt passim apud nobiles pluris æstimetur quàm omnium bonorum amissio; imò sæpè quàm mors ipsa: ergo iure naturæ possunt hoc dedecus à se depellere, etiam cum vitæ periculo.

Confirmatur Secundò, Quia acceptare duellũ, & comparere tali loco, non est intrinsecè malum, sed quiddam adiaphorum, quod benè & malè fieri potest: ergo si iusta causa subsit, poterit licitè fieri. at conseruatio honoris, qui tanti æstimatur, est iusta causa: ergo, &c.

84 Hæ rationes videri possint alicui probabiles. Nihilominùs in praxi contrarium sequendum sentio, tum ob alias causas: tum etiam, quia Ecclesia sub grauissimis pœnis vetuit duella, vt patet ex Conc. Tridentino sess. 25. c. 19. de reformat. quod meritò potuit, ob maxima mala, quæ alioquin sequerentur; tum denique, quia is qui duellum offert, non nititur me spoliare meo honore: sed si honoris amissio sequi videtur, id solùm est per accidens & ex consequenti, aliaque ratione impediri potest. Primò, Si dicat se paratum fore, si per Ecclesiæ decreta liceret. Secundò, Prouocantem experturum, quicum negotium habeat, si palàm & non proditoriè aggressus fuerit.

85 *Non tenetur fugere, si fuga sit dedecori.* Dico Tertiò, Qui fuste vel pugno inuaditur, non tenetur fugere, si fuga illi esset ignominiosa, sed potest sistere gradum, cum animo se defendendi, & ignominiam impediendi. ita cõmuniter DD. Ratio est; quia non tenetur sustinere illam ignominiam, (quæ pluris æstimatur, quàm multæ pecuniæ iactura) ne lædat inuasorem. Idem dicendum, quando vita vel fortunæ inuaduntur. *Tenetur, si non sit.* Quòd si fuga non sit illi ignominiosa; tenetur fugere, vel alapam sustinere, (saltem lege charitatis) vt tantum malum euitetur. Vnde Ecclesiastico vel Religioso non liceret se tueri cum morte alterius, ad alapam vitandam; maximè quando fugere posset, quia fuga illis non est ignominiæ.

86 *Non tamen peccabit contra iustitiam.* Vtrùm verò si Religiosus nolit fugere, sed se tueri, peccet contra Iustitiam, lædendo vel occidendo inuasorem, quæri potest. Puto non peccare contra iustitiam, maximè si vita vel fortunæ inuadantur. non enim ex iustitia tenetur fugere: & hæc bona talia sunt, vt possit ea defendere. Idem dicendum, si graues ictus baculi vel pugni inferendi; quia vt hos auertat, potest se tueri. Ita Iulius Clarus, de homicidio, nu. 32. vbi generatim docet, inuasum non teneri fugere, etiamsi possit: siue fuga sit dedecori, siue non; dicitque esse communem opinionem Iurisperitorum. quod intellige, non ita teneri, vt peccet contra iustitiam, si se defendat. videtur tamen peccare contra iustitiam, si ob leuem alapam vitandam occidat: quia res, quam defendit, magni momenti non censetur: ac proinde non videtur ei esse Ius, causa illius retinendæ, tantum malum irrogandi.

Dvbitatio xiii.

Vtrùm pro defensione alterius liceat occidere inuasorem, & an ad hoc teneamur.

87 *Pro defensione proximi.* Dico Primò, Posse nos vitam proximi, quæ ab alio priuata auctoritate impetitur, tueri, etiam cum interfectione inuasoris, si aliter defendi nequit, est cõmunis DD. vt docet Clarus §. Homicidium, n. 27. & 28. Probatur Primò, quia sicut quisque potest tueri vitam suam; ita etiam proximi, qui charitatis & naturæ nexu ipsi est coniunctus. Secundò, quia talis censetur innocens, etsi fortè inuasioni causam dederit; nam iniustè inuaditur: atqui licitum est defendere causam innocentis; imò charitas ad hoc obligat, quando sine graui incommodo nostro vel alterius id fieri potest. idque verum est, etiamsi ille nollet defendi, 88 *Etsi volit occidi.* sed vellet se pati occidi: quia cùm non sit dominus suæ vitæ, non potest eam alteri donare; ac proinde non potest alijs Ius defensionis adimere.

Idem dicendum de pudicitia, honore, & fortunis proximi, si sit sanguine iunctus, vel opem nostram flagitet: vt docet D. Antoninus, 3. p. titul. 4. c. 3. §. 2. & alij passim. Iniuria enim, quæ fit personæ nobis coniunctæ, in nos redundat. Vnde pater potest tueri pudicitiam honoremque filiæ, & maritus vxoris, etiamsi ipsæ nolint; & occidere inuasorem, quia iniuria in ipsum redundat.

Dices, Ergo maritus etiam vxorem volentem 89 *Maritus vxorem.* adulterari poterit occidere, si aliter tantam iniuriam prohibere nequit. Respondeo negando consequentiam: dum enim occidit inuasorem pudicitiæ vxoris, defendit rem suam, nempe corpus vxoris, vt illud sibi saluum conseruet: occidendo autem vxorem, non defendit rem suam, sed eam interimit.

Dices, Defendit honorem, vxor enim marito magnam facit contumeliam, si in eius conspectu tantum nefas tentare audeat.

Resp. Id minore damno prohiberi posse, ferendo illam pugno vel baculo, vel ipsum adulterum armis abigendo.

Dico Secundò, Nemo tamen tenetur tueri vitam hominis priuati, cum probabili periculo vitæ 90 *Non tenetur cum periculo vitæ.* suæ, etsi iure possit, si velit. Ratio est, quia non teneor exponere vitã meam pro vita corporali proximi: possum enim vitam meam diligere præ vita cuiusuis alterius priuati. Vnde neque pro defensione parentis, quamuis id esset valdè laudabile. Secùs est, si persona Principis, vnde pendet boni publici conseruatio, periclitetur.

Dices, Quid si ex officio teneatur defendere, vt Prætor, Magistratus, Princeps? Siluester, Homicidium. 1. quæst. 6. indicat, tunc cum periculo vitæ teneri. Sed contrarium est verius. non enim officium obligat, vt pro homine priuato vitam exponat, sed tantùm vt pro bono publico, cuius pro- 91 *Obligatus ex officio defendere.* priè & directè est custos. vnde cum periculo vitæ tene-

tenetur hostes Reipub.& latrones è medio tollere: non autem causam priuati cum eodem discrimine persequi.

92 *Non tenetur priuatus cum morte inuasoris tueri alterum.*

Dico Tertiò, Priuatus non tenetur tueri vitam alterius priuati, quando non potest sine occisione inuasoris. Ratio est; quia vbi mala sunt paria, nemo tenetur alterum inferre, vt excludat alterum, præsertim cùm id fieri nequeat, nisi horrendo illo modo occisionis proximi. Vnde etiam nemo tenetur tueri vitam suam per mortem alterius. Adde, si inuasor sit parens tuus, non potes illum occidere, vt defendas alterum: id enim repugnat pietati filiorum in parentes. idem,& potiori ratione, si Princeps; præsertim si aliàs in gubernatione Reipubl. benè se gerat. Sed difficultas est, An teneamur vitam proximi tueri vel liberare cum iactura facultatum, & quousque. qua de re dictum est q.32.a.5.dub.1.de eleëmosyna.

93 *Omittens defensionem.*

Dico Quartò, Qui non defendit vitam vel fortunas proximi, dum commodè potest, peccat quidem mortiferè contra charitatem; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ex iustitia teneatur defendere. Prior pars per se patet. Altera probatur; quia peccata, quæ solùm sunt contra charitatem, non obligant ad restitutionem. Tertia probatur; quia qui lege iustitiæ tenetur, si omittat, peccat contra iustitiam; & consequenter tenetur ad damnum ex omissione illa secutum. Sicut enim dum quis committione peccat contra iustitiam, tenetur ad damnum ex committione illa secutum; ita etiam dum omissione, tenetur ad damnum secutum ex omissione.

94 *Lege iustitiæ qui defendere teneantur.*

Petes, Quinam tenentur lege iustitiæ alios defendere? Nauarrus cap.24.num.18. putat omnes Superiores ad hoc teneri erga inferiores, & inferiores erga Superiores. Sed verius est, ad hoc obligari, Primò, omnes Superiores publica auctoritate ad aliorum gubernationem præditos, idque iuxta modum & finem gubernationis cuiusque; vt sunt Principes, Prætores, Magistratus: item Episcopi & Parochi. nam & hi quoque ex officio ad hoc obligantur secundùm modum suæ potestatis, & media suæ gubernationis; sed in ordine dumtaxat ad spiritalia, v.g. ne subditi doctrina praua inficiantur, ne Sacramenta eis denegentur. Secundò, qui ad hoc potestate Magistratuum vel Principum sunt constituti: vt tutores,& curatores. Tertiò, qui ad hoc specialiter conducti, vt milites. Quartò, qui ad hoc se explicitè vel implicitè obligarunt, vt feudatarij, & omnes famuli. Alij non videntur obligari ex iustitia. Nam parens non tenetur defendere vitam & fortunas filiorum lege iustitiæ, sed pietatis & officij paterni. similiter filij non tenentur parentum vitam defendere lege iu-
95 stitiæ, sed pietatis filialis. Vnde si non faciunt, peccant contra præceptum, *Honora patrem.* Pari ratione, parochiani non tenentur Episcopum & Parochum lege iustitiæ defendere (quia hoc officium non susceperunt) sed lege obseruantiæ. Et subditi, qui neque sunt feudatarij, neque stipendiarij, non tenentur Magistratum vel Principem defendere lege iustitiæ particularis, sed legalis, & etiam obseruantiæ; quamuis Princeps & Magistratus eos ex iustitia defendere teneantur.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm aliquando licitum sit se mutilare, & quibus euentis.

D. Thom. quæst. 65. art. 1.

SVppono Primò, Potestati publicæ licitum esse 96 mutilare malefactores, sicut & occidere.

Secundò, Licitum esse se mutilare, quando id necessarium est ad corporis salutem, vt si cancer membrum occupet, si vipera vel aspis momordit, nec aliud remedium præstò sit. Ratio est; quia membra sunt ob bonum totius: ergo quando aliquod membrum est toti corpori pernicioſum, Ius naturæ dictat posse secari.

Vbi aduerte, hominem teneri permittere sibi membrum secari, si medici id iudicent necessarium, nec magni dolores sint perferendi: vt docet Sotus lib.5.quæst.2.art.1. Ratio est, quia tenetur vitæ suæ periclitanti, medijs ordinarijs non admodum difficilibus opitulari. si tamen ingentes essent cruciatus tolerandi, non tenetur permittere, neque etiam potest ad hoc cogi. Ratio est; quia non tenetur quisquam cum tanto cruciatu vitam incerto euentu conseruare. Vnde Marius, cùm ei crus aperiretur, ait: *Non est tanto dolore digna salus.* Excipio tamen duos casus. Primò, Quando vita alicuius censetur bono communi necessaria: tunc enim ob bonum publicum tenetur, & posset cogi à Republica. Secundò, Si esset Religiosus, 97 qui se totum constituit in potestate sui Superioris. quamuis de hoc dubitari possit, quia non videtur Superior rem tam heroïcam inferiori imperare posse. Ita docet Salonius in hunc articulum. & hoc videtur probabilius. Nisi fortè ille Religiosus esset necessarius Reipubl. vel communitati, & salus esset omnino certa (quod rarum est) & dolores non nimis diuturni. *Secare membrum.* *An possit imperari Religioso.*

Difficultas supereſt de duobus casibus: prior est, Vtrùm ob animæ salutem, v.g. ad carnis tentationes vitandas aut superandas, liceat se mutilare. alter est, *De duobus euentis.*

Vtrùm iubente tyranno possis tibi manum abscindere, si alioquin mox esses interficiendus.

Ad priorem Respondeo, Id numquam licere, 98 vt patet can.22. Apostolorum,& can.1. Concilij Nicæni: vbi id expresè cauetur. Ratio est; quia id numquam est medium necessarium ad animæ salutem. non enim membra adferunt homini perniciem, (alioquin Deus prauè naturam instituisset) sed malitia & negligentia liberæ voluntatis. Vnde qui ob hanc causam membrum aliquod secant, tacitam quamdam iniuriam & blasphemiam Deo irrogant. Adde, neque etiam esse conueniens remedium vel vtile. quia abscissio seu castratio (de qua præcipuè est quæstio) non tollit tentationes carnis, sed solùm impedit generationem: quin potiùs illi qui castrantur, præsertim in virili ætate, magis incitantur libidine, vt docent Patres: Basilius libro de Virginitate, circa finem; vbi id probat rationibus & exemplis: & Chrysostomus homil.63. in Matthæum, & Augustinus libro 6. contra Iulianum cap.5. Vnde passim reprehenditur Origenes, de quo vide Euseb.lib.6. hist.c.6.& fusè apud Baronium tom.2. Annalium, ad annum Domini 208. *An ob salutem animæ possit se mutilare.* *Origenes.*

Dices, D. Marcus dicitur sibi pollicem præ- 99 *D. Marcus.*

scidisse ex humilitate, ne cogeretur sacris initiari: ergo ob similem casum licebit. Respon. Hunc non fuisse Marcum Euangelistam, vt rectè docet Baronius Tom. 1. ad annum 45. sed alium quemdam Marcum anachoretam; qui nisi diuina inspiratione id fecerit, vel ignorantia probabili excusetur, laudandus in eo non est. Tali inspiratione putatur fecisse adolescens ille, qui linguam mordicus sibi præcidit, & in faciem meretricis, vt se ab eius impuro contactu tueretur, (cùm aliter non posset) expuit: de quo Hieronymus in Vita Pauli, in principio. quamuis etiam sine peculiari inspiratione eam cruentare, vel exiguâ particulâ ob hunc finem mutilare potuerit; cùm alia ratio defendendi

100 non suppeteret. Sic miles in extrema necessitate posset sibi dentes excutere, iisque loco plumbeæ glandis vti; quod aliquando factum à Lusitanis, in historijs Indicis legimus.

An iubente tyranno, vel casu vrgente.

De secundo casu, Sotus suprà dicit, quando necessitas abscindendi membri venit ab intrinseco, vt à morbo, vel saltem quando id per se est necessarium ad salutem corporis (vt si esses manu alligatus intra ædes, accedente incendio, vel hoste) posse te manum tuam præscindere: quia id per se est necessarium vt vita sit salua: non autem, quando prouenit ex alterius imperio.

101 Sed probabilius & verius videtur, etiam tunc licere, vt quando tyrannus vel iudex hoc imperaret. Sicut Iosephus Clitoni auctori rebellionis cuiusdam imperauit, vt mox sibi manu abscinderet, vt refert ipse Iosephus l. 2. de bello Iudaico, c. vlt. ita Toletus lib. 5. cap. 6. etsi hoc factum non benè narret, memoria fallente.

Probatur Primò, Quia pars naturaliter est propter totum: ergo ad conseruationem totius, licitum est auctoritatem habenti, partem è medio tollere: atqui quisque habet hanc auctoritatem respectu suorum membrorum; quia est gubernator & custos eorum, potestque de illis disponere vt expedit saluti totius: ergo, &c.

Secundò, Ideò nullo casu licitum est priuata auctoritate se interficere; quòd occisio sui nunquam possit esse medium necessarium ad saluandum aliquid in ipso homine præstantius vita: atqui in homine est aliquid præstantius membro, propter quod ipsum membrum est, & ad quod conseruandum aliquando est necessarium amputare membrum: ergo est licitum. Nec refert, illam necessitatem prouenire ab extrinseco; quia necessitas est in ipso homine, siue proueniat à natura, siue ab ipso tyranno. itaque licet peccet is, qui hanc necessitatem imponit; non tamen peccat, qui tanta necessitate pressus, eo medio ad finem suum naturalem vtitur. Nec obstat, quòd Respub. non possit iubente tyranno & excidium minante occidere innocentem: quia iste est suppositum per se consistens & sui iuris, non habens essentialem ordinem aut dependentiam à Repub. sicut membrum naturale à corpore. Vnde Respub. non habet eam auctoritatem in suos ciues, quam habet homo in membra vitæ suæ non necessaria. Confirm. Quia hæc membra non sunt absolutè necessaria corpori, sed solùm ad ornatum & commoditatem: ergo potest hæc perdere propter salutem totius; sicut & alia omnia quæ non sunt omnino necessaria ad vitam, possumus propter vitam prodigere, quando aliter salua esse nequit. Et sanè valdè mirum videtur, hominem non posse sibi præscindere digitum, vel auriculam, vel nasum, vt mortem euadat à tyranno intentatã, cùm hæc omnia sint propter commoditatem totius, & salus totius possit sine his consistere. Quare non solùm iubente tyranno puto hæc posse abscindi & perdi, sed etiam absque præcepto, quando sic putaretur flectendus ad misericordiam.

Dices, Ideò licitum est abscindere membrum alligatum, quia vim infert toti; vim autem vi repellere licet. atqui hæc ratio non habet locum iubente tyranno. Non enim tunc membrum, sed tyrannus vim infert, vnde ipse, non membrum perimi potest. Confirm. Quia non sumus domini membrorum nostrorum, sed custodes. ergo non possumus de illis pro arbitrio tyranni disponere. *Obiectio.*

Respond. Non illa sola est ratio, sed etiam, quia possumus disponere de membris non necessariis ob salutem totius, quando aliter saluum esse non potest, vt dictum est. Deinde non propriè vim infert membrum alligatum, sed vinculum, vel potiùs ipse alligans: aliòquin si homo medio corpore alligatus esset, sibi ipse vim inferret; ac proinde seipsum posset interimere, si cum ingenti cruciatu vinctus esset: sicut si alius me cum ingenti cruciatu vinciret, possem illum perimere, etiamsi ego simul periturus essem. Ad Confirm. Inde rectè sequitur, non posse nos pro nostro vel tyranni nudo arbitrio de partibus corporis nostri disponere; verùm quando id ad grauissimum malum auertendum est necessarium, non fit pro nudo nostro arbitrio; neque ad id necessarium est dominium. Sic possum mihi infligere vulnus, & detrahere adipem, si id necessarium sit, ad aliud vulnus, vnde alioqui mors impendet, curandum. Imò valdè probabile est, ob salutem Reipub. posse me mihi præscindere nares, aures, & labia, sicut fecit Zopyrus, de quo Herodotus lib. 4. Etsi enim non simus horum domini, ita vt pro arbitrio possimus de his disponere; tamen nulla apparet ratio, cur ob causam tanti momenti non possimus ea perdere, cùm ad vitam non sint necessaria, sed solùm ad ornatum & commoditatem. Sic propheta iussit se vulnerari, 3. Reg. 20. quod sanè Dominus ei non præcepisset, si esset ita intrinsecè malum, vt auctores alterius sententiæ imaginantur. Sic etiam quædam sanctæ virgines sibi nares præsciderunt, vt euaderent petulantiam tyranni. Nec refert, si dicas hæc membra esse minoris momenti: quia neque horum sumus domini, sed solùm custodes & rectores; & ita idem fundamentum in his locum habet. quòd si hæc minoris momenti possimus perdere ob minores causas, poterimus manum totam perdere propter causam maximam, nimirum ad vitam seruandam. *Resp.*

Dices, Etiamsi id possit fieri ob grauem causam, non tamen tali modo; nimirum ad imperium tyranni. Sed nulla est ratio cur non possit fieri cogente tyranno, & minante mortem odio priuato, vel ob causam politicam. Secùs autem si ob causam Religionis: verbi gratia, quia absoluisti pœnitentem, quia fecisti Sacrum. tunc enim præscindendo tibi manum ad imperium tyranni, videreris punire & improbare factum tuum veluti pœna dignum; quod redundaret in iniuriam Religionis.

DVBI-

Dvbitatio XV.

Quando homicidium casuale sit peccatum, & quando non.

D.Thomas quæst.64. art.8.

102 *Homicidium fortuitum.*

Respondeo & Dico Primò, Homicidium quod omnino casu fit, non est peccatum; vnde nec propriè *Homicidium* vocatur; sed occisio simplex. dicitur autem casu fieri, quod nec in se, nec in causa sua est volùntarium.

1. Si causa non erat efficax.

Tale est Primò, Quando causa non erat efficax, ita vt ex ea non soleat vt plurimùm talis effectus sequi; sed aliunde, nempe ex eo quod per accidens coniungitur: vt si alicui inflixisti vulnus non letale, sed mors secuta est vel malitia medici, qui noxia apposuit, vel negligentia eiusdem; vel temeritate læsi, qui remedia opportuna adhibere noluit. Hæc occisio censebitur tibi fortuita: vnde non eris reus homicidij, nec teneberis ad restitutionẽ vt homicida, sed solùm vt vulnerans: vt rectè Sotus lib.5. quæst.1.art.9. & Antonius Gomez.tom.3.cap.3. n.25. estque communis sententia Iurisperitorum, ex L.Qui occidit.30.§.finali.ff. Ad legem Aquiliã. Et probari potest ex cap.Significasti.2. de Homicidio. vbi Innocentius III. dicit: *Si percussio, medicorum iudicio letalis non fuit, percussor post pœnitentiam, ad cautelam iniunctum, poterit in officio sacerdotali ministrare:* apertè indicans non esse irregularem. Ratio est; quia etsi vulnus sit aliqua occasio, tamen reuerà non est causa mortis, sed negligentia medici, vel ipsius læsi: tenebatur enim vterque diligentiam adhibere. Vnde illi qui neg-

103 lexit imputandus effectus. Secùs tamen, si eo loco non erant, qui possent vulnus curare, & læsus debitam diligentiam præstitit: tali enim tempore & loco vulnus censeretur letale.

2. Si diligentia periculum excluſit.

Secundò, Si dans operam rei licitæ, vel illicitæ, adhibuisti sufficientem cautionem, ne inde aliquid incommodi sequeretur: tunc enim etiamsi fortè secuta fuerit mors alicuius, non tibi imputabitur; quia nec in se, nec in causa erit volita. Nec obstat, quòd causa fuerit periculosa, ac proinde videatur mors volita in causa: quia diligentia abstersit periculum. Ita sentiunt passim recentiores; qui etiam volunt tunc non incurri irregularitatem. Si enim nulla est hîc culpa occisionis, cur sit irregularitas? nam hæc, cùm in pœnam statuta est, (vt in præsenti casu) sine culpa non contrahitur. Sed quidquid sit de irregularitate, (de qua alibi) certum videtur, hîc nullam esse culpam homicidij, vel obligationem restitutionis: eò quòd mors sit verè fortuita: vt docet Caietan.art.8. quod declaratur exemplis.

104 *1. Clerici venatoris.*

1. Clericus dans operam venationi cum armis, (quod ipsi est vetitum) casu hominem interficit: nempe quia crepuit fistula, vel hominem ferina pelle tectum putauit feram. etsi enim sic venando, peccet contra dignitatem status Ecclesiastici, & consequenter contra virtutem Religionis, nullo tamen modo peccato iniustitiæ, vel homicidij.

2. Clerici chirurgi.

2. Clericus peritus chirurgiæ, incîdit strumam vel apostema ex artis præscripto; monet ægrũ, ne se vento committat. ille neglectis monitis, confert se ad messem, corripitur febri, moritur. hæc mors non potest Clerico imputari, (quamuis operam rei illicitæ dederit) sicut nec laico, si laicus chirurgus incisionem feciſſet. habetur iste casus cap. Tuanos. 19. de Homicidio; vbi etiam satis 105 significatur non esse irregularem, si id causa pietatis fecit, & sufficientem diligentiam adhibuit. qua de re vide plura apud Medin. 1.2.q.73.art.8.

3. Adulteri se defendentis.

3. Accedit quis ad vxorem alterius: interuenit maritus, inuadit adulterum: adulter se debito moderamine defendens, maritum interficit: non est reus homicidij, sed occisio illa censetur fortuita. Ratio est, quia neque est culpabilis in causa. Nam 106 adulterium est causa remota, & occasio dumtaxat. non enim est via ad occisionem mariti, sed potiùs adulteri: rariùs enim mors mariti ex eo sequi solet. Neque etiam est culpabilis in defensione: quia positus in illis angustijs poterat se defendere (non enim tenebatur se pati interfici) cum debito moderamine. vnde etiam non contrahit irregularitatem, iuxta probabilem multorum sententiam, quam tenet Petrus Nauar.lib.2.c.3.n.362.vbi pro eadem adducit Mercatum & Siluest. Idem tenet Medina suprà. Idem dicendum quando aliquis alterum conuitio incitauit ad se inuadendum; conuitium enim non est via ad occisionem læsi, sed conuitiatoris potiùs. Contrarium docet Nauarr. c.15.n.7.citat pro se Antoninum: sed hic nihil tale ibidem docet. & Caietanum q.64.art.8. sed Caiet. loquitur de eo qui dat operam rei illicitæ, quæ natura sua ad occisionem tendit. Nec obstãt c. Dilectus.13.cap.Ex litteris.15. & cap.Ioannes.23.de Homicidio; quibus insinuatur, dantem operam rei illicitæ esse irregularem, si inde sequatur mors; quia id intelligendum de re illicita, quæ ideò illicita est, quia periculosa ex se; eò quòd plerumque ex ea mors sequatur: vt Auctores citati docent, & optimè Bañes q.74.art.8.

Aduerte tamen, Si suspicabatur talia incom- 107 moda ex adulterio secutura, tenebatur ex charitate abstinere. Vnde volendo adulterium committere, peccat non solùm peccato adulterij, sed etiam contra charitatem proximi, quatenus per adulterium constituit se in necessitate damni proximo inferendi. adulterium enim tunc non solùm habet rationem adulterij, sed etiam periculi alterius: quamuis indirectè & per accidens, ratione inuasionis alterius. Quando tamen constitutus est in tali periculo, non peccat, etiamsi se defendendo, occidat alterum; quia ius habet se tuendi. Idem dicendum, si imminente marito poterat fugere; tenebatur enim ex charitate, si videbat inde marito periculum. vnde non fugiendo peccat contra charitatem proximi: non tamen peccat, si postquam non potest ampliùs fugere, se defendendo, occidat inuasorem. occisio enim illa non est peccatum, (quia non censetur voluntaria) sed effectus per accidens secutus ex peccato. Simile est in eo, qui post votum castitatis contrahit matrimonium: peccat enim contrahendo, quia exponit se periculo faciendi contra votum per debiti redditionem: cùm tamen post contractum petitur debitum, non peccat reddendo; quia negare non potest. si tamen commodè posset auertere petitionem, peccaret reddendo.

Dico Secundò, Si occisio non omnino casu 108 fiat, eò quòd in opere periculoso non sit præstita cautio necessaria, erit peccatum iniustitiæ & homicidij, mortale vel veniale, pro ratione negligentiæ. ita Caiet.art.8. & alij. Probatur; quia erit voluntarium in causa; nempe in omissione cautionis, & di-

Homicidium mortale aut veniale.

& diligentiæ debitæ; sicut submersio nauis est voluntaria in negligentia gubernatoris. vnde non
109 censebitur omnino casualis. Quòd tamen non sit maius peccatum, quàm illa negligentia, probatur, quia non est voluntaria, nisi ratione illius negligentiæ: vnde non potest nisi ratione illius, imputari ad culpam. si ergo negligentia sit grauis, erit culpa mortalis: si leuis, erit venialis: si nulla, culpa quoque erit nulla.

Dvbitatio XVI.

Vtrùm mors, vel aliud damnum alicui tertio ex tuo maleficio obueniens, tibi imputetur.

EXemplum sit: Occidisti occultè Petrum; imponitur homicidium Paulo, qui cum Petro exercebat simultates; capitur Paulus, afficitur supplicio.

110 Respond. & Dico Primò, Si nec ea intentione occidisti Petrum, vt Paulo inde damnum eueniret, nec aduertisti euenturum; non censeris causa mortis vel damni Paulo, vnde nec teneris ad restitutionem.

Damnum tertio præter intentionem prouenies.

Probatur Primò, Quia hoc damnum Paulo merè per accidens euenit ex actu tuo: (non enim occisio Petri erat directa via ad nocendum Paulo:) per se autem & directè prouenit ex malitia accusatoris, vel testium: ergo non potest tibi imputari.

Secundò, Quia tale damnum non prouenit vt plurimùm tertio ex huiusmodi actione, sed rarò: ergo non tenebaris aduertere illud secuturum: ergo si non aduertisti, non teneris ad restitutionem; quia nihil omisisti considerare vel cauere in tua actione, quod ratione tertij considerare vel cauere tenebaris.

Tertiò, Illud damnum nec in se nec in causa est volitum: ergo censetur fortuitum. Consequentia patet ex dub. superiore. Antecedens probatur. Non in se volitum est; quia ignoratur euenturum, nec de eo cogitatur. Non in causa, quia effectus non censetur volitus in causa, nisi probabiliter ex ea prouenit. qui enim rarò prouenit, non censetur magis in illa causa contineri, quàm non contineri; sed potiùs minùs.

111 Sed quid si aduertas damnum secuturum tertio? Multi DD. videntur sentire, tunc committi peccatum iniustitiæ respectu tertij.

Si scias euenturum.

Resp. & Dico Secundò, Probabilius videri, etiamsi putes inde damnum tertio obuenturum, te non peccare peccato iniuriæ in tertium: ac proinde non teneri ad restitutionem. colligitur ex dictis dub. 15. ita docet Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad quartum argumentum, Lopez to. 1. c. 63. & multi alij. Probatur, quia quando ex aliqua actione sequitur damnum tertio, non ex natura actionis, vel vt plurimùm, sed ex malitia vel ignorantia aliorũ, quæ se immiscet; non censetur illa actio iniuriosa tertio; vt patet ex supradictis. atqui hæc occisio Petri est talis: ergo non censetur iniuriosa Paulo.

Dices, Qui aduertit ex opere suo secuturum damnum alteri, tenetur debitam cautionem adhibere, ne sequatur: omnis enim prudens hoc faceret. atqui iste non adhibuit debitam cautionem: ergo omissione istius censetur causa damni.

Respondeo, Quando damnum sequitur ex opere, non naturâ operis, sed per accidens, non tenetur ex iustitia cauere ne sequatur, sed solùm ex charitate; (vnde quando habet grauem causam aliquid faciendi, ne ex charitate quidem tenetur) itaque omittendo cautionem, & non impediendo damnum, non peccat contra iustitiam, sed solùm contra charitatem, quæ non obligat ad restitutionem. 112

Confirmatur aliquot exemplis. Primum, Si fureris Petri thesaurum, vnde putes illum dolore moriturum, non censeris homicida, nec es irregularis, quia hoc damnum non ex illo furto directè, sed ex animi voluntario affectu secutum: poterat enim & tenebatur dolorem mitigare. si non fecit, sibi mortem suam imputet. Secundum, Vendis arma militi, quibus malè vsurum putas; non tamen ideò censeris auctor illorum malorum: quamuis pecces contra charitatem, si ipse alioqui illa mala non fuisset facturus. Vendis Iudæo agnum, quem putas sacrificaturum; non tamen es causa sacrilegi sacrificij.

Sed quid si intendas, vt tertio damnum sic eueniat? vt si cùm vendis arma militi, optes in animo occidi inimicum tuum, & ea intentione vendas. Quidam putant te tunc teneri. ita Sotus suprà. & Cordub. lib. 1. q. 31. art. 3. Sed contrarium verius videtur. vnde

Dico Tertiò, Etiamsi intendas damnum tertij; 113
Si intendas.
si tamen actio exterior cum circumstantiis talis sit, vt ex ea non sequatur damnum vt plurimum, seu ex conditione actionis, sed aliunde; non erit peccatum iniustitiæ. Probatur, quia secundùm communiorem opinionẽ Theologorum, intentio non facit vt opus sit iniustum, nisi aliàs ex natura sua & circumstantiis tale sit. ergo cùm hæ actiones, de quibus agimus, non sint iniustæ respectu tertij, ex natura & circumstantiis; non fient iniustæ ex intentione. Ratio est, quia intentio accipit speciem suam ab obiecto: ergo si obiectum non est iniustum respectu intendentis, neque intentio iniusta erit, sed solùm contra charitatem. Obiectum autem intentum, non esse iniustum respectu intendentis, patet; quia quod intenditur, est vt mors illi eueniat aliorum malitia: atqui hîc nulla est actio iniusta, quæ ab intendente in tertium dirigatur. Etsi enim illatio mortis sit iniusta respectu eorum à quibus procedit; non tamen respectu illius à quo non procedit, quamuis illam optet fieri. quare nulla etiam est iniustitia in illa intentione: ac proinde illa intentio non potest eam cõmunicare operi externo. Deinde, intentio non facit, vt opus externum magis sit damnosum aut noxium, aut magis violet æqualitatem: ergo si per se non est iniustum, intentio nocendi non facit iniustum: suppono enim, aliàs esse satis voluntarium. vide plura inf. cap. 12. dub. 18. num. 129.

Ex his innumeræ quæstiones solui possunt, quibus quæritur, Vtrùm sit peccatum contra iustitiam, an tantùm contra charitatem.

Dico Quarto, Si actio exterior talis sit, vt ex ea 114
plerumque tale damnum tertio sequi soleat, erit peccatum iniustitiæ, etiamsi illud damnum non intendas, nisi fortè in ea actione iure tuo vtaris.

Prior pars patet ex dictis. Altera probatur; quia qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam: quamuis possit peccare contra charitatem, si parum ipsius interfit illo vti: vt si venas aquarum

per

per tuum prædium currentes, è quibus aqua in puteum vicini influebat, prætextu alicuius operis intercipias: si cloacam in prædium alienum aperias, &c.

DVBITATIO XVII.

Vtrùm homicidium, vel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum, vel animal, tibi imputetur; & quid si per filium.

115 *Si tua culpa.* REspondeo, & Dico Primò, Si tua *culpa lata* id factum est, tibi imputatur, & teneris ad restitutionem totius damni; vt, si iusseris, suaseris, impuleris, vel si negligens fuisti in præcauendo. Neque tunc sufficit, seruum vel animal noxæ dedere, id est, ad noxam seu damnum sarciendum, sed totum damnum compensandum: vt habetur L. Si seruus. 2. ff. de noxalibus action. & cap. Si culpa 9. de iniuriis & damno dato. Dixi *culpa lata*: quia de *leui* & *leuissima* extra contractum & officium, non teneris: vt suprà cap. 7. dub. 6.

116 *Si absque culpa damnum datum.* Dico Secundò, Si nulla tua culpa interuenerit, non teneris ad totum damnum; sed sufficit, mancipium vel animal noxæ dedere: liberum tamen tibi est vel damnum compensare, vel rem quæ nocuit dedere. Est communis sententia DD. & habetur expresè locis citatis. Vide Siluestrum Restitutio 2. versus finem. & Restitutio 3. q. 4. Ratio est; quia dominus non tenetur hìc ratione sui, sed ratione rei suæ, quæ restitutioni obnoxia manet: mancipium quidem ratione culpæ (si enim non peccauit, non manet obnoxium) animal verò ratione legis ita disponentis. Cumque mancipium & brutum nihil habeant à se distinctum, quod pro damno accipi possit, cóceßum est ei qui damnum accepit, vt ex ipsorum corporibus sibi compenset: vtrumque enim pretio est æstimabile. Hinc fit, vt dominus subeat obligationem restituendi pro damno, vel corpora ipsorum, vel damni pretium.

Sed dubium est, Vtrùm in conscientia tenearis ante Iudicis sententiam.

117 *Non tenetur iure naturæ.* Resp. & Dico Tertiò, Sepositò Iure positiuo, non tenetur dare corpora, vel pretium damni, ante sententiam. Probatur Primò,

Quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cùm hæc non extet; nec ratione iniustę acceptionis vel damnificationis, quia absque omni eius culpa cómissum. Secundò, Quia seruus Iure naturæ non manet obnoxius restitutioni, ita vt ipse se debeat tradere læso in compensationem; quinimò potest se abscondere & fugere: ergo nec dominus Iure naturæ tenetur illum tradere, sed potest iuuare ad latebras & ad fugam. Si enim est aliqua obligatio in domino ad eum tradendum, ea est secundaria, orta ex obligatione serui, qui est auctor damni. itaque cùm seruus non teneatur se tradere pro damno, nec dominus tenetur. Idem dicendum de animali: non enim animal Iure naturæ manet obnoxium læso, quia non peccauit; sicut neque statua ænea, quæ casu lapsa, aliquem læsit, obnoxia manet.

Obiectio. Dices, Is qui læsus est, Iure naturæ potest compensare sibi damnum ex re quæ læsit, si præter seipsam illa nihil habeat: ergo, &c.

Resp. Primò, Antecedens non esse verum, vt patet in statua: non enim statuam illam sibi vindicare potest. Secundò, etiamsi verum esset, non tamen inde sequeretur, dominum teneri tradere, nec posse abscondere. Nam illud ius læsi solùm est conditionatum, nempe si possit animal vel seruum capere. Seruus enim potest fugere, & se abscondere. Itaque dominus vt sibi vel seruo consulat, potest ad hoc iuuare, nisi aliunde prohibeatur.

Dico Quartò, Probabile est, neque Iure positiuo ad id teneri ante sententiã. Petr. Nauar. l. 2. c. 1. n. 38. putat id esse verius; quia istæ leges videntur esse pœnales. Sed non propriè possunt dici pœnales, cùm apertè excludant omnem culpam domini, vt patet L. Si seruus. & cap. Si culpa. suprà; sed constituunt id, quod est consentaneum naturali æquitati, & quid in tribunalibus debeant Iudices iudicare. interdum enim Iudex auctoritate legis potest decernere per sententiam aliquam restitutionem, quæ ante sententiam non erat debita. sicut enim in pœnam potest iniungere aliquam solutionem; ita etiam ob pacem publicam, dum æquitati est consonum. 118 *Non teneris ante sententiam.*

Ratio igitur, cur istæ leges ante sententiam non obligent, est; quia videntur solùm pertinere ad forum externum, neque aliter vsu receptæ. Nam homines passim ignorant has leges. 119

Obiectio. Dices, Gregorius IX. cap. vlt. de iniuriis, sic ait: *Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris; nisi ea dando passis damnum, velis liberare teipsum.* vbi apertè insinuat obligationem ante sententiam.

Contrarium tamen non minùs probabile. Resp. Ob hoc argumentum, est satis probabile contrarium, idque multi DD. tenent. Responderi tamen potest, illa verba posse intelligi de obligatione in foro externo; quod insinuant illa verba, *Nisi velis liberare teipsum*, nempe ab impetitione actoris: vel certè non est vsu receptum.

Notandum est, Si seruus vel animal cœperint esse extra potestatem domini, desinit erga illum actio: vt habetur §. Omnis autem. Instit. de noxal. action. Si in alterius potestatem venerit, erit actio contra illius dominum: si fuerit manumissus, conuenietur vt liber. poterit quidem dominus vendere, sed tenetur emptori indicare vitium, id est, esse obnoxium. Hæc & alia vide Institut. & ff. de noxalibus actionibus; pertinent enim ad forum externum. 120

Sed quid si filius familias occiderit, vel damnum dederit? 121 *Si filius familias damnum dederit.*

Resp. & Dico Quintò, Parentem non teneri ex delicto filij vel damnum sarcire, vel filium noxæ dedere, si absque parentis culpa commissum. Institut. suprà, §. vltimo. Ratio est, Primò, Quia iniquum est, vt nequitia filij vel filiæ, parenti, vltra ipsorum corpora, damnosa sit, vt de seruis dicitur Institut. suprà, §. 1. Cumque ex alia parte parens non sit dominus corporum horum, (sunt enim liberæ) non etiam ratione horum, actio contra parentem potest institui. Confirmatur; Quia nimis asperum est, vt parens cogatur corpora liberorum suorum noxæ dedere. Secundò, Quia filiusfamilias cùm sit liber, pro suis delictis conueniri potest; vt habetur §. vltimo, suprà. manet enim ex suo delicto obligatus tamquam liber, & capax dominij. Vide Siluestrum Restitutio 2. versus finem.

DVBI-

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm homicidia & damna, quæ inferuntur per triremes Turcarum, imputentur remigibus Christianis ibi captis, ita vt peccent contra Iustitiam, vel saltem contra charitatem.

122 *Sententia Nauarri.* NAuarrus c.27.nu.63.docet, eos peccare mortaliter ducendo remos, quando contra Christianos agitur; potiusque debere oppetere mortẽ: non tamen explicat, vtrùm contra Iustitiam, an contra charitatem. Ratio ipsius est, quia cooperantur ad homicidia & damna Christianorum. Etsi enim remigatio illa per se & in genere spectata non sit opitulatio ad malum, nec mala; tamen vt hîc & nunc fit, est verè & propriè cooperatio homicidij; ac proinde mala. actiones enim spectandæ in indiuiduo cum circumstãtijs sicuti fiunt. Addit tamen Nauarr. non videri excommunicatos per Bullam Cœnæ (vbi *excommunicantur, qui Turcis, & aliis nominis Christiani hostibus auxilium quomodolibet præstant.*) quia graui metu compulsi faciunt, quales non videtur Summus Pontifex velle comprehendere Idem docet fusiùs in cap. Ita quorumdam. 6. de Iudæis, notab. 11.

Non peccãt remiges. Sed verius est, non peccare, quando flagris & metu mortis ad id compelluntur. Neque enim peccant contra Iustitiam; quia remigatio non est actio naturâ suâ pernicioſa Christianis, sed indifferens; sicut aurigatio. est enim delatio nauis per mare, qua Turcæ vectores benè & malè vti possunt: quòd autem cedat in perniciem Christianorum, est ex malitia Turcarum: ergo quando graui supplicio vrgentur, non censentur cooperari voluntariè ad damna Christianorũ: sicut qui timore mortis reddit depositum furioso, non censetur ei cooperari ad necem, quam infert inimico; & auriga, qui dominam suam vehit ad locum adulterij, non censetur ei cooperari: vt fatetur Nauarrus. Secùs de ijs qui tormenta in Christianos dirigunt, ignemq; applicant; quia directè damnum inferunt.

Neque etiam contra charitatem; quia nemo tenetur ex charitate vitam suam exponere; nisi probabile sit illi, damnum auersum iri: atqui id non est probabile illis remigibus: etsi enim vnus vel alter cesset à remigando, non ideò alij cessabunt, sicque damnum æquè eueniet. Si tamen aliquis esset, qui suo exemplo vel exhortatione putaret reliquos cessaturos, & ita graue damnum impediendum; (v.g. ne classis Christiana superetur) teneretur ille ex charitate, etiam cum certo mortis periculo, id præstare: secùs si damnum non sit tanti momenti.

123 *Ad rationem.* Ad rationem Nauarri respondeo, illam remigationem vt hîc & nunc fit, non esse formaliter cooperationem: quia non fit intentione cooperandi ad cædes; sed solùm materialiter. neque propriè est cooperatio, quia per se est indifferens, & solùm vt subest malitiæ & vsui Turcorum concurrit ad malum, idque remotè. talis autem cooperatio non est illicita, quando non est voluntaria, sed coacta, metuque grauissimo extorta. vt patet exemplis suprà allatis. Sic non propriè cooperantur captiui, qui coguntur tormenta trahere ad locum pugnæ, munire arces, aduehere arma bellica vel annonam in castra: quia hæ actiones non sunt noxiæ, nisi per accidens, ex malitia eorum qui his præuijs ad malum vtuntur. Simili modo valdè probabile est, licere Catholicis nautis & aurigis in Hollandia deuehere annonam ad vrbes & præsidia hæreticis infesta, & ad eorum castra, etiamsi metu graui non compellantur: modò absit praua intentio, & illis cessantibus non desint hæretici plurimi qui id facient. Ratio est, quia hæc actio est indifferens; & si Catholici excludantur, soli hæretici, quorum maxima copia suppetit, totum lucrum capient, & Catholici ad magnam penuriam redigentur, cùm vix alia ratio viuendi hoc tempore id genus hominibus ibi suppetat. Confirm. Primò, quia hæc actio nec est mala per se, vt patet, nec ex intentione agentium: quia Catholici non intendunt quidquam mali; nec ex euẽtu, vt fit à Catholicis; quia si ipsi non facerent, plurimi alij non deessent. ergo non est Catholicis illo rerum statu prohibenda: præsertim cùm id esset ipsis grauissimum, & permissio nullo modo augeat vires aduersariorum. Republ. enim perturbata & tyrannide oppressa multa licent, quæ aliàs sunt illicita. Confirm. Secundò, quia si detrectent, reddent se suspectos, & fortè cogentur, aut alijs modis grauabuntur, tamquam osores boni publici. Ita mecum sentiunt viri doctissimi in hac Vniuersitate.

Quòd verò Nauarrus putat non esse excommunicatos; suppositâ altera ipsius opinione, nimirum, quòd non excusentur à peccato mortali; contrarium est longè probabilius. quando enim metus non excusat à peccato mortali, non excusat quoque à censura, vt apertè colligitur ex cap. Sacris. 5. de ijs quæ vi. vbi dicitur eum, qui metu communicauit cum excommunicato, esse excommunicatum: *Quia*, inquit, *licet metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsus excludit (cùm pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere;) excommunicationis labe credimus inquinari.* Torquent se hîc Canonistæ, quomodo metus non excusat à censura, cùm sæpè excuset à culpa. Sed dicendum, tunc excusare à pœna, quando excusat à culpa: quando verò non excuset à culpa, ita vt culpa maneat mortifera; tunc non excusare à pœna, vt hoc loco Pontifex clarè pronuntiat. *An sint excommunicati.*

DE RESTITVTIONE, ad quam tenetur homicida.

EXplicata ratione homicidij, tum voluntarij, tum fortuiti; sequitur vt dicamus de restitutione seu compensatione necessaria.

DVBITATIO XIX.

Quantum teneatur homicida vel mutilator restituere.

124 RESPONDEO & Dico Primò, Teneri soluere integras expensas, factas in curationem læsi; nam earum ipse causa efficax fuit.

Dico, Secundò, Teneri etiam restituere, non quidem quantum ipse erat lucraturus, sed quantum *Detrahenda ipsius expensæ.*

tum illa spes lucri valebat, si quæstum aliquo officio vel artificio faciebat,ijs tamen detractis,quæ ipse cõsumere solebat,si obijt.quæ enim ipse consumebat,non possunt censeri in lucris ad heredes peruenientibus.v.g.Spes lucri æstimetur 1000.id quod consumpturus erat æstimetur 500. supersunt tantùm 500.restituendi. quod valdè notandum.Vide Couarr.lib.2. Variarum resolut.c.10. n.7.& Sotum lib.4.de Iustit.q.6.a.3.ad 3.

Sed difficultas est, Vtrùm ex hac summa etiam detrahi debeat æstimatio laboris. Ioannes Maior in 4.d.15.q.19. affirmat.

125 Sed contraria sententia est communis , Istius laboris non esse rationem habendam, sed integrè restituendum, quantum spes lucri, omnibus perpensis, æstimabitur. Ita Couarr.suprà nu.7.vltra medium,& alij passim. Probatur Primò; Quia si æstimationem laboris detrahamus , vix aliquid supererit; nam sæpè lucrum non est maius,quàm æstimatio laboris; vt patet in ijs artificijs, in quibus est parum ingeniosæ industriæ. Secundò, Quia qui alium iniustè impediuit à labore diurno,tenetur integrè lucrum illius diei sarcire,nulla parte detracta,ratione laboris non obiti: nam alter cupiebat laborem subire : ergo,&c. Sententia tamen Maioris videtur satis æqua,si hoc modo temperetur,vt tantum detrahatur lucro, quantum ille artifex libenter pro laboris redemptione daturus fuisset : sic enim non videtur fieri vlla inæqualitas. quòd si ille laborem nullo modo voluisset redimi cum lucri imminutione, tunc integrè restitutio erit facienda , iuxta communem DD. sententiam.

Æstimatio laboris non detrahenda.

126 *Nisi ipse maluisset illum redimere.*

127 Dico Tertiò,Si homicida,vel qui damnum intulit , moriatur , tenentur heredes ex eius bonis. Ratio est; quia heredes succedunt in locum defuncti,& in omnia eius bona,& iura : vnde etiam in omnes eius obligationes , quibus ex iustitia obligabatur.

Nec obstat L. Ex Iudiciorum.20.ff.de accusationibus,vbi dicitur , *pœnam pecuniariam,quæ descendit à delicto , non transire ad heredes , lite non contestata :* quia vel intelligitur de pœna propriè dicta, qua puniendus erat per sententiam is qui crimen contraxerat;quæ pœna non debetur ante sententiam,nec ab homicida,nec ab eius heredibus. ita eam intelligit Couarr. Vel certè lex ista solùm negat heredibus occisi actionem de damno in foro externo in heredes occisoris, nisi ante mortem eius lis contestata fuerit . ita Antonius Gomezius tom.3.c.3.num.37.non tamen liberat eos in foro conscientiæ. nihil enim facit ad obligationem coram Deo , quòd lis ante mortem contestata vel non contestata fuerit.

Dvbitatio xx.

Quomodo æstimatio lucri futuri facienda est , cùm ignoretur quamdiu fuisset victurus.

Angelus , Restitutio. 1. §. Homicida , dicit eam faciendam iuxta dispositionem Legis, Computationi π. ad legem Falcidiam. Idem docet Couarr.lib.2.Variar.c.10.n.7. circa medium. In hac lege certum tempus constituitur futuræ ætatis æstimandæ : ita vt si quis sit annorum 30. vel infrà , is putetur adhuc victurus 30.si sit 35. putetur victurus 25. si 40. adhuc 20. si 50. adhuc decem , semper diminuendo vsque ad 60. sicut ibi expressè habetur.

Sed cùm hæc lex tantùm loquatur de alimentis 128 alicui ad vitam legatis,non videtur extendenda ad nostrum casum. Deinde in foro conscientiæ, spectandæ quoque sunt multæ aliæ circumstantiæ, ex quibus æstimandum est futuræ ætatis tempus & lucrum.Denique qui occiderit senem 59.annorũ, non teneretur nisi restituere lucrum vnius anni; qui sexagenarium, nihil : quod est contra omnem æquitatem . fieri enim potest vt sit validus , & putetur adhuc 20. annos victurus.

Æstimatio ætatis,in alimentis legatis.

Respond. igitur, Non posse commodiorem re- 129 gulam præscribi, quàm vt illud restituatur, quod probi prudentesque viri, spectatis omnibus circumstantijs, ratione lucri cessantis, vel damni, ex occisione , mutilatione , aut etiam vitæ abbreuiatione emergentis, iudicauerint esse æquum. Nam si vita alicuius accisa breuiorque effecta est ex percussione iniusta; æstimandum tempus, quo vlteriùs putabatur eam productus.

Hic fit arbitrio prudentium.

Hic tamen aduertendum est, Si quis vel natu- 130 rali, vel *aliàs iusta morte* erat è medio tollendus; qui iniustè præueniret , non teneretur ad restitutionem;quamuis iniustitiam committeret: vt rectè docet Petrus Nauarra lib.4.c.1.n.78.qui pro eadem sententia citat Nauar. & Siluestrum. Ratio est ; quia non infert damnum pecuniarium; tam breui enim tempore non erat ille lucraturus quidquam.

Si aliàs erat peritura absque culpa.

Dixi, vel *aliàs iusta morte.* quia si iniustè erat interficiendus, vel à latrone , vel etiam à Magistratu,& ego præueniam;omnino teneor restituere. Ratio est ; quia alter , qui eum interfecturus 131 erat, fuisset obligatus: ergo si ego præueniam, similiter obligabor : non enim aliquid iuris ideò amittit vel viuendi,vel lucri faciendi in vita,quia alius eum iniustè statuerat interimere ; sicut amittit,quando vel naturaliter,vel iustè per Magistratum perire debet.

Idem dico de quouis alio damno iniustè illato, *Si res perisi res illa apud dominum certò erat peritura , vel iusta pœna , vel casu fortuito , si enim tunc culpa mea, vel etiam dolo perijt, sub eius dominio manens,non tenebor ad restitutionem. v.g. si incendi segetes,quas eluuio fluminum certò erat euersura. Sed de hoc plura inf.cap.12.dub.15.

itura apud dominum.

Petes,Vtrùm id, quod restituendum est pro lu- 132 cro probabili heredibus occisi, æstimatum sit 50. aureis : vt docet Nauar.cap.15.n.24.in quam sententiam adducit Hostiensem.

Resp.Legem,quam citat Nauar.illis verbis non 50. *aureorum pœna.* agere de restitutione damni ; (hæc enim debetur etiam ante condemnationem) sed de pœna , seu mulcta , quæ per sententiam debetur;sic enim habet edictum prætorium: *Si eo ictu homo liber perisse dicatur, 50.aureorum iudicium dabo:*& immediatè antè dixerat, *se in duplum daturum iudicium,si ex eiecto vel effuso damnum datum esset.* vnde manifestè patet, legem loqui de pœna homicidij , non cuiusuis,sed fortuiti;non autem de damno sarciendo. Idem docet Glossa in cap.1. de Iniurijs, dicens : *Si liber homo periit , 50. aureorum sit condemnatio.*

Dvbitatio xxi.

Quantum teneatur restituere, qui modum iustæ defensionis excessit.

133 *Prouocatus non tenetur.* Respondeo,& Dico Primò,Qui ab altero fuit prouocatus ad pugnam,etiamsi modum fortè excessit, non tenetur ad restitutionem. ita multi recentiores. Ratio est; Quia prouocans videtur ei condonare, dum facit ei potestatem, vt contra se agat quod poterit. Idem docet Bañes qu.62.art. 2. dub.5. vbi dicit, eum qui voluntariè se exponit periculo,prouocando alterum ad certamen, si occidatur, non esse iniustam occisionem respectu illius,sed solùm respectu Reip.vel Dei, qui est Dominus specialis vitæ. & paulò antè dicit,talem renuntiare iuri suo, etiamsi in damnum filiorum id cedat. Idem videtur dicendum, quando duo prouocant se vicissim, & pari consensu pugnam aggrediuntur.

134 Dico Secundò, Qui inuaditur ab altero sine prouocatione,si iustam moderationem notabiliter excedat, ita vt mortiferè peccet occidendo suum inuasorem,tenetur integrè damna compensare.Ita docet Nauar. c.15.n.27. & plerique hoc tempore. Ratio est; Quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam, & est causa totius damni: sicut is qui dolo vel latâ culpâ est alteri causa damni.

Dices, Qui alterum iniustè aggreditur aperta vi,vel ex insidiis, & occidit, maiorem infert iniuriam, quàm qui inuasus, & rei indignitate commotus,occidit aggressorem: ergo ad maiorem tenetur restitutionem.

Resp.negando conseq.Non enim quantitas restitutionis,ex iniuriæ quantitate æstimanda est,sed ex quantitate damni per iniuriam mortiferam illati. itaque cùm hîc interuenerit iniuria,quæ sit peccatum mortiferum, integrè damnum sarciendum est. Secùs est in pœna;hæc enim respondet iniuriæ, non damno: vnde vbi maior fuit iniuria, maior quoque pœna est irroganda.

135 *Probabile inuasum non teneri ad restitutionem integram.* Aduerte tamen,quosdam DD.ob argumentum prædictum docere, eum qui modum iustæ defensionis excedit, non teneri tantumdem restituere, quantum aggressorem,qui ex insidiis vel aperta vi occidit; sed multò minus. Ita Angelus, Restitutio 1.§.Homicida,Silvest.Restit.3.quæst.2.& Gomezius tom.3.cap.3.num.38. Idem docet Sotus lib.4.de Iustit.q.6.a.3.ad tertium. Vbi notandum est, Silvestrum non loqui de pœna propriè dicta, (vt Nauarrus eum exponit) sed de restitutione damnorum, quam vult fieri iudicio boni viri: de qua etiam apertè Gomezius & Angelus. Quæ sententia mihi videtur probabilis, & consentanea æquitati naturali.etsi enim damnum illud par sit,siue hoc, siue illo modo illatum sit; & compensatio non sit æstimanda ex indignitate rei, vel magnitudine iniuriæ; tamen is qui alterum inuadit,videtur ex parte amittere ius ad compensationem damni: nam sibiipsi est causa mali, alterum iniustè inuadendo. quare si occidatur vel lædatur, sibi ex parte debet imputare. Deinde difficillimum est, iustum temperare dolorem, vt ait Angelus. Quare æquitas naturalis videtur postulare, vt non tam seuerè teneatur omnia damna rependere; idque communis humani generis sensus approbare videtur.

136 *Qui potest fugere.* Dico Tertiò, Qui inuasus ab altero, potest fugere,vel aliter declinare, etsi id non faciat, sed debita moderatione,se vel sua defendens occidat inuasorem; non tenetur ad restitutionem.

Probatur, Quia non peccauit contra iustitiam, sed solùm contrà charitatem, vt ostensum est suprà dub.15. & 16. non enim ex iustitia tenebatur fugere,vel à via declinare.

Confirmatur, Quia nemo ex sua malitia, qua vult alterum inuadere, acquirit Ius in illum, quo illum obliget ad fugam, ita vt nisi fugiat, vel patiatur se interfici, censeatur ipsi facere iniuriam: sed solùm tenetur fugere ex charitate, si sine honoris dispendio possit: & Ecclesiasticus tenetur etiam lege religionis; ne videlicet non fugiendo, aliquid committat,quod sanctitatem status ipsius dedeceat, lege tamen iustitiæ non magis tenetur quàm sæcularis.

137 Dico Quartò, Idem omnino dicendum de eo, qui alium contumelia,vel alia iniuria affecit; si ab illo inuasus,iusta ratione se tueatur,& illum occidat, non tenetur ad homicidij compensationem. est contra Nauar.cap.15.num.7. ita tenet Nauarra lib.2.c.3,n.362.ex Silvestro & Mercato. Colligitur ex dictis suprà dub.15.

Qui inuaditur ob contumeliam illatam. Probatur, Quia is qui iniuriam alteri intulit, si armis ab eo inuadatur, potest se cum iusta moderatione tueri; præsertim venia petita, vel satisfactione oblata: quia alter tunc nullum ius habet sic inuadendi priuata auctoritate. ergo si eum occidat,non facit ei in hoc iniuriam. Confirm. Quia inuasor non habet ius iustitiæ in alterum,vt ille se non defendat; neque etiam vt fugam capessat: sed solùm vt satisfactionem pro iniuria offerat. ergo si moderatione debita se defendens occidat inuasorem,non facit contra ius ipsius; ac proinde non peccat contra iustitiã: sed habet se illa occisio tamquam per accidens, & mediante alterius malitia proueniens, occasione operis iniurioſi. vt si quis seipsum occideret præ impatientia, quia domum eius succendi, non censerer ego idcircò homicida:nam ista actio iniuriosa, non est verè iniuriosa, respectu occisionis,per accidens ex ea prouenientis, sed solùm est contra charitatem, vt suprà dubit.16. num.112.ostensum. vnde nec obligat ad restitutionem, causa mortis illatæ.

Dvbitatio xxii.

Vtrùm quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio.

138 Svmma Rosella,Restitutio 3. & quidam recentiores dicunt tunc non deberi aliam compensationem;quod etiã videtur sentire Scotus dist.15. q.3.art.2.Gabriel ibidem quæst.15.art.2 Angelus Restitut. 1.§. Homicida; Adrianus quæst. vlt.de Restitut.

Respondeo, Verius est, in rigore omnia damna ex homicidio secuta, ex bonis homicidæ sarcienda. Ita Nauar.cap.15.n.25.Couarr.lib.2.Variar. cap.10.n.7. circa medium. Gomez.tom.3.cap.3. num.37.& alij. Ratio est; Quia pœna infligitur à Iudice, non vt damnum parti læsæ compensetur, sed vt iniuria Reipub. & legibus illata vindicetur, aliisque terror incutiatur. Vnde etiam ea crimi-

crimina, quæ nemini damnum inferunt, pœna mortis puniuntur ; vt sodomia, grauis blasphemia, hæresis.

139 *Contrariũ probabile.* Quamuis hæc sententia in rigore sit vera, tamen contraria est probabilis, & consentanea æquitati, præsertim cum hac limitatione : vt heredes homicidæ, quando ipse in corpore plexus fuit, in conscientia non teneantur quidquam soluere, nisi heredes occisi id exigant : ita enim ferè habet vsus, vt pœnæ talionis censeantur acquiescere, & iniuria illata videatur sic esse compensata : sic docet Michaël Salonius quæst.62.art.2. Si heredes occisi exigant aliam compensationem, præter pœnam homicidæ, (quod tamen honesti non solent) tunc heredes homicidæ videntur teneri, quia damnum iniustè datum non est per pœnam talionis reparatum. Certum tamen est, heredibus occisi nihil deberi pro ipsa vita ablata, etiamsi aliàs pro ea restitutio deberetur. Ratio est ; quia damnum vitæ censetur pœna talionis abundè compensatum. Ita docet Scotus in 4 dist.15.q 3.art.2. Gabriel ibidem qu.15.ar.2. & alij.

Dvbitatio xxiii.

Vtrùm sit aliquid restituendum pro vita, membro, vel cicatrice.

140 MVlti Doctores censent, non solùm pro damnis pecuniarijs ex læsione vel homicidio secutis, restitutionem pecuniariam deberi; sed etiam præcisè pro damno vitæ, vel membri, vel cicatricis, idque arbitrio boni viri. Indicat id D.Thomas qu.62.art.2. ad primum. Sotus lib.4. de Iustit.quæst.6.art.3.ad tertium. Siluest. Restitutio 3. qu. 2. & quidam alij. Ratio est ; quia qui non potest damnum totum integrè compensare, tenetur eo modo quo licet, iuxta arbitrium prudentum. Confirmatur ; Quia alioqui sequeretur, teneri quempiam restituere pro vita bouis occisi, & non pro vita hominis : quod tamen videtur absurdum, eò quòd hæc sit multò pretiosior. Sed contrarium videtur verius.

141 *Pro vita serui, non autem hominis liberi restituendum.* Respondeo igitur, Etsi pro vita serui, vel animalis necessariò restitutio pecuniaria sit facienda ; tamen pro vita, membro, vel cicatrice hominis liberi, nihil in conscientia necessariò deberi.

Prior pars patet ; Quia vita serui & animalis pretio æstimantur, quod ad æqualitatem rependi potest : vnde pro horum vita tantum soluendum, quanti plurimi vendi poterant : pro mutilatione & cicatrice, quanti pluris venderentur, si illæsa fuissent.

Secunda pars est Nauatri cap.15.nu.22. vbi id egregiè probat : & Glossæ in cap. 1. de Iniuriis & damno dato : Ledesmæ in 4.d.24. quæst.25.ar.2. dub.7. Petri Nauar.lib.4.de Restitut.cap.1.n.80. Eamdem tenet Couarr. lib. 2. variarum resolut. cap.10.nu.7. circa medium, & Gomezius tom.3. cap.6.num.12.vbi dicunt, *cicatricem hominis liberi, pecunia compensari non posse* : vnde idem multò magis (si consequenter loqui velint) dicere debent de vita & membro.

Probatur Primò ex L. vltima, ff. de his, qui effud. vel deiec. *Cùm liberi hominis corpus ex eo, quòd deiectum effusúmve quid erit, læsũ fuerit, Iudex computet mercedes medicis præstitas, ceteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operarum, quibus caruit aut cariturus est ob id, quòd inutilis factus est. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio ; quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Idem habetur L. Ex hac lege 3.ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur.

Dices, Has leges solùm negare actionem in foro externo. Contrà; Quia apertè indicant, nihil pro his deberi, eò quòd natura sua sint supra omne pretium ; ac proinde non possint conferri cum iis rebus, quæ in humanos contractus veniunt. & sanè ratio nulla est, cur neganda sit actio, si in conscientia aliquid debetur: & cur non fiat eius taxatio per Iudicem, cùm reliquorum damnorum fiat, ipseque meliùs quàm alius quiuis, eam facere possit. 142

Probatur Secundò, Heredes non tenentur compensare damnum vitæ, aut iniuriam illatam, vt Scotus fatetur : ergo nec ipse occisor. si enim occisor ex iustitia tenebatur ex suis bonis ; cur non heredes ex ijsdem teneantur, cùm succedant in eius obligationes, sicut in iura ? *Heredes nõ tenentur.*

Tertiò, Quando homicida punitur pœna talionis, satisfacit illa pœna pro damno vitæ, vti praxis omnium tribunalium habet, & DD. supradicti sentiunt : neque enim iustum videretur ad amplius sontem obligare. Atqui per hanc pœnam corporalem nulla fit læso pro vita compensatio ; sed solùm fit vindicatio, quæ à reo non debetur ex Iustitia commutatiua, sed à Magistratu. ergo cùm post hanc pœnam censeatur in conscientia liber ab illa compensatione, quæ pro ipsa vita sit facienda ; signum euidens est, ipsum anteà etiam liberum fuisse, nec Iustitiæ lege damnum vitæ debuisse compensari ; sicut alia damna, à quibus non est liber post pœnam. 143

Quartò, Quia non potest statui, quantum pro vita vel membro ex iustitia sit restituendum ; neque vir prudens certum quid arbitrari potest. si enim dixerit mille deberi pro vita ; cur non duo millia, vel tria, & sic deinceps ? etsi enim homicida non teneatur ita se exhaurire restituendo, vt in extremam aut grauem necessitatem incidat ; tamen si opibus abundet, numquam poterit ab arbitris tantum taxari, quin dici possit amplius deberi. *Nihil certi potest determinari.*

Quintò, Quia vitæ omnium hominum sunt æqualis dignitatis : ergo æqualis debet fieri pro omnibus restitutio ; quod est absurdum. *Vitæ æquales.*

Sextò, Restitutio, quæ debetur ex Iustitia, reparat damnum illatum præcisè ad æqualitatem : ergo vbi damnum natura sua irreparabile est, non debetur restitutio lege Iustitiæ. 144

Septimò, Quia nemo obligatur damnum sarcire ex bonis diuersi ordinis, sed tantùm eiusdem ; hæc enim sola inter se sunt commensurabilia : ergo quando non potest fieri commensuratio, non est obligatio Iustitiæ. Antecedens patet ; quia alioquin qui læsisset in vita, deberet restituere in honore, vel potiùs in bonis spiritalibus, si pecunia non posset ; quod tamen neque moribus gentium est receptum, neque vllo modo necessarium : vt passim DD tradunt.

Ex quibus patet Primò, Solum damnum pecuniarium, secutum ex homicidio, esse ex iustitia compensandum : pro damno autem vitæ & pro iniuria solùm deberi satisfactionem quamdam signis doloris & petitione veniæ. Fieri tamen 145 *Solũ damnum pecuniarium compensandum.*

potest, vt obligetur ex charitate ad aliquam pecuniariam satisfactionem, si heredes sint pauperes; & non putentur mœrorem aliter deposituri; & ipse eam sine graui incommodo possit præstare: tunc enim videtur saltem ex charitate & quadam æquitate naturali teneri. fortè hoc voluit D. Thomas.

Secundò, Si vir nobilis aut alius occisus sit, qui nihil lucri faciebat, nihil restituendum, præter expensas in medicos, si quæ factæ sunt.

Tertiò, Patet responsio ad contrariam rationem: non enim omne damnum ex iustitia est compensandum, vt patet de damno spirituali, quod tamen maximum est. Neque mirum videri debet, si pro vita animalis fiat restitutio, non autem pro vita hominis liberi; quia vita hominis liberi est supra omne pretium pecuniarium & humanum, sicut & bona spiritualia: non tamen vita animalis, vel mancipij. Hinc tamen non sequitur, minus esse peccatum occidere hominem, quàm bestiam.

146 Dices, L. Prætor edixit. 7. §. 6. π. de iniuriis, dicitur: *Posse hodie de omni iniuria, sed & de atroci ciuiliter agi, Imperator rescripsit:* ergo potest agi in Iudicio de damno vitæ farciendo.

Respondeo, Negando consequentiam. Aliud enim est agere de iniuria vindicanda, aliud de damno farciendo. iniuriæ enim non debetur restitutio, sed vindicatio & mulcta etiam pecuniaria, quæ fit operâ Iudicis: satisfactio etiam debetur, sed non pecuniaria, ante sententiam. itaque potest ciuiliter agi, quia potest exigi aliqua satisfactio pecuniaria, per Iudicem imponenda.

Dvbitatio xxiv.

Vtrùm aliquid restituendum pro expensis funeris.

147 Respondeo, Ordinariè nihil pro his expensis restituendum; quamuis contrarium affirmet Nauarrus cap. 15. num. 22. Ratio est, quia etiamsi naturali morte obiisset, nihilominùs hæ expensæ fieri debuissent, vnde per occisionem nihil damni ex hac parte illatum; nisi fortè ex acceleratione, eò quòd citiùs isti sumptus fieri debuerunt, quibus adhuc aliquid lucri facere potuisset: sed hoc sub lucro cessante comprehenditur. Vel nisi extra patriam, aut alieno loco occisus sit, vbi maiores sumptus, quàm domi fieri debuerunt; quod pertinet ad damnum emergens.

Pro expensis funeris.

Dvbitatio xxv.

Vtrùm animæ occisi aliquid restituendum ex iustitia.

148 Scotus dist. 15. qu. 3. art. 2. Gabriel, Adrianus, & Angelus suprà, docent, Si homicida subeat pœnam talionis, nihil ampliùs deberi pro vita occisi: si non subeat, debere satisfacere pro vita illius, bonis spiritualibus, per eleëmosynas, orationes, Missas, &c.

Sed communior sententia est, non obligari ex iustitia ad hanc restitutionem; quamuis sit saluberrimum consilium, & æquitas naturalis videatur quodammodò postulare. Vnde meritò pro satisfactione sacramentali, ipsi à Sacerdote potest iniungi. ita docet Sotus lib. 4. qu. 6. art. 3. ad tertium. Siluester suprà, & alij.

Non ex iustitia.

Ratio est, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis; ergo non potest ex iustitia deberi pro damno vitæ. Antecedens probatur; quia sunt res diuersi ordinis; & vita per hoc non restituitur nec in se, nec in æquialenti, quod apud homines habeat parem æstimationem. 149

Dices, Deberi hæc bona non pro vita, sed quia illum priuauit facultate merendi & satisfaciendi.

Respondeo, Facultas merendi est irreparabilis, similiter meritum amissum est irreparabile: quia meum meritum non potest alteri donare, ita vt fiat ipsius. Deinde priuatio huius facultatis non potest vllo opere nostro compensari, sicut nec vita. Et quamuis satisfactio vnius alteri prodesse possit; non tamen constat, an alter aliqua satisfactione sit priuatus, nec vtrùm ei profutura sit. Denique non potest in his certa mensura constitui, quæ lege iustitiæ debeatur. 150

Facultas merendi.

Dvbitatio xxvi.

Vtrùm tantummodò vxori & liberis, an etiam alijs restituere teneatur, vt creditoribus, & ijs quos occisus alebat.

Mvlti DD. sentiunt, His omnibus faciendam restitutionem, quia per iniuriam impediti. Verùm hæc sententia est valdè difficilis in praxi, & fortè in rigore non vera. vnde

Respondeo & Dico Primò, Probabile est, homicidam non teneri creditoribus defuncti. Colligitur hoc ex dictis suprà dub. 15. & 16. Tenent Sotus, Salonius, Lopez, & alij ibi citati. 151

Creditores.

Probatur, Nam planè per accidens obuenit damnum creditoribus: non enim illa actio occisionis ex natura sua, vel vt plurimùm est ipsis damnosa: ergo non est iniuria in illos.

Secundò, Quia creditor non habet ius in debitorem, nisi quantum extendunt se bona, quæ actu habet, vel quæ verisimiliter erat habiturus: ergo cùm homicida restituit heredibus, in quos obligatio defuncti transfertur, ea quæ ipse putabatur lucraturus, non facit iniuriam creditoribus: possunt enim ab heredibus solutionem petere.

Tertiò, Creditor non est ita coniunctus debitori, vt damnum, quod huic fit, debeat censeri fieri creditori: nam solùm per accidens, seu ciuili modo ei cohæret; qua ratione innumeri possunt cum ipso coniungi. Absurdum autem videtur, omnes eos, qui cum ipso contrahunt, habere ius iustitiæ in ipsius inimicum, ne ipsum occidat. Confirmatur; quia qui cum aliquo contrahunt, debent videre an ille habeat sufficientia bona, vel certè curare, vt det sufficientem cautionem: quod si non fecerint, sibi imputent; non enim tenetur inimicus ex iustitia tam procul respicere.

Quartò, Non videtur hæc obligatio vsu recepta, imò communi hominum iudicio non censetur homicida creditoribus obligatus, nisi fortè ea intentione occiderit, vt eis obesset.

Dices Primò, Homicida tenetur filijs occisi, quia parens illis ex iustitia obligabatur: ergo cùm etiam 152

Filij.

etiam obligetur ex iustitia creditori, tenebitur ei occisor.

Resp. negando antecedens: Ideò enim tenetur filiis occisi, quia videntur vna persona cum parente, ita vt censeantur damnum passi in bonis propriis, quæ per parentem possidebant. Neque verum est, parentem debere ex iustitia filiis, cùm solùm teneatur lege pietatis.

Dices Secundo, Qui hypothecam perimit, tenetur creditori de damno: ergo etiam qui interimit debitorem, qui ratione obligationis personalis, est instar hypothecæ.

153 *Hypotheca.* Respond. Primò, negando antecedens: Nam satisfacit dando æquiualens illi hypothecæ; vt si erat domus, ædificando domum similem; vel dando æstimationem, & compensando fructus pro tempore, quo eos impediuit.

Secundò, negando consequentiam: Quia debitor non obligatur secundùm se, vt hypotheca; (non enim potest vendi) sed ratione bonorum, quæ actu habet, vel habiturus erat; quæ compensantur ab homicida, ipsius heredibus, quorum est defuncti debita soluere.

154 *Pauperes.* Dico Secundò, Etiam probabile est, non teneri illis quos occisus alebat ex liberalitate. Ita docet Sotus, Lopez, & Salonius suprà.

Probatur Primò; Quia hoc damnum merè per accidens illis obuenire censetur. Secundò, Quia interfectus non tenebatur: ergo nec interfector; cùm ipsi non censeantur vna persona cum interfecto. Tertiò, Quia alioqui teneretur alere omnes famulos eius & pauperes, quos ipse sustentabat, quod tamen non est vsquam receptum.

Dices, Qui per vim impedit, ne quis alteri benefaciat, tenetur illi de damno illius commodi sperati: at homicida per vim impedit; ergo, &c.

Resp. Maior vera est, si eo modo vis adferatur, vt censeatur his velle nocere: hic autem non eo modo, neque eo fine vim infert; sed quia est inimicus, cui per accidens coniunctum est damnum aliorum. Adde, quòd si ille pauperes alebat, fortè heredes facti ditiores, alent multò plures: nam singuli aliquas eleemosynas dabunt.

155 *Parens, vxor, filij* Dico Tertiò, Occisor solùm videtur obligari parentibus occisi, filiis & vxori. Ita Sotus suprà lib.4. qu.6. art.3. ad tertium, & Lopez cap. 62. & Salonius qu. 62. art. 2. Bañes ibidem qu. 6. Idem tenent multi alij. Ratio est, non quia heres succedit in iura defuncti; nam defunctus numquam ius habuit ad illam restitutionem, vtpote cuius obligatio per mortem eius orta fit: sed quia parens & filius censentur vna persona, similiter maritus & vxor: quare qui interficit Petrum, ille vxori, liberis, & parenti eius damnum infert, eoque in re sua lædit. Nam veluti partem quamdam abscindit, à qua illis strictissimo nexu prouenie-bat vtilitas. Itaque si filius interfectus sit, & parens debeat succedere, eò quòd interfectus careat prole, ipsi restitutio facienda. Similiter eo casu, quo filius debuisset parentem alere, occisor tenebitur. Idem dico de vxore: ea enim commoda filijs, parentibus, & vxori eius rependenda, quæ ipse interfectus præstare debuisset. Quòd si tantummodò habet fratrem, qui fratri succedat, probabile est ei nihil deberi, nisi ratione iuris, quod defunctus ante mortem acquisiuit; quod totum in heredem etiam extraneum transit. Ita Bañes, Sotus, & alij suprà. 156 *Frater.*

Primò, Quia nec est heres necessarius, nec censetur vna persona cum eo; vnde non censetur læsus in re sua.

Secundò, Quia communi hominum iudicio non dicitur ei damnum illatum, sed potiùs commodum. citiùs enim fruitur eius bonis; & si vixisset, fortè alios heredes instituisset.

Aduerte etiam, probabile esse, homicidam non teneri vxori, si illa nullum notabile detrimentum accepit, vel si æquè commodè potest nubere, vt iidem DD. tradunt. Tunc enim non censetur in rebus pecunia æstimabilibus læsa. Neque parenti occisi, nisi fortè sit heres, vel filius occisus illum alebat, & aliunde ei non sit prospectum. Quia alioquin non censetur in re sua læsus, ita vt damnum pecuniarium acceperit. 157

Dico Quartò, Si læsus interfectori omnia remittat, ad nihil tenebitur; sicut qui volentem interficit. est communior sententia Doctorum, Bañes q.62.a.2.Dub.6. Soti, Salonij, & aliorum sup. Ratio est, quia filiis non fit iniuria per homicidam in bonis fortunæ, nisi quatenus læduntur in parente, contra ipsius voluntatem: ergo quando parens condonat omne damnum, nullum ius eis remanet. Sicut enim per eum ius acquirunt, ita etiam amittunt. 158 *Si condonet.*

Nihilominùs non rectè faciet læsus, si filiis valdè egentibus, condonet occisori omnem restitutionem: valebit tamen in conscientia, nisi fortasse lege positiua non permittatur ei nisi alicuius certæ portionis bonorum dispositio, v. g. tertiæ, quartæ, vel quintæ: tunc enim non valet remissio, nisi iuxta hanc moderationem, vt quidam volunt. Alij tamen non addunt hanc limitationem, quia tale debitum, cùm ab honestissimis viris plerumque condonari soleat, non videtur censeri inter bona creditoris, de quibus loquuntur leges, portionem legitimam præscribentes. nemo enim cogitur huiusmodi actiones ex delicto vel iniuria nascentes in censu suo numerare. 159

CAPVT DECIMVM.

De iniuriis in corpus proximi per stuprum & adulterium, deque congrua restitutione.

Constat Dubitationibus 7.

NOTANDVM, esse varias luxuriæ species, vt docet D. Thomas infrà quæst. 154. art. 1. inter quas duæ sunt, quibus potissimùm iniuria fit proximo, *stuprum* & *adulterium*. Quare de hisce duabus dicendum, & de restitutione huc pertinente; de ceteris infrà lib. 4. cap. 3.

DVBITATIO 1.

Vtrùm stuprum, si fiat consentiente puella, contineat specialem deformitatem vel iniuriam supra simplicem fornicationem.

1 *Stuprum.* CAietanus 2.2. quæst. 154. art. 6. fusè nititur probare, *stuprum* (seu defloration virginis) per se continere specialem deformitatem, atque adeò specialem iniuriam in ipsam puellam, & in parentem eius, sub cuius custodia manet, eò quòd per illud violetur & reseretur claustrum virginale, cui per se debetur parentis custodia.

2 Dico Primò, Si puella non est sub potestate parentum, vel tutorum, vel si illis consentientibus se patiatur violari; illud stuprum non continet specialem malitiam mortalem supra fornicationem. Ita Sotus in 4. d. 18. qu. 2. art. 4. post septimam conclusionem, & Petrus Nauarra lib. 2. de restitution. cap. 3. nu. 433. Probatur; quia in stupro non est speciale peccatum, nisi sit specialis iniuria; quod etsi quidam negent, tamen ceteri cum Caietano fatentur: sed hic nulla est iniuria; quia consentienti non fit iniuria: ergo, &c.

Violatio virginitatis.

Dices ex Caietano, Nec ipsa, nec parentes poterant consentire: sicut nemo potest consentire vt sibi abscindatur manus: atqui per stuprum fit scissio quædam & ruptio membri: ergo fit verè iniuria, etiamsi consentiant.

3 Respondeo Primò, Verius esse, nullam fieri rupturam, vt peritissimi Medici docent. Deinde, etiamsi esset aliqua ruptura, illa per se non est illicita; nam potest fieri per actum matrimonij: & in se considerata, est parui momenti; cùm non lædat naturam.

Tertiò, Si alicui volenti abscinderetur manus, non fieret ei iniuria: vt docet Bañes ex D. Thoma in 4. quæst. 64. art. 5. in fine; & constat ex dictis suprà cap 7 Dub. 3. multò ergo minùs, ob innocuam illam rupturam. Denique, ipsa est domina sui corporis, & habet ius vtendi eo, etiam ad hoc opus; ita vt nemini faciat propriè iniuriam: sicut corrupta nemini facit iniuriam, si suo corpore abutatur.

Dices Secundò ex Caietano, Si stuprum non habet peculiarem malitiam, quando parentes & puella consentiunt, ergo neque adulterium, si maritus & vxor consentiant.

Resp. Negando consequentiam: violatur enim indissolubile illud vinculum, quod matrimonij contractus induxit, quod non est in mariti potestate. Vnde etsi vterque consentiat, adhuc duplex in adulterio malitia remanet. Primò, quia est commercium earum personarum, inter quas nullum matrimoniale vinculum intercedit: sic enim habet turpitudinem fornicationis, estque contra castitatem. Secundò, quòd per illud violetur insolubile vinculum, quo naturæ Auctor alterum alteri obstrinxit, quod que Sacramenti sanctitas confirmauit. hac ratione habet malignitatem adulterij, estque quodammodò contra iustitiam, vt multi DD. volunt; quia coniunx iure illo cedere non potest. non tamen propriè est iniuria in coniugem: vt ex dictis suprà cap. 7. Dub. 3. constat. de hoc infrà lib. 4. cap. 3. Dub. 10. plura.

4 *Adulterium coniuge consentiente.*

Notandum tamen est, Bañes suprà constituere malitiam propriam stupri in quadam deformitate, non contra iustitiam, sed contra castitatem; quia natura ordinauit illam integritatem ad placendum viro in matrimonio. Sed profectò, hæc obligatio videtur parui momenti; nam potest abstinere à nuptiis: potest etiam ita agere, vt vir non percipiat fuisse corruptam. denique potest ante matrimonium cum illo paciscì, vel esse parata perferre ipsius molestias. Vnde etiam ipse non multùm huic sententiæ inhæret.

5 *Si parens non consentit.*

Dico Secundò, Si puella potestati parentum subiecta, absque illorum consensu patiatur se violari, illa violatio nõ continet specialem culpam mortiferam, ratione resignationis claustri virginei: quamuis ratione mœroris & infamiæ, quam adfert parentibus, possit interdum specialem & grauem culpam continere. Prior pars sequitur ex dictis, quia ipsa est domina sui corporis, nec parens maius habet ius in corpus filiæ inuiolatæ, quàm violatæ. Secunda pars patet, quia ingens mœror parentibus inde solet obuenire, ob dedecoratam familiam, & spes frustratas. Sed hæc incommoda per accidens coniuncta sunt violationi virginitatis; nempe ratione euulgationis: si enim occulta maneret, nihil tale sequeretur. Adde, eadem sequi posse ex fornicatione filiæ corruptæ. Vnde patet, hanc malitiam non constituere propriam speciem stupri. Est tamen valdè ponderanda; quia potest esse mortifera, vtpote quæ sit contra charitatem proximorum, & pietatem seu reuerentiam parenti & familiæ debitam; & sæpè ex ea grauissima mala, vt inimicitiæ & cædes, sequuntur.

Potest adesse malitiam mortiferam ratione mœroris & dedecoris familiæ.

6 *Si consensit ipsa sola.*

Dico Tertiò, Si puella consensit liberè in sui violationem, non est propriè *stuprum* à fornicatione specie distinctum, sed tunc demum propriè est tale, quando violatio fit ipsa omnino inuita. Vbi aduerte, *stuprum* aliquando accipi pro omni coitu lege prohibito. sic etiam adulterium, & sodomia, & incestus, *stuprum* vocantur: vt patet L. Inter liberas. ff. de adulteriis. aliquando accipitur strictiùs: & sic in virginem & viduam committi-

mittitur: vt habetur eadem Lege. Sed propriissimè accipitur pro violenta virginis corruptione: quæ Græcis propriè dicitur φθορὰ, id est, corruptio: vnde *stupratores & corruptores* virginum propriè dicuntur, qui vim inferunt: & sic propria ratio *stupri* consistit in hoc, quòd virginitati seu claustro virginali vis adferatur. Quare supra fornicationem, addit iniuriam in puellam, qua per vim integritas corporis (quæ maximi fieri solet) ei adimitur. vnde est grauissimum peccatum, pœna mortis plectendum.

Stuprum propriss. simè.

7 *Raptus.* Differt autem à *raptu*, quòd *raptus* vim includat, qua puella abripitur à domo sua, vel paterna, & locum habere potest in corrupta: *stuprum* autem tantùm in integra, & potest fieri sine omni raptu: sicut & raptus potest fieri sine violatione.

8 *Delectationes morosa in virgine, vel circa virginem.* Ex his sequitur, cogitationes seu delectationes morosas in virgine, & in adolescente circa virginem, etsi sint peccata mortifera, non habere tamen specialem malitiam mortiferam supra alias delectationes morosas, nisi coniunctæ sint cum voluntate inferendæ violentiæ.

Dvbitatio II.

Ad quid teneatur corruptor virginis, si non promisit ei coniugium.

9 *Si ipsa te consensit.* Respondeo & Dico Primò, Si puella liberè consensit, ipse ad nihil ei tenetur. Sequitur ex dictis, quia volenti non fit iniuria: neque tunc est propriè stuprum. Addo cum Soto lib. 4. q. 7. ar. 1. ad 2. neque parenti eius quidquam tunc deberi. Ratio est; quia nec illi fit iniuria; nisi fortè quatenus censetur lædi honor, & dedecorari familia. puella enim est domina sui corporis. Neq; D. Thom. qu. 62. art. 6. ad 3. contrarium tenet, vt quidam dicunt. Similiter ad nihil tenetur, si puella remisit damni compensationem. potest enim cedere iure suo, quod habet ad detrimenta nuptiarum sarcienda, præsertim cùm liberum ei sit à nuptiis abstinere.

10 *Si vi vel fraude inducta.* Dico Secundò, Si vi aut fraude vsuram corporis extorsit, etsi absque promissione, tenetur tamen vel eam sibi matrimonio copulare, vel damnum reparare. Ita docet Nauarr. c. 16. n. 16. & sequentibus, Silu. ver. Luxuria, quæst 5. Anton. 2. p. t. 5. cap. 6. §. 1. & alij. Probatur; quia damnum tunc per iniuriam illatum est, ergo debet rependi. hoc autem fiet vel matrimonio, vel damni æstimatione.

Sed contrà, c. 1. de adulteriis, dicitur: *Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotabit eam, & habebit vxorem.* quod desumptum est ex cap. 22. Exod. & c. 2. *Disponimus, vt quam stuprauerit, vxorem habeat; ac si renuendum putauerit, corporaliter castigatus & excommunicatus, retrudatur in monasterium.* hìc non solùm ad alterum, sed ad vtrumque teneri dicitur: nec solùm ad æstimationem damni, sed ad integram dotem.

11 Resp. Hæc intelligenda esse, post sententiam Iudicis, vt rectè docet Silvest. suprà. ante enim sententiam non tenetur, nisi ad alterum. neque ad integram dotem, sed solùm quanti pluris valebat spes nuptiarum, quam adhuc integra habebat: nam Iure naturæ ad amplius non tenetur. ita Couarru. 2. p. de sponsal, c. 8. §. 8. n. 19.

Dixi, *absque promissione*, quia si intercessit promissio, implenda est, vt statim dicemus n. 35.

12 *Si parens nolit admittere matrimonium.* Petes, Quid si parens vel puella nolit admittere matrimonium, vtrùm ipse damnum teneatur reparare pecunia? Respondeo, Si vi defiorata fuit, potest recusare ipsius matrimonium, & exigere quanti pluris eget ad alteri liberè pro sua conditione nubendum. Idem dico, si fallaciter inducta fuit; vt si adolescens fingebat se nobilem vel diuitem, vt eam deciperet. qui enim fingit aliquid, ob quod ipsa consentit, & cupit gratificari, sine quo nullo modo consensisset; iniuriam ei facit, ac proinde tenetur de damno secuto. Couarr. tamen p. 2. de sponsalibus, cap. 6. §. 8. nu. 19. existimat, puellam in hoc casu admittere debere matrimonium, si ipsius conditio ei respondeat. quæ sententia nititur quadam æquitate. Sed verius putamus, eam in rigore non teneri acceptare: quia circa ipsum decepta fuit per iniuriam; vt existimaret esse alterius conditionis quàm reuerà sit; quæ deceptio causa fuit damni: vnde potest iustam compensationem exigere.

13 *Si ipsa velit.* Sed, Quid si ipsa velit matrimonium, tenetúrne corruptor? Respondeo, si nec tacitè nec expressè promisit, (vt si vi aut minis extorsit) non tenetur ante sententiam, sed sufficit in foro conscientiæ, damni illati compensationem præstare, siue vi siue fraude & mendacijs illam induxerit; modò promissio non interuenerit.

14 *Si precibus inducta.* Petes, Vtrùm adolescens teneatur ad alterum prædictorum, si precibus importunis vsuram corporis impetrarit? Quidam putant non teneri, nisi coniunctæ fuerint minæ, aut metus reuerentialis; vt, si erat illius dominus, aut superior, aut magnæ auctoritatis, cui ipsa nihil audeat recusare: ita Petrus Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 444. & quidam alij recentiores: quæ sententia est satis probabilis, & ordinariè vera. Fieri tamen potest, vt importunitas tanta sit, vt ratione illius solius teneatur: vt si adeò importunè eam sollicitet, vt ipsa malit graue illud virginitatis detrimentum pati, quàm assiduè tam improba sollicitatione enecari. Tales erant preces Dalilæ, quibus expugnauit Samsonem. Sed hoc rarum est: quia molestiam illam plerumque aliter excutere possunt, concepta ira, qualem in hac causa decet. deinde quamuis initio videatur multùm repugnare; postea tamen sæpè libenter consentiunt. Promissa verò vim non adferunt, sed blandè alliciunt: multoq; magis munera. alioquin qui promissis vel muneribus impetrasset officium, vel legatum, teneretur ad restitutionem, quod non est probabile. vide plura infrà, cap. 17. dub. 6.

Promissa & munera.

15 *Si aquè commodè nupsit.* Dico Tertiò, Si puella vi aut fraude violata, fortè posteà æquè commodis potita est nuptijs, ita vt nihil detrimenti acceperit; non debet ei quidquam necessariò restitui. Ita docet Nauar. cap. 16. numer. 17. & 19. multique recentiores. Probatur; quia neque pro ipsa defloratione pudicitiæ, vt quæ irreparabilis sit, & pretio non æstimanda; neque pro damno inde secuto, cùm nullum reipsa secutum sit.

16 *Periculum damni.* Dices, Stuprator constituit eam in periculo non inueniendi commodas nuptias; quod periculum est pretio æstimabile: ergo debet rependi.

Respondeo, Inferre alteri periculum, etiam vitæ & fortunarum, non obligat ad restitutionem, nisi damnum reipsa sequatur. huic tamen

non obstat, quin aliqua compensatio possit in pactum deduci, antequam se periculo quis exponat. v.g. possum iustè exigere 100. vt me exponam vitæ periculo; tamen si alius me iniustè adducat in tale periculum sine pacto, non tenetur ad vllam restitutionem, si fortè damnum secutum non fuerit. quia periculum etsi magni æstimetur ob damnum quod potest sequi; si tamen non sequatur reipsa, nihil pro illo restituendum, (nisi pactum interuenerit) nam periculum damni, non est damnum.

17 *Si aquè benè nupsit.* Dices Secundò, Ergo puella, quæ iam 100. acceperat pro defloratione, tenebitur restituere, si posteà æquè benè nupsit, & nihil incommodi est perpessa. Respon. Negando conseq. Primò enim, poterit retinere pro ipso pudicitiæ damno: iuxta alteram sententiam, quæ probabiliter sentit, illud esse pecunia reparandum. Secundò, etiam iuxta nostram sententiam non tenebitur. Ratio est, quia qui in aliquo periculo vitæ, fortunarum, vel infamiæ est constitutus, potest pacisci cum eo qui ipsum per iniuriam in tale periculum coniecit, de damno quod probabiliter timetur. & quamuis posteà non obuenerit, poterit tamen pretium conuentum retinere, & si nondum solutum fuerit, poterit ex vi pacti exigere; eò quòd illud periculum, quod alter præstare debebat, in se susceperit, quod enim damnum non euenerit, vel suæ industriæ, vel benignæ Dei prouidentiæ adscribat. Confirmatur, quia potest quis pacisci de lucro cessante, vel damno emergente, antequam eueniant (nempe, certo pretio periculum horum in se recipiendo:) nec tenetur restituere pretium conuentum, etiamsi non eueniant, quando alterius causa hoc periculum suscepit. ergo etiam poterit, quando alterius culpa in periculum coniectus est; quia tunc ille tenetur periculum

18 præstare. Debet tamen hoc pactum iniri, dum periculum adhuc durat: nam si nullum sit ampliùs, non est pretio æstimabilis eius præstatio: itaque tunc pro ea non poterit quidquam exigere. Similiter, nec heredes puellæ poterunt exigere, si ipsa ante tempus nubendi obierit, & ante obitum pacta non fuerit: quia damnum non est

19 *Potest condonare.* secutum. Denique si postquam pacta est, condonauerit: potest enim hanc condonationem facere, etiamsi sub parentum cura fuerit; quia non parentibus, sed ipsi debetur.

Dvbitatio III.

Ad quid teneatur corruptor, si eam decepit promissione coniugij.

20 *Tenetur eã ducere.* Respondeo, Si promisit coniugium, & ea spe seu conditione vsuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiamsi fictè promisisset. Est communis sententia DD. Probatur, quia hæc promissio facta est in modum contractus; vnde cùm ipsa ex parte sua compleuerit contractum, tenetur etiam ipse complere, prout exteriùs iudicio prudentum sonat; alioquin si tali artificio vti liceret, infinitis fraudibus humana commercia paterent. Confirmatur, quia ipsa, consentiendo bona fide in copulam pro matrimonio futuro, Ius Iustitiæ acquisiuit ad ipsius matrimonium, cui Iuri non potest ipse satisfacere, nisi consentiendo in matrimonium. Vnde sequitur, non satis esse eam dotare, vel largis donationibus damnum sarcire, si ipsa nolit acquiescere. Idem dicendum, si 21 animo ficto cum eo per verba de præsenti contraxit, eò tantùm fine vt ea potiretur: vt docet Sotus in 4.d.29.q.1.ar.3. & Adrian.qu.2. de matrimonio, & alij. Etsi enim matrimonium illo casu sit nullum, tamen manebit obligatio eam ducendi, si ipsa velit, ratione iniuriæ & damni secuti.

Aduerte tamen, excipi aliquot casus, quibus non *Quibus casibus non teneatur ducere.* tenebitur eam ducere, sed sufficiet aliter damnum sarcire. Primò, Si ipse longè sit nobilior vel opulentior, idque ipsa sciuerit; tunc enim facilè po- 22 tuit suspicari, ipsum simulatè nuptias promittere, 1. *Si multùm superet.* vt ea frueretur.

Dico, *si ipsa id sciuerit*, quia si omnino ignorauit ipsius conditionem, & exteriùs non habuit vllam causam suspicandæ fraudis, tenebitur eam ducere, si ipsa velit. ita Petrus Nauarra suprà, & multi alij DD. Ratio est, quia tenetur ex parte sua contractum complere, ne ipsa detrimentum patiatur. Neque illa facit iniuriam exigendo promissum; quia pacta fuit corpus pro corpore, bona fide. reliqua, vt diuitiæ, nobilitas, per accidens se habent ad hunc contractum. Quidam tamen di- 23 *An pecuniæ compensari.* cunt, posse eum pecunia satisfacere arbitrio prudentum: quod est probabile. insinuat D. Thomas in 4.d.28. art. 2. ad 4. ait enim, *quod teneatur eam ducere, si sint æqualis conditionis, vel si ipsa est melioris conditionis*; indicans non teneri, si ipse sit melioris. Idem tamquam valdè probabile tenet Corduba lib.1.sui Quæstion.quæst.13. Ratio est, quia qui in contractu fictè aliquid promittit; quod est longè melius, non tenetur illud dare, sed sufficit vt det aliud, quod iudicio prudentis sit æquale. sufficit enim ad iustitiam, vt contractus reducatur ad æqualitatem.

Secundò, Si ex alijs coniecturis facilè deprehendi poterat, ipsum non sincerè agere (vt ver- 24 bis ambiguis vti, inconstanter loqui, nimijs vti 2. *Si aduertat non sincerè agere.* exaggerationibus.) Ratio est, quia in his casibus puella facilè potest aduertere vel suspicari, ipsum reuerà nihil seriò promittere, sed se ludificari. Vtrùm verò teneatur tunc damnum, si quod secutum fuerit, rependere, dubium est: quidam putant teneri, quia per iniuriam causam damni dedit, fraude enim & mendacio eam decepit. Sed 25 verius videtur non teneri. si enim fraudem facilè potuit aduertere, non præsumitur decepta, sed fingere deceptionem, vt ait D.Thom. suprà, & Silueſt. Matrimonium quartò q.8.Tabi.v.Matrimonium 2.q.7.& Fumus v. Restitutio n.22. citatque D.Thomam & Vercellensem.

Tertiò, Si aliquod impedimentum legitimum 26 interuenerit, vt si fiat eius affinis, si ducat aliam 3. *Si impedimentum.* per verba de præsenti, si sacros ordines suscipiat, si graue aliquod damnum vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur: denique, si pater nolit eã dare. In his casibus sufficiet damnum sarcire. de hoc tamen vltimo est difficultas. nam si corruptor non admittitur à parente puellæ ad matrimonium, paratus alioquin promissorum fidem præstare; cur in conscientia teneatur alio modo damnum sarcire? Quidam distinguunt; si ex animo promisisset, ad nihil aliud obligandum, quia nullam iniuriam intulisset. si autem animo fallaci promisisset, tunc à parente & à puella posse repudiari tamquam impostorem & pudicitiæ insidiatorem,

torem, & tamen ratione iniuriæ teneri nihilominùs damnum sarcire. Sed verius puto, in conscientia ad aliud non teneri, quàm ad implendum promissum, ducendo eam in vxorem; sic enim abundè videtur satisfacere pro iniuria per fictionem illata. Quod confirmatur ex aliis contractibus; si enim fictè tibi promittam mutuum, eoque nomine tu emas merces; facio tibi iniuriam, & teneor sarcire damnum, nisi seruem promissum: si tamen seruare volo, tu verò nolis accipere, non teneor damnum secutum compensare.

27 *Nō tenetur compensare pecunia.*

28 *4. Si fornicata fuerit.*

Quartò, Si illam contingat posteà cum alio fornicari, prior non tenebitur eam ducere. Ratio est; quia in promissione sponsalium hæc conditio tacitè subintelligitur. Sed difficultas est, Vtrùm tunc teneatur illi aliter satisfacere? Respondeo, non teneri, nisi antè fuerit conuentum. nam ex vi promissionis solùm tenetur eā ducere. quæ obligatio extinguitur per superuenientem fornicationem. vnde nisi anteà fuerit mutata in obligationem pecuniariam, nihil ei ex iustitia debebitur.

29 *5. Si ipsum decepit.*

Quintò, Si dicenti se virginem, promisit nuptias, vt ea potiretur, & posteà deprehendat, non esse virginem, non tenebitur stare promissis. ita Lopez 1.p.cap.76. citans pro se Armillam. idē tenet Corduba lib.1.q.13.sui Quæstionarij dicto 3. Ratio est; quia sicut eam decepit, ita vicissim ab ea deceptus est: itaque est compensatio iniuriæ. vnde nec videtur pecunia compēsare debere. cur enim teneatur, cùm ab ea deceptus sit? Confirmatur; quia si seriò promisisset, non teneretur propter illam deceptionem: ergo neque dum fictè.

30 *6. Si non erat virgo.*

Sextò, Si putabat illam esse virginem, & in coniunctione deprehendat reuerà non fuisse; quamuis ex verbis eius deceptus non fuerit. quo casu non tenebitur illam ducere: vt docet Corduba suprà lib.1.q.13. quia illa causa sufficiens est ad soluenda sponsalia; tenebitur tamen, iuxta prædictum Auctorem, pecunia compensare; quia ipsa illum non decepit fraude aliqua. Contrarium tamen fortè non improbabile, quia si seriò promisisset, non solùm non teneretur eam ducere, sed neque dotare. Nam ex vi promissionis solùm obligatur ad eam ducendam; quæ obligatio cessat ex eo, quòd deprehendat non esse virginem; vt alibi dictum est. quam sententiam inuenio probatam doctissimo viro Thomæ Sancio libr. 1. de matrimonio disput. 10. n. 12.

31 *Si sciebat non esse virginem.*

Aduerte tamen, Si sciebat eam non esse virginem, & promisit ei matrimonium fictè, ad obtinendam copulam, ea secuta, tenebitur illam ducere, si ipsa velit; quia ipse deceptus non fuit, & illa ex parte sua, præstitit conditionem contractus. ita docet Silvest. verb. Matrimonium 4. qu. 8. Palud. d. 28. q.1. ar.2. concl.4. Contrarium tamen esse verius, si non timetur infamia, docet Thomas Sancius, citans Lopezium, Veracruz, & reliq. quare sufficiet compensare pecunia. Ratio est; quia corrupta, exigendo tale matrimonium pro corporis sui vsura, nimium exigit. Non enim tanti æstimatur copula cum corrupta, vt matrimonio eius debeat compensari. Vnde cùm non teneatur ad matrimonium ratione promissionis, (vt quæ nulla fuerit) nec ratione damni, cùm nullum secutum sit, vt suppono: solùm tenetur iudicio prudentis compensare copulam, per talem iniuriam obtentam. secùs tamen si esset honesta vidua, & impenderet infamia.

Dvbitatio iv.

Vtrùm is, qui antè vouerat ingredi Religionem, si posteà puellam sub promissione vera vel ficta matrimonij decepерit, possit ingredi.

32 *Non potest intrare Religionem.*

Respondeo, Non posse intrare, sed teneri eam ducere, vt passim DD. tradunt: si tamen ipsa votum eius omnino ignorauit, & recuset omnem aliam satisfactionem. Probatur: Quia ingressus Religionis iam factus est ei illicitus; non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam irrogando puellæ; ergo, &c.

Secundò, à simili. Si ego vouissem 100. dare in eleëmosynam, & posteà inferrem alteri damnum tanti æstimatum, nec haberem aliunde, quo illud compensarem; tenerer dare illa 100. Deo vota, nec possem persoluere votum, omissa damni compensatione; quia obligatio strictæ iustitiæ præponderat obligationi religionis: ergo similiter hìc, cùm ratione contractus & damni pudicitiæ, corpus illius sit obnoxium puellæ, nec aliter possit ex æquo sarciri, nisi cum illa contrahendo, tenebitur contrahere, & etiam cōsummare matrimonium: nam contrahendo & non consummando, non censebitur reparatum damnum pudicitiæ, nec occurretur efficaciter infamiæ imminenti.

Tertiò, Quia puella bona fide ex parte sua compleuit contractum, cum damno suæ pudicitiæ: ergo alter tenetur complere ex parte sua. Neque puella tenetur admittere aliam compensationem, tum quia pudicitia non est pecunia æstimabilis, tum quia non tenetur subire infamiam amissæ virginitatis, vt ille votum suum impleat.

33 *Si sciuit eius votū.*

Aduerte tamen, si puella sciuit eum habere votum castitatis vel Religionis, non potest vrgere ipsius nuptias; quia non bona fide contraxit, cùm videret ipsum non posse nuptias promittere. Sed, tenetúrne tunc aliter compensare? Certè non videtur teneri; (nisi fortè persuaserit puellæ se facilè obtenturum dispensationem) quia non fuit ab ipso decepta. sciuit enim, quod promissum est, non posse ab ipso licitè præstari.

An aliter compensare teneatur.

34 *Dispensatio.*

Petes, Vtrùm in his casibus impetrari debeat dispensatio voti? Respondeo, non videri necessarium; quia executio voti facta est illi illicita. consulendum vt petatur; quia aliàs tenebitur ex parte sua seruare castitatem, si eam vouit; vnde non poterit debitum petere, sed tantummodò reddere, ea implicitè vel explicitè petente.

35 *Si sponsalia contraxit.*

Quod dictum est de eo, qui promissione matrimonij virginem decepit, non posse illum ingredi Religionem absque ipsius consensu; idem dicendum de eo, qui contractis sponsalibus non obtinuit quidem vsuram corporis, sed magnam familiaritatem, quæ moueat suspicionem copulæ, ita vt absque notabili infamia puellæ non possit recedere à cōtractu. ita Corduba & Lopez supr. n. 29. citati. Ratio est, quia non potest hanc iacturam aliter sarcire. Idem dicendum si erat vidua bonæ famæ, & non infimæ sortis, ob eamdem causam.

Si vi vel dolo defloratā fuit.

Denique idem docet Sancius lib. 8. disput. 36. si puella vi vel dolo fuit defiorata, vel precibus violentiæ æquipollentibus; & corruptor vt huic iniuriæ satisfaciat, sponte promittat ei matrimonium: tunc enim tenetur stare promissis, nec potest illâ inuitâ Religionem capessere. Ratio est, quia ex

vi illius defloratione iniuriosæ tenetur illam ducere, vel dotare, iuxta cap. 1. de adulteriis, quod ex lege veteri translatum in Ius canonicum. Itaq; cùm ratione iniustæ violationis teneatur ad alterum disiunctiuè, vbi semel elegerit alteram partem, non potest mutare absque consensu puellæ. *Quod enim semel placuit, amplius displicere non potest*: iuxta regulam 21. de regul. Iuris in 6. Quod intellige, si alterius interfit, vt ibidem Glossa: atqui hîc plurimùm interest puellæ te non mutare. Confirm. Quia cùm obligatio est disiunctiua, facta electione alterius partis, hæc sola debetur; vt patet in aliis debitis. electio autem in huiusmodi est debitoris; vnde debet esse libera. quare si metu cogatur ad illam partem, nempe ad promittendum matrimonium, non tenetur ad illam; sed soluendo dotem, vel damnum sarciendo, est liber.

Si viduam vi vel fraude.

Si viduam honestam vi vel fraude absque promissione matrimonij cognouit, etsi posteà ei promitteret matrimonium in satisfactionem, nihilominùs posset alio modo pro iniuria satisfacere, & ita religionem ingredi. ita Sancius suprà. quod intellige, nisi sequeretur illam grauis infamia, cui alia ratione non possit occurri. Ratio est, quia talis promissio fuit omnino libera; (solùm enim de defiorante virginem statutum est, vt teneatur eam ducere, vel dote augere, cap. 1. & 2. de adult.) vnde habet tacitam conditionem, Nisi religionem ingrediar. Sicut qui promissione pecuniæ puellam defiorauit, etsi posteà loco pecuniæ promittat matrimonium, nihilominùs potest religionem ingredi soluta pecunia promissa: quia cùm sit promissio omnino libera, non à Iure imperata, habet tacitam conditionem prædictam.

Promissio libera.

Contraria sententia verior.

Verùm etsi hæc sint probabilia; verius tamen puto esse eamdem rationem in foro conscientiæ, siue promissio facta sit viduæ honestæ, siue virgini, in prædictis casibus, modò cetera sint paria. Ratio est, quia Ius illud cap. 1. de adult. non obligat ante sententiam Iudicis, vt suprà dictum est, & communiter docent Auctores. Itaq; promissio illa matrimonij in vtroque casu censetur liberalis; ac proinde tacitam habens conditionem, Nisi religionem ingrediar. poterit ergo ingredi, soluendo dotem, aut prudentis arbitrio compensando, nisi per sententiam coactus fuerit illam ducere. Vbi etiam aduertendum, eum qui consentientem defiorauit, si posteà ei matrimonium promittat, in foro externo cogendum vt eam ducat. Ratio est, quia quando vi vel dolo fecit secuta promissione, est compellendus, vt dictum est: atqui præsumitur ita fecisse; quia non videtur sponte consensi sse: vnde cogetur, nisi probet illam vel non fuisse virginem, vel sponte præbuisse consensum, vt rectè Sancius suprà.

In foro externo.

Dvbitatio v.

Vtrùm adulter teneatur aliquid restituere marito adulteræ pro iniuria, si partus non sit secutus.

36 Respondeo & Dico Primò, Si nullum aliud damnum secutum est, non teneri quidquam pro hac iniuria marito illata rependere. Ratio est; quia iniuriæ ab omni damno separatæ, non debetur ex iustitia, nisi satisfactio, per signa doloris, veniæ petitionem, &c. quæ tamen locum non habet, quando iniuria ignoratur; vnde nisi maritus resciscat, non tenetur adulter ad talem satisfactionem. hæc enim satisfactio non fit, nisi sentienti se iniuria affectum, cùm consistat in placatione animi exacerbati. quòd si resciscat, & putetur cupere, tenetur: aliàs minimè.

Dico Secundò, Si maritus exigat satisfactionem pecuniariam, alter non tenetur eam præstare. Ratio est; tum quia tale damnum non est illatum; tum quia hæc conuentio seu transactio pro iniuria adulterij, Iure est interdicta, L. Transigere. 18. C. de transactionibus, vbi dicitur: *Transigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitũ non est.* Idem vetatur L. Miles. 11. ff. ad legem Iuliam, de adulteriis. quod idcircò Ius vetuit, ne maritus videatur suæ vxoris lenocinium facere, eiusq; corpus ad quæstum tamquam leno prostituere. Si tamen maritus occultè transigeret cum adultero sine scandalo, non videretur peccare, nec ad restitutionem teneri; quia leges illæ magis pertinent ad Iudices, ne concedatur actio, nimirum in pœnam, ob præsumptionem lenocinij; quàm ad mores priuatos. 37 38

Occulta transactio non est illicita.

Dvbitatio vi.

Vtrùm si secutus sit partus, teneatur adulter ad restauranda damna, quæ consequuntur, marito vel heredibus legitimis, ex sustentatione eius & hereditatis partitione.

Respondeo & Dico Primò, Adulter non tenetur ad vllam damni compensationem, nisi ei moraliter certum sit, esse suam prolem. Vbi aduerte, non videri certum, quamdiu habet probabilem rationem dubitandi de contrario: vt dictum est 1.2.q.19.artic. 6. Id enim moraliter certum censetur, quod prudenter ita creditur, vt contrarium nullo modo videatur probabile: talia enim passim humano more certa dicuntur. Nunc probatur; quia in dubio, melior est conditio possidentis: nemo enim tenetur aliquid soluere, & re sua se spoliare, nisi ei constet se debere. consentiunt ferè in hoc DD. Quamuis enim quidam dicant illum teneri, quando probabiliter credit esse suam prolem, hoc tamen non est ita generatim intelligendum; sed quando ita credit, vt non habeat probabilem rationẽ dubitandi de contrario. Fieri enim potest, vt quis probabiliter credat esse suam prolem, & etiam probabilitatem habeat non esse: quo casu certum est non teneri. vide Sotum lib. 4. de Iustit. q 7. ar. 2. Nauar. c. 16. n. 48. & 49. 39 40

Quid certum.

Dico Secundò, Si vllo modo suasit vel procurauit, vt adultera prolem susceptam marito supponeret, fingeretque esse eius prolem, tenetur de damno secuto; nempe de alimentis & hereditate, vnà cum adultera. Ratio est; quia vterque est causa totius damni. 41

Si suasit, tenetur.

Vbi aduerte, vtrumque teneri pro rata æquè primò; adulterum, quia vtriusque nomine suasit; adulteram, quia vtriusque nomine fecit. Quando enim cõsilium est in commodum consultoris, ipse tenetur primo loco, executor solùm in defectum. si tantùm est in commodum executoris, executor tenetur primò, consultor solùm secundariò in defectum

Consultor & executor.

defectum. si in commodum vtriusque, vterq; tenetur æquè primò pro rata: in solidum verò, ex defectu alterutrius, vt inf. c. 13. Dub. 5. dicetur.

42 Dico Tertiò, Si adulter agnoscat esse suam prolem, vel certè nullam habeat iustam rationem dubitandi, tenetur restituere saltem ea quæ impensa *Alimenta.* in alimenta prolis, à tertio anno ætatis & deinceps, quamdiu parens tenetur filium alere, quamuis non suaserit suppositionem. Est communis sententia Doctorum contra Sotum suprà. Probatur, quia pater à tertio anno tenetur alere filium & deinceps, donec sibi de alimentis prouidere possit; à partu autem ad tertium annum inclusiuè, tenetur mater: colligitur ex cap. 2. De conuersione infidelium. & probat ibidem Glossa. Et ex

43 L. Nec filium. 9. C. de patria potestate. Sed præcipua difficultas est de restitutione hereditatis, quam nothus ille cum aliis filiis, tamquam vnus ex legitimis prolibus, cernit.

Sententia Soti & quorudam aliorum. Quidam docent, etiamsi adulter agnoscat esse suam prolem, tamen non teneri sarcire damnum legitimis filiis, ex illegitimi successione obueniens; modò non fuerit auctor suppositionis. docet hoc Sotus suprà, & Henriquez lib. 1. De matrimonio cap. 21. vbi pro eadem sententia citat Pennam. Alij quidam recentiores, etsi contrarium teneant, tamen fatentur, hanc Soti sententiam non esse improbabilem.

Probari potest Primò, Quia iste adulter non est verè causa huius damni: neque enim illud intendit, neque sua actione attingit, sed aliena actione prouenit: nempe matris suppositione, & fictione, quæ illum tamquam legitimum marito suo supponit; cuius fraudis adulter non est auctor, nec consultor, vti ponimus.

Secundò, Si adultera procuraret sibi abortionem, non censeretur adulter causa homicidij: nisi fortè suasisset vel adiuuisset: ergo similiter non censebitur causa suppositionis, & consequenter neque damni ex suppositione secuti; non enim videtur esse magis causa suppositionis quàm abortionis, cùm neutrum consuluerit, & vtrumque ex sola voluntate adulteræ secutum sit: ipso materiam, circa quam vtrumque fit, dumtaxat suppeditante, id est, prolem.

44 Dices, censeri auctorē huius suppositionis, quia matrem in eam necessitatem coniecit, vt necessariò deberet prolem supponere, alioquin debuisset seipsam prodere. Respondetur, non ideò censeri auctorem; quia nō coniecit illam nolentē & inuitam in eam necessitatem, sed volentem: vnde ipsa sibi debet imputare, quòd in ea necessitate sit constitutura. Addi potest, probabile videri, quòd etsi per

45 iniuriam, illam in hanc necessitatem coniecisset, (quamuis teneretur illi de damno quod ipsa pateretur) non tamen obligatum iri heredibus, quibuscum illegitimus opera matris hereditatem diuidit; vt si constituam aliquem in necessitate accipiendi mutui aut vendendi supellectilis, & ille ratione istius inopiæ faciat iniuriam tertio, non tenebor tertio, cui ille iniuriam, occasione inopiæ, fecit; sed illi, cui ego iniuriam intuli.

Contraria placet. Verùm contraria sententia mihi placet, Primò, quia communis, à qua proinde in re tanti momenti non est facilè recedendum. Secundò, quia non expedit in re tam nefaria fauere adulteris. Tertiò, quia etiamsi adulter non suasit suppositionem, tamen est causa cur nothus ille credatur esse legitimus filius mariti, idque iniquo modo, videlicet commercio cum vxore aliena.

Vnde cùm ex iniurioso facto ipsius sequatur 46
hæc falsa credulitas; censetur etiam causa damni, quod ex illa credulitate nascitur.

Neque dici potest, hoc damnum inde nasci per accidens; quia sicut ille error vt plurimùm sequitur ex tali facto iniquo, ita ex errore damnum: idque facile erat præuidere.

Et confirm. quia adulter verè est causa suppositionis: hoc ipso enim quo facit nasci prolem ex aliena vxore, supponit illam marito eius tamquam esset ipsius vera proles. nam id sufficit vt cēseatur proles mariti, & consequenter vt supponatur marito tamquam sua. ergo est causa suppositionis, & consequenter damni quod sequitur. Sicut si ipse poneret prolem viuam actu in vtero vxoris alterius, verè supponeret prolem marito, non minùs quàm si occultè in domo, subtracta vel interfecta proleillius, supponeret extraneam. atqui eadem est ratio de semine, quod est proles in potentia: sicut perinde est, siue serpentem actu, siue semen eius ponas in loco, vnde posteà nociturus est.

Dices, Sola mulier supponit pariens in domo mariti, vel affirmans eius esse prolem.

Resp. Negando antecedens; quia non est opus *Non sola mulier est causa suppositionis.* ad suppositionem, vt dicat esse prolem mariti. Nam hoc ipso quo non est suspicio adulterij, censetur esse mariti; quare eo ipso quo causam dedit pariendi, suppositionis crimen admisit. vnde cùm non sola, sed vnà cum adultero causam dederit, etiam adulter est causa suppositionis. Nec refert etiamsi foris non pariat; quia ad id non tenetur, nisi salua fama & vita commodè possit: & quamuis posset, non tamen idcircò, id omittendo, ipsa esset sola causa suppositionis: quia per hoc non excusaretur adulter; neque idcircò ex eius facto minus damni proueniret.

Similiter non excusaretur ille, etsi orta suspicione adulterij, ipsa iuret esse prolem mariti; quia damnum aliarum prolium semper ex eius facto iniusto sequetur, si nothus succedat. sicut quando duo causam efficacem damni futuri dederunt, non excusatur alter ex eo quòd alter causam illam occultet. v. g. Titius & Caius propinarunt alicui latens venenum, vnde ille moriturus est, nisi ei succurratur. oritur suspicio de Titio: negat Titius: hinc fit vt ille moriatur: non excusatur Caius à restitutione, sed vnà cum Titio tenetur. quia causam efficacem dedit, vnde reipsa damnum secutum est.

Hinc etiam patet, non esse necesse vt tempore adulterij extent liberi, quibus fiat iniuria. quia sufficit per actum iniustum poni causam, ex qua liberis extantibus damnum sequetur. Manet enim actus ille iniustus virtute in causa, velut in semine. sicut cùm tyrannus legem iniustam scribit, quæ etiam ad 100. annos nocet.

Ex his facilè soluas rationes sententiæ diuersæ.

DVBITATIO VII.

Ad quid teneatur adultera, si partus secutus sit.

RESpondeo, & Dico Primò, Tenetur quan- 47
tum fieri potest sine famæ dispendio & vitæ periculo, procurare, ne legitimi heredes ratione huius illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiant.

Tenetur compensare.

capiant. Ita communiter DD. Vnde si habet parapherna, tenetur ea relinquere legitimis in compensationem. Similiter, si quid ex labore capiat lucri; ad quod ei etiam diligentia præstanda. Debet etiam solitos sumptus imminuere, quantum commodè potest, spectata conditione status, valetudinis, &c. Quòd si hisce modis non potest satisfacere, tenetur eum inducere ad capessendam Religionem, si ad eam videatur idoneus. Ratio est, quia omnibus modis debet cauere damnum heredibus.

48 Dico Secundò, Si hisce modis plenè potest damnum compensare, non tenetur ad aliud; sed potest permittere, vt illegitimus succedat. Ratio est, quia nullum tunc sequitur damnum legitimis heredibus.

Dices, Illegitimus per leges ciuiles est incapax hereditariæ successionis: atqui hæ leges obligant in conscientia.

49 Respondeo Primò, Non esse incapacem, quando eo nomine illa portio ceteris est compensata; & res omnino est occulta: neque in hoc casu leges illas accipiendas.

Potest tunc cum aliis succedere.

Secundò, Etiamsi sit incapax, tamen potest permitti vt succedat, ne ipsa infametur: præsertim quando alij inde damnum non sentiunt, ob compensationem.

50 Dico Tertiò, Etiamsi nullo modo possit mater compensare damnum; non tenetur tamen prodere suum crimē marito aut proli, nisi moraliter certa sit damni auertendi. Est communis DD. præter Adrian. q. 1. de restitut. §. Sed restat, & Palud. in 4. d. 27. q. 2. a. 1. qui putant eam teneri sese prodere, quāuis existimet se nihil effecturā; quia, inquiunt, fieri potest, vt filius ei credat, & fortè credet.

Non tenetur, si dubitet an proderit.

Probatur nostra sententia; quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo quamdiu prudenter dubitat an proderit reuelatio, non tenetur famam suam, crimen occultum pandendo, prodigere, multoq; minùs, quando parum est credibile profuturum. Imò id magnæ esset imprudentiæ; redderet enim se infamem & exosam apud filium, & ipsum conijceret in magnos æstus animorum; quod non est faciendum absque certo fructu, de quo probabiliter non dubitetur.

51 Vbi aduerte Primò, Ratò accidere, vt adultera non habeat iustam rationem dubitandi an reuelatio proderit.

Filius non tenetur matri habere fidē.

Primò, Quia filius matri dicēti ipsum spurium non tenetur credere, etsi sciat ipsam adulteram fuisse, vt docet Glossa in cap. Officij. 9. de pœnit. & remissionib. & fatentur omnes Canonistæ in cap. Per tuas. 10. de probationibus, & Iurisperiti in L. Si posthumus. 14. ff. de liber. & posthumis. Ratio est; tum quia alleganti suam turpitudinem, nulla debetur fides: vt in regulis Iuris dicitur; quod intellige, cum alterius præiudicio, vt in præsenti casu accidit: tum quia, cùm ipse & sua, & publica opinione sit legitimus, non tenetur cum tāto suo incommodo se reputare illegitimum, nisi conuincatur. Itaque quamdiu subest aliqua ratio suspicandæ fraudis vel erroris, non tenetur credere. Tum denique, quia ingenium mulierum est, alios præter modum amare, alios odisse.

Secundò, Quia mater potest sibi persuadere, filium, etiamsi credat animo, tamen verbis negaturum; nec ideò cessurum hereditate, sed potiùs omnia litibus & tumultibus misturum.

Aduerte Secundò, Si filius omnino conuincatur, (vt, quia mater testibus probat, parentem toto illo tempore abfuisse) tenetur non adire hereditatem. 52 *Si conuincatur esse illegitimus.*

Dices, Qui alterum infamauit, tenetur reuocare, quamuis non putet aliquem crediturum: ergo mulier tenetur se filio aperire, &c. Ita Adrian.

Respondeo, Si infamator certus sit nihil profuturum, non tenetur: si dubius, tenetur; quia ipse damnum intulit in fama, quod etiam cum famæ dispendio debet sarciri. mulier autem ipsa damnum non intulit, sed solùm causam dedit, ex qua damnum sequetur, non famæ, sed pecuniæ: vnde tenetur impedire, si potest, etiam cum dispendio pecuniæ; non tamen cum dispendio vel periculo famæ.

Dico Quartò, Quamuis certa spes esset per reuelationem criminis, damnis heredum occurrendum iri; non tamen tenetur etiam suum patefacere, si inde periculum vitæ vel famæ sibi impendere putaret. 53 *Non tenetur cum vitæ periculo.*

De periculo vitæ est communis sententia DD. *De periculo famæ* docet Scotus d. 15. q. 2. sub finem. Gabr. ibidem q. 2. Caiet. q. 62. ar. 6. & opusculo 31. responsione 14. & Nauar. cap. 16. nu. 44. & c. 17. n. 89. vbi fusè & doctè id probat, &c. 28. nu. 47. Couarru. regula Peccatum, 1. p. nu. 7. Innocent. Panor. & alij Canonistæ in cap. Officij 9. de pœnit. & remiss. Castro lib. 2. de potestate legis pœn. cap. 11. Medina C. de restitut. qu. 3. Et quidem *de periculo vitæ* patet Primò, Quia vita nullo pretio est æstimabilis: ergo propter rei pecuniariæ restitutionem, non tenetur quis vmquam vitam prodigere aut periculo exponere.

Secundò, Quia in periculo vitæ cessat dominiorum distinctio, ita vt licitè re aliena tamquam tua vti possis: nec tenearis eam restituere, quamdiu periculum durat, vt si in fuga alienum equum conscenderis, & ille perierit: ergo, &c. Hinc fit, vt etiamsi amplissima hereditas, aut primogenitura, aut etiam regnum ad spurium deuolui deberet; non tamen ad hoc impediendum vita exponi debeat. numquam enim potest esse tanta externorum bonorum copia, vt ipsam per se solam præferri vitæ oporteat. Si tamen spurius esset perditis moribus, ita vt ex dominatu eius timeretur mala Reipublicæ administratio; legitimus autem esset optimæ spei, teneretur adultera etiam cum vitæ periculo impedire spurij successionem. hoc enim non prouenit ex obligatione, qua tenetur impedire damnum legitimi heredis, sed malum Reipublicæ: estque hæc obligatio potiùs ex lege charitatis vel iustitiæ legalis, quàm Iustitiæ commutatiuæ. 54 *Nisi maiora mala impēdeant.*

Altera pars, quòd *neque cum famæ periculo,* Probatur Primò ex cap. Officij. 9. de pœnitent. & remissionibus. vbi Pontifex consultus de quadam muliere, quæ partum sibi insigni artificio suppositum erat, essētne absoluenda, cùm crimen suum timeret marito detegere, respondet: *Sicut mulieri, quæ ignorante marito de adultero prolem suscepit, quamuis id timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda, ita nec illi; sed competens satisfactio debet iniungi per discretum sacerdotem.* Hìc Pontifex loquitur in genere de ea, quæ ob aliquam iustum causam timet marito detegere crimen; nempe ob periculum vitæ, vel famæ, vel etiam perpetuæ offensionis, 55 *Neque cum periculo famæ.*

Secun-

56 *Res superioris ordinis.*

Secundò, Quia fama est res superioris ordinis, quæ iuxta Regulam Caiet. & Nauarri numquam est necessariò exponenda pro rebus inferioris conditionis. Hinc enim fit, vt homo etiam infimæ sortis non teneatur vitam exponere pro maximis thesauris restituendis, vel fama, etiam illustris hominis, reparanda.

Tertiò, Quia fama apud homines pecunia non solet æstimari: & si quis eam sic æstimaret, præoptando pecuniam famæ, contra rectam rationem faceret; *melius enim est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, vt habetur Prouerbiorum 22. quo fit, vt etiamsi ad perfectionem pertineat pecuniarum renuntiatio; non tamen famæ & boni nominis; cùm hæc ad ædificationem proximi, & rectam officij administrationem pertineant. vide infrà cap. 11. Dubit. 15.

Quartò, Quia quòd soli succedant legitimi, legibus humanis est introductum; quæ non videntur obligare, sed omnino cessare, quando imminet tale dispendium.

Aduerte autem Primò, nos loqui de muliere honestæ conditionis, & quæ pro tali passim habetur: hæc enim propriè est bonæ famæ. Nam si suspecta sit, vel adeò vilis, vt ipsius fama prudentum iudicio parui sit pretij; putarem locum habere posse sententiam Soti, famam iudicio prudentum esse componendam cum æstimatione hereditatis: quod tamen nõ admiserim de vera fama, qualem honestæ conditionis & vitæ matrona possidet. 57

Secundò, si maritus sit vir valdè bonus & prudens, & pariter filius, ipsique rem silentio sint compressuri, neque idcircò mulierem osuri, aut probris vexaturi; non censebitur se infamare, quamuis crimen illis detegat. Vnde si hæ circumstantiæ adsint, & simul sit certa spes damni auertendi, (quod sanè rarissimum est) tenebitur se ipsa prodere. 58

CAPVT VNDECIMVM.

De iniuriis famæ & honoris, per detractionem & contumeliam, deque necessaria restitutione.

Complectitur Dubitationes 27.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit fama & honor, & quo modo distinguantur.

1 *Fama.*

RESPONDEO, Iurisperiti sic definiunt: *Fama est illæsa dignitatis status, legibus & moribus comprobatus.* Ita habetur L. Cognitionũ. 5. π. de extraord. cognit. sed hîc tantùm bona fama describitur. In genere sic describi potest: *Fama est multorum existimatio de vita & moribus alterius.* Sermo etiam de hisce & rumor, fama dici solet, nempe à *fando.* sed potissimùm consistit in ipsa opinione & iudicio interno; estque duplex, *Bona*, *Mala.* *In quibus fama bona sita sit.* Nos hîc solùm de bona agimus, quæ potissimùm consistit in opinione virtutis & sapientiæ (in quibus etiam intelligo functiones ex his procedentes;) hæc enim duo sunt propria hominis bona, ob quæ sola est laude dignus: secundariò autem in opinione ingenij, eloquentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, potentiæ, opum, & similium; quæ etiam magni æstimantur apud homines, qui & famam ex hisce quærunt.

2 *Honor.*

Honor autem nihil est aliud, quàm *testificatio quædã excellentiæ alterius:* vt docet D. Tho. q. 103. art. 1. ad 2. immediatè tamen est testificatio nostræ opinionis, de excellentia alterius, cum quadam nostri submissione; & mediatè, ipsius excellentiæ. nam signa externa immediatè significant nostros conceptus & affectus; mediatè res ipsas. *Dupliciter exhibetur.* Hoc autem fit vel verbis, vel signis. Verbis, vt quando quis alterum honorificè compellat, vt sapientem, eximium, magnificum, clarissimum, &c. Signis, vt genuflexione, corporis inclinatione, cessione primi loci, erectione statuæ, &c. qui enim cupiunt honorari, nihil aliud optant, quàm talia signa suæ excellentiæ exhiberi.

Excellentia autem, quam respicit honor, potissimùm consistit in sapientia & virtute (quæ etiam sanctitas dicitur;) hæc enim habent præcipuam excellentiam. Deinde etiam in aliis perfectionibus & dignitatibus vel moralibus, vel realibus à Deo communicatis, siue mediante ratione naturali, siue supernaturaliter. Sic potestas, quæ est in Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus, & quæ in Sacerdotibus, est honoranda; quia est communicatio quædam diuinæ potestatis: dignitas quoque principij, seu causæ, quæ est in parentibus: denique omnis perfectio rationalis naturæ; quia est participatio quædam perfectionis diuinæ, est aliquo modo ratio honorandi, si nihil aliud impediat. Quod addo, propter *dæmones & damnatos:* qui quia in malo obdurati, & omni ignominia digni, nullo honore sunt afficiendi. Denique id quod singularem quemdam ordinem, vel vt effectus, vel vt instrumentum ad hasce perfectiones habet, etiam est ratio honorandi. Sic nobilitas & diuitiæ honorantur: nobilitas, quia ex præclarè gestis orta est; diuitiæ, quia ad opera præclara facultatem præbent, suntque virtutis instrumentum. 3 *Excellẽtia in quibus consistat.* 4

Ex his patet differentia honoris & famæ. nam fama est opinio virtutis, sapientiæ, & rerum præclarè gestarum alterius: honor autem est testimonium excellentiæ. Fama igitur consistit in interna opinione; & dum exit in opus externum, dicitur laus, vel vituperatio: honor autem consistit in externa significatione nostræ æstimationis de excellentia alterius, & submissionis nostri. vnde supponit opinionem excellentiæ, & intentionem exteriùs per aliquod signum eam testandi, 5 *Discrimen honoris & famæ.*

ſtandi, (in quo ſigno conſiſtit honor) idque ideò, quia hoc excellentiæ eſt debitum. Hinc fit vt honor ſit excellentius quid, quàm fama: nam includit famam, ſeu opinionem excellentiæ, & præterea eius teſtificationem & manifeſtationem. Vnde meritò Ariſtoteles lib.4. Ethic.cap.3. docet, *honorem eſſe maximum inter bona externa*; cuius ſignum eſt, quia, vt ipſe ait, *Principatus & diuitiæ, propter honorem ſunt optabilia.* ſed de his plura infrà cap.36.Dub.1.&2.

DVBITATIO II.

Quid ſit detractio.

D.Thom.quæſt.37.art.1.

6 REſpondeo, *eſt alienæ famæ occulta & iniuſta denigratio ſeu violatio.* Ita ab omnibus paſſim DD.definiri ſolet. Vbi aduerte, duo requiri ad *detractionem.* Primò, vt aliquid dicatur, vel eo modo dicatur, vt alicuius famam & exiſtimationem, quam poſſidet in animo alterius, extinguere aut minuere valeat. Secundò, vt fiat occultè, ſaltem iuxta intentionem dicentis: ſi enim quis in præſentia alterius, famæ detrahere intendat, iam non erit ſimplex detractio, ſed *contumelia*, quæ dictis vel aliis ſignis incoràm violat alterius honorem: vt patet ex D.Thoma q.72. art. 1. Vnde dupliciter differt *detractio à contumelia.* Primò, quòd detractio directè lædat famam; contumelia autem honorem. Secundò, quòd detractio fiat occultè, ſeu in abſentia, ſicut furtum; iuxta illud Eccleſiaſtæ 10. *Si mordeat ſerpens in ſilētio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit:* contumelia autem potiſſimùm fit incoràm. ſicut enim honor non exhibetur niſi præſenti, vel abſenti tamquam præſenti; (deſiderat enim is qui honorat, vt honorato innoteſcat & opinio, quam de illius excellentia habet, & teſtimonium, quod exhibet) ita contumelia non fit niſi præſenti, vel abſenti tamquam præſenti. Vnde patet, detractionem ceteris paribus eſſe minus peccatum, quàm contumeliam; tum quia minus bonum aufert; tum quia eſt minùs contra alterius voluntatem. nam occultè & altero neſciente aufert famam, ſicut fur pecunias; quod eſt ſignum, ipſum reuereri eum cui nocet. ſed contumelia, quaſi vi illata, honorem aufert ſcienti & actu renitenti, ſicut raptor pecunias.

Detractio.

Differt à contumelia.

8 Notandum eſt, Detractionem fieri octo modis, vt colligitur ex D.Thoma: quatuor directè, & quatuor indirectè. Directè Primò, imponendo crimen falſum. Secundò, amplificando crimen verum. Tertiò, pandendo crimen occultum. Quartò, ſiniſtrè interpretando alterius factum: qui quartus modus, quatenus in animo alterius per tuam interpretationem lædis bonam opinionem quam ipſe de proximo conceperat, vel ingeneras prauam; pertinet ad detractionem: vt verò in animo tuo ſic iudicando temerè, proximo iniuriam facis; ad temerariū iudicium. Indirectè Primò, negando rectè facta, vel dotes alterius. Secundò, ea extenuando. Tertiò, tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo tuum ſilentium alij interpretabuntur tacitam vituperationem. Quartò, ſimulatè vel frigidè laudando: vt quando quis ſimulat ſe velle laudare aliquem, & tamen nihil affert laude dignum. Nam vt Phauorinus apud Gellium lib. 19. Noctium Attic. cap. 3. ait, *Peius eſt frigidè laudare, quam apertè reprehendere.*

Fit octo modis.

DVBITATIO III.

Quale peccatum ſit detractio.

D.Thom.art.2.& 3.

9 NOtandum eſt, Non eſſe detractionem, ſi quis ſeruato ordine correptionis fraternæ, patefaciat teſtibus vel Superiori crimen fratris vt emendetur; quia non eſt iniuſta famæ læſio. Nam pro bonis ſuperioris ordinis, licitè exponuntur bona inferiora; vt pecunia pro vita corporali, & fama pro ſalute ſpiritali. Vt autem ſit detractio, requiritur vt iniuſtè fama lædatur; quod dupliciter fieri poteſt. Primò, directa intentione. Secundò, indirecta.

10 Nunc, Dico Primò, Si directè intendas famam alterius lædere, erit formalis detractio; ex genere ſuo peccatum mortiferum, grauius quidem furto, (quia lædit proximum in bono, quod pecunia eſt præſtantius) ſed leuius homicidio (quia illud bonum eſt minùs præſtans quàm vita,) & leuius adulterio; quia adulterium triplicem malitiam continet: nempe contra bonum prolis, contra ſanctitatem matrimonij, & contra ius coniugis, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Eſt peccatum mortiferum.

11 Dixi, *ex genere ſuo*, quia ratione exiguitatis materiæ, in qua quis intendit famam alterius lædere, poteſt eſſe veniale; vt ſi de induſtria aliquam paruam imperfectionem alterius narres.

Similiter, ratione materiæ vel circumſtantiarum fieri poteſt, vt aliquod furtum ſit grauius aliqua detractione, & aliqua detractio adulterio: infamare enim grauiter aliquem Ordinem Religioſum, vel Prælatum Eccleſiaſticum, peius eſt peccato adulterij. Inter omnes detractiones ea eſt peſſima, quæ fit per libellos famoſos; tum quia ad plurimos permanat; tum quia ægerrimè poteſt aboleri, cùm auctor nequeat deprehendi. Vnde morte punitur & qui libellum famoſum ſparſerit, & qui inuentum vulgauerit; vt patet L. vnica, C. de famoſis libellis.

Libelli famoſi.

12 Dico Secundò, Quòd ſi non intendas lædere famam, ſed ex quadam loquacitate narres peccata vel defectus alterius, eſt detractio materialis; quia læſio alterius non eſt directè volita: eſt tamen peccatum mortiferum, ſi id, quod narratur, grauiter proximi famam lædat. Ratio eſt; quia etſi expreſsè non intendas lædere; tamen intendis implicitè, dum vis illud vnde per ſe læſio ſequitur.

13 Dico Tertiò, Si id quod narratur, parum lædat, erit veniale. hinc fit Primò, vt narrare defectus veniales proximorum, nō ſit niſi veniale: vt docet D.Anton. p.2.tit.8. c.4.& Silu.v. Detractio, n.2. Ratio eſt, quia cùm nemo ferè ab his ſit liber, non notabiliter lædunt famam; niſi fortè conditio perſonæ talis eſſet, vt in ea huiuſmodi defectus cenſeantur magni momenti; vt ſi quis diceret de viro graui & religioſo, eſſe mendacē, id eſt, crebrò mēturi: nam dicere illum ſemel vel bis mentitum, non eſſet mortale; quia non ideò amitteret famam. Secundò, ob eamdem cauſam ordinariè nō eſt peccatum mortiferum, reuelare defectus naturales; (niſi inde aliquod notabile damnū ſequatur) ſiue illi defectus ſint animi; vt ſi dicas quempiam eſſe ignarum, parui iudicij, parui ingenij: ſiue corporis; vt eſſe cæcum, gibboſum, &c. Idem locum habet in defectibus natalium, vt ſi quis dicat eſſe filium Clerici, natum ex adulterio, & ſimilia: vt docet

Defectus veniales narrare.

14

Defectus naturales.

Natalium defectus.

15 docet Pet. Nauar. lib.2.c.4.num.307. & insinuat Nauarr. c.18.n.24. nisi fortè propterea putaretur valdè in animo eorum, quibus dicitur, contemnendus. Ratio est; quia ob hæc non censetur quis
16 infamis. Si tamen in faciem hæc & similia, præsertim viro honorato, dicantur conuitiandi causa, erit peccatum mortale; quia censetur notabilis contumelia; secùs si vilis sit conditio; nisi fortè grauem mœrorem inde putetur concepturus. Ter-
17 tiò, Quando ratione conditionis personæ, peccata, etiam mortifera, non censentur notabiliter lædere famam; non est peccatum mortale, horum reuelatio: vt si quis dicat, militem commisisse duellum, habere concubinam, decepisse puellam: vel, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus. Quartò, Idem dicendum, si generalibus no-
18 minibus peccatorum mortalium aliquem infames; vt si dicas, esse superbum, auarum, iracundum; vt docet Siluester Detractio n 2. ex D. Anton. suprà. Ratio est, quia hæc nomina ordinariè non ita accipiuntur, vt sonent peccata mortalia; sed vt naturalem inclinationem, vel veniales defectus denotent. Fieri tamen potest, vt ratione dignitatis personæ, de qua dicuntur, vel quia putantur accipienda pro grauibus vitijs, sit in his peccatum mortiferum. vide Nauarr.cap.18.n.24.

Generalia vitiorum nomina.

Dvbitatio iv.

Vtrùm auditor detractoris peccet mortaliter.

D.Thom.art.4.

19 Respondeo & Dico Primò, Qui ita audit vt inducat vel excitet ad detrahendum, non minùs peccat quàm ipse detractor, sed potiùs magis: similiter qui detrahentem verbis vel gestibus animat ad prosequendũ. Ita D.Thom.a.4. & alij. Quòd magis peccet, probatur; quia non solùm ipse in se peccat affectu detractionis, sicut detractor, sed etiam alteri est causa detrahendi. detractor enim solùm est auctor sui peccati, ille verò & sui & alterius: vnde tenetur ad restitutionem, nisi detractor ipse restituat. In hoc casu locum habet quod ait Bernardus lib. 2. de consid. sub finem: *Detrahere vel detrahentem audire, vtrum horum detestabilius sit, non facilè dixerim.*

Inducens detractorẽ.

20 Dico Secundò, Qui audiendo detractorem, lætatur, nõ tamen inducit nec animat ad continuandum, peccat mortiferè contra charitatem (vt qui alieno malo lætetur) & etiam contra iustitiam, quatenus gaudet eo opere, quo alteri iniustè damnum datur: non tamen tenetur ad restitutionem, quia non est causa damni.

Qui lætatur audiẽs.

Dices, Tenebatur impedire, & non impediuit: ergo est causa. Respondeo, Non tenebatur obligatione iustitiæ, sed solùm charitatis. vnde saltem non est causa per iniuriam.

Aduerte tamen, Si quis solùm delectetur eloquentia detractoris, vel curiosa cognitione factorum proximi; non tamen desideret, vt ille detrahat; non esse peccatum mortale: sed tunc solùm, quando vel delectatur damno proximi, (quod non potest prouenire nisi ex aliquo odio) vel ita delectatur eloquentia vel curiosa cognitione, vt placeat ei quòd alter detrahat. Nam vt Apostolus ad Rom.1.ait: *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Ex curiositate audiens.

Dico Tertiò, Qui nec inducit, nec lætatur, tamen audit, nec resistit, cùm possit, aliquando pec- 21
cat venialiter, aliquãdo mortiferè. Mortiferè peccat, si infamia sit grauis, & facilè possit eam impedire, nec putet eam alia ratione auertendam, vel breuî recuperandam. Ratio est; quia charitas obligat, vt graue damnum proximi, quod ipse inuitus patitur, impediamus, si commodè possumus. Vnde si sit Superior, qui ex officio tenebatur impedire proximi infamiam, obligabitur ad restitutionem, in defectum inferioris. Venialiter peccat 22
Primò, si detractio est leuis. Secundò, si est quidem de re graui, tamen solùm sit apud vnum, vel vt summum duos, qui rem omnino silebunt, tunc enim nõ censetur notabilis infamia. ita Caiet. 2.2. q.73.a.2.dub.1. Cordub q.2.concluſ.5. Pet. Nau. lib.2.cap.4.nu. 334. sed hæc sententia non est ita vniuersè amplectenda, vt infrà dub. 11. dicetur. Tertiò, si nimia verecundia vel animi pusillitate non audeat resistere. ratio est; quia tunc valdè difficile est efficaciter impedire: vnde tunc non tenetur, saltem sub peccato mortali; nisi fortè infamia esset valdè atrox, vel grauia incommoda putaretur paritura. tunc enim deberet sibi vim facere, excussa verecundia, & modestè contradicere. Quartò, Si putet detractorem sponte reuocaturum vel emendaturum quod dixit, idque breuî & efficaciter: quod vt faciat, adhibenda correptio fraterna, si opus sit. Quintò, Si putet auditores non credere. Nullo autem modo peccas, si vel non putes profuturam tuam monitionem, vel metuas aliquod magnum damnum; vt contumelias, verbera; vel si rationabilis verecundia obstet; vt si sis famulus, vel nullius auctoritatis. debes tamen tunc, si commo- 23
dè possis, vel discedere, vel faciem tristiorẽ ostendere, vel sermonem aliò diuertere: nam hac ratione impeditur, vel saltem minuitur detractoris feruor, iuxta illud Prouerb. 25. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguas detrahentium.* vide Chrysost. Hom.3.ad populum, à medio vsque ad finem: Bernard. Serm.24. in Cantica, & Serm.de triplici custodia, manus, linguæ, cordis.

Non resistens.

Quando sit venialiter.

Dvbitatio v.

Vtrùm audita, vel alia quælibet referens absque asseueratione & dubitanter, peccet mortaliter, & teneatur restituere.

Respond. & Dico Primò, Non esse peccatum 24
mortiferum si ita referat, vt ei probabile non sit vllam inde infamiam orituram, eò quòd alij non sint credituri. Ita Scotus d.15.q.4. Nau.c.18. n.50. & multi alij DD. Ratio est; quia tunc non est probabile periculum damni proximo.

Notandum tamen, Si crimen esset valdè graue, vt hæresis, proditio, præpostera libido; & verisimile esset, ex narratione auditoribus malam suspicionem suboriturum, posse esse peccatum mortiferum; quia talis suspicio videtur esse magnum malum, respectu honestæ personæ.

Dico Secundò, Si quis audita referat coram iis, 25
quos probabile est ex sua leuitate credituros; etiamsi ipse sufficientem occasionem ad id minimè dederit, peccat mortiferè contra charitatem, non

Si ex leuitate putentur credituri.

tamen contra iustitiam; ac proinde non tenetur ad restitutionē. Quòd *mortifere peccet*, probatur; quia qui aduertit, ex suis dictis vel factis aliū grauiter lædendū, siue in fortunis, siue in fama, siue in corpore; tenetur ex charitate abstinere, si commodè possit; quamuis id ex alterius culpa proueniturum videat. Quisque enim tenetur impedire notabile damnum proximi, quantum commodè potest, & maximè quod sui occasione proueniret. Quòd autem non *teneatur ad restitutionem*, docet expressè

26 Caiet.q.73.a.3. cùm ait, *eum, qui audita refert, non teneri ad restitutionem*. & Nau.c.18.n.48.vbi dicit, *non teneri, qui non dedit iustam causam credendi*. Adrianus in 4.q. de restit. famæ, in fine. Sil.v. Detractio,q.4.& aliquot alij DD. Ratio est; quia non est causa efficax damni, sed merè per accidens ex ipsius narratione sequitur: non enim eius narratio est talis, vt idonea sit fidem facere; sed quòd illi credant, id prouenit ex illorum leuitate vel malitia. Vnde is qui narrat audita ab hominibus parum fide dignis, indicatis suis auctoribus, non tenetur ad restitutionem, etiam si auditores ex sua le-

27 uitate credant: imò etiamsi id malo animo faceret: quia intentio nocendi non obligat ad restitutionem, quando opus ex se non est damnosum, vt suprà cap.7.dubit.2.dictum est.

Non teneri ad restitutionem.

Dico Tertiò, Qui refert audita eo modo, vel nominatis iis auctoribus, vt audientes meritò possint induci ad opinandum malum de proximo, peccat

28 contra iustitiam, & tenetur ad restitutionē. Ita Sotus l.4.de Iust. q.6.a.3. circa quartum argumentum. Probatur; quia dat sufficientem causam aliis malè opinandi, ex qua, mala opinio reipsa sequitur: ergo, &c. Antecedens probatur Primò, Quia si absolutè diceret Petrum cōmisisse adulterium, & alij crederent, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem: atqui quando eo modo narrat, vel eo auctore, cui meritò æquè sit credendum atque ipsi, non minùs efficaciter inducit audientes ad sic opinandum, quàm si ipse ex se asseueraret: ergo, &c. Secundò, Quia inducere alterius testimonium, est adferre argumentum non exigui ponderis ad persuadendum: ergo, &c.

Dvbitatio vi.

Vtrùm sit peccatum mortale, infamare seipsum.

29 CAietanus q.73. art.2. & in Summa v. Detractio, existimat esse peccatum mortiferū contra iustitiam, se infamare; quia censet hominem non esse dominum suæ famæ. Vnde colligit Primò, esse grauius peccatum se infamare quam proximum; sicut grauius est se occidere, quàm proximum: in qua sententia videtur etiam esse D. Aug. l.1.de Ciuit. c.20. Secundò, hominem teneri ad restituendum sibi famam. Sed communis sententia est in contrarium; pro qua

30 Dico Primò, Seipsum infamare, ex genere suo non est peccatum mortiferum, neque contra iustitiam, neque contra sui charitatem. Ita Sotus l.5. q.10.a.2. Nau.c.18.num.27.& 61. & alij passim. Probatur *non esse contra iustitiam*; quia homo est dominus suæ famæ, sicut suarum opum, vt suprà cap.4. dubit.11.dictum est: ergo illam dissipando, nulli facit iniuriam; (sicut neque dissipando alia bona) siue id fiat reuelando crimen verum, siue crimen falsum sibi imponendo. quæ enim lex iustitiæ obligat illum, vt retineat bonam existimationem in mentibus hominum?

Non esse contra iustitiam, nec peccatum mortiferum ex suo genere.

Non esse etiam contra charitatem, Probatur Primò, quia charitas non obligat hominem ad bona huius vitæ, quæ extra nos sunt, comparanda vel conseruanda; nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia vel nostra vel proximorum: ergo non obligat ad famam conseruandam, si ipsa secundùm se consideretur.

Secundò, Quia prodigalitas, quæ versatur in bonis externis, ex genere suo non est peccatum mortiferum, aut contra charitatem: sed solùm veniale contra liberalitatem: ergo cū fama sit etiam quoddam bonum externum, eius profusio non erit contra charitatē, sed solùm erit quædam prodigalitas.

Dico Secundò, Ratione tamē alicuius circum- 31
stantiæ, nempe damni, quod nobis vel aliis contingit ex nostra infamia, potest esse peccatū mortale, se infamare. Est communis DD. Primò, Si ex mea infamia sequatur notabile scandalum, vel mihi, vel proximo. Mihi quidem, vt si ex infamia redderer effrænatior ad peccandum. Sed exiſtimo rarò fieri, vt ex hoc capite infamare se, sit peccatum mortale; quia ordinariè est occasio remota. Proximo verò, vt si ille sciens me aliquando tale peccatum admisisse, inde occasionem acciperet idem patrandi: quamuis & hoc fortassis rarò vsu veniat, præsertim si cum dolore vel vituperatione crimen meum commemorem. Secundò, Si inde mihi immineat periculum vitæ, vt si dicam me occidisse parentem Petri, vel violasse eius torum: hoc enim non solùm est famæ, sed etiam vitæ profusio; & est alteri dare occasionem peccandi. Tertiò, Si mea fama sit necessaria muneri quod gero; vt si sim Episcopus, Parochus, Abbas, Prior: tunc enim peccabo contra iustitiam.

Potest esse peccatum mortale ex adiuncto.

Aduerte tamen, in hoc casu se infamare, aut fa- 32
mam suam negligere, non esse per se contra iustitiā; sed velle munus Prælati cum hac infamia, qua factus est ineptus, retinere. Vnde si quis vellet deponere officium, aut nouis virtutum exercitiis infamiam vincere, vt muneri non obsit; non erit hac ex parte contra iustitiam se infamare, aut famam negligere, vt docet Sotus l.4.q.6.a.3. ad 4. Quartò, Si mea infamia redundat in alios, v. g. in libe- 33
ros, in familiam, in Ordinem religiosum. est enim magna infamia liberis, (præsertim in Hispania & Italia) habuisse parentem hæreticum; præterquam quòd fiant inhabiles ad officia, & beneficia: & familiæ honestæ infamia est, esse aliquem in ea proditorem patriæ, sodomitam, latronem, vel qui publico supplicio sit affectus: Ordini religioso, habere Religiosum impuræ vitæ, ebriosum. In his igitur & similibus casibus, plerumque erit peccatum mortale seipsum infamare: tum quia notabiliter existimatio aliorum læditur, tum quia graui mœrore afficiuntur. Vtrùm autem sit contra iustitiam, dicendum infrà dubit.23.

Si infamia redundet in alios.

Dvbitatio vii.

Vtrùm possit quis sibi falsò crimen imponere, ad vitanda tormenta, præsertim si ob id esset extremo supplicio afficiendus.

CAietanus verb. Detractio, & quidam alij, ne- 34
gant id licere, etiamsi hoc modo posset mortē euadere,

euadere, eò quòd homo non sit suæ famæ dominus. Sed hoc fundamentum neque verum est, vt suprà ostensum; neque si verum esset, quidquam efficeret: quia etiamsi non esset dominus suæ famæ, tamen ad vitæ suæ vel proximi conseruationem, posset sine omni peccato crimen occultum, quod verè cõmisit, pandere; & sine peccato mortali crimen, quod non commisit, sibi falsò imponere. Ratio est; quia rectus ordo habet, vt bona minoris momenti exponantur conseruandis maioribus: (sic enim naturæ impulsu pars exponitur ad conseruationem totius) ergo pro conseruatione vitæ tuæ potes famam perdere, etiamsi famæ non sis dominus. Idem dico de vita proximi; quia licitum est pro illo vitam exponere: ergo multò magis famam; præsertim cùm fama sit bonum recuperabile. Vnde respondeo &

35 *Ob leuia tormenta non licet imponere sibi falsum.*

Dico Primò, Ad vitanda tormenta leuia falsò sibi crimen imponere, ob quod morte sit plectendus, est peccatum mortiferum. Ita Sotus lib.5. de Iustit. q.10. ar.2. estque communis sententia DD.

Probatur Primò; Quia quisque tenetur suam vitam conseruare & tueri, etiam cum aliquo dolore & incommodo, maximè quando mortem non est commeritus. Secundò; Quia in hoc casu censeretur sibi sponte mortem immeritam accersere, & seipsum quodammodò occidere, sine causa dando occasionem suæ mortis.

36 *Pandere verum.*

Dico Secundò, Non tamen erit peccatum mortiferum, si ob huiusmodi tormenta pandas verum tuum crimen occultum, etsi ob id morte sis plectendus. colligitur ex Scoto d.15. q.3. vbi dicit: *Expediret animæ homicidæ vt solueret per passiones voluntarias vel patienter susceptas; vt scilicet occideretur pro homicidio.* vbi indicat, expedire vt se offerat Magistratui puniendum. Idem tenet Pet. Nauarra l.2 c.4. nu 134. Probatur; quia iste meritus est mortem: ergo potest eam sibi optare & procurare, si bonum finem propositum habeat, nempe vindictam suorum scelerum, exemplum publicum, & vt abrumpat peccandi consuetudinem, quam alia ratione sibi non videtur posse deserere; denique vt benè se disponat ad mortem. nam alioquin est in periculo ne subitò pereat imparatus. Ob has causas sine omni peccato videtur se posse iudicio sistere, & crimen aperire: ergo idem poterit in tormentis. Neque dici potest, eum hîc peccare contra charitatem; tum quia maius bonum sibi propositum habet, quàm sit vita, ob quod vitam optat deserere; tum quia si alius, qui criminis esset conscius, illum accusaret, ob bonum publicum, eiusque salutem, non peccaret contra charitatem: ergo nec ipse.

37 *Sibi procurare mortem commeritam.*

38 *Si animi mollitie.*

Notandum tamen, si quis mollitie quadam animi, quòd parua tormenta nequeant perferre, crimina sua occulta proderet, non excusari à peccato; quamuis putem non fore mortiferum, nisi forte per accidens, ratione alicuius magni damni inde secuturi; vt est infamia familiæ, scandalum publicum, & similia.

39 *Si non sequatur graue incommodũ.*

Dico Tertiò, Ad vitanda leuia tormenta, confiteri crimen suum occultum, vel imponere sibi falsum, non est peccatum mortiferum, si nullum aliud grauius malum inde metuitur. Sequitur ex dictis; quia quisque famæ suæ est dominus: ergo sicut eam sine causa prodigere, ex genere suo non est mortale; ita multò minùs mortale erit, si ob aliquam causam, licet non omnino iustam & parem, eam prodigat.

40 *Ad liberandum amicum.*

Dico Quartò, Ad parentem vel amicum à morte vel tormentis magnis eripiendum, non est per se peccatum mortiferum, absque iuramento sibi crimen falsò impingere, quando in quæstione non proceditur iuridicè. Probatur, quia possum sine peccato mortifero mihi crimen falsum imponere, ad vitanda tormenta, si nihil aliud mali inde timeatur: atqui interitus amici vel parentis æquialet magnis doloribus; ergo, &c. Imò si parens vel amicus sit omnino inculpatus, nec sit alia via mortis illorum auertendæ, videtur non esse peccatum, etiam se morti offerre illorum loco: quia nemini fit iniuria; & aliàs licitum est, vitam pro parente & amico exponere, vt docet Toletus l.5. cap 6. & Sotus lib.5. de Iust q.1. art.6.

Dixi, *Si iniuste procedatur*; quia si iustè procederetur, peruerterem iustum iudicium, & facerem iniuriam Iudici & accusatoribus & Reipub. vnde sine dubio esset graue peccatum mortiferum.

41 *Si mors inde impendeat.*

Dico Quintò, Ad vitanda tormenta valdè grauia, quibus meritò possis celerem mortem præoptare, non peccas mortiferè, si crimen falsum tibi imponas, quãuis certò ob id sis morte plectendus. Est contra Nauarrum & quosdam alios. sed ita tenet Angelus v. Detractio. n.6. Siluest. eodem, q.3. Sotus suprà. Toletus l.5. c.66. & multi recentiores hoc tempore. vnde hæc sententia est tenenda; fauet enim multis miseris, qui alioquin non solùm corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falsò contra conscientiam, quæ non audent reuocare metu tormentorum.

Probatur Primò; Quia non tenetur homo cum tanto cruciatu vitam tueri, ne alius eam eripiat; sicut non tenetur permittere sibi tibiam abscindi cum tanto dolore; non enim (ait ille) tanto dolore digna est salus.

Secundò, Quia si tunc fateri crimen, de quo falsò accusatur vel interrogatur, esset peccatum mortiferũ, vel id ideò esset, quòd sit mendacium pernicioſum, vel quòd sit peruersio iudicij: atqui non est pernicioſum, quia neque alteri adfert aliquod malum, quod tanti sit, vt ille ex charitate aut iustitia teneatur illud cum tanto incommodo suo auertere, vti suppono. Neque etiam sibi infert malum, quod notabiliter præponderet ipsis tormentis; nam crimen fatendo, breui morte longam mortem redimit, vel potiùs multas mortes vnica simplici commutat: talia enim tormenta pati, est longa quadam & multiplici morte mori. Neque etiam 42 est peruersio iudicij propriè; quia nec peruertit Iudicem vt faciat contra officium, nec accusatorem, nec testes. mendacium enim in iudicio, si cum nullius fit iniuria, non est peccatum mortiferum; vt si Petrus à me exigat in iudicio 100. aureos; & ego iuridicè interrogatus, ad vitandas lites, fatear me debere, non pecco mortiferè; imò ne venialiter quidem, si commoda ratione me à mendacio vindicem. Neque etiam facit iniuriam Iudici aut Reip. quia non ducerent hoc sibi iniuriæ (sicut si negaret crimen verum) sed potiùs commiseratione mouerentur, si scirent.

Tertiò, Vel interrogatur secundùm Iuris ordinem per tales torturas, vel contra illum ordinem. 43 Si cõtra, non ipse Iudici, sed Iudex ipsi iniuriã facit. Si secundùm ordinem Iuris, adhuc Iudici non facit iniuriam, fatendo crimen falsum; quia non

tenetur Iudici cum tantis tormentis suam innocentiam probare.

44 Dices Primò, ex Nauarro cap. 18. nu. 19. Talis homo moraliter loquendo se interficit: ergo peccat.

Non se interficit. Respond. Nego illum se interficere: non enim physicè, vt patet; neque etiam moraliter (sicut is, qui sine iusta causa se coniicit in certum periculum mortis, dicitur sibi causa mortis) quia iustam causam habet, ob quam se interficiendum exponit; sicut si quis se exponeret hostium telis, vt grauissima tormenta ab illis inferenda euaderet, non se occideret. Imò si honesta persona rogaret eum qui illa nefando modo vellet abuti, vt ipsam potiùs interficeret, non censeretur homicida sui, quamuis fortè alia ratione peccaret: ergo neque hic est homicida sui, fatendo tale crimen. Quod confirmatur; quia si rogaret Iudicem, vt se interficiat potiùs, quàm ita torqueat; non censeretur homicida sui.

46 Dices Secundò, Ergo etiam poterit alteri sine peccato mortifero falsum crimen imponere, vt tormentis se eximat.

Alteri falsum crimen impingens.

Respondeo, negando consequentiam; quia non est dominus, nec eam habet potestatem in famam alterius, quam in suam, præsertim contra veritatem: vnde faciet illi grauem iniuriam, si inuito falsum crimen impingat; quæ iniuria non habet locum, dum sibi impingit.

47 Admitto tamen, non fore mortiferum, si illi constet, id non esse contra alterius voluntatem; vt si procul abesset, nec quidquam illi periculi immineret, esseteque tanta amicitia alteri coniunctus, vt non sit dubium, quin æquo animo sit laturus.

48 Dico Sextò, Qui hoc modo vi tormentorum fassus est crimen falsum, ob quod erit morte plectendus, non tenetur illud posteà reuocare, quamuis anteà periurio illud confirmasset, si prudenter metuit se rursum ad tormenta raptum iri (vti ordinariè fieri solet;) sed potest sine peccato mortifero in eo persistere & mori. Ita Angelus, Sotus, & alij. Patet ex dictis, præterquam illud de periurio, quod nunc probatur; quia etsi peccauerit mortiferè, quando periurio confirmauit, tamen posteà non tenetur retractare. Ratio est; quia periurium iam transiit, & non retractando, nemini facit iniuriam: retractando autem, culpam periurij delere non potest, sed coram Deo pœnitendo, quod potest facere absque externa reuocatione: secùs est de periurio, quod in detrimentum alterius cedit; hoc enim debet reuocari.

Nō tenetur reuocare, si sibi imposuit.

49 Petes, Vtrùm teneatur ea quæ sibi imposuit retractare, saltem in extremo vitæ, cùm iam iam est occidendus? Ita enim docet Siluester suprà ex Panormitano. Sed verius est non teneri, si ea reuocatio nihil prodesset, sicut ordinariè nihil prodest.

50 Dico Septimò, Si Religioni vel familiæ, ex confessione falsi criminis sequeretur grauis infamia, prudenter expendendum, vtrùm tormenta ipsi infamiæ præponderent, an contrà: nam fieri potest, vt tanta sit illa infamia, vt potiùs tenearis quæuis tormenta perpeti, quàm illam tibi cum tanto aliorum damno irrogare. v.g. si inde bonum publicum notabiliter læderetur, si aliqui ideò in hæresim lapsuri, &c.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm ad vitanda grauia tormenta, possis alterius peccatum occultum, vel aliud secretum pandere, præsertim si ipsi inde mors immineat.

REspondeo & Dico Primò, Posse te ob hanc causam illud aperire, si nullum aliud incommodum alteri, quàm infamiæ impendeat. Ita docet Nauar. c. 18. num. 54. & alij passim. Probatur; quia non teneor alterius famam cum tanto meo incommodo seruare, sicut nec alterius pecunias, si eas apud me occultatas habeam. 51

Dices, Hoc non solùm est non conseruare famam, sed etiam positiuè auferre; quod non licet. Respondeo, Id eo casu non esse positiuè auferre; quia non intendo auferre opinionē bonam, quam de ipso habent, sed solùm id quod latebat occultum in mente mea, profero per signa in lucem, ad quod ius habeo; eò quòd ille reuerà hoc crimen fecerit, & ego illius cognitionem sine ipsius iniuria sim assecutus. Sicut enim, si epistola, quædam secreta tua continens, apud me recondita foret, possem eam proferre ad vitanda grauia tormenta; ita etiam si tua secreta in mea cognitione recondita sint, possum ea proferre in lucem, vt aliquod graue incommodum euitem, etiamsi inde sequatur, vt alij de te malam opinionem concipiant, & bonam è mentibus suis excludant; ad hoc enim permissiuè solùm me habeo, dum iure meo vtor. 52 *Aperire occulta.*

Hinc fit, vt ad vitanda grauia tormenta, possim aperire quoduis secretum alterius, mihi cognitum; modò non sit vel ex confessione Sacramentali acceptum, vel iniuria extortum; (vt quidam excipiunt) vel nisi inde grauissima incommoda timeantur; vt si esset secretum Principis, vel Reipublicæ, vel exercitus; vt rectè docet Sotus lib. 5. de Iust. q. 10. a. 2. & Nauar. c. 18. nu. 54. Ratio est; quia illud secretum est veluti quoddam depositum, apud me occultatum, quod ego non teneor seruare occultum cum tanto meo incommodo, etiamsi certum sit, alteri inde damnum obuenturum; si tamen sine causa proderem, esset iniuria, & tenerer ad restitutionem; quia voluntariè essem causa damni. 53

Dico Secundò, Ob eamdem causam potes illud aperire, etiamsi inde alteri esset periculum mortis: modò illud sine vi & fraude, & extra cōfessionem acceperis. Ita Sotus & Nauar. suprà, & alij. Ratio est; quia non teneor cum tanto meo incommodo seruare famam, aut etiam vitam proximi. Non negamus tamen, quin sæpè laudabilius sit, etiā quæuis tormenta perferre; quàm secreta, vel etiā crimina occulta priuati hominis patefacere: qui tamen patefecit, non peccauit, tenetur tamen posteà extra tormenta reuocare confessionem, qua parte cedit in damnum proximi, seruata veritate commodo aliquo sensu, si potest; nisi rursus tormenta, vel aliud graue incommodum metuat. 54 *Si alteri mortis inde sit periculum.*

Sed dubium hîc est, Si vi aut fraude extorsisti. Sotus putat tunc te non posse reuelare, etiamsi tormentis esses necandus. Nauarrus autem distinguit: Si damnum, inquit, irreparabile alteri immineat ex reuelatione, non potes; si autem reparabile, potes.

Resp.

55 *Quid si iniuria extorseris.*

Resp. & Dico Tertiò, Probabile est absolutè, etiam in hoc casu posse tale secretum vel crimen alterius aperiri ad vitanda grauia tormenta, etsi ipsi inde sit vitæ periculum docet Petrus Nauarr. lib.2.cap.4 num.131.Ratio est,quia iuxta Sotum & alios,possum aperire secretum tali casu, quamuis stipulatus sim alteri silentium: ergo etiam licet iniuriâ extorserim. Nam qui ex contractu aliquid debet, non minùs tenetur, quàm qui ex delicto, vt infrà dicetur.

Secundò, Quia etsi anteà iniuriam feci extorquendo secretum, vel fraude expiscando: iam tamen postquam scio, ius habeo vtendi & reuelandi in tãta necessitate; sicut si quis furatus esset equũ, posset eo in necessitate vti, etiã cum interitu equi, imò etiam cum interitu domini. vt si hostibus inuadentibus fugiat,domino in periculo relicto.

Tertiò, Quia in hoc casu reuerà non infero damnum; sed si quod sequatur,ex alterius malitia sequitur, qui me iniustè torquet; nam mea confessio tormentis expressa, non est alicuius ponderis, nec ei debet adhiberi fides; vt patet ex cap.1. causa 15.q.6. Alexandri PP. Quæ ratio benè probat, confessionem non esse per se causam damni, sed solùm per accidens; & damnum illud prouenire non ex mea confessione, sed ex malitia Iudicis torquentis, & consequenter non censeri me causam illius damni, nisi permissiuè.

56 Dices, Si talis confessio non censetur causa damni: ergo si vi tormentorum de altero crimen falsò confitearis, non peccas mortiferè, nec teneris ad compensationem damni.

An aliquo casu possim falsum alteri imponere.

Resp. Siluester v. Detractio,q.3.fatetur totum; modò tamen post tormenta reuoces. Idem docet Pet.Nauarra lib.2.c.4.n.131.quæ sententia videtur probabilis, si nihil aliud quàm infamia metuatur. quia talis confessio verè non inducit infamiam, quando posteà reuocatur. Si tamen inde mors vel aliud graue damnũ illi impenderet, omnino mortiferè peccares: quamuis enim, si Iudex legitimè procedat,talis confessio nihil mali inferre possit; secùs tamen res habet, si captet occasionem illi nocẽdi. Sicut si latro minetur mihi mortem, nisi dixero quis se accusarit, nõ possum falsò id imponere ei, quem ille ob id esset interfecturus. Ratio est; quia cum talibus circumstantiis falsum imponere, est per iniuriam dare causam magni damni. Meritò enim potest is queri de iniuria, cui cum tanto damno falsum imponitur.

Dvbitatio IX.

Vtrùm possim manifestare alterius crimen occultum, ad impediendum damnum proximo impendens.

57 Respondeo & Dico Primò, Si illud damnum est alicuius momenti, siue sit temporale siue spiritale, posse crimen proximi manifestari ad illud impediendum, quatenus id ad illud est necessarium. Ita Sotus lib.5.de Iustitia qu.7.art.1.& Nauar.cap.18.nu.31.& alij. v.g. noui Petrum esse furẽ, possum monere eos quibuscum habitat, vt sibi caueant: si gerit se pro medico, & ego noui eius imperitiam, possum monere quibus impendet periculum; homicidium à Petro commissum imponitur innocenti, qui ob id erit plectendus, possum aperire Petrum auctorem. Imò in huiusmodi casibus sæpè fit, vt non solùm possim, sed vt etiam tenear ex charitate crimen alterius manifestare, nempe si graue damnum ex eo aliis imminеat, & damnum quod ex manifestatione sequitur, non sit tanti, vt eius ratio præ altero haberi debeat. In dubio autem, vtrùm præponderet, inclinandum in fauorem innocentis, huic enim in dubio fauendum. Ratio horum est; quia nemo habet ius tuendæ famæ cum tanto damno, quod inde alteri iniustè obueniret. Item quisque habet ius ad proferendum in lucem id quod in sua cognitione abditũ tenet; si ex occultatione aliis damnum proueniret: si enim quisque id potest ad sua damna auertenda, cur non etiam possit ad damna proximorum, cùm debeat diligere proximum sicut seipsum? Hinc fit, vt quando agitur de officio beneficioque conferendo, de matrimonio contrahendo, de Religione suscipienda, si ego sciam aliquod iustum impedimentum, vnde aliquod notabile incommodum meritò timeri debeat, possim eius occulta pandere.

58 *Sæpè teneor manifestare.*

59

Dico Secundò, Si ad auertendum illud damnum, non est necesse crimen alterius patefacere, sed supereſt alia via commodior, seu minùs noxia, verbi gratia, per fraternam correptionem non possum aperire: similiter, si nihil iuuaret ad damnum auertendum. Prior pars patet; quia esset contra charitatem: tenemur enim minimùm lædere proximum, quantum fieri potest, tum in illo curando, tum in malis ab illo prouenientibus auertendis.

60

Sed difficultas est, An sit contra iustitiam, crimen tunc aperire? Videri possit non esse; quia nemo habet ius ad famam, per quam aliis nocere parat, seu per quam tribuitur ei probitas vel peritia, cuius simulatione aliis esset nociturus. Vnde etiam nemo potest conqueri sibi factam iniuriam, quòd illis sui defectus sint patefacti, sed sibi id imputare debet, vt qui per hanc famam aliis nocebat. Deinde quia potest quis interdum habere ius in famam & vitam alterius, etiamsi malum aliter auerti possit; vt si inuadaris & possis fugere: non enim ex iustitia teneris fugere, vt supra ostensum est. Sic si accuseris iniustè, & possis euadere vel exceptione fori, vel exceptione contra accusatorem, pandendo crimina eius occulta; non facis illi iniuriam, si pandas. Nihilominùs altera sententia est communior, præsertim si ille alioquin erat bonæ famæ. vide infrà num. 132.

61 *An sit contra iustitiam.*

62 *Ius in vitã & famam alterius, dũ alia via suppeditat.*

Altera pars probatur; quia si reuelatio illa non videtur profutura, frustrà fiet: in dubio tamen est licita.

Dvbitatio X.

Vtrùm liceat infamare eum qui fictis virtutibus sibi famam parauit, vel qui crimen commisit cui Iure infamia est annexa.

63 *Si fictio cedat in damnum alicuius.*

Respondeo & Dico Primò, Licitum est aperire hanc simulationem, si ea vergat in alicuius detrimentum; vt si quis simulet se peritum aduocatum, medicum, confessarium, pharmacopolam, & constet mihi non esse talem. Ratio est; quia ille ius non habet famam suam retinendi

cum aliorum periculo vel incommodo, præsertim cùm ea sit indignus, & tota in errore fundetur.

64 *Si nemini sit damno.* Dico Secundò, Si hæc simulatio nemini noceat, non licet eam patefacere. Probatur, quia est saltem contra charitatem. v.g. est pauperc-la, quæ simulat pietatem, vt eleëmosynas conquirat, non possum eius occulta peccata manifestare, nisi ex illa hypocrisi damnum alicui proueniat. cùm enim sit verè pauper, est capax eleëmosynarum. Idem dicendum de iis qui simulant nobilitatem, eruditionem, & quamuis peritiam, sine periculo alicuius damni.

65 *An sit contra iustitiam.* Sed dubium est, Vtrùm sit contra iustitiam, hanc fictionem aperire: videtur enim non esse; tum quia ille hypocrita non habet ius ad illam famam, cùm fraude & factorum mendaciis illam compararit; tum quia iste nititur decipere & ingenerare falsam opinionem mentibus aliorum, non secùs atque is qui verbis mentitur: potest ergo veritas aperiri. Ita senùt Adrianus quodlibeto 11.quæst.1.

Si dicas, Non licet aperire crimen occultum alterius, ergo nec hypocrisim: Respondeti potest, hoc esse proprium hypocrisis, vt eam patefacere non sit contra iustitiam, quia intendit decipere,

66 in falsam opinionem alios pertrahendo. Sed verius est esse contra iustitiam; quæ quamdiu ipsius malitia est occulta, ius habet, non quidem vt positiuè iudicetur esse probus, sed vt non iudicetur esse malus; quia palàm nihil improbè gessit: qui autem aperit hypocrisim, facit vt positiuè iudicetur malus; ergo facit ei iniuriam. Nec obstat, quòd intendat falsam opinionem suæ virtutis ingenerare: tum quia per hoc non efficaciter lædit: nam alij non tenentur positiuè credere esse talem (sufficit enim vt non indicent contrarium; an autem talis sit, Deo committant) tum quia illud incommodum per se est parui momenti. Fateor tamen contrarium esse probabile.

67 Quod attinet ad eum qui crimen commisit, ob quod lex ipso facto ante omnem sententiam infamiam infligit, iubens auctorem eo ipso esse infamem, &c. (de quo multa habentur *ff.* de his qui notantur infamia) vt si quis contrahat simul cum duabus, vel simul habeat duas sponsas; si quis deprehendatur in adulterio, si exerceat improbum fœnus, exigens vsuras vsurarum; si lenocinium exercet, si filias vel neptes prostituit, si quæstus causa ludibriũ sui facit, &c. Quæri potest, vtrùm talis absque iniuria infamari possit, cùm per legem iure famæ sit priuatus. Sed dicẽdum est, non posse, quamdiu factum est occultum. Ratio est, quia retinet adhuc iustam famæ possessionem, qua absque iniuria priuari non potest. Sicut cùm lex infligit hæretico, vel incestas nuptias contrahenti, amissionem bonorum ipso facto; etsi ille dominium amiserit, non tamen potest statim spoliari; quia retinet iustam possessionem vsque ad sententiam declaratoriam criminis, imò vsque ad iudicam sententiæ executionem, vt infrà c.29. dubit. 8. dicetur. Valet tamen huiusmodi infamia legalis ad duo. Primò, vt simulatq; delictum fuerit publicum, possit eius auctor vbique repelli, & tractari tamquam iure infamis. Secundò, vt secuta sententia declaratoria retrotrahatur infamia ad tempus commissi delicti, & ab eo tempore censeatur inhabilis ad officia & beneficia, tamquam verè infamis: imò valdè probabile est, statim commisso crimine hanc inhabilitatem in conscientia contrahi; non tamen valet ad hoc, vt quamdiu manet res occulta, possis illam propalare. Sola enim publicitas (vt sic dicam) facti & necessitas impediendi maioris mali, hanc licentiam tribuit.

Dvbitatio xi.

Vtrùm reuelare crimen proximi vni vel duobus, quibus dicere perinde sit ac si nulli diceretur, sit peccatũ mortiferum.

Caietanus qu. 73. art. 1. dubit. 1. putat non esse mortiferum. Idem docet Petrus Nauarr. lib. 2. cap. 4. num. 335. & Corduba tract. de Detractione q. 2. conclus. 5. & Nauarr. cap. 18. nu. 33. Idem tenent quidam alij huius ætatis DD. Fundamentum est; quia illud censetur esse leue detrimentum in fama, si non est periculum euulgationis, aut alterius incommodi. 68 *Sententia Caietani & quorũdam recentiorum.*

Quod probatur Primò; Quia qui confitetur sua peccata sacerdoti, non censetur sibi notabile detrimentum famæ irrogare: (præceptum enim confessionis non obligat cum notabili iactura famæ, sicut nec cum notabili iactura fortunarum) ergo hæc infamatio, quæ fit apud vnum vel alterum, qui perinde se habebunt erga infamatum, ac si nihil scirent, non censetur notabilis, & consequenter nec mortifera.

Secundò, Quia si illud detrimentum famæ esset notabile, non liceret explicare in confessione 69 *Circumstantia cõplicis explicanda.* eam circumstantiam, ex qua sacerdos cognosceret socium criminis (quod tamen licitum esse docent pænè omnes DD. exceptis paucis recentioribus;) quia non est licitum in confessione alterum notabiliter infamare. Quare cùm ex communi sententia DD. id licitum, imò præceptum sit; euidens signũ est, non censeri notabilem famæ lælionem.

Verùm hæc sententia non videtur ita vniuersè affirmanda: nam fieri potest, vt quis malit 70 *Limitatur hæc sententia.* sua crimina multis externis & plebeiis esse nota, quàm Prælato, vel alicui viro graui, cum quo assiduè versatur, vel à quo dependet: vt rectè Sotus l.4. de Iustitia q.6. art.3. & l.5. q. 10. a. 2. conclus. 4. Nec obstant rationes allatæ: præceptum enim confessionis etsi non obliget cum notabili iactura famæ, quæ iactura sit extrinseca confessioni (vnde non tenetur quis confiteri per interpretem, etiamsi fidelissimus sit, nec sacerdoti qui timetur reuelaturus alteri;) obligat tamen cum iactura famæ confessioni ipsi intrinseca, siue pœnitens illam magni faciat, siue non: fructus enim confessionis hoc incommodum abundè compensat, vt meritò eius non debeat haberi ratio. vnde etiam circumstantia complicis explicanda, quia ad integritatem cõfessionis spectat. Fateor tamen, viros prudentes, quando nihil aliud incommodi inde metuunt, parui facere, nec grauatè ferre crimen suum innotescere Prælato, vel alteri, à quo potiùs auxilium expectant, quàm incommodum. Neque hoc est vera infamia; hęc enim est plurium opinio & sermo. Secùs est, quando metuit, ne ille aliter erga se afficiatur, & ne exteriùs ab illo malè tractetur. etsi enim neque tunc sit propriè infamia, meritò tamen magni æstimatur.

Dices, Temerarium iudicium de proximo in re graui, est peccatum mortiferum; vt communiter 71

docent

docent DD. & tamen hîc solùm apud vnum fama amittitur: ergo vel vni aperire crimen, est peccatum mortale.

Temerariũ iudicium. Respondeo, negando consequentiam. Nam temerarium iudicium non est peccatum mortale præcisè propter damnum, quod infert; sed propter grauem iniuriam, dum ex leuibus indiciis ei graue crimen impingit, & in corde suo contemnit. hoc enim perinde est, ac si falsum imponeret; quod est peccatum mortale; etiamsi apud vnum dumtaxat fieret. Secùs est quando aperitur crimen verum. multò enim maior iniuria est falsum imponere, quàm verum aperire.

Dvbitatio xii.

Vtrùm iniuriam sibi ab aliquo factam referens amico, peccet.

72 Respondeo, Si faciat intentione detrahendi, vt se hoc modo vindicet, sine dubio est peccatum; & fieri potest, vt sit mortale. Si autem vt consolationem accipiat ab amico, siue vt querela exposita dolor mitigetur; non est peccatum, saltem mortiferum; quia iure suo vti videtur. Ita Petrus Nauarra lib.2.cap. 4. num. 345. Nimis enim graue est, & præter humanam consuetudinem, vt quis cogatur iniurias acceptas solus in silentio concoquere, nec possit eas cum amico communicare; nam hac ratione magnam partem, earum veluti pondere quodam leuatur. Vnde si inde aliqua infamia auctori iniuriæ proueniat, non ipsi, sed auctori imputandum. adhibenda tamen moderatio, ne pluribus dicatur, quàm ad consilium & solatium sit necesse; nec nominanda persona, nisi ad consilium sit opus, vel ad necessariam consolationem valdè expediens.

Referens amico solatij causa.

Dvbitatio xiii.

Vtrùm crimen proximi, quod publicum est in aliqua ciuitate, liceat alibi patefacere, vbi ignoratur.

73 Notandum est, in proposito crimen triplicìter dici publicum; Primò, si sit notorium Iure. Secundò, si facto. Tertiò, si famosum.

Publicum triplici ter.

Notorium Iuris. *Notorium Iuris* dicitur, de quo constat per iuridicam sententiam; vel per confessionem Rei in iudicio; vel per legitimam testium depositionem.

Notorium facti. *Notorium facto* dicitur, quod in præsentia multorum est perpetratum; vt, in aliquo conuentu, vel in loco publico, v.g. in foro, vel celebri platea, eo tempore quo multis innotescere potuit: vel quod maiori parti vicinìæ passim ob oculos versatur, vt si quis in publica platea pugnet, vel iurgia cum clamore misceat: si quis publicè concubinam habeat & domi filios alat.

Famosum. *Famosum* dicitur, cuius fama ex sufficientibus indiciis orta, ad multos peruenit, ita vt maior pars ciuitatis, vel pagi, vel parœciæ, vel viciniæ illud

74 norit. Addit Nauarr. cap. 25. Enchir. nu. 73. etiam dici *notorium*, quod euidenter notum est maiori parti alicuius congregationis seu collegij, vbi non sint pauciores quàm decem; itaque si 6. aut 7. in congregatione, vbi 10. vel 11. sint, factum sciant; dicetur esse *notorium*. quod verum est respectu illius congregationis, non autem absolutè. quidquid enim notum est maiori parti alicuius collegij vel congregationis, est notorium in illa congregatione, non autem absolutè respectu totius vrbis vel parœciæ. Vnde etiam talia non possunt absolutè dici publica: sed illa dumtaxat absolutè publica dicuntur, quæ eo loco, & cum illis circumstantiis sunt gesta vel propalata, vt cuiuis innotescere potuerint: v.g. in foro, vel publica platea; quia non curauit auctor, quis videret vel non videret. His positis,

Dico Primò, Reuelare alicuius crimen, quod 75
aliquo istorum trium modorum sit publicum, eo loco vbi ignoratur, non est contra iustitiam. Docet hoc Caietan. opusc. 31. Resp. 9. & Nauar. c. 18. num. 26. Ratio est; quia quando hoc modo crimen est publicum, auctor amisit ius ad famam: nam ipsa facti euidentia, & iusti iudicij ratio ei repugnat, ne possit queri sibi fieri iniuriam narratione factorum, quæ iam in propatulo sunt posita. & quidem si per sententiam sit publicum, non potest esse dubitatio. Nam vna ex pœnis, qua Iudices afficiunt reos, est, quòd eo loco & tempore iudicia exerceant, & pœnas infligant, quo eorum crimina in plurimorum notitiam venire queant; ergo non est contra iustitiam, ea quouis loco diuulgare. Si verò sit publicum euidentia facti vel indiciorum; iam sponte videtur cessisse iure suo, quod ad famam habebat: nam hoc ipso, quo non est veritus in publico crimen admittere, vel ejus indicia manifesta dare; non videtur curasse quis sciat, vel non sciat: eo enim loco & modo fecit, vt quiuis videre posset. quòd si reipsa multi non viderint, id per accidens est; quia accidit, ibi tunc non adesse. Secùs de eo, qui in aliqua domo coram aliquibus peccat. non enim hic censetur abiicere suam famam, nisi respectu domesticorum, qui ad talem locum conuenire solent. Idem confirmatur ex consuetudine totius orbis. nusquam enim homines putant se iniuriam facere, si publica crimina alibi referant, vel litteris perscribant, historiis commendent, vel historiis commendata legant vel referant.

Qui in publico peccat, videtur cedere iure famæ.

Dices, Is qui hîc amisit famam, non ideò alibi 76
est infamis: ergo cùm ibi adhuc retineat bonum nomen, non potest eo spoliari.

Resp. Petrus Nauarra & alij quidam, putant eum retinere ius ad famam in locis remotis; vnde si quis crimen, quod hîc publicum est, ibi referat, peccaturum contra iustitiam. Sed contrarium videtur verius: vnde dicendum est, retinere quidem aliis locis famam re ipsa & facto, non tamen Iure: postquam enim crimen publicum factum est, amisit ius famæ, ita vt nemo ex iustitia teneatur ampliùs priorem existimationem de illo retinere, vt ex Caietano & Nauarro suprà colligitur.

Sed quid si per iniuriam factum sit publicum? 77
Respondeo, Non refert: (etsi quidam aliter sentiant) nam hoc ipso, quo factum est verè publicum, ius amisit vt homines aliter de se sentiant; vt si confessus fuit crimina sua occulta, per tormẽta.

Etiamsi per iniuriã factum sit.

Dices, Per iniuriam nemo amittit ius: ergo.

Respondeo, Non amittit ius præcisè per iniuriam, sed per id quod ex iniuria sequitur, quod est esse publicum, & in propatulo. Publicitas enim facti tribuit licentiam loquendi, ita vt non censeatur ampliùs iniuria, siue sit publicũ per se, siue

ratione famæ, vt ostensum est. Nunc videndum, an hoc sit contra charitatem.

78 *Si breui fama perlatura erat crimen.* Dico Secundò, Detegere crimen eo loco, quò fama communis illud breui erat perlatura, non est peccatum contra charitatem, saltem mortiferum: quòd si fama non erat eò perlatura, vel saltem non nisi post longum tempus, sæpè erit peccatum mortiferum, si ille ibi erat bonæ famæ. Prior pars probatur; quia tunc non censeor aliquod notabile damnum inferre, cùm iam sit paratum in fama & rumore communi, ex quo necessitate quadam eueniet, spectata hominum conditione & communi consuetudine; idque sine peccato, saltem mortali eorum. Idem docet Nauarr. suprà, ex D. Thoma in 4.d.19.q.2.art.3.

79 Secunda pars videtur esse contra Nauarrum & Caietanum; insinuant enim non fore peccatum mortiferum. Sed quidquid sit de horum sententia, est ferè communis aliorum, esse mortiferum: quod probatur; quia tunc lædo proximum in re magni momenti, quod meritò ægerrimè ferrem mihi fieri. Nec refert, quòd ille ius ad famam non habuerit; quia sine cuiusquam iniuria & absque fraude eam possidebat, eaque adhuc diu fuisset fruitus: ergo contra charitatem est, illum spoliare bono nomine; præsertim si nihil commodi proueniat detractori.

80 Aduerte tamen, Non fore peccatum mortale, Primò, si ille parum curet se alibi infamari; quod sæpè fieri solet, præsertim si procul absit. Secundò, Si quis ob graue crimen fuerit publicè punitus: tunc enim sæpè expedit ista ad aliorum exemplum narrari. Et in his casibus, potest intelligi Nauarrus & Caietanus.

81 *Quid si damnum sequatur.* Petes, Quid si damnum aliquod in corpore vel fortunis inde proueniat: (vt si subtrahatur pecunia, vel coniiciatur in vincula) tenebitúrne is qui diuulgauit? Respondeo, Quidam putant, teneri; sed verius credo, non teneri. ratio est; quia hæc infamatio non fuit contra iustitiam, sed solùm contra charitatem, vt ostensum est: ergo etiamsi inde illi damnum obueniat, non tenebor; quia non censebor causa iniusta illius: quamuis peccatum contra charitatem tunc sit grandius. Confirmatur; quia si actio ipsa non est iniuriosa, neque id quod ex illa sequitur; vt patet in eo qui absque vi & fraude impedit legatum, vel beneficium, quod alius tibi volebat conferre: si enim actio, qua impedit, nō est tibi iniuriosa, non inducit obligationem restitutionis; quamuis ex ea tibi damnum proueniat.

82 *Si nunc famam recuperauit.* Dico Tertiò, Si is qui olim ob sua crimina fuit infamis, nunc famam honestè viuendo recuperauit, est peccatum contra charitatem, illa crimina apud eos qui ignorabant commemorare; non tamen videtur esse contra iustitiam, modò non detur occasio opinandi illum adhuc improbum esse. Esse *contra charitatem*, patet ex dictis. Non esse tamen *contra iustitiam*, probatur; quia etsi ius habeat ad famam, quam ex eo tempore benè viuendo comparauit, non tamen vmquam acquirit ius, vt dicatur vel æstimetur fuisse probus, illo tempore, quo crimina sua publica fecit: ergo qui narrat eum olim illa fecisse, non facit ei iniuriam; modò id non ea forma narret, vt indicet eum etiamnum improbum esse. Quòd si alij inde acciperent occasionem dubitandi de præsenti probitate, teneretur saltem ex charitate illam suspicionem amoliri.

Dvbitatio XIV.

Vtrùm eum, qui vno aut altero crimine infamis est, liceat de aliis infamare.

R Espondeo & Dico Primò, Si illa alia sint valdè affinia & ordinariè coniuncta grauiori crimini, quod iam publicum sit, non erit peccatum, saltem mortiferum, illud aperire apud eos qui principale norunt, vt si narres de adultero, cuius crimen sit publicum, scripsisse litteras amatorias, misisse munera, &c. si de ebrioso, non rectè curare familiam, rixari cum vxore: si de illo qui insigne furtum commisit, referas alia minora fecisse. Ratio est; quia non censetur noua infamia. Opus tamen hîc est magna circumspectione, an crimen ita sit annexum alteri, vt non censeatur notabiliter infamiam augere. 83 *Si crimina connexa.*

Dico Secundò, Si crimina illa non sint ita connexa, non solùm est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam illa patefacere, præsertim si sint alterius generis. Est communis sententia DD. contra Paludanum in 4. d.19. in fine, quem refutat Adrianus quodlib.11.art.1. 84 *Si disparata.*

Probatur Primò, Quia qui est infamis in vno genere vitij, non ideò amisit ius ad famam, quam habet in aliis virtutibus: (potest enim quis haberi ebriosus, & tamen esse & haberi iustus in contractibus, fidelis vxori, catholicus) ergo non potest infamari de aliis occultis.

Secundò, Sicut diuersarum virtutum diuersa laus est, alia maior, alia minor; ita etiam diuersorum criminum diuersa est infamia, & alia pluris, alia minoris æstimatur. multi enim parum curant infamiam fornicationis, vel ebrietatis, qui tamen maximi faciunt infamiam furti & periurij. ergo nullo modo qui amisit ius famæ in vna virtute, censetur amisisse in aliis; sicut qui læsus est in vno membro, non amisit idcircò integritatem in aliis. Ratio à priori est; quia fama non est quid simplex, sed constat variis quasi partibus, quarum vna sicut non pendet vllo modo ab alia, sic *est quid simplex.* 85 *Fama non*

sine alia haberi potest, & à diuersis diuersæ partes famæ possidentur. Rarum autem est, vt quis in omni virtute, fama sit clarus, omnesque bonæ famæ partes sit consecutus.

Sequitur altera pars huius Capitis.

De famæ restitutione, quomodo, quibus, & à quibus facienda.

Dvbitatio XV.

Vtrùm fama cum periculo vitæ sit restituenda.

D Ominicus Sotus lib.4.q.6.art 3. & quidam alij affirmant; si fama sit illustris familiæ.

Resp. & Dico Primò, Quando ex infamia, quam intulisti, non euenit alteri damnum in bonis superioris ordinis, (nempe in spiritalibus, aut in vita corporali) non teneris cum vitæ periculo famam illi restituere. Ita Caiet. suprà, q.62. a.3. & opusc.31. respon.14. vbi generatim docet *rem inferioris ordinis, numquam esse restituendam ex iustitia;* 86 *Non cum periculo vitæ.*

Non iactu-ram rei superioris ordinis.

stitia, cùm iactura rei superioris. Quam regulam optimè defendit Petrus Nauarra lib.2.c.4.n.405. Idem eruditè probat Nauarr.cap.17.n.89.90.91. contra Sotum. Idem breuiter repetit cap.18.n.47. *Quatuor*, inquit, *sunt bonorum ordines, videlicet animæ, corporis, famæ* (cui annexus honor) *& pecuniæ; & nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis, cum iactura bonorum ordinis superioris.* In eadem sententia est Corduba l.1.q.31. & Siluester v.Detractio.q.4. casu 2.

Probatur Primò; Quia nullum temporale bonum, siue pecunia, siue fama, siue vita, exponendum vel restituendum cum damno boni spiritalis; idque ideò, quia bonum spiritale est superioris ordinis, nec æstimabile bono inferiore; ergo similiter fama non est restituenda cum periculo vitæ; cùm vita sit bonum præstantius.

Secundò, Nemo tenetur sarcire damnum pecuniarium iacturâ suæ libertatis, seipsum vendendo, aut tradendo in seruitutem, vt passim omnes docent; idque ideò, quia libertas est superioris conditionis: ergo, &c.

87 Tertiò, Quia Iustitia commutatiua solùm postulat, vt fiat restitutio in bonis, in quibus iniustè alterum læsisti; nempe vt vitam exponas pro vita proximi (si eam in periculum per iniuriam coniecisti,) famam pro fama, pecuniam pro pecunia; quia dumtaxat per illa fit æqualitas. Quòd si hæc æqualitas per te fieri nequeat sine iactura boni superioris, censetur impossibilis; ac proinde non te obligat Iustitia, vt restitutionem exequaris, sed tribuit ius læso, vt per Iudicem procuret vindicationem.

Quartò, Idem confirmari potest ex iis, quæ suprà cap.10. dub.7. diximus de adultera, quæ sibi partum suppositit, quæ cum periculo vitæ vel famæ non tenetur se aperire, etiamsi maxima hereditate legitimi heredes essent priuandi; vt plurimi DD. tenent.

An possint commensurari.

Dices, Res inferioris ordinis potest sumi tanta quantitate, vt prudenti iudicio præponderet rei superiori; v.g. tanta potest assignari vis pecuniæ, vt præstantior censeatur quàm fama; & tam illustris potest esse fama, vt præstantior habeatur quàm vita: ergo tunc debebit fieri restitutio, etiam cum damno boni superioris. Confirmatur; quia qui latrocinio sibi amplum statum adsciuit, tenetur facere restitutionem, etiam cum amissione illius status & honoris: ergo, &c.

88 Respondeo, Etsi fieri possit, vt prudenter præferas ingentem pecuniæ tuæ summam famæ vel vitæ alterius conseruandæ; non tamen prudenter eam præferes famæ aut vitæ tuæ; nemo enim prudenter pro quantauis magna fama eligeret mori; vel pro maxima vi pecuniæ suscipiet infamiam; quia fama omnibus thesauris melior, Ecclesiastici 41. Itaque vita & fama propria non possunt pecuniâ æstimari. Vnde non sequitur, Ego possum pluris facere mille aureos quos habeo, quàm vitam huius rustici ex latronibus redimendam: ergo si rusticus mihi eos abstulerit, tenebitur reddere cum vitæ periculo; potest enim ille vitam suam pluris facere quàm centum millia aureorum.

89 Ad confirmationem; Qui furtis sibi honorificum statum parauit, non habet ius ad illum statum, cùm per iniuriam eum obtineat; vnde nō est mirum, si teneatur restitutionem facere cum amissione illius status & famæ, quæ ex illo præcisè orta est. Adde, amissione status non amitti famam: potest enim status sine culpa amitti.

Aduerte tamen, licitum esse vitam pro fama re- 90
stituenda exponere; non quòd fama pluris æstimetur quàm vita, sed quòd pro virtute licitum sit vitam periclitari.

Dico Secundò, Si ex infamia (de falsa intelli- 91
ge) periculum vitæ vni vel pluribus impendeat, vel mala Reipublicę administratio, vel aliud grande malum, teneris etiam cum vitæ periculo repa- *Si periculū vitæ impendeat.*
rare. Est communis DD. Quia tunc obligaris non ratione solius infamiæ, sed ratione damni quod ex ea sequitur; quod contingere potest in infamia Principis, Papæ, Prælati, Religiosi ordinis, & similium, vnde magna in Republica damna.

Dvbitatio xvi.

Vtrùm si fama restitui nequeat, debeat pecuniâ compensari.

Respondeo & Dico Primò, Probabilius videtur, iustitiam minimè postulare, vt infamia compensetur pecuniâ, si reuocatione dictorum tolli nequit. Colligitur ex Nauarro cap.17.nu.90. 92
vbi ait: *Quando fama restitui nequit, aliquam pecuniam dari, nō quidem pro fama, quæ nullum pretium habet; sed pro damni compensatione, quod ob eius iacturam quis incurrit.* Idem docet Siluest. v.Detractio q.4. casu 2. & Franciscus Victoria, vt refert *Non necessariò est compensanda pecuniâ.*
Salonius, Pet.Nauarra suprà n.417. multique recentiores. quod probari potest illis rationibus, quibus suprà ostendimus, pro ipsa vita ablata non esse necessariò faciendam restitutionem pecuniariam. Ratio est, quia Iustitia commutatiua tantùm postulat, vt restituatur quod ablatum est, vel quod communi hominum æstimatione est æquiualens. quòd si neutrum fieri possit, cessat eius obligatio. Vnde qui damnum pecuniarium non potest sarcire pecuniâ, non tenetur illud compensare orationibus, aut honore exhibendo. Item qui vi aut fraude aliquem pertraxit in peccatum, non tenetur ipsi aut heredibus pecuniam rependere.

Dices, Pecunia est mensura omnium rerum 93
humanarum: ergo in pecunia potest dari æquiualens. Deinde etiamsi non detur æquiualens, tamen debet dari opera, vt quàm proximè ad hoc accedatur. sicut is, qui intulit damnum mille aureorum, si non potest reddere æquiualens, tenetur tamen dare quantum potest, vt quàm proximè accedat ad æqualitatem.

Respondeo, Pecunia secundùm communem vsum hominum, non est mensura, nisi rerum venalium, quas homines solent pecuniâ commutare; fama autem neque natura sua, neque gentium consuetudine pecuniâ solet æstimari. Quod etiam patet ex Scripturis. Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* & Prou.22. *Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ*, id est, infinitæ. Quamuis interdum ex quorumdam animi vilitate accidat, vt famam pretio exponant: sed hoc æstimationi famæ non officit.

Ad confirmationem, Is qui damnum mille au- 94
reorum irrogauit, tenetur vel totum damnum sarcire ex æquo, si potest; vel si non potest, tenetur partem ex æquo: quòd si nec totum nec partem,

cessat

cessat obligatio Iustitiæ commutatiuæ; atqui hîc nec tota fama, nec pars pretio æstimatur ex æquo. quod cõfirmatur Primò; Quia alioqui infamator posset eam pecuniâ compensare, etiam nolente infamato; sufficit enim vt restituat id, quod æstimatione æquale est. Confirmatur Secundò, Si vir diues pro compensatione infamiæ acceptæ pecuniam exigat, ridiculus erit, eò quòd exigat id, in quo nullum damnum accepit, quodque non solet pretium vel totius vel partis famæ censeri. Vnde sequitur, eamdem esse rationem pauperis: nam status eius, qui iniuriam accepit, non mutat Ius, seu rationem Iustitiæ commutatiuæ. Fieri tamen
95 potest, vt ex quadam æquitate, & etiam ex charitate tenearis infamiam pecuniâ compensare: nimirum, si infamatus sit pauper, qui talem satisfactionem desideret, nec aliter mœrorem videatur depositurus; & is qui infamauit sit diues. Sicuti enim ratione alicuius coniunctionis vel beneficij accepti, lex charitatis me magis obligat erga hunc quàm erga istum; ita etiã ratione alicuius incommodi, quod alteri ex me obuenit; vt si aliquem induxi in peccatum, magis ego ex charitate teneor illum emendare, quàm alius, & quàm alium, ceteris paribus: vt patet ex dictis cap.8.dub.1.

Aliquando ex charitate tenemur.

96 Dico Secundò, Si infamator per Iudicem condemnetur ad pecuniariam satisfactionem, vel si transigat cum eo quem infamauit certâ pecuniæ summâ, tenetur ex iustitia eam numerare. Probatur; quia suppositâ tali iniuria, potest Iudex in pœnam criminis talem satisfactionem imponere, & ille ex iustitia tenetur eam exequi, quia iustæ sententiæ tenetur ex iustitia parêre. Idem posset Iudex, etiamsi fama iam esset recuperata, idque in pœnam prioris delicti; quia potest iusta pœna punire delicta, etiam post damna sarta. Similiter pacta & conuentiones iustæ obligant: atqui hoc pactum potest esse iustum; quia infamatus habet ius accusandi infamatorem, & etiam exigendi restitutionem, quando erit possibilis: vnde vt hoc iure cedat, & omne debitum condonet, potest certa pecunia paciſci.

97 Dico Tertiò, Debitor pecuniæ, v.g.100. aureorum, iniustè læsus in fama vel honore à creditore, non tenetur ad solutionem illius pecuniæ, sed potest vti compensatione secundùm æstimationem damni accepti iudicio prudentis faciendam, si à creditore aliam restitutionem obtinere nequit. Sequitur apertè ex sententia eorum qui famam pecunia compensandam docent, quando aliter sarciri nequit. Quæ sententia est satis probabilis, & plurimorum DD. sicut & illa, quæ vitam ipsam, & cicatricem pecunia compensari vult. Si enim infamator tenetur dare pecuniam, v.g.100.aureos, pro infamia vel dedecore quod intulit, eò quòd aliter satisfacere nequeat, vel nolit: ergo alter potest eam exigere, vel si debet, potest non soluere. hæc enim omnia paria sunt. Quòd si infamator possit quidem restituere famam, sed nolit, tunc etiam in altera sententia tenetur vel famam restituere, vel certè tantum pecuniæ, quantum iudicio prudentis alter potest exigere. etsi enim fama non possit, iuxta eam sententiam, pecunia æstimari; obligatio tamen illius restituendæ, qua ille tenetur, & incommodum quod læsus patitur, potest pecuniâ æstimari. Confirm. quia cùm possit restituere, tenetur vel restituere, vel alia ratione ei satisfacere, ita vt ille liberè acquiescat.

Compensatio infamiæ per pecuniam.

Dvbitatio xvii.

Vtrùm si fama alia via sit reconciliata, teneatur infamator eam restituere. v.g. si virorum grauium testimonio, vel probitate vitæ penitus abstersérit infamiam.

Respondeo, Tunc non teneri ad famæ restitutionem, quia iam restituta est; sicut si dominus recuperauerit vel sua vel aliorum opera equum, quem sustulisti, non teneris ad restitutionem; quia non potest bis eamdem rem accipere. Si tamen interea ratione infamiæ aliquid damni accepisset, v.g. si impeditus fuisset à consecutione beneficij, officij, vel legati, tenereris ad illius compensationem; quia hoc damnum ex iniusta tua infamatione illi obuenit. Vtrùm autem aliquid 99 sit restituendum pro ipsa infamia, quam ille medio tempore vsque ad illam recuperatam subiit, quæri potest. Sed respondendum est, deberi aliquam satisfactionem, si putetur illam velle (quod addo, quia alioquin censetur condonata, nec consuetum est aliàs offerre) nempe significatione doloris & veniæ petitione, vel honore aliquo aut laude, iuxta conditionem personarum: vt rectè docet Petrus Nauarra lib.2. cap.4. n.421. & Nauarrus cap.18 num.47. 98

Si fama reconciliata.

Pro infamia medij temporis.

Dvbitatio xviii.

Vtrùm si infamia iam penitus abierit in obliuionem, sit restituenda. v. g. Infamauit adolescens puellam, se illi pudicitiam eripuisse, deinde temporis successu homines penitus obliuiscuntur.

Respondeo, Teneri restituere etiam post viginti annos, si periculum est, ne aliquando illa infamia reuiuiscat: quod facilè fieri potest, nam homines data occasione facilè recordantur eorum quæ anteà exciderant; quod maximè locum habet, quando falsum impositum fuit, vt docet Caiet. q.62. art. 2. si enim verum fuit, non facilè memoria renouanda, nisi periculum sit euidens. quòd si putetur nullum esse periculum, non tenebitur, vt docet Nauarrus c.18.num.47. contra Caietanum; quia fama iam censetur restituta, vel certè damnum illatum omnino euanuisse; idque verum est, siue crimen fuerit verum, siue falsum, vt ibidem Nauarrus. 100

Dvbitatio xix.

Vtrùm totum damnum, quod sequitur ex infamia, sit compensandum.

Respondeo, & Dico Primò, Damnum quod 101 sequitur ex infamia falsa, est integrè reparandum. Est communis sententia DD. Ratio est; quia hæc infamia est penitus iniuriosa. impositio enim falsi criminis duplicem continet iniuriam. Primò, calumniam, eò quòd crimẽ impingatur ei, qui

Damnum ex infamia falsa.

qui scitur innocens. Secundò, infamationē, quod hoc aliis persuadeatur. itaque hæc actio omnino est iniuriosa : atque omne damnum, quod alicui sequitur ex actione in ipsum iniuriosa, est restituendum : ergo,&c.

Dices, Hoc damnum per accidens sequitur. v. g. Infamasti Petrum adulterij; vnde præter intentionem tuam factum est, vt exciderit officio vel beneficio, quod ambiebat.

102 Respond. Hoc non censeri per accidens sequi; quia etsi non intendebas, tamen labes infamiæ quam intulisti, est quædam veluti praua dispositio, moraliter apta impedire varia commoda, & accersere incommoda, ita vt hæc crebrò ex ea sequantur. qui ergo hanc per iniuriam infert, censetur esse causa iniusta damnorum quæ inde sequuntur.

103 *Quantum restituendum.* Aduerte tamen, non esse tantumdem restituendum, quanti officium vel beneficium iam obtentum valet; (nisi fortè obtento priuatus fuisset) sed quanti spes illa obtinendi valebat.

Quid si de crimine vero. Sed maior difficultas est de patefactione criminis veri. Nam Sotus l. 4. de Iust. q. 6. art. 3. ad 4. sentit, damnum, quod hinc sequitur, non esse integrè compensandum, sed partem dumtaxat arbitrio boni viri definiendam. Ratio est; quia si ille priuetur officio, vel impediatur ab eo consequendo, id non tam prouenit ob criminis manifestationem, quæ est iniuriosa, quàm ob ipsum crimen, quod verè cōmissum est; manifestatio autem est solùm conditio quædam veluti applicans & adducens crimen occultum, tamquam causam principalem, in cognitionem. Hæc sententia non est improbabilis, præsertim cùm multi recentiores illam sequantur. contraria tamen est communior, pro qua

104 *Damnum ex infamia vera.* Dico Secundò, Verius videri, eum qui patefacto crimine occulto alteri fuit causa damni, teneri ad integram restitutionem, sicut qui imposuit falsum. Vt, si impediuit à beneficio, ab opimo matrimonio, ab eleëmosynis, cùm esset probè dignus. Ita Nau. c. 18. nu. 45. & alij passim, qui in genere dicunt, infamatorem teneri ad restitutionem omnium damnorum : nec distinguunt inter crimen

105 *Est causa principalis.* falsum & verum. Ratio est; quia est causa principalis (moraliter) illius damni; sicut is qui ignem occultum cineribus detegit, & applicat straminibus, vnde vento flante accenditur domus. Deinde ipsum crimen non potest esse causa damni, nisi accedente cognitione. vnde quamdiu crimen manet occultum, non potest inferre damnum, & ita se habet ac si non esset : ergo qui illud manifestat, tribuit illi veluti vim nocendi : ergo censetur causa principalis dāmni secuti.

Dvbitatio xx.

Quomodo fama est restituenda.

Respondeo & Dico Primò, Si crimen falsum disseminasti, debes adhibere omnem industriam, vt falsa illa opinio animis hominum eximatur : vnde teneris illis significare, te deceptum

106 *Aliquando iuramentū adhibendū, aliquando etiā testes.* fuisse, aut falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, sicut videris opus esse vt credant; adhibito etiam iuramento, si aliter non putentur crediturī, & rei grauitas postulet. Ratio est; quia reuocatio efficax debet adhiberi.

Sed quid si auditores ne iurati quidem credere velint, teneberisne testibus confirmare?

Resp. Fieri posse vt tenearis, vt docet Sotus l. 4. 107
q. 6. a. 3. præsertim si id sine magno tuo incommodo facere possis; tunc enim vel charitas ad hoc obligaret, imò interdum etiam iustitia : vt si alij haberent aliquas probabiles causas suspicandi, te non ex animo, sed pretio inductum reuocare. Ratio est; quia iustitia obligat vt efficaciter reuoces, id est, eo modo, vt auditores meritò possint debeantque tibi credere, nec habeant occasionem suspicadi rem fictè geri; rarò tamē accidit, vt hoc vsu veniat. Nauarro tamen c. 18. n. 45. videtur dū- 108
rum, vt quis aliquando ad testes obligetur. Ratio ipsius est; quia si ne iuranti quidem cōtra seipsum credere velint, id ex malitia eorum proueniet; itaque mala opinio, quam retinent, censetur non amplius prouenire ex dicto tuo, qui illud satis efficaciter reuocasti, sed ex sua ipsorū malitia, qui sine vlla causa volunt malè de proximo sentire. Idem sentit Pet. Nauarra l. 2. c. 4. n. 378. Sed quod diximus, verius est, ob rationem allatam.

Aduerte tamen, si auditores nullam habentes 109
probabilem rationem, nolint tibi siue iuranti, siue testes adhibenti fidem habere, ad nihil amplius te obligari; quia non amplius censeris causa istius prauæ opinionis, sed illorum peruersitas.

Dico Secundò, Qui crimen occultum alterius *Quatuor modis fama potest restitui.* manifestauit, quatuor modis potest famam restituere. Primò, si dicat se quidem tale quid narrasse, sed in eo fuisse mentitum, aut dixisse falsum. 110
Hoc modo restitui posse probatur; quia etsi vno sensu dictum tuum falsum nō fuerit, nempe quia erat cōforme rei (verè enim commiserat crimen, quod eum cōmississe dixeras:) alio tamē sensu falsum fuit; idq; dupliciter. Primò, quia nō fuit conforme legi diuinæ, vtpote peccatū, quod in Scripturis vocatur mendacium, & falsitas : sicut omne opus bonum, quia conforme legi diuinæ, vocatur veritas. Secundò, Quia non fuit verum veritate publica, licet veritate occulta verum fuerit. Hoc modo reus, cuius crimen est occultum, potest negare se fecisse, quia non fecit publicè, vel ita vt reneatur fateri, & Iudex aliquē condemnans ex allegatis & probatis contra suam priuatā scientiam, pronuntiat illum reum & criminosum, quamuis verè non sit; quia secundùm publicam probationem talis est. Pari modo potest iste dicere, se dixisse falsum, vel mendacium, quia non est verum, secundùm publicam scientiam : vt rectè Pet. Nau. l. 2. c. 4. n. 381. Verùm, etsi hic modus sit valdè bonus & efficax, tamen ad illū non teneris; tum quia nō teneris te infamare, tamquam qui falsum crimen imposueris, cùm verum dixeris; tum quia multi putant hunc modum illicitum, vt qui continere videatur mendacium : quorum sententia est probabilis, quamuis contraria sit probabilior.

Secundò, Si dicat deprehendisse, se fuisse deceptum, vel erasse : qui modus est etiam bonus : sed non tenetur eo vti; quia etsi fortasse hoc modo se non infamet, tamen videtur decipere auditores specie quadam mendacij : quod non tenetur facere, imò non potest, secundùm Caietanum & Sotum.

Tertiò, Si dicat se malè vel iniquè locutum esse de proximo, rogetque vt talem opinionem deponant. verùm hic modus parum est vtilis apud ingeniosos; inde enim magis confirmabuntur,

illum

illum crimen commisisse. apud simplices tamen sæpè est vtilis & vsurpandus.

Quartò, Laudando infamatũ, & honorificè de eo loquendo, vbi datur occasio. hic modus necessarius est, dum quis non vult vti primo, vel secundo, & tertius esset inutilis vel noxius; sic enim sensim ex vna parte tantumdem famam eius illustrare poterit, quãtum ex altera obscurauit. Hunc tradunt Sotus l.4.de Iust.q.6.art.3.ad 4. Caiet.q.62. art.2.& 72. art.3. Nauarr.c.18.n.45.& multi alij.

Petes, Tenetúrne infamator reuocare apud eos, quibus ipse non dixit, sed alij, qui ab ipso acceperant, v.g. narrasti tribus, illi verò narrant aliis.

111 Resp. Si ab illis tribus stipulatus est silentium, vel putauit omnino rem tacitam fore, non tenetur nisi apud eos reuocare; quia infamia per illos irrogata, censetur quasi fortuita respectu ipsius. Secùs verò si aduertit probabile periculum vlterioris infamiæ; & maximè si crimen sit falsum, tunc enim si isti non restituant, tenetur tamquam causa: vt rectè Pet. Nauarra l.2.c.4.n.443.

Dvbitatio xxi.

Vtrùm heredes infamatoris teneantur ad famæ restitutionẽ, si ipse eam nõ restituit.

112 *Heredes nõ tenentur, nisi ad dãna secuta.* Resp. & Dico Primò, Heredes loco defuncti non teneri ad famæ restitutionem. Ratio est; quia hæc obligatio est merè personalis; (non enim est ad aliquid dandum, sed ad aliquid agendum) vt obligatio voti personalis, & restitutionis honoris, orta ex contumelia, quæ non transit ad heredes; cùm nullo modo afficiat vel respiciat bona, in quibus ipsi succedunt, sed nudam personam.

113 Dico Secundò, Tenentur tamen ad reparationem damnorum, quæ ex infamia illa secuta sunt. Ita Nauarr.c.18.nu.45. & Adrian.quodlibet. 11. Ratio est; quia hæc obligatio non est purè personalis; sed afficit quodammodò bona infamatoris. vnde cum ea affectione seu obligatione perueniunt ad heredes: veluti si defunctus domum alterius per iniuriam incendisset, heredes tenerentur damnum ex bonis illius rependere.

Dices, Quid si is, qui ratione infamiæ damnum passus est, iam obierit?

Resp. Tunc restitutio facienda est heredibus ipsius, quia hi succedunt in omnia iura defuncti; sunt enim hæc veluti partes hereditatis.

Petes, Vtrùm defuncto sit fama restituenda.

114 *Etiã mortuo restituenda.* Resp. Affirmatiuè; quia fama est bonum, quod homo etiam post mortem censetur possidere. per hanc enim viuit quodammodò in memoria hominum: vnde maximè solent homines appetere famam post mortem, quasi per hanc consequantur quamdam immortalitatem.

Dvbitatio xxii.

Vtrùm is teneatur ad restitutionem famæ, qui bona fide existimans esse verum & publicum, narrauit & infamauit proximum: Item quid si auditores de alio intellexerint.

115 Respondeo, & Dico Primò, Qui hoc modo proximum infamauit apud Superiorem vel aliam, etiamsi fraternæ correptionis causa id fecerit, simul atque cognouerit errorem, tenetur ad restitutionem.

Probatur; quia qui damnum dedit iniustum in re aliena, etiam absque culpa, vbi cognouerit, tenetur illud reparare, saltem ex charitate, si potest. atqui hic damnum dedit iniustum in fama alterius, vti supponimus. ergo. Item, qui abstulit rem alienam iniustè, quamuis sine culpa, & solùm materialis iniustitia fuerit, tenetur eam restituere simulatque sciuerit iniustè se abstulisse. atqui hic abstulit iniustè materialiter ergo, &c.

Dico Secundò, Non tenetur eam restituere cum graui suo incommodo: vt, cum propria infamia, vel magno damno fortunarum. Probatur; quia sine culpa eam abstulit: ergo non tenetur cum suo graui damno eam restituere; sicut si deprehendas equum vel librum alterius apud te sine tua culpa, non teneris remittere magnis tuis expensis. Pari modo si damnum absque culpa intulisti. 116 *Nõ tenetur cum graui suo incommodo.*

Vbi Aduerte differentiam inter eum qui infamauit proximum cum culpa iniustitiæ, & eum qui sine culpa; quòd ille teneatur famam restituere, etiam cum detrimento famæ suæ; sicut qui iniustè formali iniustitia damnum intulit, tenetur etiam cum æquali damno suo sarcire; hic verò non teneatur cum notabili damno, sed solùm cum modico, vti prudentia & charitas dictabit.

Dico Tertiò, Si is qui ita infamatus est sine culpa infamatoris, interim aliquid damni patiatur, impediatur ab officio, beneficio, aut etiam priuetur, non tenetur alter ad restitutionem. Ratio est, quia non est causa huius damni, nisi quatenus est causa infamiæ, ex qua hoc damnum est secutum. sed est causa infamiæ sine culpa: ergo etiam sine culpa est causa damni inde consecuti; ac proinde non tenetur illud sarcire. Hæc ratio benè probat, si damnum illud secutum sit ex infamia priusquam ille suum errorem resciscat, nam tunc sine vlla eius culpa sequitur. 117 *Neque de damno secuto.*

Sed difficultas est, si ille, antequam damnum sequatur ex infamatione, agnoscat suum errorem, & reuocando quæ dixit, possit damnum auertere. Videtur adhuc non teneri. nam communis sententia DD. est, eum qui rem alterius absque sua culpa peremit, si inde non est factus ditior, non teneri ad restitutionem. quia neque ratione rei acceptæ, vt quæ non amplius extet: neq; ratione iniustæ acceptionis, cùm in ea non peccauerit: neque ratione contractus, cùm nullus interuenerit: quæ tria tantùm sunt radices restitutionis ex iustitia debitæ, vt patet ex dictis cap.7. dubit.5. Atqui iste absque sua culpa rem alterius, nimirum famam, peremit. ergo non tenetur lege iustitiæ ad eius restitutionem: ac proinde neque ad reparationem damni quod inde secutum. *An teneatur de damno secuto.*

Dices, aliam esse rationem famæ, aliam rerum pecuniâ æstimabilium. illa enim solo verbo, absque vllius rei iactura, restitui potest: damnum verò aliarum rerum non potest absque similium rerum amissione sarciri. vnde in damno rerum meritò lex iustitiæ non obligat, quãdo sine culpa datum est; ne homo sine sua culpa cogatur se rebus suis spoliare. secùs tamen in damno famæ, quod sine vllo detrimento sarciri potest.

Resp. Hoc argumẽtum benè probare, in damno famæ esse maiorem obligationem charitatis; quia charitas

charitas magis obligat vbi malum minore incommodo potest tolli. non tamen videtur probare obligationem iustitiæ: hæc enim non pendet ex facilitate restitutionis, sed ex radicibus supradictis. Vnde etiamsi solo verbo posset reparari damnum rerum absque culpa illatum, cùm res est destructa; non tamen esset obligatio ex iustitia, sed solùm ex charitate. Confirm. hæc sententia; si enim qui absque culpa aliquem infamauit, teneretur lege iustitiæ, etiam teneretur cum famæ suæ amissione. Iustitiæ enim lex obligat etiam cum bonorum eius ordinis iactura; vt patet in eo qui iniustè damnum in rebus vel in fama intulit: atqui iste non tenetur cum iactura suæ famæ: ergo non ex iustitia. Ob has rationes hæc sententia non videtur improbabilis.

118 Nihilominùs contraria sententia mihi placet, nimirum eum qui sic infamauit, lege iustitiæ teneri ad restitutionem famæ cùm errorem suum deprehenderit, si absque notabili incommodo suo possit.

Probatur Primò, Qui famam alterius lædit, potiùs est similis furi rem alienã auferenti, quàm damnum inferenti peremptione rei: nam ex natura rei fama illius manet in eius potestate, quasi eam apud se retineat: vnde dicitur fama auferri, surripi, restitui; sicuti res dicitur auferri à fure, detineri & restitui. atqui is qui rem alterius abstulit, & habet in sua potestate, tenetur ex iustitia illam restituere, simulatq; cognouerit se iniustè abstulisse. ergo idem dicendum in fama.

Secundò, Qui ex errore dixit falsum testimonium, tenetur, si commodè potest, lege iustitiæ reuocare, vbi deprehenderit suum errorem: alioquin censebitur intulisse grauem iniuriam, & poterit puniri in foro externo tamquam falsus testis. Ergo etiam qui ex errore infamauit.

Tertiò, Qui est auctor mali etsi absque culpa, longè strictiori Iure tenetur illud emendare, si commodè potest, quàm alius qui non est auctor. sed alius tenetur lege charitatis: ergo ille tenetur lege strictiori, quæ non videtur esse alterius virtutis quàm iustitiæ.

Quartò, Etiamsi consideremus talem non teneri lege iustitiæ ad reparationem famæ præcisè qua parte iam est perdita; tamen videtur omnino teneri ad impediendum damnum impendens, sicut qui absque culpa incendit stramina ædibus vicina, vbi aduertit periculũ, tenetur lege iustitiæ cauere, ne serpat vlteriùs, néve sequatur inde aliud damnum: & qui laqueum vel aliud instrumentum periculosum intendit, aut puluerem tormentarium certo loco posuit; tenetur, vbi aduertit periculum, impedire ne noceat; adeò vt si neglexerit, teneatur de damno secuto. atqui ex infamia ferè semper impendet damnum: tum quia ordinariè tamquam flamma quædam serpit vlteriùs, iuxta illud Poëtæ,

Fama malum quo non aliud velocius vllum, &c.

tum quia alios bonos successus in temporalibus & spiritalibus impedit.

Denique ratio est, quia quisque ex iustitia tenetur neminem lædere, & consequenter cauere, quantum commodè potest, ne ex sua actione vel opere, quod in ipsius est potestate, alteri nocumentum inferatur.

Aduerte tamen, eum qui absque culpa læsit, aut causam lædendi posuit, non teneri cum tanto onere restituere, aut damnum impendens impedire, cum quanto tenetur is qui cum culpa iniustitiæ. par enim non est æquè grauari inculpabilem atque culpabilem, ceteris paribus. Vnde qui ideò solùm lege iustitiæ tenentur impedire malum aliquod, quòd ratione officij ad id obligentur, non tenentur cum pari suo damno, vt infrà cap. 13. n. 70. dicetur. Iste autem qui absque culpa causam læsionis dedit, est similis illi qui tenetur ex officio; non autem illi qui ex culpa iniustitiæ. Ex quibus ad argumenta alterius sententiæ respondeas.

Dico Quartò, Si te narrante de aliquo, auditores alium intelligant quàm tu velis, sicque illi oriatur infamia, teneris ex charitate ad restitutionem, si commodè potes, non tamen ex iustitia. 119

Prior pars patet; quia charitas postulat, vt damnum proximi auertamus & tollamus, si absque notabili incommodo possumus.

Altera probatur; quia tua narratio non est causa directa illius infamiæ, sed illorum praua intelligentia, qui imprudenter id ex verbis tuis colligunt. Aduerte tamen, si ea esset conditio & dispositio auditorum, vt ea spectata tale quid prudenter vel probabiliter ex verbis tuis videantur posse colligere, idque aduertas, teneris non solùm lege charitatis, sed etiam iustitiæ, te explicare & infamiam auertere: quia etsi narratione tua non deshominibus perspicacibus, vel circumstantias rei intelligentibus, iustam occasionem talis opinionis prauæ; das tamen istis rudioribus & rerum ignaris, vel alias opiniones sinistras non improbabiliter de tali viro conceptas habentibus, coram quibus narras. sermones enim operantur pro capacitate & dispositione auditorum.

Dvbitatio xxiii.

Vtrùm Prælatus non impediens infamatorem teneatur ad restitutionem.

Respondeo & Dico Primò, Prælatus seu Superior non impediens externum, à quo videt infamari suum subditum, non tenetur, saltem ratione famæ, suo subdito ad restitutionem. Ita Sotus lib. 5. de Iustitia q. 10. art. 4. Ratio est; quia ex officio non suscepit defendendam subditi famam, sed salutem procurandam. 120

Dixi, non teneri *saltem ratione ipsius famæ*; quia videtur aliquando teneri ratione bonæ vitæ, salutisque spiritalis, subditi. nempe si bona fama putaretur necessaria, vel valdè commoda, ne ille licentiùs viuat: multi enim amissâ famâ fiunt impudentes ad peccandum, tamquam freno honestatis, quo coercebantur, sublato. Itaque cùm Superior ex officio teneatur impedire ea quæ subditorum saluti aduersantur, tenebitur etiam impedire subditorum infamiam, & si neglexerit, bonam famam restituere. 121

Dico Secundò, Si non impediat subditum, alteri non subdito detrahentem, cùm facilè possit, tenebitur ad restitutionem famæ, nisi subditus restituat. Probatur; quia ex officio incumbit illi subditum suum corrigere & impedire, ne alteri iniustè noceat: ergo si non impediat cùm facilè possit, censebitur causa moralis damni; sicut si Prætor non impediat furta & latrocinia in ciui- 122

tate, tenebitur ad restitutionem, quia indirectè censetur causa.

Dico Tertiò, Si tamen subditus in absentia Superioris famam alterius violauerit, non tenetur Superior eam restituere, subdito non restituente; modò quantum in se est compellat subditum vt restituat. Prior pars patet; quia non censetur tunc causa damni, cùm absens non potuerit impedire.

Secunda pars probatur; quia Superior ex officio tenetur compellere inferiorem, ne perfistat in iniuria alteri inferenda, sicut ne primò illam inferat; atqui is qui infamauit, & non restituit famam cùm possit, perfistit in iniuria, eamque continuat; sicut is qui rem alienam detinet inuito domino: ergo Prælatus tenetur eum compellere.

Petes, Qui Superiores hîc intelliguntur obligari?

123 *Superiores quinam.* Resp. Parentes respectu liberorum, quamdiu eorum regimini subsunt; Domini respectu seruorum; Superiores Regularium, Episcopi, & ex parte Parochi, quia hi etiam possunt suos subditos compellere: denique Principes & Magistratus. sicut enim hi tenentur contumelias impedire, ita *Libelli famosi.* & detractiones; maximè per libellos famosos, qui capitali sententia vindicantur, vt patet L. vnica. C. de famosis libellis. Non tamen tenentur cogere ad restitutionem famæ, nisi parte id iuridicè petente; nisi fuerint aliquo modo infamiæ causa. sic enim vsus habet: ratio est; quia parte non petente, præsumi potest condonata.

Dvbitatio XXIV.

Vtrùm restitutio famæ possit condonari, præsertim à Prælato.

124 Respondeo, Restitutionem famæ, sicut & aliorum bonorum externorum, posse condonari, nisi fortè nobis sit necessaria, vel ad proximi ædificationem, vel ad vitandum scandalum, vel ad officium, quo proximo obstringimur, *Priuatus potest condonare.* ritè obeundum. Vnde Infero Primò, Priuatum posse condonare hanc restitutionem, nisi fortè esset infamatus de crimine, vnde timeretur scandalum, (vt de hæresi;) vel eius infamia redundaret in familiam; tunc enim eam condonare, esset contra charitatem, condonatio tamen esset valida. Quod intellige, Si non alia ratione redundat in familiam, quàm quòd ille infamis homo, dicatur esse illius familiæ, illorum frater, cognatus, &c.

125 Secundò, Si vir valdè vtilis bono publico, qui suis concionibus vel doctrina multùm proderat Reipublicæ, condonaret restitutionẽ famæ, vnde posteà impediretur fructus consuetus, peccaret contra charitatem: infamator tamen non amplius teneretur ex iustitia; ex charitate tamen teneretur, si commodè posset; quia tenetur ex charitate istud damnum Reipublicæ, cuius ipse causam dedit, auertere, tollendo causam.

126 Tertiò, Si fama tua videtur necessaria ad rectam muneris tui administrationem, non potes condonare. Excipio tamen duos casus. Primò, Si possis & velis officium deponere: tunc enim potes condonare sine peccato mortifero; vt patet ex dictis suprà, & docet Sotus lib. 4. de Iustit. qu. 6. art. 3. ad quartum.

Secundò, Si humilitate & alijs virtutum officiis facilè hanc iacturam possis apud subditos sarcire.

Sed quid si condonet reipsa, nolens officium 127 deponere, vel aliter suæ auctoritati consulere; erit- *Superior condonans infamiam.* ne condonatio valida?

Respond. cum Soto suprà, validam videri; quia ipse verè est dominus suæ famæ, non subditi. Neque per hanc condonationem facit iniuriam subditis; (nisi fortè infamia in ipsos redundaret) quia non habent Ius, vt ipse suam famam conseruet, nisi supposito quòd velit manere Superior, & aliis modis eam recuperare nolit: quorum vtrumque in ipsius arbitrio positum est. vnde non tam condonando restitutionem, quàm volendo cum illa ineptitudine permanere in officio, iniuriam illis facit.

Dices, Parens non potest condonare restitutio- 128 nem bonorum, quæ sunt necessaria alendæ proli: ergo nec Superior restitutionem famæ necessariæ ad gubernandum subditos.

Resp. Primò, Negando consequentiam: quia parens non potest cedere officio parentis, sicut Superior officio Superioris.

Secundò, Negando antecedens; (si consistamus præcisè in Iure naturæ) quia potest mendicatò illis victum conquirere si velit; quòd si nolit, sibi imputet: non enim manet illa condonatione absolutè impotens ad prolem alendam.

Quartò, Si infamia tua redundet in alios, ita 129 vt ipsi inde maneant infamati vel suspecti: tunc *Si infamia tua in alios redundet.* enim condonatio non videtur valere. Talis est infamia Religiosi, quæ redundat in Monasterium. valdè enim læditur bonum nomen Ordinis, dum dicitur habere sceleratum Monachum. nam tota communitas quodammodò redditur plebi suspecta. Vnde etiam sæpè ingenti pecunia vellent hanc labem redimere. Nec obstat quòd Religiosus videatur dominus suæ famæ, vt dictum est cap. 4. dub 5. (non enim per votum paupertatis renuntiat famæ & honori suo) quia non est dominus famæ Conuentus, quæ per ipsius infamiam violatur. Talis etiam videtur infamia parentis, præsertim de crimine hæresis, proditionis, vel alio simili, quæ redundat in liberos. Habentur enim viles, & inhabiles ad officia & dignitates. Idem dicendum de graui infamia filij vel filiæ, si adhuc sub cura parentum existant. imò etiamsi non existant: si tamen infamia illorum, parentes suspectos reddat: eadem enim in his omnibus ratio. Si enim mea infamia vel labes ex tua pendet, non potes tuam sine meo consensu condonare. Secùs si tua infamia non aliter redundet in me, quàm quòd dicar habere fratrem vel cognatum sceleratum; vt dictum est num. 124.

Dvbitatio XXV.

Vtrùm in restitutione famæ fieri possit compensatio.

Respondeo & Dico Primò, Non potest ita *Compensatio.* fieri compensatio infamiæ, vt si alius te infamarit, tu vicissim illum possis infamare. Ratio est; quia est manifesta vindicta, quam nemo priuata auctoritate potest facere. reddere enim ma- 130 lum pro malo vt fiat æqualitas, solius est publicæ potestatis.

Dico

Potes aperire aliorum peccata.

131 Dico Secundò, Si quis te infamet, nec tu possis infamiam alia ratione auertere, potes aliquos defectus illius occultos aperire, ne ipsi fides adhibeatur. Ita Sotus suprà, & alij passim, v.g. potes dicere, isti fidem non esse habendam, eò quòd aliàs in mendacio vel periurio sit deprehensus.

Probatur Primò, Quia quisque habet Ius tuendæ non solùm vitæ, sed etiam famæ, cum iusta moderatione: (id est, sine qua, iniuria prohiberi nequit) ergo cùm infamiam, quam ille per iniuriam tibi irrogare nititur, aliter prohibere nequeas, nisi criminibus eius patefactis, potes ea patefacere. Secundò, Quia potes aperire crimen alterius ad vitanda tormenta tua, vel damna proximi: vt patet ex dubit. 8. & 9. ergo multò magis ad auertendum damnum, quod ipse criminosus tibi parat inferre. nam ratione iniuriæ amittit Ius quod habet, ne crimen eius occultum pandas.

132 Aduerte tamen Primò, Si criminis detectio non est vtilis ad famæ tuæ defensionem, est iniqua; quia non est defensio, sed vindicta: vnde si tibi restituat, teneris illi vicissim ad restitutionem.

Cõtra charitatem.

Secundò, Si alia via famam tuam possis tueri, v.g. interposito iuramento, vel adhibitis testibus; erit contra charitatem, aperire crimen occultum ad fidem ei detrahendam; quia lædis illius nomen pluspuam esse necesse. videri tamen possit non esse contra iustitiam; quia non teneris ex iustitia confugere ad istos modos: non enim ille ius habet, vt parcas nomini ipsius in defensione tui, cùm ipse famam tuam iniustè oppugnet. non tamen potes plura in illum dicere, quàm necesse sit vt ei fides non habeatur. communior tamen sententia DD. id vult esse contra Iustitiam, quam & ego probo, auctoritate illorum ductus.

133 Dico Tertiò, Si tu alium iniustè infamasti, qui te anteà infamauerat; non teneris ei ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit; sed potes vti compensatione, seruata tamen æqualitate, quantum fieri potest. Est contra Nauarrum cap. 18. n. 47. & Caiet. q. 62. art. 2. & Petrum Nauara c. 4. nu. 395. Sed nostra sententia est verior, eamque docet Adrian in 4. q. pænult. de restit. 5. Circa prædicta. Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4. Iosephus Angles in 4. de restit. famę, dubio 3. Tolet. lib. 5. cap. 70. & alij.

Potes vti compensatione, non restituendo.

134 Dixi, *seruata æqualitate*; quia si tu intulisti ei multò grauiorem infamiam, diuisibilem tamen, detegendo plura crimina, teneris ad restitutionem, donec damnum à te illatum, sit æquale damno quod ipse tibi intulit. Probatur, Quia in rebus temporalibus, quando Iura sunt paria, si alter non vult tibi seruare Ius & soluere debitum, nec tu teneris illi seruare & satisfacere; vt patet in debitis pecuniariis. atqui fama est bonum temporale, cuius sumus domini: ergo est eadem ratio. Idem videtur dicendum, quamuis Iura non sint paria, si infamia, quam intulisti, non posset per partes restitui: (vt si illum de grauiori crimine infamasti, quàm ille te) tunc enim eam instar pignoris detinere potes, vt eum ad restitutionem compellas; & ipse sibi imputet quòd non restituas. sicut si annulum aureum habeas ab eo, qui tibi debet tres Philippicos; potes retinere instar pignoris, vt cogas ad solutionem.

135 Dices cum Nauarro, Damnum famæ à te illatum, per reciprocum damnum non tollitur, sicut debitum pecuniarium vnius, tollitur per debitum reciprocum alterius: ergo est dispar ratio.

Obiectio Nauarri.

Resp. Etsi damnum à te illatum non tollatur per infamiam tibi vicissim illatam, tamen tollitur debitum sarciendi illius damni, si alter sarcire nolit quod à se illatum est: quod etiam vsu venit in damnis fortunarum. si enim tu incendisti ædes Petri, & Petrus vicissim tuas, non tollitur per hoc damnum à te illatum Petro; sed tollitur debitum satisfaciendi Petro, propter compensationem.

Hinc patet, compensationem hanc fieri posse etiam altero inuito, si ipse nolit restituere: multò ergo magis mutuo consensu, contra Caietanum. Quæ omnia intelligenda sunt de iis, qui possunt facere condonationem infamiæ sibi irrogatæ; nempe quorum infamia non pertinet ad subditos vel socios: vt patet ex dictis dub. 24. inter tales enim non potest fieri compensatio, propter iniuriam quæ subditis vel sociis fieret.

Petes, Vtrùm possit fieri compensatio infamiæ cum damno fortunarum. v.g. intulisti Petro damna in fortunis, & ille te grauiter contra iustitiam infamauit; vtrùm possis illi denegare damnorum restitutionem, si ipse nolit tibi famam restituere.

136 Resp. Probabile est hanc compensationem fieri posse; quia probabilis est ea sententia, quæ asserit infamiam pecunia esse compensandam, quando in suo genere non restituitur. Itaque si ille non velit, vel non possit eam in suo genere compensare, possit tamen pecuniâ; licitum tibi est pro ea, pecuniæ certam summam, iudicio prudentis arbitrandam, exigere; ac proinde denegare debita vsque ad illam summam. Idem etiam in altera sententia locum habet, quando famæ restitutio est possibilis, & infamator non vult eam restituere; tunc enim Iure pro ea pecuniam exigere potes, seu potiùs pro redemptione obligationis retituendi. Secùs tamen in hac sententia, si restitutio famæ esset impossibilis; tunc enim nihil pro ea exigere posses, nisi fortè competeret tibi actio iniuriarum, pro cuius cessione aliquid pacifici potes.

Cum damno fortunarum.

DVBITATIO XXVI.

Quænam excusant famæ restitutionem.

137 REspondeo Primò, Iusta condonatio, id est, quæ ab eo facta est, cuius infamia non redundat in alios. vt patet dub. 24.

Excusantia restitut. famæ.

Secundò, Iusta compensatio: vt si ab eo, quem infamasti, pari modo sis infamatus. vt patet dubit 25.

Tertiò, Si fama alia ratione iam sit recuperata. dubit. 17.

Quartò, Si infamia prudenter existimatur abiisse in obliuionem; tunc enim non teneris, siue falsum impoueris, siue verum. dub. 18.

Quintò, Si crimen occultum, quod aliquibus dixisti, alia ratione fiat publicum. tunc enim amisit Ius restitutionis. dub. 13.

Sextò, Si restitutio sit impossibilis. dubit. 15. & 16.

Septimò, Si non possit fieri sine periculo vitæ. dubit. 15.

138 Octauò, Si non possit fieri sine amissione famæ, quæ sit longè maioris momenti: vt si prælatus, vel vir illustris infamauit plebeium, non tene-

Si amittenda fama maioris momenti.

tenetur cum iactura sui nominis reuocare; sed sufficit vt illum laudet in eo genere virtutis, vbi infamauit. quòd si sic videatur non satis restituta, reliquum poterit pecunia compensare arbitrio prudentum, vel potiùs remissionem restitutionis pecunia impetrare; si tamen commodè possit, alioquin non tenetur. Ratio est; quia ille plebeius non potest cum ratione exigere, vt ille famam suam tanti momenti amittat; sed debet esse contentus laude, humanitate & muneribus pecuniarijs ex arbitrio prudentum. Ita Sotus lib. 4. qu. 6. art. 3. ad quartum. Toletus lib. 5. cap. 70. Corduba lib. 1. q. 33. art. 2. Couar. ad regulam Peccatum, 1. p. num. 8. §. Tertiò, adultera. & alij.

Nonò, Si bona fide persuasus esse verum & publicum, narrasti, nec possis sine damno famæ tuæ restituere. dubit. 22.

Decimò, Si reuerà nulla fuit infamia secuta, eò quòd infamator esset nullius fidei, (quod sæpè accidit) vel quia illi, apud quos infamauit, sciebant similia; ita vt infamia non fuerit notabiliter aucta.

DVBITATIO XXVII.

Vtrùm honor sit restituendus, & quo modo.

139 *Honor læditur.* NOtandum est, Honorem lædi contumeliis, irrisione, sannis, alapa inflicta, aliisque similibus modis. sicut enim honoramus aliquem edito signo, quo testemur eius excellentiam, nosque eum magnificere, cum quadam nostri submissione: ita honorem lædimus edito aliquo signo, quo testemur eius vilitatem, nosque illum contemnere, quod fit modis enumeratis.

Dico Primò, Qui iniustè alterius honorem læsit, tenetur ad restitutionem seu satisfactionem, siue id publicè coram alijs, siue priuatim fecerit

140 coram illo solo. Est communis DD. Prior pars patet; quia fecit veram iniuriam contra Iustitiam commutatiuam.

Dices, Alter nullum accepit damnum ex contumelia, præsertim si nemo alius id aduertit; ergo nihil restituendum.

Resp. Esto, non acceperit damnum, tamen illata est ei verè iniuria; vnde teneris saltem ad satisfactionem, si nolis hoc vocare restitutionem. quod confirmatur illa sententia Domini, Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, Fatue*, (id est graue conuitium) *reus erit gehennæ ignis*; & subijcit Dominus; *Si ergò offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* vbi manifestè Dominus exigit satisfactionem, etiam pro contumelia priuata.

141 *Damnum dignitatis.* Respondeo Secundò, Inferri etiam damnum quoddam hominum æstimatione, non fortunarum, sed dignitatis. dum enim contumelia afficis, veluti labem quamdam dignitati irrogas, eamque quantum in te est, viliorem reddis. Vnde contumelia affecti, dicunt honorem & dignitatem suam læsam & imminutam. Hanc autem læsionem tanti æstimant, vt sæpè damna fortunarum grauissima præoptent; vnde etiam solent maxima indignatione ob hanc iniuriam commoueri.

142 Dico Secundò, Omissio honoris debiti superioribus vel æqualibus, non est contra Iustitiam commutatiuam, sed contra virtutem obseruantiæ: vnde per se non obligat ad restitutionem. Patet, quia aliud est non honorare, aliud contumeliam irrogare. *Omissio honoris.*

Dixi, *per se*; quia fieri potest, vt ratione alicuius contumeliæ interpretatiuę, quæ illi omissioni coniuncta est, obligeris; vt si aliis honorantibus Episcopum, vel Pastorem prætereuntem, tu illum sine vllo honoris signo impudenter aspicias.

Dico Tertiò, Qui in alterius absentia aliquid 143
fecit vel dixit apud alios in eius contumeliam, tenetur apud eosdem restitutionem facere, si probabile est aliquid honori ipsius apud eos detractum. Patet ex iis, quæ sunt dicta de fama. si enim in animis eorum, dignitas ipsius imminuta est, ibi quoque instauranda est.

Dico Quartò, Varij sunt modi honoris restituendi: ex quibus is tantummodò est necessariò adhibendus, quo, iudicio prudentis, satisfit honori violato. Hæc propositio per se patet, & docet eam Caiet. opusc. 31. resp. 13. dub. 5. *Modi restituendi honoris.*

Primò, Restitui potest honor amica & honorifica salutatione aut compellatione; & hic ferè sufficit Prælatis & Superioribus erga inferiores: & viris nobilibus erga plebeios, vt rectè Caiet. q. 72. art. 3. non enim tenentur ij adeò sese demittere, vt veniam petant; quod expressè D. Augustinus docet in sua Regula, de Superioribus. 144

Secundò, Adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, propinando, &c. qui modus sæpè sufficit, etiam inter eos qui sunt paris conditionis.

Tertiò, Petendo veniam: qui modus est efficacissimus; quo debent vti inferiores erga Superiores, & sæpè etiam æquales inter se; nam si læsus hanc satisfactionem iustè exigat, (vt si graui contumelia affectus fuerit) nec aliam velit admittere, tenebitur alter veniam petere, si sit inferior vel æqualis.

Notandum Primò, Fieri posse, vt non sufficiat 145
veniæ petitio; vt si atrox iniuria viro nobili illata sit; tùc enim potest exigi maior humiliatio, v.g. vt flexis genibus cum fune in collo veniam petas. sed qui iniuriam intulit, non tenetur eam præstare ante sententiam Iudicis. sic enim moribus Gentium est receptum, vt etiam pro summis iniurijs non teneatur quisquam sponte maiorem satisfactionem exhibere, quàm humilem veniæ petitionem cum signis doloris. Quòd si alter maiorem exigat, eam per Iudicem curet imponi vel infligi. *Si iniuria atrox.*

Dices, satisfactio exhibēda est ad æqualitatem.

Resp. Satisfactio pro iniuria dupliciter potest esse æqualis iniuriæ. Primò exactè, ita vt gratiam non habeat admixtam. & hæc quia valdè difficilis est, infligenda est per Iudicem. Secundò, quadam proportione. sic vt tota ferè nitatur gratia condonantis: & hæc consistit in humili veniæ petitione, signisque doloris, estque præstanda, etiam ante sententiam.

Notandum Secundò, Si petas veniam om- 146
nium iniuriarum, & alter eam concedat, non censeri condonatas, nisi eas iniurias, quas verisimiliter intendit condonare. Itaque si aliqua illum lateat, quam si nosset, nollet sine satisfactione condonare, non censetur eam condonasse; quia ignorantia condonationem reddit inuoluntariam.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

De iniuriis fortunarum, per furtum, rapinam, damnúmve illatum: & de necessaria restitutione ob hanc causam.

Constat Dubitationibus 20.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit furtum. *D.Thomas q.66. art.3.*

1 *Furtum quid.*

RESPONDEO, Iurisperiti sic definiunt: *Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus, possessionisve.* Ita habetur L.1. §.Furtum. ff. de furtis. & Institut. de obligationibus, quæ ex delicto. §.1. quam supplet & explicat Nauarr. cap.17.n.1. Clariùs & breuiùs Theologi, *Furtum est occulta rei alienæ acceptio inuito domino.* Hæc definitio habet tres partes. Prima est, *occulta*, vt distinguatur à rapina & aliis iniustis acceptionibus, per iniquos contractus. occulta enim acceptio est, quæ fit domino nesciente, vel quam quis intendit facere domino nesciente. In contractu autem non intendit contrahens aliquid tollere domino nesciente; quamuis non cupiat vt dominus aduertat rei iustitiam.

Dices Primò, Qui accipit rem, domino vidente, non accipit occultè, & tamen committit furtum: ergo.

Resp. Si sciat dominum videre, & non curet, potiùs committit rapinam quàm furtum: si autem ignoret dominum videre, est furtum; quia intendit ipso nesciente accipere, ita vt aliter nollet.

2 Dices Secundò, Detentio rei alienæ habet rationem furti: ergo non tantùm consistit in acceptione.

Resp. Detentio est instar acceptionis; quia acceptio & accepti detentio moraliter censetur eadem actio. quòd si quis id, quòd iustè accepit, posteà iniquè retineat, perinde facit, ac si primò tunc iniustè acciperet. vide D. Thomam in respons. ad 2. & Caiet. ibid.

3 *Occultum & manifestum.* Dices Tertiò, Crimen non accipit speciem ex eo quòd sit occultum: ergo de ratione furti non est vt occultè fiat.

Resp. Quando quis in iniuria inferenda vtitur modo occulto, tamquam medio ad exequendum opus, facit speciem distinctam à manifesto, quia tunc occultum & manifestum continent diuersas iniurias. Hac ratione furtum differt specie à rapina, & dolosa inuasio à manifesta, & contumelia à detractione. Si autem vtatur modo occulto ob verecundiam, vel ad vitandum scandalum, aut supplicium, est circumstantia generalis.

4 Secunda est, *rei alienæ*; quia acceptio rei suæ quæ est apud alienum, non est furtum, saltem quà suæ; quamuis possit esse furtum quatenus illa res est alteri commodata vel oppignorata; tunc enim aufertur illi vsus, vel securitas, quam per illam rem habebat.

Tertia est, *inuito domino.* Si quis enim putaret domino non displicere, non esset furtum, quamuis occultè illud acciperet; eò quòd per verecundiam vereatur petere; debet autem esse cum ratione inuitus. vnde qui occultè accipit in extrema necessitate, non est fur. Item qui compensandi causa, quando aliter quod suum est recuperare nequit. Addunt aliqui, *rei corporalis & mobilis*; sed meliùs omittuntur: nam potest quis etiam furari Iura; vt census & seruitutes, & res immobiles, occupando domum vel agrum alienum, domino absente.

Ex his patet Primò, Eum, qui accipit hominem liberum, v. g. vxorem vel prolem alicuius, non committere *furtum*; quia homo liber non habet dominum à quo possideatur: sed dicitur committere *plagium*; seu *crimen plagiatus*, si fiat ad vendendum, vel ad retinendum in mancipium; si verò fiat ad fruendum, dicetur *raptus*: quæ propriè non sunt species furti. Quòd si quis furetur ancillam vel mancipium, vt illud vendat, erit verum furtum; quia est acceptio rei alienæ, quà aliena; intendit enim eam accipere ratione vtilitatis temporalis, quæ est domini. si autem furetur, vt ad tempus abutatur, non dicetur furtum; quia illa ancilla secundùm illum actum non subest dominio alterius, nec ipse quærit in ea id quod alterius est, sed quod ipsius ancillæ. Infert quidem damnum domino, dum priuat ancillæ obsequio; sed non omnis damnificatio est furtum. Quamuis enim furtum non sit peccatum, nisi quia infert alteri damnum, priuando eum re sua, contra ipsius rationabilem voluntatem: (si enim vna eademque res in duobus locis esset, vel à duobus possideri integrè & vsurpari posset, nullum peccatum committeretur) tamen non omnis damnificatio est furtum; sed differunt hæc saltem materialiter. furtum enim postulat acceptionem seu vsurpationem, qua quis rem sibi vindicet; etsi ad breue tempus, & animo eam paulò pòst abiiciendi: quo modo Augustinus furabatur poma. vnde qui incendit alterius segetes, non est fur, tamen damnum infert; nec minùs peccat, quàm si eas auferret.

5 *Plagium.*

Raptus.

6 *Differunt furtum & damnificatio.*

Patet Secundò, Eum, qui rem sacram accipit, aut profanam in loco sacro, tamquam in asylo depositam, committere peccatum furti; quia accipit alienum inuito domino; quamuis huic furto coniuncta sit malitia sacrilegij, quæ quia præcipua est, ei nomen tribuit. Sunt tamen in hoc peccato duæ malitiæ distinctæ contra duas distinctas virtutes.

7 *Sacrilegium.*

DVBITATIO II.

Vtrùm furtum & rapina differant specie.

D. Thom. art.4.

RESpondeo, specie differre in ratione iniuriæ. ita D. Thomas & Caietanus. Ratio

8

Rapina. est; quia *rapina* includit violentiam, quæ fiat domino scienti; quam *furtum* excludit. Itaque nouam rationem iniuriæ continet: quia nouam rationem inuoluntarij. aliter enim est inuoluntarium quod quis ignorans patitur, aliter quod sciens & renitens. quamuis enim vtrumque sit absolutè inuoluntarium, tamen alterum est longè magis inuoluntarium, & alterius rationis. Vnde etiam patet, rapinam esse grauius peccatum quàm furtum, ceteris paribus: vt docet D. Thomas art. 9. & ibidem Caietanus.

Petes, Quomodo furtum & rapina differunt ab iniuria, quæ fit per iniquos contractus?

9 *Per contractus iniquos.* Resp. Quòd furto & rapina patiatur dominus damnum omnino inuoluntariè, nempe per ignorantiam, vel per vim; in contractibus autem patiatur damnum inuoluntariè mixtum, si sciat iniquitatem contractus, id est, partim voluntariè, partim inuoluntariè; mauult enim hoc damnum iniustè pati, quàm contractum omittere. Si autem ignoret contractus iniquitatem, & ideò contrahat, erit furtum, seu eiusdem, ac furtum, rationis. Ex his constat, rationem genericam communem furto & rapinæ esse *iniustam ablationem rei alienæ, absolutè inuoluntariam.* Vt autem contineat etiam iniustitiam contractuum, dicetur *iniusta ablatio rei alienæ*, vide Ioannem Medinam q. 4 C. de rebus restituendis.

10 *Furtum generatim acceptum.* Aduertendum tamen est, aliquando omnem iniustam acceptionem vocari furtum & rapinam: vt patet cap. 4. Si quid 14. q. 5. ex D. Augustino, *Si quid inueneris, & non reddideris, rapueris.* Sic Exodi 20. dum prohibetur *furtum*, omnis iniqua acceptio rei alienæ intelligenda est, vt docet D. Augustinus lib. 2. quæst. 72. in Exodum. & hoc modo diuiditur furtum in fraudulentum, occultum, & violentum. Sed propriè accipitur pro occulto, vt dictum est.

Dvbitatio iii.

Vtrùm fur & raptor continuè peccent donec restituant.

Caietanus qu. 66. art. 3. circa solutionem tertij argumenti, putat ipsam detentionem non posse continuare peccatum actuale furti, eò quòd non sit actio, sed effectus actionis: vnde vult detentorem esse solùm in peccato habituali. Sed contrarium est verius, vnde

11 *Continuè peccat detentor.* Resp. & Dico Primò, Fur & omnis iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ, continuè actu peccat, toto eo tempore, quo cùm possit non restituit. colligitur ex Gabriele in 4. d. 15. qu. 2. art. 2. concluf. 2. & Soto lib. 4 qu. 7. art. 4.

Probatur Primò; quia non restituendo lædit continenter proximum, ipsum impediens à possessione & vsu rei suæ vel debitæ: quæ læsio quò diutiùs durat, eò censetur maior. atqui hæc læsio assiduè pendet vel à voluntate libera non restituendi, vel à libera voluntatis omissione: ergo est peccatum actuale, eo saltem modo, quo in omissione operis externi, qua alius læditur, est peccatum actuale.

Secundò, Qui non restituit cùm possit, voluntariè detinet rem alienam: atqui detentio rei alienæ, etsi non sit propriè actio, est tamen instar actionis, sicut possessio: ergo quamdiu hæc detentio exterior liberè pendet à voluntate, est actuale peccatum, actu nocens proximo.

Tertiò, Qui conijcit proximum iniustè in vincula, & ibi relinquit, continuè peccat actu; quia continuè nocet: perinde enim est, siue manibus siue vinculis eum assiduè tenendo affligat, cùm vtrumque æquè liberè continuetur. ergo etiam qui assiduè rem alienam cum incommodo continuo detinet, continuum peccatum committit. 12

Dices Primò, Ergo is, qui alteri vulnus inflixit, continuè peccat, quia continuè nocet. 13 *Obiectiones.*

Resp. neg. consequ. Non enim propriè continuè nocet, sed semel nocuit, & tunc peccauit actu. omne autem nocumentum deinceps secutum, naturaliter manat à primo nocumento, ita vt non dependeat ampliùs à præsenti ipsius voluntate, vt sit vel non sit; sed solùm à præterita, in qua semel censetur volitum. Quòd si esset in ipsius potestate tollere quotidianam molestiam ex vulnere prouenientem, & non faceret; continuè noceret præsenti voluntate, & sic continuè peccaret: sicut is, qui præsenti voluntate continuè nocet, constrictum tenendo, quem singulis momentis posset soluere. *Vulnerans.* Simile videmus in Tyranno, qui idolum erigit, vel iniquam legem sancit. tamdiu enim peccat, quamdiu illud idolum vel illa lex assiduè ex ipsius libertate dependens, manet: nam ex parte sua tamdiu actu nocet; quod nocumentum quouis momento potest & debet tollere. 14 *Iniquam legem ferens.*

Nec refert, quòd erecto idolo, vel lege data, nihil ampliùs agat; quia illa libera dependentia rei nocentis, est instar continuæ noxiæ actionis. qui enim omnibus momentis causam noxiam, quam posuit, potest auferre; si non auferat, continenter nocet & peccat.

Dices Secundò; Ergo singulis momentis peccat. 15

Resp. Verum est, non quidem nouum peccatum addendo, sed priùs actu continuando: sicut si mala voluntas per integrum diem duret, est vnum continuum peccatum; quod quò plus liberè durat, eò ceteris paribus est grauius. Similiter detentio rei alienæ toto tempore, quo commodè restitui potest, est vnum peccatum continuum actuale, quod singulis momentis crescit, idque dupliciter.

Primò, ratione maioris liberæ durationis. Secundò, ratione maioris nocumenti, quod inde domino prouenit. si enim inde dominus continuè crucietur animo, vel noua experiatur incommoda; hæc detentio fit continuè peior, idque intrinsecè quodammodò: sicut si ignem segetibus immissum singulis momentis possis extinguere, & omittas, assiduè crescit peccatum, ratione maioris damni: & si proximum, quem vides fame cruciari, non iuues, cùm singulis momentis possis, assiduè crescit illa omissio, ratione maioris incommodi. Quòd si inde nihil aliud incommodi eueniat, quàm quòd dominus careat re sua, solùm augebitur priore modo: sicut omne peccatum, & omne meritum augetur ex circumstantia durationis; quamuis in bonitate vel malitia intrinseca non crescat, vt ostensum est 1. 2. quæst. 74. 16 *Quomodo crescat hoc peccatum.*

Dices Tertiò, Si hæc detentio est vnum continuum

tinuum peccatú actuale: ergo homo actu peccat, etiam cùm dormit; tunc enim detinet.

17 *An, cùm dormit, peccet.*

Resp. Primò, Quodam sensu concedi posse, hominem peccare dum dormit; non quidem quòd tunc nouam culpam contrahat, vel contractam augeat, sed quia prauum propositum exequitur, vel in executione cœpta perseuerat: quo modo ipse somnus peccatum esse potest; vt si dormias loco vel tempore vetito, vel vt diuinationem assequaris in somno, vel turpi voluptate perfruaris. his enim euentis ipse somnus est peccatum externum, seu executio peccati; pendet enim à priori voluntate, & ab ea informatur. Simili modo, tempore somni potest continuari aliud peccatum anteà inceptum: vt si innocentem duris vinculis constrictum relinquas, & ita cubes.

18

Respond. Secundò, Dum dormit, propriè loquendo, actu non peccat vero & formali peccato; quia neq; somnus, neque id quod fit in somno, dependet ab aliqua voluntate libera, tamquam actio quæ assiduè liberè fit & continuatur; sed tamquam effectus voluntatis præteritæ, à qua ita pendet, vt cùm cœperit, non sit in nostra potestate continuare vel abrumpere: vnde peccatum non crescit, etsi somnus longior fuerit opinione; neque minuitur, si breuior. Hinc etiam fit, vt

19

quando somnus est executio peccati, non teneamur somnum in confessione explicare: sed sufficiat dicere, nos tali fine ad somnum composuisse; hoc enim est actio libera, non autem somnus. Hinc patet, peccatum detentionis in somno non continuari formaliter, sed effectiuè; quia effectus eius anteà præuisus & præuolitus continuatur; qui effectus etiam dicitur peccatum, quia est executio malæ voluntatis, vel continuatio executionis, anteà per malam voluntatem inchoatæ. Vt autem formaliter continuetur, requiritur vt assiduè dependeat ab hominis libertate, ita vt quouis momento possit & debeat tollere. non est tamen necessarium, vt continenter actu formali nolit tollere: sufficit vt non tollat, & aduertat se posse tollere. tunc enim si omittat, liberè omittit; habetque actu voluntatem interpretatiuam continuam detinendi seu non restituendi; vt patet ex dictis 1.2.q.6.art.3.

Peccatum vt formaliter continuetur.

Ex his sequitur, toto eo tempore, quo commodè potest fieri restitutio, non fieri nouum peccatum (moraliter loquendo) per illam voluntariam

20 *Non fit nouum peccatum moraliter.*

retentionem; sed continuari antiquum, quod anteà per acceptionem erat inchoatum: nam illa retentio informatur à prima voluntate retinendi, quæ interpretatiuè censetur actu manere. Et quamuis interim ille haberet aliquoties voluntatem expressam, toto eo tempore non restituendi, non censeretur tamen moraliter nouum peccatum, neque plura numero peccata, nisi physica ratione; sed vnum peccatum grauius: quia omnes illæ internæ voluntates referuntur ad vnum idemque opus externum continuatum, & cum eo vnum numero peccatum efficiunt; sicut cùm quis versatur in conatu occidendi inimici, omnes actus præuij occisioni, sunt vnum numero peccatum; quia omnia interna desideria tendunt ad eumdem conatum.

Dvbitatio iv.

Quibus modis istud peccatum actuale iniquæ detentionis interrumpatur.

Respondeo, Tripliciter interrumpi, ita vt formaliter non continuetur. Primò, Ratione ipsius propositi: vt dum quis propositum detinendi mutat, constituens prima opportunitate restituere, & hæc est perfecta interruptio. Secundò, Ratione detentionis externæ, quando illa in se incipit non ampliùs esse iniuriosa, eò quòd restitutio eo tempore facta sit impossibilis; vt si procul absit, vel graui penuria laboret: tunc enim externa detentio non est ampliùs peccatum. vnde etiamsi ferretur excommunicatio in eum qui rem illam detineret, detentor tunc non incurreret, etiamsi animum numquam restituendi haberet: quia etsi illa voluntas interna peccatum sit; detentio tamen externa peccatum non est. non enim est voluntaria, seu à voluntate dependens, etiamsi fortè sit volita. Incideret tamen, simulatque offerret se opportunitas restituendi, & eam negligeret; quia tunc detentio rursus incipere esse voluntaria, ac proinde peccatum externum.

21 *Tripliciter interpellatur peccatum detentionis.*

Dices, Quid si detentor non aduertat se tali tempore non teneri ad restitutionem, putetque se teneri? Respondeo, Tunc externæ detentionis peccatum interrumpitur quidem materialiter; quia illa detentio reuerà in se non est iniusta, aut peccatum: non tamen interrumpitur formaliter; quia ipse putat eam esse iniustam, & vult continuare. Sicut si acciperem à te rem meam, nesciens esse meam, acceptio illa esset iniusta formaliter, (id est, vt subest illi iniquæ voluntati) non tamen in se & materialiter, quia est actio in se iusta, quæ iustè potest appeti & fieri.

22

Tertiò, Ratione somni vel alterius distractionis, per quam fit, vt homo non habeat tunc in sua potestate, de illius rei detentione cogitare. vt enim illa detentio sit libera, necesse est, vt in potestate hominis sit aduertere se detinere: alioquin pro illo tempore non est libera, ac proinde non est peccatum formaliter, sed materialiter tantùm, vel effectus peccati. Itaque interrumpitur peccatum detentionis formaliter; quia iste homo formaliter tunc non peccat, cùm illa detentio ab illo liberè non pendeat; continuatur tamen effectiuè, quia effectus prioris peccati immediatè volitus continuatur: qui effectus est peccatum in sua causa, à qua dependet, nempe in voluntate quæ præcessit. Hinc fit, vt peccatum ratione huius detentionis non sit maius vel minus, siue ea diutiùs duret, siue breuiùs, nisi quatenus id est præuisum & præuolitum; & consequenter, solùm ratione voluntatis præcedentis.

23

Petes, Vtrùm interruptio huius peccati debeat explicari in confessione? Videtur sanè id non esse necessarium; sed sufficere vt explicetur, Primò, Quamdiu rem retinuerit. Secundò, Quoties interim occasionem restituendi habuerit & neglexerit. Tertiò, An interim dominus graue damnum vel afflictionem magnam senserit. Primum requiritur, Vt intelligatur aliquo modo multitudo actuum interiorum, vel continuatio æquiualens multis actibus internis. Secundum, Vt intelligatur multitudo actuum seu omissionum exteriorum,

24 *Quo modo explicanda in confessione.*

Tertium, Vt quanta in illis actibus externis fuerit malitia. non requiritur verò vt explicet, quoties resiliit à proposito restituendi: tum quia is, qui decies mutauit propositum, non magis peccauit, quàm qui permansit continuè in voluntate retinendi, si cetera sint paria: tum quia omnes istæ volitiones non restituendi, referuntur ad continuationem vnius actus externi; ac proinde moraliter censentur vnum peccatum.

Mihi probatur, vt etiam numerus talium volitionum explicetur: quia per se sunt distincti actus: puta, si potest meminisse.

Dvbitatio v.

Vtrùm dum quis vtitur re aliena, quam detinet inuito domino, peccet nouo peccato quotiescumque id facit.

Resp. Quidam putant, id esse nouum peccatum. Ita Nauarr. c.17. nu.54.& Caiet.q.66. artic.3.

25 Sed verius est, non esse nouum, sed vnum idemque continuatum. colligitur ex Gabr. & Soto suprà cit.n.11. Ratio est; quia rem alienam accipere, retinere, vti, & destruere, censentur eiusdem rationis & speciei moralis: ergo quando hæc simul concurrunt, est vnum peccatum continuatum.

Vsus rei non est nouum peccatum.

26 Hîc tamen duo Aduertenda. Primò, Si domino perinde sit, vtarísne re sua, an eam apud te detineas otiosam, non magis crescere culpâ vsu, quàm nuda detentione; vt, si sit gemma, annulus, torquis; vel quid simile, quod vsu non fit deterius: si sit pecunia, eamque alienes, modò ea alienatione non fias ad restituendum impotentior. quòd si dominus longè ferret ægriùs vsum, quàm otiosam detentionem, eò quòd res vsu atteratur, vel periculo exponatur, tunc peccatum magis vsu augesceret quàm detentione: (semper tamen intra eamdem speciem) vt si sit vestis, vel equus, &c.

Secundò Notandum, Si res ita apud te facta sit deterior, vt verisimile sit dominum eam non ampliùs velle, sed pretium eius; non est peccatum ea vti, aut etiam destruere; quia hoc non fit ampliùs inuito domino, cùm eam nolit sibi restitui. peccatum tamen esset non restituere eius pretium, si commodè posses. quòd si etiam id tunc commodè non posses, neque hoc peccatum esset.

Dvbitatio vi.

Quale peccatum sit furtum.

Respondeo & Dico Primò, Ex genere suo esse peccatum mortiferum. Ratio est; quia infert proximo nocumentum: atqui hoc est contra charitatem; ergo.

Aduerte tamen, Furtum ex genere suo esse minimum peccatum, quod in proximum committitur; quia bona fortunæ sunt infima. ratione tamen incommodorum, quæ inde sequuntur, posset esse maius aliis.

27 Dico Secundò, Fieri tamen potest, vt ex indeliberatione, vel ex materiæ paruitate, sit tantùm peccatum veniale. Est certa. Et quidem ratione paruitatis materiæ patet; quia in furto tali non est notabilis læsio. Ratione autem indeliberationis, quomodo possit esse peccatum veniale, difficilius est; nam opus illud externũ videtur vix fieri posse absque plena consideratione. Sed quidquid sit de 28 opere externo, saltem voluntas furandi potest carere plena & sufficienti aduertentia: vt patet, dum quis tentatur ad furtum; ac proinde in hac peccatum veniale erit. Puto tamen etiam fieri posse, vt hæc voluntas exeat in opus externum, auferendo rem alienam sine plena animaduersione. Quidam enim ex consuetudine ita sunt propensi & veluti determinati ad furandum, vt rem auferant priusquam perfectè aduertant quid agant. Idem fieri potest ex vehementia tentationis, præsertim in festinatione, vbi non conceditur deliberatio.

Furtum indeliberatum.

Dico Tertiò, Vt furtum sit peccatum mortale, 29 requiritur, vt materiæ quantitas notabilis sit. Patet; quia non cuiusuis rei ablatio potest esse culpa mortifera; v.g. pomi vel oboli.

Sed difficultas est, quænam censenda sit quantitas notabilis. Nauarrus c.17.num.4. putat dimidium regalem esse quantitatem notabilem, quæ constituat furtum mortiferum. Toletus l.5.c.16. vnum regalem, vel duos, etiam respectu ditissimi. Barth. Medina 1.2. quæst.88. art.4. duos regales. Sotus lib.5.q.3.art. ad tertium, vnum vel duos aureos. Denique quidam centum aureos requirunt, vel amplius, sepositio omni incommodo extrinseco. Alij verò docent, non posse in genere taxari, quæ quantitas sit notabilis; sed hanc stauendam arbitrio prudentum, pro varia personarum & locorum conditione. Ita Ioannes Medina C.de restit.q.10.& Petrus Nauar.lib.3.c.1 n.35. Ratio est; quia quod respectu vnius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale, sed modicum & parui momenti. iuxta quam sententiam dici potest, Primò, respectu omnium, etiam Regis & hominis prædiuitis, vnum aureum videri quid notabile, vnde furtum vnius aurei, erit mortiferum. Ita Petrus Nauarra, & Sotus suprà.

Quantitas notabilis.

Nec obstat, quòd hæc quantitas respectu Regis 30 modica videatur: quia etsi modica sit ad donationes pro regia magnificentia faciendas; non tamen est modica, spectatis omnibus Regis oneribus, ad quæ subleuanda hæc quantitas notabiliter iuuat: vt patet cùm militi soluendum est, qui per mensem vnum pro duobus aureis vitam exponit. Deinde censetur notabilis, cùm agitur de iniuria subeunda: non enim minùs Rex se suaque omnia tuta esse vult ab iniuria, quàm alius quilibet. Secundò, Respectu mediocriter diuitum, quatuor regales, siue vnum florenum censeri quid notabile, iuxta Petrum Nauarram: quia sufficit illis ad victum vnius diei, addit ille, minorem quantitatem non censeri notabilem. Tertiò, Respectu mechanicorum, duos regales; iuxta sententiam Medinæ. inde enim commodè victitant, & hæc summa ferè æquat mercedem diurnam. Sotus tamen 31 & Petrus negant duos sufficere. Quartò, Respectu pauperis, vnum regalem, vel etiam dimidium. Sententia illa de centum aureis, est nimis laxa, nec satis consentanea Scripturæ, qua dicitur, *Fures regnum Dei non possidebunt*. pauciores enim sunt, qui tantas summas surripiant.

Nihilominùs, etsi hæc vltima sententia satis probabilis videatur; placet tamen sententia Bartholomæi Medinæ, & Toleti, qui duos regales absolutè quantitatem notabilem statuunt. quamuis etiam minor summa talis censeri possit, si notabilem læsionem secum trahat; vt si pauperi surrepta

repta fuerit: vt Toletus notat. Quod confirmari potest ex Nauarro, qui dicit, In quibusdam Episcopatibus solitam ferri excommunicationem ob furtum duorum regalium. Hoc tamen modò post Concilium Tridentinum fieri non debet: imò per se res satis indigna videtur, nisi in casu aliquo particulari, circumstantiæ tale remedium postulent. Vide Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reform. vbi statuitur vt huiusmodi excommunicationes non ferantur, nisi ob rem non vulgarem, causa diligenter per Episcopum examinata. vnde non facilè excusauerim eos, qui pro tribus vel quatuor florenis excommunicant.

32 Dices, Si furtum duorum regalium, in diuitem commissum, est peccatum mortiferum, non infra; ergo si quis auferat duos regales, minùs vno obolo, non peccabit mortiferè.

Respondeo, Non posse hanc quantitatem mathematicè statui, sed moraliter; sicut iusta rerum pretia, quæ non consistunt in indiuisibili termino. Itaque censebitur etiam peccare mortiferè, qui saltem vno vel altero asse non abest ab hac quantitate. quæ enim parum distant, nihil distare videntur.

33 Dico Quartò, Quamuis ipsa res, quæ surripitur, non sit notabilis pretij, tamen si auferatur ei qui inde graue incommodum accipiet, est peccatum mortiferum; quamuis non mortiferum in specie furti. Prior pars, *esse peccatum mortale*, probatur; quia notabile damnum proximo irrogatur; vt si sutori surripias setas, vel sartori acum; nec possint aliunde habere: sic si auferas cuipiam rem parui momenti, quam tamen ille maximi facit, & propter quam valdè perturbabitur, vel diras imprecabitur, vt ait Sotus suprà.

Si notabile incommodum ex re parua

34 Secunda pars, *Non esse peccatum mortiferum* in specie furti, optimè probatur à Nauarro suprà, c. 17. n. 2. quia res quæ surripitur, non est notabilis pretij: ergo non est materia furti mortiferi. Vnde sequitur, si talis ferretur excommunicatio, Quicumque rem notabilem furatus fuerit, ipso facto sit excommunicatus, hunc non fore excommunicatum.

Petes, Ad quam speciem ergo pertinebit hoc peccatum, quà est mortiferum?

Resp. Si sequatur damnum, v. g. lucrum cessans, erit in specie damnificationis iniustæ; (quæ proprio nomine caret) quia huius damni causam iniustè dedit: si autem sciat fur, talem solere peierare, imprecari, blasphemare, erit peccatum scandali, pertinens ad eam peccati speciem, cuius sciebat suo furto, etsi exiguo, se fore causam.

35 Ex his sequitur, eum, qui surripit minima, cum animo maiora furandi si posset, peccare quidem mortiferè; non illo actu, quo vult furari hoc minimum, sed alio huic coniuncto; talis enim habet duos actus voluntatis; vnum absolutum, quo vult hanc rem paruam furari; & hæc voluntas exit in actum externum, estque solùm peccatum veniale: alterum conditionatum, scilicet, Vellem auferre maiora, si possem: & hæc velleitas est peccatum mortiferum, sed non exit in actum externum. vnde talis fur non inuoluereturr sententia excommunicationis, latæ in eos qui rem notabilem furati essent.

Animus furandi maiora.

Dvbitatio vii.

Vtrùm is, qui minutis furtis intendit surripere quantitatem notabilis pretij, peccet mortiferè.

36 Respondeò, Qui per furta minima intendit diteſcere, aut conquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortiferè illa intentione, & quouis externo furto minuto, ex eius vi procedente. Est communis DD. sententia. Prior pars patet; quia intendit accipere rem alienam magni momenti inuito domino.

Surripiẽtes minima.

Dices, Intendit accipere à diuersis, & nemini cupit facere notabilẽ iniuriam: ergo non est peccatum mortale. Ob hoc argumentum Hieronymus ab Hangesto cap. 9. Moralium pag. 130. admittit hoc non esse peccatum mortale, nec teneri ad restitutionem. Sed hanc sententiam non facilè concesserim in praxi. Primò, quia alioquin non peccarent mortiferè, qui vtuntur ponderibus vel mensuris iusto minoribus: quod videtur esse contra illud Prouerb. 11. *Statera dolosa, abominatio est apud Deum.* & Deuter. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus*, &c. *abominatur enim Deus eum qui facit hoc.* vbi satis insinuatur esse peccatum mortale. Secundò, quia præbet occasionem hominibus, vt ex alieno diteſcere studeant. Tertiò, quia est contra communem DD. sententiam. Ioannes Medina C. de restitut. q. 10. in fine putat *non esse peccatum mortale, si ille id in fraudem legis de non furando, non faciat; sed quia fortè nõ habet alias, vnde ipse & familia sua viuat.* quæ sententia teneri potest. Primò, si illius hominis conditio sit talis, vt alij teneantur ei succurrere: vt docet Angelus v. Furtum, n. 37. Fumus eodem verbo n. 10. & alij. Secundò, quando constat illos, à quibus accipit, si nossent hominis statum, non fore inuitos circa rei substantiam, etsi circa modum inuiti sint; dum displicet occulta surreptio vel fraus. aliàs non est tuta. 37

Vnde ad obiectionem Respondeo negando consequentiam; nempe quòd ille non peccet mortiferè, dum intendit à multis parum accipere. Ratio est; quia multis inferre paruum damnum, perinde est ac si vni inferas magnum. nam omnia illa parua simul iuncta, efficiunt vnum magnum, quod est illius communitatis. 38

Respondetur.

Nec refert, quòd singuli vix sentiant aliquid incommodi; quia etsi nemo in particulari sentiat; tamen respectu communitatis est notabile incommodum; quia tali summa potest Respublica aliquem notabiliter iuuare, vel aliquod debitum dissoluere. sicut suprà dictum est de Rege; quia etsi in sua persona ex furto duorum aureorum nihil sentiat incommodi; tamen censetur ei quid notabile, spectatis omnibus eius oneribus & obligationibus. Simili modo, qui ex immenso tritici numero, ad Rempublicam pertinente, duos modios auferret, parum incommodi singulis inferret; tamen peccaret mortiferè, quia respectu Reipublicæ id censetur notabile. Adde, hanc rationem furandi, remque suam augendi, valdè repugnare societati humanæ, & in omni Republica benè instituta valdè exosam; ac proinde tamquam rem valdè noxiam hominum societati, censeri prohibitam sub peccato mortifero: sicut fornicatio

catio prohibita est sub peccato mortali; quia per se noxia est educationi prolis.

39 Altera pars probatur; quia singula externa furta procedunt ex intentione mortifera, suntque eius executio: ideò enim furta parua committit, vt sensim ad magnam quantitatem perueniat: vnde singulæ acceptiones, sunt executiones partiales illius intentionis mortiferæ, & consequenter in illis est peccatum mortiferum. quidquid enim fit ex intentione mortiferi peccati, est peccatum mortiferum.

40 Notandum tamen, in singulis non committi nouum peccatum mortale, sed continuari iam cœptum: omnes enim istæ acceptiones & detentiones acceptorum censentur vna continua executio illius prauæ voluntatis. Sed committitur nouum peccatum veniale in singulis; & simul continuatur executio mortiferæ intentionis. Itaque quæq; voluntaria acceptio est intrinsecè peccatum veniale; denominatione autem extrinseca est mortale. Vnde fieri potest, vt is qui sic furatur, non magis peccet, quàm si vno actu eamdem quantitatem furaretur, sed potiùs minùs, si cetera sint paria.

Idem peccatum veniale & mortale.

41 Petes, Vtrùm iste, qui sic à plurimis corrasit, teneatur ad restitutionem, & cui?

Cui restituet.

Resp. Teneri ad restitutionem iis, à quibus accepit, si tamen commodè possit; quòd si non possit, vel quòd ignorentur, vel quia executio est difficilior, quàm res tantilla postulet, vel quia est periculum infamiæ; iniungendum illi à confessario, vt det in pauperes, vel alia pia opera: hoc enim videtur maximè consentaneum iustæ voluntati dominorum, à quibus subtractum. Sed de hoc plus infrà cap. 14. dub. 6.

Dvbitatio viii.

Vtrùm is, qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione ea committit, peccet mortiferè.

42 Respondeo & dico Primò, Antequam perueniat ad quantitatem notabilem, non peccat mortiferè; tamen simulatque ad eam pertingit, mortiferè peccat, nisi per inaduertentiam excusetur. Prior pars est manifesta. Secunda etiam est communis DD. & probatur; quia iam incipit voluntariè detinere alienum notabili quantitate.

Sed difficultas est, Vtrùm illud vltimum furtum complens quantitatem notabilem, sit peccatum mortiferum. Multi affirmant. Exempli causa; Accepit quis nouem furtis paruis, nouem asses: tandem ex occasione accipit decimum; in acceptione decimi dicunt esse peccatum mortiferum. Sed contrarium videtur verius, vnde

Dico Secundò, Furtum illud decimum, per se non est nisi veniale; sed detentio voluntaria rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, est peccatum mortiferum. Prior pars est Nauarri c. 17. n. 139. Altera patet ex supradictis.

43 Dices, Hoc decimo furto, infert iam notabile damnum: ergo peccat per illud mortiferè.

Furtum complens summam notabilem.

Resp. Damnum illatũ incipere tunc quidem esse notabilis pretij: tamen hoc non infertur per decimum furtũ; sed per hoc & præcedentia collectum sumpta, quorũ vnumquodque est solùm veniale.

Admitto tamen, tunc incurri peccatum mortiferum, si ille fur aduertat se iam habere quantitatem notabilem, & non proponat restituere, cùm tamen commodè possit. tunc enim saltem implicitè habet voluntatem retinendi alienum quantitate notabili: peccat ergo mortiferè, non quidem voluntate accipiendi hunc decimum assem, sed voluntate illa, qua hunc decimum cum aliis antè acceptis (qui simul iuncti faciunt rem notabilem) vult retinere.

Si tamen non aduerteret se iam habere alienum quantitate notabili, non peccaret mortiferè. Similiter si aduerteret quidem, sed non haberet commoditatem restituendi, proponeretque prima opportunitate restituere. Ratio est; quia talis neque accipit tunc alienum quantitate notabili, neque etiam habet voluntatem culpabiliter tale quid retinendi (licitè enim potest adhuc nolle restituere priores nouem) & acceptio decimi non est peccatum mortiferum, sed solùm veniale: ergo non peccat nisi venialiter.

Dices, Quid si post quantitatem notabilem per minima furta sublatam, addat quis furta alia parua, erúntne mortifera?

Resp. Per se non fore mortifera, sed mortifera 44 erit voluntas retinendi illa minuta cum aliis, & hoc peccatum voluntatis & externæ retentionis sensim crescet, prout plus & plus detinebitur. vt si post 10. illos accipiat alios duos, & alia occasione tres, & posteà vnum, sicque sæpiùs, retinens interim omnia priora. Si tamen non sit commoditas restituendi priora, illa voluntas retinendi, mortifera non erit, modò concipiatur propositum restituendi prima opportunitate; sed tunc quando illa noua furta rursus ad quantitatem notabilem ascendent, committetur nouum peccatum mortiferum, iuxta modum supradictum.

Ex his patet, fieri posse vt quis commiserit tan- 45 tùm furta venialia, & tamen sub peccato mortali teneatur restituere; quia velle retinere illam quantitatem sic partam per furta venialia, est peccatum mortale.

Aduerte tamen, ad peccatum mortale maio- 46 rem quantitatem requiri, quando quis eidem magnis temporum interuallis subtrahit paruis furtis, & non ex industria, sed per occasionem, quàm dum breui tempore vel de industria vel simul accipit, vt ibidem Nauarrus docet. Ratio est; quia homines minùs ægrè ferunt sibi auferri longo interuallo & casu quædam minima, etiam ad notabilem quantitatem, quàm eamdem quantitatem simul vel per partes, de industria. Vnde si is mortiferè peccat & ad restitutionem tenetur, qui ab eodem aufert 10. simul, vel per partes de industria: requirentur 15. vel 16. aut etiam viginti, vt quis sub peccato mortali teneatur restituere acquisitum per minuta furta fortuita; præsertim si longis interuallis sint facta. Ratio tamen, qua id probat Nauarrus, non videtur firma. ex illa enim sequeretur, numquam peccari retentione sic ablatorum, etiamsi essent 10. scuta: ita enim argumentatur Nauarrus, Minùs peccat qui retinet, quàm qui capit, ceteris paribus: at capiendo illa parua sine animo perueniendi ad quantitatem notabilem, non peccat plus quàm venialiter: ergo nec retinendo. Etsi enim minùs quis peccet retinendo quàm capiendo, ceteris paribus, hìc tamen non sunt paria; nam retentio comparatur ad quantitatem notabilem, tamquam ad vnum obiectum: vnde potest esse mortifera; sed acce-

Maior quantitas requiritur vt sit notabilis.

ptiones

ptiones singulæ comparantur ad res non notabiles; vnde non possunt esse nisi veniales. hæc tamen ratio Nauarri ad hoc iuuat, vt ostendatur requiri maiorem quantitatem ad peccandum mortiferè sola retentione, quàm acceptione quæ simul fit.

47 His adde, maiorem quoque quantitatem requiri, quando quis à diuersis minuta furatur, quàm quando ab vno; quia diuersi illi parum lædun-tur, nec ita curant rerum minutarum casu surreptarum restitutionem. Denique, maior requiritur quantitas in furtis filiorum à parentibus, quàm famulorum à dominis; & in furtis famulorum, quàm externorum.

48 *Furta famulorum.* Vbi aduerte, furta esculentorum & poculentorum, quæ committuntur à famulis & ancillis, etiamsi sensim perueniant ad notabilem quantitatem, non esse peccata mortalia, si furentur ea, vt ipsimet consumant; (secùs verò si vt vendant) sintq; ordinaria quæ non solent accuratè cõcludi. de quo vide Nauarrum cap. 17. n. 138. Ratio est; quia dominis non omnino displicet, vt hæc capiantur: cuius signum est, quòd etsi sciant ista passim fieri, tamen non impediunt; & si rogarẽtur, facilè concederent. Vnde potiùs displicet modus accipiendi quàm ipsa acceptio seu consumptio.

49 *Si modus accipiendi displicet, nõ acceptio.* atqui non est peccatum mortiferum accipere aliquid occultè ab eo, cui non displiceret acceptio, si res ab eo peteretur; quamuis modus accipiendi displiceat; vt rectè docet Caietan. in Summa v. Furtum. & Nauarr. c. 17. n. 138. & comment. 2. de Regular. nu. 20. quia dominus non est inuitus circa substantiã acceptionis, sed solùm circa modum. quod valdè notandum, ob furta filiorum, vxorum, famulorum, amicorum, & similium, qui per verecundiam vel timorem non audent petere.

50 Si tamen furripias ad eum vsum, ad quem ille nullo modo voluisset concedere, vt ad compotationes, ludos, &c. erit verum furtum: quia nõ vult rem esse tuam ad talem vsum; & ita acceptio secundùm substãtiam censebitur fieri inuito domino. id enim maximè ex vsu & fine, ad quem res accipitur, spectandum est. Vide infrà cap. 41. n. 80.

Monẽdi mihi sunt hoc loco pro his & similibus casibus Confessarij, vt non facilè in furtis etiam minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent; sed pro conditione & capacitate personarum semper aliquam restitutionem iniungant, quæ fiat vel reddendo rem eamdem si extat, vel eiusdem speciei, vel pretium rei, vel compensando maiore obsequio quàm ex contractu teneantur; vel si creditoribus non possunt, conferendo tantumdem in pauperes. Hac enim ratione, cùm non impunè transeunt, magis ab huiusmodi peccatis absterrentur, quàm aliis pœnitentiolis. alioquin fiunt ad huiusmodi furtula faciliores, & ad maiora gradum faciunt.

Dvbitatio IX.

Quando plures vni per minuta furta graue damnum inferunt, vt cùm multi vineam prætereuntes, botrum vnum vel duos carpunt; vtrùm singuli peccent mortiferè, & teneantur ad restitutionem.

Resp. & Dico Primò, Si id fiat communi consilio, peccant mortiferè, & tenentur ad restitutionem in solidum, iuxta multorum sententiam, de qua infrà, cap. 13. dub. 2.

Dico Secundò, Si casu id fiat, ita vt alter alterius non sit conscius, nemo peccat mortiferè, neque tenetur ad restitutionem. Ita Nauarr. cap. 17. nu. 130. & alij. Ratio est; quia nemo est causa notabilis damni. *Si casu fiat.*

Sed quid si aduertant notabile damnum inferendum? 51

Respond. Multi DD. affirmant, tunc singulos mortiferè peccare, & ad restitutionem suæ partis teneri. Ita docet Couarr. l. 1. variarum c. 3. nu. 12. Medina C. de restitutione qu. 10. Petrus Nauarra l. 3. c. 1. nu. 48. & alij. Ratio est; quia si aduertas magnum damnum à pluribus per minuta furta dari, & ipse nihilominùs fureris; ad illud cooperaris & auxilium præbes: atqui hoc est peccatum mortale. Vnde vlteriùs sequitur, teneri te ad restitutionem tuæ partis sub peccato mortali; quia retinendo, cooperaris cum aliis ad retentionem rei notabilis. debet ergo fieri restitutio, donec res retenta non fuerit amplius notabilis pretij. Sed contrarium videtur verius, vnde

Dico Tertiò, Is qui alteri nullo modo suo exemplo vel hortatione est causa accipiendi, etiamsi sciat alios accipere, non tamen peccat mortiferè, modicum accipiendo; neque tenetur sub peccato mortali ad restitutionem: colligitur ex Soto in 4. d. 22. q. 1. art. 2. casu 3 Probatur; quia iste infert parum damni: ergo ex hac parte non peccat nisi venialiter, & nemini est causa vel occasio furandi, vt suppono: ergo ex eo, quòd alij furentur, peccatum ipsius non aggrauatur. sicuti is qui nouit alios furari à Rege, & parum furatur, non peccat mortiferè, quando suo exemplo aliis non est causa. Quod addo, quia etsi exemplum non inducat obligationem restitutionis; tamen est ratio cur quis peccet mortiferè. 52 *Si alteri non sis causa furandi.*

Nec obstat, quòd talis cooperetur magno damno; quia solùm in parua parte cooperatur, & præter ipsius intentionem est, quòd illa cum aliis iungatur, & magnum damnum constituat. vnde non est verum, quòd consentiat in totum damnum: quia displicet illi, quòd magnum damnum inferatur.

Dices Primò, Iste est causa cur damnum, quod alioquin non fuisset notabile, sit factum notabile: (v.g. alij abstulerunt 9. asses, quod damnum suppono nondum esse notabile, sed fit tale ablato decimo, quem iste furatur) ergo peccat mortiferè. 53

Resp. Negando consequ. quia non est verè causa damni notabilis, sed parui: quòd autem hoc furto posito, iam illatum sit damnum notabile, id omnino per accidens est, & præter ipsius intentionem, neque vllo modo sequitur ex conditione illius furti; sed ex eo, quòd accidit alios antè abstulisse nouem. itaque complere hoc modo damnum, & efficere vt ex non notabili fiat notabile, non est notabiliter lædere, vel notabili iniuria afficere; sed totum illud, quod est notabile, accipere vel retinere; quod iste non facit. Sicut qui complet lineam 10. pedum, addendo vnum pedem, non est causa longæ lineæ: & qui complet summam 100. florenorum, dando vnum florenum, non dat summam 100. florenorum: ita qui auferendo vnum, complet damnum decem assium, non dat damnum notabile. Quod etiam inde confirmatur: quia alioquin si sciens alium abstu- *Complens damnum.*

abstulisse nouem,auferas vnum, infinitè ampliùs peccabis auferendo vnum, quàm ille auferendo nouem, quod per se est absurdum. Vnde patet, istud argumentum, quod est fundamentum contrariæ sententiæ,parum esse firmum.

54 *Possunt compelli.* Dices Secundò,Qui hoc modo damnum vineæ intulerunt, possunt sub pœna excommunicationis compelli ad restitutionem : ergo peccarunt mortiferè,&c.

Resp. negando consequentiam ; potest enim quis ex iusta causa compelli sub peccato mortali ad id,ad quod aliàs non tenebatur; vt v.g. venire ad supplicationem,soluere mulctam lege impositam. ad hoc enim satis est,vt sit iusta causa præcipiendi; etiamsi hæc causa per se absque præcepto Superioris non sufficiat ad obligandum. Itaque cùm hîc sit iusta causa præcipiendi sub pœna excommunicationis, vt singuli suam partem restituant; nempe vt ille graue damnum acceptum resarciat, potest sic præcipi. Hæc tamen causa non sufficit, vt singuli Iure naturæ absque præcepto Superioris teneantur sub peccato mortali ; quia quisque in particulari potest cogitare suam restitutionem parum profuturam ad damni compensationem,eò quòd alij non restituent. Addo, non videri posse compelli sub pœna excommunicationis eos qui notabilem quantitatem non acceperunt; nisi quando res ita essent comparatæ, vt ex defectu restitutionis vnius, notabile damnum sequeretur: vt si Titio particulam suam non restituente,alij quoque restituere nollent.

55 Dices Tertiò,Ergo fieri potest,vt quis magnum damnum accipiat, & tamen nemo teneatur sub peccato mortali restituere.

Resp.concedendo totum: neque enim hoc absurdum videri debet, quando à multis datum est: cùm etiam locum habeat, quando ab vno absque culpa letali irrogatum, vt suprà ostensum cap.7. dubit.6.

Dvbitatio x.

Vtrùm occultè vindicare rem suam, vel sibi debitam, surripiendo eam alteri, sit peccatum mortiferum.

56 *Si iusto titulo extet apud alterum.* Resp.& Dico Primò, Si res tua iusto titulo, v.g. pignoris, locationis, commodati, &c. apud alium extet,eamque occultè recuperes, peccas peccato furti, & teneris ad restitutionem. Est communis DD. Ratio est; quia iniquè spolias alterum suo iure,quod in illam rem habebat; quod si magni sit momenti, necessariò est restituendum; hoc tamen intellige, si probabile erat, te rem tuam,iure alterius finito, commodè recuperaturum.

57 *Si iniusto.* Dico Secundò, Si iniusto titulo apud alium fuerit, vel aliàs tibi debita, non teneris ad restitutionem, etiamsi eam occultè receperis: peccas tamen,nisi certæ conditiones adsint.

Prior pars patet; quia nulla fit inæqualitas ; neque alter iusta ratione est inuitus. teneris tamen tunc monere, si commodè potes, nihil tibi deberi, vel remittere debitum, vt ille sentiat se non ampliùs obligatum; tum ne permaneat in peccato, existimando se detinere tuum vel tibi debitum, tum ne secundò tibi satisfiat, vt rectè Sotus lib.5.de Iustit.q.3.art.3. Caiet.q.66. ar.5.Nauar. c.17.n.113. & alij.

Altera pars, Quòd pecces, probatur; quia fit iniuria publicæ potestati, quæ ad hoc constituta, vt singulis ius suum tribuat, vt rectè D.Thomas qu.66.art.5.ad tertium.

Dixi, *Nisi certæ conditiones adsint* ; his enim positis, licitum est rem suam occultè recuperare, & pro debitis compensatione vti. 58 *Certæ conditiones necessariæ.*

Prima est, Vt moraliter certum sit, rem tuam esse,vel tibi ex iustitia deberi. si enim id esset dubium,non posses eam accipere; nam in dubio melior est conditio possidentis. Similiter,si non esset debita ex iustitia,sed solùm ex gratitudine.

Secunda est,Vt non possis eam alia ratione recipisci,vel certè non absque notabili molestia, vel expensis,vel amissione beneuolentiæ & fauoris. 59

Tertia,Vt non accipias rem aliquam apud debitorem depositam, sed tuam vel tui debitoris; nam compensatio fieri debet ex bonis debitoris, quæ in eius sunt dominio.

Quarta,Vt absit periculum scandali vel infamiæ, ne tamquam fur puniaris vel habearis. Hæ conditiones si adsint, licitè potes vti compensatione. Quidam addunt, *ne compensatio fiat in deposito:* ita enim expressè docet Greg. IX. cap. Bona fides; de depositо. Sed hoc videtur pertinere ad forum exterius, in quo cogetur reddere depositum ob præsumptionem perfidiæ, vt ibi insinuatur. quod videtur etiam placuisse Emanueli Sà. 60 *Depositi.*

Ex dictis sequitur Primò,Si feratur excommunicatio in eos qui surripuerunt, non comprehendi eum qui in compensationem accepit, etiamsi alia via recuperare potuerit: (quod est contra Ioannem Medin.qu.11.) nisi in hisce tribus casibus. Primò, Quando debitum erat dubium. Secundò, Quando notabiliter vltra æqualitatem progressus est ; nam respectu illius excessus, est verum furtum. Tertiò, Quando rem alienam accepit, quæ non erat debitoris. Extra hos casus non ligatur hac excommunicatione. Ratio est; quia etsi peccauerit sic accipiendo, non tamen peccat retinendo ; quia solùm peccauit in modo accipiendi. vnde etiam non tenetur ad restitutionem. Neque Iudex intendit illum cogere, sed iniustum detentorem. & quamuis intenderet, nihil tamen efficeret; quia ille non tenetur restituere : vnde excommunicatio esset inefficax. quamuis enim peccauerit, fortè etiam mortiferè, tamen illud peccatum iam præteriit; vnde propter illud non potest excommunicari: vlteriùs autem detinendo,non peccat ; vnde neque ob hanc causam. 61 *Excommunicatio.*

Dices, Iudex per modum pœnæ poterit imponere hanc restitutionem ob peccatum præteritum. 62

Resp. Negando posse ; quia Iudex non potest aliquem punire pœnâ pecuniariâ vel simili ob delictum, nisi priùs iuridicè audiatur reus & conuincatur.

Sequitur Secundò, Si is, qui iustè accepit, rogaretur à Iudice,num sciret quis acceperit, vel an ipse non acceperit,posse negare se scire,etiam cum iuramento ; mente intelligendo, se nescire quis ita acceperit, vt Iudex intendit, nempe iniustè. quòd si non rectè accepisset; (eò quòd via Iuris facilè potuisset recuperare) quamuis nunc iustè retineat, tamen iuridicè interrogatus tenebitur fateri; *Si rogetur à Iudice.*

fateri; quia Iudex tunc habet ius interrogandi, ſicut de aliis criminibus. vnde non poteſt vti artificio prædicto. vide Nauar.cap.17.n.114.& duobus ſequentibus. Contrarium tamen non eſt improbabile; quia alia videtur mens Iudicis, nempe an acceperit iniuſtè, non quoad modum tantùm, ſed quoad ſubſtantiam acceptionis.

63 *Famuli.* Sequitur Tertiò, Famulos non poſſe ſibi occultè compenſare ex bonis dominorum, dum queruntur ſtipendia ſua eſſe iuſto minora; niſi reuerà iudicio prudentis ita ſit; nec ſolùm lege gratitudinis, ſed etiam iuſtitiæ plus debeatur; quod poteſt fieri dupliciter. Primò, Si paruo quidem ſit conuentum, ea tamen mente, vt dominus, ſeruitio diligenter præſtito, eſſet ſuppleturus, & hanc mentem famuli dominus ſatis aduerterit; tunc enim ex iuſtitia dominus tenetur ſupplere: quia hoc tacitè in pacto continetur. Secundò, Si preſſus neceſſitate, exiguo conuenit; quia dominus amplius dare noluit. tunc enim quòd operam ſuam multò pluris valentem tam paruo locet, non ſponte facit, ſed neceſſitate compulſus: (ſicut ſi quis neceſſitate preſſus, paruo vendat rem aliquam magni pretij) tenetur ergo dominus ſupplere ſtipendium ad æquiualentiam. hoc tamen intellige, ſi tali ſeruitio egebat, vel ſi magnum ex eo capiat emolumentum. quòd ſi non egebat, ſed ſolùm ad preces alterius, nullo magno ſuo commodo admiſit, meritò poteſt minùs offerre ac dare, *merces enim vltroneæ*, vt dici ſolet, *vileſcunt*: vide Nauar.cap.17. num.109.& ſequentibus.

Dvbitatio XI.

Vtrùm aliquando liceat vim adferre debitori, ſi aliter nequeas rem tuam obtinere.

64 REſpond. Dominicus Sotus putat id licere, quando Reſpublica ita eſt perturbata, vt nemo ius ſuum obtinere valeat, modò tamen ſine armis & moderatè fiat. Sed vtendum diſtinctione. Si res tua extet apud alterum in ſua ſpecie,

65 (v.g.equus, veſtis, torquis,&c.) & non poſſis eam aliter recuperare ob Reipublicæ perturbationem, non eſt improbabile, poſſe te domum ingredi, & eam auferre: & ſi ille velit impedire, poſſe te etiam armis tueri. habes enim ius recuperandi rem tuam. Neque hîc videtur propriè aggreſſio, ſed defenſio; vt ſuprà dictum eſt ex D. Antonino & Silueſtro. Si tamen res non extet, ſed ille tantùm ſit debitor tuus, non potes hoc modo illam vindicare; quia tu non es dominus rei illius, ſed ipſe: vnde habet ius tibi reſiſtendi, ſi eam vi auferre nitaris, & tu cenſeris aggreſſor, non ille; quia ipſe non detinet rem tuam, ſed tu inuadis rem ipſius.

Vim adferre quando licet.

Dvbitatio XII.

Vtrùm in extrema vel etiam in graui neceſſitate, licitum ſit aliena ſurripere.

D.Thom. quæſt.66. art.7.

66 *Primò debet peti.* NOtandum eſt, Eum, qui in neceſſitate verſatur, non poſſe alienum vſurpare, niſi antè petierit iuuari, explicata ſua miſeria; vel niſi certò ſibi perſuadeat, ſe nihil obtenturum. ſi enim probabilis ſpes ſit, poſſe te conuenienti modo petendo (non enim tenetur vir honeſtæ conditionis oſtiatim mendicare) conſequi vt ſit tuum, non videris redactus ad eam neceſſitatem, vt cogaris ſurripere alienum. Hoc enim tunc demum iure gentium conceditur, quando alia via occurrendi neceſſitati non ſuppetit. Quare ſi aliter facis, contra debitum ordinem facis: nemo enim poteſt viuere ex alieno, quando poteſt ex proprio; efficiendo vt res aliena fiat ſua per donationem, vel aliter. Non tamen videtur eſſe peccatum mortale, ſi hic ordo non ſeruetur, modò ſcandalum abſit. quia ſiue dominus concedat, ſiue non concedat, potes accipere. eſt enim dumtaxat inordinatio in modo.

Nunc, Dico Primò, Quemuis in extrema neceſ- 67
ſitate conſtitutum poſſe accipere rem alienam, *In extrema licitum ſurripere.*
qua extremè indiget ad vitæ ſuæ conſeruationem. Eſt communis ſententia DD. Probatur; quia in extrema neceſſitate, *omnia ſunt communia*, vt habet receptum axioma. non quòd per illam ſtatim transferatur dominium; (vt rectè probat Nauarrus cap.17. num.61.) ſed quia quoad ius vtendi, communia ſunt, ita vt licitè quiuis illis anguſtiis preſſus, poſſit occupare, ſibique vindicare rem quamlibet adeò ſibi neceſſariam, & ex eius vſu ſibi & proximo opitulari. Cuius ratio eſt; quia 68
finis rerum inferiorum eſt, vt hominibus in neceſſitate ſint ſubſidio, & vt homines per illas poſſint vitam ſuam conſeruare & tueri, ac proinde omnibus à natura hoc ius competit. Neque diuiſio Iure gentium introducta potuit hoc Ius adimere: quia Ius gentium ſupponit, non euertit, Ius naturale; præſertim quod tantopere neceſſarium ad vitæ conſeruationem. cenſeri itaque debet diuiſio eſſe facta, reſeruato cuique Iure naturali, quatenus erat neceſſarium ad vitam tuendam: alioquin non eſſet rationabili modo facta.

Hinc ſequitur Primò, Si quis in tali neceſſitate 69
conſtitutus, vellet aliquid ſibi neceſſarium occu- *Non poteſt impediri.*
pare, non poſſe à domino illius rei prohiberi; quia Iure ſuo vtitur. quare poterit ſe tueri, tamquam qui iniuſtè ab altero inuadatur: & ſi neceſſe ſit, ſeruato iuſtæ defenſionis moderamine, impedientem occidere.

Sequitur Secundò, Talem acceptionem non eſſe furtum aut rapinam; quia non fit domino iure inuito; tenetur enim conſentire, cùm tu iure tuo vtaris.

Aduerte tamen, Si dominus ſit in pari neceſſita- 70
te, te non poſſe ab illo accipere, vt omnes fatentur; *Si domini ſit par neceſſitas.*
quia in pari cauſa, melior eſt conditio poſſidentis. Vtrùm autem tenearis reſtituere, dicetur infrà cap.16. dub.1.

Sed difficultas eſt, Vtrùm idem ſit licitum in graui neceſſitate. Multi DD. negant, putantes id iuris ſoli extremæ neceſſitati reſeruatum. Ita Cajet.q.66.art.7.Sotus l.5.q.3.art.4.Couarr.ad reg. Peccatum p.2.§.1.nu.3.& multi alij. Aliis placet contrarium.

Dico Secundò, Probabile eſt, non ſolùm in ex- 71
trema, ſed etiam in graui neceſſitate morbi, famis, *In graui neceſſitate.*
nuditatis, poſſe te clanculum ſurripere ab opulentis, ſi aliter graue illud malum auertere nequeas. Angelus v.Furtum.§.37. Silu.eodem q.5.Nauar. c.17.num.5.Ioan.Medina C.de eleemoſyna. q.7. Couarruuias ſuprà, ſentit eſſe probabile. Petrus Nauarr.l.3.c.1.n.375. Per grauem intelligo, non

quouis modo grauem, sed valdè grauem, etsi non extremam.

Probatur Primò, Quia sicuti à natura omnibus concessa est potestas succurrendi extremæ necessitati ex rebus humanis, ita & valdè graui. cur enim hæc potestas restricta sit ad extremã? Secundò, Ex graui necessitate facilis est lapsus in extremam; ergo quod in extrema concessum est, extendendum est etiam quodammodò ad grauem. Tertiò, Sicut diuisio rerum non debuit nec Iure potuit efficere, quin extrema in necessitate haberes ius surripiendi ab iis, qui non sunt in simili necessitate, nempe superflua naturæ, quamuis essent aliquo modo necessaria statui; ita neque potuit efficere, quin dum grauis necessitas premit, quando aliud remedium non suppetit, liceat surripere superflua, vel parum necessaria alterius statui. Itaque in diuisione & attributione rerum, qua factum est, vt nemini ius sit in rem alterius, semper debuit hæc conditio tacita intelligi, *Nisi extrema vel certe valde grauis necessitas postulet*: alioquin contra rationem & æquitatem facta esset. Secùs de necessitatibus communibus, & non admodum grauibus, quæ creberrimæ sunt, & non sic vrgent, vt diuisio & attributio Iure gentium facta debeat violari; alioquin omnia furtis plena essent, nec posset pax inter homines conseruari.

72 *Non est furtum.* Hinc patet, Talem surreptionem non esse furtum; quia dominus tenetur consentire, nec potest cum ratione esse inuitus circa substantiam acceptionis; quamuis modus displicere possit, si accipias prius quàm petieris, tuamque inopiam aperueris. Si tamen ipse sit in pari necessitate, vel status ipsius notabiliter læderetur; posset recusare, sicque esset furtum; quia in hac necessitate non licet surripere ab alio, cum notabili detrimento status illius: sicut in extrema non licet accipere cum graui detrimento naturæ illius.

73 *Si status læderetur.*

74 Dices Primò, Cap. Si quis. 3. de furtis, dicitur, *Si quis ob necessitatem fames aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit, non cogatur ieiunare.* Hìc imponitur pœnitentia ei, qui ob grauem necessitatem furatus fuerit. Ita Couarruuias.

Respond. Primò Ibi fortè agi de necessitate non ita graui, vt docet Glossa ibidem, & D. Thomas q. 66. art. 7. ad primum. *Decretalis*, inquit, *illa loquitur in casu, quo non erat vrgens necessitas*. vbi tamen Aduerte, istud cap. non esse ex Decretalibus Pontificum, sed ex Pœnitentiali Theodori.

Respond. Secundò, Fortasse agi de iis, qui indebito modo suæ necessitati consuluerunt, surripiendo clanculùm, cùm facilè potuissent obtinere si suam necessitatem aperuissent.

75 Dices Secundò, Si in graui necessitate posses surripere, posses etiam ad id agendum cogere, vel in Iudicio vel extra; sed non potes cogere; ergo nec surripere. Minor probatur; quia nemo potest cogi ad id, ad quod non tenetur ex iustitia; ille autem non tenetur ex iustitia tibi dare; ergo. Ita Sotus.

Respondeo, Si hoc argumentum valeret, concluderet, ne in extrema quidem necessitate te posse surripere, quia diues non tenetur ex iustitia dare, sed solùm ex charitate, vt Sotus fatetur. Itaque neganda est minor. potest enim diues cogi per legitimam potestatem ad succurrendum pauperi, & si te volentem occupare rem tibi sic necessariam conetur impedire, potes te tueri, si scandalum absit.

Potest cogi quis ad eleëmosynã.

Ad probationem Respondeo, negando assumptum. ad multa enim cogi possumus, ad quæ ex iustitia non obligamur, vt ad non se inebriandum, ad non fornicandum, non blasphemandum, imò ad dandam eleëmosynam. vt enim quis cogi possit, satis est eum obligari alicuius virtutis præcepto; & necessarium esse vel valdè expediens ad bonum publicum, vt huiusmodi opera fiant.

DVBITATIO XIII.

Quando filius peccet mortiferè, accipiendo vel expendendo bona paterna, & quando non.

REspondeo, Peccat mortiferè Primò, si notabilem summam accipiat occultè ex bonis parentum, (nempe quorum dominium vel vsus-fructus est parentum) ipsis meritò inuitis; & tenetur ad restitutionem. est communis sententia Doctorum, quia est verum furtum in materia notabili: vnde Prouerb. 28. dicitur: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre; & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* vbi satis indicatur esse mortiferum. 76 *Ex bonis parentum accipiens.*

Sed aduertendum est, Non idem censeri *notabile* in furtis filiorum vel vxoris, quod censetur tale in furtis externorum, vt rectè inter alios notauit Petrus Nauarra lib. 3. p. 2. c. 1. sed maiorem quantitatem requiri: neque hæc quantitas est eadem respectu omnium, sed varia pro conditione status, ætatis, personarum, locorum, & aliarum circumstantiarum, prout prudens iudicabit. vnde si filius subtraxit duos vel tres aureos parenti prædiuiti: non statim putandum est mortale, præsertim cùm parens talis sæpè non sit multùm inuitus: secùs si parenti mechanico, vel cui res angusta. *Quid hìc notabile.*

Secundò, Si expendat in res turpes aut vanas (vt in ludum, in compotationes, in feminas) notabilem summam contra voluntatem parentum, ex iis pecuniis, quas parens ei ad honestos vsus dedit, v.g. ad emendos libros, vestes; ad soluendum didactra magistris: vt rectè Nauar. cap. 17. n. 164. Ratio est; quia parens non concessit ei pecunias illas ad tales vsus, sed ad alios; neque intendit illas simpliciter donare, & dominium earum in filium absolutè transferre, iuncto solùm mandato, vt honestè vel in hos vsus impendat: sic enim ad restitutionem non videretur teneri, sed solùm contra paternam obedientiam fecisse. Sed intendit donare cum restrictione ad vsus determinatos; v.g. ad emendos libros, ita vt filius non accipiat earum dominium, nisi ad tales vsus. Potest enim parens suam donationem limitare pro suo arbitrio, ita vt non plus iuris conferat, quàm ipse conferre intendit. quare si filius aliter expenderit, tenebitur ad restitutionem, cùm ad alium vsum ius non habuerit. Hoc tamen intellige, si parens inde damnum acceperit, ita vt eo idcircò plus causa filij expendendum fuerit: secùs si in solius filij incommodum cesserit. quòd si non possit restituere, tenetur adducere in diuisionem: nisi fortè constet alios tantumdem expendisse, vel nisi parens condonauerit, vel putetur facilè condonaturus, si filius auderet rogare: qua ratione multi excusantur 77 *Expendens contra voluntatem parentum.*

ab

78 ab hac restitutione. Et quamuis donatio patris facta filio non valeat, nisi in certis casibus, vt infrà cap.18.dubit.12. dicetur, tamen morte confirmatur, nisi excedat eam summam, de qua parens potest disponere. Vide Nauarrum cap. 17. num.158.

79 *Excusatur à peccato mortifero multis casibus.*

Non peccat accipiendo, vel certè non mortiferè, Primò, Si quantitas pro conditione status & personarum non censeatur iudicio prudentum notabilis.

Secundò, Si putes parentem rogatum, facilè concessurum; tunc enim non videtur inuitus circa substantiam acceptionis, sed tantùm circa modum, vt dictum est dubitat.8.num.49.

Tertiò, Si dum versatur in studijs, vel extra domum paternam, expendat more aliorum suæ conditionis, in eleemosynas, ludum, & honestas recreationes: præsumitur enim parens id permittere, nisi constet de contraria voluntate, Nauarrus num.157.

80 Quartò, Si in extrema vel etiam graui necessitate proximi surripiat ad eleemosynam; tunc enim parens non potest esse cum ratione inuitus, quia ipsemet tenetur dare.

Quintò, Si accipiat ex bonis suis castrensibus vel quasi castrensibus, nempe ex partis occasione militiæ, vel officij publici, vel beneficij, &c. quia hæc non pertinent ad patrem, nec pater vllum ius in his habet, sed ipse filius est in his veluti paterfamilias, vt ostensum est cap.4. dubitat.3.

Sextò, Si parens sibi vindicet bona castrensia, vel quasi castrensia filij, vltra id quod expendit in eius alimenta, filius potest tantumdem repetere. quòd si non audeat, potest occultè vti compensatione, vel repetere à coheredibus. Quod valdè notandum confessarijs, ne facilè cogant filium ad restitutionem, cuius fructus beneficij percipiuntur à parente.

Septimò, Si parens sit hæreticus, bona aduentitia filij, in quibus ille habebat vsumfructum, redeunt ad filium, & vsusfructus consolidatur cum proprietate, vt patet ex dictis cap.3. dubit.5. vnde filius potest ea sibi vindicare. quòd si non audeat, vel non possit, potest occulta compensatione ex alijs bonis paternis sibi consulere.

81 *Si gerit negotia paterna.*

Octauò, Si filius gerit negotia patris, potest, deductis expensis, quas pater facit in illo alendo, pro suo labore & industria tantumdem accipere, quantum daretur extraneo; nisi intendat facere gratis. Ita Nauarrus cap. 17. num.144. Angelus v.Peculium, num.11. & alij.

Hic tamen sunt tria necessaria, Primò, vt filius protestetur se velle lucrari: qui enim negotium alterius gerens petit mercedem, debet id explicare, si potest: maximè quando alter est præsens: nam hic fortè nolet, rebusque suis aliter cõsulet. quòd si ob reuerentiam paternam non audeat, non est necessarium; quia parens non potest tunc id iure ægrè ferre. Secundò, vt constet parentem non facturum per se, neque inuenturum alium, qui gratis vel minoris faciat. Tertiò, vt vsumfructum istius lucri non sibi vendicet ante mortem patris, vel suam emancipationem; quia pertinet ad patrem. censetur enim hoc lucrum in bonis aduentitijs, vt dictum est cap.4. dub.3.

Dices, Filius Iure naturali tenetur seruire parenti sine stipendio: ergo.

Resp. Negando antecedens; nisi pater egeat, vel nisi alij filij etiam lucrentur patri. nulla enim æquitas dictat, vt ipse teneatur sine stipendio laborare, alijs otiantibus.

DVBITATIO XIIII.

Quando vxor peccet mortiferè, capiendo & donando ex bonis mariti, vel quorum ille habet administrationem, & quando non.

REspondeo, Mortiferè peccat, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ipsius est, ipso cum ratione inuito, accipiat. Ratio est; quia accipit illud, cuius dominium vel certè administratio & vsusfructus est alterius. Itaque tenetur ad restitutionem, etiamsi ex dote, vel ex bonis communibus accepisset: quia etiamsi tota dos & dimidia pars communium bonorum ad ipsam pertineat, quod ad proprietatem attinet; tamen administratio & dimidia pars emolumẽtorum sunt mariti, quibus iniquè illum priuat. Secùs de pupillo, qui clàm surripit à tutore: quia tutor non administrat bona pupilli in suum commodum, sicut maritus bona vxoris. si tamen putaretur maritus non vtiliter administraturus, non teneretur tunc quidem: sed soluto matrimonio debet adducere in partitionem cum heredibus mariti, quantum subtraxit, dimidium eius sibi detrahendo. Idem faciendum in alijs casibus, quando non habet vnde restituat. 82 *Quando peccet.* 83 *Si maritus non administret vtiliter.*

Hinc patet, non esse verum, quod ait Paludanus in 4.dist.15.quæst.3.art.6. vxorem ex facultatibus communibus posse facere eleemosynas, quantum rediret ad eam vel ad liberos, eius nomine, soluto matrimonio. sic enim totam suam partem posset dare, & priuare maritum eius administratione: vide Nauarrum cap.17. num.155. §. Ad tertium.

Non peccat mortiferè, Primò, Si quantitas iudicio prudentis, spectato statu, opibus, & ceteris, non sit notabilis. 84 *Quando excusetur.*

Secundò, Si maritus rogatus concederet.

Tertiò, Si det in extrema vel graui necessitate proximi: in extrema enim quisque tenetur ex eo quod superest naturæ; in graui, ex eo quod statui.

Quartò, Si det ex suis, quorum habet liberam administrationem, vt ex paraphernis, vel ex lucris suæ industriæ; (præsertim si attulit dotem sufficientem ad se alendum) vt docent Nauarrus, Siluest. & alij: quod intellige Iure communi Cæsareo; nam quibusdam locis hæc lucra censentur communia.

Quintò, Potest facere donationes & eleemosynas secundùm consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum. quòd si maritus vetet, videtur vetare excessum. Ita passim DD. Paludanus suprà, Siluester v. Eleemosyna, quæst. 5. Angelus ibid.nu.7. & alij. Si tamen constet illum omnino vetare, Nauarrus & alij quidam dicunt, illam non posse quidquam dare. Sed contrarium est verius, quod etiam tenet Molina dispurat.274. & Petrus Nauarra lib.3. c.1.nu.83. & colligitur ex ratione, quâ Siluester, Angelus, Paludanus, & alij DD. adferunt; quia *consuetudo tribuit ius, non secus ac priuilegium vel lex*; quo iure maritus illam priuare nequit: præsertim cùm Ius positiuum magnam 85 *Potest vti priuilegio consuetudinis in donationibus.*

vim habeat circa bonorum administrationem, vt eam vel restringat marito, vel laxet.

Confirmatur Primò; quia vir tenetur vxori præstare decentem sustentationem, spectata eius conditione, suisque opibus: atqui in hac sustentatione continetur non solùm victus, vestitus, ornamenta, & famulatus, sed etiam alia, quæ feminæ similis conditionis, illis locis habere & facere consueuerunt, ad recreationes, eleemosynas & largitiones. ergo tenetur ei hoc concedere. Secundò, quia vxor non est mancipium viri, sed socia, habens etiam auctoritatem administrationis, etsi sub viro, ne quid inordinatè aut profusè faciat: ergo non potest ei maritus omnes donationes prohibere.

Sextò, Potest dare ad impediendū damnum mariti, siue temporale, sicut fecit Abigail 1. Reg. 25. (hoc enim damnum redundat in vxorem;) siue spirituale, largiendo eleemosynas, ne Deus illum ob flagitia puniat, vel vt conuertat, vt docent Angelus, Siluester suprà, Nauarr. n. 154. & alij. hìc enim vtilissimè gerit negotium mariti, nec ipse potest cum ratione esse inuitus.

Septimò, Si pro rebus familiæ vel sibi necessarijs accipiat, vt pro vestibus, pro victu, pro medicamentis: quia maritus non potest iustè recusare.

Octauò, Si maritus est amens vel fatuus; tunc enim administratio ad illam deuoluitur, nisi aliter à Magistratu sit prouisum.

86 Nonò, Si maritus est absens; nam tunc etiam pertinet ad eam administratio, nisi aliud à marito sit præscriptum. Nauarrus tamen putat eam in his duobus casibus non posse amplius dare, quàm maritus præsens, vel compos mentis solitus erat. Sed verius est, eam posse dare, prout ratio dictabit: quia potest secundùm suam prudentiam administrare. vnde alij DD. non addunt eam limitationem, vt Paludanus, Siluester, Angelus.

87 *Si maritus dissipator.* Decimò, Si maritus est dissipator, rem communem in compotationes, largas donationes, vel mulieres profundens. tunc enim facit vxori iniuriam, partem ipsius sine ipsius consensu profundens. nam dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum, est vxoris, & dos tota. vnde soluto matrimonio, tenetur maritus vel eius heredes ad restitutionem vxori vel eius heredibus. quare si vxor difficultates metuit, potest occultè vti compensatione, accipiendo ex bonis mariti vt sibi vel liberis consulat, quantum opus est, vt sua pars salua sit. vt rectè docet Petrus Nauar. l. 3. c. 1. n. 114. contra Nauarrum cap. 17. n. 155. qui putat maritum non teneri ad restitutionem, si malè impendat ex lucris communibus. Ratio ipsius est; quia non censentur lucra, nisi quæ tempore diuortij inueniuntur. Sed hæc ratio non est vera. Primò, *Lucra statim sunt communia.* Nam vxor reuerà acquirit dominium & possessionem istorum lucrorum, simulatque percipiuntur. sicut in omni societate, singuli socij acquirunt dominium & possessionem totius lucri ab initio, quo illud cedit societati, etsi partialiter. Neque maritus quidquam habet amplius, quàm ius administrandi in suum & vxoris commodum. Debet autem hæc administratio fieri secundùm dictamen rationis; sicut & omnium bonorum communium: alioquin non est administratio, sed dissipatio, quæ non debet obesse sociæ, sed soli auctori. Secundò, Quia alioquin maritus, si faceret notabiles donationes absque consensu vxoris, non teneretur computare in suam partem; (quod tamen Nauarrus negat, affirmans eum teneri) nam daret de ijs, quæ nondum cesserant in rationem lucrorum communium.

Aduerte tamen, Si maritus ludo perdidit, 88 damnum censeri commune; quia ludus est con- *Si ludo perdidit.* tractus fortuitus, quo potuit perdere & lucrari. vnde cōmunia hìc esse debent & lucra & dispendia; sicut & in alijs contractibus. Nisi fortè ordinariè amitteret, & vxor nollet consentire; non enim tenetur, cùm videatur esse dissipatio, rem suam ita periculo exponere.

Vndecimò, Si pater vel mater vxoris sint pauperes, ita vt miserè secundùm statum suum viuant: tunc enim si maritus nolit illis succurrere, potest vxor ex bonis communibus vel ex sua dote subtrahere, vt illis det Idem dicendum, si habeat proles ex alio matrimonio, quæ similiter egeant. Ita Petrus Nauarr. num. 159. & Cordub. qu. 125. Ratio est; quia Iure naturæ tenetur istis succurrere, si potest; & isti ius habent alimenta ab ea petendi. vnde maritus non potest iure id iniquè ferre. Tenetur tamen vxor hæc omnia, quæ sic dederit, referre in suam partem, cùm ad partitionem cum heredibus viri ventum erit.

Probabile tamen est, quod docet Molina disput. 274. Si matrimonium fuit celebratum contractu medietatis bonorum, posse huiusmodi necessitati succurri ex bonis communibus: ita vt vxor non teneatur id in suam partem referre. Similiter si matrimonium sit celebratum contractu arrharum & dotis; (vt solet Iure communi) & extent aliqua lucra communia; posse de his lucris sumi, vt onus in vtrumque recumbat. Idem dicendum de marito, si in suos donationes fecerit.

Duodecimò, Si frater vel soror vxoris simili 89 paupertate conflictentur, probabile est, vxorem posse illis simili ratione succurrere. Ita Petrus Nauarra n. 161. Probatur; quia maritus Iure communi tenetur fratribus suis subuenire, (vt docent communiter DD. cum Glossa in L. Qui filium 4. ff. Vbi pupillus educari debeat) cur vxor id non possit? Confirmatur ex L. Mutus. 73. §. 1. ff. De Iure dotium: *Manente matrimonio, non perditura vxori ob has causas dos reddi potest: vt se suosque alat, vt fundum idoneum emat, vt in exilium vel in insulam relegato parenti præstet alimonia, aut vt egentem virum, fratrem, sororémve sustineat.*

DVBITATIO XV.

Vtrùm si res furtiua pereat, fur teneatur ad restitutionem.

REspondeo & Dico Primò, Si res furto vel 90 aliter iniquè parta, casu pereat, nihilominùs *Etsi casu pereat, tenetur.* is qui sustulit, tenetur ad pretij restitutionem, si non putetur similiter peritura fuisse apud dominum. Est communis DD. D. Thomæ q. 62. art. 6. Couarr. ad regulam Peccatum p. 2. §. 6. num. 1. & aliorum. Probatur Primò, quia qui eam iniustè accepit, non solùm obligatur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis. ergo siue res extet, siue non, tenetur sarcire damnum. Consequentia patet; quia iniusta acceptione est causa interitus; nam credibile est, si non accepisset, non perituram: ergo, &c. Secundò, qui iniustè detinet, semper est in mora: ei autem qui est in mora, etiam casus fortuitus imputatur, vt patet ex cap. 68.

Deci-

Decimæ. 16. q. 1. Si tamen purgasset moram, rem offerens domino, & is noluisset tunc accipere, sed ei custodiendam commisisset, non teneretur ex casu fortuito; quia non esset ampliùs in mora.

Sed controuersia est inter DD. Vtrùm fur aut iniquus possessor teneatur ad restitutionem, quando res certò erat apud dominú peritura. v.g. Abstulisti vestes, frumentum, pecuniam ex domo alterius; quæ paulò pòst incendio vel hostili incursione peritura erant apud dominum. Incendisti segetes, quas inundatio postridie erat euersura. Paludanus in 4. d. 15. q. 2. art. 1. concluſ. 5. docet, etiam in hoc casu teneri iniquum detentorem. Ratio eius est, *quia semper est in mora; mora autem trahit ad se periculum, vt Iura determinant.* Hæc ille. Idem tenent plerique Iurisperiti, vt refert Couarruuias loco citato.

92 *Si apud dominũ erat peritura, nõ tenetur.*

Dico Secundò, Si res casu, vel iusta hostium incursione certò erat peritura apud dominum, non tenetur fur ad eius restitutionem, si apud eum similiter periit. Ita Couarruuias suprà, & Ioan. Medina C. de restitut. quæst. 6. concluſ. 6. Siluester, Restitutio 7. qu. 5. §. Tertium. Petrus Nauarr. lib. 4. c. 1. nu. 17. Nauarrus cap. 17. num 8.

Dixi, *casu, vel iusta hostium incursione*; quia si non erat peritura apud dominum, nisi per iniuriam, tenebitur; qui enim eam sic abstulisset, vel destruxisset, teneretur: ergo si tu præuenias, teneberis; nam obligatio, quam alius subiisset, in te ratione damni transfusa est.

Dixi, *Si certo erat peritura apud dominum*; quia si id sit dubium, vel si dominus eam erat venditurus, vel alienaturus ante illud tempus, teneberis; quia in dubio *melior est conditio innocentis.*

Nunc probatur propositio, Primò, Quia si res certò erat apud dominum peritura, ita vt nihil iuris vel commodi inde ad eum rediturum esset, nihil quoque noui detrimenti est illi illatum, dum apud te periit: ergo nihil est ei compensandum pro re illa. Antecedens probatur; quia illud detrimentum iam erat præparatum in causa, ita vt non posset impediri à domino, ac proinde secundùm æstimationem moralem perinde se habebat, ac si iam illatum esset, ergo non censetur ille fur nouum damnum intulisse. Secundò, Quia fur non est causa damni ratione interitus rei, cùm ad hunc non cooperetur, vt suppono; neque ratione iniquæ acceptionis; cùm similiter interitura fuerit apud dominum, etiamsi non fuisset accepta. quid enim dominus potest queri de damno per acceptionem illato, cùm res illa etiam non accepta, esset peritura? Tertiò, Quia iniqua acceptio non inducit restituendi obligationem, nisi quatenus infert damnum efficaciter: atqui hæc acceptio non fuit talis. ergo. Quartò, Probatur ex L. Si plures. 14. §. Siue autem. π. Depositi vel contrà. vbi dicitur, *eum, contra quem agitur, vt reddat depositum*, (qui sanè habet instar furis) *si sua natura res ante rem indicatam interciderit*, veluti, *si homo mortuus fuerit, absolui debere*, (id est, liberari à restitutione pretij.) Ratio subditur, *quòd æquum sit naturalem interitum ad actorem pertinere; vtique cum interitura esset eares, etsi restituta esset actori.* Hæc ibi. Quintò probatur ex L. fin. §. finali. π. De lege Rhodia. de iactu; vbi dicitur: *Si ea conditione nauem conduxisti, vt eà merces tuæ deportarentur, eásque merces nauta, nulla necessitate coactus, cum id sciret te fieri nolle, transtulit in nauem deteriorem, & merces cum ea naue perierunt; habes ex conducto locato cum priore nauta actionem: imò contra, inquit Paulus, si modo ea nauigatione vtraque nauis periit.* vbi clarè constat, nautam non teneri, si etiam melior nauis periit; quia ex eo quòd merces translatæ sint in deteriorem contra pacta, non censetur datum damnum. vnde patet, hanc sententiam etiam foro externo esse conformem. vide Couarruuiam & Siluest. suprà. Sed quid si res periit culpa furis?

Dico Tertiò, Probabile esse, furem non teneri, 93
etsi culpa ipsius res talis perierit; v.g. si eam negligentia perdiderit, vel etiam vastarit aut consumpserit; modò eam peremerit eo loco, quo alioquin peritura erat, & intra illud tempus, quo apud dominum periisset. Probatur; quia illa res in eo statu considerata, domino nullius est pretij; nam eo loco certò est peritura, absque vllo domini commodo: ergo etiamsi fur illam perimat, non censetur irrogare damnum alicuius momenti: vt si incendas segetes, quia vides mox eluuione euertendas; si absumas annonam, quæ proiicienda est in mare, vel naufragio peritura; si interficias equum, quem iustus hostis erat abducturus. quamuis enim in his & similibus casibus rem perimas, vel consumas, vel alienes, non tamen censeris notabile damnum inferre, ac proinde non teneris ad restitutionem. Ob eamdem rationem, si occidas eum qui certissimè paulò pòst moriturus erat, vel vi morbi, vel iusta sententia Magistratus, etsi grauiter pecces, non teneris tamen damni secuti. *Si culpa furis perijt.*

Dices, si res mea, quam pretio tradidi custo- 94
diendam, pereat culpa depositarij, tenetur ipse ad restitutionem, etsi apud me peritura fuisset: atqui fur non minùs tenetur rem custodire quàm depositarius; ergo si culpa ipsius periit, tenebitur, quamuis apud dominum peritura fuisset. Ita Petrus Nauarra lib. 4. ca. 1. n 17. qui etsi fateatur nostram sententiam probabilem, tamen contrariam tenendam putat.

Respondeo, Non quouis euentu furem æquè *Depositarius quomodo tenetur.*
teneri ad custodiam ac depositarium. nam depositarius, quando vllo modo verisimile est rem saluari posse, si aliò transferatur vel abscondatur, tenetur ex iustitia id præstare; nam ad hoc conducitur, vt omni ratione rem saluam præstet, si tamen constet, interitum rei caueri non potuisse, non tenebitur depositarius, etiamsi negligens in ea custodienda fuerit, vel eam consumpserit. Fur verò non tenetur ex iustitia eam aliò transferre, si videt eam apud dominum, & eo loco vbi nunc est, perituram esse. vnde etiamsi eam tunc consumat, non tenebitur ad restitutionem: quia in eo statu considerata, domino nullius est pretij.

Dices, Hoc ipso, quo est apud furem, qui potest 95
cauere ne pereat, res incipit domino esse maioris æstimationis, quia tenetur eam domino custodire; sicut ex eo quòd est apud depositarium, qui potest eam saluare, est pluris, quàm si apud dominum esset: ergo.

Respondeo, Si custodia non est ei commissa; non tenetur hoc casu ex iustitia eam custodire, sed solùm ex charitate: (sicut tenetur ignem auertere à domo proximi, qui casu ibi accensus est) vnde si nolit, res non valet pluris domino apud furem, quàm apud ipsum (secùs apud depositarium.) quare si rem perimat, non censetur causa noui damni.

96 *Si alio loco vel tempore destructus, vbi non periisset.*

Dixi, *Modò eam perimat eo loco*, &c. Quia si eam perimat alio loco, vel posteà, vbi non periisset, tenebitur ad eius compensationem. Exemplum, Si furatus es vestem vel equum è domo alterius, quæ paulò pòst casu cum tota supellectile conflagrauit (in qua etiam res illæ periissent, nisi apud te seruatæ fuissent) & hæ res posteà apud te pereant, vel casu surripiantur, teneris. Ratio est; quia quando periculum transiit, si res extet, rursus incipit domino valere, quia ipsius mansit: ergo etsi casu pereat, fur tenetur, cùm fuerit in mora; si enim restituisset quando debebat, dominus eam saluam recepisset, neque apud eum periisset. Idem dicendum de rebus, quæ ex naufragio eripiuntur: iam enim incipiunt domino valere. secùs erat ante naufragium, cùm iam tempestas sæuiret. Idem dicendum, si alio loco. v.g. Detulisti annonam in alium locum, vbi non periisset: si eam ibi consumas, teneris. Ratio est; quia res illo loco constituta, iam incipit domino rursus valere, & consequenter debet ei restitui.

97 Dices, Si eam restituisset, peritura erat apud dominum; ergo non censetur domino valere.

Respond. negando consequentiam; quia re ipsa restituta non fuit, sed mansit in loco tuto, ac proinde non potuit ibi consumi, sine obligatione restituendi.

98 *Si factus locupletior.*

Dico Quartò, Si fur rem vendidit, vel eam consumendo factus est locupletior, tenetur ad restitutionem, quatenus factus est locupletior, etiamsi apud dominum fuisset peritura. Probatur; quia pretium & illud augmentum fortunarum furis, successit in locum rei, ita vt res censeatur extare veluti in altero se & æquipollenti: ergo hoc totum domino rei restituendum. Confirmatur: nam pretium est instar rei, eiusque vice fungitur apud omnes gentes. Nec refert, quòd dominus non habeat actionem realem in pretium; sufficit enim personalis, vt ei debeat restitui. Satisfacit tamen restituendo rem similem. vide infrà num. 107.

Dvbitatio xvi.

Vtrùm fur & quiuis alius iniquus possessor, teneatur restitutionem facere iuxta summam æstimationem, quam tempore detentionis habuit.

99 QVidam affirmant. v.g. Furatus es modium tritici, qui tunc valebat tres aureos, sed ante restitutionem excreuit ad quinque, deinde sensim remisit ad tres: dicunt te teneri ad quinque. Ita Nauarrus cap.17. num. 26. Idem videtur sentire Gabriel dub.15.q.2.art.3 dubio 1. concluſ.3. Ratio est; quia quidquid incrementi accessit, est domini. vnde totum illud tenebaris domino reddere: qua obligatione non es liberatus; non enim per solutionem, nec per remissionem, nec per donationem: ergo, &c.

Sed vtendum est distinctione cum Ioanne Medina, Cod. de restit. qu.6. & Couarr. ad reg. Peccatum p.2.§.6. num.2. Vnde

100 *Si effecta melior, extet.*

Dico Primò, Si res effecta sit melior vel maioris pretij apud furem, & adhuc extet; tota domino reddenda, etiam cum illo incremento. Ratio est; quia res semper mansit in dominio prioris domini: vnde ad eumdem pertinet eius incrementum & status melior. vt, si abstuleris pullum equinum, aut vitulum, qui posteà apud te adolescat: si nummos, quorum pretium apud te sit auctum.

Nec refert quòd apud dominum non fuisset effecta melior, vel fortè periisset: quia hoc ipso quo extat, domini est. vnde ratione rei acceptæ & extantis, debes restituere. Hinc sequitur, eum qui accepit frumentum vel pecuniam, & retinuit donec excreuit æstimatio, teneri restituere simile frumentum, si prius consumpsit; vel illam æstimationem, si adhuc durat. Etsi enim fortè non statuisset illam tunc temporis vendere; tamen quamdiu durat illa æstimatio, est in ipsius potestate tanti vendere. vnde non tenetur in restitutione tunc temporis minore compensatione esse contentus.

Notandum tamen ex Couarruuia num. 3. expensas esse deducendas, (saltem in foro interiori) quibus res effecta est melior, quas dominus facere debuisset, si rem ad eum statum voluisset perducere. nemo enim cum damno alterius locupletari debet. vt si ex argento furtiuo pateram confeceris, vel equum magnis expensis educaueris vel curaueris. In foro tamen externo leges non patiuntur expensas æstimari, sed in pœnam fur illis priuatur. Verùm, cùm hoc pœnale sit, non obligat ante sententiam Iudicis, teste Couarruuia ibidem. Itaque dominus accipiens rem suam ita meliorem effectam, tenetur in foro conscientiæ æstimationem expensarum facere, non solùm necessariarum, sed etiam vtilium, industriæ item & laboris à fure adhibiti, vt docent Couarr. & Medina suprà, & Petrus Nauarra lib.4. cap.1. num.32. Si tamen dominus interim cum damno suo caruisset vsu vel fructu rei suæ, hoc etiam æstimare potest: vt omnibus consideratis, fiat æqualitas. 101 *Expensa detrahēdæ.*

Dico Secundò, Si res permanserit in eodem statu, sufficit eam vti est restituere, lucrum tamen cessans & damnum emergens ex detentione, domino sarciendum est. Quare si industria domini res futura erat multò melior, hoc est æstimandum; (deductis laboribus & expensis eius) nam hoc ad lucrum cessans pertinet. 102

Dico Tertiò, Si res effecta sit deterior, vel minoris pretij quàm erat anteà; sed idem euenturum erat apud dominum, qui eam vsque ad hoc tempus erat seruaturus; satis est illam reddere vti modò est. vt si pretium frumenti vel pecuniæ rursus decrescat: si equus, antè sanus & valens, debilitetur, &c. colligitur ex dub.15. res enim accrescit & decrescit domino suo. Idem docent Couarr. & Medina suprà. Itaque in casu illo tritici, teneris solùm ad tres aureos: (nisi fortè eo tempore, quo valebat quinque, coactus fuerit dominus emere quinque; tunc enim ratione damni emergentis, teneris ad quinque.) Ratio est; quia licet incrementum illud, quod res habuit siue in se, siue in æstimatione, totum fuerit domini; tamen dum ponimus eam tunc non vendendam, sed seruandam in aliud tempus, quo rursus futura erat deterior, aut minoris pretij, censetur illud incrementum domino prorsus inutile, ac nullius pretij. vnde si res sic effecta deterior, illi restituatur, nullũ damnum supereſt; tantum enim habet, quantum si 103 *Si apud dominum deterior futura.*

ablata

ablata numquam fuisset; & aliàs de illo incremento nihil ampliùs extat.

104 Hinc patet responsio ad argumentum pro sententia Nauarri suprà allatum. Fur enim soluitur obligatione sarciendi illius incrementi, per hoc quòd non ampliùs extet, & simili modo apud dominum erat desiturum. In hoc enim casu tenebatur solùm ad illud incrementum ratione rei acceptæ, non autem ratione damni illati; quia non censetur domino damnum ex omissione restitutionis illatum esse, quando res apud dominum simili ratione deterior futura, aut incrementum nullius vtilitatis domino est futurum.

Petes, Quid si fur illam vendidit in optimo statu?

105 *Si vendita à fure in optimo statu.* Resp. & Dico Quartò, Si res intrinseco augmento melior effecta, vendita est vel aliter alienata per furem, tenetur domino restituere æstimationem, quam habet in illo statu, (detractis tamen impensis) etiamsi apud dominum non erat melior futura: si autem solùm extrinseca æstimatione aucta est, eamque tunc vendidit, & dominus eam venditurus non erat, tenetur solùm ad æstimationem, qua domino erat valitura. Loquor autem in euentu, quo neque rem ipsam, neque similem paris bonitatis potest restituere.

Prior pars patet; nam totum illud incrementum intrinsecum, statusque optimus, rei inhærens, est quiddam pertinens ad dominum rei, ratione cuius ipsa res pluris valet: ergo sicut æstimatio substantiæ rei est domino restituenda, ita etiã æstimatio huius augmenti. vt si abstulisti pullum equinum, & adultum vendidisti: quidquid enim accessit illi pullo magnitudinis, roboris, dexteritatis, est domini; ac proinde si domino restitui non potest, æstimatio restituenda est, non solùm pulli, sed etiam illius accessionis: nam in vtroque damnum datum est. Puto tamen non esse restituendam domino æstimationem rigorosam, etiamsi ipse ita vendidit; quia non censetur domino in hac damnum illatum, nisi ipse rem tanti erat venditurus. Sufficit igitur restituere mediam, vel etiam infimam. Sufficit etiam restituere rem eiusdem speciei æquè bonam, detractis expensis & compensato damno si quod interuenit, &c.

106 Altera pars probatur; Quia quando sola æstimatione aucta est, nihil ei accessit, ratione cuius pluris valeret, quàm antè vel pòst; sed incrementum pretij prouenit ob causam extrinsecam, v.g. ob raritatem rei, vel copiam emptorum, vt patet exemplo tritici & pecuniæ, suprà. ergo si eo tempore vendita fuit, quo valuit plurimi, non tenebitur restituere illam æstimationem, si dominus illam non erat tunc venditurus. Ratio est; quia hoc ipso quo dominus eam rem non erat venditurus, sed seruaturus donec pretium decresceret; non censetur accepisse damnum, quoad illud incrementum. vnde fur potest illud retinere; quia censetur fructus industriæ. sicut enim industriæ est rem eferre in locum vbi pluris valet, ita etiam eam scire vendere eo tempore, quo pluris valet. Confirm. Quia res suo tempore scitè vendita, est maioris vtilitatis, quàm seruata in tempus importunum, quo pretium erit vile. atqui quòd opportunè sit vendita, est ex industria furis, neque id habitura erat apud dominum. ergo lucrum illud est fructus industriæ; ac proinde non debitum domino, cùm opportunitas effluxerit, & pretium decreuerit. tunc enim non est ampliùs in potestate domini, tanti vendere. Quare qui accepit modium frumenti, cùm valeret tribus aureis, & vendidit eo tempore quo valuit quinque, non tenetur restituere domino nisi tres, si rursus pretium consque decreuit, & dominus vsque ad hoc tempus erat seruaturus; vel si erat venditurus aut consumpturus, antequam pretium intenderetur.

Dices, Dominus habet ius ad pretium rei suæ: 107
ergo est ei totum restituendum. Confirmatur; quia nemo potest ditescere ex alieno.

Respond. Dominus in præsenti casu non habet ius ad pretium rei per furem venditæ, nisi quatenus id est necessarium ad sarciendum damnum ex ablatione rei acceptum. Nam totum pretium est furis, vt patet ex L. Qui vas. 48. §. vltimo. 7. De furtis. Vnde solùm potest à fure repetere æstimationem damni. quare si eam non erat venditurus dum valebat quinque, non potest exigere quinque, nisi adhuc tanti valeat.

Ad confirmationem. Non potest quis ditescere ex re aliena, ita vt per eam formaliter fiat ditior, hoc enim est detinere alienum; sed benè potest ex ea, tamquam ex causa, ditescere absque damno alterius; sicut cùm quis pecunia furtiua negotiatur.

Dices Secundò, Si fur, cùm res apud dominum *Obiectio.*
esset peritura, eam accipiat & vendat, dominus potest repetere pretium; quia pretium succedit in locum rei, & ad bonam fortunam domini pertinet, rem tunc fuisse surreptam: ergo similiter si fur eam vendat quando valet plurimi, dominus poterit pretium repetere; cùm id in locum rei succedat, etiamsi eam ipse non erat venturus. Quòd enim tunc vendita sit, ad bonam eius fortunam pertinet: vnde non erit vllum discrimen inter augmentum rei intrinsecum & extrinsecum.

Respond. Negando conseq. est enim dispar ra- *Responsio.*
tio. Cùm enim à fure venditur res apud dominum peritura, tenetur fur non ratione iniustæ acceptionis (si enim periisset similiter apud furem, ad nihil obstrictus mansisset) sed ratione rei acceptæ, quæ apud illum exstat in æquiualenti, quatenus ex pretio factus est ditior, sine vlla peculiari industria; vt dictum est suprà n. 98. Si enim peculiari industria sua pluris vendidisset (v. g. pretio rigoroso, aut quia repentina superuenit caritas, quæ mox cessauit) non teneretur nisi de pretio ordinario, id est, quanti res tunc temporis communiter æstimatur. Nam illud auctariũ esset fructus industriæ. Nos autem loquimur hìc in euentu, quo fur factus est ditior ex peculiari industria per quam res illi pluris valuit quàm domino; quem excessum dicimus non teneri restituere. Confir. Quia in prædicto casu fur satisfacit restituendo tantumdem frumenti paris bonitatis: atqui non valet iam nisi tribus aureis: ergo non suppetente frumento, restituendo tres aureos satisfacit ad æqualitatem. Pari modo in altero casu, si fur restituat domino rem venditam, vel aliam similem paris bonitatis; non est quòd dominus, apud quem erat peritura, pretium venditionis exigat. Pretium quidem succedit in locum rei, non tamen succedit in omnes rei obligationes, neque qua parte censetur fructus industriæ: & semper res similis paris bonitatis restitui potest compensato damno, si quod ex detentione domino obuenit. Confirm. Quia non minùs res empta aliena pecunia succedit in locum pretij, quàm pretium succedit in lo-

cum rei alienæ venditæ. At fur pretij non tenetur restituere rem emptam, sed satisfacit restituendo pretium acceptum: ergo fur rei non tenetur restituere pretium rei venditæ, sed satisfacit restituendo rem venditam, vel similem paris bonitatis.

Dices, Cùm pretium frumenti decreuit, non censetur frumentum paris bonitatis: ac proinde non satisfaciet ad æqualitatem. Sed hoc est contra communem modum loquendi. Nemo enim dixerit, frumentum esse melius quia carius, aut deterius quia minùs carum. Deinde si non est paris bonitatis quando est minoris pretij; ergo si cùm modius frumenti valebat 5. aureis dedisti mihi mutuum vnum modium, concesso termino vsque ad messem, non satisfaciam reddendo tantumdem in messe, si tunc minoris valet; quod est absurdum. Tertiò, Bonitas æstimationis est tibi nullius pretij, si non statueras vendere, & occasio vendendi iam est elapsa. Nec refert, quòd hac ratione homo commodum perciperet ex dilatione restitutionis; quia id per accidens est. Sicut enim accipit commodum quando pretium decrescit, & talis res faciliùs haberi potest: ita potest incurrere incommodum, si pretium crescat, & res illa difficilior sit obtentu. Addo, semper accipere incommodum spiritale incomparabiliter maius.

108 *Si dominus erat venditurus.* Dico Quintò, Si dominus rem erat venditurus in optimo statu, vel summa æstimatione, tenetur fur præter rem ipsam, restituere æstimationem illius incrementi, vel pretium rei quo dominus eam vendidisset, etiamsi ipse inde commodum non perceperit. In hoc casu vera est sententia Nauarri. Ratio est; quia tunc est verè causa huius damni per suam iniquam detentionem, impediendo ne dominus inde lucrum faceret, quod alioquin facturus erat.

Nec refert, vtrùm res casu an culpa furis perierit, deteriórve facta sit; quia mora sua est damni causa. Idem dicendum, si res intrinsecè melior effecta apud furem, deinde facta est deterior, vel periit; quæ si suo tempore reddita fuisset, id incommodi apud dominũ non accepisset. quo casu etiam vera est Nauarri sententia; nam totum hoc incrementum erat domini, ac proinde illi restituendum. Si ergo non restituit, est in mora; & consequenter tenetur etiam in casu fortuito.

109 Dico Sextò, Si incertum sit quo pretio aut in quo statu dominus eam erat venditurus, restitutio facienda secundùm optimum statum & summam æstimationem, quam interea habuit. Ita passim DD. Ratio est; quia in eo statu vendi poterat, & in dubio melior est conditio innocentis, in eiusque fauorem inclinandum.

Dices, Non constat, an verè damnum illud optimi statùs intulerim; ergo non teneor: nemo enim tenetur plus restituere, quàm constet abstulisse.

Æstimanda incertitudo. Ob hoc argumentum, verius videtur, in rigore non debere restitui secundùm optimum statum in foro conscientiæ; sed posse detrahi æstimationem illius incerti. cur enim tantum teneatur restituere, quando est incertum, quantum dum est certum? illud enim esse incertum, minuit æstimationem damni. Inclinandum autem in fauorem innocentis in foro externo, vbi nocens est puniendus, & quando non suppetit melior ratio constituendæ æqualitatis.

Dvbitatio xvii.

Vtrùm fur & quiuis alius malæ fidei possessor, fructus perceptos, & eos qui percipi poterant, teneatur restituere.

Notandum est, Eum, qui detinet rem alienam, detinere vel bona fide; (vt si putet esse suam, vel legitimè concessam) & hic dicitur possessor bonæ fidei, de quo infrà agendum. vel mala fide; (vt si sciat vel putet, se non legitimè detinere) hic dicitur possessor malæ fidei, qualis est fur, raptor.

Notandum Secundò, Fructus esse duplices; 110 *Fructus reales & industriæ.* quidam sunt fructus rei, qui nimirum ab ipsa re proueniunt, quamuis intercedat humana industria; vt sunt fructus agrorum, arborum, ædium, & earum rerum quæ habent vsum locabilem. pretium enim locationis est fructus earum, quem mediante vsu sui, qui pretio est æstimabilis, pariunt. Alij sunt fructus industriæ, vt quæstus, qui percipitur negotiatione, vt emendo vili, vendendo carè, ratione temporis vel loci. Nudum autem rei pretium non censetur fructus rei, sed succedit in locum rei, tamquam altera res. Item quæstus, qui ex vsu artificioso alieni instrumenti; vt si alieno penicillo, vel coloribus alienis pingas.

Nunc sit Prima Propositio, Possessor malæ fi- 111 dei tenetur restituere non solùm rem alienam, sed *Restituit fructus reales.* etiam fructus ex ea perceptos: nempe fructus rei, non autem nudæ industriæ. est communis sententia DD. Ratio est, quia fructus rei hoc ipso quo producuntur, cedunt in dominium eius qui est dominus rei. §. Is verò. Instit. de rerum diuisione: ergo non minùs sunt restituendi, quàm res ipsa. deducendæ tamen sunt expensæ, quas dominus facere debuisset ad illos percipiendos: vt si fur agrum coluit alterius; si equum furtiuum aluit. quod non solùm intellige de impensis necessariis, sed etiam vtilibus, quibus res effecta est melior & fructuosior. Item de opera & labore non solùm conductitio, sed etiam quem fur per se præstitit. horum omnium æstimatio detrahi potest, si dominus tantumdem impendere debuisset. Secùs si ipsemet sine impensis, vel certè minoribus, æquè multum erat præstiturus.

Dices, Si expensæ possunt deduci, id fiet ra- 112 tione damni, quod fur incurrit, rem alienam *Expensa detrahêda.* curando; atqui dominus non tenetur illud damnum æstimare, sed fur sibi imputet quod fecit: ergo.

Resp. Non præcisè ratione damni furis, expensæ deducuntur; sed quia rem alterius suo sumptu vel labore meliorem reddidit, quod dominus sine pari sumptu non fecisset.

De impensis in ea quæ solùm ad ornamen- 113 tum & voluptatem pertinent, distinguendum est. Si enim dominus illud ornamentum velit retinere, debent deduci; si nolit, non debent. poterit tamen tunc iniquus possessor illud auferre, vt si horologium ædibus affixit. Si nequeat auferri, res arbitrio prudentis transigenda. Dixi, *fructus rei, non autem nudæ industriæ*; quia *fructus nudæ industriæ* non sunt restituendi: vt si aliena pecunia es negotiatus, non teneris lucrum dare; sed dumtaxat summam surreptam, compensato simul

simul damno emergente, si quod ratione inopiæ pecuniæ interuenerit: si alienum frumentum vendidisti, sufficit restituere frumentum eiusdem pretij, nisi dominus illud cariùs interim erat venditurus.

114 *Torques locatus.* Ex his sequitur Primò, Eum qui torquem aureum furto surreptum aliquoties pretio locauit, teneri non solùm ad restitutionem torquis, sed etiam pretij locationis, quamuis dominus eum locare non consueuerit, quod est contra Nauarrum c.17.n.25. Ratio est; quia illud lucrum non est fructus industriæ, sed pretium locationis, seu vsus; qui vsus est instar fructus rei, ac proinde eius vtilitas est domini. Idem dicendum de equis & mulis surreptis & elocatis, quamuis dominus elocare non sit solitus. Nauarri tamen sententia locum habet, quando dominus est vir dives, qui tale pretium non putaretur velle.

115 *Ager sterilis excultus.* Sequitur Secundò, Eum, qui agrum sterilem sibi oppignoratum, quem dominus coli non curabat, excoluit, & aliquos inde fructus percepit, teneri ad illorum fructuum restitutionem, contra Sotum lib.6.qu.1.art.2. vt rectè docet Nauarrus cap.17.n.117. deducenda tamen sumptuum, laboris & industriæ estimatio.

116 *Fructus percipiendi diligentiâ domini.* Dico Secundò, Non solùm fructus perceptos, sed etiam non perceptos, quos tamen dominus singulari sua diligentia percepisset, tenetur sarcire. Ratio est; quia sua detentione iniqua, est causa illius lucri cessantis. Vbi notandum, perinde esse vtrùm illi fructus percipiendi fuerint ex re, mediante industria domini, (vt ex agro per diligentissimam culturam) an ex nuda industria, vt ex peritia negotiationis & contractuũ: tenetur enim malæ fidei possessor omne lucrum cessans & damnum emergens, quod dominus ratione iniquæ detentionis patitur, reponere. nam huius totius censetur causa iniusta.

Petes, Quid si fur rem meliorem fecit, sed posteà sua negligentia exiguos fructus percepit, quàm si dominus cum illo incremento recepisset, longè plus fructuum collegisset, tamen apud ipsum res illud augmentum habitura non fuisset.

117 *Si dominus erat percepturus fructus, rem tamen non effecturus meliorem.* Resp. Quidam tenent, furem tunc non teneri de excessu illo fructuum, quos dominus percepisset. ita Couarr. lib.1. variar. c.8. n.4. Ratio est, quia in his non intulit domino damnum: nam si illa res apud dominum mansisset, non fuisset melior reddita, ac proinde nec dominus illos fructus percepturus erat. Hæc sententia est probabilis, quia nititur quadam æquitate. Tamen contrarium videtur verius; quia rei melioratio eo ipso quo est, domini est, & iniquè à fure detinetur, ex qua detentione lucrum domino cessat. Confirmatur; quia fur non restituendo illud melioramentum, est in mora; ac proinde tenetur de casu fortuito, & de omni damno, quod ex detentione sequitur; quod aliàs, si suo tempore restituisset, non erat secuturum. quamuis enim non sit causa damni prima acceptione, est tamen causa damni detentione rei, postquam facta est melior; quod Couarruuias non videtur aduertisse.

118 *Si fur singulari industria percepit.* Dico Tertiò, Tenetur etiam restituere fructus rei, quos ipse sua singulari industria percepit, deductis tamen expẽsis, quamuis dominus eos percepturus non fuisset. Probatur; Omnes fructus rei cedunt in dominium eius, cuius est ipsa res, eo ipso quo extant, vt patet Instit. de rerum diuisione. §. Si Titius, & duobus sequentibus, vbi dicitur, *Plantæ, quæ terræ coaluerint, & frumenta, quæ sata sunt, solo cedere.* ergo si fructus extent, vel iniquus detentor sit factus ex illis locupletior, domino sunt restituendi.

119 *Si fur non est factus locupletior.* Sed difficultas est, Si neque extent, neque illis fur factus sit locupletior, eò quòd consumpserit cum socijs, an sint restituendi, quando dominus eos non fuisset percepturus. Quidam tenent, in hoc euentu non esse restituendos, Primò, Quia fur nec tenetur causa rei acceptæ, cùm non extet; neque causa iniquæ acceptionis, quia iniqua acceptio rei alienæ non obligat ad restitutionem, nisi quatenus efficaciter intulit damnum; atqui hic verè non intulit damnum secundùm æstimationem moralem; quia etiamsi rem alterius non accepisset vel detinuisset, dominus non ideò esset locupletior; ponimus enim, rem ei futuram infrugiferam, vel certè minùs frugiferam. Secundò, Quia quando res apud dominum non erat fructificatura, & industria alterius effectum est vt fructificaret, adscribendum videtur industriæ, non rei: ergo. Ita Couarr. ad reg. Peccatum p.2. §.6. num.4. & Ioannes Medina q.6. de restit. & Silu. v. Restit. 3. n.9. in principio. Petrus Nauarra l.4. c.1. num.44. Hæc sententia est probabilis; nititur enim quadam æquitate. & iuxta eam posset etiam defendi, quod Nauarrus docet de torque & equo furtiuo elocato, si à domino elocari non solent, vt colligitur ex Siluestro.

120 *Sunt restituendi.* Contrarium tamen in rigore est verius. Ratio est; quia fructus hoc ipso quo extant, quomodocumque proueniant, (etiamsi casu vel sponte) domino cedunt, vt patet ex Iure citato: ergo statim debent domino restitui, cùm sint in specie debiti. ergo eos consumere, est domino verum damnum inferre; est enim consumere rem ipsius; quæ si suo tempore reddita fuisset, apud dominum non perijsset. Item cùm debeant restitui statim, si fur eos tunc non restituit, est in mora; ac proinde etiamsi fortuitò pereant, tenebitur ad restitutionem. Si tamen pereant fortuitò, vel etiam culpa leui, priusquam commodè possent restitui, non tenebitur; quia non censetur fuisse in mora. etsi enim rem iniquè detinuit, non tamen fructus.

121 Hinc patet solutio rationis prioris, contrariæ sententiæ; etsi enim non censeatur intulisse damnum iniqua detentione rei; (quia apud dominum fuisset infrugifera) intulit tamen damnum, quia fructus perceptos debito tempore non restituit; qui hoc ipso quo sunt, domini sunt. Secùs est, quando, si res reddita fuisset, apud dominum erat peritura.

Ad secundum respondeo, Non esse fructum nudæ industriæ, sed ipsius rei, suppositæ industria. vnde solùm sequitur, pretium industriæ deducendum.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm is, qui alteri est causa damni, siue impediendo ab aliquo bono, siue alia aliqua ratione, teneatur ad restitutionem.

OMissis opinionibus, Nota. dum est ex Nauarro cap.17.num.69.

Dupli-

122 *Dupliciter aliquid debitum.*

Dupliciter posse aliquem petere beneficium, officium, vel aliud commodum.

Primò, Si habeat Ius in re vel ad rem, (de quibus suprà c.2. dubit. 2.) ita vt res ei ex iustitia sit debita, scilicet per iustam promissionem, stipulationem, venditionem, præsentationem, oppositionem, expectatiuam, regressum, accessum, coadiutoriam, primogenituram, &c. aut alium titulum, per quem datur actio ad rem petendam. qui talem impediret, etiã solùm suadendo, sine vi & fraude, ne res ad quam Ius habet, ei detur, teneretur ad restitutionem, non quidem quanti illa res valebat, sed quanti illud Ius, illaque spes iudicio boni viri, cõsideratis omnibus circumstantijs, æstimaretur.

Secundò, Si nullum habeat Ius in re vel ad rem propinquum, quod ei tribuat actionem in Iudicio, sed solùm remotum, quia dignus est, vel benè meritus; & de hoc est tota difficultas.

123 *Vel fraude impediens tenetur.*

Nunc Dico Primò, Qui vi aut fraude impedit aliquem à consequendo aliquo beneficio, vel officio, quo dignus erat, vel ne instituatur heres, vel ne fiat ei donatio, legatum, &c. tenetur ad restitutionem, quanti iudicio prudentis ea spes ipsi valebat. Est communis DD. Probatur; quia fraus & vis vel exercentur circa eum qui beneficium sperat; (vt si quis illum vi detineat; vel minetur ei ne soliciter, vel litteras intercipiat, vel fraude auertat à re prosequenda) & sic manifestè fit ei iniuria, ex qua sequitur damnum. nam contra voluntatem suam modo iniusto impeditur à prosecutione, ad quam Ius habet; (etsi enim non habeat Ius ad illud bonum, quod prosequitur, habet tamen Ius ad illud prosequendum, rogando, solicitando) ergo damnum, quod inde sequitur, censetur per iniuriam datum. Vel exercetur circa ipsum collatorem, (vt minando, ne conferat tali, aut persuadendo ipsum esse indignum, ignarum, &c. idque falsò) & sic etiam fit iniuria petenti. Ratio est; quia violatur Ius ipsius, quod habet ad illud bonum; quod Ius non est quidem absolutum, sed conditionatum; quia in libera voluntate collatoris positum. si enim velit, res tibi debetur: si nolit, non debetur. Vnde si quis voluntatem eius, qui proposuit vel deliberat tibi dare, per vim aut fraudem directè impediat, alióve inflectat, veram tibi iniuriam facit; nam Ius tuum, in libertate collatoris constitutum, violat.

124 *Si crimen occultum aperiam.*

Dices, Ergo si crimen tuum occultum pandam, ob quod collator mutauit animum, non tenebor; quia collator non inuoluntariè, (non enim fraude deceptus vel metu compulsus) sed voluntariè statuit tibi non conferre.

Respond. Vel ita pando, vt sequatur infamia apud plures; vel soli collatori & ijs quorum interest, patefacio. Si priore modo, & illa infamia sit causa cur collator non conferat, aliàs collaturus, teneor ad restitutionem; quia per iniuriam sum damni causa. Si secundo modo, non teneor: quia Ius est, quando de officijs vel beneficijs agitur, patefacere ea quæ hominem minùs habilem, vel collationem minùs decoram reddunt. Vnde solent capi occultæ informationes. Quare fortasse etiam in priore casu non tenebor, si non tam ob infamiam, quàm ob crimen occultè commissum nolit conferre. Confirmatur: quia non est iniquũ patefacere id, cuius ignoratio collationem reddit inuoluntariam; ita vt eo cognito nollet conferre. atqui ignoratio huius occulti criminis redderet illam collationem inuoluntariam: ergo patefactio huius, qua parte ad collatorem pertinet, non est iniusta; etiamsi apud alios iniusta sit. Secùs est, quando falsa dedecora impinguntur; tunc enim collator decipitur, eiusque libertas impeditur, & inuoluntariè sententiam mutat.

Petes, Quid si is qui falsò collatorem informauit, sua dicta reuocet, tenebiturne adhuc ad restitutionem?

Si calumnia reuocata.

Respond. Si reuocet dum res non est integra, tenebitur; quia ex vi prioris iniuriæ damnum est secutum: nec est amplius in arbitrio collatoris illud impedire vel non impedire. Si verò res est planè integra, non tenebitur; quia non censebitur causa damni in posterum, sed libera voluntas collatoris. Ratio est; quia quamdiu res est integra, infamator non cẽsetur intulisse damnum, sed solùm posuisse causam vnde damnum timetur. Fecit enim per iniuriam, vt collator nollet, quod anteà volebat; quod *nolle* erit causa damni, videlicet *non collationis*. at sublata falsa informatione, si collator perstet in proposito, & nolit conferre, non amplius huius *nolle* causa erit infamator, (quia non propter eius dicta pergit nolle) sed libertas collatoris: qui pro suo arbitratu voluntatem mutare poterat. Circa prædicta quædam sunt aduertenda.

125

Primò, Si is qui petit, nullo modo est dignus seu idoneus officio vel beneficio, non teneris ei restituere pro illo incommodo; etiamsi vi aut fraude impediuisti. Ratio est; quia tunc nullum Ius habebat in libera collatoris voluntate positum: non enim poterat ei conferre. teneris tamen ad famæ restitutionem; nisi ratione mali impediendi potueris eius crimen detegere, vt ex suprà dictis constat.

Secundò, Si erat quidem dignus & idoneus, tamen nulla spes erat in ipsum fore conferendum: tunc, etsi vi aut fraude nisus fueris impedire, non teneris ad restitutionem. Ratio est; quia tuus conatus est inefficax; nam ex eo nullum reipsa damnum obuenit: æquè enim illi collatum non fuisset. Nec refert, quòd fuerit dignus; quia si hæc dignitas nullam ei spem pretio æstimabilem tribuebat, nihil ei censetur iniustè ablatum. si tamen aliquam ei spem tribuebat, quamuis paruam, hæc iudicio boni viri æstimanda est & compensanda.

126 *Si impediuisti vt conferretur digniori.*

Tertiò, Si erat dignus & spem habebat, sed eam impediuisti, vt conferretur digniori vel aptiori; quidam putant te teneri ad restitutionem, quanti illa spes ipsi valebat. Sed verius est te non teneri, nisi ad restitutionem famæ, de qua modò non disputamus. Ratio est; quia officia & beneficia secundùm rectam rationem, & Reipublicæ Ecclesiæque intentionem, debent conferri dignioribus; & contra rationem est, conferre ea digno, relicto digniore, quando collatio est libera. Neque is qui dignus tantùm est, Ius habet, vt collator non cogatur conferre digniori. Vnde etsi fiat iniuria collatori, si ab eo qui potestate caret, vis ei inferatur, tamen petenti officium non fit iniuria. Ita Couarr. ad reg. Peccatum. p.2. §.7. n.8. & Michaël Salonius qu.62. art.2. controuers.25. Secùs est, si procurasti vt æquè digno conferretur; tunc enim teneris illi, quem iniustè impediuisti: nam respectu alterius æquè digni, Ius habebat, vt collatori sua libertas relinqueretur.

Quar-

127 *Si impediuisti dignũ vt daretur indigno.*

Quartò, Si iniquè impediuisti dignum, vt daretur indigno, teneris non solùm digno, sed etiam Ecclesiæ vel Reipublicæ, quæ inde damnum patitur; idque iuxta damni æstimationem, iudicio prudentum faciendam. Patet; quia es causa vtriusque damni. Pari ratione teneris Ecclesiæ, si dignior quærebatur: tuque vi aut fraude impediuisti ne id fieret, vt conferretur ei qui erat minùs dignus: quia Ecclesia ius habet quærendi optimos ministros, quod ius tu iniquè impediuisti. Sicut si quis optimum operarium quærens, per te deciperetur, vt acciperet minùs idoneum: huic enim teneberis, iuxta damni æstimationem.

Quintò, Si erant plures competitores digni, & tu illos omnes vi vel fraude impediuisti; teneris singulis, quanti cuique sua spes iudicio prudentis æstimabitur.

128 *Impediens sinè vi & fraude.*

Dico Secundò, Qui sine vi aut fraude, precibus, blanditiis, muneribus, impedit dignum vel digniorem ab officio, beneficio, & similibus, non tenetur illis ad vllam restitutionem, etiamsi illud malo animo & ex odio faciat. Est contra Caietanum q.62.art.2.& Couarruuiam suprà, qui putant eum qui quouis modo impedit digniorem vt detur digno, teneri ad restitutionẽ digniori; quia secundùm Iustitiam distributiuam ei erat debitum. Est etiam contra Maiorem, in 4.d.15.q. 6. qui docet, eum, qui quouis modo impedit dignũ vel digniorem, teneri si id faciat ex odio, secùs si vt sibi vel alteri consulat. Sed nostram sententiam docet & probat Nauarrus cap. 17. num. 69. & sequentibus, & Sotus lib.4.de Iust.qu.6.art.3. versus finem, & alij passim. Ratio est; quia iste dignus & dignior ius non habent, nisi in libera voluntate collatoris; ergo si relinquas collatorem in sua libertate, nec aliquid facias, quod illi libertati repugnet, non censeris hoc ius violare. ergo cùm preces, munera, blanditiæ non repugnent libertati, (non enim collator inuoluntariè censetur facere, quod ita inductus facit) nullo modo infers illis iniuriam.

Malus animus non obligat ad restitutionem.

Nec obstat, quòd malo animo id facias. Primò, Quia iste malus animus non est contra iustitiam, sed contra charitatem: non enim est contra aliquod Ius, quod illi habeant, quando non intendis impedire libertatem collatoris. Secundò, Quia generatim loquendo verius est, malum animum seu intentionem numquam obligare ad restitutionem, nisi opus externum secundùm se sit iniustum, etiamsi Scotus & Richardus d: 15.& Caiet. qu.62.art. 2. contrarium sentire videantur. Ratio est; quia nisi opus externum secundùm se sit iniustum exteriùs, nulla cõmittitur iniustitia; ac proinde damnum, quod fit opere externo, non censetur illatum contra iusticiam. Sicut si quis animo hæretico aliquid dicat, quod exteriùs nullam habet speciem hæresis, non est hæreticus exteriùs, nec excommunicatus, vt dictum est 2. 2. qu. 11. Neque D. Thomas qu.62. art. 2. ad 4. contrarium sentit; quia intelligi debet de eo, qui impedit alium modo iniusto.

Dices, Lege 2. ff. de aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ. § Idem Labeo, dicitur: *Qui auertit torrentem, ne sibi noceat, vnde factũ sit vt vicino noceatur, cum eo aquæ pluuiæ arcendæ agi nõ posse a vicino; si modò non hoc animo fecit vt vicino noceat, sed ne sibi noceat.* Idem habetur L. 1. Vnde sequi videtur, si id fecit vt vicino noceat, iniuriam fore: ergo pati ratione qui impedit alterum ab officio vt illi obsit, non vt sibi vel alteri prosit, est illi iniurius; quamuis sine vi & fraude id faciat.

Respond. Omissa solutione Nauarri, quam habet nu. 71. illa exceptione indicari, concedi actionem in foro externo, si probari possit, nullo suo commodo, animo dumtaxat nocendi id factum. potest enim talis in pœnam cogi ad reparationem damni, & operis in priorem statum restitutionem. hinc tamen non sequitur, illum obligari ante sententiam.

129 *Procurans vt detur indigno.*

Notandum Primò, Si absque vi & fraude procurasti vt beneficium daretur indigno, non teneris quidem aliis competitoribus dignis, quia nihil contra ius illorum fecisti; sed teneris Ecclesiæ vel Reipublicæ, cuius Iura violasti, procurando ei ministrum ineptum: sicut is qui ad opus publicum operarios ineptos curauit, ad restitutionem tenetur. Vbi hic seruandus est ordo; vt primo loco teneatur is qui officium administrauit, & stipendia accepit: hic enim primò tenetur restituere stipendia, quæ ei data pro officio; quia id vel non præstitit, vel non vt oportet: deinde sarcire damna, quæ ipsius negligentia vel imperitia sunt contracta. Secundo loco tenetur collator. Tertio suasor.

Hinc patet, Quanti oneris sit, conferre beneficia vel officia publica, quod tamen Ius plerique tantopere expetunt.

Si minùs digno.

Notandum Secundò, Si absque vi & fraude impediuisti digniorem vt daretur minùs digno; peccasti quidem, non tamen teneris ad restitutionem. non enim digniori; quia contra ius eius nihil est actum. non etiam Ecclesiæ; quia nullum damnum per iniuriam illi illatum: nam in potestate Prælati erat eligere dignum, relicto digniore, quamuis in eo non sit fidelis dispensator. Hinc peccat contra fidelitatem dispensandi, & quidem sæpè mortiferè, vt infrà dicetur. Etsi enim Ecclesia non ita obliget Prælatum aut Respublica Principem, vt semper teneatur lege iustitiæ, restitutionis vinculum inducente, conferre dignioribus, obligantur tamen ad hoc lege fidelitatis.

Dices, Ergo numquam poterit petere beneficium vel officium, qui suos competitores videt esse digniores & aptiores.

Respond Si certò illi constaret, alios multò meliùs & fructuosiùs obituros officium, peccaret sollicitando, sicut & collator conferendo; quia debet bonum commune præferre priuato. Si tamen hoc illi non constet, (vt ferè semper fit; non enim qui maximè videtur idoneus, semper optimè præstat officium) & ope diuina confidat se tam benè functurum munere quàm alios; non peccat; si bona fide se collatori offerat: quia ministros eligere non est ipsius. sed collatoris.

130 *Si solùm est occasio.*

Dico Tertiò, Si fraus vel iniuria non censeatur verè causa damni secundùm æstimationem moralem, sed occasio dumtaxat; non tenetur ad restitutionem. Ratio est; quia tunc damnum non sequitur ex vi actionis iniuriosæ, sed aliunde. Explico exemplis. Das alapam alicui, qui inde per impatientiam incidit in morbum, & moritur: vel libidine vlciscendi, te vult interficere; à quo non potes te expedire, nisi ipsum interimas: non teneris de damno secuto, vt suprà ostensum cap.9. dubitat. 8. Scripsisti falsò litteras, & sparsisti per viam, magnam esse in Hispania frumenti inopiam,

inopiam, quas Petrus repertas aperiens, mittit magnum frumenti numerum cum ingenti damno suo: non teneris de damno, etsi grauiter contra charitatem peccasti; quia suæ leuitati assignare debet, quòd huiusmodi litteris fidem adhibuerit. Secùs si ad ipsum eas scripsisses & misisses. ita Lopez 1.p.cap.124.

131 Petes, Vtrùm is qui secretum alterius per iniuriam cognouit, si eo vtatur in suum commodum cum incommodo alterius, teneatur ad restitutionem, v. g. Titius Cameraco scribit Romam ad Caium, vacare beneficium in mense Pontificis. Litteræ veniunt ad manus Sempronij: hic suspicatus quod res erat, illas aperit, & posteà clausas reddit Caio, sed illum præueniens apud S. Sanctitatem impetrat beneficium.

Si litteras detinuit. Dico Primò, Si Sempronius litteras illas suppressit, vel serò reddidit, ita vt Caius non posset sollicitare, tenetur ad restitutionem, quanti spes Caij æstimabitur. Ratio est, quia per iniuriam impedit illum à prosecutione istius beneficij. Tenebatur enim ex iustitia tempestiuè tradere, prout ei erat mandatum: ac proinde omissio tradendi, vel dilatio, est contra iustitiam. ex hac autem directè sequitur, quòd non possit prosequi illud beneficium, & consequenter amissio illius beneficij; vnde & hæc iniustè inferuntur. nam quod directè ex actione iniusta sequitur, iniustè irrogari censetur. Tenetur ergo illi, non quanti valet beneficium, nisi fortè certum erat illum fuisse obtenturum; sed quanti spes obtinendi æstimabitur.

Si legit. Dico Secundò, Si litteras tempestiuè tradidit, sed illas anteà artificio quodam apertas legit, & sibi beneficium impetrauit; probabilius est non teneri ad restitutionem. Probatur, Quia etsi commissa sit iniuria aduersus Caium in litterarum apertione & lectione, non tamen in comparando beneficio, cùm Caius non haberet maius ius quàm alter; & cuius esset ius sollicitandi. Confir. Quia etsi notitia aliqua per iniqua media sit parta; tamen postquam iam habetur, est illius qui illam possidet, & potest ea vti in suum commodum, non minùs quàm si iusto modo acquisita esset: vt si noris secretam artem alterius opera dæmonis; vel occultè ingressus illius musæum, chartas eius euolueris, artificia inspexeris; potes illa arte vti, etiamsi lucrum alterius inde minuatur. Similiter si illum coëgeris vt te doceat, vt machinas suas tibi ostenderet, &c. Etsi enim fortè pro opera docendi aliquid soluendum sit, tamen ratione vsus illius notitiæ, & lucri quod inde consecutus es, ad nihil ipsi teneris: cùm nemo per talem vsum censeat alteri fieri iniuriam. Sicut enim illa notitia est tua, ita etiam vsus illius; & consequenter fructus qui inde prouenit.

132 *Obiectio.* Dices; 1.la apertio & lectio litterarum est iniuriosa Caio: atqui hinc sequitur ipsi damnum: ergo censetur damnum illatum per iniuriam.

Respond. Damnum illud non sequitur ex apertione aut lectione litterarum, nisi remotè & per accidens, quatenus inde sequitur notitia rei, & ex notitia sollicitatio, & ex sollicitatione permotio voluntatis collatoris, & collatio beneficij. itaque iniustitia statim incipitur, & damnum illud sequitur Caio, ex eo quòd tu vtaris iure tuo, & re tua. non enim ille caret beneficio, quia tu eum per iniuriam impediuisti, sed quia tibi conferri curasti; quod iure poteras. Simile esset, si visa vel contrectata bursa alterius (qualis fingitur fuisse bursa Fortunati) tantumdem tibi pecuniæ comparares quantum ea continetur: tunc enim etiamsi per iniuriam & vi illius bursam contrectasses, & tantumdem tibi illo contactu comparasses, posses illa vti non minùs quàm si tibi ab illo donata fuisset. vnde si illum præuenires in emptione mercium, non tenereris ad restitutionem.

133 *Quale peccatum.* Petes, Quale peccatum est in illa litterarum apertione? videri possit non esse peccatum mortale. Primò, quia non facit animo lædendi, aut aliquod damnum inferendi, sed solùm sibi consulendi: atqui non videtur esse peccatum, nisi quis animo lædendi id faciat, aut læsionem iniustam inde secuturam putet, aut dubitet; vt indicat Nau. c.18.n.53. Secundò, quia si litteræ illæ non fuissent signatæ, vel si iam resignatæ fuissent inuentæ in cubiculo alterius, non esset peccatum mortale illas legere: atqui resignatio non est peccatú mortale, nisi ratione lectionis: ergo cùm lectio per se non sit peccatum mortale, neque resignatio erit. Tertiò, Possum aperire litteras inimici, si ex illis metuo mihi notabile nocumentum; ergo etiam litteras amici, si inde spero magna commoda absque iniuria alterius.

Sed verius videtur, esse peccatum mortiferum. Ratio est, quia communi hominum iudicio, resignare litteras alterius, & legere in re magni momenti, censetur grauis iniuria, & in eum qui illas misit, & in illum ad quem mittuntur. Sigilla enim consensu gentium adhibentur tamquam supremum munimen, & custodia secreti chartis commissi; vnde Iure gentium debent esse inuiolata, sicut Legati. Sine enim huiusmodi immunitate & veluti priuilegio vix posset esse communicatio inter absentes: quod in magnum damnum Reipub. redundaret. Violare ergo sigillum, est res grauis, vtpote tendens ad euersionem communicationis inter absentes; ac proinde peccatum mortiferum.

Quando non sit peccatũ mort. Potest tamen excusari; 1. Si sit Superior regularis qui aperit. hic enim Ius habet aperiendi litteras quæ mittuntur ad subditum ab iis, quibus Superior iste non subest. idem dicendum de parente & aliis qui sunt loco parentis. 2. Ex ratihabitione mittentis, vel eius ad quem mittuntur. 3. Causa sibi cauendi ab iniuriis & insidiis: quomodo litteræ interdum intercipiuntur & aperiuntur à Magistratibus. 4. Si ex inaduertentia fiat, putans eas ad te scriptas. 5. Si contineant res parui momenti. 6. Si ex curiositate, & nullum sit periculum alterius incommodi. Vide Nauar. suprà, & Emanuelem Sà v. Litteræ.

134 *Impedient confiscationem.* Petes Secundò, Quid si is, cuius bona ob crimen iustè sunt confiscanda vel diripienda, fraude aut mendaciis impediat; tenetúrne ad restitutionem? Videtur teneri, quia iniustè impedit Fiscum ab eo consequendo, ad quod ius habet, maximè si crimen sit saltem semiplenè probatum; tunc enim tenetur veritatem fateri. Vnde in hoc casu talem teneri ad restitutionem, docet Sotus l.1.de Iustitia q.6.a.6. paulò ante quintam concluſ. Et Molina disp.95.§.Duo sunt; estque opinio probabilis.

Sed contraria est verior & probabilior, quam tenet Nauarr.cap.18.nu.49. Bañes 2.2.q.62.a.3. Petrus Arragón. & Michaël Salon. ibidem. Sancius lib.10.de Matrimonio n.14. Probatur, quia huiusmodi occupatio bonorum constituta est in pœnam criminis: atqui pœna non debetur ante sen-

sententiam saltem declaratoriam criminis ; vt communiter DD. tradunt: imò non est soluenda ante sententiam constitutiuam pœnæ , qua ipsa pœna iubeatur solui : ergo sententia non secuta non debetur pœna.

Dices , non deberi per modum pœnæ ratione criminis initio commissi , sed per modum compensationis damni , ratione doli , quatenus mendaciis impediendo cursum iudicij, & sententiam, impediuit commodum , quod inde erat obuenturum fisco.

Obiectiones. Sed contrà Primò, Quia opus illud quo sententiam impedit, non est contra Iustitiam commutatiuam, nec propriè iniuria, sed solùm contra veritatem,obedientiam & Iustitiam legalem,quæ virtutes non obligant ad restitutionem. Non enim posita ſemiplena probatione , tenetur lege Iustitiæ commutatiuæ veritatem fateri ; sed lege obedientiæ & Iustitiæ legalis , vel religionis si iurauit. Deinde, etiamsi opus illud quo impedit esset iniuria, in ordine ad ferendam sententiam (vt si minaretur Iudici ne sententiam ferat , vel actori ne in causa pergat) non esset tamen iniuria in ordine ad ista bona , quatenus fiscum vel actorem ab istis obtinendis impedit. Ratio est ; quia sicut quisque habet summum ius in tuenda vita ; ita etiam in tuendis bonis quæ sunt instar vitæ,cùm absque illis *vita* sit *inuita*,vel, vt Græci dicunt , ζῶον ἄβιον. vnde etiam ipsa bona βίος *vita* vocantur. Ergo sicut is qui non sinit sibi eripi vitã alioquin iustè ob crimen auferendam , non facit iniuriam restitutioni obnoxiam , etiamsi alteri inde maximum commodum erat obuenturum ; ita nec is qui non sinit sibi eripi bona iustè alioquin in pœnam criminis auferenda , facit iniuriam restitutioni obnoxiam. Facit quidem iniuriam resistendo armis Iudici,vel illi minando; hæc tamen iniuria non est in illum cui pœna erat applicanda : quia ille ius non habebat,nisi supposita sententia Iudicis. Imò illa supposita , non habet ius vt reus sponte bona sua ei tradat, aut cum illis non fugiat; cùm ad horum nihil sit condemnatus : sed solùm vt per ministros publicos ea occupet & auferat : qua occupatione facta , & pacifica eorum possessione obtenta, reus non ampliùs ius habet illa surripiendi aut vi auferendi , cùm illorum dominium & possessionem omnino amiserit:vnde si posteà auferret, teneretur ad restitutionem.

Confirmantur supradicta ; Primò , Quia cùm bona sunt alteri applicanda , reus non minus iuris habet ad ea defendenda ne sibi auferantur, quàm cùm nulli sunt applicanda,sed igne vastanda.Non enim ipse ob vtilitatem alterius minùs est liber ad impediendam rerum suarum ablationem ; hæc enim ipsi æquè grauis est , imò grauior cùm alteri prodest. Atqui cùm sunt vastanda,non facit iniuriam restitutioni obnoxiam , etiamsi fraude , dolo aut vi impediat ablationem; ergo neque cùm alteri sunt applicanda. Confir. Secundò , Quia obligatio illa restituendi nimis esset grauis , nec accommodata fragilitati humanæ. Quotusquisque enim est hominum , qui vbi bona sua hoc modo eripuisset periculo amissionis , sponte ea offerret fisco, vel alteri,cui in pœnam ea erant cessura? Sanè vix vllus reperietur. Atqui lex vt iusta sit,debet esse hominum moribus & fragilitati attemperata; vt communiter Theologi & Canonistæ docent, cap.Erit.cap.In istis.d.4.

Hinc infertur Primò , Hæreticum qui fraude, mendaciis, falsis testibus se defendit, & impediuit sententiam,aut confiscationem bonorum , non teneri ad restitutionem. Quia non fecit iniuriam fisco,vel saltem non talem quæ restitutioni sit obnoxia, propter summum ius defensionis suipsius & rerum suarum. 135 *Consectaria.*

Secundò , Idem dicendum de adultera , quæ ipso Iure amittit dotem. Non enim tenetur ea quæ habet , tradere ante sententiam definitiuam & vltimam. Vnde etiamsi falsis probationibus se defendat , aut falsò probet etiam maritum mœchatum esse, sicque sententiam diuortij impediat,non tamen tenetur ad restitutionem. Similiter si à sententia appellet,etsi iniquè. nam appellatio suspendit sententiam. Ita Sancius suprà , multos alios citans. Si tamen maritus dotem habet , non tenetur eam repetenti restituere ; quia potest ei opponere exceptionem adulterij ; vt apertè colligitur ex cap. Plerumque. de donationibus inter virum & vxorem.

Tertiò , Idem locum habet in eo cuius bona ob non solutum vectigal , vel res prohibitas importatas aut exportatas , sunt ipso facto commissa seu addicta fisco , vel redemptori. hoc enim cùm fiat in pœnam criminis , requirit sententiam Iudicis, vel euidentiam tantam , vt possit iustè ferri sententia. Vnde si sententia impediatur , vel ita agatur vt crimen certò constare non possit , non tenetur. Similiter, si cum rebus suis , priusquam occupentur, fugiat. Ipsum tamen vectigal , si iustum erat, tenetur soluere ; quia non est constitutum in pœnam , sed in iustam compensationem ratione securitatis vel gubernationis, quam Princeps in patria præstat.

Quartò , Idem cernitur cùm miles iustè oppidum aliquod concessu Principis expilat. Fit enim hoc in pœnam delicti, cuius omnes præsumuntur participes. Vnde etiamsi mendaciis,fraudibus,vel etiam vi militem impedias ne res tuas diripiat, non teneris ei ad restitutionem. Addo tamen , in prædictis casibus , si aliquod damnum iniustè inferatur ab eo qui res suas tuetur , teneri ad illius compensationem ; vt si falsis testibus se defendat, tenetur ad expensas litis; si resistendo lædat , tenetur ad expensas medicorum.

Petes Tertiò , Quid dicendum de testibus qui falso testimonio impediunt sententiam, & consequenter confiscationem? Videntur sanè non teneri ad restitutionem , etiamsi rem suam non defendant, sed alienam. Si enim principalis auctor , & qui mandat, non tenetur., cur teneantur secundarij, qui illum iuuant? Deinde quia fiscus vel actor non habet ius ad bona occupanda, nisi posita sententia : ergo si illa non ponatur , non fit ei hac ex parte iniuria. Confir. Quia à tali teste detecta falsitate fiscus non solet exigere compensationem damni , quòd bona rei non obtinuerit ; sed satis habet illum puniri vt periurum ; non ergo censet sibi factam iniuriam restitutioni obnoxiam. 136 *Testes.*

Vtrùm autem Iudex teneatur ad restitutionem si huiusmodi reum non condemnet , vide infrà cap.13.num.73.

Dvbitatio xix.

Vtrùm si quis damnum intulerit in re adhuc indies crescente, teneatur integrè, perinde ac si adulta esset, rependere.

137 Dominicus Sotus lib.4.q.6.art.5.& Michaël Salonius q.62. art. 4. affirmant, si ex malitia rem illam peremit; non autem si ex negligentia. vt si conculcasti segetem, nunc æstimatam 100. in messe 200. Si interemisti pullum equinum, nunc valentem 20. intra biennium 100. Ratio illorum est; quia dominus rei non tenetur eam vendere pretio, quo nunc valet, sed potest eam retinere, præstando omnes casus, eosque non æstimando.

Tenetur solùm ad rei æstimationem.

Resp. Contrarium esse verius. Ratio est, quia restitutio damni illati non est vmquam facienda nisi secundùm æqualitatem, prout prudentes arbitrabuntur. itaque pro talibus segetibus non est amplius restituendum, quàm illiæ iudicio prudentum spectatis circumstantiis tunc valebant. Idem dicendum de pullo equino & similibus.

Est maior iniuria.

Nec obstat, quòd ille eo pretio vendere noluisset; hinc enim non sequitur, damnum esse maius quàm ipsa res nunc valeat, sed iniuriam esse maiorem, quia hinc fit vt damnum sit magis contra domini voluntatem, quod ad incrementum iniuriæ pertinet, non damni: pro qua iniuria, non pecunia, sed veniæ petitio, vel quid simile præstari solet. vnde illa distinctio damni ex malitia & negligentia, sententiam Soti non iuuat. etsi enim maiorem faciat iniuriam qui infert damnum ex malitia quàm qui ex negligentia, non tamen infert maius damnum; vnde neque ad maiorem tenetur restitutionem.

Dvbitatio xx.

Vtrùm qui in tempestate eiicit merces alienas, teneatur ad sarciendum damnum.

138 Respondeo & Dico Primo, Si is, qui eiicit alienas, habet suas, tenetur illi pro sua parte ad restitutionem. Ratio est; quia cùm etiam propriæ merces cooperentur ad nauis depressionem, iniquum est, totum onus conferre in merces alterius. Imò hoc casu, omnes tenentur pro sua parte, qui ibidem merces habent; vt patet L.2.& 4.7.de lege Rhodia, de iactu.

Omnes tenentur prò ratione mercium.

Sed tenetúrne pro mercium suarum æstimatione, an pondere? Quid si tantùm habeat gemmas vel margaritas, quæ nauem parum onerant?

Resp. Seposita lege positiua, videtur tantùm habenda ratio ponderis; quia pondus adfert naui periculum, non æstimatio vel pretiositas. Lege tamen positiua statutú est, vt habeatur ratio æstimationis, vt quisque pro mercium pretio conferat ad compensandum ei, cuius merces sunt eiectæ. Cuius ratio esse videtur, quia quò merces tuæ sunt magis pretiosæ, eò pluris interest tua, vt nauis salua sit; ac proinde eò ampliùs te in collationem dare par est. quæ ratio habet quidē aliquid æquitatis, ob quam possit lege sanciri: si tamen lex absit, alterum videtur seruandum.

139 *Eiiciens alienas.*

Dico Secundò, Si is, qui alienas eiicit, nullas habeat, non tenetur ad vllam restitutionem. Colligitur ex L. secunda, vbi dicitur, *Liberi corporis, non oportere fieri æstimationem*; nempe ad sarciendum damnum. Idem docet Ioannes Medina C. de restit. q. 3. causa prima, & Petrus Nauarr. lib. 3. c. 1. num. 381. Probatur; quia id potest duplici Iure, *vsus* & *defensionis*. Iure vsus, quia quando alicuius rei vsus mihi est extremè necessarius ad vitam conseruandam, possum eam rem licitè consumere; & si inde non sum factus ditior, non teneor ad restitutionem; vt si hostem fugiens insiliam in equum alienum, qui in fuga perimitur: non enim ratione acceptionis, vt quæ sit concessa; neque rei acceptæ, vt quæ non extet in se, vel in sui pretio: neque contractus, cùm nullus intercesserit, vti suppono. Hæc tamen ratio non habet locum, nisi in paupere; & fortè contrarium huius fundamenti est verius: vt infrà cap. 16. dubit. 1. dicetur. Altera tamen ratio est solida; nempe ex Iure defensionis; quia Iure naturæ quiuis potest à se repellere, quidquid ei adfert interitum, vel est impedimento, ne se possit in extremo periculo saluare: atqui merces illæ adferent interitum, deprimendo nauem, cui insideo. Idem dicendum, si quis fugiens pertundat parietem, vel conculcet segetes, aliter se saluare non valens, vt rectè Petrus Nauarra.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De cooperantibus ad furtum vel damnum.

Complectitur Dubitationes x i.

Notandvm est, Dupliciter furtum vel damnum inferri posse. Primò, immediatè exequendo; & de hoc dictum est cap. 12. Secundò, mediatè cooperando: vt consulendo, mandando, &c. De his modis nunc agendum est: sic enim plenè intelligetur quis ad restitutionem teneatur.

Dvbitatio i.

Quot modis censeatur quis mediatè cooperari ad damnum alterius.

Respondeo, Passim à Doctoribus nouem modos numerari, qui continētur hisce versibus:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Et

Et sic vniuersim sunt 9.genera personarum,quę tenentur ad restitutionem, præter executorem. de quibus modis vide D.Thom.q. 62. art.7. & Gabrielem in 4.q.2.d.15.art.3.Siluest. Restit.3.q.6. Adrianum in 4.tract.de restit. qu.1. §. Circa prædicta.Ioannem Medin. C.de rest q.7.& 8. Sotum lib.4.q.7.a.3.Couarr.ad reg.Peccatum, p.2.§.12. denique Nauarrum c.17.num.17.& seq.

Aduertendum est,sex prioribus modis positiuè cooperari,tribus posterioribus priuatiuè.

Dvbitatio II.

Vtrùm ij, qui positiuè cooperantur, semper teneantur ad restitutionem: an solùm quando sunt causa, sine qua damnum non fieret.

1 QVidam DD. sentire videntur, hosce cooperatores solùm teneri ad restitutionem,quando ita cooperantur mandando, consulendo, consentiendo, &c. vt sine ipsis damnum non fieret: quando verò sine ipsis æquè damnum inferretur, non teneri. Ita docet D. Anton. p 2. cap.1. tit 12. §.12.ex Paludano & Richardo. Siluest. Restit,3. qu.6. §. 3. vbi dicit hanc esse communem sententiam. Adrianus in 4. §. De concurrentibus cum fure,Nauarr. c.17.num.17.& sequentibus: denique ipse D.Thomas in 4.d.15.q.1. a.1. ad 3. quæstiunculam quæ sententia quodam sensu est apertè falsa,quodam certa,quodam probabilis. Vt autem res intelligatur,

2 *Nemo excusatur ex eo quòd alius erat id iniquè faciturus.*

Dico Primò, Qui iubet,consulit,consentit,laudat, vel refugium præbet executori, ita vt ex hisce causis ille motus fuerit ad damnum inferendum, non ideò excusatur à restitutione, quòd alius non defuisset,qui iussisset,consuluisset, &c. Ita docet Caiet.q.62. art.6. Ioannes Medina q.7. Sotus l.4. qu.7. art.3.& alij. Est certa,nec credibile est, auctores prioris sententiæ id negaturos. quòd si eorum sententia sic accipiatur, vt huic repugnet, est apertè falsa. Probatur; quia talis ita est causa damni in hoc casu, vt si ipse vel alius similis non moueret executorem, damnum non fieret; ergo verè est causa sine qua non fieret. Patet consequentia. Nam causa sine qua non, est ea quæ ita cooperatur,vt sine ipsa vel simili superueniente, non fieret effectus à causa executrice; non autem illa dumtaxat, quæ si absit, effectus non fiet. nam alioquin is qui suadet vel præcipit homicidium, non esset causa, si alius erat suasurus,vel præceptarus: imò occisor non erit causa damni, si alius erat occisurus: quæ apertè sunt falsa. sicut enim ille iniquè erat facturus, & restitutionis obligationem incursurus, si suasisset vel præcepisset maleficium; ita etiam is, qui in eius locum succedit.

3 Dices, Illa dumtaxat est vera causa,qua posita sequitur effectus, & qua non posita non sequitur: ergo si tuo consilio non posito, effectus nihilominùs sequeretur,tuum consilium non potest censeri causa.

Resp. Non esse de ratione causæ, vt illa non posita, effectus non ponatur; sed tantùm vt illa posita, effectus ponatur: idem enim effectus potest poni per multas causas. Pari modo, causa sine qua non, est ex cuius cooperatione sequitur effectus, ita vt nisi ipsa vel similis superueniens cooperetur, non sequatur effectus.

4 *Si eodem modo malè erat parandum.*

Dico Secundò, Si executor absque illo consilio,consensu, mandato,laude,vel ministerio æquè benè & eodem modo damnum erat illaturus, quamuis nulla alia similis causa esset superuentura,tunc illi non tenetur ad restitutionem. Est communis sententia DD. vt si consilio, mandato, laude, inuites eum, qui antè ad facinus paratissimus erat, quique non ideò celeriùs, atrociùs, aut amplius inferet mali, nec firmabitur in proposito, non teneris ad restitutionem. Ratio est; quia etsi 5 grauiter pecces, etiam contra iustitiam, tamen consilium & mandatum tuum inefficax est, quia damnum ex ipso tamquam ex causa non sequitur, ipsumque dumtaxat vt quid concomitans se habet. hoc modo Petrus Nauarra l. 3. c.4. num.48. & quidam alij putant explicari posse sententiam illorum DD. quo sanè sensu est certa.

6 *Doctores non requirunt vt eodem modo absque cooperatione sit inferendum.*

Sed si quis eorum verba perpendat, illi non requirunt, vt damnum eodem modo sit inferendum ab executore; sed tantùm vt absolutè sit inferendum,siue cum iisdem circumstantiis, siue cum diuersis. Sententia igitur illorum Doctorum est, hos non teneri, etiamsi executorem mouerint, vt citiùs vel animosiùs, vel alio loco faceret, si ipse iam ita erat comparatus, vt sine ipsis vel similibus superuenientibus absolutè esset facturus. Pari modo si causam dederint, vt plus damni inferret, quàm alioquin illaturus erat, non tenentur nisi ad illud amplius. Probatur,quia D.Thomas suprà,vt consulens teneatur ad restitutionem, duo requirit, nempe, *vt probabiliter credat,consilium suum fuisse efficax, & quod sine eo iniusta ablatio commissa non fuisset.* vbi satis insinuat, etsi consilium sit efficax, ita vt moueat executorem vt citiùs vel expeditiùs faciat, tamen non inducere obligationem restituendi,si executor absque consilio erat facturus,licet non eodem modo. D.Antoninus,ex Paludano: *Si sine consilio vel mandato fuisset nihilominùs facta rapina vel damnificatio, & nihil amplius per illa est additum,non tenentur, nisi quantum ad eos de rapina peruenit: si verò aliquid amplius ex mandato vel consilio factum est, ad illud amplius tenentur in solidum.* hic solùm requirunt, vt ipsa damni substantia absque consilio fuerit inferenda; non autem vt eodem modo vel tempore. Idem diserè docet Nauarrus num. 20. & ceteri suprà citati, & Gabriel in 4.d.15.qu.2.art.3.dub.2.

8 *Si damnũ æquè absq; tali cooperatione erat inferendũ, non teneri.*

Hæc sententia est probabilis. Primò, propter Doctorum auctoritatem. Secundò,propter rationem: quia isti tunc non tam sunt causa substantiæ damni, quàm modi vel circumstantiæ; cum qua mandatur executioni; vt quòd fiat hoc tempore, hoc loco, hoc instrumento, hoc modo, vel cum hoc incremento: ergo non tenentur substantiam damni rependere.

9 *Obiectio.*

Dices, Sunt causa totius actionis, vt hîc & nunc fit: ergo tenentur. Confirmatur, quia non potest quis esse causa istorum accidentium & circumstantiarum, nisi etiam sit causa substantiæ actionis.

Responsio.

Respond. Ob hoc argumentum altera sententia (hos obligari in solidum) est valdè probabilis: quam tenent Caietanus,Medina,Sotus, & Petrus Nauarra suprà. Respondeti tamen potest, Etiamsi sint causa totius actionis indiuiduæ, vt hîc & nunc fit; tamen,quia illa actio quatenus damnosa,

secundùm suam speciem iam erat parata in causa exequente, & omnino secutura, non videntur circa eam quidquam efficaciter operati, nisi inducendo nouas circumstantias; quod non est magni momenti ad substantiam damni. Quando etiam aliqua causa est exitura per se in actum; parum refert vtrùm hoc celeriùs fiat an tardiùs, hîc an alibi, hac an illa actione indiuidua, hoc an illo instrumento. Ad confirmationem, Concedo esse causam substantiæ illius actionis in indiuiduo, nempe quod potiùs sit hæc indiuidua actio quàm illa: sed hoc parum facit ad obligationem restitutionis.

Primò, Quia qui est causa vt differatur damnum in crastinum, est causa cur sit alia actio indiuidua damnificans, & tamen non tenetur. Similiter qui rogat vt alio loco occidat, vbi minus erit scandali.

Secundò, Qui volenti furari 10. suadet vt furetur 20. est causa illius indiuiduæ actionis qua vult 20. & illius qua accipit 20. & tamen non tenetur nisi ad 10. eò quòd furti dumtaxat horum censeatur causa, vt docet Medina, Couarr. Petrus Nauarr. & alij: ergo vt quis teneatur in solidum, non sufficit vt sit causa totius actionis vt hîc & nunc fit, sed vlteriùs requiritur, vt actio illa secundùm suam speciem, sine tali cooperatione à
10 tali executore non sit processura. Ex his patet, hanc sententiam esse probabilem, etsi altera quoque probabilis sit, & hoc tempore in scholis receptior. vnde sentio in praxi ordinariè sequendam; id enim isti miqui cooperatores merentur, vt in posterum sibi caueant.

Dvbitatio iii.

Quomodo oporteat positiuè cooperari, nempe iussione, consilio, consensu, palpatione, receptione, & participatione, vt censearis causa damni.

11 *Iussio.* Respondeo Primò, De *Iussione*. Qui ita iubet, vt alterius animum ad maleficium moueat, censetur damni causa; imò inter causas præcipua: quia non est efficacior modus, quo creatura rationalis liberè ab alio moueatur, quàm per mandatum. mandans enim, quamdam obligationem & necessitatem imprimit alteri. Dupliciter autem potest quis mandare, Primò, Expressè; vt si dicas famulo, Occide, Volo occidas. Secundò, Implicitè; vt si dicas, Vtinam mihi hoc obsequium quis præstet, Charus mihi erit qui hoc fecerit.

12 Aduerte tamen Primò, Si reuoces mandatum ante maleficium patratum, idque mandatario innotescat, non teneris; quia iam tollis causam: qua de re sunt multa Iura, 7. Mandati.

13 *Ratum habens.* Secundò, Eum, qui ratum dumtaxat habet maleficium nomine suo factum, non obligari in foro conscientiæ ad reparationem damni, vt rectè Medina quæst. 7. ad quartum argum. quod est contra Nauarrum cap. 27. num. 233. qui putat ratihabitionem obligare instar mandati, si dum mandare poteras, damnum tuo nomine sit illatum. Sed contrarium est verum. Ratio est; quia ex illa ratihabitione facti præteriti, ipsum factum, per quod damnum illatū est, nullo modo pendet, tamquam ex causa mouente. Nec refert, quòd nomine tuo factum sit; quia inde tantùm sequitur, voluntatem tuam fuisse causam finalem, & ideò illum fecisse, vt tibi gratificaretur, quia putabat tibi gratum futurum: sed hoc non sufficit, vt tu censearis causa efficiens, & voluntariè mouens ad damni irrogationem. Finis enim non mouet voluntariè, sed naturaliter, ex parte sua.

Dices, Cap. Ratihabitionem, de regulis Iuris, in Sexto, dicitur, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.*

Respondeo, Comparatur mandato, non respectu operis patrati, & obligationis restituendi, sed respectu contractuum. (quia sola voluntate foris expressa firmari possunt contractus præteriti, non autem causari damnum præteritum.) Item respectu pœnæ in foro externo: quia qui ratum habet maleficium, punitur sicut qui mandauit.

Secundò, De *Consilio*. Hoc similiter est causa, 14 *Consilium.*
dum quis ex eo permouetur ad faciendum opus. Huc etiam pertinent preces & promissiones. Ex qua verò culpa in dando consilio quis teneatur, explicatum est suprà cap. 7. dub. 7. Modò satis sit, eum teneri, qui fraude vel culpa lata iniquum consilium dedit.

Sed difficultas est Primò, Si consultor ante perpetratum maleficium reuocet consilium, vtrùm nihilominùs teneatur.

Resp. & Dico Primò, Si dedisti consilium fal- 15
sum vel falso fundamento subnixum, (v.g. dicendo contractum esse licitum, bellum esse iustum, & similia) sufficit vt posteà retractes sententiam, dicendo te deceptum, & sincerè veritatem explices, eo modo, iisque rationibus, vt is cui consilium dedisti, intelligat te ex animo non muneribus corruptum loqui: sic enim prius consilium satis eliditur. vnde si ille nihilominùs in concepto facinore perstat, iam non tuo consilio, sed sua dumtaxat malitia, vel priuata opinione videbitur moueri; ac proinde tibi non imputabitur. *Reuocans consilium an teneatur.*

Dico Secundò, Si dedisti consilium verum, 16
ostendendo vtilitatem vel honorem, qui ex opere iniquo consequetur, vel machinanti malum, occultam nocendi rationem aperuisti, non sufficit reuocare ostendendo rem esse illicitā, suadereque contrarium; sed oportet persuadere: si enim ipse permotus ista vtilitate vel commoditate exequendi, quam aperuisti, facinus perficiat, teneberis. Ratio est; quia ostensione commodi vel honoris, voluntatem ipsius ad damnum inferendum permouisti, & hæc motio manet, quàm diu ipse eodem motiuo incitatus, conceptum facinus vult prosequi: ergo cùm sis causa ipsius voluntatis, etiam es causa effectus eius, scilicet damni secuti. Simili modo, occultum nocendi artificium aperiendo, veluti armis & auxiliis instruxisti vt noceat, sine quibus non potuisset nocere, & per quæ in proposito nocendi fuit confirmatus: sicut qui furenti præbet arma vt inimicum occidat, tenetur, nisi reipsa abstulerit, ne illis occidat. Confirmatur; quia cùm prauum consilium dares, debebas cogitare mala quæ inde sequi poterant, & non fore posteà in tua potestate impedire, quin consilium illud exeat in opus. *Consilium assidue voluntatem in malo retinens.*

Hinc intelligi potest distinctio inter *mandantem* & *consulentem*: cùm enim mandatarius agat 17
nomine mandantis, vt ipsius voluntati morem gerat, hoc ipso quo mandans reuocat mandatum, & reuocatio innotescit mandatario ante operis executionem, cessat omnis ratio agendi à mandante *Discrimen iubentis & suadentis.*

pro-

propoſita, ac proinde omnis motio ab ipſo proueniens; non ſecùs ac ſi vis telo impreſſa ſubitò cohibeatur & extinguatur. Dixi, *Si reuocatio innoteſcat mandatario.* quia ſi non innoteſcat, tenetur mandator effectu ſecuto, non ininùs quàm ſi non reuocaſſet; quia ex vi mandati damnum datum eſt. Vnde etiam incurrit cenſuras & irregularitatem, ſi fortè mandāti (vt v. g. in percuſſione Clerici) poſita ſit. nec refert quòd modò ſit in ſtatu gratiæ; quia etſi cenſura talis non contrahatur niſi propter peccatum mortiferum, non tamen eſt opus, vt illius peccati culpa tunc committatur, ſed ſufficit commiſſam eſſe, & effectum eius, ſeu opus externum ex vi illius tunc fieri: ſicut in propoſito accidit. Nam opus externum imputatur mandanti tamquam auctori principali, qui altero ſit vſus vt inſtrumento. Qui verò conſilium accipit, agit nomine ſuo, id eſt vt rebus ſuis conſulat. vnde non ſtatim ceſſat ratio agendi ipſi impreſſa, niſi contrarium perſuadeatur, vel certè niſi oſtendatur, illam rationem, ob quam motus fuit, non ſubeſſe. vnde effectu ſecuto, cenſuras incurret.

Quando verò quiſpiam precibus, blanditiis, promiſſis induxit alterum ad conflandum maleficium; ſufficit, vt quantum in ſe eſt, oſtendat ſibi diſplicere, ſeque propoſitum mutaſſe, & promiſſa reſcindere. nam alter nomine ipſius acturus erat; ſeu vt ipſi gratificaretur.

18 Aduerte tamen, non eſſe impoſſibile, conſultorem non teneri, ſi conſilium, quantum in ſe eſt, reuocet, & contrarium perſuadere nitatur, quamuis reipſa non perſuadeat. Ita Pet. Nauarra l. 3. cap. 4. n. 27. citans pro ſe Io. Medinam. Idem docet Salonius qu. 62. art. 7. controuerſ. 6. Neque ponunt in hoc diſcrimen inter mandantem & conſultorem. Ratio eſſe poteſt, quia quando fecit quod poteſt vt conſilium prius euertat, vel oſtendit, omnibus conſideratis, eſſe iniquū, & non ſequendum, non videtur executor ipſius conſilio moueri, ſed ſua malitia. Sed quod diximus videtur verius.

Petes, Vtrùm ſi mandatarius poſt reuocationem mandati ipſi inſinuatam perſtet in propoſito patrandi maleficij, v.g. occidēdi Titij, teneatur mandans lege iuſtitiæ monere Titium vt ſibi caueat, vel aliter impedire effectum. Quidam putant ſic teneri. Ratio eſt; quia mandans dando mandatum de Titio occidendo, fecit ei iniuriam. ergo ex iuſtitia tenetur impedire damna, quæ ex illa iniuria ſequi poſſent. ergo ſi ſcit inde ipſi imminere periculum, ex iuſtitia tenetur illud impedire, prout commodè poteſt, v.g. admonendo illum vt ſibi caueat, &c. Confir. Quia ad hanc obligationem ſufficit vt Titius ex iniuria à mandante illata, ſit conſtitutus in hoc periculo.

Sed contrarium tenent plerique DD. non teneri lege iuſtitiæ, ſed ſolùm charitatis, etſi fortè ſtrictiùs quàm alij, eò quòd occaſionem periculi dederit. Ratio eſt; quia etſi fecerit iniuriam Titio, mandando eius homicidium, & voluntatem alterius ad hoc flectendo, tamen hæc iniuria ante effectum fuit ablata. Nam voluntas illa occidendi in gratiam mandantis, planè euanuit. Nec refert quòd ille dicatur perſtare in voluntate occidendi; quia hæc voluntas non eſt eadem, ſed diuerſa, vtpote ex alio motiuo concepta, quæ planè per accidens & fortuitò ſequitur priorem voluntatem. Ad confir. Periculum in quo poſt reuocationem mandati Titius verſatur, non eſt ex iniuria vel opere mandantis, ſed ex malitia & arbitrio mandatarij. Denique ſi illa ſententia vera eſſet, mandans ſemper teneretur ad reſtitutionem ſecuto effectu, etiamſi non ſolùm reuocaſſet mandatum, ſed etiam omnibus aliis modis conatus fuiſſet impedire: ſicut qui per iniuriam conſtituit aliquem in periculo hoſtium, ex quo illum non poteſt eripere, tenetur ſecuto damno.

Secundò, Difficultas eſt, Vtrùm conſulens minus damnum ad auertendum maius, teneatur ad reſtitutionem. 19 *Suadens minus malum.*

Reſp. Si conſulas inferri alicui damnum minus, nè eidē inferatur maius, nō teneris. Ratio eſt; quia vtiliter negotium illius geris, & meritò tibi gratiam debet pro hoc beneficio. Neque peccas ſuadendo minus, etſi ille de eo nō cogitaſſet, (vt putat Pet. Nauarra ſuprà n. 29.) quia nō ſuades abſolutè, (hoc enim eſt illicitum, ſicut & facere) ſed ſub conditione, nempe ſi alterum omnino velit facere; vel ſi aliter à maiore abduci nō poteſt: quæ conditio intelligitur, quando ſuadetur ei, cuius animus putatur obfirmatus. Si autem ſuadeas latroni, vt 20
alteri, de quo nō cogitabat, damnum minus inferat, teneris: quia iniuriam illi facis, dum illum animo latronis, nocendi cupido, obiicis. non enim licet impedire damnum Petri cum iniuria Pauli. Hinc ſequitur, Peccaſſe Loth Gen. 19. dum Sodomitis in hoſpites irruere conantibus, ſuaſit ſtuprū filiarum; quia ſuaſit iniuriam in eas, de quibus ipſi non cogitabant: vt omittam, quòd ex officio paterno earum pudicitiam tenebatur tueri. quamuis fortè excuſari poſſit, quòd vel ex perturbatione id dixerit, vel ad declarandū ſceleris, quod attentabant, immanitatem: quo modo dicere ſolemus, Me potiùs interfice quàm illi noceas. vide Caietanum in illum locum, & Lipomani Catenam.

Aduerte tamen Primò, Si Paulus eſſet vir opulentus, qui non putaretur grauatè ſuſcepturus minus damnum ad auertendum damnum Petri multò grauius, liceret illud conſulere. Idem videtur, ſi Petrus illud minus damnum Paulo eſſet repenſurus: tunc enim Paulus ex charitate teneretur permittere.

Secundò, Si latro de vtroq; cogitaret, & anceps 21
eſſet vtri vellet damnū inferre, cōſtituiſſet tamen firmiter inferre alterutri, poſſes ſuadere in genere quod minus eſt: malum enim minus reſpectu maioris non cenſetur malum. Neque per hoc conſiliū fit iniuria ei, cui minus damnum infertur; quia non reuocas malefico in mentem aliquid, quod non cogitabat, ſed tantùm in genere doces, minus malum potiùs eſſe faciendum, quàm maius, ſi neceſſe ſit alterum fieri, (quæ doctrina vera eſt & vtilis) & indicas vtrum ex duobus ſit minus; in quo etiā veritatem, quam noſſe expedit, oſtendis. Vnde non poteſt alter queri ſibi factam à te iniuriam: non enim dicis, Fac huic potiùs iniuriam quàm iſti; ſed tantū proponis veritatem ſpeculatiuam; quod vt facias, iuſtam cauſam habes. Iuxta hæc intelligendus eſt Sotus lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 3. ſub finem. Contrarium videtur ſentire Pet. Nauarra ſuprà num. 30. Sed nihil aliud eius ratio concludit, quàm in particulari non licere directè maleficum inclinare in alterutrum, rogando vt huic potiùs quàm illi noceat. Nos autem tantùm dicimus, poſſe in genere ſuadere, vt faciat id quod minus eſt, & indicare vtrū ſit minus, relinquendo ipſius iudicio, vtrum malit amplecti. *Si latro ſit anceps de duobus.*

22 *Consentiens.* Tertio loco est *Consensus:* hic est causa, quando ab alicuius cõsensu pendet, vt res fiat vel non fiat, v. g. vt huic inferatur bellum, vt iste eligatur in Prælatum. Quòd si id à consensu tuo non pendeat, eò quòd auctoritatem nullam habeas, vel si absque tuo consensu iam anteà æquè erant parati, neque illum expectarint; non cẽsetur causa damni. Hinc fit vt quando plures ferunt suffragia, vel subscribunt in causam iniquam; si tu etiam consentias, postquam sufficiens numerus suffragatus est, non tenearis ad restitutionem damni secuturi: (etsi mortiferè peccaueris consentiendo) nisi spes fuerit, te contrario suffragio posse malũ impedire. Ita Nauarrus c. 17. n. 21. & Caietanus v. Restitutio, c. 1. §. Consensus. Ratio est; quia iã causa damni ita est dispositа, vt æquè & eodẽ modo damnum sit secuturum absq; tuo suffragio, atque cum illo. quare tuũ suffragium accedens, non est vllo modo causa damni. Si tamen tuum suffragium antè contulisti, quàm sufficiens numerus esset causæ iniquæ suffragatus; teneris ad restitutionem: etsi certò sciueris, sequentes in eamdem partem concessuros, vt rectè Caietanus. Ratio est, quia suffragium tuum causæ damnosæ aliquid contulit, eiusque pars in effectum influens est effecta.

23 *Dans suffragium.*

24 Dices, Hoc suffragium non fuit causa sine qua non: ergo, &c.

Resp. negando antecedens, fuit enim causa sine qua non fieret damnum, nulla alia simili causa accedente: nam quando se adiunxit causæ damnosæ, (suffragantium numero) nondum ipsa erat ita dispositа & valida, vt sufficeret ad damnum inferendum Hoc autem suffragium accedens, illam compleuit. Similiter teneris, si spes erat te alios ab iniquo suffragio posse reuocare; quia ex officio quisque suffragantium tenetur damnum impedire, si potest.

25 *Laudans malefactorem.* Quarto loco est *Palpo*, id est adulator, qui laudat malefactorem, aut scelus patrandum cõmendat. Quò etiam pertinet exprobratio ignauiæ; vt quòd iniuriam, quam accepisti, non sis vltus. Hic tenetur, quando ex tali laudatione vel exprobratione alter impellitur ad maleficium. Ratio est; quia est instar consilij: proponit enim laudem, gloriam, decus, vel ignominiæ abstersionem, quæ ex maleficio videntur consecutura.

26 *Præbens refugium.* Quinto loco est *Recursus*, seu recursum præbens. hic tenetur, quando eo modo præbet recursum, vt moraliter cẽseatur furi cooperari ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum, v. g. si illum recipiat & non alios passim, si illum aut eius instrumenta occultet; ita vt hinc animetur ad damnum inferendum.

Dices, Ergo qui occultat furem, dum quæritur à lictoribus, tenebitur ad restitutionem si postea ille damnum intulerit.

27 Resp. Verum est, si id ita faciat vt in posterum det spem similis opitulationis, & fur illa fidens, rursum damnum inferat. alioquin si non det illi spem re fugij in posterum, non tenetur, quia non eo fine, nec eo modo absconditur, vt moraliter censeatur causa damni: sed tunc merè per accidens ex illo opere damnum sequitur. Dicitur etiam *receptator*, qui rem furtiuam in custodiam accipit, vt furi seruet. hic tenetur domino, si eam furi reddiderit; (si tamen absque notabili incommodo poterat ei denegare) quia non poterat eam in deteriori statu constituere, quàm apud se erat. Item quia censetur cooperari furi ad retentionem rei alienæ. Vide Siluestrum Restit. 3. q. 6.

28 *Participãs.* Sexto loco est *Participans*. Dupliciter autem dicitur quis *particeps*; Primò, qui particeps est prædæ: & hac ratione tenetur pro ea parte, quæ ei obuenit. Secundò dicitur participans, qui particeps est iniquæ operationis, præbendo auxilium & adiuuando ad executionem, sicut qui scalas apponit, vel eas sustinet fure ascendente, qui excubias agit, qui instrumenta suppeditat, qui furem comitatur defendendi causa, qui iuuat effringere, asportare, &c. qui remos in triremibus hostium impellunt, qui tormenta ad mœnia vel propugnacula hostilia pertrahunt, & similes. Hi semper tenentur ad restitutionem hoc ipso, quo aliquid auxilij ad iniquam executionem contulerint, si id sponte & sine compulsione fecerunt; & maximè quando aliàs damnum non fuisset secuturum.

29 *Iusto metu compulsus.* Dixi, *Si id sponte fecerunt*; quia si quis iusto metu coactus fecerit, non tenetur; modò id quod facit non sit per se malum. Itaque hoc metu compulsus, potest apponere scalas, præbere instrumenta effringendi, iuuare conscendere murum; hæc enim per se sunt indifferentia. neque lædunt dominum, nisi ex iniqua intentione & vsu furis, qui his auxiliis vtitur ad malum finem. pari modo potest iuuare in re, postquã sublata est, asportanda, & in pecore abigendo. in his enim non est iniuria in dominum, si ex graui metu fiant, postquam res sublata est. sicut enim fur ipse, iusto metu vrgente, non tenetur rem ablatam restituere, ita potest eam ob similem metum de loco in locum transferre. quare multò magis id poterit innocens, qui rem non surripuit.

30 Hinc sæpè excusantur rustici qui prædas militum iniustas coguntur auehere, vel pecora sublata deducere. Non tamen hoc metu potest quis domum alienam perfringere, vel per fenestram penetrare, & res foras prooiicere, vel pecora è stabulo abigere; nam hoc est esse causam principalem & directam furti & iniuriæ. quicumque enim res meas primò aufert vel damnificat, iniuriam mihi facit, quocumque metu id faciat. Nisi fortè id faciat cum animo compensandi: tunc enim dominus id meritò debet permittere, ne alter grauissimum malum incurrat.

Obiectio. Dices, Isti cooperatores, qui functiones illas ad malum præuias obeunt, possunt interfici ab iis qui iniustè oppugnantur, vel impetuntur, si malum alia ratione nequit auerti: ergo iniquè agunt. Consequentia patet, quia alioquin daretur bellum vtrimque iustum, sepositа ignorantia. Confirmatur; quia etsi illud quod faciunt, in abstracto & per se consideratum non sit malum, sed adiaphorum; tamen vt hîc & nunc fit, est vera cooperatio iniustæ inuasionis.

Ob hoc argumentum putant quidam cum Nauarro, remiges Christianos, qui coacti metu mortis, agunt remos apud Turcas, non excusari.

Sed respondeti potest, posse interfici, non Iure vindictę tamquã reos criminis, sed Iure necessarię defensionis: (alioquin enim impossibilis esset defensio) quo modo etiam pueri & amentes interfici possent. etsi enim illi Ius habeant ad illam actionem, quatenus est necessaria vt mortẽ euitent; qui tamen impugnantur, aduersus quos hostis vtitur illorum opera, ius habent vt se defendant, & victoriam persequantur; & consequenter vt faciant

ea,

ea, quæ ad hunc finem necessaria sunt. Ad probat. consequentiæ, Concedo posse dari speciem quamdam belli vtrimque iusti, maximè vbi ex altera parte non est propinqua vel directa oppugnatio. Sic seruo bello capto licitum est fugere; tamen si fugerit, dominus potest eum castigare: vt dictũ est suprà c. 5. dub. 5. & reus potest effracto carcere erumpere; tamen si fecerit, potest puniri, vt infrà c. 31. dub. 5. ostendetur. idem aliis exemplis posset ostendi. secùs tamen, si vtrimq; sit propinqua impugnatio. vnde illi dum causa defensionis impetuntur, non possunt se defendere, lædendo iustos defensores vel inuasores, sed tenentur desistere; quia cessat coactio; vel si adhuc durat, illi parendo, mortem non vitabunt, sed aliunde incurrent.

Bellum vtrimque iustum.

Ad confirmationem, Dicendum est, illũd opus non esse malũ vt procedit à voluntate eius qui coactè agit; sed solũ vt subest directioni cogentis, & vtentis eo ad malum finem: quæ malitia non est imputanda illi misero; nec actionẽ, vt ab ipso est, contaminat: sicut cùm quis restituit gladium ardenti in cædem hostis sui, metu mortis adactus.

31 Petes, Vtrùm is qui vendit arma properanti ad bellum iniustum, vel venenum machinanti mortem alterius, censeatur cooperari, ita vt teneatur ad restitutionem?

Vendens arma ad bellum iniquum, vel venena.

Resp. Primò, Si vendas arma soli parti iniquæ, & recuses alteri, teneris: quia ita vendis vt censearis cooperari. Secundò, Si vendas passim omnibus petentibus, non teneris; quia externo actu venditionis non censeris magis cooperari parti iniquæ, quàm alteri. Deinde quia damnũ omnino remotè & per accidens sequitur ex huiusmodi venditione: non enim magis tendit ad irrogandã iniuriam, quàm ad depellẽdam. Tertiò, Si vendas iam contracta pugna, vel proximè impendente, teneris: quia vendendo ei, qui iam proximè comparatus est ad iniuriam inferendam, censeris ei propinquè cooperari; sicut qui furenti in cædem inimici, præbet gladium. cùm enim tantum malũ possis & tenearis impedire, arma negando; si ea præbeas, non videris ob exiguũ illud lucellum præbere, sed vt iuues & seruias eius intentioni. Secùs si magnum lucrum vel damnum esset propositum. Quartò, Si vendas venenum ei, qui dicit se petere ad interimenda noxia animalia, non teneris; etiamsi putes eum malo fine petere. Ratio est; quia eo modo vendis, quo aliis vendi solet. Confirmatur; nam qui vendit agnum Iudæo, quem putat sacrificij causa emere, non censetur ei cooperari ad superstitionem: quia ista venditio cum his circumstantiis facta, est indifferens ad vsum bonum & malum, & ex modo quo fit, non videtur fieri ad vsum malum, quem alter occultè intendit, sed ad bonum, quem ex natura sua vel iusta institutione habet: ergo neque qui arma vel venenum, si eo modo vendat, quo passim aliis consueuit.

Agnum Iudæo.

Dvbitatio iv.

Vtrùm is, qui aliquo horum sex modorum cooperatur, teneatur in solidum.

32 Respondeo, Quod ad quinque priores modos attinet, *consulens, mandans, consentiens, laudans & receptans*, tenentur ad reparationem totius damni, si totius causa fuere; partis verò, si solùm partis damni causam dedêre. patet ex dictis. Sed quid, si volenti furari 10. suaseris vt acciperet 20. teneberisne ad 20?

Qui volẽti furari 10. suadet furari 20.

Resp. Si volenti furari 10. suasisti vt præterea alios 10. furaretur, non teneris nisi ad 10. quia non fuisti causa prioris volitionis, qua cepit hæc 10. sed posterioris tantùm, quæ ad alia 10. pertinet. Si verò suasisti vt furetur 20. putat Adrian. qu. 1. de restit. §. Iam dicam, eum teneri ad 20. quia est causa nouæ voluntatis, pertinentis immediatè ad 20. Sed contrarium est verius, vt docet Medina C. de restit. q. 8. & Couarr. ad regul. Peccatum, p. 2. §. 12. num. 4. nempe solùm teneri ad 10. Ratio est; quia suo consilio non fuit causa, nisi ablationis 10. nisi fortè suo consilio reddiderit ipsum in proposito firmiorem, vel causa fuerit vt citiùs ageret, quàm alioquin erat facturus: tunc enim censetur causa totius iniquæ damnificationis, quatenus hîc & nunc peragitur, iuxta Caietanum, Sotum & Medinam, de quo dubit. 2. 33

Vtrùm autem aliquis alterius consilio sit firmior redditus, non potest facilè deprehendi, nisi exteriùs aliqua cernatur in opere variatio; vt si citiùs, audaciùs, ardentiùs solito faciat; vel indicet se ambiguum antè fuisse.

Sed præcipua difficultas est de sexto modo: nempe de *participante* vel *adiuuante*, vt quando milites spoliant vrbem: quidam enim videntur existimare, singulos damni socios teneri in solidum; alij negant. Sed vtendum est distinctione: vel enim cooperantur ad idem indiuiduum damnum, vel ad diuersum: quo posito 34

De militibus spoliantibus vrbem.

Dico Primò, Si cooperetur ad idem damnum indiuiduum, tenetur in solidum, etiamsi socius constituerat solus inferre; iuxta sententiam Caietani, Soti, & Medinæ suprà: vt si iuues ad eamdem domum incendendam, ad idem pondus auferendum, ad eumdem gregem abigendum, ad eamdem domum effringendam. Et de tali cooperante intelligendi sunt prædicti Doctores, dum dicunt eum qui cooperatur ad idem damnum, teneri in solidum: hoc enim limitandum est ad idem indiuiduum damnum, quod à pluribus, tamquam partibus vnius integræ causæ, infertur. quisque enim tunc est causa partialis totius damni, vt hîc & nunc fit, & in totũ vim confert, licet partialem: sicut dum plures vnam nauem trahunt, vnum pondus gestant. Nec refert, quòd sine te fieret; quia non fieret, nisi tu vel alius tuo loco similem vim conferret. nam per solam illam vim, quam nunc socius adhibet, executio non fieret; vel certè non eodem modo fieret: per plures enim fit faciliùs, celeriùs, animosiùs.

Cooperantes ad idem indiuiduũ damnum.

Hîc tamen Aduerte, hanc sententiam maximè habere locum, quando quis cooperatur immediatè exequendo maleficium cum alio, tamquam causa partialis: tunc enim proximè est causa damni, ita vt sine ipso, vel alio similem opem conferente, non fieret; vt patet in eo qui iuuat rem auferre. Si verò solùm cooperetur mediatè, præbendo instrumenta, iuuando conscendere, ligando vinctum; probabilis est sententia Nauarri, Siluestri, & aliorum, non teneri, si damnum æquè per executorem erat inferendum, iuxta ea quæ diximus dubit 2. 35

Hoc maximè locum habet in executoribus.

Dico Secundò, Si verò non concurrat ad idem damnum indiuiduum, sed distinctum irroget, non tenetur in solidũ, sed dumtaxat pro sua parte. Ita docet 36

Si damnum sit diuiduũ.

docet Adrianus qu.1.de restit.Silvest. Restitut.3. qu.6.§.Quartum,Nauarrus c.17.num.21. & alij. Ratio est;quia tunc quisque solùm est causa partis damni, quam ipse per se dedit, non autem totius, aut partis,quam alius fecit. nisi fortè alium impulerit, vt citiùs aut alacriùs faceret, aut nisi se vicissim permouerint vel animarint: sicut quando tres vel quatuor milites se mutuò excitant ad alicui damnum inferendum: tunc enim singuli censentur causa totius damni. hoc tamen ordinariè non accidit, nisi inter paucos.

37 *Miles gregarius.* Hinc fit, vt miles gregarius non teneatur nisi de damno, quod ipse per se in bello iniquo dedit:non autem ad totum illius belli; (quod est contra Couarr.reg. Peccatum,2.part.§.12.n.2.& Iosephum Angles in 4. difficultate 10. de restitut. ex bello.) quia totius damni causa non fuit, sed dumtaxat suæ partis, vt rectè Silvest.v.Bellũ.1.q.10.§.Sexta. & Nauarr. n. 22. Nec obstat, quòd singuli iuuerint ad iniquam expugnationem, & ingressum in vrbem; quia solùm iuuerunt faciendo partem suam; non autem procurando vt alij suam in illo damno facerent, aut vt vrbem expugnarent. vnde sicut iste non est causa damni, nisi ratione partis quam ipse intulit; ita non tenetur ad restitutionem, nisi pro sua parte. Sicut enim totus exercitus est causa totius damni, ita singuli suæ tantùm partis, nisi alia ratione alios iuuerint vel incitauerint. Dux tamen tenetur ad totum, quod per milites illatum est, quia vel eos ad hoc direxit, vel si non direxit, saltem tenebatur ex officio impedire.

Petes, Quid si dubium sit, an alios tuo consilio vel laude permoueris?

38 Resp. Communis ferè sententia Doctorum est, te non teneri, quia melior est conditio possidentis. Cur enim tantum onus in te suscipias, si dubitas an causa damni fueris? debet ergo moraliter esse certum. Idque locum habet in omni casu in quo dubitatur an causa damni fueris, si post diligentem inquisitionem dubium manet. Ita docet Silvester suprà q.6.in principio, vbi dicit esse sententiam communem;& Petrus Nauarra lib.3.c.4. n.58. Ioannes Medina C. de Restit. q.7. & multi alij. & fauet apertè S.Thomas q.61.art.7.

Sed contrarium docet Thomas Sanchez lib.2. de Matr.disp.41.n.17.cũ Couar. Clem. Si furiosus.2.p.§.2.n.1.& multis Iurisperitis. Idem docet in Summa lib.1.c.10.n.44. Ratio ipsius est, quia cùm dubio nemo præsumatur delictum admissurus, L.Meritò. 7. Pro socio, in hoc dubio an absq; meo consilio Titius esset perpetraturus, præsumendum est non fuisse perpetraturum;ac proinde ipsum meo consilio fuisse impulsum ac determinatum ad facinus. quæ sententia videtur verior, quando reuerà plane erat dubium, an sine meo consilio vel laudatione fuisset facturus. Secùs si in eo tales erant dispositiones, vt meritò possit præsumi per se facturus. Vide infrà c.27. dub.3. num.13.

Dvbitatio v.

Quo ordine teneantur isti in solidum restitutionem facere.

39 *Is ad quem res peruenit.* OMissis variis sententiis, Respondeo, Si aliquid ablatum sit, Primo loco & ante omnes tenetur is,ad quem res furtiua peruenit; siue extet in specie,siue non extet,si tamen inde factus sit ditior. Ratio est, quia hic obligatur ratione rei acceptæ, quæ obligatio est summa: nam res aliena, quamdiu extat in specie, per se debetur, semperque clamat,vt dici solet. Si consumpta sit,vel consumpta est bona fide ab eo qui ignorabat esse furtiuam, & sic non tenetur, nisi quantum ex ea factus est ditior: vel consumpsit mala fide,sciens esse alienam,vel certè dubitans; & sic tenetur restituere pretium; quia quòd consumpserit eam mala fide, non liberat eum, quin primo loco teneatur, perinde ac si extaret. alioquin noua illa iniuria liberaret eum à restitutione. cùm enim ipse ex ea re commodum sciens & volens perceperit præ reliquis, par etiam est, vt præ aliis quoque veniat in onus restitutionis. Si aliquis ex sociis damnum 40 compensauerit, illi restituenda est res illa vel pretium eius,non domino; quia in ius domini successit. Vide Caietanum q.62.art.6.& Couar.reg.Peccatum,p.2.§.12.

Dubium tamen est, An is qui bona fide rem 41 furtiuam emit, possit eam furi restituere, vt pretium redipiscatur, etiamsi dominus eam non esset recuperaturus;de quo infrà cap.14.dubit.3. Si verò nihil ablatum sit; sed tantummodò damnum irrogatum, primo loco tenetur is qui coëgit, vel fraude induxit, vel qui imperauit, cui alter non fuit ausus contradicere: vt si Dux imperet militi vt occidat, incendat, spoliet: si quis persuadeat id esse licitum, si conuitiis impellat. Ratio est; quia hic iniustè coniecit alterum in obligationem restitutionis. vnde si hic restituit, executor, vel is qui hoc modo inductus est in maleficij societatem, non tenetur quidquam ei refundere; quia hic inductor totum debet compensare. Pari modo tenetur primo loco qui suo nomine fecit, vel rogauit fieri, vel suasit. Primò,quia is cuius nomine fit, est causa principalis, quæ instar finis & efficientis moralis mouet ceteras: ergo tenetur ante ceteras. Secundò, quia qui commodi vel honoris, vel oblectamenti sui causa cupit fieri maleficium, implicitè hoc ipso censetur in se totum onus restitutionis suscipere. par enim non est, vt onus & obligationem maleficij in alios reiiciat, qui sua causa illud fieri postulat,vt si roges Petrum vt interficiat tuum inimicum.in hoc casu vera est sententia Caietani, Soti & Bañesij, qua affirmant, eum, qui alios induxit, teneri primo loco; & inductos non teneri illi quidquam refundere.

Qui bona fide emit à fure. *Ratione damni dati, qui primò tenentur.* *Qui coëgit.* 42 *Qui sua causa fuasit.*

Aduerte tamen,esse quamdam sentẽtiam,quam 43 Petrus Nauarra l.3.cap.4. num.101. & sequentibus,multis rationibus confirmare nititur: nempe, hunc non teneri primo loco, quin executor & alij teneantur suas partes conferre, etsi minores, v.g.damnum sit 6. aureorum; is qui iussit suo nomine fieri, tenebitur in restitutionem conferre 3. executor 2. laudator 1. Ratio præcipua est, quia omnes isti verè concurrunt ad damnum inferendum: ergo etiam concurrere debent ad restitutionem. Quæ sententia non est improbabilis, maximè quando executor mercedem habuit pro maleficio. tunc enim etiam suo nomine fecisse videtur. Contrarium tamen puto esse verius; quia qui maleficium sua causa fieri cupit, censetur etiam onus restitutionis in se recipere.

Si executor mercedem accepit.

Secundo loco tenetur executor, quatenus est 44 executor.

Tertio loco, ceteri qui consilium dederunt, qui

Executor, secundo loco: ceteri post hunc.

qui consenserunt, qui laudauerunt vel animauerunt, qui præbuere recursum, & qui præstiterunt obsequium, instrumenta, comitatum. Probatur; quia executor, post eum qui iussit, vel suo nomine fieri voluit, est principalis; ceteri verò sunt causæ accessoriæ & secundariæ, fulcientes, & quodammodò seruientes executori. quod enim faciunt, non sua causa faciunt, sed vt ipsum instruant & arment. alius enim ostendit viam perficiendi, alius vtilitatem, alius laudem promittit, alius securitatem, alius obsequium & instrumenta præbet.

45 *Si executor restituerit.* Vnde sequitur Primò, Si executor restituerit, hos nihil teneri ipsi refundere; quia tenentur solùm in eius defectum. quamuis, vt antè insinaui, non sit improbabile, quòd ceteri teneantur illi ad aliquid refundendum, si ipsum induxerunt, alias non facturum, & ipse non sua causa executus est. Ita enim tenet Caietanus q.62.art.6. ad tertium argum. Bañes ibidem art. 7. & Sotus lib. 4. qu. 7. art. 3. vbi etiam dicit, Si auctor non intentaret malum, nisi comitatus sociis, socij tenentur ei restituere. Ratio illorum est; quia qui inducunt aliquem ad maleficium, sunt causa cur ille incurrat obligationem restitutionis: similiter qui comitantur eum, qui aliàs non auderet. Sed quod diximus est verius. quamuis enim sint executori causa vel occasio mali, tamen quia nulla vi vel fraude illum inducunt, non tenentur ipsi ratione huius inductionis, neque censentur obligationem in se recipere; quia non sua causa fieri volunt.

46 *Quid si noluerit vel non valuerit.* Sequitur Secundò, Si executor noluerit, vel non potuerit restituere, teneri istos: quia succedunt in defectum executoris; sicut executor in defectum iubentis.

Sequitur Tertiò, Si isti soluerint, executorem (secundùm veriorem sententiam) teneri illis refundere totum. Ratio est: quia soluendo successerunt in ius, quod dominus habebat in executorem qui priùs tenebatur. vnde sicut executor debuisset soluere domino ante ipsos; ita tenebitur ipsis soluere, qui ius domini in se transtulerunt, soluendo loco executoris: sicut si fideiussor, qui secundo loco tenetur, soluat, transfert in se actionem domini, quam habebat in principalem debitorem. Pari modo, si executor soluerit, tenebitur ei iussor, vel is qui causa sua fieri voluit. vide de his Siluestrum Restit. 3. q. 6. § Quintum, vbi pro hac sententia citat D. Thomam, Rosellam, & Supplem. Idem docet Couarr. ad regulam Peccatum, p. 2. §. 12. num. 3.

47 *Si omnium nomine factum est.* Sequitur Quartò, Si executor nomine omnium executus est facinus, omnes simul teneri primo loco; quia illorum causa factum est, & illi, in hoc consentiendo vt sic fieret, tacitè in se receperunt obligationem. executor autem, quà executor, tenetur secundo loco; quamuis vt vnus illorum, quorum nomine factum est, teneatur primo loco. Itaque si ipse restituerit in solidum, reliqui tenentur ei conferre suas partes: ita tamen vt ipse quoque pro sua parte in compensationem veniat, non vt executor, sed vt vnus illorum, quorum nomine factum est. v.g. totum damnum sit 100. aureorum: omnes quorum nomine factum, comprehenso executore, sint 10. reliqui nouem debent ei singuli 10. aureos.

Dvbitatio vi.

Vtrùm inter causas secundarias, quæ tenentur post executorem, videlicet inter consultorem, consentientem, animantem, receptatorem, & submministrantem, sit aliquis ordo in restituendo.

PEtrus Nauarra lib. 5. c. 4. num. 81. ponit inter has causas ordinem aliquem. Ratio ipsius est: nam illa prior tenetur, quæ priùs & immediatiùs effectum attingit: atqui inter has alia priùs & magis attingit, alia posteriùs & minùs; aliter enim attingit consultor, aliter laudator, aliter receptator. Idem docet Alcoçer in Summa c. 21. vbi Primo loco dicit teneri imperantem & consulentem. Secundo, executorem. Tertiò, receptatorem. Quarto, qui non impediunt, cùm ex officio teneantur. Quinto, custodem specialiter deputatum. Sexto, qui tacuerunt, vt testes iuridicè interrogati. 48

Sed verius est, non esse inter has causas secundarias ordinem talem, qualis est inter principalem & secundariam, ita vt vna soluente, reliquæ maneant liberæ: sed in defectum principalis, omnes hæ causæ videntur teneri æquè primò, sic tamen vt alia ad plus, alia ad minus teneatur. Ratio est; quia vna non est operata ad damnum, tamquam instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed quæque per se in suo ordine. laudans enim non seruit consentienti vel consulenti, nec eius nomine agit, neque contrà, vt suppono. (si enim ponamus aliquem ex his alterius nomine agere, non tenebitur ille æquè primò, sed secundariò & in defectum illius cuius causa egit, vt dictū est, quia ille in se suscipit obligationem.) Itaque æquissimum videtur, si executor non restituat, vt isti omnes in locum eius immediatè succedant, & teneantur pro rata portiones conferre, maiorē quidem is, qui magis videtur executorem mouisse; minorem, qui minùs. vnde is, qui est causa sine qua damnum non fieret absolutè, plus tenetur conferre quàm is qui solùm est causa sine qua non fieret tali modo, id est, ita celeriter, audacter vel atrociter. Ex quo vlteriùs sequitur, quòd plus interdum teneatur conferre consulens, quàm receptans vel consentiens; & interdum contrà; prout executor magis vel minùs ab hac vel illa causa motus fuit. Et hoc videtur velle Petrus Nauarra. nihil enim aliud probat eius ratio. omnes enim mediatè & secundariò attingunt effectum, (non vna mediante altera, vt instrumentum alterius) quamuis alia efficacius aliâ. Vnde solùm sequitur, aliam plus debere in restitutione, aliam minus, non autem priùs vel posteriùs. alioquin si receptator restitueret, ceteri nihil tenerentur ei refundere. Ille autem ordo, quem ponit Alcoçer, non probatur, quia nulla est ratio, cur receptator teneatur prior quàm Superior consentiens; aut consultor, prior quàm receptator. Imò si quis ordo ponendus sit; post executorem, prior teneri videbitur Superior consentiens, quàm consultor vel receptator; quia ille tenebatur etiam ex officio impedire. vnde duplici ex causa tenetur, & quia consensit, & quia non impediuit. 49 *Non est ordo inter has causas.* 50 *Qui plus mouit, tenetur ad amplius; qui minùs, ad minus.* 51

Dvbi-

Dvbitatio vii.

Quãdo plures sunt causæ damni æquè principales, vel æquè secũdariæ, quæ videantur æqualiter contulisse ad totum damnum, ad quid singulæ teneantur.

52 *Causa æquè principales.* Respondeo Primò, Tenentur æquas portiones ad restitutionem damni conferre. Secundò, In defectum reliquorum, quisque tenetur in solidum. Tertiò, Ei, qui priùs soluit, tenentur reliqui, singuli pro sua parte. v.g. tres communi consilio incenderunt domum valentem 3000. aureorum, quisque tenetur conferre 1000. pro sua parte: si duo nolint, tertius tenetur in solidum; sed tunc habet ius exigendi 1000. ab vtroq; sociorum. Primum patet; quia cùm eodem modo & æquè principaliter ad damnum sint cooperati, æqualiter tenentur ad eius reparationem; ac proinde æquis partibus. Secundum patet; quia quisque cooperatur ad totum damnum: ergo in defectum so-
53 ciorum tenetur ad reparationem totius. Tertium patet; quia ius, quod habebat dominus exigendi à singulis partem, translatum est in eum, qui pro sociis sati fecit; non enim pro eis satisfecit, vt essent omnino liberi, sed quia illis nolentibus, tenebatur domino restitutionem procurare: ergo potest ab illis repetere, quod nomine illorum domino dedit, quodque ipsi dare debuissent. Confirmatur Primò, Quia in hoc rectè eorum negotium gessit, ac proinde ipsi ratum habere tenentur. Secundò, Quia dum nolunt soluere, non solùm creditori, sed etiam socio iniuriam faciunt, cogentes eum soluere pro ipsis; ergo potest ab illis repetere. Tertiò, Quia aliàs peior esset conditio eius, quem
54 priùs pœnitet. Nec obstat, quòd ipse alios induxerit ad damnum inferendum; quia si non impe- *Qui alios induxit.* rauit, nec coëgit, nec induxit in sui gratiam, vt facerent, sed ob communem vtilitatem; omnes censentur eodem gradu & loco cooperati: nec quisquam videtur totum onus damni in se recipere. vnde singuli ad suas portiones conferendas eodem gradu tenentur, ac proinde qui totum soluit,
55 potest à ceteris suas partes exigere. Contrarium tenent Caietanus, Sotus, & Banes suprà; nempe eum, qui induxit alios, non posse exigere ab illis vt partes conferant, eò quòd ipsis sit causa damni, inducendo in societatem maleficij. Sed quod diximus est verius: quia non fecit illis iniuriam, sed volentes & consentientes induxit.

56 Ex his sequitur, non esse vniuersè verum, quod docet Angelus v. Furtum, num. 16. *Vno soluente, ceteros non teneri illi refundere, nisi fuerint causa, sine qua ille, qui soluit, nõ fuisset inductus in crimen.* etsi enim hoc sit verum in principali auctore soluente, respectu executoris, & in executore respectu reliquorum, vt dictum est; non tamen est verum in duobus executoribus, vel consultoribus, vel laudatoribus, &c. quorum alter non induxit alterum in crimen: neque in laudante, consentiente, consultore, &c. quorum alius alium non induxit, sed tantùm induxerunt executorem. Fateor tamen, in foro externo non dari actionem in socios, propter commissum crimen; & hoc est quod significatur L. Si plures. 17. 7. de dolo, quam citat Angelus.

Dvbitatio viii.

Vtrùm si is, qui damnum accepit, vni sociorum obligationem restituendi condonet, reliqui maneant liberi.

Respondeo & Dico Primò, Si condonet auctori principali; qui secundò loco tenebantur, manent liberi. Est cõmunis sententia DD. Patet; quia hæc remissio est instar solutionis: (vnde solet à Iurisperitis vocari acceptilatio, quæ est imaginaria quædam solutio) atqui soluente eo qui primo loco tenebatur, ceteri manent liberi, vt patet ex dictis: ergo, &c. vide Medinam q. 8. dub. 3. & Sotum lib. 4 q. 7 art. 3 in fine. 57 *Condonatio facta auctori principali liberat ceteros.*

Dico Secundò, Si remittat ei, qui secundo loco tenebatur, non ideò liberatur is, qui primo loco. Ratio est; quia obligatio principalis auctoris non pendet ex obligatione secundarij, sed contrà. quo fit, vt secundario soluente, teneatur ei principalis ex integro; soluente autem principali auctore, secundarius nihil teneatur ei rependere. 58 *Condonatio facta secundario.*

Dico Tertiò, Quando plures eodem gradu tenentur, (id est, æquè primò, vel æquè secundariò) etsi vni perfecta fiat remissio, non ideò ceteri sunt liberi à suarum partium restitutione. Ratio est; quia obligatio vnius non pendet ab altero, sed omnes æquè mediatè vel immediatè se habent ad damnum. 59

Sed difficultas est, quantum quisque debeat, si id, quod superest, in solidum sit compensandum, v.g. Titius, Stichus & Caius intulerunt damnum 300 aureorum, & Caio fit remissio.

Resp. Stichum & Titium debere suas partes, nempe vtrumque seorsim 100. Quòd si Titius nolit restituere, vel non possit, Stichus non tenebitur ad totam portionem Titij, sed solùm ad dimidiam, nempe ad 50. vnde in vniuersum vt restitutionem faciat, non tenebitur nisi ad 150. non autem ad 200. vel 300. Ratio est; quia alterum dimidium portionis Stichi, qui non volebat vel non poterat restituere, ferre debet Caius, cui facta est remissio; nam eam ferre debuisset, si nulla remissio facta fuisset: atqui per remissionẽ non possunt socij grauari, sicut nec per solutionem. Itaque dum Caio fit remissio, triplex remissio ei fieri intelligenda est. Primò, Eius partis, quã deberet, ceteris 61 cõspirantibus ad restitutionem, nempe 100. aureorum. Secundò, Partis, quam deberet, vno recusante restitutionem, nempe 150. si enim Stichus noluisset restituere, tunc Caius cum Titio debuisset restituere in solidum, collatis vtrimque 150. Tertiò, Totius, quod debuisset soluere, vtroque socio resolutionem recusante, nempe 300. 60 *Si vni facta sit condonatio.*

Dvbitatio ix.

Quomodo censeatur quis causa damni negatiuè.

Respondeo, Si non impediat damnum, dum 62 ex officio tenetur. hoc fit tribus modis, qui notantur his verbis, *mutus, non obstans, non manifestans. Mutus* dicitur, qui omittit præcipere, si erat Superior; consulere, si consultor; clamare aut stre- *Causa negligendo.*

pitum

pitum edere, si erat custos rei, ad damnum impediendũ. *Non obstans* dicitur, qui omittit opem vel operam, qua poterat damnum impedire, & quam ex officio tenebatur nauare, vt Principes, Magistratus, Præpositi viarum, & similes. *Non manifestans* dicitur, qui cùm eo officio teneatur, omittit manifestare malefactorem, siue ante factũ, quando damnum erat impediendum, siue post factum, quando sarciendum; vt custos rei custodiendæ deputatus. ita passim has causas explicant Sotus, Caiet. Silvest. Medina, & Nauarrus suprà.

Dvbitatio X.

Vtrùm qui hoc modo causa damni fuere, semper teneantur ad restitutionem.

63 CAietanus v. Restitutio, cap. 1. §. Aduerte, quòd in his tribus; putat etiam eos teneri ad restitutionem, qui etsi ex officio non tenerentur, tamen tenebantur ratione articuli necessitatis; & facilè poterant sine suo incommodo damnum impedire; vt si scias aliquos statuisse spoliare domũ, vel occidere, & nisi indices, sequetur damnum. Ratio est; quia talis censetur causa illius damni, saltem indirectè; quod sufficit. Idem tenent Angelus v. Furtum, num. 26. & Richard. d. 15. art. 5. q. 4. & quidam alij, cum hac limitatione, si, quòd non impedias, ex malo animo facias. Sed contraria sententia est communis, pro qua

Solus is, qui obligatur ex officio, tenetur ad restit.

Dico Primò, Neminem ratione damni non impediti teneri ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio. colligitur hoc ex D. Thoma quæst 62. art. 7. ad 3. & docet Medina q. 9. Nauar. c. 17. num. 18. Couarr. ad reg. Peccatum, p. 2.

64 § 3. num. 5. qui dicunt hanc sententiam esse ferè communem. Ratio est; quia qui non obligatur ad impediendum ex officio, solùm obligatur ex charitate: atqui violatio obligationis ex charitatis lege nascentis, non inducit necessitatem sarciendi damni; id enim proprium est vinculi Iustitiæ, vt omnes tradunt.

Obiectiones.

Dices Primò, cap. Quantæ, de sent. excommunic. Innocent. III. dicit, *eos, qui consentiunt inuicentibus violentas manus in Clericos; & eos qui inuiciunt, pari pœna condemnari ab Ecclesia*, nempe pœna excommunicationis. Secundò, cap. Sicut dignum 6. de homicidio, Alexander III. ait: *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit.* Tertiò, qui suadet alteri, ne impediat furem vel latronem aggredientem aliquem, tenetur ad restitutionem: ergo etiam is, qui non impedit, dum facilè potest.

65 *Solutio.*

Resp. Ad Primum. Innocentius ibi loquitur de iis, qui consentiunt vel non impediunt, cùm ex officio teneantur impedire; vt exponit Glossa. quamquam non negauerim posse excommunicationem ferri etiam in talem, qui non tenetur ex officio. Inde tamen non sequitur, eum obligari ad restitutionem: nam propter peccatum mortale potest quis excommunicari, non tamen obligari ad restitutionem.

Ad Secundum. Dicitur *occidere*; sicut is, qui non pascit fame morientem; nempe culpa homicidij, vt est contra charitatem, non vt contra iustitiam. cap. Pasce, d. 87. ex Ambrosio.

66 *Impediens defensionẽ.*

Ad Tertium. Medina, concesso antecedente, negat consequentiam, & conatur ostendere, eum, qui remotior est, interdum teneri, quando propinquior non tenetur. Sed ex dictis cap. 12. dubit. 18. colligitur, antecedens esse distinguendum: si enim is, qui suadet tibi ne latronem, qui inuadit innocentem, impedias, id faciat sine vi aut fraude, non tenetur ad restitutionem, quamuis grauissimè peccet contra charitatem. Ratio est; quia non fecit contra aliquod Ius iustitiæ, quod alter habeat, sed solùm contra charitatis debitum: ille enim innocens non habet Ius iustitiæ ad tuum auxilium, nisi quatenus in tua libera voluntate illud positum est. Vnde quamdiu libertas tuæ voluntatis non impeditur, non fit ei iniuria. Si tamen vi aut fraude impediret, tunc veram ei iniuriam irrogaret.

Ad rationem initio allatam pro sententia Caietani, Respondeo, Eum, qui tali modo est causa damni, solùm esse causam priuatiuam; quæ cùm nullo modo influat in effectum, non tenetur ad restitutionem; nisi ex officio obligata fuerit ad impediendum. si enim solùm ex charitate teneatur, solùm contra charitatem peccabit. 67

Sed quid si fur det tibi aliquid, ne impedias ipsius furtum, clamando vel manifestando, teneberisne ad restitutionem.

Resp. Primò, Te non teneri ad restitutionem pretij, nisi fortè sit pars furti. hanc enim teneris restituere, ratione rei acceptæ. 68 *Si fur det pecuniam, ne impedias.*

Secundò, Quod ad compensationem damni attinet, Sotus l. 4 q. 7. ar. 3. putat te etiam non teneri: quod probatur Primò, Quia non ideò magis obligaris ad impediendum, quòd pretium acceperis vt non impedias. Secundò, Quia recipiendo illud pretium, non facis iniuriam ei, quem fur parat inuadere: sicut non facis iniuriam, dum precibus tibi persuaderi finis, ne maleficium impedias.

Contrarium videtur verius, quod tenet Petrus Nauarra l. 3. cap. 4. nu. 132. & Salonius pag. 273. Ratio est; quia hîc non solùm est non impeditio, sed etiam actus positiuus, quo animat furem: sine quo vel non fecisset, vel non tam audacter & securè fecisset. Aliud enim est, non impedire; aliud, externo aliquo signo animare & securiorem reddere: accipiendo autem pretium, videtur spondere securitatem. Quòd si solùm non impediret, non teneretur. etiamsi pretium accepisset, vt benè probant argumenta.

Dico Secundò, Omnes, qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id ex culpa graui negligant, tenentur ad restitutionem. Est communis sententia Doctorum. Probatur; quia illi ex Iustitia debent illum actum impeditionis damni: ergo omissio eius est contra iustitiam: ergo si ex illa omissione sequatur damnum, omittens est causa illius damni contra iustitiam. Consequentia patet, quia sicut damnum, quod sequitur ex iniusta commissione, est iniustum: ita etiam quod sequitur ex iniusta omissione. Vnde sicut teneris ad reparationem damni, quod alteri datur ex opere tuo, contra Ius ipsius facto, seu contra Iustitiæ debitum commisso; ita etiam teneris ad illud, quod datur ex omissione, quæ sit contra Ius ipsius, seu contra debitum, quo ipsi obligaris. quo modo debitor tenetur creditori ad interesse, quod sequitur ex non præstita solutione debita, vt rectè Medina quæst. 9. 69 *Omnes qui ex officio tenentur.*

Ex his infertur Primò, Principes, Magistratus, Prætores & Duces belli, teneri ad restitutionem, si omit- 70 *Magistratus. &c.*

si omittant impedire furta, latrocinia, iniusta monopolia, & similia damna, cùm possint sine suo notabili detrimẽto vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris. Ita Siluester Rest. 3. q. 5. & alij Doctores. Ratio est; quia ex officio, ac proinde lege Iustitiæ commutatiuæ tenentur, tamquam ad hoc conducti: ideò enim stipendia & honores à Republica accipiunt. Dico, *Sine notabili detrimento*: quia non tenentur impedire damnum minus, cum suo maiori vel æquali. ita enim censentur Reipublicæ operam suam veluti locasse, vt grauia communitatis damna (vt sunt latrocinia, hæreses, & similia) teneantur impedire, etiam cum vitæ periculo; quia talia longè præponderant damno priuato: damna verò priuatorum, quando id facere possint sine pari damno suo.

71 Infertur Secundò, Idem dicendum de omnibus illis, qui per modum contractus sese ad alicuius rei custodiam obligarunt, stipendia ob eam causam accepturi. nam lege Iustitiæ tenentur custodiam præstare; vnde si omittant, tenentur damni secuti, siue ab hominibus inferatur, siue à feris; vt custodes hortorum, vinearum, saltuum, stagnorum, &c. Debet tamen damnum istud esse magni momenti, & dominus iusta ratione inuitus: vnde si custos permittat aliquid pauperi, non ideò statim tenebitur. vide Nauarrum capite 17. num. 122. & 123.

72 *Si pœnam non curant solui.* Sed difficultas est, Vtrùm, si pœna sit constituta in eos qui certo loco venantur, lignantur, pascunt, aut certas merces exportant aut important, aut vectigal non soluunt; custodes dissimulantes aut non accusantes teneantur eam compensare? Quidam putant teneri. ita Petrus Nauarra l. 3. c. 4. n. 142. Salonius q. 62. art. 6. controuers. 5. colligitur ex Soto lib. 1. q. 6. art. 6. in fine quartæ solutionis. Ratio est; quia non accusando, vel non apprehendendo, sunt causa damni suis dominis, à quibus stipendia accipiunt, quorum tenentur commoda procurare. cùm enim domini, hoc ipso, quo quis contra legem huiusmodi pœnalem delinquit, ius acquirant ad mulctam pecuniariam; tenentur ipsi hoc ius non negligere: quòd si negligant, peccant contra iustitiam; ac proinde tenentur de damno secuto. Hæc sententia est probabilis.

73 *Verius est non teneri.* Contrarium tamen videtur verius: Hos custodes non teneri mulctam dependere, quæ delinquentibus irroganda erat. Ita Nauarrus cap. 25. num. 34. Siluester Restit. 3. quæst. 5. Idem tenuit S. Bernardinus, teste Siluestro & Nauarro. Ratio est, non quòd pœna non debeatur ante sententiam, vt videtur velle Nauarrus; (non enim hîc agitur de solutione pœnæ, sed de damno dato, vel commodo contra officium neglecto) sed quia custodes huiusmodi, non tenentur ex iustitia accusare, vt dominus vel Respublica dicatur mulctis; sed solùm vt damna impediantur, & vectigalia soluantur; officium enim illorum non est mulctas procurare, sed vectigalia recipere, & res suę custodiæ creditas, indemnes præstare. Leges quoque pœnales & commissoriæ non sunt factæ, vt Respublica ex pœnis locupletetur, sed vt leges seruentur, & subditi officium præstent. Vnde neque Procurator fiscalis non accusans, neque Iudex non condemnans in tali casu, tenentur ad pœnæ illius compensationem.

74 *Tutores.* Infertur Tertiò, etiam teneri tutores & curatores, qui negligunt impedire damna pupillorum & minorum; nam ex iustitia ad hoc obligantur. Etsi enim stipendia non recipiant, tamen potestas publica, siue lege, siue imperio, potest hanc obligationem imponere, & ipsi tenentur admittere, & vbi admiserint, lege iustitiæ sunt obstricti. 75 *Famuli.* Similem obligationem contrahit famulus, quando ei domus vel rerum custodia à domino demãdatur; secùs est si non demandetur. Nam non hoc ipso, quo quis alteri famulatur, tenetur iustitiæ lege res ipsius custodire, saltem contra domesticos: ad hoc enim non censetur se obligasse, nisi is cui inter famulos ea cura speciatim est commissa. Vnde si alium famulum videat aliquid surripientem, non tenetur lege iustitiæ impedire; & consequenter nec damnum restituere. Contra externos tamen tenetur; nam ratione famulatus censetur obligari ad res domini ab iniuria externorum tuendas, vt rectè docet Sotus lib. 4. qu. 7. art. 3. & ita ferè habet communis gentium sensus. Cui verò domus cura commissa, tenetur ex officio custodire, etiam contra domesticos. Simili modo, multorum sententia tenetur testis, si iuridicè interrogatus, veritatem non manifestarit; vnde fiat vt alteri damnum detur, vel anteà datum non rependatur. Ratio est; quia testis tunc ex imperio Iudicis accipit obligationem & quasi officium manifestandæ veritatis. Secùs si interrogetur non iuridicè, v. g. tamquam amicus aut familiaris, aut si res sit occulta. Si tamen periculum vitæ, famæ vel rei familiaris inde illi impenderet, non teneretur, quamuis iuridicè interrogatus; sicut nec Iudex cum pari discrimine tenetur damna priuata impedire. Illud tamen de obligatione testis non est certum; imò contrarium videri possit verius: de quo infrà cap. 30. dubit. 8. dicetur. 76 *Testis.*

Petes, Vtrùm confessarij teneantur, si pœnitentem non cogant ad restitutionem, vel non moneant? Multi DD. docent teneri. Rosella Restit. 2. num. 5. Angelus Restit. vltimo, num. 5. Nauarr. cap. 17. n. 22. Petrus Nau. l. 3. cap. 4. n. 125. quam sententiam puto valdè probabilem, si loquamur de ijs qui ex officio habent curam animarum, vt sunt Episcopi & Parochi. Ratio est; quia cùm isti sint Superiores, ex officio tenentur regere subditos, & pro modo suæ gubernationis impedire, ne aliis damnum inferant: (ideò enim decimas à populo & stipendia Ecclesiastica percipiunt; sicut Principes & Magistratus sæculares tributa & vectigalia) ac proinde tenentur curare, si commodè possint, vt restitutionem faciant. eiusdem enim rationis est damnum inferre, & illatum nolle sarcire. quare cùm in hoc Sacramento administrando id commodè possint procurare; si negligant, tenentur de damno ex omissione secuto. Sufficit autem vt ex culpa lata vel etiam leui negligant, vt rectè Petrus Nauarr. *Leui* inquam, non quæ ipsis leuis sit, sed quæ leuis esset in eo, qui non tenetur ex officio, nec stipẽdia recipit. quæ enim culpa est leuis in eo qui facit non ex officio, est grauis in eo qui ratione officij & stipendij tenetur; quia maiorem diligentiam præstare debet. Si verò loquamur de illis, qui ex officio ad curam animarũ non tenentur, vt sunt Religiosi; verius est hos non teneri de damno secuto, etiamsi ex ignorantia vel negligentia pœnitentẽ non monuerint. Ratio est; quia administratio Sacramenti pœnitentiæ, præcisè non obligat confessarium ad impediendum damnum tertij, sed solùm ad curandum bo- 77 *Confessarij.* *Habentes curam animarum.* 78 *Religiosi & Cappellani.*

num

num pœnitentis. & quamuis ex præsenti munere teneatur pœnitentem monere & instruere; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, (sicut Superior tenetur) sed ex obligatione erga pœnitentem, qua tenetur eius salutem spiritalem procurare. vnde si omittat, peccat contra debitum iustitiæ, quo obstrictus est pœnitenti, non quo tertio.

His addo, idem probabiliter dici posse de Episcopis & Parochis: quia eorum obligatio, qua lege iustitiæ obstricti sunt populo, solùm videtur esse in ordine ad spiritalia, vt suprà cap. 9. dubitatione 13. dictum est.

DVBITATIO XI.

Vtrùm hi teneantur in solidum, & quo ordine.

79 REspondeo & Dico Primò, Qui fuit causa damni, non impediendo, aliquo horum trium modorum, cùm ex officio teneretur, obligatur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum. Est communis DD. Ratio est; quia fuit causa sine qua non, totius damni; quod sufficit in causa permissiua. tunc enim causa permissiua dicitur verè causa, quando sine eius permissu damnum non fuisset illatum, & ipsa, lege iustitiæ tenebatur impedire: de quo plura 1.2.q.6.ar.3.

80 Vtrùm autem inter has causas sit aliquis ordo, non ita constat. Petrus Nauarra num. 147. putat, Primo loco teneri Superiorem, qui non impedit damna, vt Principes, Magistratus, Prælatos: sicut enim in illis est primaria potestas impediendi; ita negligentia illorum censetur primaria causa damni. Secundo loco, custodem rei. Tertio, testem, qui rogatus, non aperit veritatem; & eum, qui tenetur ex officio dare consilium, rectaque monita, & negligit. Quæ sententia videtur vera, si sint causæ damni æquè propinquæ. Alioquin custos rei particularis videtur priùs teneri quàm Magistratus, qui solùm est custos vniuersalis; quia hic adhiberur, vt illius defectum suppleat, eiusque negligentia, est causa propinquior damni, quàm negligentia Magistratus. *Quo ordine.*

Dico Secundò, Hæ causæ non impedientes, tenentur post omnes causas positiuas, & in defectum earum succedunt. Ratio est; quia sicut causa positiua est potior, magisque influit quàm permissiua; ita etiam priorem locum habet in restitutione. Confirmatur, quia causa positiua animat aliquo modo malefactorem, ac proinde positiuè mouet & inclinat ad damnum inferendum; causa autem permissiua nullo modo inclinat, sed solùm non impedit. Quòd si contingeret malefactorem, 82 considerata Superiorum vel custodum præterita negligentia, animari, alia esset ratio; tunc enim causa permissiua esset instar causæ positiuæ, ac proinde teneretur simul conferre in restitutionem cum positiuis, non post illas. *Causæ priuatiuæ tenentur post positiuas.* 81 *Nisi fortè animetur inde malefactor.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De restitutione ratione rei acceptæ, & cui facienda restitutio.

Habet Dubitationes 9.

EXPLICVIMVS duobus capitibus, quisnam teneatur restituere ratione iniustæ acceptionis, eam immediatè exequendo, vel mediatè cooperando. Nunc breuiter dicendum de iis, qui tenentur ratione rei acceptæ; quales sunt, qui bona fide rem alienam apud se habent.

DVBITATIO I.

Vtrùm is, qui bona fide rem consumpsit, vel alienauit, teneatur postea ad restitutionem.

1 REspondeo & Dico Primo, Quicumque habet rem alienam, quamuis optima fide illam hactenus tenuerit, putans esse suam, simulatque tamen cognouerit esse alienam, tenetur ad eius restitutionem prima opportunitate, idque tantummodò ratione rei acceptæ. Ratio est; quia non potest retinere rem alienam inuito domino. Hinc lex ciuilis concedit domino euictionem & vindicationem rei suæ, vbicumque ea fuerit. Neque pretium, quod pro ea dedisti, exigere à domino po-
2 tes (L. Mater tua. 3. L. Si mancipium, 23. C. de rei vind.) quia par non est, vt ipse rem suam emat (L. Suæ. 16. π. de contrah. empt.) sed illud tibi à venditore repetendum. L. 1. π. de euict. Quòd si eam, postquam sciueris esse alienam, vlteriùs detineas, habita restituendi opportunitate: incipis esse possessor malæ fidei, & obligari non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis, quæ æquiualet iniquæ acceptioni. vnde si interim pereat, quamuis casu, teneris ad restitutionem; quia censeris esse in mora. *Non potest exigere pretium rei.*

Dico Secundò, Si is, qui rem alienam bona fide 3 possidebat, eam interim consumpsit, vel alienauit, solùm tenetur restituere id, quo inde factus est locupletior. Est communis DD. vide Caietanum q.62.a.6. Medinam q.10. de restitut. & Silu. Restitutio 3.q.7. Nauarr. c.17.n.7. & sequentibus. Ratio est, quia solùm tenetur ratione rei acceptæ; quæ cùm non ampliùs apud illum extet, cessat quoque cum ea eius obligatio. *Si consumpta vel alienata bona fide.*

Hinc sequitur Primò, Si eam bona fide emit, 4 & deinde eodem pretio vel minoris bona fide vendidit, ad nihil teneri. si verò pluris vendidit, ita vt rem familiarem auxerit, tenetur solùm restituere illud auctarium. *Si bona fide vendidit.*

Secundò, Si eam dono accepit & vendidit, te- 5 netur restituere pretium; nisi fortè illud insumpserit in lusum, vel largitiones, ita vt ex eo non sit factus locupletior. quod intellige, si alioquin talia impendia facere non constituerat. si enim iam decreuerat, vel si necessarium erat impendere, quamuis illius rei pretium non obtigisset; *Si factus locupletior.*

iam pepercit rebus suis, quas impendisset: & sic censetur factus locupletior. Vnde tenetur, quatenus rebus suis, insumendo alienã, pepercit: vt si insumpsit decem aureos ex re aliena, solumque pepercit quinque ex suis, eò quòd non consumpsisset nisi quinque, non tenetur nisi ad quinque; quia his tantummodò videtur locupletior.

6 Tertiò, Si eam bona fide donauit, non donaturus aliam similem vel dissimilem, si hanc non habuisset, non tenetur ad quidquam; quia non est factus ditior. Secùs est, si aliam ex suis erat donaturus: quia tunc pepercit rei suæ, donando alienam, & ita compendium ex re aliena fecit.

7 *Si periit ex culpa.* Quartò, Si res periit durante bona fide, ad nihil tenetur, siue fortuitò, siue culpa parua aut magna perierit: quamuis Nauarrus c.17. num.7. contrarium insinuet, dum ait: *Si absque ipsius culpa periit.* & Sotus l.4.de Iust.q.7.a.2. *Si absque magna culpa periit.* Ratio est; quia non tenetur ratione damnificationis, seu iniustæ acceptionis; (nam consumptio illius rei vel negligens custodia, non est actio iniusta, cùm bona fide se gerat erga illam, tamquam erga rem suam) sed solùm tenetur ratione rei: ergo si res non extet nec in se, nec in pretio, quomodocumque id factum sit, non tenetur. vide Siluestrum suprà.

Dvbitatio II.

Vtrùm possessor bonæ fidei teneatur etiam fructus perceptos restituere.

8 *Fructus extantes.* Respondeo & Dico Primò, Tenetur restituere omnes fructus qui apud illum extant, modò non sint fructus meræ industriæ. Ratio est; quia fructus hoc ipso quo prouenium ex re tua, cedunt in tuum dominium, vt constat Instit. de rerum diuisione. §. Si Titius, & sequenti. Tales sunt qui sine vllo labore proferuntur, vt fœnum, glandes, poma, nuces, &c. & etiam qui interueniente labore, vt segetes, vuæ. In his tamen detrahendæ sunt expensæ. Fructus autem nudæ industriæ non sunt restituendi, ne quidem à malæ fidei possessore: vt si quis aliena pecunia negotiatus sit; vt suprà dictum est.

9 *Non extantes.* Dico Secundò, Si fructus quidem non extent, tamen illis factus sit locupletior, tenetur quatenus locupletior: siue illi fructus fuerint merè naturales, siue mixti; id est, ex re, mediante industria, prouenientes. Ita Gabriel d 15.q.3.art.3.dubio 5. Ioannes Medina C.de restit. q.10. Couarr. lib.1. variar.cap.3.num.6 & alij passim. Ratio est; quia fructus debentur domino, detractis expensis; in locum autem fructuum succedit eorum pretium, quæ parte eo factus est ditior: idque seruandum esse in foro conscientiæ, docet Siluester v. Fructus.quæst.1.

10 *Fructus mixti.* Aduerte tamen, in quibusdam tribunalibus, fructus mixtos non extantes (etsi inde factus sis ditior) iudicari non esse restituendos, vt refert Couarruias lib.1.variar.cap.3.num.6. quæ etiam est multorum Iurisperitorum sententia, vt ibidem docet. Nec videtur omnino improbabilis; nam quædam iura huic videntur fauere. Instit.de rerum diuisione. §. Si quis à non domino. L. Quæsitum, 40. ff. de acquirendo rerum dominio.

Contrarium tamen, quod diximus, puto verius; quia est communis sententia, & firmiore nititur ratione, & fanet apertus textus L. Si & me & Titium, 32. ff. Si certum petatur. Ad Iura illa respondeti potest, esse intelligenda eo casu, quo non sis factus locupletior.

11 Dices, L. Qui scit. 25.§.vlt.ff.de vsuris, dicitur, *Bonæ fidei emptore, qui prius quam fructus percipere, cognouit fundum alienũ esse, cẽseri adhuc bonam fidem habere, vt fructus suos efficiat, donec fundus euictus sit:* ergo etiamsi extent, potest retinere.

Resp. Hanc legem non videri æquam seu veram: certum enim est, simulatque quis nouit rem esse alienam, non posse fructus eius suos facere, vt apertè colligitur L. Qui bona fide. 23. & L. Bonæ fidei, 48. ff. de acquirendo rerum dominio; quia fructus cedunt solo, vt suprà ostensum est. Neque mirum, interdum in Pandectis huiusmodi antinomias reperiri, quas frustrà nituntur Interpretes conciliare: quia hoc Opus collectum est ex plurimorum Iurisconsultorum responsis, qui sæpè contraria sentiebant; & Collectores non poterant in tanta voluminum & sententiarum multitudine semper meminisse quid alibi posuissent. vide Couarruuiam suprà num.7.

12 *Qui non percepti per negligentiam.* Dico Tertiò, Possessor bonæ fidei non tenetur ad restitutionem fructuum, quos ratione negligentiæ suæ non percepit, sicut tenetur possessor malæ fidei. Probatur; quia cùm non sit factus ditior, non tenetur ratione rei acceptæ; & cùm non fuerit causa iniusta damni, domino obuenientis, (sicut possessor malæ fidei, iniusta detentione) non tenetur ratione iniustæ acceptionis.

Dvbitatio III.

Vtrùm si emeris rem furtiuam bona fide, tenearis eam domino reddere; an verò possis dissoluere contractũ, recepto pretio.

13 *Si gratis accepta.* Respondeo & Dico Primò, Si gratis eam accepisti, teneris, vbi cognoueris alienam, domino restituere: nec potes reddere furi, nisi moraliter sis certus, furem restituturum. Ratio est; quia teneris ratione rei acceptæ, quæ apud te est: non furi, cùm non sit eius: ergo vero domino. Nam restitutio, quæ facienda est ratione rei acceptæ, debet fieri illi cuius res est.

14 *Si empta fide bona, potest restitui furi.* Dico Secundò, Si bona fide eam emisti, vbi intellexeris esse alienam, poteris rescindere contractum, & reddere furi, à quo accepisti, vt pretium recuperes: nec teneris tunc domino restituere. Ità docet Nauar. c.17. n.9. Siluester v. Restit.3.q.7. Angelus Restitutio 1.n.1. Gabriel in 4.d.15.q.3. a.3. dub.5. vbi citat Hostiensem; Alex. Halensis 4.p.q.86.membro 3.art.5. Probatur Primò, Quia nullam iniuriã intulisti domino hanc rem emendo & apud te detinendo, cùm bona fide egeris: ergo non potest dominus meritò ægrè ferre, tamquam iniuria affectus; si eam, ne pretium amittas, in eo statu, in quo erat anteà, constituas.

Secundò, Quia hic contractus fuit omnino inuoluntarius: error enim dedit causam contractui; nam si sciuisses esse alienam, noluisses eam emere: aut certè fuit non voluntarius, ita vt non voluntariè habeas rem alienam: ergo potes contractum rescindere, & rem acceptam restituere, vt pretium recuperes. consequentia probatur,

quia

quia talis contractus vel natura sua est nullus, propter defectum voluntarij; vel certè in irritum reuocari potest, pro arbitrio eius qui deceptus est, vt infrà cap. 17. dub. 5. dicetur. Tertiò, Si quis inuentam rem alienam in plateis sibi assumeret, & posteà aduerteret eam sibi fore damnosam, posset reponere eodem loco: nec teneretur eam cum suo damno seruare, vt domino restituatur: ergo, &c.

15 *Contrariũ probabile.* Aduerte tamen, contrariam sententiam esse probabilem, quam tenet Caietanus 2.2.q.62.a.6. Sotus l.4.q.7.a.2. & Couarr. ad reg. Peccatum. 3.p. in initio, & lib.1.variar.cap.3. nu.6. quorum hæc sunt præcipua argumenta.

16 *Argumenta contraria sententiæ.* Primò, Si talis emptor rei alienæ potest eam furi reddere, vt pretium recuperet: ergo, si fur non inueniretur, vel si obliisset, posset eam alteri vendere, ne damnum patiatur.

Resp. Negando consequentiam; quia si non inueniatur à quo illum emit, iam non potest contractum rescindere, nec rem in eodem statu constituere; vnde tenetur eam domino reddere: quia neque potest eam retinere, cùm sit aliena; neque potest eam vendere, cùm eius dominium transferre non queat, neque etiam potest à domino pretium exigere; quia nullum ius habet in dominum, cùm sine domini culpa ad ipsum peruenerit; sed tantùm ius habet in venditorem: ac proinde ab hoc solo potest damnum suum sarcire, & non ab alio.

17 Secundò, Qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur ipsius iniquæ detentioni: ergo, &c.

Resp. Negando antecedens; vtitur enim iure suo, vt se indemnem præstet, relinquens furem suæ conscientiæ. non enim suadet vt non restituat; quin potiùs illi præbet restituendi exemplum: neque etiam dat occasionem noui peccati, quia fur iam antè non constituerat restituere.

18 Tertiò, Si dominus rei posset conuenire talem emptorem coram Iudice, Iudex eum condemnaret ad restitutionem: ergo etiam anteà tenebatur restituere.

Resp. Negando consequentiam; ideò enim condemnabitur emptor ad restitutionem, quia res aliena apud ipsum reperitur. Iudex enim statim inquirit à quo eam emerit: qui si potest inueniri, iubet, non vt illi restituat; (quia non vult dominum rei per istas ambages ducere) sed vt restituat domino, cuius est, & ipse si velit pretium ab illo recuperet. Iudices enim, id quod est expeditissimum sequi solent. si ille inueniri nequit, iam æquè tenebitur domino. quòd si furem sciens, nolit ipsum detegere, meritò à Iudice in pœnam condemnatur, vt rem domino, non furi, restituat.

19 *Si empta fide mala.* Dico Tertiò, Si mala fide rem emisti, vt tibi retineres, sciens vel dubitans esse furtiuam, ieneris eam domino restituere. Ita docet Nauarrus, Caiet. Sotus & Couarr. suprà. Ratio est; quia iste tenetur non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis. accepit enim rem alienam inuito domino, sciens vel dubitans esse alienam. ergo etiamsi periret, teneretur de damno: ac proinde tenebitur eam domino reddere, etiamsi oporteat pretiũ amittere. Confirmatur; quia cùm sciuerit esse alienam, & nihilominùs voluerit emere; censetur damnum in se voluisse suscipere, & iure suo cedere, quod habuisset ad contractum dissoluendum, si alienam esse ignorasset. Itaque sibi imputet, quòd pretium dederit pro ea re, quam sciebat restitutioni obnoxiam.

Petes, Vtrùm saltem possis repetere pretium, quod pro ea dedisti? *An pretiũ à domino possis exigere.*

Resp. Si eam sciens esse alienam paruo pretio emisti, vt domino inuento restitueres; pretium repetere potes, & dominus in conscientia tenebitur reddere, & in foro externo etiam cogetur, vt colligitur Instit. de obligationibus, quæ quasi ex contractu. §. 1. & L. 2. Si quis absentis. π. de negotiis gestis. Ratio est; quia vtiliter gessisti negotium domini: non enim dedisti pretium, vt rem tibi retineres, sed vt eam periculo, in quo erat eximeres, ne domino periret. Vide Couarruuiam ad regul. Peccatum, 3. p. in initio num. 5. Si magno vel pænè æquali in eumdem finem comparasti, non tenetur dominus totum refundere; (nisi fortè prudenter putaueris eam longè pluris valere) quia nihil vtilitatis tali emptione domino attulisti, nec vtiliter eius negotium egisti. tenebitur tamen ad aliquid arbitrio prudentum, nimirum quantum prudenter, gerendo negotium ipsius, impendere potuisti. colligitur d. L. Si quis absentis. π. de negot. gestis. Si verò eam tibi emisti, non potes pretium repetere: quia neque nomine venditionis (non enim domino rem suam vendere potes) neque nomine gestionis negotij, quia non eius causa emisti. colligitur ex L. Si pupilli. 6. §. Sed & si quis negotia. π. suprà. vide Gabrielem & Silues. suprà.

20

Circa hanc Tertiam propositionem Notandum Primò, Contrariam sententiam, Nempe etiam eum, qui mala fide emit, posse contractum cum fure initum rescindere, vt pretium redipiscatur, non videri improbabilem, eam enim tenent Alexander Halensis, Gabriel, Angelus & Silu. suprà. Ratio illorum est, quia sibi quisque consulere potest præ altero: præsertim cùm rescindendo contractum non constituat rem peiori loco, quàm erat antè. Hæc sententia videtur valdè rationi consentanea, quando rescinditur ex continenti, vel non ita diu postquam est initus: quia non censetur notabilem iniuriam domino fecisse, rem ipsius tantisper contrectando. 21 *Contraria non improbabilis.*

Notandum Secundò, Ea, quæ hisce tribus Dubitationibus dicta sunt, potissimùm esse intelligenda de rebus alienis, quæ propriis non sunt ita permixtæ vt discerni nequeant. quæ enim ita permiscentur vt non possint discerni, transeunt in dominium eius, cuius rebus permixtæ sunt, & perit obligatio realis, solumque manet personalis, iuxta Siluestrum Vsura 6.q.1. Ioan. Medinam q.10. de restitutione, & Angelum v. Vsura 2 n.18. quorum sententia est probabilis, & consentanea Legi, Si alieni nummi. π. de solutionibus, vbi de alienis nummis dicitur, *Si mixti essent, ita vt discerni non possent, eius fieri qui accepit, in libris Cay scriptum est: ita vt actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret.* Ratio est; quia in talibus non est causa, cur potiùs hæc pars quàm illa censeatur aliena. Itaque si emeris frumentum, oleum, & similia, quæ furto sublata fuere, & rebus venditoris eiusdem generis permixta, non teneris ad restitutionem, etiamsi id scias, & res apud te adhuc extet, vt docet expressè Medina quæst. 10. Verùm de hoc plura infrà cap. 20. dubit. 18. num. 156. & sequentibus. 22 *Res aliis permixtæ.* *Si res alienæ propriis sint permixtæ.*

Dvbitatio iv.

Vtrùm si dubites an res sit aliena, possis eam accipere, retinere, alienare.

23 *Si dubium superueniat.*

Respondeo & Dico Primò, Qui initio bona fide rem accepit vel habuit, si posteà incipiat dubitare an sit aliena, tenetur inquirere veritatem, & manente dubio post inquisitionem; non tenetur restituere, sed manet in possessione bonæ fidei. Ita Ioannes Medina q.10. & Silu. Restitutio 3.q.7.§. Tertium, Gabriel suprà, & alij. Ratio est; quia in dubio melior est conditio possidentis: vnde nisi moraliter certus esse incipiat, alienam esse, non tenetur ea se priuare. vide cap.6 dubit.3.de præscriptione. Hinc sequitur, Si rem illam, domino post diligentem inquisitionem non inuento, vendat, non teneri posteà illo comparente; vt rectè Siluester, Gabriel, & alij. Ratio est; quia neque tenetur ratione iniustæ acceptionis, cùm bona fide illam habuerit, & vendiderit; neque ratione rei acceptæ, vt quæ nec per seipsam, nec per aliquid sui, quod vicem eius suppleat, apud ipsum extet. Quod addo, quia si ipse ex ea factus est locupletior, eatenus tenetur. res enim ratione illius accessionis, quæ ex ea rebus illius facta est, censetur adhuc extare.

Dices, Quid si occurrente dubio; non instituit inquisitionem, & posteà certò deprehendat rem fuisse Titij?

Resp. Tunc tenetur Titio restituere non solùm rem illam, sed etiam fructus consumptos ex eo tempore quo dubitare cœpit. Ratio est; quia ex quo exorta dubitatione, an esset aliena, cœpit negligere inquisitionem, non fuit ampliùs possessor bonæ fidei, sed mala fide & contra conscientiam suam rem illam, cum ea animi dispositione possedit. Deinde ex iustitia tenebatur veritatem inquirere; vnde omissio illa seu negligentia fuit contra iustitiæ legem. quare tenetur damni, quod ex ea omissione vero domino obuenit.

24 *Si ab initio dubitet.*

Dico Secundò, Qui dubitat vtrùm res sit aliena, potest nihilominùs eam accipere titulo donationis, permutationis, emptionis, &c. modò eo animo accipiat, vt eam domino, si post diligentem inquisitionem inuenerit, restituat. Ratio est; quia in hoc nullam facit domino iniuriam, sed beneficium; nam alioquin fortasse numquam fuisset restituenda.

25

Dico Tertiò, Quòd si non eo animo eam accipiat, sed potiùs vt sibi retineat, peccat quidem, vt suprà dictum est, non tamen tenetur eam statim restituere, sed mutato animo, debet diligenter an aliena sit inquirere, & vbi moraliter certus fuerit alienam esse, integrè restituere cum fructibus etiam consumptis: si autem aliquid dubij remanserit, tenetur eam cum altero, de quo dubitat, diuidere; plus vel minus pro ratione dubij & inclinationis animi illi assignando: qui si sit persona nota, ei sua pars tribuenda; si verò sit ignota, pauperibus. Ita Caietanus q.62 art.5. Sotus lib 4. qu.7 art. 1. circa tertium argumentum, Ioannes Medina quæst. 17.

Ex dictis sequitur, Si accipias rem aliquam ab eo qui bona fide possidebat, neque moraliter certus sis, tuam esse; non posse te retinere, sed totam debere restituere; quia in dubio possessio illi fauet, ita vt nisi moraliter certum sit eius non esse, non possit ea spoliari: & ita in omnibus tribunalibus apud omnes gentes iudicatur. Si verò neuter possidebat, vel alter non bona fide possidebat, non potes in dubio totam tibi vindicare, sed prout animus magis in hanc vel illam partem inclinat, restitutio ex ea facienda. quare in pari dubio, poteris retinere dimidium: si probabilius putes esse alienam, ei maior pars reddenda: si tuam, tu maiorem retinebis, idque secundùm varios gradus, qui in hoc assensu esse possunt. cùm enim neutri possessio suffragetur, res ex coniectura & opinione iuris vtriusque partis statuenda est.

Dvbitatio v.

Vtrùm qui bona fide rem alienam, quam ab alio emerat, vendidit, domino comparente, teneatur contractum venditionis rescindere, reddito pretio emptori cui vendidit, an sufficiat cedere ei sua actione.

Nauarrus cap.27.num.8. existimat satis esse, vt cedat ei sua actione. v.g. emi equum à Petro, & vendo eum Paulo bona fide; deinde rescitur esse Ioannis, eique restituitur: dicit Nauarrus me non teneri refundere pretium Paulo, cui vendidi, à quo Ioannes recuperat equum, sed sufficere vt ei cedam actione, quam habeo in Petrum, à quo emi. Sed contrarium est tenendum; nempe 26 vbi constiterit rem esse alienam, & Paulus voluerit ideircò contractum rescindere, debere me esse paratum rescindere, & pretium restituere. Ita docet Sotus l.4.q.7.art.2. & colligitur ex D. Thoma q.77. art.2. Probatur; quia qui vendit alteri rem vitiosam tamquam bonam, vbi constiterit de vitio, tenetur se paratum exhibere, vel ad tollendum vitium, vel ad rescindendum contractum: sicut si quis daret bona fide monetam adulterinam, teneretur posteà dare bonam, vel rescindere contractum: atqui hæc conditio, esse alienum, est quoddam vitium rei: ergo, &c. Respondet Nauarrus, esse solùm vitium extrinsecum, rem verò intrinsecè non esse defectuosam: secùs esse in falsa moneta & similibus, quæ intrinsecum vitium habent. Sed hæc responsio non satisfacit: 27 nam nihil videtur referre, sitne vitium intrinsecum an extrinsecum, quando reuerà tale est, vt emptor meritò sit inuitus, factaque eius ignoratio emptionem inuoluntariam. tunc enim emptio est inualida, ac proinde rescindenda, (si velit emptor) reddito pretio, vt infrà cap.17. dub.5. dicetur. Secundò, Quia venditor tenetur emptori de euictione: nec potest illum ad alium ablegare, cum quo illi negotium non fuit; sed ipsemet tenetur illi satisfacere. vt constat ex L.1. & multis aliis Iuribus, ff. de euict. & C. eodem. Tertiò, Quia venditor non potuit transferre dominium in emptorem, cùm res fuerit aliena: ergo etiam ex hac parte contractus est inualidus: ac proinde tenetur ei pretium restituere, si ipse velit.

Tenetur restituere pretium.

Dices Primò, Quid si Paulus eam mox restituat, antequam mihi exhibeat, tenebórne ei reddere pretium?

Resp.

28 *Si præpropere restituat.*

Resp. Non tenebor; si videlicet ex illa redditione incurri damnum, non valens recuperare pretium à Petro, quod tamen potuissem recuperare, si rem illam mihi à Paulo redditam, ei restituissem. Si enim Paulus volebat à me pretium recuperare, debebat mihi rem illam restituere, vt ego me indemnem seruarem: iuxta ea quæ diximus dub. 3. Quòd si illa accelerata restitutio non sit causa, cur ego nequeam pretium à me datum Petro, redipisci, tenebor pretium, quod accepi à Paulo, eidem refundere; quia vendendo ipsi rem alienam, ei causam damni dedi, & ipse sua restitutione mihi vicissim damnum non intulit; sicut fecit, quando poteram me indemnem præstare.

Dices Secundò, Quid si domino comparente, Paulus, qui rem habet, non inueniatur?

29 *Si possessor non inueniatur.*

Resp. Tunc ad nihil teneor, nisi ex venditione factus sim ditior: quia neque ratione rei acceptæ, cùm illam non habeam, & ex ea factus non sim ditior: neque etiam ratione iniusti damni; quia bona fide vendidi. Paulo etiam non teneor, quia nullum damnum ex rei emptione, quàm à me habet, incurrit; cùm bona fide illam retineat.

Dices Tertiò, Quid si mihi innotescat post venditionem, fuisse alienam, tenebórne monere dominum, vel indicare Paulo, esse alienam?

30 *Si post alienationem scias esse alienam.*

Resp. Non teneberis, si inde tibi damnum imponderet; vt si non posses recuperare pretium, quod bona fide dedisti. Ratio est; quia cùm rem alienam non habeas, nec alicui sis causa damni iniusta, non teneris cum magno tuo damno curare, vt dominus rem suam redipiscatur: si tamen absque tuo damno possis, teneris ex charitate.

Dvbitatio vi.

Vtrùm bona & debita incerta, (id est, quorum ignotus est dominus vel creditor) sint pauperibus restituenda.

31 *Incerta.*

Svppono Primò, bona non censeri *incerta*, nisi post eam inquisitionem, quę iudicio prudentis pro rei qualitate videatur sufficiens; maior enim diligentia, & in pluribus locis & longiori tempore adhibenda, quando res est magni pretij, quàm dum parui. Quòd si quis ante debitam diligentiam præstitam, talia conuertat in pia opera; posteà domino comparente, tenebitur ei ad integram restitutionem, vt communiter docent DD.

32 *Debita communitati.*

Suppono Secundò, non censeri *incerta*, quando constat ea deberi certę alicui communitati, vel toti, vel maiori eius parti. etsi enim in particulari non constet, quid cui debeatur; tamen constat hæc esse illius communitatis, ita vt ipsa tota, vel maior eius pars ius in illa habeat, & singuli vel plerique censeantur habere aliquid in illo cumulo: vt quando exercitus expilat iniustè pagum vel oppidum; tunc enim restitutio facienda communitati, opera Magistratus, Episcopi vel Parochi, vt hi distribuant iis, qui in eo hominũ cœtu maius damnum accepisse iudicabũtur. Nec potest fieri in pauperes, aut in alia pia opera; quia hæc bona non censentur esse incerta. Item quando pauciores quidẽ ex illo conuentu damno affecti sunt, tamen per aliquã industriam cognosci potest qui sint; videlicet opera Parochi vel Magistratus euocatis generatim vt compareant qui spoliati fuere; & examinatis vbi, quando, quibus & qualibus rebus spoliati, &c. quod faciendum est in rebus magni momẽti, non tamen id necessarium in paruis, vt cùm quis minutis venditionibus fraudauit. Quando tali industria sciri nequit quibus debeantur, conferenda sunt in pauperes, siue illius loci, siue alterius. His positis,

33 *Incerta in pauperes conferenda.*

Resp. & Dico Primò, Bona *incerta* (id est habentia dominum ignotum) & incerta debita, siue ex contractu, siue ex delicto, restituenda sunt in pauperes, saltem Iure positiuo vel consuetudine. Est communis DD. sententia, præterquam de bonis inuentis. Vide Couarruuiam ad reg. Peccatum, p. 3. §. 1. n. 3. Ioan. Med. C. de restit. q. 3. causa 10. Nauarr. c. 17. n. 92. & 93. & alios.

De incertis ex delicto debitis probatur ex cap. Cùm tu, de vsuris. vbi Alexander III. iubet, *vt ea, quæ vsuris iniquè acquisita sunt, si non supersunt illi quibus debentur, aut eorum heredes, dentur pauperibus: & vsurary, eorumq; heredes Ecclesiasticis pœnis ad hoc cogantur.* quòd DD. communiter extendũt ad *incerta* ex aliis delictis debita, (vt ex furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus) idque meritò, quia eadem vel etiam maior est in his ratio: ne videlicet hominibus iniquis integrum sit, ex iniquitate & iniuriis ditescere. Nomine autem 34 *Pauperes qui.* *pauperum* intelliguntur non solùm mendici, sed etiam quibus necessaria ad decentem statum desunt, & etiam quæuis opera pia; vt inter ceteros docet Nauarrus c. 17. num. 93.

De debitis *ex contractu*, v. g. ex deposito, commodato, mutuo, venditione, &c. probatur; quia etsi de his non extet Canon, tamen vbique est consuetudo piorum, vt hæc in pias causas expendantur, quando dominus inueniri nequit, vt animæ eius prosit.

Sed difficultas est, Vtrùm etiam Iure naturæ 35 *Quo Iure pauperibus.* pauperibus piisve operibus hæc sint eroganda. Ferè omnes DD. ita sentire videntur: id enim sequi videtur ex ratione, qua vtuntur. aiunt enim hæc in pauperes esse restituenda, quia debitor Iure naturæ tenetur hæc restituere eo modo, quo potest; nempe vt vel ipsæ res, vel vtilitas ex illis ad dominum perueniat: atqui hoc fiet si dentur pauperibus ad salutem domini viui vel mortui: ergo Iure naturæ hæc in pauperes danda. Verùm 36 *Non teneri Iure naturæ.* hæc ratio, etsi rectè probet, Iuri naturali, supposita fide, consentaneum esse vt sic erogentur; non tamen probat, id lege iustitiæ esse debitum, Primò, Quia fieri potest vt dominus in hæresi vel alio peccato mortifero obierit: quo euentu nihil potest ei prodesse. Secundò, Quia in quibusdam locis fiscus Principis occupat bona eorum, qui intestati moriuntur, & nullum heredem intra decimum gradum relinquunt. Item animalia incertorum dominorum oberrantia, si domini post diligentem inquisitionem inuenti non fuerint, applicantur in Hispania quibusdam Magnatibus. Idem fit de ceteris inuentis in Gallia, teste Couarruuia suprà n. 5. quæ omnia iniquissima essent, si Iure naturæ pauperibus deberentur. Quòd si hæc illis non debentur, cur debeantur alia, cùm omnia æquè sint dominorum incertorum? nec minùs hæc quàm illa in dominorum vtilitatem sint expendenda? Tertiò, Quia fieri potest compositio cum Pontifice super incertis, etiam iniustè acquisitis, vt ea liceat retinere: quod signum est, non esse Iure naturæ pauperibus debita. Quartò, Lex restitutionis est lex naturæ; atqui ratio naturalis non dictat hæc bona pauperibus

esse debita : alioquin etiam apud Ethnicos id dictaret;quod constat non esse verum. Quintò,Omnis restitutio Iure naturali debita, debetur certæ personæ vel certæ communitati ; sicut etiam omne damnum & omnis iniuria fit certæ personæ vel communitati : sed hæc incerta non debentur certæ personæ vel communitati : ergo non debentur Iure naturali. Iure tamen positiuo vel arbitrio humano, potest aliquid deberi in incertum ; vt si tradam tibi aliquid distribuendum in pauperes vel alias pias causas, in quas volueris, ex iustitia teneris ; & nisi distribuas, iniuriam facis tum mihi, cuius rem retines ; tum pauperibus in confuso. 37

Ex his satis patet, hæc Iure naturali pauperibus vel piis causis non deberi. Vnde cessante lege positiua, vel consuetudine vim legis habente, bona incerta non necessariò sunt in pauperes eroganda. Itaque cùm solùm lex inueniatur de iis quæ ex delicto debentur, nempe de vsuris, putat Petrus Nauarra lib 4. c.2.n.47. ea quæ ex contractu debentur, posse tamquam adespota, post diligentem inquisitionem retineri: quæ sententia non est improbabilis, præsertim cùm non constet consuetudinem esse in contrarium. Contrarium tamen in praxi, tamquam magis pium, & communi Doctorum sententiæ conformius, ordinariè iudico sequendum. 38

Incerta ex contractu debita, quasi adespota.

Ad rationem pro contraria sententia allatam, 39

Resp. ad rationem contrariã.

Resp. Teneri quidem debitorem Iure naturæ restituere rem eo modo, quo ipsa, vel vtilitas temporalis ex ea, seu pretium ad dominum peruenire queat: non tamen Iure naturæ tenetur curare, vt si vtilitas temporalis ad eum peruenire nequeat, proueniat illi vtilitas spiritalis ; quia lege Iustitiæ non tenetur damna temporalia compensare bonis spiritalibus, vt suprà ostensum est. Fateor tamen valdè esse æquitati consentaneum, vt ita fiat; maximè quòd hæc etiam videatur esse tacita dominorum voluntas.

Petes, Quo Iure potest Pontifex de bonis incertis disponere ? 40

Ius Pontificis.

Resp. Primò, Quia est supremus Princeps in spiritalibus ; cuius est de temporalibus suorum subditorum disponere, prout expedit ad bonum spiritale.quod maximè locum habet, quando ipsi domini de illis disponere nequeunt. Itaque potest hæc in pias causas ad salutem dominorum incertorum destinare. Secundò, Quia potest debitores talium bonorum in pœnam iniustitiæ vel etiam in fauorem pauperum reddere incapaces, ne possint illorum dominium acquirere. Tertiò, Quia talia bona ex tacita dominorum voluntate videntur in causas pias eroganda. Vnde cùm Pontifex sit communis parens pauperum & causarum piarum, maximè ad ipsum pertinet sua lege curare, vt ita fiat. Hinc patet, potuisse Pontificem dispositionem talium bonorum Principibus sæcularibus subtrahere,& sibi reseruare;sua lege statuendo, vt in causas pias conferantur:quod nisi fecisset, possent Principes de his, sicut de thesauris, & aliis bonis domino carentibus,statuere. Ratio est;quia bona hæc incertorum dominorum, post diligentem inquisitionem censentur tamquam adespota ; (id est, quæ domino carent) quia non magis illis prodesse possunt, quàm si illorum non essent, & omnimo domino carerent. vnde si leges de his disponant, nulla fit dominis iniuria.

Dico Secundò, Si is qui hæc bona habet, verè pauper est,poterit ea tamquã vnus è numero pauperum sibi retinere. Ita docet Scotus d. 15. q. 3. Caiet.q.62.art. 5.& alij. Ratio est;quia non debet esse peioris conditionis, quàm alij pauperes, præsertim si non interceßit ipsius culpa in re illa acquirenda,vel debito contrahendo. Quòd si culpa interceßit, meretur quidem ea re priuari ; tamen paupertas est sufficiens ratio, cur possit illi per confessarium, vel etiam propria sua auctoritate applicari. non enim est necesse, vt detur pauperiori vel sanctiori ; (quamuis id expediat) sed satis est,vt detur pauperi, nomine paupertatis. Vbi autem illi res hoc modo applicata fuerit, non tenebitur postea copiosior effectus, aliis pauperibus restituere ; quia sibi eam causa paupertatis vindicando, benè eam distribuit; iuxta generalem intentionem eius, cuius est de bonorum incertorum distributione statuere, scilicet Pontificis, & domini incerti. 41

Si possessor sit pauper.

42

Petes, Quid si dominus postea comparuerit? 43

Resp Primò, Si aliis pauperibus post debitam diligentiam distribuisti, ad nihil ampliùs teneris. neque enim ratione rei, vt quæ in tua potestate non sit ampliùs ; neque ratione iniustæ acceptionis,quia etiamsi iniustè acceperis,tamen hæc culpa iam est absterßa per restitutionem factam iis,& eo modo, quo potuit & debuit in tali casu fieri.

Si dominus comparuerit.

Secundò, Si eam tibi tamquam pauperi assignasti, teneris domino cognito, modò adhuc exstet in se vel in pretio,idque quamuis sine tua culpa illam habueris. Ratio est ; quia teneris ratione rei : nec es in tanta necessitate, vt eam tibi possis reseruare.

Tertiò,Si verò ipsa nec in se,nec in pretio extet, ad nihil teneris : præsertim si sine culpa illam acquisiueras : quia qui bona fide rem alienam consumpsit,nõ tenetur,nisi quatenus factus est ditior.

Quartò,Si per culpam acquisiueras,adhuc probabilius videtur te non teneri,domino comparente,si post debitam inquisitionem,animo restituendi factam,tibi tamquam pauperi applicasti,eamq; sic consumpsisti, ita vt nec in se,nec in pretio apud te extet. Ratio est ; quia neque ratione rei acceptæ teneris; (vt quæ neque in se,neque in pretio extet) nec ratione iniustæ acceptionis; quia culpa absterßa est per voluntatem restituendi, & diligentiam præstitam vt domino restitueres,& per restitutionem,quam tibi tamquam pauperi fecisti.

Aduerte tamen,quosdam Doctores tenere,Rem semel debito modo pauperi applicatam, (etiamsi tibi ipse applicueris) non debere domino postea comparenti restitui,etiamsi in sua specie extet.Insinuat Petrus Nauarra l.4.c.2.n.57.& docet apertè Henriquez,de Indulgentiis c.34.num.8. Ratio esse potest Primò; Quia dum applicata est pauperi, censetur in vtilitatem domini restituta, & dominus tenetur hanc restitutionem ratam habere. Secundò, Quia per hanc applicationẽ transfertur dominium. Sed facilè ad has rationes responderi potest. Ad primam, Non tenetur dominus habere ratum, nisi donec rem suam inueniat. quia cum hac tacita conditione debet fieri applicatio, videlicet, vt si dominus compareat, ei restituatur. Ad secundam, Negatur transferri dominium, nisi postea possideatur tempore necessario ad vsucapionem, vt rectè Couarruuias : Iura enim hunc modum transferendi dominium ignorant. Si tamen 44

Quorundam sententia.

45

men in aliqua Prouincia esset aliqua constitutio, ordinans vt sic dominium transferatur; non esset damnanda: quia dispositio talium bonorum subest auctoritati Principum, nisi quatenus Pontifex eam sibi reseruat.

46 Dixi in Secunda propositione, *Si is, qui hæc bona habet, verè est pauper*; quia si solùm est pauper pro loco vel tempore, tenebitur postea, iuxta communem sententiam, veris pauperibus ad restitutionem. nam ex ordinatione Ecclesiæ & consuetudine piorum, veris pauperibus sunt distribuenda. *Pro loco* pauper est, qui alibi bona habet. *Pro tempore*, qui nouit artem vel industriam, qua facilè sibi necessaria ad statum comparare potest, vel aliunde ea proximè expectat.

47 *Per quem facienda distributio.* Aduertendū autem est, expedire, vt quis in hac distributione (& præsertim quando sibi rem alienam reseruat) vtatur consilio Episcopi, vel Parochi, vel prudentis confessarij; quia facilè amor proprius in hoc negotio decipit. absolutè tamen non est necessarium; nam sufficit, vt prudenter fiat. vide Siluestrum v. Restitutio 8.q.5.& Medinam qu.3.causa 10.& Nauarr.nu.92 qui notat, in quatuor casibus Episcopum se posse interponere.

Dvbitatio vii.

Cui facienda restitutio inuentorum, habentium dominum, sed incertum, & an inuentor possit ea sibi retinere.

48 *Inuenta posse retineri, non est improbabile.* Dominicus Sotus lib.5.de Iustitia q.3.art.3. ad 2. putat, inuentorem, si post diligentem inquisitionem dominus inuentus non fuerit, posse hæc sibi retinere; neque obstare vllum Ius positiuum Ecclesiasticum aut diuinum, quo hæc necessariò sint pauperibus eroganda.

Probatur Primò, Quia talia bona, hoc ipso, quo per sedulam inquisitionem tempusque ad id sufficiens, dominus non potest deprehendi, censentur adespota: ac proinde Iure naturæ fiunt occupantis, sicut thesauri, & alia, quæ nullius sunt: nisi quod tacita quædam obligatio illis annexa sit, vt si dominus compareat, restituantur.

Secundò, Quia super huiusmodi bonis numquam solet fieri compositio cum Pontifice, vt testatur Petrus Nauarra l.4.c.2.n.71. quod signum est ea non esse necessariò in pios vsus eroganda. Eamdem sententiam sequitur Petrus Nauarra l.4. cap.2. num.75. qui pro eadem citat Ledesmam, Mercatum, & Barthol. Medinam. Hæc sententia est probabilis.

49 *Esse conferenda in pios vsus, est communior sententia DD.* Contraria tamen est ferè communis DD. nempe hæc pauperibus vel aliis piis operibus esse impendenda; eamque tenet D. Thomas q.62.art.5. ad 3.& passim Theologi in 4.d.15.Silu.v. Inuentum, nu.2.vbi dicit, *Omnes Canonistas ita sentire.* Nauarrus c.17.n.170. Couart. ad reg. Peccatum, 3.p.§.1.n.1.& seqq. qui etiam non probat consuetudinem illam applicandi hæc Magnatibus. Hanc sententiam ordinariè in praxi iudico sequendam. Primò, Quia est ferè communis. Secundò, Quia magis fauet pietati. Tertiò, Quia passim apud pios est consuetudo, vt piis operibus hæc impendantur: quæ consuetudo videri potest habere vim legis; orta enim est ex praxi communis sententiæ, quæ vsque ad Sotum viguit. vnde magnum scrupulum plerique, si hæc sibi retinuerint, concipiunt. Quartò, Quia est magis consentanea Iuri communi. Nam Authent. Omnes peregrini. C. Communia, de succeſſ. statuitur, *Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perueniet, sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, heredibus tradantur, vel in causas pias erogentur*, &c. quæ constitutio magis pia est, quàm quæ huiusmodi fisco applicat. Quintò, Quia hæc videtur esse domini voluntas, vt sic ei res sua aliquo modo prosit; & quisque de rebus suis perditis, ita fieri cuperet.

Aduertendum est, nullo modo tolerabilem esse 50
consuetudinem, quæ in quibusdam locis dicitur esse, vt bona naufragorum in littus eiecta, habeantur tamquam adespota; & occupentur à Gubernatore loci. (de quo vide Couarruuiam suprà) sunt enim excommunicati per Bullam Cœnæ Domini: & meritò, quia est afflictionem addere afflictis; & maximo damno affectis, modicum, quod benigna sors ad solatium extremæ miseriæ indulserit, eripere.

Dvbitatio viii.

Vtrùm acceptum ob turpem causam sit necessariò restituendum, & cui.

Prima sententia est, Pro nullo opere, quod per 51
se turpe seu peccatum sit, (vt est fornicatio, adulterium, homicidium) posse aliquid accipi; & si quid sit acceptum, id esse necessariò restituendum; nisi videatur gratis donatum. Ita Ioannes Medina C. de restit. q.20.& 28. Idem aliquando sensit Nauarrus c.17.n.38.& seqq. Fundamentum est, quia peccatum est nullius pretij, vtpote nihil, teste Augustino; ac proinde prorsus inuendibile.

Secunda sententia est, Pretium acceptum pro opere turpi, quod non sit contra iustitiam, non esse restituendum: secùs verò si sit contra iustitiam. Ita Sotus lib.4.q.7.a.1.ad secundum. Fundamentum ipsius est, quia acceptum pro opere debito ex iustitia, necessariò est restituendum: ergo etiam quod acceptum fuerit pro opere iniusto.

Tertia est, Acceptum pro omni opere prauo, quod legibus punitur, esse restituendum; secùs verò de accepto pro opere, quod leges non puniunt. Ita ferè omnes vtriusque Iuris DD. quos refert Couarruuias ad regulam Peccatum, p.2.§.2. Probatur, L. Generaliter 26.ff. de verb. obligat. *Generaliter nouimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. velut si quis homicidium vel sacrilegiū se facturū promittat, sed & officio Prætoris continetur, ex huiusmodi obligationibus actionē denegari.* Et L.Pacta 6.C. de pactis. *Pacta, quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati Iuris est.* Si nullam vim habent, nulliusque sunt momenti; ergo id, quod ex vi talis pacti accipitur, non efficitur accipientis, ac proinde est restituendum. Pro resolutione

Dico Primò, Si solùm Ius naturæ spectetur, 52
acceptum ob turpem causam, seu propter opus, quod est peccatum, opere impleto non necessariò est restituendum, siue illud opus sit contra iustitiam, siue non. colligitur ex D. Thoma q.32.art.7. in corp.& q.62.art.5. ad 2 vbi docet, *posse retineri id, quod propter opus malum est acceptum.* Nec distinguit, sitne opus illud contra iustitiam, *Non Iure naturæ restituendum est.*

an non. Idem docet Caietanus ibidem, & Couarr. ad reg. Peccatum, p. 2. §. 2. Probatur Primò, Quia si Iure naturæ esset restituendum, deberet restitui ei qui dedit; atqui huic non debet restitui, quia in accipiendo nulla huic facta est iniuria. libenter enim & liberè dedit pro opere, quod tu facere non tenebaris. Secundò, Quia etsi opus malum pro quo dedit, non sit æstimabile pretio quà malum, tamen quà delectabile vel vtile vni, & alteri detrimentosum, periculosum, laboriosum, inter homines pretio æstimatur: ergo quod hac ratione pro eo est acceptum, non est restituendum; nisi

53 fortè quis communem æstimationem excesserit: vt si meretrix, quæ vsuram sui concedere solet vno aureo, ab aliquo iuuene extorserit 50. tamquam pretium. Hoc tamen locum non habet in ea, quæ putatur honesta: vt si matrona aliqua vel filia, 100. aureos pro vsura corporis accipiat ab eo, qui dare poterat, retinere potest; nam tanti & pluris potest suam pudicitiam æstimare. Res enim quæ certum pretium non habent, nec ad vitam sunt necessariæ, sed voluptatis causa quæruntur, arbitrio venditoris possunt æstimari, vt probabiliter docet Petrus Nauarra & alij.

54 Notandum tamen est, Couarruuiam & Caieta-
Pro iniusta sententia. num excipere id, quod acceptum est à Iudice, vt iniustam sententiam ferat, hoc enim putant Iure naturæ esse restituendum; quia iniusta sententia & peruersio iudicij non est res vendibilis. Sed hæc ratio non est firma; nulla enim est causa, cur magis debeat Iure naturæ restitui, quod acceptum fuerit pro iniqua sententia, quàm quod pro iniqua occisione. quod tamen etiam illorum iudicio non est necessariò restituendum.

55 Dices, D. Augustinus epist. 54. ad Macedonium ait, *sceleratiùs accipi pecuniam pro sententia iniusta, quam pro iusta, pro testimonio falso, quàm pro testimonio vero:* atqui pecunia accepta pro sententia iusta, est restituenda: ergo & pro sententia iniusta. Ita Sotus.

Resp. Negando conseq. Non enim quia aliquid est sceleratius, ideò magis vel æquè obligat ad restitutionem. Hæc enim obligatio non sequitur magnitudinem sceleris, sed damnum per iniuriam datum. at qui accipit pro sententia iniusta, nullam infert iniuriam danti; sicut is qui pro iusta. porrò illud est sceleratius quàm hoc, tum quia peius est ferre sententiam iniustam, (ad quam ferendam iam habet animum, qui pecuniam accipit, propter iniuriam, quæ fit alteri parti) quàm accipere pecuniam pro sententia iusta ferenda: tum quia (vt ibidem Augustinus ait) sceleratiùs datur pro iniusta, quàm pro iusta, quamuis detur voluntariè & libenter. loquitur enim de sententia ferenda. Adde, ibidem Augustinum significare, pecuniam istam etsi sceleratiùs acceptam, non esse opere impleto restituendam; dum dicit *datam à volentibus*. Volenti enim non fit iniuria. secùs si data sit pro sententia iusta; quia censetur data coactè, metu sententiæ iniustæ.

Dixi, *Opere impleto*, quia ante opus impletum, debet restitui, eò quòd opus, propter quod datur, debet omitti. Vide infrà cap. 18. dub. 3.

56 Dico Secundò, Verius etiam videtur, neque
Neque Iure positiuo restituendum est. Iure positiuo id necessariò restituendum. Ita D. Anton. 2. part. tit. 2. cap. 5. in principio, Angelus v. Concussio, num. 2. & v. Restitutio. §. Turpe. Sil. Restitut. 2. & v. Eleëmosyna q. 4. Nauarr. cap. 17. num. 30. & 36. Idem tenent Couarr. & Caietanus suprà. qui tamen excipiunt id, *quod acceptum est à Iudice pro sententia iniqua ferenda*, innixi non Iuri positiuo, sed naturali, quod iam refutatū est. Idem tenet ex parte Sotus, sed excipit id, *quod acceptum est ob malificium cõmissum contra iustitiam*. verùm non sibi constat. nam ibidem docet, acceptum ab adultera non esse restituendum; cùm tamen adulterium sit maleficium contra iustitiam. Deinde ex eius sententia sequeretur, militem debere restituere stipendium acceptum in bello iniusto; & fabrum pretium instrumenti fabricati ad furta vel homicidia, & armorum ad bella iniqua. quæ omnia sunt contra communem hominum sensum, vt rectè Couarruuias suprà. Ratio est, quia 57
Leges pacta turpia irritantes. leges istæ supra citatæ & similes, quæ pacta turpia & iniqua rescindunt, non ideò reddunt irritam acquisitionem rei ex tali causa; nec faciunt accipientem inhabilem ad comparandum eius rei dominium: sed tantùm videntur decernere, vt ante opus patratum habeantur illa pacta inualida, & ne ex illis oriatur obligatio ciuilis, id est, ob quam possit in iudicio peti promissum, vt docet Couarruuias suprà num. 6. & Nauarrus suprà. Confirmatur, Quia credibile est, his legibus non rescindi obligationem naturalem, quæ ex talibus pactis opere completo nascitur. ita enim leges positiuè sunt interpretandæ, si fieri potest, vt dispositioni Iuris naturalis consonent.

Dices Primò, L. 2. C. de donat. inter virum & 58
Priuilegiũ militum. vxorem, *iubetur restitui ancilla militi, quam ipse donauerat concubinæ*; ergo tenebatur restituere.

Resp. Ibi tantùm concedi militibus ius repetendi in iudicio, quod meretricibus donarunt, vt docet Adrianus, tractatu de restitut. §. Oritur alia quæstio, An meretrix, &c. in fine. Hinc tamen non sequitur, debere restitui ante sententiam. Deinde id non conceditur aliis, imò alij in foro externo coguntur soluere pretium turpitudinis meretrici, vt probat Couarruuias num. 2. Denique id non conceditur in aliis delictis. nam L. 3. ff. de condict. ob turpem causam dicitur, *Vbi dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur vt male iudicetur*. Et L. 8. dicitur, *solutum ob turpem causam, non posse repeti*. idem patet ex L. 2. & 5. C. eod. Ex quibus legibus satis probabiliter colligitur, posse ista retineri in conscientia. Mens enim legum est, vt is qui dedit, in pœnam criminis, non possit recuperare.

Dices Secundò, Is qui accipit aliquid ob male- 59
Accipere pretium ante maleficium est peccatum, non autem accipere post. ficium, peccat, quia videtur illud approbare: ergo non potest accipere: ergo nec retinere.

Resp. Accipere pretium ante maleficium patratum, est peccatum, similiter & dare, ratio est, quia tunc dare, est inducere ad maleficium; & accipere, est spondere & promittere maleficium; nam sub tali conditione datur & accipitur. Verùm accipere post maleficium, non est peccatum, sicut nec dare; non enim tunc accipitur vel datur, quòd maleficium placeat; sed ratione laboris, sumptus, vel periculi suscepti; vel ratione pacti onerosi & fidei obligatæ, quod fieri potest cum perfecta criminis detestatione, & animo numquam committendi.

Dico Tertiò, Etsi hæc sententia verior sit, con- 60
trariа tamen, quæ censet, id quod acceptum fuerit ob crimen legibus punibile, (nisi censeatur donatum) esse restituendum, non est improbabilis.

bilis. Patet, quia est ferè communis omnium Iurisperitorum, vt docet Couarr. suprà num.6. Item Medinæ & Nauarri olim, (licet hic posteà mutarit) & aliorum; habetque rationes ex Legibus petitas, vtcumque probabiles.

61 *Cui facienda restitutio.* Sed tunc difficultas est, cui restitutio sit facienda. Communior sententia est, esse restituendum pauperibus, vt ibidem Couarr. docet. Cùm enim leges non velint istud restitui illi, qui dedit & induxit ad maleficium; neque possit retineri iuxta hanc sententiam, (eò quòd pactum fuerit irritum) consequens esse videtur, vt in pias causas sit expendendum. Sed reuerà hoc potiùs est salutare consilium, quàm præceptum, vt rectè docent Antoninus, Nauarr. & alij. Meritò tamen id poterit iniungi in pœnitentiam à confessario, quando ei videbitur expedire; præsertim cùm tot DD. dicant, absolutè in pauperes conferendum. Sotus & Couarr. putant, si restituendum est, esse potiùs restituendum ei qui dedit. Si enim dominium non transtulit, apud ipsum mansit: quia non intendit aliter rem à se alienare, quàm vt in hunc transferretur. ex qua ratione confirmatur prior sententia. absurdum enim est, vt illi fiat restitutio, & contra mentem legum, quæ intendunt illum punire, negata conditione seu actione repetendi; ergo nulli debet necessariò restitui ante sententiam.

Dvbitatio ix.

Vtrùm acceptum ob causam honestam, ad quam tamen obligabaris, (v.g. vt facias vel omittas, quod tenebaris facere vel omittere) debeat restitui.

QVidam putant, generatim id esse restituendum. Ita Medina q.26. Nauarr. cap.17. n.34. Couarr. ad reg. Peccatum, par.2. §.3. vnde si alicui detur aliquid ne fornicetur, ne blasphemet, ne peieret, id esse restituendum. 62 Sed verius est non esse restituendum, nisi actio vel omissio debita fuerit ex iustitia, vel nisi debita fuerit ex charitate erga proximum, & sine vllo sumptu vel labore possit præstari. Quod vt distinctè explicetur,

63 *Si lege iustitiæ debitum.* Dico Primò, Si opus vel omissio ex iustitia sint debita proximo, non potest pro illis quidquam exigi; & quod acceptum fuerit, est restituendum. est communis DD. vide Couarr. & Medinam suprà, & Sotum l.4.q.7.a.2. Probatur Primò, Quia manifestè violatur æqualitas, si pro eo, quod iam ex iustitia absolutè est debitum, aliquid amplius exigatur vel accipiatur. Secundò, Quia id quod datur pro iustitia obtinenda, vel iniuria vitanda, non censetur dari sponte, sed coactè & ex metu iniuriæ, prouenientè ab eo cui datur: ergo necessariò est restituendum: quia censetur per tacitam quamdam iniuriam extortum. hæc est vera ratio, cur sit restituendum.

64 *Iudex.* Hinc sequitur Primò, Iudicem teneri restituere id quod accepit, vt iustam sententiam ferret: intellige, si datum est timore iniuriæ, aliàs non dandum: secùs, si instar muneris liberalis, vt maiorem quàm solet, quamque tenetur, diligentiam in causa adhibeat.

Vbi aduerte, in sententia Iudicis duo considerari posse. Prius, Quòd sit actio maximè vtilis & necessaria Reipub. egens multo labore & examine actorum & probationum, & magna auctoritate personæ. Alterum, Quòd sit iusta. Ratione prioris aliquid pro sententia à partibus accipi potest, si alias iusto stipendium Iudici non est assignatum. Sic enim debita est ei merces lege iustitiæ, sicut & labori Aduocatorum & Iurisconsultorum. Ratione alterius, nullum ei debetur stipendium: sed supposito officio Iudicis, gratis hanc qualitatem in sua actione procurare debet. quod etiam locum habet, cùm est ea varietas sententiarum, vt ei liberum sit vtramlibet partem in iudicando sequi. *Si vtramq; sententiam sequi potest.* vt enim sententia sit iusta, semper gratis curandum est Iudici. Verùm quia tunc vtraque pars iusta censetur, dubitari potest, vtrùm contra iustitiam peccet, si aliquid accipiat, vt hanc potiùs quàm illam in iudicando sequatur. Videtur non ita peccare. Primò, Quia rationes prædictæ hîc cessant. Secundò, Quia non tenetur ad alteram determinatè, sed liberum ei est sequi quam maluerit. ergo si aliquid accipiat, vt hanc sequatur potiùs quàm illam, non facit vlli iniuriam. Consequentia patet, Quia cùm res non est debita, non est contra iustitiam (si solum Ius naturæ spectemus) exigere pro ea re pretium; si alioquin pretio sit æstimabilis. Tertiò, Quia non accipit pretium pro iustitia sententiæ, sed quia in hac causa hanc opinionem præfert isti, ad quod nullo modo tenebatur. Hoc autem est pretio æstimabile; tum quia vtilissimum parti, tum quia sequendo hanc opinionem, amittit fauorem alterius partis, cui poruisset gratificari. Quartò, Quia nemo dixerit, illi parti à qua Iudex aliquid in hoc casu acceperit, factam esse iniuriam. imò passim hac mente dantur à partibus, & accipiuntur munera à Iudicibus, vt quantum intra limites iustitiæ possunt, Iudices suum fauorem impendant: quamuis hoc sit valdè reprehensibile, & meritò legibus vindicandum. Idem sæpè fit in collatione officiorum sæcularium. in Beneficiis tamen erit simonia, quamuis fortè Iure naturæ non sit obligatio restituendi, vt infrà cap. 35. dub. 28. dicetur. Hæc argumenta, si solum Ius naturæ spectetur, faciunt hanc sententiam satis probabilem. Nihilominùs legibus id vetitum est, quæ etiam possunt ad restitutionem obligare, imò & incapaces reddere dominij rei hoc titulo datæ acquirendi.

Sequitur Secundò, Testem teneri restituere 65 quod accepit, vt verum testimonium diceret. etsi *Testis.* enim non semper ex iustitia teneatur testari, tamen si testari velit, tenetur ex iustitia testari veritatem. Si tamen veritatis testimonium esset illi detrimentosum, posset aliquid exigere pro damno, vel periculo, quod metuitur. similiter si labor aut sumptus testi sit subeundus.

Tertiò, Nihil posse exigi pro reddendo depositi, vel commodato, vel inuento, vel pro soluendo 66 debito. quod intellige de ipsa nuda redditione, nihil habente laboris aut molestiæ. secùs si coniunctus sit labor, vel aliquid aliud pretio æstimabile. *Pro deposito, commodato, &c. reddendo.*

Quartò, Neq; etiam vt non fureris, non occidas, *Pro omissione iniuriæ.* non detrahas. quia hæ omissiones ex iustitia sunt debitæ absque vllo pretio, & nihil sumptus vel laboris habent. vnde L.2.π. de condict. ob turpem causam dicitur: *Iulianus dicit, si dedero tibi ne hominem occidas, condici posse*, id est, posse repeti.

Dices, Etsi talis omissio est debita, non tamen 67 est debita in tui gratiam: ergo si quis tua causa abstineat ab his alteri inferendis, qui te non contingit,

tingit, poterit ratione huius obsequij aliquid exigere & accipere.

Resp. Sotus suprà, ob hoc argumentum concedit posse sic aliquid accipi. Sed communis sententia est in contrarium. Ratio est; quia quando opus vel omissio secundùm se est inuendibilis, etiam est inuendibile obsequium, quod fit in tui gratiam. alioquin vsurarius posset aliquid exigere, quòd in tui gratiam det mutuum alteri; & collator beneficij, quòd tua causa huic conferat; & Iudex, quòd tua causa iustam sententiam ferat.

[illegible]im obsequium, quando opus est absolutè [illegible]m, non censetur dignum pretio apud homines, sed vt summum amicitia. Si quid tamen ex liberalitate ob hanc causam esset datum, posset retineri; quia non censetur donatum inuitè, neque ob causam, quæ sit nullius pretij, sed sponte & ex causa virtutis. vnde promissio facta sub tali conditione, non magis obligat, quàm promissio liberalis absoluta.

68 Dices, Miles ex iustitia tenetur militare, & tamen potest exigere stipendium; ergo pro opere debito ex iustitia potest pretium exigi.

Resp. Miles non tenetur ex iustitia, nisi ei iam constitutum sit stipendium. præter hoc autem non potest amplius exigere. Idem dicendum de Iudice, aliisque officiis, quæ non sunt debita ex iustitia, nisi post contractum, quo illis stipendium iustum est promissum.

Debitum ex charitate proximo. Dico Secundò, Si opus debitum sit proximo ex charitate, non potest pro eo pretium exigi, nisi fortè sit laboriosum, vel sumptuosum. Ita Couarr. Medina suprà. Probatur Primò, quia communi hominum iudicio hæc non sunt pretio æstimabilia. Secundò, quia cùm valdè interest proximi, vt hæc fiant; si quid pro eo det, censebitur coactè datum, (non gratis) pro re nullius pretij. Sic nihil potes exigere, vt ex animo deponas odium mei, vel vt mihi indices furem, qui res meas surripuit, vel locum vbi depositi; si id sine labore, sumptu, periculo facere possis, vt rectè Couarr. suprà. Denique vt in extrema necessitate des tenuem eleëmosynam pauperi.

70 Dico Tertio, Quando aliquid datum est pro opere vel omissione, quæ solùm cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, non necessariò est restituendum: sed potest retineri. Ita Petrus Nauarr. lib.4.c.2.num.100. & ex parte Sotus suprà. Ratio est; quia tunc censetur esse liberaliter donatum ex causa, vel sub conditione: nemo enim ab alio emit actiones vel omissiones liberas, illi soli commodas vel Deo honorificas, ad quas tenetur; sed si quid pro illis offerat vel det, censetur datum in bonum illius, vel ad honorem Dei, merè liberaliter. *Debitum dumtaxat in bonum operantis, vel in honorem Dei.*

Hinc sequitur, Eum, qui aliquid accepit ab altero, vt fieret Christianus, vt confiteretur in Paschate, vt non fornicaretur, non blasphemaret, posse retinere; nec teneri restituere, nisi repetatur in iudicio. Nec obstat L. 2. ff. de condictione ob turpem causam, vbi dicitur; *Si tibi dedit ne sacrilegium faceres, condici posse*, id est, repeti: quia solùm conceditur repetitio in iudicio, idque quando datum est, ne crimen fieret, quod legibus punitur; hinc tamen non sequitur, ante sententiam esse restituendum. Puto tamen id, quod pro huiusmodi causa promissum fuerit, impleta causa, non esse debitum nisi ex virtute fidei; sicut si absque huiusmodi conditione promissum esset. Ratio est; quia reuerà hæc opera non sunt pretio æstimabilia; sicut nec alia supradicta: sed discrimen inter hæc opera & illa est, quòd datum pro his non censeatur extortum ab inuito, sed liberaliter donatum; eò quòd is qui dat, nulla necessitate compellatur. secùs de dato pro illis, quæ ex iustitia vel charitate proximo sunt debita. 71

Aduertendum tamen est, Quando constat vel prudenter præsumitur aliquid datum per modum muneris liberalis, ad inclinandum eum, qui accipit, ad bonum opus ex iustitia vel charitate debitum, vel ad eum à malo auertendum; non esse restituendum, nisi lex positiua in aliquo casu expressè inhabilem reddat ad dominium eius rei capessendum, sicut videntur fecisse Iudices L. Plebiscito. 18. ff. de officio Præsidis, & L. Solent. §. finali, ff. de officio Proconsulis. de quo plura infrà suo loco. vide Siluestrum v. Iudex 1.q.8. 72 *Si putetur datum liberaliter.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De ordine in restitutione seruando, deque loco & expensis.

Complectitur Dubitationes 8.

1 NOTANDVM est, quando bona debitoris, in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non esse opus vllo ordine: nam omnibus integrè est satisfaciendum: sed tum demum certus ordo seruandus est, quando non sufficiunt.

DVBITATIO 1.

Vtrùm debita certa sint priùs soluenda quàm incerta.

2 SVppono, Debitum variis modis dici *incertum*. Primò, si non satis constat, vtrùm debeas, nécne: & tunc non est necessaria restitutio; quia melior est conditio possidentis. Secundò, Si constat quidem rem deberi, sed dubitas cui ex duobus vel tribus debeatur. Hoc euentu, si dubium est æquale, res æqualiter est inter eos diuidenda, vel ex illorum consensu sorte applicanda: sic enim seruatur iustitia. quòd si posteà constiterit, vter sit verus creditor, alter tenetur ei restituere suam partem, nisi eam legitimè vsuceperit. si noluerit restituere, tu tamen liber manes; quia restituisti eo modo, quo potuisti & debuisti; nec in eo incerto amplius à te potuit exigi. Si dubium non fuit æquale, ei debetur maior pars, de quo minus est dubium; alteri verò minor, iudicio prudentis. vide suprà cap. 14. dub. 4. *Debitum incertum tripliciter.*

Tertiò, Dicitur incertum debitum, quando constat

constat quidem deberi, sed nescitur cui vel quibus ex tota multitudine: siue res ipsa in specie sua sit aliena, (vt equus, vestis, torquis, & similia) siue tantùm sit debita confusè; vt quando loco rei peremptæ debetur pecunia. His positis,

3 *Si aliena in specie.* Dico Primò, Si res incertum habens dominum, in specie sua est aliena, primo loco est restituenda, non certis creditoribus, sed iis, quibus incerta restitui solent; iuxta ea quæ cap. 14. dub. 6. & 7. dicta sunt: quamuis nihil aliud supersit, quod certis creditoribus dari possit. Est communis DD. Ratio est; quia creditoribus debet satisfieri ex bonis debitoris, non ex alienis. Itaque hæc ante omnia sunt segreganda à bonis debitoris; & in pios vsus eroganda.

4 *Si non sint aliena in specie.* Dico Secundò, Si res ipsæ non sunt in sua specie alienæ; tunc ex eis priùs facienda est restitutio certorum debitorum, quàm incertorum. Est communis DD. Antonini 2. p. tit. 2. c. 3. in principio, Caiet. v. Restit. c. 8. Silu. Restit. 6. qu. 5. Medinæ C. de restit. q. 2. §. Ad aliud, quod quinto loco, & Nauarri cap. 17. num. 47. & aliorum.

Sed difficultas est, quænam sit huius ratio. DD. qui censent incerta Iure naturæ pauperibus esse danda, valdè laborant in assignanda ratione, nec quidquam afferunt quod omnino satisfaciat. Sed iuxta sententiam, quam suprà cap. 14. dub. 6. & 7. secuti sumus, non est difficile. Ratio igitur,

5 *Cur certis creditoribus priùs soluendum.* cur certis creditoribus priùs sit soluendum quàm incertis, est; quia Iure naturæ tenetur debitor ex iustitia soluere creditoribus certis, etiamsi nulla lex positiua id iuberet; idque de bonis suis, quorum dominium habet. Non tamen Iure naturæ de his bonis tenetur soluere creditoribus incertis; quia his ipsis solutio fieri non potest. quòd autem loco eorum teneatur pauperibus, id solùm Iure positiuo constitutum est: quod Ius locum non habet, quando certi creditores extant. neque mens legislatoris fuit, nec verò potuit esse, eo casu obligare: quia quod debitum est Iure naturæ, non potest tolli per legem positiuam.

Adde, non soluendo talia incerta, nemini in particulari fieri iniuriam; secùs verò si non soluantur certa.

Dices, Quando res est in specie aliena, & dominus reperiri nequit, non debetur Iure naturæ pauperibus, & sepolita lege positiua potest retineri: ergo etiam ex ea debet satisfieri creditoribus certis.

6 Resp. Negando consequentiam; quia etsi sepolita lege positiua posset debitor ex ea satisfacere, non tamen tenebatur; eò quòd non teneatur, nisi de rebus suis soluere. Vnde Iure positiuo statui potuit, vt hæc darentur pauperibus, etiamsi creditores certi nihil essent habituri. quòd si debitori vt pauperi res illa applicetur, tunc videtur ex illa creditoribus esse soluendum; quia non amplius aliena censetur: nisi fortè paupertas illum excuset.

Dvbitatio II.

Vtrùm inter debitores certos, priùs soluendum sit venditori, cui pretium nondum est solutum, re vendita extante.

7 *Res Ecclesiæ & minorū.* Respondeo & Dico Primò, Si res sit Ecclesiæ, vt fisci, vel minoris, & adhuc extet inter bona debitoris; ante omnia soluendum est pro ea pretium iustum, vel certè res ipsa est restituenda. *Quo ordine.* Probatur; quia talis rei non est translatum dominium per conuentionem mutuam, & secutam traditionem, nisi reipsa persoluatur pretium, vt docet Angelus v. Emptio n. 4. Siluest. eodem verbo n. 2. & notat Bartolus in L. A diuo Pio. 15. §. Sed si emptor. ff. de re iudicata. & Panor. in cap. Cùm olim, de officio deleg. & colligitur ex L. Si curator. 5. ff. de iure fisci, iuncta Glossa. vnde sequitur, talem rem, vbicumque extiterit, etiamsi aliis vendita fuerit, posse vendicari.

8 *Res aliorum venditæ.* Dico Secundò; Si res alterius vendita fuerit tali debitori, & ille nec pignus aut fideiussorem dederit, nec pretium in præsenti obtulerit, nec venditor illud pro soluto habuerit, fidens emptori; tunc vel pretium ante omnia soluendum, vel res restituenda venditori. Probatur; quia Iure communi in hoc casu nondum censetur translatum dominiu, etiamsi res tradita fuerit, vt expressè habetur Instit. de rerum diuisione. §. Venditæ. vbi dicitur: *Venditæ verò res & traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quàm si is venditori pretium soluerit, vel alio modo ei satisfecerit, velut ex promissore aut pignore dato: quod quamquam cauetur ex L. duodecim tabularum, tamen recte dicitur & Iure gentium, id est, Iure naturali id effici.* Idem habetur L. Quod vendidi. 19. ff. de contrahenda emptione. Vnde sequitur, rem talem, vbicumque extiterit, vendicari posse, nisi pretium solutum fuerit, vt dicitur L. Procuratoris. 5. §. Sed si dedi. 18. ff. de tributoria actione.

Sed hic difficultatem parit, quod in eodem §. Instit. suprà additur his verbis: *Sed si is, qui vendidit, fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri.* semper enim videtur fidem emptoris sequi, quando ei credit absque fideiussore vel pignore. Vnde tunc semper transfertur dominium.

9 Resp. Tunc tantùm censetur sequi *fidem emptoris*, quando ipsius nuda promissione est contentus, perinde ac si pretium esset solutum: quod Vlpianus in d. L. Procuratoris ait, *in creditum abire*, & Pomponius in d. L. Quod vendidi, *fidem habere emptori sine vlla satisdatione.*

Petes, An ergo tunc venditor non habeat ius prælationis? Couarruuias l. 1. variar. cap. 7. nu. 3. putat non habere. pro qua sententia adfert multos Iurisperitos, qui dicunt hanc esse communem. Idem sentit Petrus Nauar. lib. 4. cap. 4. num. 39. & Molina disput. 536. Probatur Primò, quia illa res non est amplius venditoris, cùm translatum sit dominium, vti suppono; neque manet illi obnoxia iure hypothecæ. Nam neque Iure naturæ, neque Iure positiuo constituta est in tali re hypotheca. Non Iure naturæ, quia hoc Iure nulla inducitur tacita hypotheca. si enim contrahentes pacto expresso non obligant rem solutioni, non est cur illa Iure naturæ debeat priori domino censeri obligata; cùm eius dominium perfectè in alium transierit, non secùs ac si solutio in præsentia esset facta. Non etiam Iure positiuo; quia nullum Ius positiuum inducens in tali re hypothecam in Iure Cæsareo reperitur. Secundò, Si emptor ille alteri venderet, prior venditor non posset eam vendicare: ergo non erat ipsi hypothecata. Tertiò, Quia neque expressa hypotheca ex conuentione contrahentium potest in emptione sic constitui, vt venditor habeat ius

10 *Non habere venditorem ius prælationis.* *Rationes adferuntur.*

præla-

prælationis præ aliis hypothecis Iure positiuo constitutis. nam contrahentes non possunt suo consensu efficere, vt is, qui Iure ciuili vel municipali habet Ius prælationis, debeat postponi, vt si emi à te domum vel nauim, & posteà ad eius reparationem accipiam ab alio pecuniam mutuam; hic tibi præferetur in solutione; quia Iure positiuo habet Ius prælationis, etiam respectu præcedentium hypothecarum, vt infrà dicetur. Ex quibus sequi videtur, venditorem esse numerandum inter creditores hypotheca carentes; ac proinde omnibus hypothecam habentibus postponendum. Hæc sententia est valdè probabilis. Contraria magis videtur æquitati consona. vnde

11 *Probabile est, venditorem in re vendita esse præferendum.*

Dico Tertiò, Probabile est, venditorem, si ab emptore fideiussorem vel pignus non accepit, & res adhuc apud emptorem extet, in ea re ceteris esse præferendum; ita vt vel pretium ei soluendum sit, vel res ipsa restituenda. Ita tenet Caietanus v. Restitutio cap.8. Silu. Restitutio 6.qu.5. Fumus eodem verbo nu.36. Medina C. de restitutione q.2.§. Tertium dictum. Nauarr. cap.17. nu.49. Idem tenet Archidiaconus, Baldus, & alij, teste Siluestro. Probatur Primò, quia valdè durum est, & ab æquitate naturali alienum, vt res mea, quam à me emisti, non soluto pretio, extans in sua specie, aliis assignetur, & ego re mea simul & pretio frauder. sepositio enim omni Iure positiuo, statim iudicio naturali quiuis censeret, æquius esse vt venditori res sua restituatur, si emptor soluendo non sit, quàm vt detur alteri. Secundò, Si tibi locaui meam domum, inuecta & illata in eam manent obligata pignori pro pensionibus annuis, & damnis in domum datis, vt habetur L. 2.7. Ex quibus causis pig. vel hypoth. tacita contrahatur. ergo argumento à fortiori etiam res vendita manet obligata pro pretio. Tertiò, Quia Iure gentium non transfertur dominium rei venditæ ante solutum pretium, nisi datum fuerit pignus vel fideiussor: vel nisi venditor secutus fuerit fidem emptoris, vt habetur §. Venditæ, suprà: idque quia non censetur venditor dominium alia ratione velle transferre. atqui quando venditor credit emptori, etiamsi intendat transferre dominium, non tamen intendit se priuare omni iure & recursu ad rem suam, nisi reipsa solutum fuerit pretium, vt patet ex vsu & communi hominum sensu: ergo saltem quamdiu extat apud emptorem, censetur quasi hypothecata pro pretio.

12 *Resp. ad rationes.*

Vnde ad primam rationem in contrarium Respondeo, Etsi Iure naturæ seu gentium non contrahatur vlla hypotheca perfecta qualis iure positiuo, nempe in quam retineatur ius apud quemcumque extet; benè tamen potest contrahi imperfecta & inchoata, in quam retineatur ius, quamdiu extat apud emptorem. talem videtur habere venditor in re empta, vt dictum est. Si tamen emptor alteri vendat, non manet ampliùs obligata, sicut nec pretium pro ea acceptum, vt rectè Nauarrus.

Ad secundam, Inde tantùm sequitur, non esse hypothecam perfectam, quales sunt omnes hypothecæ speciales Iure positiuo introductæ.

Ad tertiam, Inde solùm probatur, aliquam hypothecam huic præferendam; nempe eam, quæ constituta est ratione mutui accepti ad rei in-

13 stauarationem; secùs de aliis. Idem ob eadem rationes videtur dicendum de omni alia re, titulo oneroso alienata, vt suprà docet Nauarrus: vt de re mutuata, permutata, &c. quod intellige, si res illa in sua specie adhuc extet in bonis debitoris; maximè si aliis permixta nondum sit. Imò etiamsi permixta sit, si certò constet illam ibi contineri. quia æquissimum est, vt ante omnes, illi qui eam tradidit, restituatur vel ipsa, vel pretium eius; nec alij creditores possunt id meritò ægrè ferre, cùm debitor, eius redditione non fiat impotentior ad ipsis soluendum, quàm fuisset si eam non accepisset.

Dvbitatio iii.

Vtrùm debita ex delicto, præferenda sint debitis ex iusto contractu.

14 *1. Prius quæ ex delicto.*

Svnt tres sententiæ. Prima est, Debita ex delicto esse priùs restituenda, quàm ex contractu (nisi fortè in contractu interuenerit hypotheca) & quò delictum fuit maius, eò quoque priorem deberi restitutionem. Ita Ioannes Medina quæst.2.de restitut. dub.5. Vnde post hypothecas Primò restituendum debitum ex rapina. Secundò, ex furto. Tertiò, ex vsuris. Quartò, ex contractu oneroso; vt ex mutuo, emptione, &c. Quintò, ex contractu gratuito; vt ex legato, promissione non completa, &c. Probatur Primò, auctoritate D. Bonauenturæ. Secundò, Quia illa debita sunt priùs soluenda, quæ cum maiori iniuria & peccato sunt contracta; eò quòd quando non potest simul ab omnibus peccatis recedi, consentaneum sit, vt priùs à grauioribus, deinde à leuioribus recedatur. atqui maius peccatum, maiorque iniuria, ceteris paribus, est in rapina, quàm in furto, & in furto, quàm in vsura: ergo priùs soluendum pro rapto quàm furto, & priùs pro furto quàm pro vsura, & priùs pro vsura quàm pro contractu, in quo nulla commissa iniuria. inter contractus autem magis obligat is qui est onerosus, quàm qui gratuitus; idque meritò; quia per onerosum homo non fit impotentior ad soluendum aliis; nam vna res supponitur loco alterius, ex natura contractus: per gratuitum verò secùs. Idem sentit D. Thomas opusculo 73.c.18. *Cùm necessaria ad salutem, præcedant ea quæ sunt deuotionis, iustè soluuntur debita ante legata. Sed maiori iustitia, restituenda sunt ablata, quam debita soluenda: cùm in hoc impleatur iustitia, & tollatur iniuria facta Deo & proximo. In solutione autem debitorum nulla tollitur iniuria, sed solùm impletur iustitia.* Idem tenet Michaël Salonius qu. 62. art. 8. in fine, & videtur tenere Angelus Restitut. 2. num. 18. Hæc sententia non est improbabilis.

15 *2. Priùs quæ ex contractu.*

Secunda sententia est, Priùs soluenda esse debita ex contractu iusto oneroso, non gratuito, quàm ex delicto: nisi fortè res ex delicto parta, in specie sit aliena. Ita Caietanus v Restitutio c.8. Nauarr. cap.17.num.52. Bartholom. Medina 1.1. Summæ c.14.§.33. denique D. Anton. p.2.tit.2. c.7.§.1.& 2. qui etsi assentiatur primæ sententiæ in ordine debitorum ex delicto, nempe priùs restituendum, quod ex rapina debitum, quàm quod ex furto, & priùs ex furto, quàm ex vsura; addit

dit tamen, priùs esse restituenda, quæ ex contractu iusto debita. hæc sententia probabilis est, si res ex contractu accepta, extet apud debitorem, iuxta ea quæ diximus dubit. 2. alioquin non video qua ratione probabili queat defendi, nisi fortè in vsuris.

16 Tertia sententia, quam veriorem iudico, est, Inter hæc debita nullum esse ordinem; sed ea pari Iure censeri, essèque debita personalia, sine Iure prælationis: præsertim si res ex contractu accepta, apud debitorem non extat. Ita docet Siluester, Restitutio 6.q.5. puncto 5. Petrus Nauarra l.4.c.6.seu vltimo,nu.41.& alij recentiores. Probatur Primò, Quia neque Iure positiuo aliquid hac de re cautum est, neque vlla ratio sufficiens adferri potest, qua probetur, Ius naturæ postulare, vt alterum debitum alteri præponatur. ergo sunt paria. Secundò, Quia etsi maior fiat iniuria per rapinam quàm per furtum, & per furtum fortè quàm per vsuram: tamen posteà, dum quis non vult restituere, est eadem iniustitia in ipsa rei detentione. eiusdem enim speciei peccatum est, non soluere debitum ex contractu post elapsum terminum, inuito creditore; & non soluere debitum ex rapina aut furto: quia æquè fit inuito domino. quamuis enim in rapina sit maior iniuria, eò quòd sit maior contemptus domini, & ipse magis inuoluntariè patiatur; tamen posteà non est maior obligatio restituendi; nam pro excessu iniuriæ, qui est in primo aggressu, non est facienda restitutio pecuniæ, de qua hìc agimus, sed alia satisfactio.

3. Non esse inter hæc ordinem.

17 Dices Primò, Quamdiu raptor non restituit, non recedit ab iniuria, quam intulit personæ, vi rapiendo; atqui ab hac maximè tenetur recedere: ergo ante reliquos, &c.

Raptor.

Resp. Primò, Negando maiorem; nam hoc ipso, quo desinit vim inferre, iniuria personalis non continuatur, sicut detentio rei; sed transit. vnde etiamsi non restituat rapta, tamen non censetur continuare actualem rapinam, sed solùm rei alienæ detentionem.

Respondeo Secundò, Negando subsumptum. non enim magis tenetur ad sarciendam iniuriam illatam personæ, quàm ad faciendam restitutionem rei detentæ: præsertim cùm in rei detentione etiam iniuria domino fiat, & præter iniuriam, damnum. Itaque cùm is, qui debet ex contractu, æquè obligetur elapso termino, atque is qui ex vsura, furto vel rapina: non est cur naturali Iure vllum ordinem inter ista debita constitutum putemus. Quod etiam ex eo confirmatur: quia alioquin contra Ius naturæ faceret Iudex, qui iuberet pro rata talibus creditoribus restitui; & teneretur ipse de suo supplere. quod nemo dixerit.

18 Dices Secundò, Detentio vsurarum non tantum repugnat voluntati domini, quantum detentio rei furtiuæ, vel raptæ, vel ex contractu onerosò debitæ: ergo in vsuris non est tanta obligatio restituendi, quanta in ceteris. Antecedens patet ex communi hominum sensu; nemo enim de illis magnopere queritur, neque conatur recuperare. vnde etiam non est tam detestabilis vsurarius, quàm fur vel raptor, vel debitor ex contractu, qui post elapsum terminum non vult soluere,

19 cùm possit. Ob hoc argumentum, non videtur improbabile, debita ex contractu onerosò, ex furto & rapina, posse præponi debitis ex vsura. Quia tamen contrarium puto verius,

Debita ex vsura.

Respon. Omnia hæc contra voluntatem dominorum retineri; ita vt si possent, curarent sibi restitui; quod sufficit, vt æquè iniustè, seu contra eamdem iustitiæ speciem retineatur. Et quamuis detentio vsurarum non tantum repugnet actuali voluntati domini, quantum debitum ex contractu vel furto, id non refert: quia hoc non prouenit ex eo, quòd intendat vsurario eas donare, vel aliquid iuris concedere: sed ex eo, quòd spem non habeat recuperandi; sitque malum necessarium sponte subeundum. Sicut qui sponte dat lytrum latroni, non renititur actuali voluntate (nisi inefficaciter) illi detentioni; & tamen non minùs iniustè ille detinet, quàm fur vel raptor. Itaque hæc actualis repugnantia, non facit vt detentio rei sit magis contra iustitiam, quàm aliàs esset; sed facere potest, vt magis sit contra charitatem: vt si quis vehementer se inde cruciaret. 20

Dvbitatio IV.

Quis ordo sit seruandus in solutione certorum debitorum.

Respondeo, Primò restituenda ea, quorum dominium non fuit translatum in debitorem. 21

Ordo restitutionis.

Secundò, Soluendum pro moderatis expensis funeris debitoris, L.pænultima.ff.de Religiosis, & sumptibus funeris. Huc etiam pertinent ea, quæ necessaria sunt ad conscribendum testamentum, ad faciendum inuentarium, ad custodiam supellectilis, & similia opportuna, vt fiat restitutio. Vnde si quis fecerit has expensas pro debitore, aut pro funere alterius, quem debitor sepelire debuisset; (vt pro funere vxoris, filij, vel mancipij) ei Iure naturali primò restitutio facienda est.

Tertiò, Soluendù iis, qui habent hypothecam, (quantum ea se extendit) ante alios, qui non habent, vt habetur L.Eos.9.C.qui potiores in pignore. Ratio est; quia hypotheca datur creditori ad securitatem, vt in omni euentu possit ex ea curare sibi satisfieri. 22

Quartò, Inter hypothecarios creditores, primò soluendum iis, qui tempore sunt priores; hæc enim regula Iuris, *Qui prior est tempore, potior est Iure*, intelligenda est de iis, qui in eadem re habet hypothecam, vt docet Siluester v. Restitutio 6. quæstione 5. & colligitur L.2.4.5.6.7.8.C. Qui potior in pign. hab. (vtrùm etiam vera sit in creditoribus personalibus, dicetur dubitat.6.) estque generaliter vera, siue hypotheca sit tacita, siue expressa, siue generalis, siue specialis, siue sit conuentionalis, siue iudicialis, siue Prætoria. Exceptis quibusdam casibus, in quibus posterior præfertur priori, vt statim dicemus. Neque solùm expressa prior, præfertur expressæ posteriori; sed etiam tacita prior, præfertur expressæ posteriori, vt patet in hypotheca dotali, quæ etsi tacita sit, præfertur tamen expressæ posteriori. vt docet Couarr. l.1.var.cap.7.num.2. & colligitur ex L.Hac edictali.6.§.His illud adiungimus. C.de secundis nuptiis. Similiter generalis prior præfertur etiam speciali posteriori: vt colligitur ex L.2.ff. Qui 23

Qui prior tempore.

potiores in pignore vel hypotheca habeantur.

24 *Nauarrus.* Vnde patet Primò, Falli Nauarrum cap.17. numero 50. & 51. & Siluestrum Restitutio 6. quæstione 5. dum dicunt, eos, qui expressas habent hypothecas, præferri iis qui habent tacitas. hoc enim verum non est, nisi illa expressa sit tempore prior; exceptis quibusdam casibus Iure declaratis.

25 *Siluester.* Patet Secundò, Falli Siluestrum, quando vult, eum, qui habet specialem hypothecam posteriorem, præferri habenti generalem priorem omnium bonorum, & prætereà specialem in aliqua re, quæ distincta sit ab hypotheca speciali alterius. Nec obstat L.2. C. de pignoribus & hypothecis, quam ipse pro se adducit; nihil enim aliud ibi dicitur, quàm tuum pignus posterius debere tibi saluum esse, si priori creditori, habenti generalem hypothecam, & etiam specialem in alia re, quæ à tuo pignore distincta sit, possit integrè satisfieri ex illa speciali. tunc enim non potest impedire tuam specialem, ratione suæ generalis prioris: qui enim præter generalem hypothecam etiam capit specialem, id facit, quòd primò velit vindicare specialem, & non attingere generalem, nisi in euentu quo specialis non sufficiat. Vnde sequitur, tuum pignus non fore tibi saluum, si alteri ex speciali illa hypotheca non possit integrè solui. & consequenter generalis prior præferetur speciali posteriori. vide Couar. lib.3. variarum cap.18.

26 *Posterior tempore aliquando præfertur priori.* Aduerte tamen, Esse aliquos casus, in quibus posterior tempore præfertur priori, habenti hypothecam expressam vel tacitam.

1. Mutuãs pro re conseruanda. Primus habetur L.5. π. Qui potiores in pign. Si tibi credidi, seu mutuaui pecuniã, ad refectionẽ vel conseruationem alicuius rei, alteri antè obligatæ; vt ad reficiendam vel armandam nauem: tunc enim præferri debeo aliis habentibus in eadem re hypothecam generalem vel specialem etiam expressam: cuius ratio est; quia sine tali mutuo pignus illud vel non extitisset; vel certè periisset; ac proinde prior creditor parum vel nihil ex eo habuisset commodi. vnde non potest ægrè ferre, quòd is, cuius pecuniâ saluum est, prior ex eo solutionem illius pecuniæ accipiat.

2. Mutuãs pro re custodienda. Secundus habetur L.6. suprà. Si tibi mutuaui, v.g. 100. vt satisfaceres pro mercium vectura, vel pro conductione ædium in quibus asseruarentur; manent mihi merces istæ obligatæ, ita vt primus solutionem ex illis habere debeam ante alios, generalem vel specialem, tacitam vel expressam hypothecam habentes.

3. In hypotheca dotali. Tertius est, In hypotheca dotali, per quam bona mariti sunt obligata vxori, eiusque descendentibus, ita vt ipsa & ipsius filij ex illis suam dotem ante alios creditores, habentes tacitas hypothecas priores, possint deducere; vt patet L. Assiduis. 12. C. Qui potiores in pignore.

27 Notandum tamen est Primò, Dotem non præferri hypothecæ expressæ priori. Ratio est; quia lex non intendit doti dare priuilegium cum iniuria priorum creditorum, qui ex speciali conuentione iam ius habebant in bonis debitoris. valdè enim durum esset, per nuptias viri superuenientes, omnes priores amittere ius, quod expressè pacti erant. Secùs est de iis, qui habebant tacitam priorem, lege introductam; his enim dos præfertur. nisi etiam priuilegium prælationis habeant, vt in casu primo & secundo,) quia lex potuit suum beneficium, quod concedit prioribus, ita restringere, vt postponatur priuilegio mulieris in causa dotis, vt docet Siluester v. Dos, num.14.

Hinc patet, non sequi, Expressa hypotheca prior præfertur doti posteriori, & hæc dos præfertur mutuo posteriori pro refectione; ergo expressa hypotheca prior, præfertur illi mutuo posteriori. vide Couarru. lib.1. variar. cap.7. vbi ostendit, in iis, quæ Iure humano constant, non esse necessarium, vt si a vincat b, & b vincat c, a vincat c. Idem Siluester suprà. 28

Notandum Secundò, Dotem non præferri priuilegio, quod habet is qui mutuauit pecuniam iuxta primum & secundum casum, nisi tempore dos sit prior; vt rectè docet Siluester suprà. Neque contrarium colligitur ex Nouella 97. cap.3. (vt quidam putant) quia ibi solùm dicitur, *Eum, qui mutuauit ad ædificationem vel refectionem domus vel nauis, non præferri doti priori, sicut præfertur aliis non priuilegiatis.* Hinc tamen non sequitur, dotem posteriorem illi præferri, aut illum doti posteriori non præferri. 29

Quartus casus est, Quando ex pecunia pupilli empta est res aliqua, illa res manet pupillo obligata ante omnes; ita vt si ea alteri sit hypothecata, ipse sit præferendus, vt possit recuperare pretium. Idem colligitur ex L. pænultim. C. de seruo pign. dato. 30 *4. Emptum pecunia pupilli.*

Quintus est, Si tibi dem mutuam pecuniam ad emendam domum, vel prædium, vel rem aliam, cum pacto expresso, vt ea res mihi maneat hypothecata pro debito; præferar aliis creditoribus, habentibus hypothecam generalem in omnibus tuis bonis, quamuis talis hypotheca comprehendat etiam bona futura, & consequenter hanc ipsam domum. Ita habetur L. Licet.7. C. Qui potiores in pign. vide Couarr. sup. num.3. *5. Mutuãs ad aliquid emendum, &c.*

Sextus est, Quando quis contraxit cum fisco, manent ipsius bona fisco obligata cum priuilegio prælationis. Idem ius habet fiscus ratione tributi nondum soluti. Vnde omnia bona Receptorum & Redemptorum vectigalium, sunt fisco hypothecata, L.2. C. de priuil. fisci dos autem & fiscus pari Iure censentur. L. Dotis tuæ. 9. C. de Iure dotium. vide Couar. suprà. 31 *6. Contrahens cum fisco.*

Septimus est, Quando quis alicui credit pecuniam ad militiam, v.g. vt emat equum, arma, vel vt se in militia sustentet; habet hypothecam Iure prælationis, etiam ante dotem, etsi dote sit posterior, vt patet ex Nouella Iustiniani 97. cap.4. Vnde huic ex bonis mariti integrè soluendum, quamuis vxoris dos esset peritura. In his casibus non est seruanda illa regula, *Qui prior est tempore, potior est Iure*: nam habent priuilegium, vt præferantur, etiamsi tempore sint posteriores; non quidem semper omnibus, sed quibusdam. In ceteris autem hypothecis, tale priuilegium non habentibus, & in his quæ æquale priuilegium habent, est seruanda, ita vt integrè satisfieri debeat ei qui priorem hypothecam habuerit. Verùm accurata horum tractatio est Iurisperitorum. vide doctissimum tractatum de pignore Antonij Negusantij. 32 *7. Credens ad militiam.* 33

Quintò, Post eos qui habent hypothecam, si quid superfit, soluendum creditoribus personalibus, id est, qui non habent vllam rem debitoris, sibi immediatè in genere vel in specie obligatam, sed 34 *Creditores personales.*

Habentes priuilegium personale.

sed solam personam. Inter hos Primo loco soluendum iis, qui habent personale priuilegium prælationis, absque hypotheca; quale habet sponsa de futuro, in bonis sponsi, ratione dotis traditæ, non secuto matrimonio, vt docet Glossa in L. Eos. 9. C. Qui potior in pign. &, Qui deposuit pecunias apud nummularium, non percipiens inde vsuras, vt patet L. Si hominem. 7. §. 2. ff. depositi, vel contrà. quod quidam DD. extendunt ad omnia deposita, & ad commodatum & ad pignus, si dolo vel culpa debitoris perierint. Item ad pecuniam depositam in societate mercatorum ad negotiationem. Si tamen hæc extaret, etsi mixta esset, ante hypothecas restituenda esset, quia in specie est aliena: nam quando talia voluntate dominorum commiscentur, singulę partes fiunt communes; vt habetur §. Si duorum. Instit. de rerum diuisione, & L. Marcellus. 3. §. Pomponius, ff. de rei vindicat Secundo

Depositum, commodatum, pignus.

35 *Chirographiarij.*

loco soluendũ ceteris creditoribus chirographiariis ex titulo oneroso, cuique pro rata; non habita ratione temporis prioris vel posterioris, quo debitum est contractum. Ita Siluester suprà & Nauar. cap. 17. numero 51. Tertio loco soluendum creditoribus ex titulo gratuito; vt si defunctus alicui piæ causæ aliquid vouerat. Quartò, reliqua erunt pro heredibus & legatariis; ita tamen vt heredes præcedant legatarios ad suam legitimam obtinendam, si sunt heredes necessarij: vel ad quartam bonorum (quæ dicitur Falcidia) si non necessarij.

36 *Obligant in conscientia.*

Quæ hactenus dicta, Iure communi Cæsareo seruanda sunt, vbi & quatenus illud est receptum. Quòd si in aliquibus locis sint hac de re aliæ aliquæ leges, vel consuetudines rationi consentaneæ, eæ sunt seruandæ; & quidem in foro conscientiæ, vt docent communiter DD. vnde fallitur Gabriel in 4. d. 15. quæstione 2. dub. vltim. vbi dicit, quæ Canonistæ disputant, quinam Iure potiores sint in restitutione, potiùs ad iudicij quàm ad conscientiæ forum spectare. Nam hæ leges non nituntur præsumptione, sed æquitate naturali, ex qua propter bonum commune statuunt hunc ordinem: quod non minùs potuerunt facere, quàm transferre dominia vsucapione. omnis autem lex

37 *Lex humana.*

humana rectæ rationi consentanea, quæ non nititur falsa præsumptione, seruanda est in conscientiæ foro.

Dvbitatio v.

Vtrùm priùs petenti liceat priùs soluere.

38 *Soluens posteriori.*

Dico Primò, Si debitor vel eius heres soluat posteriori, omisso eo qui habet hypothecam priorem, vel priuilegiatã, sciens id fieri cum damno prioris, tenetur priori de damno; & potest prior recuperare à posteriore quod solutum est. Patet L. Scimus 22. §. Etsi præfatam. C. de iure deliberandi.

39 *Prior petens.*

Dico Secundò, Si sint plures creditores personales, inter quos nullum sit priuilegium prælationis, & aliquis ex illis exigat ante alios solutionem debiti, siue in iudicio, siue extra; potest & tenetur debitor ei integrè soluere, etiamsi tempore esset posterior. Ita docet Nauarrus cap. 17. num. 52. & Silu. Restitutio. 6. quæst. 8. & colligitur ex L. Pupillus. 24. ff. Quæ in fraudem creditorum. Ratio est, quia diligentia posterioris creditoris fecit eum potiorem, sicut hypotheca vel priuilegium, vt dicitur in prædicta lege. vnde sequitur, creditorem posse petere integrum debitum, quando timet debitorem non fore omnibus soluendo; & retinere, vbi acceperit.

Petes, Vtrùm non petenti possit debitor, sciens statum suum labantem, integrè satisfacere, vt ei gratificetur.

Respondeo, Non posse, quia Ius hoc non concedit. Cùm enim iste par sit aliis Iure, neque diligentia in petendo faciat eum potiorem; non potest ei fieri integra restitutio cum damno aliorum: sed pro rata, vt rectè docet Nauarr. suprà. Addo tamen, eum, qui in hoc euentu solutionem accepit, non teneri in conscientia restituere; quia non accepit rem alteri obligatam. Et colligitur ex L. Quod autem. 6. §. 6. & 7. ff. Quæ in fraudem creditorum. Idem dicendum, etiamsi alij creditores habeant priuilegium personale prælationis absque hypotheca, vt colligitur ex L. dicta, vbi dicitur: *Qui debitum pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur*, (id est, auctoritate Iudicis occupentur ab aliis creditoribus) *quamuis sciens prudensque soluendo non esse, recipiat; non tenetur hoc edictum*; nempe quo reuocantur ea quæ in fraudem creditorum alienata sunt. Idem docet Molina disp. 536. etiamsi Siluester & alij contrarium sentire videantur.

40 *Offerens non exigenti.*

41 *Potest solutum retineri.*

Nec refert, quòd ad hoc induxeris debitorem, quia Iura id concedunt, teste Molina. Nec obstat L. Pupillus. 24. ff. eodem tit. quia est alius casus, in quo tutores sponte gratificati sunt vni ex creditoribus. vnde dicitur ibidem, *tale debitum reuocandum*: quod intellige *per Iudicem*. quare nisi sic reuocetur, poterit ille creditor retinere.

Dvbitatio vi.

Vtrùm regula illa Iuris, Qui prior est tempore, potior est Iure, possit extendi ad creditores personales.

42 Mvlti Doctores affirmant, illam locum habere in omnibus creditoribus eiusdem ordinis, id est, quorum alter non habet aliunde priuilegium prælationis contra alterum. Ita Gabriel d. 15. quæst 2. dub. vltimo. Medina C. de restitut. q. 2. dub. 5. Salon. quæst. 62. art. 8. in fine. Valentia disp. 5. q. 6. puncto 10. Toletus lib. 5. cap. 25. Emanuel Sà v. Restit. nu. 63. Idem videtur sentire Nauarr. cap. 17. num. 53. in fine. Probatur Primò, Quia quò diutiùs creditor caruit suo, eò strictiùs ei debetur, & eò citiùs est ei restituendum. Secundò, Quia maiori incommodo priùs est occurrendum: atqui is qui diutiùs caruit suo, plus accepit incommodi; ergo. Hæc sententia, ob auctoritatem horum DD. non est improbabilis, & est satis rationi consentanea: nam quando priùs debitum contrahitur, debitor est magis soluendo, quàm posteà quando noua debita accedunt. vnde par esse videtur, vt primus creditor non fraudetur propter debita posteriora. non enim debent ipsi esse fraudi posteriora debita ex contractu vel delicto, cùm eo tempore, quo cum illo contraxit, illa non habuerit. Accedit, quòd illa regula, *Qui prior est tempore, potior est Iure*, non solùm intelligenda sit in habentibus eamdem rem sibi hypothecatam, sed

Est probabilis.

43

etiam in ordine consessus Canonicorum in Capitulo; In ordine subscribendi instrumentis actuum capitularium; In habentibus gratias expectatiuas in eadem Ecclesia; vt notat Glossa in illam regulã. Imò eadem Glossa dicit eam seruandam inter plures creditores, quando venduntur res debitoris, vt illis satisfiat. quare non obscurè est in hac sententia.

44 *Contrarium verius.* Contrarium tamen puto verius, nempe non esse seruandam inter creditores chirographiarios seu personales carentes hypotheca vel alio iure prælationis; sed tantùm inter creditores habẽtes eamdem rem sibi hypothecatam. Ita expressè docet Siluester, Restit. 6. quæst. 5. & D. Anton. p. 2. tit. 2. c. 7. §. 3. ex Baldo; & alij passim. colligitur ex L. 1. ff. de separationibus. vbi dicitur: *Licet alicui, adiciendo sibi creditorem, creditoris sui deteriorem facere conditionem*, &c. & ex multis legibus C. Qui potiores in pign. vbi tantùm hypothecis applicatur hæc regula.

Dvbitatio vii.

Vtrùm inter chirographiarios carentes priuilegio prælationis, possit satisfieri pauperi, omissis ditioribus.

45 *Soluens pauperiori.* Mvlti DD. affirmant id fieri posse. Medina suprà: *Si debitor posterior, est longè pauperior priore, tunc debitum posterioris videtur præferendum, quia maiori damno prius occurrendum.* Idem tenet Salon. ob eamdem causam. Idem expressè docet diuus Thomas opusc. 73. cap. 18. & probat; *quia plus læsus est pauper ablatione suorum, & plus indiget.* Emanuel suprà, ait, *excusari eum, qui soluit prius petenti vel valdè indigenti.* Siluest. Restit. 6. in fine, dicit *talem excusari fure poli, non tamen fori.*

46 *Verius non licere.* Sed contrarium videtur verius. Probatur: quia pauper neque Iure positiuo habet ius prælationis, vt patet: neque Iure naturali, nisi fortè sit in extrema vel graui necessitate, ita vt charitas obliget illi subuenire. tunc enim creditor diues meritò pati debet debitum suum differri vel numquam solui, vt alteri, par ius habenti, in tanta afflictione consulatur. Quòd si pauper non tanta prematur inopia, non potest alter penitus priuari, vt illi integrè satisfiat. Nec refert, quòd pauper plus incommodi sentiat ex dilatione vel priuatione partis rei debitæ; hinc enim non sequitur, illum habere ius prælationis, sed vt summum, ceteris paribus, amplius posse ei solui, quàm diuiti, qui tale incommodum non sentit. sicut plus restituendum ei, cui debentur 100. quàm cui 50. quando secundùm proportionem fit solutio.

47 *Contrarium non est omnino improbabile.* Nihilominùs fateor sententiam alteram non esse omnino improbabilem, præsertim cùm diuus Thomas tam expressè illam teneat.

Dvbitatio viii.

Quo loco & cuius expensis facienda est restitutio.

NOtandum est, Obligationem restitutionis nasci vel ex iniusta acceptione, vel ex re accepta, vel ex contractu, vt explicatum est suprà cap. 7. dub. 5. Nunc

Dico Primò, Si debitum ortum sit ex iniusta 48 *Si ex delicto debita, expensis debitoris restitut.* acceptione, restitutio facienda est expensis debitoris, idque eo loco, vbi dominus illam possessurus erat, si ablata non fuisset: ita Caietanus 2. 2. q. 62. art. 5. circa solutionem tertij argumenti, Sotus l. 4. de Iust. quæst. 7. art. 1. circa solutionem tertij argumenti. Couar. ad reg. Peccatum, 1. p. nu. 9. Ioannes Medina C. de restit. q. 2. dub. 3. Probatur, quia ex eo quòd dominus rem suam amiserit debitoris iniquitate, non debet vllum damnum sentire; sed lege iustitiæ debet ita fieri restitutio, vt in pristinum statum restituatur, perinde ac si res ablata non fuisset: ergo restitutio non debet fieri ipsius expensis, sed debitoris, qui sibi imputet, quòd eas subire cogatur.

Dices Primò, Ergo tenetur ad amplius, quàm 49 ad rei ablatæ seu damni illati compensationem.

Respondeo, Verum est, teneri ad amplius, quàm damnum secundùm se consideratum æstimetur; non quidem vt dominus inde amplius accipiat commodi, quàm accepit detrimenti: sed quia id est necessarium tamquam medium, vt fiat restitutio. qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium necessarium.

Dices Secundò, Non debet imputari debitori, quòd creditor in alium locum migrauit: ergo tunc illius sumptibus non erit mittenda.

Respondeo, Negando consequentiam; quia creditor non debet amittere libertatem transferendi se quò libuerit, ob iniustitiam debitoris; qui sibi imputet, quòd sumptus illos in restitutione facere cogatur. debebat enim rem relinquere in bonis creditoris; sic enim cum aliis paruo vel nullo sumptu translata fuisset. si tamen creditor facturus erat sumptus in re illa asportanda, possunt deduci. non enim teneris illi cum lucro restituere, sed satis est vt ex ablatione nihil damni sentiat, de quo vide Couar. suprà.

Notandum tamen est, Si res non potest sine ma- 50 *Si magni sumptus.* gnis sumptibus restitui, posse ex quadam æquitate naturali differri restitutionem, modò inde dominus vel nihil vel parum damni capiat. Si tamen ea est rerum constitutio, vt nisi modò restituas, posteà nec ipsi nec heredibus restituere possis, omnino nunc restituenda vel res ipsa, vel iustum rei pretium, quamuis magnæ expensæ essent faciendæ; quia dominus non ideò potest re sua in perpetuum priuari, quòd debitor tantumdem in sumptum impendere cogatur. nisi probabile esset, domino in hoc casu non displiciturum, vt amicis eius vel pauperibus detur: quod per litteras ab eo peti debet, si res est ambigua. si verò spes sit, fore vt aliquando restituatur sine tanto sumptu, poterit restitutio differri. si res sit parui momenti, & sine duplo vel triplo sumptu restitui nequit, probabile est, pauperibus dari posse; præsumi enim potest id domino non displicere.

Dico Secundò, quæ debentur solùm ratione 51 *Si non ex delicto.* rei acceptæ, restituenda sunt in loco vbi habentur; nec teneris ea mittere domino expensis tuis, sed mittes expensis domini: vt, si bona fide emeris rem à fure. Ratio est; quia cum tuo damno non teneris dominum in pristinum statum restituere, cùm eum per iniuriam non deturbaueris, sed solùm teneris ad rei custodiam; monito interim domino vt significet, quo modo velit eam sibi

sibi transmitti. qua in re non teneris vllos sumptus ferre. imò si contingat te in alium locum migrare, nec possis eam commodè apud aliquem, qui restituat, deponere, sed cogaris auehere, potes expensas à domino repetere: qui tenetur ad omnes expensas rei suę custodiendæ necessarias, in vtilitatem ipsius factas; vt habetur expressè L. 2. π. de negotiis gestis.

52 *Si ex contractu.* Quod attinet ad ea quæ ex contractu debentur, hæc sunt triplicia. Vel enim debet restitui idem numero, vt depositum, commodatum, pignus; vel debet restitui quid distinctũ, quod pro alio commutatur, vt in mutuo, venditione, locatione, &c. vel debet restitui id pro quo nihil accipitur, ita vt solùm ex altera parte sit obligatio; vt in promissione, donatione, testamento, legato. His positis,

53 *Si res eadem numero reddenda.* Dico Tertiò, Quæ debentur ex contractu, in quo res eadem numero est restituenda, si in alterius tantùm partis vtilitatem accepta sint, debent eius expensis restitui: idque eo loco, vbi sunt tradita; nisi aliter iusta aliqua pactione conuentũ sit. Prior pars patet; quia par non est, vt eius expensis restituatur, cuius commodum in contractu non quæritur: ergo. Altera probatur; quia in huiusmodi contractibus tacitè censentur pacisci de eodem loco; nisi ob aliquam causam extrinsecam aliter expressè inter illos sit conuentum. æqualitas enim postulat, vt sicut idem restituendũ quod acceptum est, ita etiam eodẽ loco. Hinc fit, vt si tua causa equum

54 *Commodatum.* commodatum acceperis, tenearis eum tuis expensis restituere in eum locum, in quo tibi traditus est. Non tamen teneris eum in locum remotum mittere, in quem fortè dominus commigrauit; quia ibi commodatum non accepisti, nec illius longinquitatis es causa, sed dominus sibi imputet, quòd commodatum ante discessum non repetierit.

Depositum. E contrario, si depositum gratis custodiendum accepisti, restituendum est expensis deponentis; quia par non est, vt depositarius, cùm nihil commodi ex deposito perceperit, suis expensis illud ad dominum remittere cogatur, siue dominus in eodem loco manserit, siue aliò commigrauerit. Secùs est, si depositarius in alium locum remotiorem commigraret: quia tenetur rem depositam repræsentare in eo loco, vbi eam custodiendam accepit, vt inde expensis domini restituatur. Idem dicendum de commodato, quod gratia solius commodantis acceptum est.

Sed quid, si depositum surripiatur & transferatur in alium locum; cuius expensis remittendum erit ad depositarium?

55 *Si depositum translatum fuerit.* Respon. Si sine culpa lata depositarij translatum est, debet quæri & referri expensis domini deponentis, non autem depositarij; quia vitium & incommodum quod obuenit deposito sine culpa lata depositarij, non est ei præstandum, sed auctori: si verò ex culpa depositarij lata factum sit, tenetur suis expensis; imò si pretio illam custodiat, tenebitur etiam ex culpa leui, iuxta ea quæ diximus c. 7. dubit. 6.

Dico Quartò, Quæ debentur ex contractu, in quo pro re accepta est reddenda alia, restitutio ex natura contractus non quouis loco fieri potest, sed ibi facienda est, vbi res, pro qua datur, est accepta, secundùm quem locum etiam res quæ datur est æstimanda. Prior pars, *non quouis loco fieri posse restitutionem*, probatur, quia hoc sæpè alteri parti esset magno damno; vt si emens Antuerpiæ, vellet soluere in Hispania; vel contrà. ergo debet esse certus aliquis locus, in quo ex natura contractus fiat solutio. is autem est, vbi res vendita, mutuata vel permutata, fuit tradita & accepta. nullus enim magis iustitiæ congruit, eò quòd in omnibus istis contractibus vna res in locum alterius quasi substituitur; quod perfecto modo fieri nequit, nisi idẽ locus seruetur. Hinc fit vt nemo ex vi mutui possit obligari vt alibi reddat: aut ex contractu venditionis vel locationis, vt alibi pretium soluat. Nam hi contractus vt iusti sint, reducendi sunt ad æqualitatem respectu certi loci, in quo res prior traditur. Idem dicendum de emptione censuum. hi enim ex natura contractus non sunt soluendi in loco vbi est creditor, sed vbi ipse census est constitutus, seu vbi est res illa, in qua obligatio est constituta, v. g. domus, ager, pratum, &c. nam pensio annua est veluti fructus hypothecæ, qui non est alibi, ex natura contractus, tradendus, quàm vbi nascitur. Quòd si census sit omnino personalis, nullam habens hypothecam, soluendus est vbi iusta pactione constitutus fuerit. Si in pactum non est deductũ, soluendus est in loco, vbi debitor cõmoratur; qui immediatè in ipso debitore constitutus est. quod intellige, si debitor non abeat valdè procul. si enim tam procul discedat, vt emptori inde graue incommodum oriatur in pensione exigẽda, ita vt si de eo cogitasset, noluisset censum emere; tenebitur debitor mittere ad locum priorẽ. His tamen non obstat, quin contrahentes possint de alio loco solutionis pacisci; modò hoc onus iusta mercede cõpensetur.

56 *Si alia reddenda.*

57 *Mutuum.*

Census realis.

58 *Personalis.*

Dico Quintò, Quæ debentur ratione donationis, legationis, testamenti, reddenda sunt in loco, vbi erant cùm donarentur; nisi aliud in ipsa dispositione expressum fuerit: ac proinde expensis eius, cui donata sunt. Patet, quia qui rem gratis dat, vel legat, non intendit se ad ampliùs obligare; sed permittit eam alteri, vt, si velit, suo sumptu illam auferat; si nolit, relinquat. si tamen heres aliò transferret, teneretur suo sumptu illam mittere, vbi erat priùs.

59 *Donata, legata, &c.*

Circa prædicta Nota, Quando res est restituenda expensis creditoris, eas ex ipsa re deduci posse, quando alia commodior via non suppetit; vnde si opus fuerit, poterit ea vendi vel ex parte, vt residuum ad creditorem mittatur; vel tota, si est indiuisibilis, (vt equus) vt ei pretium mittatur. Quòd si tantæ essent in remittenda re vel pretio expensæ, quanti valet, non est restituenda, sed monendus dominus: vel si id fieri nequit, danda pauperibus, si putetur dominus numquam ad viciniora loca venturus.

60 *Si magna expensa.*

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De causis excusantibus à restitutione, vel omnino, vel ad tempus.

Constat Dubitationibus 12.

1 IOANNES Medina C. de rebus restituendis, q. 3. enumerat 12. causas à restitutione excusantes, quas ordine prosequitur.

Prima est, Inopia debitoris. 2. Remissio creditoris. 3. Cessio bonorum. 4. Damnum, quod verisimiliter putatur creditori, vel Reipubl. vel alicui tertio obuenturũ. 5. Solutio facta creditori tui creditoris. 6. Rei debitæ interitus. 7. Iuris aut Iudicis auctoritas. 8. Religionis ingressus. 9. Excommunicatio creditoris. 10. Incertitudo creditorum. 11. Dispensatio vel compositio cum Papa. 12. Compensatio. De quibus breuiter dicendum.

DVBITATIO 1.

Quæ inopia vel impotentia excuset debitorem à restitutione.

2 *Extrema necessitas.* RESpondeo: Dico Primò, Extrema necessitas tua, vel tuorum, vel proximi, cui aliter subuenire nequis, nisi rem alienam vel alteri debitam impendendo, excusat à restitutione, quamdiu ea durat. Est communis DD. Ratio est; quia in tali euentu omnia sunt cõmunia, saltem quoad vsum, ita vt licitè quiuis possit occupare, sibique vindicare rem adeò necessariam, & ex eius vsu sibi & proximo opitulari, vt ostensum est cap. 12. dubit. 12.

Sed difficultas est, Vtrùm transacta necessitate tenearis ad restitutionem?

3 *Ea transacta, an restituendum.* Resp. Certum est, in quibusdam euentis, si res sit magni momenti, nec censeatur donata, te teneri, dum suppetet commoditas.

Primò, Si res adhuc extet; tunc enim teneris ratione rei acceptæ, vt si eguisti vsu rei, quo res non consumitur, vt equi, vestis, nauis, &c. non enim extrema necessitas ius tribuit ad amplius quàm opus sit, vt ex periculo te eripias. si quid ergo supersit, restituendum.

4 *Si debitum ex contractu.* Secundò, Si intercessit contractus, siue ante necessitatẽ, siue in ipsa necessitate, per quem translatum sit dominium: vt si acceperis mutuum, vel emeris; si enim ante necessitatem accepisti, & per illam rem te in extrema necessitate potes iuuare, non incidis in extremam necessitatem respectu opis alienæ, (de qua hîc agimus) id est qua res aliena tibi sit necessaria. nam per rem tuam, quam emisti anteà, vel mutuam accepisti, quæ in tuum dominium cessit, potes tibi consulere. vnde manifestum est, non esse tibi ius accipiendi & consumendi rem alienam. manet ergo obligatio per

5 *Si non erat translatum dominium.* contractum inducta. Si tamen per contractum non sit translatum dominium, vt in commodato, precario, conducto; & in extrema necessitate rem consumpseris, probabile est, te non teneri, nisi re, vel spe seu facultate propinqua diues sis. Ita Petrus Nauarra lib. 4. cap. 4. numero 26. Ratio est; quia non teneris ratione rei, vt quæ nec in se nec in pretio extet: neque ratione acceptionis, cùm eam Iure tuo consumpseris: neque ratione contractus, quia isti contractus non obligant re pereunte, nisi culpa tua perierit. hîc autem absque culpa perijt. colligitur ex Siluestro v. Restitutio 5. num. 2.

Tertiò, Si habes ex delicto (vt si furatus sis ante 6 *Si debitum ex delicto, teneris.* necessitatem) teneris, etiamsi posteà in necessitate consumas. quia obligatio iam antè contracta, per necessitatem superuenientem non est extincta, sed consopita: quare transacta illa necessitate reuiuiscit. Ita Scotus d. 15. quæstione 2. §. Ad argumenta. Idem tenent Richardus, Paludanus, & Siluest. Restitut. 5. numero 2. qui hos citat. Hæc sententia mihi videtur vera. Contrarium tamen est 7 *Contrarium probabile.* probabile, scilicet, te non teneri; vt docet Petrus Nauarra lib. 4. cap. 4. numero 24. & quidam alij. quia licitè potuisses accipere, si non habuisses anteà, & consumere. Addunt ijdem Doctores: Si 8 *Si absque peccato accepisti.* accepisti rem absque peccato, nempe in ipsa necessitate constitutus, te non teneri restituere, quia vsus es iure tuo, illam accipiendo & consumendo. Sed contrarium puto esse verius; nempe, si *Si res sit magni pretij, verius est te teneri.* res, quam consumpsisti, sit magni pretij, nec putetur donata, te semper ad restitutionem teneri, quando commodè poteris. Ita docet Nauarrus cap. 17. numero 61. & 62. Adrianus in 4. tractat. de restitut. §. Quia dictum. pag. 159. Couarruuias ad regul. Peccatum, p. 2. §. 1. num. 3. & 4. Medina quæst. 3. in Principio. Toletus lib. 5. cap. 24. Ratio est; quia extrema tua necessitas non transfert in te dominium rei alienæ, sed tantùm tribuit ius vtendi, idque prout opus est vt periculum euadas, & cum minimo alterius incommodo. ergo non aufert obligationem restitutionis faciendæ, si copiosior euaseris. Confirmatur, quia alter non tenetur eam dare, nisi quatenus opus est vt consulas tuæ necessitati: sed ad hoc sufficit, vt rem tibi vendat, vel mutuet, vel det cum obligatione restituendi, cùm veneris ad lautiorem fortunam: ergo. Quòd si res sit parui pretij, non teneris posteà restituere; maximè si re & spe seu proxima facultate pauper eras: quia talia non solent pauperibus sub onere restituendi dari, sed absolutè. ridiculus enim esset diues, qui à paupere pro aliquot panibus, vel calceis, vel trita veste, talem obligationem exigeret.

Petes, Quo Iure tenebitur restituere rem talem, si non intercessit contractus, quo se ad hoc obligarit, neque delictum?

Respondeo, Tenetur ratione cuiusdam tacitæ 9 *Quo Iure teneatur.* obligationis Iure gentium introductæ, qua quis rem alterius in necessitate consumens, se tacitè obligat ad rependendum, quando suppetet copia. etsi enim diuisio rerum non potuit impedire vsum

rei

rei alienæ, tibi necessariæ; fecit tamen, vt tenearis ad restitutionem, quando commodè poteris. rationi enim consentaneum est, vt consulatur tuæ necessitati absque notabili alterius damno. Alioquin si exercitus extrema inopia laborans, absumeret bona multorum agricolarum, non teneretur ad restitutionem; quod planè falsum est. Tacitè ergo se obligant Iure gentium ad restitutionem faciendam, dum commodè poterunt.

Dices, Si quis in extremo periculo, dum fugit hostem, vtatur equo alterius, & contingat equum perire, non tenetur ad restitutionem, vt multi DD. docent. ergo non oritur tacita obligatio ex vsu rei alienæ.

10 *Si equus quo fugit pereat.* Respondeo, Si non sit probabile periculum interitus equi, non tenetur soluere pretium; quia interitus censetur fortuitus. sed solùm tenetur pro vsu, si ille sit diuturnus, vel cum notabili damno domini. Pari modo neque conductor tenetur ad pretium; quia res domino suo perit; nisi interueniat pactum, vel mora, vel culpa. Si autem sit periculum; verius puto, teneri soluere pretium, si intereat: etiamsi aliqui DD. indistinctè loquentes, contrarium sentire videantur. quia sicut dominus in hoc casu non tenebatur absque illo onere concedere, ita non videtur ipse sine tali onere accepisse; cùm æquitas naturalis & Ius gentium videantur ad hoc obligare: non enim plus iuris potest sibi in re alterius vindicare, quàm alter tenebatur concedere. vide Nauarrum & Couar. suprà.

11 *Præceptum eleëmosynæ.* Hinc tamen non sequitur, præcepto eleëmosynæ satisfieri mutuando; sed benè donando sub conditione, quando res est magni pretij. quod verum est; nemo enim potest iure queri sibi 20. vel 30. aureos non dari absolutè, sed cum onere vt teneatur refundere, si locuples aliquando euaserit.

12 *Si creditor in pari necessitate.* Petes, Quid si creditor sit in pari necessitate?

Respon. Primò, Si creditor subtractione illius rei coniectus est in illas angustias, teneris illi restituere. Primò, quia subtrahere alicui rem qua ille extremè indiget, est perinde atque occidere. Secundò, quia in pari causa melior est conditio possidentis, præsertim domini. Ita passim DD. 13 Scotus, Siluester, & alij suprà. Secundò, Si verò creditor subtractione illius rei non est coniectus in extremum illud discrimen, sed aliunde incidit, non teneris illi in pari discrimine, quamuis sim:l inciderit, (etiamsi Scotus, Richardus & Paludan. contrarium teneant) idque non solùm quando res est sub dominio debitoris; sed etiam quando in specie est debita creditori: etsi Nauarrus num.60. cap.17. tunc contrà sentiat. Ita docet Caietanus quæst.62.art.5. Sotus lib.4. q.7.art.1.ad quartum argumentum, Toletus de peccatis mortalibus cap.39. Ratio est; quia pro eo tempore cessat vis & potestas dominij, Iure gentium introducta; & perinde se res habent, ac si diuisæ numquam fuissent. etsi enim dominium rei maneat apud priorem dominum quasi in habitu, tamen actus eius impeditur, perinde ac si non esset. itaque manent intra limites Iuris naturæ. Quare cùm, sepositio Iure gentium quo facta est diuisio, possit quisque sibi consulere ex re quam occupat & possidet; non tenetur eam tunc restituere domino. Vnde si antè occupaui tuum panem in solitudine, vel tuam sarcinam aut tabulam in naufragio, vel equum in fuga, non teneor tibi tunc restituere, etiamsi simul in extremum periculum inciderimus; quia per hanc subtractionem non incidisti in periculum, neque in periculo constitutus hanc rem occupaueras, vt per eam te saluares. Si eodem momento res sit occupata in extrema necessitate à duobus, tunc vel diuidenda est, si potest diuidi, vel sorte tribuenda.

Idem licitum est non solùm pro se, sed etiam 14 pro parente, vxore & liberis: hos enim in extrema necessitate præferri posse creditori, docet Sotus suprà, Lopez 1. p.cap.53. & Toletus de 7. peccatis mortalibus c.39. reuocans id quod dixerat lib.5. c.24. addens, etiam fratres in hac necessitate posse præferri creditoribus. Idque mihi videtur probabile; etsi Couarr. & alij id non concedant, nisi cuique pro se.

Dico Secundò, Non solùm extrema, sed etiam 15 grauis necessitas tua & proximi excusat, quamdiu durat; nisi creditor sit in pari necessitate. est communis sententia Doctorum, & patet ex dictis c.12. dub.12. vbi ostensum est, probabile esse, licere in hoc casu clanculùm surripere; ergo multò magis licitum est non restituere, etiamsi res in specie debita sit. Itaque ob periculum morbi, magnæ famis, nuditatis, & similis afflictionis, quam aliter nequis auertere, nisi rem alteri debitam impendendo, potest differri restitutio. hæ enim dicuntur graues necessitates. *Grauis necessitas excusat.*

Dixi, *quamdiu durat*, quia verius est, per hanc 16 necessitatem non extingui debitū, neque rem alienam magni pretij posse consumi, sine obligatione restitutionis faciendæ; quando commodè fieri poterit, vt patet ex supradictis. Non tenetur tamen de 17 lucro cessante vel damno emergente ex dilatione; quia non censetur esse in mora, neque tacitè videtur ad hoc se obligasse, cùm solùm per accidens eueniant ex dilatione. *Non extinguit debitum.*

Aduerte tamen, non esse improbabile, si is qui 18 consumpsit rem alienam in graui necessitate, re & spe pauper erat, non teneri postea ad restitutionem. Ita Siluester v. Furtum, quæstione 5. Angel. eodem, numero 37. vbi dicit, *Posset etiam dici, quod licet aliquis non sit in extrema necessitate, sine peccato & obligatione restituendi, possit occulte & bono modo accipere rem alterius, quando scilicet ille ita abundat, & iste ita eget, vt ex præcepto teneatur huic subuenire.* Idem tenet Petrus Nauarra suprà nu.26. vbi etiam docet, Si quid ante necessitatem abstuliſti iniustè, & in necessitate consumpsisti, debitum extingui; sicut antè dixerat de necessitate extrema. Hoc tamen non est concedendum, quando debitum est ex contractu, per quem translatum est dominium in debitorem; iuxta ea quæ diximus circa primam propositionem, numero 4.

Dixi, *Nisi creditor sit in pari necessitate*; quia 19 tunc tenereris ei restituere, iuxta communiorem Doctorum sententiam. Nam in pari necessitate (præter extremam) potior est conditio creditoris. Imò multi Doctores, vt Scotus, Richardus, Paludanus apud Siluestrum Restitutio 5.quæst.2. tenent, etiam in pari necessitate extrema esse restituendum. Sed contrarium est probabile, & fortè 20 verius. vt si debitor sit in graui necessitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non tenebitur restituere, etiamsi creditorem contingat in parem inci- *Si creditor inciderit in grauem necessitatem.*

incidere; modò debitor illum in eam non coniecerit; idque siue ex furto debitum sit ortum, siue ex contractu. Ratio est; quia non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui, videtur esse melior conditio possidentis, vt colligitur ex dictis cap.12. dubit.12. Ideò enim melior est conditio possidentis in extrema necessitate, quia tunc omnia sunt communia; ita vt ius habeas occupandi ea, quæ sunt apud alterum, non similiter egentem. & postquam occupasti, non teneris restituere, durante illa necessitate; quamuis alter casu in parem necessitatem inciderit, modò tu illum in eam non conieceris. atqui simile ius occupandi ex rebus alterius, ipsi nec ad personam nec ad statum necessariis, videtur concessum in graui necessitate, vt ibidem probabiliter est ostensum: ergo etiamsi alter postea incidat in similem statum, non teneris tunc illi restituere.

21 *Periculum salutis, rei familiaris, vel status, excusat.*

Dico Tertiò, Excusat etiam à restitutione statim facienda, Primò, magnum periculum salutis animæ tuæ, vel tuorum. Secundò, magnum detrimentum in rebus non debitis. Tertiò, notabilis iactura decentiæ status. Primum docet D. Anton. 2.parte, titul.2.cap.8. ex Scoto d.15. quæstione 2. §.vlt. & Henrico quodlib.6.quæst.24. Idem tenet Nauarr.cap.17.numero 57.vt si periculum sit, ne vxor vel filiæ præ inopia se prostituant, ne filij fiant latrones, ne ipse in desperationem præ impatientia incidas; vt rectè D.Antoninus. Magnæ enim sunt infirmitates animorum, quæ non quouis modo vinci possunt. Ratio est; quia quisque magis tenetur saluti animæ suæ & suorum consulere, quàm debita soluere. Debet autem hoc periculum esse *notabile*, ita vt non suppetat alia commoda ratio eius auertendi, nisi differendo solutionem. Secundum & Tertium docent ijdem Auctores & Couarr.ad reg.Peccatum, p.1.nu.2. Medina q.2.dub.4. & alij. Ratio est; quia in hisce casibus creditor secundùm rectam rationem tenetur consentire in dilationem: contra enim æquitatem & charitatem faceret, si vellet sibi cum tanto alterius incommodo statim satisfieri. ergo non peccas contra iustitiam, etiamsi differas. Patet consequentia; quia cùm omnis iniustitia sit contra rectam rationem, vbi rectæ rationis dictamen non læditur, non peccatur contra iustitiam, vt docet Scotus suprà. Confirmatur, quia nemo tenetur restituere, quamdiu dominus non potest iure esse inuitus circa detentionem: atque hìc non potest iure esse inuitus: ergo.

22 *Si res parui pretij esset vendenda.*

Hinc infertur Primò, Eum, qui debet 100. aureos, si non potest statim soluere, nisi domum vel prædium aliquod vendat multò minoris quàm valeat, non teneri statim, sed posse differre. Idque verum est non solùm quando debet ex contractu, sed etiam quando ex delicto, vt Nauarr. suprà ex D.Anton docet. Etsi Caietanus v.Restitut.q.6.& Sotus l.4.q.7.art.4. contrarium sentiat. Ratio est, quia etsi creditor, quando debitum est ex furto, non teneatur ex iustitia dilationem concedere; tenetur tamen ex æquitate & charitate. æquum enim est, vt creditor permittat differri restitutionem, quæ suo debitori tam est damnosa, cùm id sine

23 suo notabili incommodo facere possit. Itaque quando is est rerum mearum status, vt non possim debitum præstare statim, sine magna aliarum rerum mearum iactura, licitum est mihi ex quadam æquitate Iuris naturalis, differre, nisi fortè creditor simile detrimentum acceptarus puteruf. Secùs est, quando tales sunt circumstantiæ, vt nisi modò restitutio fiat, numquam sit futura. tunc enim, si res iniustè ablata est, statim restitui debet, etiamsi magni sumptus essent faciendi, vt dictum est cap.15.dub.8.

Dixi, *Aliarum rerum mearum*, quia si non pa- 24
terer iacturam nisi in rebus debitis, quibus me spolio dum soluo, non possem idcircò differre restitutionem. hoc enim non est propriè damnum pati in rebus suis, sed relinquere alienas & debitas. Similiter, si ex restitutione non paterer quidem damnum in rebus meis quas possideo, sed solùm in lucro quod intendo consequi; non possem idcircò differre, vt rectè Nauarrus numero 59. & Caietan. v.Restitut. cap.6. quia tunc nihil amitto de meo, sed solùm desino lucrum facere de alieno, seu alteri debito. atqui æquitas non dictat, alteri carendum esse rebus sibi debitis, vt ego ex illis lucrum capiam. quod tamen intelligendum est, nisi illud lucrum quæram, vt etiam aliis creditoribus meis satisfaciam; quibus alioquin soluere non potero. tunc enim charitas postulat, vt creditor permittat dilationem, si commodè possit. quia contra rationem est, vt velis tibi statim restitui cum tanto aliorum creditorum incommodo, quod dilata solutione posset vitari. Ita Petrus Nauarra lib.4.c.4. n.52. ex Corduba & Medina.

Si solùm desino lucrari.

Infertur Secundò, Si vir nobilis non posset 25
statim soluere nisi priuet se omni obsequio famulorum & equorum, cogaturque abstinere à consortio sui similium: & si ciuis primarius non possit statim, nisi ita se priuet, vt cogatur obire artem mechanicam sibi insuetam; posse differre restitutionem, donec absq; iactura status sui possint restituere. Quod intellige, *Si statum suum iustè obtinent*. debent tamen sibi detrahere quantum possunt intra limites decentiæ status, quę non consistit in indiuisibili, vt sensim restituant, vt notat Anton. suprà. Et quamuis, si debita sint ex deli- 26
cto, plerique existiment statim esse soluenda, etiam cum amissione status: verius tamen & æquius videtur, posse differri restitutionem, si statum illum iustè obtinent, & ex improuiso calamitas incidens, ad eas angustias redegerit, vt debita olim ex delicto constata, non possint dissoluere sine sui status amissione. Ita Nauarrus c.17.num.63. & Siluest. Restitut.5.quæstione 1.3.& 4. vbi dicit hanc sententiam esse veriorem & humaniorem, & pro ea citat Scotum, Archidiaconum, & Ioannem Nyder. videndum tamen, an creditores non sint in pari angustia.

Non teneris statim cum amissione decentiæ status.

Dices, Ob hanc causam non licet accipere alienum: ergo nec retinere; cùm hæc eiusdem rationis videantur.

Respondeo, Negando consequ. Minus enim 27
est retinere per aliquod tempus dum possides, quàm primùm à domino auferre, eumque possessione spoliare; sicut minus est non curare vulnus inflictum, quàm illud infligere; idque confirmat communis hominum sensus, qui minùs curant rem suam per aliquod tempus non restitui, quàm primò auferri.

Sed quid si ad eas angustias tua culpa sis redactus, v.g. ludis, comessationibus, superfluis sumptibus? 28

Si tua culpa eò redactus, non excusaris.

Respondeo, Tunc non mereris dilationem, neque debitorum ex cõtractu, neque ex delicto. Tibi enim

enim imputare debes, quòd iam sine status amissione non possis satisfacere. Secùs est, quando infortunium fuit improuisum. Ita docet Sotus l.4. de Iust.q.7.art.4. & Petr.Nauarra suprà num.44. Quod est notandum pro quibusdam nobilibus, qui debita sine fine contrahunt, vt supra conditionem sui status expendant.

29 *Si status iniquè partus, non excusatur.* Dixi, *Si statum illum iustè obtinent*; Quia si quis rapinis, vsuris, & similibus fraudibus ad aliquem honorabilem statum peruenisset, teneretur etiam cum eius amissione confestim restituere, vt communiter docent DD. Ratio est; quia hoc non est tam statum suum amittere, quàm alienum dimittere, & ad suum reuerti. Quod est valdè notandum pro multis hoc tempore, qui magnis fraudibus repentè diuites & magni euadunt. non enim possunt differre restitutionem vsque ad mortem; sed tenentur statim restituere, etiam cum dimissione status malè acquisiti. Hoc tamen intelligendum, nisi debitor iste passim habeatur vir probus & honestus, & non possit subitò statum mutare, nisi de suis fraudibus se infamet: tunc enim sensim posset restituere; quia periculum infamiæ excusaret, ne statim teneatur.

Dices, Dimittere statum, semper est quædam infamia: ergo qui restituendo deberet eum dimittere, numquam debet restituere.

30 Respondeo, Negando antecedens; quando enim passim scitur statum illum fraudibus comparatum, nulla est infamia illum deponere, sed hoc potiùs bonam famam conciliat, malamque abstergit. Quando verò putatur iustè acquisitus, tunc interdum dimissio status infamiam parit. nempe si homines inde suspicentur iniustè conquisitum fuisse.

31 *Si creditor simile damnum patiatur.* Petes, Quid si creditor ex dilatione par damnum accepturus sit in re familiari, vel statu?

Resp. Tunc teneris statim restituere, vt communiter docent Doctores; quia iactura rei familiaris vel status, non tribuit tantum iuris, quantum extrema vel grauis necessitas, nec facit vsum rerum communem. Itaque in causa paris damni, potior est conditio creditoris.

32 *Discrimen inter debita ex delicto, & ex contractu.* Notanda est quædam differentia inter dilationem debitorum ex contractu iusto, & debitorum ex delicto: quando enim licitè differo solutionem eorum quæ ex delicto debeo, teneor compensare damna, si quæ interim eueniant creditori, & lucrum cessans ratione dilationis. Ratio est; quia iniustè fui causa, dum accepi rem illam lucri cessantis vel damni emergentis; debebam enim aduertere, facilè hoc incommodum ex ea acceptione euenire. Quando autem licitè differo solutionem debitorum ex contractu iusto, tunc probabile est, me non teneri compensare damna, si quæ fortè ille interim patiatur. Docet hoc Petrus Nauarr. numero 56. Ratio est; quia talis (inquit) non est in mora. Quod existimo verum esse, si debitor inciderit in grauem necessitatem, vel in eam inopiam, vt non possit sine amissione status restituere: non autem si dumtaxat damnũ aliquod pecuniarium esset passurus, quale creditor patitur. tunc enim si solutionem differat, vt damnum vitet, debebit creditorem reddere indemnem, quamuis ex contractu debeat. Nam contractus tacito consensu videntur sic intelligendi; vt videlicet post terminum tenearis soluere, vel damna emergentia compensare, nisi fortè interim in grauem necessitatem incideris, aut in eam inopiam, vt si tunc restituas, statum tuum retinere nequeas. tunc enim non est par creditoris & debitoris necessitas. Fortè tamen in censibus soluendis, illa sententia locum habere possit. nemo enim in his cogitur ad præstandum damnum creditori obueniens, aut ad lucrum ei cessans compensandum, quando sine notabili suo damno non potest statutis terminis soluere. Addo, Quando debitum est ex delicto, debitorem non teneri de damno emergente vel lucro cessante pro eo tempore, quo non poterat restituere, nisi coniiciendo se in grauem necessitatem, vt ex suprà dictis colligitur.

33 *Grauis necessitas, & amissio status excusant à compensatione damni emergentis.*

Dvbitatio II.

Vtrùm remissio creditoris excuset.

34 *Condonatio creditoris.* Respondeo, Sicut dilatio concessa à creditore excusat, ne statim tenearis; ita *remissio*, ne vnquam tenearis; est communis DD. Caietani v. Restit. c.7. Couarr. ad reg. Peccatum, p.2. num.1. Soti lib.4. quæst.7.a.4. Nauar. c.17.n.45. &c. Ratio est; quia sicut creditor potest ius suum, quod habet in debitorem, alteri donare; ita etiam ipsi debitori; quod est remittere: quia remissio est quædam donatio. Nec refert, etiamsi debitor non haberet animum restituendi; quia etsi peccet, tamen debitum extinguitur, si alter liberè remittat. Hìc tamen tres requiruntur conditiones ex communi DD. sententia.

35 *Primò debet esse libera.* Prima est, Vt hæc remissio sit *omnino libera*, id est, non extorta metu vel fraude; iuxta ea quæ dicenda sunt cap.17.dubit.5.&6. tunc enim etsi fortè aliquo modo sit valida, tamen ad arbitrium donantis est reuocabilis; & donatarius tenetur vim & fraudem tollere, & donatorem in suam libertatem restituere, vt ratum habeat vel irritum, quod deceptus vel compulsus fecit. *Metu extorta* censeretur, si expresè vel implicitè debitor minaretur creditori, nisi integrè vel ex parte remittat: quod interdum fit, quando potentes debent mechanicis aut mercatoribus. Similiter si cogeret eum subire multas molestias in sollicitando, læpè venire frustrà, diu expectare, &c. *Fraus esset*, si fingeret se longè pauperiorem, quàm reuerà sit. Blanditiæ autem & preces non obsunt, quia non reddunt condonationem inuoluntariam; nisi fortè præter modum essent importunæ, ita vt quis mallet sua pecunia priuari, quàm tanta importunitate sollicitari. tunc enim remissio non valeret in conscientia; quia causa redimendæ iniustæ vexationis fieret. Non tamen hìc opus est præsentem exhibere pecuniam, vt quidam putant. Imò vt rectè notat Caietanus, expedit vt pauper non offerat diuiti rem debitam, quando petit remissionem; quia fortè præsentia rei moueretur ad non condonandum, vel certè esset difficilior. faciliùs enim remittimus non habita, quàm ea quæ iam habemus in potestate. quandocumque tamen creditor ex signis præsumitur non liberè condonasse, debitor non liberatur.

36 *Secundò, vt possit condonare.* Secunda conditio est, *Vt possit condonare*. nemo autem potest condonare, nisi qui donare. vnde pecunia debita non potest filius familias remittere, sicut nec vxor mariti.

Tertia,

37 Tertiò, vt Ius non resistat condonationi.

Tertia, Vt condonatio *non fiat in casibus Iure exceptis*, qui tres inueniuntur. Primus casus est, Si Episcopus vel Archiepiscopus visitans Ecclesias, aliquid accipiat ab eis præter sumptus, qui necessarij sunt ad victum illis diebus, quibus visitat: tunc enim tenetur ad eius restitutionem intra mensem; & quidem in duplum, etiamsi libera eis fiat remissio à dantibus. Quòd si intra mensem duplum non restituerint, Archiepiscopis & Episcopis interdictus est ingressus Ecclesiæ: inferiores autem ab officio & beneficio sunt suspensi, quousque grauatis Ecclesiis de duplo huiusceomodi satisfactionem impendant. Ita habetur cap. Exigit, de censibus & exactionibus, quod est Gregor. X. in Conc. Lugdun. & cap. sequenti, in 6. quod est Bonifacij VIII. quod nonnihil moderatur caput præcedens; quia permittit, vt sumptus necessarios recipiant in pecunia, cùm Gregorius solùm escu-

Episcopi visitantes.

38 Lex pœnalis obligans ante sententiam.

lenta permitteret. Notandum hîc est, legem pœnalem de duplo obligare ante sententiam; quod perrarum est, nec vmquam præsumitur, nisi ex modo loquendi sit euidens. Secundus casus est, Si Iudex delegatus aliquid receperit à partibus, nisi

39 Iudices delegati.

fortè esculentum aut poculentum, mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi: vel si, dum cogitur extra domicilium proficisci, acceperit plusquam moderatas expensas; vel denique si aliquid acceperit, quando partes sunt notabiliter pauperes; tenetur ad restitutionem, non obstante quauis remissione. Patet ex cap. Statutum.

40 Inquisitores.

§. Insuper, iuncto §. Si quid, de rescriptis, in 6. Tertius casus, Si Inquisitores prætextu officij Inquisitionis pecunias extorserint; tenentur restituere, nullis priuilegiis, pactis vel remissionibus, super hoc valituris. Clement. Nolentes, de hæret.

41 Canonicus.

His adde Quartum, Si Canonicus, qui Officio non interest, accipiat distributiones, tenetur ad restitutionem. nec prodest remissio ceterorum, quibus illæ accrescunt, vt habetur in Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat.

Dvbitatio III.

Vtrùm cessio bonorum excusetà restitutione.

42 Cessio.

REspondeo & Dico Primò, *Cessio bonorum* in foro conscientiæ non magis excusat, quàm necessitas sine cessione excusaret, vt rectè Nauarrus cap. 17. num. 86. Probatur; quia in hac cessione tantùm conceduntur alimenta; idque ex quadam misericordia: neque semper, sed quando casus id videtur mereri; vt patet L. Qui bonis. π. de cessione bonorum: atqui hæc etiam absque cessione, consistendo in lege naturæ & gentium, retineri possunt. Non enim tenetur debitor se spoliare necessariis alimentis; ita vt cogatur mendicare: sed potest retinere ea, quæ spectata conditione suæ personæ, & eorum quos alere tenetur, iudicio prudentis censentur necessaria: vt patet ex dictis dubit. 1.

43 Idque verum est, etiamsi debeat ex delicto, vt idem Nauarrus docet. quamuis si delictum sit notorium, (vt si sciatur illum iniquis modis opes collegisse) non tantùm retinere possit, quantum si ex contractu deberet, & casu aliquo in grande infortunium incidisset; vt suprà ostensum est. quantum autem quisque in tali euentu possit retinere, iudicio prudentis est definiendum.

Dico Secundò, In foro tamen exteriori cessio ad hoc iuuat, ne debitor possit coniici in carcerem; vt patet L. 1. C. Qui bonis cedere possunt: & ne, si post cessionem aliquid acquirat, ei possit auferri, quando est necessarium ad suam vel suorum sustentationem, vt patet ex L. Is, qui bonis. 4. & L. Qui bonis. 6. π. de cessione bonorum: & §. vltimo Instit. de actionibus. 44

Hinc sequitur, Eum, qui absque culpa cogitur cedere bonis, si fiat executio in bonis eius per creditores, posse abscondere quantum necessarium est, vt tenuiter viuat secundùm suum statum; vt docet Petrus Nauar. l. 4. c. 4. n. 60. & Silu. Restit. 7. q. 6. & alij, qui admittunt, eum posse retinere vt *non egeat*, id est, (vt expressè Siluester ait) *ne aliquatenus indecenter viuat*. Idem colligitur apertè ex Iuribus citatis, maximè quoad ea bona, quę post cessionem acquirit: de quibus etiam is, qui debitor est ex delicto, potest retinere quàtum necessarium est, vt pro sua conditione non indecorè viuat; nam leges generatim loquuntur. 45 *Absque sua culpa cedens.*

Petes, An leges id permittant de bonis, quæ tempore instantis cessionis habebat? 46

Resp. Ita videtur colligi ex d. L. Qui bonis. 6. π. de cessione bonorum. vbi dicitur, *Eum qui bonis cessit, non esse fraudandum quotidianis alimentis:* quod est æquitati consentaneum in debitore, qui absque sua culpa non est soluendo.

Dico Tertiò, Si illi, qui hoc modo bonis cessere, posteà ad lautiorem fortunam peruenerint, tenentur integrè satisfacere. Est cõmunis DD. & patet; nam idem Ius, quod cessionis priuilegium induxit, hoc expressè statuit, vt patet ex L. Cùm & filij familias. 7. C. Qui bonis cedere possunt. vbi dicitur: *Apertissimi Iuris est, si quid pinguius accesserit debitoribus, hoc iterùm vsque ad modum debiti, posse à creditoribus legitimo modo auelli.* & L. 4. π. De cessione bonorũ dicitur: *Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest conuenitur.* Idem habetur §. vlt. Instit. de actionibus. Ratio est; quia per cessionem, debitum non fuit extinctum, sed consopitum; donec ad pinguiorem fortunam perueniret. Quod tamen intelligendum est, si acquisierit plusquam sibi est necessarium ad decentiam status. nam si non amplius acquisierit, non tenetur, vt colligitur ex d. L. Qui bonis. 6. & §. vlt. Instit. suprà, iuncta Glossa, quæ dicit, *illum teneri soluere, deducto tamen semper, ne egeat*, iuxta L. In condemnatione. 173. π. de regulis Iuris. 47 *Posteà tenetur.* *Qui posteà acquirit.* 48

Notandum tamen est Primò, Quosdam DD. sentire, eum, qui cessit bonis, quibusdam actibus iuxta consuetudinem loci ignominiosis, (v.g. sedendo in loco publico, cum corbe capiti imposito) non teneri soluere debitum, etiamsi posteà pinguiorem nactus fuerit fortunam: quia ea ignominia satis videtur punitus; videturque hęc pœna esse loco solutionis; sicut qui punitus est pœna corporali, loco pecuniariæ, quam præ inopia soluere non potuit. Sed contrarium est verius, vt docet Couar. 2. variar. c. 1. nu. 6. quia hæc pœna non imponitur vt liberetur à solutione, sed vt plectatur culpa, quæ præsumitur ab eo admissa, accipiendo mutuum & contrahendo, cùm esset impotens solutionis. Accedit, quòd per cessionem bonorum non tollatur obligatio naturalis, restitutionis; sed solùm competat exceptio, impediens litis contestationem; iuxta communem sententiam DD. de qua vide Couarr. suprà. 49 *Qui actu ignominioso cessit.*

Notan-

50 *Clerici non tenentur cedere.* Notandum Secundò, Clericum inopem non teneri bonis cedere, nec posse tamen ob debita in carcerem coniici, vt notant Abbas, Imola, Ancharanus, & alij in cap. Odoardus. 3. de solutionibus; quia Clericus non potest conueniri, nisi quatenus facere possit, deductis necessariis alimentis; vt colligitur ex d. cap. Odoardus, & tenent communiter Doctores, secuti Glossam in cap. Miles. π. De re iudic. & Glos. in c. 40. Studeat. d. 50. Ratio est; ne in opprobrium status Ecclesiastici cogatur mendicare. vnde nec potest Clericus huic priuilegio renuntiare.

51 Couarruuias suprà numero 9. intelligit hæc de Clerico sacrorum Ordinum, vel qui proprio ministerio Ecclesiæ inseruit; de tali enim intelligendum esse caput Odoardus. Rebuffus tamen extendit ad omnes; ne conueniantur vltra id quod facere possunt: id est, vt necessaria alimenta illis sint relinquenda, iuxta d. L. In condemnatione. 173. π. de regul. Iuris. Puto extendendum ad omnes & solos Clericos, qui iuxta Conc. Trident. sess. 25. c. 6. gaudent priuilegio fori, exceptis Clericis coniugatis; vt sunt, Primò, Omnes initiati sacris. Secundò, Habentes beneficium Ecclesiasticum. Tertiò, Qui clericalem habitum & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiunt. Quartò, Qui in seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines versantur, & habitum cum tonsura gestant. Excipio *Clericos coniugatos*, qui si cum virgine contraxerunt, & alicuius Ecclesiæ seruitio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ seruiunt, & clericali habitu & tonsura vtuntur, gaudent quidem priuilegio fori & canonis, non tamen ceteris Clericorum priuilegiis, vt expressè habetur cap. vnico, de Clerico coniugato, in 6. ac proinde nec isto.

Ad quos Clericos pertineat c. Odoardus.

52

Dvbitatio iv.

Vtrùm si restitutio putetur creditori vel alteri nocitura, possit differri.

53 *Si putetur nocitura.* Respondeo, Posse differri; & interdum debere, vel lege charitatis, vel etiam iustitiæ. Prior pars patet; quia qui differt solutionem, vt creditorem à malo, in quod alioquin incurret, auocet, vtiliter & salubriter negotium eius gerit. ergo ille non potest Iure id ægrè ferre. Altera, quòd interdum debeat differri, patet: vt si dominus repetat rem suam, v.g. depositum vel mutuum, vt insumat in libidines, vel vt emat beneficium, & dilata solutione spes sit, malum illud fore impediendum. tunc enim lege charitatis teneor differre, nisi inde aliquod notabile incommodum metuam. Ita Sotus lib. 4. q. 7. art. 1. & Nauarr. cap. 17. num. 62. & 63. Ratio est; quia teneor impedire malum proximi spirituale, etiam cum aliquo ipsius incõmodo temporali, vt patet in correptione fraterna, dum adhibentur testes; & in denuntiatione, tendente ad emendationem, vbi læditur fama proximi: ergo si differendo restitutionem, possim tale malum impedire, teneor ex charitate.

Dices, Ille habet ius petendi rem suam: ergo nisi restituo, facio ei iniuriam. Confirmatur; quia nemo potest inuitus impediri ne se inebriet, ne scortetur, ne per aleam decoquat.

Respond. Habet quidem ius petendi, si illud per se spectes; sed quando vult re illa, ad quam ius habet, in suum vel alterius damnum abuti; ex charitate teneor obsistere, si commodè possim: & quamdiu est spes eum impediendi, non facio iniuriam, quia salubriter eius negotium ago. non enim quouis modo agere contra ius alterius, est iniuria, (vt patet in eo, qui negat depositum furenti) sed sine iusta causa vel debito modo agere. quamuis propriè & formaliter, quando iusta causa subest, non agatur quippiam contra ius alterius, (cùm ille ius non habeat, vt id non agatur) sed solùm materialiter, quatenus res aliqua denegatur vel tollitur, ad quam, præcisa illa praua intentione, ius habet. Ad confirmationem; Non potest ita impediri, vt vis ei à priuato afferatur, sed aliis modis benè potest.

54 *Agere contra Ius alterius, ex causa.*

Dices Secundò, Parochus tenetur subdito petenti in Paschate Eucharistiam porrigere, quamuis sciat eum esse in peccato occulto, eò quòd subditus ius habeat ad eam, etsi petendo peccet: ergo teneor etiam reddere debitum, petenti ob malum finem.

55 *Petens Eucharistiam in peccato occulto.* Respond. Propriè loquendo, iste subditus non habet ius petendi Eucharistiam, sed habet ius, ne à Parocho infametur; aut ne confessio ipsius reueletur: quod tamen ex publica Eucharistiæ denegatione sequeretur. & hac ratione à Doctoribus dicitur habere ius ad eam, nempe quia sine iniuria non potest ei negari; quæ iniuria in hoc consistit, quòd ille infametur, vel secretum confessionis violetur. secùs est in nostro casu: ex dilatione enim non sequitur nouum incommodum.

56 *Maritus vouens castitatem.* Dices Tertiò, Maritus, qui vouit castitatem, habet ius petendi debitum, & vxor tenetur reddere, (de quo cap. 40. dubit. 10.) quamuis ille petendo peccet. ergo similiter in nostro casu.

Resp. Etsi ius habeat, tamen quando vult illo iure abuti, potest vxor debitum negare, si commodè potest, & speret hoc pacto peccatum mariti impeditum iri, præsertim in posterum. Quod addiderim; quia maiori tergiuersatione vtendum, quando agitur de impediendis nouis peccatis, in quę vel ille incideret, vel alium induceret; quàm cùm agitur de impediendo opere externo, cuius iam culpa est interiùs commissa.

57 *Si est periculum paris mali.* Aduerte tamen, Si ex dilatione solutionis est periculum maioris vel paris incommodi, non possumus illam differre; quia non est ius differendi, nisi quatenus est spes mali impediendi. Item quando tergiuersatio parum prodesset; vt si te vocaret in Ius. Denique si tibi inde aliquid incommodi notabilis metuas, non teneris: vt si idcirco vel illius amicitiam, vel aliqua emolumenta amitteres. non enim teneris proximi peccata cum notabili tuo incommodo impedire. Adde, quosdam putare, quando creditor vult abuti rebus suis, tantummodò in suum damnum, vt in aleam, compotationes, libidines; debitorem non obligari ad solutionem differendam; quia non est ipsius curare, quo modo ille res suas sit impensurus. Itaque cùm ex iustitia debeat, non esse differendum. Ita Petrus Nauarra lib. 4. cap. 2. numero 34. Puto tamen esse verius, quod diximus; quamuis rarò obligetur sub peccato mortali. tum quia creditor potest illum Iure cogere; tum quia passim apud homines hæc ratio differẽdæ solutionis parum est in vsu, & sæpè parum efficax ad malum creditoris impe-

58 *Ordinariè non tenetur differre.*

impediendum,& cum molestijs & calumnijs coniuncta.

59 Tertia pars, *Quod interdum tenearis ex iustitia differre restitutionem*, patet; vt si furens ira in inimicum, reposcat depositum gladium. tunc enim reddere,censeretur esse propinqua cooperatio. vide Nauarrum suprà, & L.Si pignore.54.§.4.ff.de furtis. vbi dicitur: *Qui ferramenta sciens commodauerit ad effringendum ostium vel armarium: vel scalam sciens commodauerit ad ascendendum, licet nullum eius consilium principaliter interuenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur*, quod intellige, nisi ex recusatione graue malum tibi impenderet: tunc enim illa reddere vel commodare non censeretur cooperatio: quia est actio per se indifferens.

Dvbitatio v.

Vtrùm si id, quod tibi debeo, soluam tuo creditori, liberer à restitutione tibi facienda.

60 *Solutio facta creditori creditoris mei.* Respondeo, Hæc solutio me liberat in foro conscientiæ, si mihi constet te illi debere. Ita Angelus v.Solutio,n.13.ex Glossa Instit. Quibus modis tollatur obligat. Siluest. v.Solutio,num.4. Medina quæst.3.causa 5.vt si tibi debeam 100.& tu tantumdèm debeas meo fratri; si soluam fratri, tibi non ampliùs obligor. Ratio est; quia dum soluo tuo creditori 100. cui debes tantumdem, transfero in me ius,quod ille in te habebat ad exigendum à te 100.vnde si tibi tantumdem debeam, possum vti compensatione. nam ius, quod ego in te tunc habebo, tanti valet, quanti illud quod tu in me. Itaque in conscientia tibi non ampliùs obligor. 61 Dico *in conscientia*, quia secundùm Bartolum in L.Solutum.11.ff. de pignor. actio. cogar in foro externo tibi soluere; nisi res debita, quam restituo tuo creditori,sit illi obligata;vt si conduxi à te domum, quam tu conduxisti ab illo; vel nisi mea causa factus sis debitor illi; vt si gerens mea negotia mutuum acceperis. Verùm in foro conscientiæ hæc minimè sunt necessaria; sed sufficit, vt tu verè ex lege iustitiæ alteri debeas, vt Angelus & Siluest. suprà docent.

Dvbitatio vi.

Vtrùm rei debitæ interitus excuset.

62 *Rei interitus.* Respondeo,& Dico Primò,Si res,quam debes restituere, sit in specie aliena, excusaris eius interitu, si non intercessit tua culpa, vel mora, vel pactum. Secùs verò si aliquid horum intercessit, nisi similiter fuisset peritura apud dominum, vt patet ex dictis cap.7.dubit.6.& 8. & cap.vnico,de commodato.

63 *Si consumpta in necessitate.* Dico Secundò, Si rem alienam magni pretij in extrema necessitate tua consumpsisti, verius est, te non excusari à restitutione, dum pinguior fortuna obtigerit; sed teneri tacito quodam pacto, quod censetur iure gentium interuenisse: etsi contrarium sit probabile. patet ex dictis dubitat. prima huius capitis.

Dico Tertiò, Si res non sit in specie aliena, sed tua,eius interitus non te excusat. Ratio est;quia res domino suo perit,vt si pecunia destinata solutioni, surripiatur; vel à confessario, cui executionem cõmisisti,retineatur. Vbi Notandum est,quosdam existimare in hoc casu quo negotium confessario vel Parocho commissum est, tradita ei pecunia vt restituat, (eò quòd debitor sine sui infamia non possit per se exequi) si eam retineat,debitorem excusari. Ratio illorum est, Primò,quia hic restitutionem quantum in se est fecit,vt debuit & potuit: ergo ab eo non est amplius exigendum. non enim tenebatur per se restituere, cùm id sine suspicione criminis facere non posset; (vti supponimus) neq; poterat inuenire commodiorem & tutiorem viam, quàm per Parochum, vel confessorem. Secundò, Quia si creditor actu expresso consensisset,vt fieret hoc modo restitutio, debitor non teneretur ad amplius:sed in hoc casu creditor implicitè & actu debito censetur consensisse, (quia tenebatur consentire) qui consensus implicitus & debitus eamdem vim habet,quàm expressus: ergo excusatur. 64 *Pecunia tradita confessario vt restituat.*

Sed contrarium est longè verius, vt docet Nauarrus c.17.n.67. & D.Ant. p.2.tit.2.c.4.§.1.idq; siue res in specie sit aliena, siue non. Si enim non est in specie aliena; vt si mittas pecuniam vel rem tuam tradendam creditori, & non tradatur, tibi perit, etiamsi debeas ex contractu. Nisi fortè creditor miserit vel assignauerit hominem certum,cui numeres: hîc enim loco creditoris acceptat,& ita transfertur dominium in creditorem. Vnde si retineat, creditoris est damnum, vt docet Siluester Restit.4.q.vlt. 65 *Si non exsequatur, non liberaris.*

Si verò est aliena in specie, v. g. torquis,vestis, equus, etiam tuo periculo perit & retinetur, si iniustè accepisti. Ratio est,quia intercessit culpa per quam dedisti occasionẽ damni domino obuenientis. si enim non surripuisses, ille rem suam non amisisset. Confirmatur,quia qui rem surripuit,tenetur de casu fortuito, eò quòd apud dominum non sic perijsset,vt patet ex cap.7.dub.8.& cap.12. dubit.15. ergo, &c. debebat enim, cùm acciperet, cogitare, similes casus ex surreptione posse euenire. 66

Ad primam rationem Respondeo,Fecit quidem quod debuit & potuit pro illo tempore, sed cum tacita obligatione, vt si res non succederet, teneretur inire aliam viam, donec damnum reipsa sit compensatum. 67 *Ad rationes in contrarium.*

Ad secundam,Dominus non tenebatur consentire, vt per Parochum restitueret; nisi cum onere iterùm restituendi,si reipsa Parochus non exequeretur.

Aduerte tamen, contrariam sententiam non videri omnino improbabilem; ob rationes allatas,& quorumdam doctorum virorum,qui illam tenent, auctoritatem.

Dvbitatio vii.

Vtrùm Iuris vel Iudicis auctoritas excusset à restitutione.

Respondeo, Quibusdam casibus excusare. Primò, Quando res legitimo modo est vsucapta: tunc enim auctoritas legis transfert dominium in eum qui vsucepit; de quo suprà cap.6. 68

cap. 6. Secundò, Quando Iudex in pœnam delicti, per sententiam imponit alicui mulctam in fauorem eius qui iniuriam passus est. oportet tamen sententiam niti veritate, non falsa præsumptione, de quo infrà. Tertiò, Quando Iudex auctoritatem legũ & naturalem æquitatem secutus, aliquid alicui adiudicat, quòd aliàs non deberetur ex rigore iustitiæ; is qui hoc percepit, non tenetur restituere. de quo vide cap. 7. dub. 8. Quartò, Quando aliquis per sententiam ordine Iuris latam, priuatus est officio, beneficio, vel hereditate; is qui hæc posteà obtinet, non tenetur restituere, etiamsi priuatim sciat condemnatum esse innocentem; modò ille causa falsæ illius sententiæ non fuerit. vide infrà cap. 29. dubit. 10.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm ingressus in Religionem liberet à restitutione.

69 MEdina q. 3. causa 8. docet, debitorem, qui manendo in sæculo poterat soluere, & ingrediendo se reddit impotentem, non posse ingredi Religionem, nisi antè soluerit: quòd si ingrediatur & profiteatur, tamen adhuc manere obligatum, & labore suo vel arte, si quam nouit, debere conari soluere. Ratio est; quia Iure naturæ tenetur satisfacere. Contrarium tenet D. Th. q. vltima huius partis art. 6. ad 3. & ibidẽ Caiet. Silu. v. Religio. 2. q. 4. & alij Summistæ omnes. docent enim, non teneri manere in sæculo, sed sufficere si bonis cedat suis creditoribus.

70 *Valet professio.* Pro resolutione Dico Primò, Si debitor ingrediatur & profiteatur, omnino valebit professio, nec poterit reuerti ad statum sæcularem. In hoc conueniunt omnes. Idque probat ratio D. Thomæ, quia etiamsi sit pecuniæ debitor, tamen eius persona est libera. vnde etiamsi concederemus illum malè facere, dum se Religioni mancipat, debitis non solutis; tamen illa traditio est valida: sicut si facultates ad soluendum creditori necessarias alteri donares, donatio Iure naturę valeret; (quamuis in ea peccares) quia res illæ tuæ erant. Secùs est si seruus profiteatur; quia cùm persona ipsius libera non sit, sed domino ex iustitia addicta, non potest validè se alteri donare; ac proinde nec profiteri sine domini consensu. Idem dico de coniuge, matrimonio iam consummato; non enim est sui Iuris. secùs est ante consummationem.

71 *Si res in specie extet.* Dico Secundò, Qui debet aliquid extans in specie, non potest omissa restitutione Religionem ingredi. Ratio est, quia hîc nulla est iusta ratio non restituendi. Idem dicendum, si quis sit obnoxius reddendis rationibus. vt ibidem D. Thomas ex B. Gregorio docet, id enim breui tempore fieri potest. Similiter si alicui sint parentes in graui necessitate constituti, aut proles adhuc teneræ alendæ; de quo infrà.

72 *Si facili negotio possit.* Dico Tertiò, Si debitor possit breui tempore, vt paucis annis & consuetis laboribus, satisfacere creditoribus, tenetur aliquantisper differre ingressum, vt illis satisfaciat. Ita Petrus Nauarra l. 4. c. 4. num. 94. & Lopez 1. p. c. 129. Idem sentit Medina suprà, & Doctores Parisienses, quos ipse citat; quia tunc creditores meritò sunt inuiti, si illis anteà nõ satisfaciat; cùm facili negotio possit. neque tunc beneficio cessionis se poterit liberare. quia hoc non est introductum, nisi in fauorem eorum qui aliter se à debitis eripere nequeunt.

Dico Quartò, Si opus esset longo tempore, (vt multis annis, vel insolitis laboribus) non teneretur expectare, sed relinquendo omnia sua creditoribus; poterit Religionem ingredi. Ita P. Nauarra n. 95. idem dicunt omnes, qui D. Th. sequuntur. Ratio est; quia qui actu bona non habet, nec est in propinqua potentia ad ea habenda, absolutè censetur impotens ad soluendum, ac proinde ab obligatione restitutionis est excusatus. Neq; obligandus ad insolitum aut lõgum laborem, quando dedit quidquid habuit; quia ne Iudices quidem in foro externo ad hoc obligant, vt ex praxi tribunalium satis constat. sufficit enim eis si viderint debitorem omnia quæ actu habebat dedisse, nec breui tempore posse reliqua conquirere. Vnde etiam colligitur, non esse hoc priuilegium Religionis, sed ex natura rei obligationem cessare, vel potiùs sopiri, ratione impotentiæ. idque non solùm locum habet, quando ex cõtractu, sed etiam quando ex delicto est debitum, vt ex furto, vsuris, rapinis. sufficiet enim dare omnia, & non posse breuî aut facilè, iudicio prudentis, reliqua soluere.

73 *Si difficultèr possit.*

74 *Liberatur relictis omnibus.*

Non est tamen negandum, quin status Religionis aliquid peculiaris fauoris hac in re mereatur, vt etiam propter illum creditores non debeant plus exigere, quàm possit actu & sine longa mora præstare; præsertim cùm in longa mora sit periculum salutis, vel damni spiritalis. Adde, cùm quis est debitor ex iusto contractu, potest facilè beneficio cessionis liberari, retentis etiam necessariis alimentis, vt suprà ostensum est.

75

Ex his sequitur, Si is, qui Religionem vult ingredi, est vir honoratus, quem dedeceat seruire, vel manibus operari, hunc non teneri ad illas lucrandi rationes descendere, sed posse statim ingredi; quia talis, vbi omnia dederit quæ actu habet, ad nihil ampliùs tenetur, cùm nulla ratio lucrandi, quæ ipsum deceat, suppetat. si autem est talis, cui aliqua lucrandi ratio honesta & statui ipsius consentanea suppeditet: tunc videndum, an breui tempore sine animæ periculo possit se expedire, an non. & iuxta ea quæ dicta sunt statuendum. Fatendum tamen, D. Thomæ sententiam esse probabilem. vide Silu. v. Religio. 2. q. 4.

76

DVBITATIO IX.

Vtrùm excommunicatio creditoris liberet à restitutione.

REspondeo, Non esse improbabile posse differri, donec Ecclesiæ reconcilietur. Hoc enim tenet Adrian. q. 3. de clauibus. §. Si petas, an. & Felinus in cap. Inter alia, de sententia excommunicationis. Panormit. in d. cap. Inter alia. 31. & cap. Intelleximus. 7. de Iudiciis. Glossa in caput Absolutos, de hæreticis. & quidam alij apud Couarr. ad regul. Peccatum, 1. p. n. 8. Probatur Primò ex cap. Nos sanctorum, 15. q. 6. vbi Gregorius VII. sic ait: *Eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omni ratione prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* & cap. seq. *Iuratos milites*

77 *Excommunicatio.*

(inquit Vrbanus II.) *Hugoni comiti, ne ipsi quamdiu excommunicatus est, seruiant, prohibeto.* Qui Canones etsi tantùm videantur intelligi de debito fidelitatis, quod subditus debet Principi, aut miles Duci, aut famulus domino; tamen videtur esse eadem ratio de debito pecuniario. Vnde Glossa in d. cap. Nos sanctorum, probat multis, hanc sententiam esse probabilem. Secundò probatur, cap. Quòd in dubiis, & sequenti dicitur, *Nullus scienter nominatim excommunicato communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Gregorij Papæ caput, Quoniam multos, specialiter excusantur.* sed illo cap. Gregorij non excusantur debitores: ergo non tenentur. Vnde Glossa & Adrianus colligunt non teneri, etiamsi iuramento promisissent soluere; quia iuramentum habet tacitam conditionem, Si talis permanserit, cui communicare liceat.

78 Aduerte tamen, Etsi quidam Canonistæ idem videantur sentire de debitore excommunicato, videlicet eum non teneri ad soluendum, quamdiu est in excommunicatione; id tamen omni ratione & probabilitate carere; quia non debet ei excommunicatio tanto esse commodo, vt rectè notat Glossa in can. Nos sanctorum: alioquin multi essent, qui cuperent excommunicari.

79 *Verius non liberare.* Dico Secundò, Verius tamen videri, etiamsi creditor nominatim sit excommunicatus, non ideò differri posse restitutionem. Ita tenent Couar. suprà, Silu. Excommunicatio 5 q.12. Ioannes Medina q.3. causa 9. & plerique alij. Ratio est; quia neque Iure diuino, neque etiam Iure humano debitor liberatur à tali debito statim soluendo post elapsum terminum. *Non Iure diuino*, quia nullum tale ius reperitur, præsertim cùm etiam ethnicis & publicanis debita soluenda sint, vt colligitur ad Roman. 13. nisi fortè spes esset, tua dilatione ipsum conuersum iri, & reconciliandum Ecclesiæ, quod interdum vsu venit, quando debitor est magnæ auctoritatis, & recusat soluere creditori, nisi redeat ad Ecclesiam. *Non* etiam *Iure humano*, quia Iura citata non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis & obsequij. leges enim pœnales sunt strictè interpretandæ. quamuis Medina & quidam alij, putent etiam agere de debito pecuniario, quod ex promissione & stipulatione iuramento confirmata sit contractum, & de omni alio debito solis verbis conflato; quod est probabile.

Debitum fidelitatis & obsequij.

80 Dices, Excommunicati sunt vitandi in omni conuictu humano: atqui soluere creditori, est habere cum eo humanum commercium: ergo hoc non licet.

Resp. Hoc esse vnum ex præcipuis argumentis contrariæ opinionis: sed dicendum cum Couarruuia, istam communionem esse valdè paruam & breuem; & cùm sit in re necessaria, (vtpote in debito iustitiæ, quod creditor potest exigere, saltem extra Iudicium) non debet talis communicatio videri prohibita. sicut eleemosyna potest & debet dari excommunicato, quando eleemosynæ præceptum erga proximum obligat.

81 Aduerte tamen, Si excommunicatus repetat debitum in Iudicio, posse eum à debitore repelli, vt expressè habetur cap. Pia, de exceptionibus, in Sexto.

Dvbitatio x.

Vtrùm creditorum incertitudo excuset à restitutione.

82 Respondeo, Creditorum incertitudo non omnino excusat: tunc enim restitutio facienda est in pauperes, iuxta communem sententiam, ordinariè in praxi seruandam. vide suprà cap. 14. dub.6.& 7.

Dvbitatio xi.

Vtrùm dispensatio vel compositio cum Prælato excuset.

83 *Compositio.* Respondeo & Dico Primò, Quando incertum est quinam sint creditores, tunc excusat compositio cum Pontifice, siue debitum sit ex delicto, vt in vsuris, furtisque minutis, siue absque delicto, vt in debitis ex contractu, & inuentis. Ratio est; quia quando ignoratur proprius horum dominus, hæc restituenda sunt in vsus pios, non Iure naturæ, sed Iure positiuo; (vt suprà cap. 14. d. 6. & 7. ostensum est) in quo Iure potest Pontifex dispensare; sublata autem illa obligatione restituendi, possunt hæc retineri.

Dico Secundò, Si creditores sint noti, non potest Pontifex te liberare à restitutione, nisi legitima causa subsit: ea tamen supposita, potest. Prior pars patet; quia non potest Pontifex, aut Princeps, absque iusta causa res vnius alteri donare; neque enim est dominus bonorum, suorum subditorum, neque dispensator; sed tantùm defensor Iuris cuiusque, & Iudex vindexque criminum.

84 *Potestas Pontificis.* Altera pars patet; quia Pontifex habet supremam potestatem in bonis temporalibus omnium Christianorum, licet indirectam, nempe quatenus opus est ad regimen spiritale. vnde posita iusta causa, potest de rebus illorum disponere. Itaque potest imponere mulctas pecuniarias, & confiscationem bonorum pro criminibus: & consequenter condonare restitutiones, huiusmodi hominibus faciendas. quod notandum propter ea, quæ debentur hæreticis, siue ex delicto, siue ex contractu: cauendum tamen scandalum. vide cap. Cùm secundùm leges, de hæret. in 6. Siluestrum Restitut. 7. q. 2 §. Quintum, & Innocentium IIII. in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constitution.

Sed quia aliqui hac de re nonnihil dubitarunt, probatur hac ratione. Summus Pontifex ob tale crimen potest priuare dominio bonorum, illudq; addicere fisco, iuxta d.c. Cùm secundùm leges: potest subditos eximere obligatione seruiendi, obediendi, soluendi tributa, aliisq; vinculis etiam iureiurando confirmatis, iuxta cap. Absolutos. Ex. de hæret. cur non etiam debitores liberare obligatione soluendi, & debita condonare? est enim hoc multò minus.

Dices, Potest ista per sententiam generalem, seu legem, non autem per sententiam priuatam, nisi præcedat cognitio causæ, & sententia declaratoria criminis: alioqui sequeretur magna perturbatio in Republ. deinde quia pœna debet cognosci à reo, & sentiri; alioqui non est pœna. at illa sententia priuata non cognoscitur. Respondeo negando quod assumitur. expedit enim vt etiam per sententiam

tiam priuatam possit irrogari pœna, cùm iusta causa subest: vt si crimen alia ratione puniri nequeat, ob potentiam vel absentiam Rei, vel perturbationem quæ metuitur; & pœna illa non sit omnino noua, sed contineatur in alia iam ipsò facto incursa, vt in confiscatione bonorum. & quamuis ad executionem confiscationis per realem ablationem bonorum, requiratur sententia declaratoria criminis, vt patet ex d. cap. Cùm secundú leges: tamen hæc sententia non est necessaria, quando pœna non requirit aliam executionem præter eam quam lex vel sententia secum defert. quia inde non sequitur vlla perturbatio, sicut ex reali ablatione. Imò potest talis pœna irrogari per sententiam conditionalem; v.g. *Si constat Titium tali crimine obstrictum, non ei fiat solutio*, &c. vnde nec alia causæ cognitio requiritur. Ad illud de notitia pœnæ: Non est necesse vt semper reus pœnam sentiat. satis est vt possit eam apprehendere & timere, quamuis in executione eam non sentiat: vt patet in pœnis quæ post mortem inferuntur.

Idem puto posse Principem sæcularem respectu suorum subditorum. Iam enim iusta lege illorum bona fisco addicta sunt: sed ob potentiam non potest fieri executio.

Dvbitatio xii.

Vtrùm compensatio excuset.

Respondeo, Excusare tum eum qui compensatione vsus est, ne cogatur restituere id quod compensationis causa alteri subtraxit: tum eum contra quem vsus est, ne rursus cogatur soluere. vide suprà cap. 12. dub. 10. & c. 11. dub. 16. 85

SECTIO TERTIA.

DE

CONTRACTIBVS.

SVPERIORI *Sectione diximus de iniuriis in bonis animi & corporis, & generatim de Iniustitia in bonis externis, necessariaque restitutione; sequitur nunc vt agamus de quibusdam specialibus modis Iniustitiæ, qui contingunt in rebus externis per varios contractus. Primùm igitur dicemus de Contractibus in genere, deinde de præcipuis in particulari.*

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De Contractibus in genere.

Constat Dubitationibus XI.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Contractus, quid pactum.

Definitio contractus strictè accepti.

1 CONTRACTVS *est vltrò citroque obligatio: quod Græci* συναλλαγμα *vocant.* Ita habetur L. 19. Labeo. π. de verb. signific. quæ definitio non sic est intelligenda, quasi cõtractus sit formaliter obligatio, (obligatio enim est effectus per contractũ productus in contrahentibus) sed quòd sit causa obligationis: est enim formaliter locutio, vel scriptura, vel aliud externum signum, quo homines exprimunt mentem suam, & sese vicissim alter alteri

2 obligant, & iura commutant. Itaque *contractus* est signum externum practicum, vltrò citroque obligationem ex consensu contrahentium pariens: quod nomine Græco clariùs indicatur.

Hinc sequitur, donationem & promissionem 3
non esse propriè contractus; quia non pariunt *Donatio.*
obligationem, nisi in altera parte. *Promissio.*

Dices, Mutuatio non inducit obligationem ni- *Mutuatio.*
si in mutuatario; ergo non est contractus.

Respondeo, Negando antecedens; nam mutuator tenetur non repetere statim; sed debet ad aliquod tempus permittere; vt alter mutuo fruatur: & sic etiam in ipso nascitur obligatio ex mutuo.

Aduertendum tamen est, sæpè in Iure nomen 4
contractus accipi paulò laxiùs, vt etiam compre- *Contractus latè.*

hendat *donationem* & *promissionem acceptatam*, vt patet L. Contractus.16. C. de fide Instrument. & alibi, vbi *donatio* vocatur contractus. & sic, *Contractus est conuentio duorum, obligationem saltem in alterutro pariens.* quo modo non distinguitur à 5 *Pacto.* *Pacto*, quod definitur esse *duorum consensus atque conuentio:* vt enim fiat pactũ, necesse est vt duæ voluntates in idem conueniant reciproco consensu. Dico *reciproco consensu:* quia non sufficit vt quouis modo in idem conueniant; sed requiritur vt consensus suos in se mutuò dirigant. Vnde donatio & promissio, etiamsi à duobus communi consensu fiant, antequam sint acceptatæ, & accedat consensus reciprocus eius in quem diriguntur, non habent rationem pacti: sed per acceptationem transeunt in *pactum*. Vide Gomezium tom.2.c.9. n.2.& infrà cap.18.dubit.6.n.42.& sequentibus. Nos nomine *contractus* vtimur hîc amplè, vt idem sit quod *pactum*, & comprehendat cõtractus gratuitos, qui sunt velut semicontractus.

Dvbitatio II.

Quot modis perficiantur contractus.

6 NOtandum est, *Contractum* dici dupliciter perfectum. Primò, Quando res, circa quam *Duplex perfectio contractus.* versatur, est tradita. sic emptio dicitur perfecta, quando res est tradita & pretium solutum. verùm hæc perfectio non est intrinseca rationi contractus: sed sæpè est effectus contractum consequens, atque adeò finis ob quem contractus fit. Nam contractus emptionis & venditionis est perfectus in ratione contractus ante traditionem rei: dicitur enim propriè res empta & vendita, simulatque inter emptorem & venditorem conuenit de pretio. Secundò, Quando ipse contractus habet omnia necessaria, quę secundùm suam speciem requirit, vt tale nomen mereatur; siue traditio rei ad hoc sit necessaria, siue non. de qua perfectione hîc loquimur.

7 Resp. igitur, Contractum quadrupliciter perfici, nempe *re, scriptura, verbis, consensu.* Ita Silue- *Perficitur quadrupliciter.* ster v. Contractus, n. 6. & colligitur Instit. de obligat. in fine. *Re* perficiuntur, qui non consistunt in conuentione sola, sed requirunt rei traditionem; vt *depositum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus, donatio.* non enim contractus hi censentur celebrati, nisi re tradita, vt ipsa nomina indicant, quibus significatur rei traditio. vnde ante traditionem, dum in solis verbis consistunt, dicuntur *Pactum nudum.* pacta nuda, quæ non pariunt obligationem ciuilem, nisi ex aliquo Iuris priuilegio.

8 *Scriptura* perficiuntur, qui ante scripturam rati non habentur; vt *emphyteusis*, & omnis contractus, quem contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario qui Instrumentum conficiat.

9 *Verbis* dicuntur perfici, qui requirunt certam *Stipulationis.* verborum formulam: tales sunt omnes *stipulationes.* Hæ sunt formulæ quædam, quæ constant interrogatione præuia vnius, & responsione subsequa alterius; v.g. Spondes dare tantùm? spondeo. Promittis 100? promitto. Dabis 1000. pro domo mea? dabo. Facies? faciam. Fideiubes? fideiubeo. 10 & similes: infinitum est enim omnes stipulationum formulas persequi, teste Cicerone in Topicis. vide Instit. de verborum obligationibus. Hæ autem formulæ possunt adhiberi in omnibus contractibus, eisque maiorem firmitatem in foro externo tribuunt. de quibus vide plurima apud Gomezium to. 2. c. 9. quæ quia solùm ad forum externum pertinent, (in quo etiam paruum vsum nunc habent) omitto.

Consensu perficiuntur, qui non requirunt cer- 11 tam verborum formam, sed sufficit consensus, quouis modo exteriùs vtrimque explicatus, vt emptio, venditio, locatio, conductio.

Dvbitatio III.

Quomodo diuiditur contractus & pactum.

REspondeo, Multas assignari à DD. diuisio- 12 nes, vt videre est apud Siluestrum verbo Contractus, & verbo Pactum. Primò *Contractus* *Prima diuisio.* diuidi potest in *explicitum* & *implicitum*; siue in *formalem* & *virtualem*. *Formalis* contractus est, cùm expresè duo in idem conueniunt cum obligatione mutua, vel saltem alterius erga alterum, vt dub.1. dictum est, & hic propriè dicitur contractus. *Virtualis* contractus est, cùm solùm implicitè conueniunt, absque vlla expressa pactione se obstringentes. Hunc vocant *quasi contractum*, vt tutela, & quoduis aliud officium, mandatum, & negotiorũgestio. qui enim aliquod officium suscipit, eo ipso se obligat erga alterum, & alter obligatur erga illum, iuxta leges vel consuetudinem receptam. similiter qui aliquid mandat, vel mandatum alterius suscipit; & qui negotium alterius gerit. in his enim non requiritur vlla conuentio expressa; sed hoc ipso quo ista suscipiuntur, vi legis vel consuetudinis, in quam omnes consenserunt, tacita nascitur obligatio. & ideò non vocantur propriè contractus, sed quasi contractus.

Secundò, Contractus diuiditur in *nominatum* *Secunda diuisio.* & *innominatum*. Contractus *nominatus* est, qui habet speciale & propriũ nomen quo ab aliis distinguatur; vt emptio, venditio, mutuum, locatio, societas, commodatum, pignus, depositum, & similes. *Innominatus* est, qui nõ habet nomen speciale, 13 sed genericum tantùm. Huius sunt quatuor spe- *Contractus innominatus.* cies, *do vt des; do vt facias; facio vt des; facio vt facias*. vt si Petro des panem pro vino, erit contractus innominatus, *do vt des*; non enim est emptio aut venditio; quia non datur pretiũ pro merce: nec est mutuũ; quia non recipitur res eiusdem speciei post certum tempus: nec locatio aut conductio; quia non datur pretium pro vsu vel opera: sed datur vna res pro alia; quarum neutra est pretium alterius: qui contractus proprium nomen non habet.

Dices, Est *permutatio*. Respondeo, Verum est, sed hoc nomen est generale, non specificum; conuenit enim emptioni & mutuo. vnde non constituit contractum nominatum. Simili modo, si Petro des panem, vestem, &c. vt pro te laboret, vel scribat, erit contractus *do vt facias*. si autem des pecuniam, erit conductio. Si scribas vel seruias alicui, vt det panem, vestem, libros; erit contractus *facio vt des*. si illi seruias vt te doceat; erit contractus *facio vt facias*.

Aduertendum est, Etsi ex his contractibus in- 14 nominatis oriatur statim obligatio naturalis; non *Obligatio naturalis ex cõtract. innominatis, non ciuilis.* tamen oritur obligatio ciuilis, (id est, quæ Iure ciuili tribuat actionem in foro externo) nisi ex altera parte sit impletus, vel nisi vestiatur formula stipula-

stipulationis, aut iuramento, aut alia ratione. de quibus vide plura apud Gomezium to. 2. cap. 8. & Silueſtrum v. Pactum. qu. 5 & 6.

15 *Tertia diuiſio.* Tertiò, Diuiditur in contractum *bonæ fidei*, & *ſtricti iuris. Contractus bonæ fidei* ſunt, in quibus Iudex multa poteſt ex æquo & bono arbitrari: vt ſunt emptio, locatio, ſocietas, commodatum, depoſitum, pignus, permutatio, & ſimiles. *Contractus ſtricti Iuris* ſunt, in quibus Iudex ad verba adſtringitur, vt in ſtipulationibus, in contractu feudali & emphyteutico, in promiſſione liberali, in donatione. vide plurima de hac diuiſione apud Couarruuiam ad regulam Poſſeſſor, p. 2. §. 6.

16 *Quarta diuiſio.* Quartò, Diuiditur in *Lucratiuum* & *oneroſum. Lucratiuus* eſt, in quo nihil rependitur; vt promiſſio, donatio, commodatum, precarium. Huc referri poſſunt *teſtamentum* & *legatum*, quæ ſunt donationes quædam in diem. vnde teſtamentum apud Græcos & Hebræos vocatur *pactum*, & inter pacta numeratur: *Berith* enim & Διαθήκη, (quæ idem valent quod teſtamentum) paſſim in Scripturis pro pacto accipiuntur. *Oneroſus* eſt, in quo aliquid loco eius quod datur, debet reddi vel præſtari. hîc autem vel transfert dominium integrum, vt mutuum, emptio, &c. vel vtile tantùm, vt feudum & emphyteuſis: vel vſumfructum aut vſum; vt locatio, conductio: vel ſecuritatem confert; vt pignus, hypotheca, fideiuſſio. ceteri contractus ad hos reducuntur; vt contractus cenſualis ad emptionem; depoſiti ad locationem, &c.

17 *Quinta diuiſio. Pactum nudum.* Quintò, Contractus ſeu pactum diuiditur in *pactum nudum* & *veſtitum. Pactum nudum* dicitur, quod in meris finibus conuentionis conſiſtit, omni alio firmamento carens. talis eſt omnis contractus innominatus, antequam ex altera parte ſit impletus; niſi accedat ei formula ſtipulationis, vel iuramentum, &c. Item omnis contractus qui re perficitur, eſt pactum nudum ante rei traditionem; vt donatio, mutuum, &c. *Pactum veſtitum* eſt, quod habet aliquid amplius, vnde Iure ciuili robur obtineat. veſtitur autem ſex modis. Primò, Reipſa; vt ſi ex altera ſaltem parte ſit impletus. Secundò, Verbis; vt ſi accedat formula ſtipulationis. Tertiò, Litteris; vt ſi litteris fatearis tibi eſſe ſatisfactum, etiamſi ſatisfactum non ſit; quod vocatur *acceptilatio*. Quartò, Specifico nomine contractus. ſic omnes contractus nominati, qui conſenſu perficiuntur, (vt emptio, venditio, locatio, & ſimiles) ſunt contractus veſtiti. Imò omnes contractus nominati, ſunt veſtiti, ſi in ſuo genere ſint perfecti. Quintò, Cohærentia cum contractu veſtito; vt ſi vendam tibi domum mille aureis, cum pacto vt illam adhuc inhabitem; & tibi pro inhabitatione dem hanc veſtem. Pactum enim iſtud acceſſorium, per ſe eſt pactum nudum; tamen quia cohæret cum venditione, quæ eſt pactum veſtitum, cenſetur etiam veſtitum: nam acceſſorium ſequitur naturam principalis. Sextò, Iuramento; nam iuramentum non minùs confirmat pactum nudum, quàm quiduis aliud. vide Silueſtrum v. Pactum num. 2.

18 *Pactũ veſtitur ſex modis.*

Dvbitatio iv.

Vtrùm omnis contractus pariat obligationem in foro conſcientiæ, & externo.

19 *Parit obligationem naturalem.* Dico Primò, Omnis contractus, etiam nudus, ſponte libereque factus, ſi contrahentes ſint habiles, parit obligationem naturalem, ſeu in foro conſcientiæ, ita vt parte inuita non poſſis reſcindere; niſi Iure poſitiuo ſit irritus, vel detur irritandi poteſtas. eſt communis ſententia Doctorum, vt docet Gomezius tom. 2. cap. 9. num 2. & Couarr. in cap. Quamuis pactum, p. 2. §. 4. n. 23. Probatur Primò, Quia Iure tenetur quiſque præſtare quod promiſit, altero acceptante; ſiue promiſerit titulo gratuito, ſiue oneroſo. Nec refert an pacto nudo an veſtito promiſerit; quia Iure naturæ & gentium, nulla eſt inter hæc diſtinctio, ſed ſolo Iure ciuili: quæ etiam ſolum forum externum reſpicit. Secundò, Quia ad obligandum ſeſe, ſufficit animus verbis expreſſus, & acceptatus; vt communiter docent Theologi. vide Silueſtrum v. Pactum, num. 4.

20 Dixi, *Niſi Iure poſitiuo ſit irritus*, &c. quia Ius humanum poteſtatem habet vel irritandi omnino pactum alias validum, ita vt nullam pariat obligationem; vel tribuendi facultatem & ius alteri contrahentium, cuius intereſt, obligationem elidendi; vt patet in contractu impuberis, in alienatione fundi dotalis, in contractu parentis cum filio vel filia, vt pro certa ſumma cedat legitima portione; aliiſque innumeris, qui Iure naturali & gentium eſſent validi, niſi Ius poſitiuum eis reſiſteret. Ratio eſt; quia ſicut duo homines priuati, ſepoſito omni Iure poſitiuo, poſſunt inter ſe ſtatuere certas formulas & conditiones, ſine quibus contractus eorum in poſterum non cenſeantur validi, nec obligationem naturalem poſſint inducere: ita Reſpublica, quæ naturaliter eſt Superior ſingulorum, ſeu cui naturaliter competit poteſtas in ſingulos, poteſt conſtituere huiuſmodi conditiones: & conſequenter Principes ſæculares, in quos ſuam poteſtatem Reſpublica tranſtulit: multoque magis Principes Eccleſiæ, in iis quæ ipſorum gubernationi ſubſunt, id poſſunt; quatenus neceſſe eſt, vel expedit ad bonum ſpirituale ſubditorum. hanc enim poteſtatem habent à Chriſto, qui naturaliter ſupremus eſt omnium Dominus.

21 *Pactum nudum.* Dico Secundò, Contractus tamen, qui dicitur *Pactum nudum*, non parit obligationem in foro ciuili. eſt communis ſententia DD. vt docent Couarr. & Gomezius ſuprà; & patet clarè L. Iuris gentium. 7. initio. ff. de pactis. vbi dicitur: *Nuda pactio obligationem non parit, ſed parit acceptionem.* & L. Ex placito. 3. C. de rerum permut. *Ex placito permutationis, nulla re ſecuta, conſtat nemini actionem competere. Nulla re ſecuta*, id eſt, neutra ex parte contractu completo per rei traditionem. ſi enim altera ex parte completus fuerit, iam parit obligationem in foro externo, in fauorem eius qui impleuit. L. 1. ff. de rerum permut. & alibi. tunc enim veſtitur reipſa, vt dictum eſt ſuprà num. 18. Ratio autem, cur pactum nudum obligationem in foro externo non pariat, eſt, quia etſi Ius ciuile non reſiſtat talibus

contractibus, eos irritando; tamen noluit etiam illis assistere concedendo actionem, ne lites multiplicarentur. imò permittit illos rescindi causa pœnitentiæ, etiam altera parte nolente, quamdiu pactum nudum neutra ex parte est impletum: vel si ex altera parte impletum est, liberum est huic pœnitere, vel cogere partem ad complendum, vt constat ex L. Si pecuniam. §. 7. de Condict. causa data. & L. 1. 7. de rerum permut. Verùm hoc non est licitum in foro conscientiæ, quia vtraque pars tenetur seruare promissum, & exoluere fidem, altera volente & perstante: vnde in foro Ecclesiastico, & vbi Iure Canonico vtuntur in tribunalibus, cogunturstare contractu, & implere promissum, vt docet Couarruuias suprà num. 24. & Siluester verb. Pactum. num. 3. & patet ex cap. 1. de pactis. vbi id passim notant Doctores. Ratio est, quia Ius Canonicum, cùm sit conditum ad salutem animarum, respicit obligationem conscientiæ, eamque iubet impleri; nisi forte præsumat errorem vel fraudem. quam ob causam non concedit actionem ad exigendum promissum, nisi exprimatur causa cur sit promissum. Siluester suprà. alioquin non præsumit seriò & liberè promissum.

Ius ciuile ei non assistit.

22

Secùs de Iure Canonico.

23

Notandum tamen est Primò, Talia pacta, ratione obligationis naturalis, habere alios quosdam notabiles effectus, etiam in foro externo. Primò, Pariunt exceptionem; vt habetur d. L. Iuris gentium. Secundò, Impediunt soluti repetitionem. Tertiò, Tribuunt ius compensandi in foro conscientiæ. Quartò, Potest eis accedere fideiussor, & efficaciter obligari. Quintò, Potest retineri pignus. quæ omnia satis in Iure sunt nota, & infrà magis patebunt.

24 Secundò, Quædam pacta nuda, priuilegio Iuris, dare actionem ciuilem; vt patet ex Glossa in §. De constitutio, Instit. de actionibus; vbi enumerat septem casus. tale pactum est, *donatio verbalis acceptata, promissio dotis, promissio soluendi pro se, vel pro alio*, &c. sunt enim parui momenti.

25 Dico Tertiò, Si tamen pactum nudum iuramento confirmetur, parit actionem in vtroque foro. est communis sententia Doctorum, inquit Couarruuias suprà nu. 26. Probatur; nam si contractus, qui Iure ciuili est irritus, iuramento confirmetur, datur ex eo actio eodem Iure ciuili, modò non sit contra bonos mores; vt patet Authent. Sacramenta puberum, C. Si aduersus vendit. & colligitur ex cap. Quamuis pactum, de pactis, in 6. ergo multò magis ex contractu, qui non est irritus, dabitur actio Iure ciuili. sed de hoc infrà dubit. 7. Idem putat Couarruuias esse dicendum de pollicitatione iuramento confirmata, quæ tamen non est pactum. Contrarium tamen puto verius; quia ex pollicitatione (id est, ex promissione nondum acceptata) nullum Ius acquiritur ei cui fit: nam requiritur acceptatio, vt infrà dicetur. ergo etiam si forte implenda sit, (de quo infrà num. 52.) propter obligationem, qua tenemur efficere, ne Deum adduxerimus in testem falsi; non tamen ob vllum ius, quod acquisitum sit illi, in cuius fauorem facta est: secùs de pactis Iure ciuili irritis, quia hæc pacta non irritantur, nisi dum sola sunt, & sine Iuramento fiunt. Dum autem fiunt cum iuramento, Ius ciuile non intendit ea irritare, sed relinquit in suo vigore, quem habent, præciso Iure positiuo. atqui hoc Iure præciso sunt valida, & inducunt obligationem: ergo accedente iuramento inducunt suam propriam obligationem, & ius conferunt, illudque iuramento confirmatur. Vnde dici solet, iuramentum sequi naturam contractus, quam habet ex natura rei; non autem quam habet ex Iuris prohibitione. atqui ita duplici obligatione tenemur illa implere, nempe obligatione iustitiæ & religionis. vnde mirum non est, si Iure ciuili detur actio ex tali pacto. quòd si Ius intenderet ea irrita reddere, etiam cum iuramento, omnino irrita essent. Sicut enim potest impedire ne ex pacto simplici obligatio nascatur; ita etiam ne ex iurato.

Iuramentum.

Pollicitatio iuramento cõfirmata.

26

Dvbitatio v.

Vtrùm contractus, cui error vel dolus causam dederit, sit validus.

NOtandum est, *Dolum* vel errorem posse contingere, vel circa substantiam rei, vel circa accidentia & extrinseca, quæ alliciunt, aut auertunt à contrahendo. Rursus, potest hic *dolus dare causam contractui*, ita vt sine illo non velles contrahere: aut non dare causam, sed solùm *incidere in contractum*; vt si velles quidem contrahere, sed non tanto pretio. Denique hic *error* seu *dolus* potest prouenire vel à parte quæ tecum contrahit; vel à tertio, ita vt pars non sit vllo modo illius particeps; vel ex propria tua opinione. His positis,

27 *Dolus multis modis in contractu.*

Dico Primò, Quando contingit in altero contrahentium esse errorem circa substantiam rei, contractus Iure naturæ est irritus. est communis sententia DD. Ratio est; quia deest substantialis consensus: nam non consentit in illam rem, sed in aliam, quam putat subesse istis accidentibus. vt si venditor gemmam putet esse vitrum, & pro tali vendat, emptor re comperta tenetur ad restitutionem gemmæ, vel ad iustum eius pretium, prout de nouo inter eos conuenerit; quia venditor non consentit in alienationem gemmæ, sed vitri. Similiter si venditor vitrum vendat pro gemma; quia emptor non consensit in emptionem vitri, sed gemmæ; quam putabat esse sub illa specie. Idem patet ex contractu matrimonij.

Error circa substantiã.

28 Dico Secundò, Si non sit error circa substantiam, contractus est validus; modò dolus non det causam contractui. est communis sententia DD. D. Antonini p. 2. titulo 1. cap. 17. §. 6. Caietani quæst. 77. art. 3. Soti lib. 6. qu. 3. artic. 2. & aliorum. Probatur, quia iste verè consentit, v. g. in emptionem istius rei, sciens & volens, absque metu & fraude: qui consensus sufficiens est ad contractus validitatem. Nec refert quòd fuerit dolus circa qualitatem rei; tum quia non requiritur, vt omnes rei qualitates norit, aut vt in omnes consentiat; tum quia non habet expresè vel tacitè animum huic contractui repugnantem. etsi enim sciret rei qualitatem, tamen vellet contrahere, quamuis non eo pretio.

Si dolus nõ det causam contractui.

Hinc sequitur, Contractum esse validum, etiamsi quis deceptus sit in pretio vltra dimidium: quia dolus non dedit causam contractui, sed solùm est causa maioris vel minoris pretij. vnde ipse contractus non potest rescindi, nolente emptore, sed

sed ad æqualitatem reduci. Ita docet Glossa in cap. Cùm dilecti. 3. de emptione & venditione; & expressè habetur eodem cap. & C. de rescind. vendit. L.2.

29 *Si dolus det causam contractui.* Dico Tertiò, Si dolus det causam contractui, & proueniat ab altera parte, vel saltem illa sit particeps doli, contractus adhuc Iure naturæ non est omnino irritus, tamen pro arbitrio eius qui deceptus est, (si solubilis sit) irritari potest. *Non esse omnino irritum.* Quòd non sit omnino irritus, Probatur Primò, ex contractu matrimonij, qui dolo initus, validus est; & quia natura sua insolubilis est, validus perseuerat, nec ob iniuriam acceptam irritari potest. Secundò, Quia dolus iste versatur, non circa substantiam contractus aut materiæ; sed circa causam contrahendi, quæ rei est extrinseca & accessoria: ac proinde non tollit consensum, qui aliquo modo sit sufficiens ad naturam contractus. Tertiò, Si deceptus velit contractum constare, deceptor non potest resilire, ne ex dolo commodum reportet, vt colligitur ex cap. 1. de eo qui duxit in matrimonium, & docent plurimi Doctores. quod est signum, contractum non fuisse omnino inualidum. Quartò, Quia communis sententia Doctorum est, contractum stricti Iuris, etiamsi dolus vel metus ei causam dederit, validum esse; doli tamen mali vel metus exceptione actionem elidi. & colligitur L. Dolo. 5. C. de inutilibus stipulationibus, & apertiùs Institut. de exceptionibus, initio. hoc autem falsum esset, si Iure naturæ esset omnino irritus. quia quod Iure naturæ est irritum, Iure ciuili non potest esse validum, & tribuere actionem.

Posse irritari. Quòd autem possit irritari pro arbitrio decepti, patet: quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum, iniuriam ei facit; ac proinde tenetur illum restituere in integrum, & reddere omnia infecta, si deceptus velit.

Deinde, etsi dolus iste non habeat eam vim vt reddat contractum planè irritum, quia non tollit consensum substantialem; tamen tribuit ius recedendi à contractu, eiusque irritandi. Ita enim vsu omnium gentium receptum est, vt si quis deprehendat se penitus deceptum, nolit stare contractu, præsertim si res est adhuc integra. Vnde omnis contractus solubilis, Iure gentium videtur habere hanc tacitam conditionem, quòd contrahens stabit contractu, nisi deprehenderit se grauiter deceptum, id est, tali errore qui sit causa contractus. Nemo enim ita intendit inhærere contractui, vt non possit retrocedere, etiamsi ex graui errore contraxisset; quia defuit plenus consensus. Itaque duplici Iure potest talis contractus rescindi, ratione iniuriæ, & ratione defectus consensus, qua parte ignorauit. Cùm autem metu extortus est, solùm ratione iniuriæ rescindi potest, vt sequenti dubit. dicetur. nam adfuit consensus ex parte cognitionis; sed defuit plena libertas in consensu, idque per iniuriam.

30 *Deceptor tenetur ad restitutionem.* Hinc sequitur, Deceptorem teneri ad restitutionem rei & fructuum, etiamsi dominium translatum fuerit; quia per iniuriam fuit causa alienationis: & deceptum posse vti occulta compensatione, si aliter quod suum est, recuperare nequit.

31 *An Iure positiuo sint irriti.* Sed difficultas est, vtrùm tales contractus sint omnino irriti Iure positiuo. Iurisperiti sic distinguunt; omnes contractus *bonæ fidei*, quibus dolus partis causam dederit, irritos esse: eos autem qui vocantur *stricti Iuris* (vt sunt omnes qui fiunt per formulam stipulationis, & quidam alij) esse validos, & tribuere actionem in foro externo, sed posse exceptione doli mali elidi. de quo vide Couarruuiam ad regulam Possessor, 2.p.§.6.n.6. *Contractus bonæ fidei & stricti Iuris.*

Verùm, quidam hanc distinctionem reiiciunt, tamquam non satis in Iure fundatam; & docent eamdem esse rationem contractuum bonæ fidei & stricti Iuris: omnes enim aliquo modo validos esse, & posse exceptione doli elidi. Ita Ioannes Ignæus in L. Contractus. 23.ff.de reg.Iur.n.150. Faber & Bellapertica apud Couarruu. suprà. Hæc sententia non est improbabilis, sed meo iudicio valdè probabilis si rectè explicetur. Primò, Quia sicut d.L.Dolo. 5.C.de inutilibus stipulationibus, dicitur de contractu stricti Iuris: *Dolo vel metu adhibito, actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit, per doli mali tamen vel metus exceptionem submoueri petitio debet:* ita L. Si dolo. 5. C. de rescindenda venditione, dicitur de contractu bonæ fidei, *si dolo aduersary deceptum, venditionem prædij te fecisse Præses Prouinciæ aditus animaduerterit, sciens contrarium esse dolum bonæ fidei, (quæ in huiusmodi cõtractibus maximè exigitur) rescindi venditionem iubebit.* itaque insinuat, contractum *bonæ fidei* non esse omnino nullum, sed posse rescindi. Nec obstat L.7. Et eleganter. ff. de dolo. vbi dicitur *nullam esse emptionem, si in hoc ipso vt venderet circumscriptus est:* tum quia ibi agitur de minore per dolum decepto vt venderet seruum, cuius contractus, quo talem rem absque decreto Iudicis alienat, est planè nullus, vt patet L. 16. In causæ cognitione. §. Item relatum. ff. de minoribus: de quo infrà dub. 8. tum quia ibi agitur de emptione, cui causam dederat dolus tertij: quo casu emptio in aliis non est irrita, etsi sit irrita in minore, ob defectum decreti. Itaque hæc lex non probat, talem contractum esse planè nullum.

Probatur Secundò, Quia quando metus dat causam contractui, non est omnino irritus, sed in irritum reuocandus, vt dicemus dubitat. 6. atqui metus & dolus in Iure censentur paria. L.Si dolo. ff. de inutil. stipul. & cap. Cùm contingat. 28. de iureiurando. Tertiò, Quia id magis consentaneum est Iuri naturæ, per quod tales contractus non sunt omnino irriti, quamuis etiam non omnino validi. Quartò, Est magis expediens bono publico, ad coërcendos huiusmodi deceptores, qui interdum hac ratione capi possunt in astutia sua, si is qui deceptus fuerit, velit contractum valere, quando est ipsi vtilis. Ob has rationes sentio esse verius, nullum esse discrimen hac ex parte in foro conscientiæ inter contractus bonæ fidei & stricti Iuris, cùm dolus causam dedit: sed vtrosque aliquo modo esse validos, & parere aliquam debilem obligationem Iure naturæ in foro conscientiæ, quæ tamen dolo detecto possit elidi per eum qui deceptus est: neque hanc obligationem Iure ciuili impediri. Idem colligi potest ex Couarr. ad regul. Possess. p. 2. §. 6. num. 8. vbi dicit, in foro conscientiæ non esse considerandam distinctionem contractus bonæ fidei, & stricti Iuris.

Nec obstat, quòd talis contractus dicatur aliquando *irritus* vel *nullus*, vel *nullam vim habere.* rectè enim dicitur *irritus*, tum quia deceptor ex eo nihil solidi iuris acquirit, nisi alter illum ratificet; nam tenetur ad restitutionem in integrum

Quomodo dicatur irritus.

ante omnem sententiam. tum quia in fauorem decepti est irritus : potest enim hic, vbi resciuerit deceptionem, illum irritum reddere, & petere restitutionem rei traditæ: tum denique, quia in Iure sæpè dicitur irritum, quod est irritandum; & contrà. Potest etiam dici *validus* non simpliciter, sed secundùm quid, nempe in fauorem decepti; quia potest illum ratificare.

Vt autem hæc meliùs intelligantur, Notandum est, contractus stricti Iuris, quibus dolus causam dedit, Iure ciuili dici validos; quia mero Iure ciuili (vt distinguitur à Iure Prætorio) non datur actio ad talis contractus rescissionem, aut ad vindicandum dolum deceptoris: contractus autem bonæ fidei dici irritos; quia illo Iure datur actio ad rescissionem contractus, & doli vindicationem. Iure tamen Prætorio (quod est moderatio quædã Iuris ciuilis) etiam datur actio ad rescissionem contractus stricti Iuris, cui dolus causam dedit, & ita Iure Prætorio etiam hic contractus est simili modo inualidus. Æquitas enim postulat vt possit rescindi. Ita Couarr. suprà n. 6. ex Duareno, & aliis. Ex quibus patet, illam distinctionem solùm pertinere ad forum externum; & esse *irritum* seu *inualidum*, aut *validum*, nihil aliud esse quàm dari vel non dari actionem ad rescissionem contractus: & cùm dicitur *ipso Iure*, hanc clausulam non intelligi more vulgari, neque de Iure ciuili in genere, sed de Iure ciuili primario & stricto, vt distinguitur contra Ius Prætorium: quod multi non aduerterunt.

Deceptor potest cogi ad implendum contractum.

Ex hac sententia sequitur, Eũ, qui deceptus est, posse cogere deceptorem ad implendum contractum; nec opus esse nouo cõsensu deceptoris; quia ex primo consensu manet obligatio: (obligauit enim se deceptor quãtum potuit ex parte sua) quæ non perit, nisi deceptus, cognita deceptione, resiliat à contractu. Vnde si deceptor reuocet suum consensum antequam alter resiliat, non valet.

32 *An teneatur ratificare, volẽte decepto.*

Petes, Vtrùm in altera sententia, quæ tenet, contractus bonæ fidei, quibus dolus causam dederit, Iure positiuo esse omnino nullos; obligetur deceptor in conscientia contractum ratificare & implere, si deceptus velit? Multi Doctores docent, in conscientia teneri ante sententiam Iudicis. Primò, Quia, etsi contractus validus non fuit; tamen ex parte sua fidem dedit, quam debet seruare. Secundò, Quia Iura ita statuerunt, non in pœnam dolosæ machinationis, sed ob naturalem æquitatem; quia bono communi ita expedit. quæ sententia est valdè probabilis, eamque tenent Richardus in 4. dist. 36. circa 3 principale, q. 1. Siluest Matrimonium. 8. q. 2. §. Nonum. Nauar. cap. 22. n. 33. Molina disput. 352. & alij.

Sed habet difficultatem: si enim non tenetur implere ratione contractus; ergo solùm ratione pœnæ: at nemo tenetur ad pœnam nisi post sententiam. Suppono, non interuenisse damnum decepto, quod non sit aliter reparabile. si enim tale interuenisset, tunc ratione damni sarciendi teneretur contractum ratificare & implere; vt si sponsam cognouisset.

Dices, Tenetur ratione iniuriæ. Contrà; Illa iniuria, si absit damnum, non est tanti; & facilè alia ratione ei satisfieri potest. Confirmatur; quia qui fictè contraxit, non tenetur; saltem sub peccato mortali, ratificare contractum, si nullum incommodum secutum sit, vt infrà c. 18. num. 61. dicetur, ergo neque qui dolo. Vnde valdè probabile videtur, posita illa sententia, non teneri ratificare contractum, saltem sub peccato mortali, nisi ratione damni secuti, vel ratione sententiæ Iudicis. Ita sentit Conradus, de contractibus q. 57. Ioannes Medina C. de restit. qu. 33. Sotus in 4. d. 35. q. vnica. art. 2.

33 *Si pars non sit particeps doli.*

Superest, vt dicamus de illo euentu, quo is qui-cum contrahis, non est particeps doli; sed deceptus es à tertio, vel propria opinione. Quidam enim putant tunc adhuc contractum esse irritum: ita Conradus & Medina suprà. Ratio illorum est, quia deest consensus liber. nam quòd consentis, est ex errore inuincibili, qui facit inuoluntarium. Sed contrarium est verius, Vnde

Est validus.

Dico Quartò, Talem contractum absolutè validum esse. Ita Glossa in c. Cùm dilecti, de empt. & vendit. Bartolus in d. L. Et eleganter. 7. de dolo, in principio. Couarr. reg. Possessor, p. 2. §. 6. n. 6. & alij. Ratio est, quia non est error circa substantiam rei, sed solùm circa extrinseca; vt circa causas, quæ alliciunt vel auocant à contractu, vt Bartolus ait; & aliàs nulla interuenit iniuria partis. Accedit, quòd nullum Ius talem contractum irritum reddat. Vnde sequitur, eum, qui tali contractu aliquid consecutus est, non teneri ad restitutionem, nisi contractus in irritum reuocetur; quia nullam iniuriam intulit.

Petes, An hic contractus, detecto errore, possit in irritum reuocari arbitrio eius qui deceptus est?

Potest in irritum reuocari.

Resp. Si sit contractus gratuitus, vt promissio vel donatio liberalis, potest pro arbitrio reuocari, si dolus vel error circa motiuum ei causam dederit; quia in his spectanda est etiam intentio tacita & habitualis: nam ex sola intentione legem accipiunt, cùm omnino sint gratuita. deinde ad vitandas multas lites & perplexitates ita passim vsu est receptum. secùs tamen in voto, vt infrà c. 40. d. 2. dicemus. Si verò sit oneratus, maior est difficultas; quia hic contractus pendet etiam ex consensu alterius, qui talem conditionem nollet admittere. Deinde, quia vel tua opinione deceptus es, & sic tibi ipse imputare debes, quòd rem meliùs nõ examinaueris: vel dolo tertij; & sic in illum actionem habes, vt expressè habetur d. L. Et eleganter. 7. 7. de dolo & L. Si proxeneta. 2. 7. de proxeneticis.

Non tenetur implere, si res sit integra.

Verius tamen puto, quandocumque error inuincibilis dedit causam contractui, & res adhuc est integra, eum, qui deceptus est, vbi sciuerit veritatem, in conscientia non teneri implere contractum; nisi fortè per sententiam Iudicis cogatur. Patet hoc, Primò, in contractu sponsalium, quem non tenetur deceptus implere, simulatque cognouerit aliquid subesse, quod si ab initio sciuisset, noluisset contrahere. Secundò, Quia si tale quid post contractum eueniret, non teneretur illum implere, eò quòd status rerum sit notabiliter mutatus; ergo etiam non tenebitur, si id quod ab initio latebat, posteà se aperiat. nam paria sunt, superuenire de nouo, & proferri in lucem, seu incipere cognosci. Tertiò, Quia alter non potest conqueri de iniuria, cùm tacita mens contrahentium sit, non obligare se ad implendum contractum, si se deceptos deprehendant: idque confirmat consuetudo passim recepta. eadem conditio tacitè ex vsu omnium gentium intelligitur in promissione standi contractu eiusque non reuocandi. Si tamen inde alteri damnum obueniret,

Si damnũ parti obueniret.

deberet

deberet alter compensare. Quando autem res non est integra, vt si contractus sit vtrimque vel altera ex parte completus, tunc est distinguendum; vel enim alter erat conscius vitij seu defectus, vel non erat. Si non erat conscius, Iura non concedunt rescissionem, sed solùm actionem quanti minoris, id est, vt tantò minus soluas, quanti minoris detecto vitio rem esses empturus, vt habetur L. 13. ff. de actionibus empti, in principio; vt si *oues morbidas emisti, vel ligna cariosa*, vt ibidem dicitur. quòd non solùm in contractu emptionis & venditionis, sed etiam in aliis permutationibus locum habet, vt constat L. 18. in fine, ff. de ædilitio edicto. Sepositò tamen Iure positiuo, puto posse rescindi, si deceptio est causa contractus, & circa rem magni momenti, in qua meritò non censetur voluisse consentire. Vide Siluestrum, Iuramentum 3. q. 1. & Nauarrum cap. 12. num. 13. de quo infrà cap. 42. dubit. 7.

Si conscius vitij.

Si autem is qui tecum contrahit, conscius est vitij, contractus est irritus in tuum fauorem, ita vt pro arbitrio tuo, detecto vitio possis illum irritare, vel confirmare. colligitur ex dicta L. 13. Ratio est, quia tunc censetur particeps doli. nam tenebatur quasi ex officio, saltem Iure positiuo, aperire tibi omnia occulta rei vitia. Hoc enim statuitur L. 1. ff. de ædilitio edicto; & colligitur etiam d. L. 13. de actionibus empt. itaque si non fecit, contra iustitiam peccauit. vide Medinam, C. de restitutione qu. 34. Puto tamen, sepositò illo Iure positiuo, illum ex iustitia ad hoc non teneri, nisi rogatum, vt infrà cap. 21. dubitatione 11. dicetur.

34 *Libertas sufficiens ad contractum.*

Ad rationem Conradi & Medinæ, Respondeo; Illum consensum habere libertatem sufficientem ad essentiam contractus, vt patet in matrimonio, quod validum est, etiamsi decipiaris circa causas contractus. Ratio est, quia consentis hîc & nunc in rem, quam nosti. error enim est circa aliquid extrinsecum. dicitur inuoluntarius solùm secundùm quid, ratione taciti dissensus, qui esset actu, si error abesset. quia tamen nec actu est, nec virtute, sed solùm habitu, non reddit irritum contractum. imò neque si actu esset, irritaret; quia solùm est simplex displicentia, nollem si scirem. Hic tamen error, & hoc inuoluntarium sufficit ad reuocandum contractum, vel non implendum, vt dictum est.

Dvbitatio vi.

Vtrùm contractus, cui metus causam dederit, sit validus.

35 *Metus grauis seu cadens in constantem virum.*

NOtandum est, *Metum* alium esse *grauem*, alium *leuem*. *Grauis*, alius est *grauis absolutè*, alius *respectiuè*. *Metus absolutè grauis* est, qui cadit in constantem virum. Dicitur autem metus *cadere in constantem virum*, qui est alicuius mali, quod viro constanti est formidabile, eumque meritò commouere queat. talis est, Primò, Metus mortis. Secundò, Mutilationis. Tertiò, Atrocis cruciatus. Quartò, Longi carceris. Quintò, Diuturni exilij. Sextò, Seruitutis. Septimò, Stupri in viro vel femina. Octauò, Amissionis honorifici status. hæc omnia habentur ff. Quod metus causa, & C. eodem. & in 1. Decretal. eod. titulo. Nonò, Amissionis omnium bonorum, vel certè notabilis partis; nam sine his non potest commodè & honoratè viuere. Decimò, Infamiæ Iuris, vel etiam facti, quæ difficulter possit abstergi; fama enim præfertur opibus, iuxta illud Prou. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Vndecimò, Excommunicationis iniustæ secùs si iusta sit. hæc enim facilè potest caueri, sublatâ contumaciâ. Duodecimò, Etiam metus grauis dicitur, si hæc mala liberis nostris timeamus, *quia pro affectu parentes magis in liberis terrentur.* vt habetur L. Isti quidem. 8. in fine. ff. Quod metus causa. Idem dicendum, si parenti vel vxori impendeat: quia hi etiam præ liberis diligendi. Imò idem videtur, si fratri, sorori, vel alteri, arctissimo amicitiæ vinculo nobis copulato: quia horum mala, nostra reputamus. Decimotertiò, Ad metum quoque grauem pertinet metus reuerentialis, quo filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, vxor viri, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi; nimirum si hæc offensio putetur fore magna & diuturna, cum asperitate vultus vel verborum, vel alia mala tractatione. Item si parens vel alius, cui hæc reuerentia debetur, aliquid importunè & assiduè petat. Vnde nō quiuis metus reuerentialis censetur grauis, sed ingens; vel si coniunctæ sint minæ, vel timor malæ tractationis, vel preces importunæ, id est, vehementes & sæpiùs repetitæ: hęc enim, dum iunguntur illi reuerentiæ, quæ Superioribus deferri solet, æquiualent metui graui. Vide de his Couarruuiam epitome 4. Decretal. p. 2. cap. 3. §. 4. & Henriquez lib. 1. de matrimonio cap. 9. & nouissimè Sanches lib. 4. de matrimonio disput. 5. 6. 7.

Metus reuerentialis.

Respectiuè grauis dicitur, qui est alicuius mali, quod etsi viro constanti non sit formidabile, tamen feminæ, vel seni, vel puero, vel homini meticuloso formidandum meritò videtur: quod iudicio prudentum relinquitur. nam secundùm rectam rationem hi non minùs concutiuntur minoribus malis, quàm viri robusti & constantes maioribus.

Respectiuè grauis.

Respectiuè etiam grauis dici potest, quando malum quod timetur maius est, quàm damnum quod per contractum incurritur, vt si mineris auferre equum, nisi vendam tibi vestem. hic tamen absolutè leuis est. His positis,

36 *Non est omnino irritus Iure naturæ.*

Dico Primò, Contractus metu graui celebratus neque Iure naturæ, neque etiam Iure positiuo est omnino irritus, sed est aliquo modo validus. Prima pars, *quòd nō sit irritus Iure naturæ*, est communis ferè Doctorum sententia, Soti in 4. d. 29. q. 1. a. 3. Richardi, eadem dist. circa 1. princ. q. 2. Palud. d. 15. q. 2. a. 5. & aliorum, qui tenent, tales contractus non esse irritos, sed irritandos. Probatur; Si est omnino irritus Iure naturæ, id prouenit vel defectu consensus, vel quia interuenit iniuria. Non defectu consensus, quia qui metu coactus consentit, absolutè consentit voluntariè: omnibus enim consideratis, vult. Nec obstat, quòd illi volitioni iungatur nolitio: quia est solùm nolleitas, vt ita dicam; qua nollet, si timor mali abesset, quæ proinde est omnino inefficax, cùm conditio non extet. Confirmatur, quia quando quis iustè cogitur, valet contractus; & tamen est simile inuoluntarium, & simile nolle.

Quorum malorū sit.

Non

Non etiam ratione iniuriæ: tum quia iniuria non est immediata causa contractus, sed consensus contrahentis; tum quia etsi iniuria possit esse sufficiens causa ad reuocandum consensum, & contractum irritandum; non tamen est sufficiens, vt ipsum reddat omnino irritum, vt patet in contractu, cui dolus causam dedit, qui, etsi iniuria interueniat, non tamen est Iure naturæ irritus, sed irritandus, vt dictum est dubit. 5. num. 29. & 31. Item cùm quis decipitur citra vel vltra dimidium iusti pretij.

Nec Iure positiuo. Altera pars, *quod non sit omnino irritus Iure positiuo*, est etiam ferè communis sententia Doctorum, vt docet Nauarrus in cap. Accepta. oppos. 5. num. 7.

Probatur Primò, Institut. de exceptionibus, in princ. *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus, stimulanti Titio promisisti quod non debueras promittere, palàm est, Iure ciuili te obligatum esse; & actio, qua intenditur dare te oportere, efficax est.* Vbi Glossa: *Obligatum esse; scilicet inspecto Iuris rigore: & efficax est, scilicet in sui substantia.* Secundò, Probatur L. Si mulier. 21. §. fin. ff. Quod metus causa. *Si metu coactus adiui hereditatem, puto me heredem effici; quia quamuis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per Prætorem restituendus sum vt abstinendi mihi potestas tribuatur.* Tertiò, Ex L. vlt. C. de his, quæ vi. *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari:* ergo erant aliquo modo validæ. Idem probari potest ex L. 3. 5. 7. C. de his, quæ vi. & ex cap. 2. & 4. de his, quæ vi.

37 *Excipiuntur aliquot casus.* Excipit tamen Glossa in cap. 2. de his, quæ vi, sex casus, in quibus metu facta sunt omnino irrita. Primus, Contractus matrimonij, etiamsi iuramentum accedat. vt communiter Doctores in c. Cùm locum, & c. Veniens. 2. de sponsalib. non tamen probo, quod Glossa addit, matrimonium ex metu esse irritum, qualiscumque metus ille sit, ex culpa, an sine causa. Verius enim est, non esse irritum, si metus iure incutiatur. Secundus, Si dos promissa vel soluta sit per metum; quia est accessoria ad matrimonium, ff. Quod metus causa. d. L. Si mulier. §. Si dos. Tertius, In rebus Ecclesiæ non tenet promissio vel traditio ex metu 15. q. 6. c. 1. & c. Peruenit, de iureiurando. quia Iure requiritur certa solemnitas in rerum Ecclesiæ alienatione, de qua cap. Sine exceptione. 12. q. 2. & nos infrà cap. 24. dubit. 10. Quartus, Si votum ex metu emissum; cap. 1. de his, quæ vi. Quintus, Iurisdictio per metum extorta non valet, l. 2. ff. de Iudiciis. Sed contrarium est verius, talem iurisdictionem validam esse, & ea quæ ex ipsa sunt secuta. Colligitur ex Glossa in c. Abbas. 2. de his, quæ vi. vbi dicit: *Quia generaliter ea, quæ metu gesta sunt, valent, nisi Ius specialiter irritet.* Nec obstat d. L. 2. de Iudiciis, quia loquitur in casu speciali, quando iurisdictio conceditur vel prorogatur à partibus litigantibus, Iudici alicui, cui aliàs non sunt subiectæ, qui metu hoc ab illis extorquet: talis iurisdictionis collatio & prorogatio est irrita; & gesta ex illa non valent. Sextus, Auctoritas tutoris per metum extorta, ff. de auctorit. tutor. L. 1. §. vlt.

Iurisdictio metu extorta.

His addunt aliqui alios casus. Septimus ergo sit, Si sponsalia metu sint extorta. Sed verius videtur, ea non esse omnino nulla, sed more aliorum contractuum irritanda. caput enim Ex litteris, de desponsat. impuberum, quo illi nituntur, solùm probat, ea posse irritari.

Dices, Ergo ex illis oritur impedimentum publicæ honestatis.

Sponsalia metu extorta. Respondeo, Id posse concedi; nihil enim incommodi potest etiam negari, quia quod ab initio est ita debile, vt pro arbitrio partis possit in irritum reuocari, censetur Iure quasi irritum. Octauus, Promissio & donatio metu facta; quia hi actus debent omnino esse liberi, nam liberali donationi repugnat coactio.

Promissio metu extorta. Sed verius est, hos actus non esse omnino irritos: non enim ad illorum substantiam requiritur maior libertas, quàm ad contractus onerosos. Neque donationi liberali propriè repugnat coactio, sed donatio onerosa. Confirmatur L. vltima C. de his, quæ vi; vbi donationes cum contractibus onerosis dicuntur infirmandæ: non sunt ergo per se omnino irritæ. Nonus, Renuntiatio beneficij metu facta. Sed probabilius est, illam non esse omnino irritam, sed irritandam, vt docet Nauarrus in cap. Accepta. oppos. 5. a. 7. Vnde ipse infert Primò, Renuntiantem non teneri ad Horas, sed eum cui beneficium ex renuntiatione collatum est. Secundò, Renuntiantem non posse ad titulum illius beneficij ordinari; quia non est ampliùs ipsius. Contrarium tamen in vtroque dicendum esset, si renuntiatio illa esset omnino irrita. quæ sententia etiam est valdè probabilis, vt ex eodem Nauarro patet.

Renuntiatio beneficij.

38 *Possunt rescindi.* Dico Secundò, Etsi hi contractus non sint omnino irriti, possunt tamen in foro conscientiæ rescindi, & in irritum reuocari pro arbitrio eius, qui metum passus est, si metus iniustè incussus fuit ad contractum extorquendum. Est communis sententia Doctorum. Hinc passim in Iure dicitur: *Quæ vi & metu fiunt, debere in irritum reuocari, debere robore firmitatis carere.* cap. 2. & 4. de his, quæ vi. Ratio est; quia qui metum iniustè incussit, iniuriam alteri intulit; vnde tenetur illum in priorem statum restituere: & alter ius habet exigendi hanc restitutionem.

39 *Si à tertio incussus.* Dices, Hæc ratio benè probat, si metus tibi incussus sit à parte, cum qua contrahis; non autem si à tertio, ita vt pars non sit iniuriæ particeps: tunc enim non videris posse rescindere contractum, sed solùm habere actionem in tertium.

Resp. Etiam tunc potes rescindere, & rem tuam recuperare, vt patet L. Item si cum exceptione. 14. §. In hac actione 3. ff. Quod metus causa. vbi dicitur: *In hac actione non quæritur vtrum is qui conuenitur, an alius metum fecit. sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim.* Idem colligitur ex cap. 1. 3. & 4. de his, quæ vi. nam agitur de specie facti, in qua metus à tertio illatus est. Vtrùm autem id ex Iure naturæ proueniat, an ex positiuo, non satis constat. Plerique Doctores videntur sentire, ex Iure naturæ. ratione enim iniuriæ, rem manere obligatam priori domino; & consequenter, cum illo onere transire ad quosuis. consensum enim per iniuriam extortum non transferre rem solidè & irreuocabiliter: sed eo modo, vt maneat ius in rem, & non tantùm in personam, quæ iniuriam intulit. par enim non esse, vt quis per iniuriam alterius, ius omne in rem suam amittat. Confirmatur, quia ratione iniuriæ eadem res in pristinum statum est restituenda: ergo est obnoxia restitutioni, vbicumque fuerit. Hæc sententia est

Vtrùm Iure naturæ possit irritari.

est valdè probabilis; & etiam in eo, quod metu leui extortum est, locum habebit, vt statim dicemus: & quando dolus tertij dedit causam contractui; quia vtrobique interuenit iniuria. nisi Ius ob bonum commune aliter disponat, sicut fecit, quando neuter contrahentium est conscius vitij occulti; vt superiore dubit. dictum est. Crediderim tamen, eum, qui bona fide rem talem emit, ignarus iniuriæ quæ interceſſit, non teneri ad restitutionem, nisi quando is qui iniuriam passus est, in rem agere cœperit: quia consecutus est dominium rei, & ipse nullam iniuriam intulit.

Si ignarus sit iniuriæ tertij.

40 *Si ob illum finè incussus metus.*

Dixi, *Si incussus fuit ad contractum eliciendum.* quia si ob alium finem incussus fuit, & ad illud malum euadendum contractus initus, non potest rescindi: vt si captus à latrone, promittas tertio qui iniuriæ non est particeps, 100. vt te liberet. tunc enim metus non est propriè causa contractus, sed solùm occasio; nec potest dici metu extortus, sed cùm iam metus ob aliam causam est iniectus, adhibetur contractus tamquam medium ad illum pellendum. itaque qui contractum tecum init, non infert metum, sed aliunde illatum aufert: vnde non meretur vt contractus ei rescindatur.

41 *Si iustè.*

Dixi *iniustè*; quia si iustè incussus fuerit, etiam ad eliciendum contractum, non potest irritari. Iustè incutitur, quando malum, quod minamur, iure inferre possumus. Sic qui contraxit sponsalia metu excommunicationis, potest compelli contrahere matrimonium. cap. Ex litteris. 2. de sponsalibus. qui violauit virginem, compellitur eam dotare vel ducere: qui promisit aliquid, ne accusaretur de crimine, de quo Iure poterat, tenetur. Ratio est, quia hi contractus non possunt irritari, nisi ratione iniuriæ, quæ abest, quando metus iustè incuti poterat. Siluester v. Metus. q. 6. Angelus ibidem n. 10. & alij.

42 *Si non erat animus inferendi malli, sed terrendi tantùm.*

Petes, Quid si ei, qui minabatur accusationem, non erat animus accusandi, sed solùm terrendi; poteritne id, quod sic extorsit, retinere? Videtur non posse; quia dolus dedit causam contractui. noluisset enim alter dare, nisi fuisset deceptus. Deinde quia dedit, vt deponas animum quem non habes; itaque titulus non subsistit. Vnde Molina disput. 514. docet, eum, qui poterat in iudicio repetere amissa ludo prohibito, posse quidem seriò comminari repetitionem; & ne vtatur hoc Iure, pacisci cum illo, vt partem lucri restituat; tamen si fictè minatus fuerit, non posse retinere quod extorsit. Hæc sententia est probabilis.

Verius, posse retinere.

Contrariam tamen credo veriorem, quam tenet Sanches lib. 4. de matrimonio, disput. 9. Ratio est; quia etsi non habeat animum, habet tamen ius accusandi, eoque iure vti potest; quod ius est pretio æstimabile, siue habeat animum eo vtendi, siue non. Itaque si aliquid des vt eo iure non vtatur, poterit id retinere. Nec obstat, quòd dolus dederit causam contractui, ac proinde ille contractus videatur irritus, iuxta ea quæ dub. 5. diximus: quia non est dolus malus seu iniustus, de quo illa sunt intelligenda; sed iustus. nam iustè poterat minari accusationem, siue haberet animum, siue non. Neq; tu præcisè dedisti vt deponat animum, sed vt reipsa non accuset, & iure accusandi cedat: quorum vtrumque ille præstat: potest ergo pro eo aliquid accipere. Idem dicendum, cùm quis minatur tibi repetitionem eorum quæ perdidit. siue enim ex animo minetur, siue fictè, potest retinere quod tu hac de causa dederis. quia das vt cedat iure repetendi, & vt reipsa non repetat.

Dices, Multi Doctores docent, supradictos contractus esse inualidos, defectu consensus & voluntarij: atqui dum metus iustè incutitur, sæpè non minùs inuoluntariè consentit, quàm dum iniustè: ergo. 43 *Qui iustè cogitur, censetur volutarius moraliter.*

Resp. Si physicè res consideretur, non minùs inuoluntariè consentit, qui iustè cogitur, quàm qui iniustè. vterque enim consentit repugnante voluntate, tum per simplicem affectum nolitionis, tum per dolorem animi. moraliter tamen loquendo, is qui iustè cogitur, non censetur inuoluntariè consentire: quia voluntariè causam metus & coactionis dedit: vnde timor ille mali non censetur extrinsecùs inferri, sed ab illomet nasci, ac proinde consensus inde secutus non censetur inuoluntarius; cùm sit omnino voluntarius in sua causa. Qui verò iniustè cogitur, censetur inuoluntariè consentire; quia causa metus non est illi voluntaria, nec ab ipso ortum habuit; sed solùm à causa extrinseca. Vnde consensus inde secutus, quatenus à causa extrinseca oritur, censetur inuoluntarius. Hoc modo intellige, quando Doctores dicunt ad contractus requiri *consensum liberum*, & *coactionem* repugnare libertati contractuum: loquuntur enim de contractibus firmis, qui non possunt pro arbitrio partis irritari, & de *coactione* à causa extrinseca, non habente ortum ab intrinseco. *Liberum* vocant, non coactum à causa extrinseca, seu per metum iniustum, & dolo non inductum. si enim cogaris ex causa iusta, id non officit libertati contractuum. Simili modo intellige cap. Cùm locum 14. de sponsal. vbi dicitur: *Ibi locum non habet consensus, vbi metus & coactio intercedit.* loquitur enim de consensu, qualis solet requiri in contractibus, vt firmi sint; & de *coactione iniusta*. Et illud in regulis iuris: *Nihil consensui tam contrarium, quàm vis & metus.* *Liberum.* *Coactum.* *Consensus.*

Ex his patet Primò, Omnes emptiones, venditiones, transactiones, concessiones, promissiones, donationes, contractus, & distractus, seu contractuum rescissiones, & generaliter omnes consensus, per metum grauem iniustè extortos, posse in irritum reuocari, & quidquid ex illis est secutum. 44 *Consectaria 5.*

Secundò, Eum, qui ex huiusmodi contractu vel consensu aliquid est consecutus; teneri ad restitutionem; siue ipse, siue alius metum intulerit. Ratio est, quia qui metum intulit, ratione iniuriæ tenetur omnia in pristinum statũ restituere; ac proinde reddere quod consecutus est. qui autem rem habet, & non fuit particeps iniuriæ, tenetur saltem ratione Iuris positiui, quo non solùm datur actio in personam, quæ iniuriam intulit, sed etiam in rem, apud quemcumque existat; vt expressè habetur L. 9. §. Sed quod. & §. Volenti, π. Quod metus causa. Imò valdè probabile est, teneri etiam Iure naturali, vt suprà nu. 39. ostensum est; quamuis fortè non ante rescissionem contractus, si bona fide processit.

Tertiò, Si non pateret alia via illius recuperandæ, priorem dominum posse eam occultè surripere; vel si id non daretur, vti occulta compensatione, sicut in aliis debitis. quo modo etiam dum res aliqua mihi promissa est, si illam aliter consequi nequeo, possum iuxta probabilem sententiam, mihi occultè consulere. *Occulta cõpensatio.*

Quartò,

Quartò, Non posse in irritum reuocari id, quod ex metu iustè illato actum est; quia nulla iniuria interuenit, ratione cuius hæc potestas rescissionis competat.

45 *Si nimis grauis obligatio exigatur.*

Aduerte tamen, si nimis grauis sit obligatio, vel res quam metum inferens exigit, & non habeat proportionem cum Iure quo ipse cedit, malum intentatum remittens, vel cum opera quam præstat, malum aliunde impendens auertens; posse consensum reuocari, quo ad illum excessum, vt contractus ad æqualitatem reducatur. vt si, ne accusem te furti, vel alterius criminis, exigam maiorem partem bonorum; si dum hostem fugis, vt concedam latebras, petam à te aliquem contractum valdè damnosum. In his enim aliqua proportio & æqualitas seruanda est: prout prudentia determinabit; quæ si excedatur, committitur iniustitia: ac proinde tenetur alter ad restitutionem; quam si non fecerit, potest læsus vti occulta compensatione, alia via recuperandi non suppetente.

Si falsò putasti malum impendere.

Quintò, Nihil referre in foro conscientiæ, vtrùm alter reuerà malum inferre cogitauerit, an non; si tu seriò apprehendisti periculum tibi impendere; & ideò consensisti animo repugnante; id est, nullo modo consensurus, nisi tale malum apprehenderes. Ratio est; quia malum non causat metum, nisi quatenus apprehensum. vnde siue reuerà impendeat, siue non impendeat; si eodem modo concipiatur, eumdem metum concitabit, easdemque vires habebit ad consensum extorquendum. In foro tamen externo non admittitur hæc exceptio metus, nec datur actio ad rescindendum, nisi iusta ratione conceptus fuerit; quia aliàs non præsumitur fuisse causa consensus; imò non putatur fuisse verus metus, sed simulatus.

Quæ hactenus dicta sunt, intelligenda de metu graui, qui vocatur metus cadens in constantem virum. Item de metu reuerentiali, cui coniunctæ sunt minæ tacitæ vel expressæ, aut timor diuturnæ aut grauis offensionis; hic enim meritò grauis à Doctoribus censetur, vt suprà diximus.

46 *De metu leui.*

Nunc difficultas supereſt de metu leui, quo vir constans permoueri non solet; quia L. Metum, 6. π. Quod metus causa, dicitur, *metum vani hominis non esse spectandum, sed eum qui in constantissimum cadit.* & π. de reg. Iuris, *Vani timoris nulla est excusatio.* Vnde etiam in foro externo non datur rescissio actus, qui per metum leuem extortus est.

Acta per metum leuem iniuriosum possunt rescindi.

Respondeo & Dico Tertiò, Etsi ea quæ per metum leuem acta sunt, sint aliquo modo valida, nec in foro externo admittatur exceptio huius metus, nec detur actio ad rescindendum contractum; tamen in foro conscientiæ possunt in irritum reuocari, & quæ tradita sunt repeti, & qui ea obtinet, tenetur restituere; si metus ille per iniuriam ad illa extorquenda sit incussus. Ita Siluester v. Restitutio 2. dicto 7. Nauarr. cap. 17. nu. 15. vbi dicit, *in foro conscientiæ idem esse, siue iusto metu consentias, siue minore; dummodo coram Deo ille fuerit causa principalis consensus. Causam principalem* vocat, quæ sola, vel præcipuè impellit & mouet animum ad consensum. & cap. 22. num. 51. §. Septimum, *Ad reddendum actum inefficacem coram Deo, sufficit quilibet timor, etiam minor iusto, modò sit causa sine qua non, saltem principalis, eius.* vbi etiam matrimonium & votum ex metu leui, videtur velle esse inualidum. de quo infrà cap. 40. dub. 1. Adrianus tract. de restitut. dubit. 5. in fine. vbi loquitur de omnibus transactionibus. Sotus in 4. d. 29. q. 1. art. 3. vbi docet, omnes contractus, præter votum & matrimonium, quocumque metu notabili factos, rescindi. Idem tenet Couarruuias reg. Peccatum, 2. p. §. 3. n. 7. & passim recentiores. Probatur Primò, Quia sæpè metus leuis, id est, minoris mali, non minùs perturbat hominem, & impellit nolentè ad consensum, quàm metus mali grandis, cadens in virum constantem: ergo si hic tribuit potestatem rescindendi contractum, etiam ille. Secundò, Quia quod hoc metu obtinetur, per iniuriam obtinetur; atqui id, quod per iniuriam comparatũ est, obnoxium est restitutioni: vt enim fiat æqualitas, debet restitui ei, à quo ablatum est. Tertiò, Qui metu cogitur, priuatur per iniuriam sua libertate: ergo debet in pristinum statum restitui, vt liberè probet vel improbet contractum, & ipse ius habet hunc statum sibi assumendi, & quæ gesta sunt confirmandi vel irritandi.

47 *Matrimonium ex metu leui.*

Hic tamen Primò excipe contractum matrimonij; qui per metum leuem, iuxta veriorem sententiam, non est irritus; vnde nec irritari potest, cùm semel validè initus, sit insolubilis.

Altera tamen sententia, coram Deo tale matrimonium irritum esse, est probabilis, eamq; tenet Nauarrus suprà, & aliqui recentiores, quam esse satis probabilem affirmat Thomas Sanches lib. 4. de matrimonio, disput. 17. num. 4. Imò coguntur eam tenere, si sibi constare velint, omnes qui sentiunt metum grauem Iure naturæ matrimonium irritum reddere; vt Couarruuias in 4. p. 2. c. 3. §. 5. num 6. D. Bonauent. in 4. d. 29. q. 1. Scotus ibid. q. vnica. Gabriel in Supplem. eadem dist. q. 2. a. 2. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 7. in princip. & alij multi, quorum sententia est valdè probabilis. Si enim metus grauis Iure naturæ matrimonium irritum reddit, id prouenit ex eo, quòd adimat libertatem illi contractui necessariam: atqui sæpè metus leuis non minùs adimit: ergo similiter irritabit. Sed quia contrarium fundamentum est probabilius & verius, nempe solo Iure positiuo id fieri; verius etiam est, matrimonium metu leui non reddi inualidum.

Probabile est, metum Iure naturæ inualidũ reddere actum.

Secundò, Excipe votum. Etsi enim probabile sit, votum metu iniurioso factum, Iure naturæ esse inualidum; tamen contrarium est verius, vt infrà c. 40. dub. 3. dicemus.

48 *Consectaria tria. Ex metu reuerentiali acta.*

Ex dictis sequitur Primò, Ea, quæ solo metu reuerentiali acta sunt, posse rescindi; & eum, qui inde commodum percepit, teneri ad restitutionem. Ita Siluester v. Restitutio 2. dicto 7. & v. Metus q. 12. Nauarr. suprà, & c. 17. n. 152. Petrus Nauarr. l. 3. de restit. c. 1. nu. 332. & alij. quia hic metus, etsi non sit grauis, tamen est iniuriosus & causa actus. vt si filius non audens vllo modo contradicere patri, aliquid promittat, donet, vel alicui Iuri renuntiet, animo repugnante; quamuis aliud malum non timeat. parens enim, qui sua auctoritate filij libertatem veluti oppressam tenet, obligatur ex iustitia, in huiusmodi actibus eam laxare, vt pro suo arbitrio eligat quod placuerit: vnde si non fecerit, iniuriam infert, & tenetur ad restitutionem eius, quod per talem consensum consecutus est.

Secundò, Si vxor consentiat in aliquem contractum mariti, vel promittat aliquid, vel fideiubeat, quia

quia non audet contradicere marito, timens iurgia & austerum conuictum; posse illam reuocare consensum, & eos qui inde aliquid acceperunt, ad restitutionem teneri. Patet ex iisdem Auctoribus. Ratio est, quia iniuriam patitur, dum eius libertas sic impeditur, & cogitur.

Preces importunæ. Tertiò, Ea quæ per preces importunas ab aliquo obtenta sunt, voluntate illius repugnante, & solùm ad repellendam molestiam illam concedente, restituenda esse Silvester suprà, dicto nono. Nauarr. cap. 16. num. 17. Thomas Sanches libro 4. de Matrimonio disput. 10. vbi citat plurimos Auctores pro hac sententia Ratio est, quia iniuriam facit, qui tali modo aliquem affligit. *Preces* enim *importunæ* dicuntur, quibus aliquis vehementer & crebrò vrget, cum ingenti molestia eius qui rogatur. Si ergo hic, vt illam molestiam depellat, & ille finem vexandi faciat, consentiat; consensus iste per iniuriam videtur elicitus, ac proinde reuocari potest.

Duplex limitatio. Hoc tamen dupliciter sentio limitandum. Primò, Vt is, qui huiusmodi precibus vrgetur, non possit illam importunitatem alia ratione, minore incommodo repellere. si enim posset facilè aliter repellere, non videretur concessisse inuitus, nec per iniuriam quasi coactus. vt cùm officia vel beneficia aliquando à Principibus vel Prælatis improba sollicitatione obtinentur. non enim omnino inuiti concedunt, (quia si vellent, facilè petentes coërcerent) sed ex parte tantùm. nec volunt videri coacti. Secundò, Vt is, à quo sic extortum est, maneat inuitus, & putetur cupere vt fiat restitutio. multi enim etsi inuiti concedant, vbi tamen semel concessere, vel non cupiunt fieri restitutionem, vel facillimè condonant. Ad rationem ex Iure allatam

49 *Leges solùm denegant actionem.* Resp. Illis legibus non approbari contractus metu leui initos, nec vllum robur illis dari; sed solùm actionem in foro externo denegari ad eos rescindendos, idque meritò. Primò, ne lites in immensum excrescant; facilè enim talis metus incidere & probari potest. ob quam causam non conceditur actio ex dolo, nisi dederit causam contractui, vel nisi deceptus sis vltra dimidium iusti pretij. Secundò, quia quando metus leuis est, nō præsumitur causa actus, sed liber consensus. Si quis tamen enormiter læsus esset, posset officium Iudicis implorare, etiamsi metus grauis non fuerit.

Dvbitatio VII.

Vtrùm contractus per se inualidi confirmentur iuramento.

Hæc quæstio est valdè perplexa apud Iureconsultos; de qua tractat fusè Couarruuias in cap. Quamuis pactum, p. 2.

50 *Quid sit iuramentum esse validum.* Notandum est, non esse idem, *iuramentum esse validum*, & *iuramentum confirmare contractum:* sed habent se vt magis & minùs commune. Iuramentum enim *validum* dicitur, quandocumque est seruandum ob honorem diuini Numinis, etiamsi ei, in cuius fauorem fit, nullum ius per illud acquiratur. *Confirmat contractum*, quando non solùm seruandum est, sed etiam alteri, in cuius fauorem fit, ius tribuit, & contractum in sua specie validum efficit. Hinc fit, vt etiamsi iuramentum relaxetur, maneat tamen obligatio iustitiæ ex contractu, quæ transit ad heredes; sicut & ius alterius ad heredes transmittitur. Panorm. c. Cùm contingat. num. 8. de Iureiurando.

Nunc duo nobis potissimùm sunt explicanda; prius est, quando iuramentum appositum contractui censeatur validum, quando non: alterum est, quando confirmet contractum, quando non.

Quod ad prius attinet, vt sciamus quando iuramentum est validum, quando non; Notandæ sunt duæ regulæ.

Quando sit validum. 1. Regula. Prima est, Quando id, quod iuramento alicui promittitur, sine vllo promittentis peccato seruari potest, iuramentum ordinariè est validum & seruandum. intellige, si ille, in cuius fauorem factum est, illud seruari velit, & aliàs legitimè non relaxetur.

2. Regula. Secunda est, Quando id quod promittitur, sine peccato promittentis seruari nequit, iuramentum est inualidum & irritum. vtraque apertè colligitur cap. Cùm contingat, de Iureiurand. vbi dicitur, *seruari debere huiusmodi iuramenta*, (quæ fiunt super contractu Iure ciuili non obligante) *sine vi & dolo sponte præstita; cum in alterius præiudicium non redundent, nec obseruata vergant in dispendium salutis æternæ.* Idem habetur cap. 2. de pactis, in 6. Vnde à contrario sensu colligitur, non esse seruanda, si obseruatio vergat in dispendium salutis. vergit autem, si est peccatum mortiferum, aut veniale. Idem colligitur ex illa regula Iuris, *Non est obligatorium iuramentum, contra bonos mores præstitum.* Quod intellige de *bonis moribus naturalibus*, vnde homo dicitur bonus, & quorum contrarium est peccatum; non de *ciuilibus*, quos tantùm expedit esse in Republica, vt benè sit ordinata politicè. Ratio prioris regulæ est; quia honor & reuerentia diuinæ maiestatis (quam iuramento in testem adduximus) postulat, vt efficiamus verum esse, quod promisimus; (si modò id licitè fieri potest) ne illam testem falsi faciamus. Posterioris ratio est; quia nemo obligari potest ad peccatum; id enim contradictionem implicat. *Contra bonos mores.*

Petes, Quid si vi vel alia iniuria extortum sit? 51

Resp. breuiter (nam plura de hac re dicenda infrà cap. 42. dub. 6. & 7.) Si dolo extortum sit, ita vt dolus dederit causam contractui cui iuramentum apponitur, communis sententia DD. est esse inualidum, nec egere relaxatione. Ratio est; quia iuramentum non confirmat incognita, sed solùm ea quæ cognoscuntur. cadit enim super actum prout apprehenditur. vnde iurans non tenetur, nisi prout bona fide apprehendit. Confirm. Primò, quia iuramentum non additur, vt non possit occurrere fraudi ignotæ, sed ne violet contractum spectatum prout bona fide est initus. Confirm. Secundò, quia omnis promissio standi contractu, vel non reuocandi (loquor de contractu qui natura sua est solubilis) habet ex vsu recepto & Iure gentium hanc tacitam conditionem, Nisi deprehendero me deceptum, vt suprà cap. 5. num. 29. dictum est. semper enim excepta censetur iniuria ignota. quare eamdem conditionem retinet iuramentum, cùm sequatur naturam actus cui apponitur, vt infrà num. 52. ostendetur. Idem dicendum quando error inuincibilis dedit causam contractui; quia hic etiam habet tacitam conditionem, vt suprà ostensum. Vnde docent DD. iurantem non obligari ad ea, quæ si cogitasset, ex-

Quando confirmet contractum.

cluſiſſet, aut noluiſſet comprehendere. ita Bartol. L. Si quis pro eo.num.15.7. de fideiuſſoribus, & Panormit.cap. Cùm contingat.28.n.3. de iureiur. ex Ioanne Andrea,&c.

Si vi ſeu metu extortum ſit, etſi plurimi DD. putent eſſe inualidum, verius tamen eſt, validum eſſe, cùm plenus conſenſus adfuerit, nec habeat tacitam aliquam conditionem. Etſi enim alter nullum ius ex eo conſequatur; tamen honor Dei poſtulat, vt ſeruetur quod promiſſum eſt, quando ſine peccato ſeruari poteſt. Confirmatur ex cap. Debitores. de iureiur. vbi dicitur, eum, qui iuramento promiſit ſoluere vſuras, teneri. vide plura infrà cap.42.dub. 6. & 7. Poteſt tamen hoc euentu peti relaxatio iuramenti (quam Epiſcopus, vel alius habens priuilegium diſpenſandi in iuramentis abſque præiudicio tertij, dare poteſt) & tunc non ſolui, vt patet d. cap. Debitores, & cap. *Si* verò, de iureiur. ad quod inſinuandum in d.cap. Cùm contingat, dicitur, *iuramenta ſine vi & dolo ſponte præſtita* eſſe ſeruanda; quia ſi dolo præſtita ſint, non obligant: ſi vi aut metu, poteſt peti relaxatio:& tunc poſſunt non ſeruari. Si autem ſine vi vel dolo, non poteſt; & ita *omnino ſeruanda ſunt* (vt notanter dicitur d.cap.2. de pactis) id eſt, ita vt non poſſit dari diſpenſatio. quod intellige, niſi culpa fuerit in promiſſario; ad hanc enim puniendam poteſt Superior iuramentum promiſſoris relaxare: item niſi præſtitum ab impubere; tunc enim poteſt irritari. Potes etiam, quando vis vel dolus interuenit, ſatisfacere momentanea ſolutione. quandocumque enim habes ius repetendi, ſi iuraſti ſoluere, teneris quidem ſoluere, vt impleas quod iuraſti: ſed potes mox repetere; quia ius repetendi habes, & contrarium iuramento non promiſiſti. Potes etiam ab Epiſcopo petere relaxationem vt non ſoluas; quia hoc non cenſetur in præiudicium tertij, dum eſt animus repetendi.

Quando interceſſit iniuria, poteſt peti relaxatio.

Momentanea ſolutio.

Dixi in 1. regula, *Ordinariè*, quia excipiuntur aliquot caſus, quibus iuramentum de re alioquin licita non obligat. Primus eſt, Quando Ius irritum reddit non ſolùm contractum, ſed etiam iuramentum appoſitum. ſicut Concilium Trident. ſeſſ.25.cap. 16. de regular. irritam reddit omnem renuntiationem & diſpoſitionem Nouitij, etiam iuratã; niſi facta ſit cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij, intra duos menſes proximos ante profeſſionem: & ſtatuit, vt etiam tunc non poſſit effectum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione. Secundus eſt, Quando iuramentum factum eſt in fauorem tertij, ſed nemo acceptauit, vel ſaltem non validè acceptauit, nec aliàs factum eſt in modum voti. Ratio eſt; quia iuramentum ſequitur naturam & qualitatem actus, ſuper quem cadit; vt communi conſenſu Doctores docent. *Acceſſorium enim ſequitur naturam principalis.* & colligitur apertè L. vlt. C. de non numerata pecunia. ibi Bartol. num. 1. & alij. Hinc fit, vt quando actus aliquis, vel ex Iuris diſpoſitione, vel ex recepta conſuetudine, vel ex agentis intentione, tacitam aliquam conditionem includit; eamdem quoque includat iuramentum actui appoſitum; niſi agens contrarium intendat. Itaque cùm promiſſio facta abſenti non obliget, niſi ab ipſo vel ab alio eius nomine validè acceptetur, & ſub hac conditione ſemper fieri cenſeatur; etiam iuramentum huic promiſſioni appoſitum non obligabit ante acceptationem; nam eamdem conditionem includit. quare reuocari pro arbitrio poterit, ne acceptetur. Ita tradunt multi Doctores, quos refert & ſequitur Sancius lib. 1. de Matrimon. diſputat. 7. num.24.

52 *Iuramentum irritum de re permiſſa.*

Iuramentum ſequitur naturam actus.

Dices, Deus acceptauit iuramentum: ergo non poteſt reuocari.

Reſp. Negando antecedens. Deus enim iuramentum promiſſorium, factum in fauorem hominis, non acceptat, niſi quatenus homo illud acceptat. vnde etiam remittente homine, remittit Deus: quia hoc iuramentum hanc tacitam conditionem ineludit, *Si acceptetur*, *Si non remittatur*,&c. Dixi, *nec aliàs factum ſit in modum voti*; quia tunc obligat inſtar voti, etiamſi ab homine promiſſio non acceptetur: acceptatur enim à Deo; vt ſi iures te non luſurum alea, aut ingreſſurum Religionem, &c. tunc enim promiſſio cenſetur dirigi in Deum, & præterea confirmari iuramento: vnde eſt votum iuramento confirmatum.

53 *Quomodo Deus acceptet iuramentum.*

Idem dico, etiamſi tale iuramentum non accipiatur vt promiſſorium, ſeu vt propriè vim habens voti; ſed vt aſſertorium de bono opere faciendo, vel malo vitando. Etſi enim tali ratione non intendat homo alicui quidquam promittere, intendit tamen ſe in bono propoſito firmare, quod propoſitum Deus acceptat,& cupit impleri. quare cùm non deſit vlla conditio tacita neceſſaria ad obligandum, implendum eſt, ne Deum facias teſtem falſi. Secùs, ſi quid adiaphorum, vel quod maius bonum impediat, iuraueris; quia tale propoſitum Deus non acceptat. Vnde deeſt conditio neceſſaria, nimirum, Si Deo gratum eſt.

Tertiò excipiuntur omnes illi caſus à pleriſque DD. in quibus actus aliquis prohibetur, ſeu irritus decernitur principaliter ob fauorem publicum: de quibus infrà num.55.

Ex prædictis regulis ſequitur Primò, Inualidum eſſe iuramentum Clerici, quo renuntiat priuilegio fori, promittens ſe compariturum coram Iudice ſæculari. Ratio eſt, quia ſine peccato id exequi non poteſt; cùm ſit illi prohibitum, vt apertè habetur cap. Si diligenti, de foro competenti. Secundò, Inualidum eſſe Iuramentum, quo vir iurat vxori, ſe non accuſaturum illam de vllo crimine: quia fieri poteſt vt teneatur illam accuſare. vnde cap. Quemadmodum, de iureiurando dicitur, tale iuramentum *eſſe temerarium*; nempe quia iuratur id, in quo poteſt eſſe peccatum.

54 *Conſectaria duo.*

Priuilegij fori renuntiatio facta à Clerico.

Iuramentum de non accuſando.

Petes, An iuramentum hoc valeat, ſaltem quamdiu non committitur crimen, in quo teneatur accuſare?

Videri poſſit valere, quia obligatio videtur diuidua. non enim ſolùm intendit ſe obligare ad celanda ea quæ ſunt contra bonum publicum, ſed etiam ea quæ ipſum priuatim lædunt. vnde etſi reſpectu illorum non poſſit ſe validè obligare, tamen obligatio manebit valida, quatenus ſe extendit ad ea quæ fieri poſſunt. Sicut ſi Titius iurauit ſeruare ſecretum in omnibus quæ illi dices; etſi non teneatur ſeruare in his quæ vergunt in damnum publicum, vel tertij, in aliis tamen tenetur: quia obligatio eſt diuidua, & vtile non debet per inutile vitiari.

Reſp. Fateor obligationẽ eſſe diuiduam, niſi ipſe intenderit ſe tantùm obligare ad omnia coniunctim, ita vt ſi non teneretur, vel non poſſet omnia celare,

celare, nollet obligari ad singula seorsim, tamen ex alio capite videtur irritum hoc iuramentum, si intelligatur de crimine committendo; nimirum quia tali promissione inuitatur coniunx ad peccandum, & remittitur dolus futurus, contra L. Si vnus. 27. §. Illud, & §. Pacta 7. de pactis. Vnde est peccatum, tale quid promittere, & promissionem non rescindere. quare non potest iuramentum accedens esse validum. Secùs si agatur de crimine iam commisso, aut de accusatione ciuili ad diuortium. Vide Panormit. in cap. Quemadmodum. 28. de iureiur. n. 14. vbi fusè hanc distinctionem tractat. Tertiò, Quotiescumque Ius prohibet aliquem actum tamquam illicitum, eumque punit, iuramentum de eo faciendo appositum est irritum; vt cùm prohibetur exportatio frumenti, vel auri, &c. tum quia hæc censentur illicita saltem ciuiliter: tum quia sunt prohibita immediatè propter bonum publicum, tum quia nullum vinculum priuatum potest hominem obligare contra legem publicam, etiamsi illa lex non obligaret nisi ad pœnam. Ob eamdem causam quidam volunt irritum esse iuramentum prodigi, cui interdicta est bonorum administratio, quo ille confirmat aliquem contractum. ita Bartolus in L. Is cui bonis. 6. n. 7. 7. de verb. obligat. vbi pro hac sententia citat Iacobum de Arena, & quemdam magnum Canonistam & in Addit. citatur Angelus, Baldus, Ancharanus, &c. Alij dicunt esse irritum, quia præsumitur carere iudicio. ita Couarruu. in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 3. n. 11. quam rationem etiam adfert Bartolus & alij. Verius tamen credo, etsi hoc iuramentum non confirmet contractum, non esse irritum. Ratio est, quia non prohibetur ei administratio ob fauorem publicum, vel tamquam illicita, sed ob priuatum: at quando lex aliquid decernit irritum ob priuatum commodum, non inducit obligationem peccati, etiamsi vtatur verbis in personam directis, quibus ei aliquid mandet vel vetet. vt rectè Couarr. suprà. §. 2. n. 14. ergo hac ex parte nihil obstat iuramenti vinculo. Secùs tamē si ob commodum publicum. tunc enim obligat sub peccato pro grauitate materiæ, vt vult Couarr. Deinde etsi ipsi aliquo modo contractus esset prohibitus sub peccato, non tamen ideò teneretur illum semel factum rescindere. hoc enim ei non est præceptum. ergo etiamsi non possit suo iuramento obligari ad alienandum; poterit tamē obligari vt alienationi iam factæ non contraueniat. Idem dicendum, quotiescumq; præceptum legis dirigitur ad personam, ita vt ei aliquam obligationem imponere intendat. iuramentum enim non potest contra legis publicæ obligationem, quamuis ea peccatum non contineat, vinculum iniicere. quia omnis lex iusta ad bonū publicum pertinet. Hoc modo sustineri ex parte potest doctrina Bartoli in d. L. Is cui bonis, num. 7. & in L. Si quis pro eo 56. n. 9. 7. de fideiussoribus.

Si Ius prohibeat.

Iuramentum prodigi.

Ex his patet, iuramentum semper esse seruandum & egere relaxatione, nisi vel Iure sit irritum, vel desit tacita conditio, vel sit de re illicita, vel sit contra aliquam legem, aut alia aliqua ratione sit contra commodum publicum.

§§ *Quando confirmet contractū.*

Restat alterum, quod nobis erat explicandum, nimirum, quando iuramentum confirmet contractum, quando non. Bartol. in d. L. Si quis pro eo. 7. de fideiuss. & mandator. assignat decem regulas, quæ ferè ad duas reduci possunt.

Prior est, Quando actus aliquis principaliter prohibetur Iure ciuili ob priuatam vtilitatem alterius contrahentium, confirmatur iuramento, nisi vis aut dolus interuenerit. *Regula 2.*

Altera est, Quando actus prohibetur principaliter ob fauorem publicum, non confirmatur iuramento; imò iuramentum est inualidum, ita vt non egeat relaxatione.

Prior regula est recepta ab omnibus, eiusque complura adferam exempla infrà num. 56. Ratio est, quia quisque potest renuntiare quod in suum fauorem est introductum; iuramentum autem accedens sequitur actum consideratum secundùm suam primordialem naturam, vt suprà num. 26. dictum est. quare cùm actus secundùm naturam suam sepositò Iure ciuili sit validus, confirmabitur iuramento.

Altera regula etiam à plerisque comprobatur, & ratio eius petitur ex cap. Si diligenti. 12. de foro competenti. & L. Ius publicum. 38. 7. de pactis. quibus locis dicitur, non posse ius publicum pactis priuatorum tolli. Sed discrepantia est inter DD. in assignandis exemplis; satis enim obscurum est, quando aliquid sit prohibitum primariò ob bonum publicum, quando ob priuatum. Vnde multa exempla quæ à Bartolo adferuntur, ab aliis refutantur. vt patet apud Couarr. in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 2. & 3. Adferam tamen aliqua in quibus minus est dubitationis.

Primum sit, iuramentum Clerici, quo renuntians foro suo promittit se compariturum coram Iudice sæculari. cap. Si diligenti. suprà. Sed hoc iuramentum potiùs est inualidum, quia de re illicita, vt quæ redundet in ignominiam ordinis Ecclesiastici, vt suprà dictum est. *Exempla vbi iuramentum irritum. Renuntiatio fori.*

Secundum, iuramentum metu extortum appositum matrimonio metu contracto, vel sponsalibus similiter metu contractis. Talia enim sponsalia & matrimonia esse prohibita ob fauorem publicum, eò quòd odia, lites, pugnæ, quibus Respubl. perturbatur, ex huiusmodi sequerentur, ac proinde iuramentum accedens esse inualidum. Sed hæc iuramenta alia ratione possunt censeri inualida. Iuramentum enim appositum tali matrimonio, vel ita intelligitur, vt velis inhærere illi matrimonio absque nouo consensu; & sic est omnino illicitum, ac proinde inualidum: quia cùm matrimoniū illud fuerit nullum propter metum, opus est nouo consensu; iuramentum enim non supplet defectum consensus, qui ex natura rei est necessarius. deinde hoc iuramentum habet ex natura rei tacitā conditionem, nempe si liber adfuit consensus: qui cùm non adfuerit, cessat obligatio iuramenti defectu conditionis. Vel intelligitur, vt velis inhærere adhibito consensu nouo requisito, & sic est promissio sponsalium. Est tamen irritum tale iuramentum. si enim obligaret, tenereris contrahere matrimonium inutile. nam matrimonium metu contractum est irritum. istud autem metu contrahetur; nam iuramentum est metu mortis iniustè extortum, cuius iuramenti violandi metu cogeris contrahere. Vnde metus mortis erit causa contractus. quod enim est causa causæ, est causa causati. atqui is qui exigit hoc iuramentum, non intendit matrimonium inualidum, sed validum. ergo hic deest tacita conditio, nempe hæc, *si matrimonium metu contractum sit validum.* Quòd autem tale iuramentum sit irritum, colligitur ex *Matrimonium metu cōtractum.*

cap. Ex litteris. 11. de desponsat. impub. vbi sponsalia metu contracta & iurata à puella duodenni iudicantur irrita. & docet Caiet. v. Periurium. c. 3. Arragon. 2. 2. q. 89. art. 7. Sancius l. 4. de Matrim. disp. 21. n. 3. & alij multi.

Aduerte tamen, contrariam sententiam, scilicet, hoc iuramentum esse validum & requirere absolutionem, esse valdè probabilem, eamque tenet Siluester v. Sponsalia, nu. 6. in fine, & aliqui alij. quia res est licita quæ promittitur. sed quod diximus, est verius.

Votum, professio. Tertium est iuramentum, quo quis cogitur confirmare votum aut professionem metu extortam. id enim inualidum est, eò quòd tale votum sit prohibitum ob fauorem publicum. ita Sancius suprà. Sed dici potest, hoc iuramentum esse irritum ob defectum tacitæ conditionis, nimirum si adfuit liber consensus. Hunc enim ex natura rei requirit professio. quare cùm hic defuerit, cessat obligatio iuramenti defectu conditionis.

Quartum, iuramẽtum quo Clericus confirmat donationem factam concubinæ. id enim est inualidum, quia hæc donatio prohibita est fauore publicæ vtilitatis & honestatis. ita Couarru. in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 1. n. 12. adductis multis Doctoribus.

Idem dicendum de iuramento militis, quo confirmat donationem à se factam meretrici; ob eamdem causam. & colligũt Doctores ex L. Miles 41. §. Mulier. 7. de testament. militis. Verius tamen puto, tale iuramentum donationi iam factæ appositum, egere relaxatione. Secùs, si appositum promissioni donandi, vt colligitur ex dictis n. 54. in fine.

Vide alia quædam exempla magis dubia apud Couar. loco citato, & §. 3. Nam vt suprà dictum est, non potest probari, talia iuramenta non egere absolutione, nisi opus sit illicitum, vel contra legem, vel contra bonum publicum, &c.

Vt autem meliùs intelligatur, quando iuramentum confirmet contractum, quando non; assignari possunt duæ istæ regulæ.

56 *Alia regulæ. 1. Regula.* Prima sit, Quando actus Iure naturæ est irritus, vel irritari potest, non confirmatur iuramento: quamuis iuramentũ regulariter sit seruandum. si id quod promittitur, non est illicitũ. Prior pars est communis Doctorum. Omnes enim fatentur, teste Couarruuia, contractum Iure naturæ irritum non confirmari iuramento; vt quando vi vel dolo extortus est. tunc enim ratione iniuriæ tenetur extortor ad restitutionem. vnde nullum solidum ius acquirit; & qui iurauit, ratione iniuriæ potest petere iuramenti relaxationem. Altera pars euidenter patet ex duabus regulis initio positis, ex Iure Canonico.

Dixi *regulariter*, quia si dolo extortum sit, aut contra legem, non est seruandum, nec eget vlla relaxatione, vt suprà dictum est.

2. Regula. Secunda regula sit, Quando actus talis est, vt ipse vel promissio illius ratificandi, vel non reuocandi, inducat obligationem naturalem, confirmatur iuramento; etiamsi aliàs Iure ciuili sit irritus, vel in irritum reuocabilis, modò vis vel fraus non intercesserit: si verò nec ipse, nec promissio illa inducat obligationem vllam, ne naturalem quidem, vel si vis aut fraus interuenerit, non confirmatur iuramento; est tamen hoc iuramentum seruandum, nisi relaxetur. Hæc regula constat duabus partibus; quæ vt intelligantur,

Notandum est, Dupliciter posse iuramentum addi contractui. Primò, Si iures te promittere, donare, vendere, &c. & hoc modo non confirmat contractum, nec vllum ei robur tribuit: quia non est iuramentum promissorium, sed assertorium tantùm eius quod fit. vnde non minùs potest contractus reuocari, quàm si tale iuramentum additum non esset. Secundò, Si iures te semper contractum ratum habiturum, nec vmquam reuocaturum. & hoc modo intelligi debet iuramentum, vt confirmet contractum. Ratio prioris partis est, Si enim ipse contractus inducit obligationem naturalem; manifestum est confirmari iuramento: quia iuramentum aufert omnia remedia Iuris & facti, quibus illa obligatio poterat elidi; & sic manet omnino firma & irreuocabilis. Hoc modo confirmantur omnia pacta nuda, & omnia alia, quibus Ius neque afflictit neque resistit; de quibus suprà hoc eodem cap. num. 14. 17. 21. & 25. Denique omnes illi contractus, qui Iure ciuili non sunt omnino irriti, sed datur solùm potestas elidendi actionem & ius alterius. Si autem contractus sit omnino irritus, promissio tamen non reuocandi, potest inducere obligationem naturalem, cùm hæc Iure non sit irrita. vnde si huic promissioni accedat iuramentum, confirmat illam: & consequenter contractus ille reuocari nequit sine iniuria. nam promissio non reuocandi, ius tribuit alteri vt contractus non reuocetur: quod ius fit omnino firmum iuramento. Aliam rationem attuli suprà n. 26. sed hæc est clarior.

Dupliciter iuramentum potest addi contractui.

Probatur & explicatur prior pars regulæ.

Pacta inducentia obligationem naturalem.

Exempla, vbi contractus inducit obligationem naturalem, sunt; Primò, Contractus minoris, præsertim de re mobili, sine auctoritate curatoris, de quo infrà nu. 65. Secundò, Donatio inter patrem & filium nondum emancipatum; inter maritum & vxorem; de quibus cap. 18. num. 88. & 90. Tertiò, Promissio soluendi & non repetendi, quod creditò vel ludo vetito ludens amiseris. De quo infrà cap. 26. nu. 26. & 27. Quartò, Fideiussio mulieris facta etiam instrumento publico. infrà c. 28. numero 17.

Exempla in variis contractibus.

Contractus minoris.

Donatio inter coniuges.

Promissio in ludo.

Fideiussio mulieris.

Vbi non inducit obligationem naturalem; Primò, Contractus minoris, quo alienat rem immobilem vel mobilem, quæ seruando seruari poterat, absque auctoritate Iudicis. hunc enim irritum esse, nec naturaliter obligare, colligitur ex L. 7. 11. & 15. C. de prædiis minorum: iuramento tamen confirmari, patet L. 1. C. Si aduersus venditionem. nam promissio non reuocandi obligat naturaliter. Secundò, fideiussio mulieris sine Iuris solemnitate. de quo infrà c. 28. nu. 17. His adde exempla sequentia, siue contractus sit irritus siue non: nam ea res valdè est perplexa apud Iurisconsultos; & probabile est, quando contrahentes sunt habiles, & adest vtrimque plenus consensus, contractum inducere obligationem naturalem, etiamsi solemnitas Iuris non seruetur; de quo infrà cap. 19. n. 33. Itaque Tertium sit, Renuntiatio futuræ successionis in paterna hereditate, cap. 2. de pactis, in 6. de qua vide multa apud Couar. de pactis, p. 3. §. 3. & 4. Quartò, Alienatio fundi dotalis, aut rei donatæ propter nuptias, facta absque Iudicis auctoritate. cap. Cùm contingat, de iureiur. Quintò, Promissio instituendi hunc heredem. Sextò, Promissio non reuocandi testamen-

Contractus minoris de re immobili.

Renuntiatio successionis.

Alienatio fundi dotalis.

Promissio non mutâdi testamenti, &c.

mentum. Septimò, Promissio soluendi 100. in pœnam, si testamentum mutetur. De quibus tribus promissionibus infrà cap. 19. n. 95. Octauò, Donatio facta absque insinuatione vltra 500. solidos. Nonò, Donatio omnium bonorum, præsentium & futurorum, de quibus cap. 18. num. 96. Decimò, Promissio pœnæ sponsalibus adiectæ, soluendæ ab eo qui reiilerit. etsi enim hæc promissio fortassis sit prohibita; (vt videtur colligi posse ex cap. Gemma, de sponsalibus. vbi dicitur *huiusmodi pactio merito improbanda*) tamen solutio seu impletio promissionis, prohibita non est, sicut nec receptio rei quæ soluitur. imò videtur inducere obligationem naturalem. nam is cui hæc mulcta soluta fuerit, non tenetur ad restitutionem ante sententiam Iudicis; vt post alios docet Sanches lib. 1. de Matrimonio, disp. 32. num. 21. quod signum est; aliquod ius per talem promissionem acquiri: ergo accedente iuramento confirmatur.

Donatio omnium bonorum.

Promissio pœnæ in sponsalibus.

Si habens ius repetendi, iurauit soluere.

Aduerte tamen, si solùm iurauit soluere, non intendens sibi adimere ius repetendi, quod ei per leges concessum est, tenebitur quidem soluere; poterit tamen postea vti iure suo in repetendo: imò si habet animum repetendi, poterit petere dispensationem ne teneatur soluere, quia hoc casu solutio est parui momenti; ac proinde non soluere, non censetur esse in præiudicium tertij, vt suprà num. 51. dictum est.

Contraria tamen sententia, hanc promissionem pœnæ non confirmari iuramento, imò hoc iuramentum esse irritum, est probabilis; quia plurimorum Doctorum, quos refert & sequitur Sanches lib. 1. de Matrimonio, dispur. 32. num. 21. Ratio tamen qua id probant, non videtur solida. putant enim non solùm promissionem esse peccatum; (quod tamen certum non est) sed etiam solutionem: eò quòd promissor dum soluit, videatur promissionem suam approbare. Sed hoc necessarium non est. promissor enim soluendo non magis approbat promissionem, quàm promissarius solutum acceptando. hic tamen accepptando & retinendo non peccat, vt ipsi fatentur. Deinde si per solutionem approbatur promissio, numquam potest quis teneri ex promissione prohibita; quod constat esse falsum. Dixi, *modo vis aut fraus non interceſſerit*: quia tunc non confirmatur iuramento, siue dicatur obligatio naturalis orta ex contractu tali, siue non; vt patet ex dictis num. 51. & 56.

Posterior pars regulæ.

Ex dictis patet posterior pars regulæ assignatæ. Quando enim actui nulla prorsus subest obligatio, non habet locum confirmatio illius: non enim confirmatur, nisi quod aliquam vim habet, etsi ea debilis sit & infirma. Deinde vbi nulla est obligatio, ibi nullum est ius in altera parte: atqui vbi nullum est ius, nulla fit iniuria, etsi actus rescindatur. itaque laxari potest vinculum iuramenti; (quia per hoc nulla iniuria irrogatur tertio) & tunc actus rescindi. Ante tamen illius relaxationem omnino seruandum est, propter honorem diuinum; quia absque salutis dispendio seruari potest.

Contractus pupilli.

Exempla sunt, Primò, Contractus pupilli, etiamsi pubertati sit proximus: vt cùm habet decem annos cum dimidio, si sit mas; vel nouem cum medio, si femina. hic enim contractus, quamuis sit de bonis castrensibus vel quasi castrensibus, Iure est irritus, iuxta multorum sententiam, quam sequitur Couarruuias de matrimonio p. 1. c. 5. §. 1. num. 4. & Molina disp. 130. & 161. & multi alij; estque valdè probabilis, ob multa Iura, quibus significatur, pupillum non contrahere obligationem. Vide §. Nunc admonendi, Instit. Quib. alien. licet Promissio quoque non reuocandi talem contractum, irrita est ob eamdem causam: vnde per eam nulla inducitur obligatio, quæ accedente iuramento possit confirmari. itaque poterit tale iuramentum relaxari vel irritari, quia id non cedit in iniuriam tertij. Couarruuias loco citato docet, posse iuramentum illud relaxari ob facilitatem illius ætatis, quia præsumitur deceptus.

Aduerte tamen, contrariam sententiam (pupillum contrahere obligationem naturalem, & consequenter eius contractum iuramento confirmari) esse probabiliorem, vt eruditè ostendit Sanches lib. 6. de Matrimonio, disp. 38. quæst. 2. de quo plura infrà dubit. 8.

Secundò, Contractus prodigi, cui datus est curator. *Hic enim non potest promittendo obligari, & ideo nec fideiussor interuenire potest pro eo*; vt expressè dicitur L. Is cui bonis. 6. ff. de verborum obligat. Iuramentum tamen est seruandum, nisi relaxetur, vt suprà probabilius esse diximus.

Cõtractus prodigi.

Tertiò, Omnis promissio, quæ prorsus est irrita, ita vt nullam obligationem pariat; vt est omnis promissio de re prohibita, aut quæ non est in potestate promittentis. quare cùm de multis promissionibus sit quæstio, vtrùm inducant obligationem naturalem; vt de promissione instituendi hunc heredem, non reuocandi testamentum, soluendi certam summam, si testamentum mutatum fuerit, & similes; probabiliter teneri poterit, licitum esse petere dispensationem iuramenti, quod tali promissioni apponitur. Idem dicendum de promissione metu vel fraude extorta.

Promissio irrita.

57 *Actus contra prius iuramentum.*

Petes Primò, Vtrùm actus, qui fit contra iuramentum anteà præstitum, sit validus, maximè si iuramento muniatur. Siue, Vtrùm iuramentum confirmet contractum, vel actum contra prius iuramentum? De hac re agit Couarruuias in cap. Quamuis pactum, p. 2. §. 2.

Respondeo, & Dico Primò, Si actus ille, qui fit contra iuramentum, talis sit, vt per se sine iuramento factus, sit validus; manet validus, etiamsi in eo committatur periurium. Ita Couarruuias suprà n. 5. & alij Doctores passim. Ratio est, quia iuramentum prius, contra quod agitur, solùm facit vt non possit contrà fieri absque periurio; non autem transfert dominium, aut reddit inhabilem ad actum contrarium per se validum, qui suum robur à iuramento non debet accipere. Patet exemplis. Qui sponsalia contraxit cum aliqua, eaque iuramento confirmauit, validè postea contrahit matrimonium cum alia. c. Sicut. 23 de sponsalib. Qui aliquid cum iuramento vendidit Caio absque traditione; si postea vendat & tradat Titio, hic actus est validus, vt colligitur L. Traditionibus. 20. C. de pactis. & L. Quoties. 15. ff. de rei vindicatione. Qui iurauit non reuocare testamentũ, non reuocare procuratorem, validè postea reuocat. Qui iurauit tibi conferre beneficium, validè alteri confert. Si Canonici iurarunt, edito statuto, se non aucturos numerum Canonicorum; si postea auxerint, valet. Nec contrarium dicitur cap. Dilecto. 25. de præbendis, quia

solùm dicitur eos id non posse facere, nempe licitè, quia contra iuramentum: non autem esse irritum si faciant; vt notat Panormitanus ibidem. non enim hoc iuramento se priuarunt iure augendi.

58 *Actus iure inualidus non confirmatur iuramento cõtra prius iuramentum.* Dico Secundò, Si actus ille, qui contra prius iuramentum fit, per se absque iuramento sit inualidus, non potest confirmari iuramento contra prius iuramentum. Couarr. suprà, & alij quos ibi citat. Ratio est; quia iuramentum, in quo est periurium, non potest firmare contractum per se inualidum. Item iuramentum posterius non potest obligare contra iuramentum prius. Exemplum: Si mulier iurauit se non alienaturam res dotales, aut donatas propter nuptias, & posteà alienet, non valet alienatio, etiamsi eam iuramento confirmet, vt docet Glossa in cap. Licet. 2. de iureiur. in 6. quia per se iure est irrita, nisi fiat auctoritate Iudicis. vt patet L. Iulianus. 5. π. de fundo dotali. & Authent. Siue à me. C.ad S.C.Velleianum: & periurio non potest confirmari. Si maritus iurauit se non donaturum vxori, & posteà donet, addito iuramento de non reuocando, non confirmatur donatio; quia donatio per se inualida, non potest robur accipere à periurio.

59 Dices, In iuramento non reuocandi illam donationem, non est periurium; quia antè non iurauit se donationem (si contingeret eam facere) reuocaturum.

Resp. Non iurauit id expresè; censetur tamen id tacitè iurasse, dum iurauit non alienare. ex vi enim huius iuramenti, tenetur reuocare alienationem, si potest. vnde si posteà iuret se eam non reuocaturum, cùm tamen potestatem habeat reuocandi, facit contra prius iuramentum; & ita committet periurium, non solùm donando contra prius iuramentum, sed etiam iurando non reuocare. Secùs quando contractus, qui fit contra prius iuramentum, per se est validus, nec potest reuocari. tunc enim etsi contrahendo fiat periurus; non tamen iurando non reuocare. Denique quando actus contrarij sunt eiusdem rationis, si prior est validus, secundus huic contrarius est inualidus, etiamsi iuramento muniatur: vt si promittam tibi rem, quam anteà alteri promisi, vel Deo voui. Sic sponsalia iurata cum secunda, non obligant contra prima simplicia. Ratio est, quia promissio posterior non potest mandari executioni sine peccato; fieret enim cum iniuria eius cui prior facta est. vnde etiam est inualida per se, etsi non sit contra vllum iuramentum. Idem dicendum de venditione secunda, facta contra primam; nisi in secunda facta sit traditio. tunc enim transfertur dominium. idem de donatione, vt constat ex dictis suprà capite 3 dubit. 3.

Cõtractus eiusdem rationis.

Dvbitatio viii.

Quinam possint contrahere.

Respondeo, Generatim omnes, qui habent administrationem bonorum, posse contrahere, quatenus illa administratio se extendit: nam administratio magna ex parte in contractibus consistit. qui verò carent administratione, non possunt, nisi ex consensu eorum quibus subsunt. Sed præcipua difficultas est de pupillo & minore.

60 *Minor & pupillus.* Dico Primò, Minor, & pupillus pubertati proximus, possunt sine auctoritate curatoris, vel tutoris validè contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum: non enim possunt sine auctoritate eorum quibus subsunt, aliis validè & efficaciter obligari, quamuis possint alios sibi obligare. est communis sententia Doctorum, & habetur expresè Instit. de auctor. tutor. initio; vbi post pauca dicitur: *Placuit, meliorem quidem suam conditionem* (pupillum) *facere posse, etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem verò non aliter, quam cum tutoris auctoritate. Vnde in his causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, vt in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis, si auctoritas tutoris non interueniat; ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, at in vicem pupilli non obligantur.* Idem habetur Instit. de inutil. stipulat. §. Pupillus. vbi etiam additur, hoc intelligendum de *pupillo pubertati proximo*, id est, qui habet ætatis decem annos cum medio, si mas est; vel nouem cum medio, si femina. ante hoc tempus dicitur *infans*, vel *infantiæ proximus*; nec præsumitur Iure satis habere iudicij ad contrahendum. *Infantia* durat vsque ad annum ætatis septimum completum. *Pubertas* verò incipit masculis in termino quartidecimi, feminis duodecimi. Vnde intra hos terminos constituti, quando sunt propinquiores termino in quo incipit pubertas, quàm in quo desinit infantia, dicuntur proximi pubertati; & præsumuntur Iure habere sufficiens iudicium ad alterum sibi per contractum obligandum. ita docet Glossa in d. §. Pupillus, v. Infantiæ proximus. inchoata pubertate, desinit ætas pupillaris, & incipiunt vocari *puberes* & *minores* vsque ad annum vigesimumquintum expletum: post quod tempus vocantur *maiores*.

Pubertati proximus quis dicatur.

Infantia. Pubertas.

Idem intelligendum de contractu *pupilli* vel *minoris cum maiore*. Si enim minor cum minore, vel habente priuilegium minoris, contrahat, non illum sibi obstringit; quia eodem priuilegio vtitur. Secùs de maiore. Vnde dici solet, contractum maioris cum minore claudicare; quia *solùm ex altero latere est obligatio*, vt Iureconsultus ait L. Iulianus 13. §. Si quis à pupillo, π. de actionib. empti. Porrò statuerunt hoc Iura in fauorem illius ætatis, *vt minoribus ætas in damnis subueniret, & in prosperè gestis non obesset*, vt habetur L. Non eò minùs. 14. C. de procurat.

Petes, Vtrùm nullo modo, & in nullo contractu obligentur.

Respondeo & Dico Secundò, In contractu, quo 61 alienant vel oppignerant propria auctoritate rem aliquam immobilem vel mobilem pretiosam, quæ seruando seruari queat, nullo modo obligantur: in aliis verò probabilius est obligari ex contractu naturaliter, non tamen ciuiliter; possunt tamen hanc obligationem beneficio restitutionis in integrum elidere, & ita non obligantur validè seu efficaciter.

Prior pars est ferè communis sententia Doctorum; nam ad alienationem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ pupilli vel minoris, requiritur non solùm auctoritas tutoris vel curatoris, sed etiam decretum Iudicis; alioquin est irrita, vt patet ex multis Iuribus, π. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis. & L. 7. 11. 15. C. de prædiis minorum. Itaque si tale aliquid alienauit sua auctoritate,

In quibus contractibus non obligetur naturaliter.

Requiritur decretum.

ritate, nullo modo obligatur: ac proinde potest non implere contractum; & si impleuit, rem suam repetere, absque beneficio restitutionis: hoc enim beneficium non est necessarium, nisi quando contractus fuit validus, saltem quoad obligationem naturalem inducendam. maior quoque, cum quo contraxit, tenetur, etiam ante sententiam, rem acceptam restituere, volente minore aut eius curatore: quia per contractum, nullum ius acquisiuit.

An maior teneatur restituere.

Vbi tamen aduertendum est, maiorem non teneri restituere ante sententiam Iudicis, nisi minor restituat pretium quod accepit. si enim nolit pretium restituere, poterit maior iure retentionis aut compensationis rem retinere, vt docet Sarmiento, de reditibus p. 1. cap. 2. num. 6. nam Iure naturali tenetur alter pretium restituere; imò ad hoc quoque tenetur Iure ciuili, quatenus ex eo factus est locupletior, vt patet ex L. 1. π. de auctor. tutor. Quòd si non sit factus locupletior, vt quia amisit vel consumpsit, Iure ciuili non tenebitur, sed solùm obligatione naturali; quam obligationem poterit excutere, vtendo beneficio restitutionis in integrum, & cogendo maiorem ad restitutionem rei venditæ, per sententiam Iudicis; qua sententia posita, tenebitur eam reddere, amisso pretio, vt omnes Doctores docent. de quo infrà dubitat. 9. Si tamen dolo pupilli res periit, datur actio aduersus illum vt soluat: quia cùm sit doli capax, tenetur de dolo. habetur expressè L. vnica, C. de reputationibus, quæ fiunt in iud. &c.

In quibus naturaliter.

Altera pars, *In aliis contractibus priuata auctoritate factis, probabilius esse, minorem obligari naturaliter*, est plurimorum Doctorum, Bartoli, Pauli, Angeli, Saliceti, Fulgosij, Azonis, Alexandri, Decij, Cornei, & aliorum, quos citat & sequitur noster Sanches lib. 6. de Matrimon. disputat. 38. num. 21. item Anton. Gomezij, de restit. minorum num. 1. Nauarri lib. 4. consil. 39. num. 11. de sponsalibus, Lopez 1. p. cap. 124 & Molinæ disp. 224. Cordubæ in Summa, q. 155. Primò,

Fideiussor.

Quia fideiussor minoris obligatur etiam ciuiliter, vt colligitur L. fin. π. de Iureiur. & L. Marcellus. 25. π. de fideiussoribus. ergo obligatur ipse minor, saltem obligatione naturali. Consequentia patet, quia communis sententia Iurisperitorum est, principali nullo modo obligato, non obligari fideiussorem: deficiente enim principali obligatione, non valet accessoria. vnde vt fideiussor teneatur, requiritur vt principalis saltem naturaliter obligetur. L. Cùm lex. 46. π. de fideiussoribus & mandatoribus. & L. Naturaliter. π. de condict. indebiti. Secundò, L. Si pupillus. 21. π. ad

Mutuum.

legem Falcidiam, apertè indicatur, pupillum ex mutuo accepto contrahere *obligationem naturalem* reddendi. & L. 1. π. de nouat. *illum obligari naturaliter*, si sine tutoris auctoritate promiserit. similia habentur multis aliis textibus.

Hac sententia tamquam probabiliore supposita, etsi minor non possit resilire à contractu Iure ordinario, seu spectata conditione contractus: potest tamen Iure extraordinario, seu priuilegio restitutionis in integrum, & hac ratione dicitur non obligari ex tali contractu: quia non obligatur efficaciter, sicut maior, cùm possit hanc obligationem naturalem beneficio Iuris ciuilis elidere. Hoc modo intelligenda sunt alia Iura, dum habent, pupillum & minorem sine auctoritate tutoris vel curatoris non obligari, vt fusè ostendit Sancius ex multis Iurisperitis. Potest tamen tutor vel curator pro suo arbitratu rescindere contractum: quia ipsi commissa est administratio.

Habens à minore.

Ex his sequitur, Eum, qui à pupillo & minore habet aliquid per contractum vel donationem, ad cuius alienationem non requiritur decretum, non teneri ad restitutionem ante sententiam Iudicis. etsi enim pupillus & minor non possint transferre dominium per talem actum, secuta traditione, id impediente Iure ciuili, vt apertè habetur §. Nunc admonendi, & §. fin. Instit. Quibus alien. licet: tamen obligatione naturali tenentur stare contractu, & rem illam alteri tradere, & traditam permittere possidere: vnde alter ius habens, vt hoc sibi fiat, poterit eam retinere, donec per remedium restitutionis iubeatur restituere. ita Sanches suprà, & Molina disput. 224 & sequent. & consentiunt omnes Auctores, qui admittunt in minore obligationem naturalem: obligatio enim naturalis tribuit creditori ius retinendi & compensandi, vt Iurisperiti docent ex L. 3. §. Pupillus. π. de negot. gest. & L. Etiam quod 6. π. de compensat.

Contraria sententia est probabilis.

Aduerte tamen, alteram quoque sententiam esse valdè probabilem, nimirum, ex nullo contractu pupilli vel minoris vllam obligationem nasci. & iuxta illam poterunt rem traditam mero Iure absque beneficio restitutionis repetere: & alter tenebitur eam ante omnem sententiam resti tuere. in hanc propendent plerique Theologi. Si tamen accesserit minoris iuramentum, nec ipse poterit repetere, nec alter tenebitur restituere, vt constat ex dictis suprà dubitat. 7.

Si iuramento confirmetur.

Circa prædicta, sunt Notanda tria. Primò, 62 Eum, qui contraxit cum minore, etsi non possit resilire, posse tamen nolle implere contractum, nisi minor antè procuret consensum curatoris, vel decretum Iudicis, in euentu, quo illud est necessarium; vel nisi iureiurando confirmet contractum: quia alioquin exponeret se periculo damni; & minor, si hæc recuset, non videtur agere bona fide.

Castrensia. Quasi castrensia.

Secundò, Prædicta intelligenda de bonis minorum, quorum etsi habeant dominium, non tamen habent administrationem, vt sunt hereditaria, & alia, quæ neque castrensia neque quasi castrensia sunt. nam de castrensibus & quasi castrensibus possunt omnino validè contrahere absque auctoritate eorum quibus subsunt: quia horum non solùm habent dominium, sed etiam administrationem. Si tamen grauem læsionem senserint, possunt vti beneficio restitutionis, vt infrà dicetur.

Etiam aliis quibusdam euentis claudicat contractus.

Tertiò, quod dictum est suprà, Contractum pupilli & minoris cum maiore claudicare, etiam locum habere in quibusdam aliis casibus. Primò, In contractu Ecclesiæ, quo rem immobilem vel mobilem pretiosam, quæ seruari poterat, sine debita solemnitate alienauit. Ecclesia enim est instar minoris. hic enim contractus est irritus ex parte Ecclesiæ, vnde ipsa potest resilire si velit; alter tamen, cum quo contraxit, non potest, si Ecclesia nolit, & curet eum debito modo ratificari, supplendo solemnitatem omissam, vt docet Sarmiento, de reditibus p. 1. cap. 2. num. 18. Secundò, In contractu prodigi, cui datus est curator. L. Is cui bonis. 6. π. de verb. obligat. est enim hic instar pupilli. quamuis ex huius contractu nulla oriatur obligatio, vt patet ex dicta L. Is cui bonis:

sicut nec ex contractu Ecclesiæ, cui deest solemnitas requisita. Tertiò, In contractu Religiosi, absque expressa vel tacita sui Superioris facultate contrahentis. potest enim Prælatus hunc contractum ratificare, vel irritum reddere, prout ei libitum fuerit; idque siue suo siue Monasterij nomine Religiosus ille contraxerit, vt docet Nauarrus comment. 2. de Regul. num. 30. & 65. in fine. Quartò, In contractu fraude vel metu iniquè extorto. qui enim fraudem aut vim passus est, potest perstare, vel resilire, vt docet Sarmiento suprà num. 18. & colligitur L. Iulianus, 13. §. Si quis à colludente. 7. de action. empti. de quo suprà num. 32. & 38. Probabile tamen est, in huiusmodi euentis, quando contractus fuit irritus, alterum re adhuc integra non teneri implere contractum, nisi per sententiam cogatur; iuxta ea quæ dicta sunt num. 32. De ceteris qui contrahere possint, vide infrà capite 18. dubit. 11.

An alter possit non implere.

Dvbitatio ix.

Quibus concedatur restitutio in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceperint.

NOtandum est, Hoc beneficium propriè non habere locum, quando contractus fuit omnino irritus: tunc enim *communi auxilio & mero Iure munitus est*, vt habetur initio L. In causæ cognit. 16. 7. De minoribus. vbi in fine additur, *Generaliter probandum est, vbi contractus non valet, pro certo Prætore se non debere interponere.* Quo posito,

63 *Minoribus.* Resp. Hoc beneficium concedi Primò, Minoribus, id est, qui nondum 25. annum expleuerunt, si intereà in aliquo contractu non satis prudenter & circumspectè facto damnum acceperint; L. 3. & 5. C. de in integrum restitut. minor. etiamsi iste contractus sit actus de consensu tutoris vel curatoris, & auctoritate Iudicis, vt patet ex L. 1. & sequentibus, 7. de minoribus. & 7. de in integrum restitutione. Ratio est; quia consensus tutoris & decretum Iudicis solùm faciunt vt actus mero Iure valeat; non autem excludunt beneficium restitutionis.

Si læsus ex venditione. Vnde sequitur Primò, Si læsus est ex venditione, quòd rem vendiderit minoris iusto; poterit agere ad iustum pretium. si oportebat rem non vendi, poterit agere contra quemuis possessorem ad eam recuperandam, vt rectè Gomezius tom. 2. cap. 14. num. 7. Secundò, Si læsus est ex mutuo accepto, vt quia pecuniam illam amisit, vel malè consumpsit; potest vti beneficio restitutionis in integrum, & solùm soluere id quo factus est locupletior. quod est notandum pro iis, qui minoribus dant mutuum sine fideiussore (cùm enim naturaliter obligentur, potest eis accedere fideiussor, vt suprà num. 61. ostensum est) vel sine auctoritate parentis, tutoris, vel curatoris: vide L. 2. C. de filiofamilias. Tertiò, Si læsus est in solutione pecuniæ sibi factæ, potest restitui. si enim debitor ei soluit sine auctoritate tutoris vel curatoris, solutio ipso Iure est nulla. Vnde debitor non manet liber, nisi pecunia sit salua, vel conuersa in vtilitatem minoris. Hoc tamen intellige in foro externo. non enim tenetur sponte soluere secundò: sed potest expectare sententiam Iudicis; quia solutio valuit naturaliter. si verò soluit ei cum auctoritate tutoris vel curatoris, manet liber ipso Iure: sed restituitur minor, si pecunia sit deperdita vel consumpta facilitate vel culpa ipsius. Hoc tamen casu credo debitorem habere actionem in eos, quorum auctoritate & mandato soluit. quòd si etiam Iudicis auctoritas accesserit, qui compulit illum soluere minori; tunc perfectè manet liberatus, nec potest aduersus eum restitutio in integrum peti. habentur hæc omnia §. At ex contrario, Institut. Quibus alienare licet, iuncta Glossa. Quartò, Si donauit rem notabilem, censetur læsus, & potest restitui. si tamen ex rationabili causa donauerit, verbi gratia, propter obsequia ab altero accepta, quæ decuit sic remunerari; vel propter nuptias, vel sponsalitiam largitatem, spectata qualitate personarum & consuetudine regionis; non restituitur: non enim per talem donationem censetur læsus, quia prudenter & secundùm rectam rationem facta est. L. 1. C. Si aduersus donationem. Quintò, Si læsus est ex quasi contractu; vt quia damnosam hereditatem sibi testamento delatam acceptauit, etiamsi cum auctoritate tutoris vel curatoris id factum sit. tunc enim ex tacito contractu obligatur creditoribus defuncti & legatariis: vel si lucrosam repudiauit. Gomezius n. 4. Pari modo si læsus sit in electione, eligendo partem deteriorem. Gomezius num. 5. Sextò, Si læsus est imprudenti resignatione vel permutatione beneficij, multi censent esse restituendum, vt Couarruuias lib. 1. variar. c. 5. nu. 3. & alij, quos ibi citat. in eamdem sententiam propendet Molina disp. 573. idque verum esse censent, etiamsi beneficium sit iam alteri collatum. quæ sententia probabilis est: etsi contraria sit etiam probabilis & plurium DD. de quo vide Couarr. suprà, cap. 5. num 1. 2. 3. Puto tamen non esse in vsu, vt detur restitutio.

Si ex eo quod debitor ei soluit.

Ex donatione.

Ex quasi contractu.

Ex resignatione beneficij.

Petes, Quanto tempore competat hoc priuilegium minoribus? Respondeo, Vsq; ad annum 29. completum. nam durat quatuor annis integris post expletum annum 25. ætatis, quo desinunt esse minores. L. fin. C. De tempor. in integrum restit. estque communis sententia DD. 64 *Quanto tempore.*

Aduerte tamen, Etsi minor possit restitui aduersus omnes contractus, in quibus est læsus, durante minori ætate factos; si nihil aliud accessit: non tamen, si maior factus (id est, expleto anno 25. ætatis) eos ratificauit. Et quidem si contractus, in quo minor fuit læsus, mero Iure valuit; vt quia cum debita Iuris solemnitate celebratus fuit; ratificatio tollit beneficium restitutionis, quod illi ratione minoris ætatis competebat, vt patet ex L. 1. & 2. C. Si maior factus ratum habuerit. Si verò non valuit ipso Iure, vt quia aberat decretum in casu quo requirebatur; ratificatio quidem confirmat contractum, & tollit beneficium restitutionis, competens ratione minoris ætatis: non tamen tollit beneficium seu Ius competens maioribus; vt est remedium Legis 2. C. De rescindenda venditione, quod datur illi qui deceptus est vltra dimidium iusti pretij, vel aliud simile, vt docet Gomezius suprà num. 11. & habetur expressè L. 1. C. Si maior factus alienationem factam sine decreto, ratam habuit. 65 *Obstat ratificatio.*

Similiter non datur restitutio, si contractum in minore ætate iuramento confirmauit; quamuis alioquin per se irritus & nullus esset. Auth. Sacramenta *Iuramentum.*

menta puberum. C. Si aduersus venditionem. vbi generatim dicitur: *Iuramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur.* Idem patet ex L.1. eiusdem tit. Ex quibus constat, contractum minoris iuramento confirmari, & ipsum fieri instar maioris. Si tamen commissa fuisset iniustitia, vt si fraude vel metu fuisset inductus ad contrahendum, obtenta iuramenti absolutione, quam tunc petere poterit, fas ei erit restitutionis remedium implorare. Idem dicendum, si adhuc erat impubes dum iurauit. impubertas enim est sufficiens causa relaxandi iuramenti, sicut metus; vt docet Couarruuias in cap. Quamuis, de pactis, p.3.§.1. num.4. quia iudicium adhuc est valdè infirmum. addo, etiam à tutore in irritum reuocari posse, vt infrà cap.42.dub.12. dicetur.

Impuberis iuramentum.

66 Secundò, Conceditur hoc beneficium Ecclesiis, aliisque piis locis. Hæc enim, instar minorum, habent quadriennium à celebrato contractu, vel quasi contractu, vt communiter tradunt DD. ex c.1. & 2. de restitutione in integrum lib.6. vide ibidem Glossam & Couarr. lib.1. variar. cap.3. num.10. & 11. Vbi nota, Ecclesiæ, si valdè enormiter sit læsa ex contractu, concedi amplius quàm quadriennium, vt ibidem docet Couarr. Ecclesiastici tamen in suis contractibus, quos priuato nomine faciunt, non fruuntur hoc priuilegio, Couarruuias cap.4.num.3.

Conceditur piis locis.

67 Tertiò, Conceditur Reipublicæ cuiusuis oppidi L.4. C. Quibus ex causis maiores in integrum restituantur. vbi dicitur: *Respublica minorum Iure vti solet; ideoque auxilium restitutionis implorare potest.*

Reipub.

Quartò, Supremis Principibus, quoad bona principatus alienata. quia hæc ad Rempublicam pertinent.

Principibus supremis.

Quintò, Vniuersitati studiorum, iuxta Panormitanum, in cap. 1. De in integrum restit. & alios multos.

Academiæ.

Sextò, Interdum conceditur rudibus, vt rusticis & mulieribus, qui ignorant Iura, vt ex Maranta, qui alios citat, refert noster Molina, disput.574.§.Militibus.

Rudibus.

De restitutione in integrum contra præscriptionem, dictum est cap.6. dubit. vlt.

68 Circa prædicta, duo sunt notanda. Primum est; Dupliciter posse peti restitutionem in integrum. Primò, implorando officium Iudicis; citata parte; vt quando solutio facta est, vel res ab altero possidetur. Secundò, Excipendo contra eum, qui petit solutionem, vel rem tradi, se læsum eo contractu vel actu fuisse; vt docet ex communi sententia Doctorum Gomezius n.8. Confirm. ex reg. Iuris 71. in Sexto. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.* & reg.156.ff. eodem, *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit.* Hæc exceptio semper durat, quamdiu solutio facta non est. Postquam facta est, opus est sententia Iudicis vt recuperetur: nec licita est occulta compensatio. quia lex solùm concedit hanc recuperationem, mediante Iudicis sententia. colligitur L. Si curatorem. 3. C. de in integrum restit. minor.

Quomodo petatur restitutio.

69 Secundum est, Non ex eo censeri quempiam læsum, quòd re ipsius vendita, præsentet se alius, qui plus offerat: vt multi DD. affirmant: si enim iusto pretio vendita est, eoque tempore & modo, quo prudens venderet, non potest minor petere restitutionem, vt colligitur ex L. Verum. 11. §. Sciendum. ff. de minoribus. si verò vendita est infra iustum pretium, vel non debito tempore, vel non cum debitis circumstantiis; tunc potest petere restitutionem, & eam vendere pluris licitanti. Idem dicendum de elocationibus & conductionibus, aliisque contractibus. vide plura apud Gomezium tom. 2. cap. 14. Sed quæ diximus abundè satis sint Theologo.

Quis dicatur læsus.

Dvbitatio x.

Vtrùm in hac in integrum restitutione comprehendantur etiam fructus percepti.

70 Dico Primò, Si res minoris contractu gratuito sit alienata, possunt repeti etiam fructus ex ea percepti; deductis tamen expensis, quæ in illis colligendis sunt factæ; vt si prædium vel domus ipsius, alteri sit donata. ratio est, quia non tantùm censetur tunc minor esse læsus alienatione rei, sed etiam fructuum. Idem dicendum de rebus Ecclesiæ & Reipubl.

Si contractu gratuito.

71 Dico Secundò, Si sit alienata contractu oneroso, vt si prædium sit venditum; Couarruuias lib.1. variar. cap.3. num.1. multique alij Doctores docent, etiam omnes fructus repeti posse. Sed verius est, in foro conscientiæ non posse repeti fructus, *Si res iusto pretio fuit vendita.* Probatur Primò, Quia in alienatione horum fructuum non censetur fuisse læsus: nam sicut emptor ex re, quam accepit, fructus percepit; ita potuit venditor ex pretio lucrum facere; quòd si non fecit, suæ negligentiæ assignet. Secundò, Quando iustum pretium persoluitur, non censetur contractus damnosus minori; nisi quia expediebat rem illam non vendi; non autem ratione fructuum aliquot annis percipiendorum: ergo in restitutione non potest repeti, nisi res ipsa, non autem fructus percepti. Tertiò, Quia nulla videtur esse ratio, cur Iure ciuili id posset statui. cùm enim contractus fuerit validus, & fructus bona fide sint percepti ex re propria, & non censeatur fuisse facta læsio ratione fructuum, sed solùm ratione rei venditæ; non videtur subesse legitima causa, cur hi fructus iubeantur restitui; præsertim cùm talis lex potiùs in damnum, quàm in commodum minorum sit cessura: nemo enim tam iniqua conditione volet cum ipsis contrahere. nam donec minor annum 29. ætatis expleuerit, emptor erit in periculo restituendi rem cum omnibus emolumentis perceptis.

Si iusto pretio alienata.

Nec obstat Lex, Quòd si minor. 24. §. Restitutio. ff. de minoribus, & aliæ quædam citatæ à Couarruuia, quibus expresè dicitur *rem esse reddendam cum fructibus, quando conceditur restitutio in integrum*; quia explicari possunt de fructibus perceptis postquam contractus beneficio restitutionis est rescissus. alioquin illæ leges non sunt consentaneæ rationi, vt docet Molina disputatione 575.

Dixi, *Si res iusto pretio vendita fuit*; quia si infra iustum, repeti potest per hoc remedium restitutionis ea fructuum pars, quæ respondet rei, quatenus res excedit pretium datū: vt si res valeat 1200.

Si infrà iustum.

&tu

& tu emeris 600. cogeris per sententiam restituere dimidiam partem fructuum: quia hæc respondet rei, qua parte superat pretium datum: superat enim parte dimidia. Si emisti 900. cogeris restituere quartam partem fructuum, quia res, quarta sui parte superat illud pretium. Si 800. tertiam. Ratio est, quia venditor non solùm in rei venditione, sed etiam in hac portione fructuum censetur læsus; vnde si sit minor, vel Ecclesia, competit illi restitutio quoad illam partem. Vtrùm autem absque beneficio restitutionis debeantur venditori fructus illi, vt multi Iurisperiti volunt, dicemus infrà cap.21.dub.13.

Dvbitatio xi.

Quando contractus fuit inualidus, quomodo debeat ratificari.

Contractus ob varias causas inualidus.

NOtandum est, Contractum posse esse inualidum vel ratione fictionis (vt si vterque vel alter contrahentium in animo non consensit) vel ratione metus, vel ratione doli, vel ratione alicuius impedimenti irritantis, vel ratione defectus formæ essentialis.

72 *Ratione fictionis vel metus.*

Dico Primò, Si ratione fictionis vel metus in altero contrahentium, contractus fuit inualidus, probabilius est, nihil requiri nisi consensum liberum ex parte eius in quo fuit defectus. ita Nauarr. c.22.num.51. & 80. & lib.3. Consil.tit.de Regul. consil.24. Lopez 1.p. cap.85. & passim DD.in 4. d.29. agentes de eo qui metu consensit. Ratio est; quia quando simulatè contraxit, nihil defuit contractui, præter eius internum consensum.nam exteriùs consensum præstitit, & alter interiùs & exteriùs: ergo ad ratificandum nihil requiritur præter illius internum consensum.

Similiter quando contractus ratione metus fuit inualidus, nihil requiritur, nisi vt is qui metu consensit, sublato metu nouum consensum interiùs præbeat. Nec refert etiamsi multum temporis à primo contractu inualido intercesserit, vt rectè Nauarr. d.nu. 80. quia alter manet in priore consensu, vtens re tamquam sua.

Dices, Consensus internus non sufficit ad contractum, sed debet exteriùs exprimi. Respondent quidam, Sufficere, vt initio expressus fuerit; illi enim externo accedere hunc internum, & efficere integrum consensum constantem interno & externo. Sed contrà, Iste consensus internus post annum præstitus, non exprimitur vllo modo consensu illo externo tempore contractus exhibito, nec vllo modo illum informat; cùm signum illud ab hoc consensu non procedat. ergo hæc duo non possunt coire ad vnum integrum consensum constituendum; ac proinde requiritur aliud signum externum expressiuum illius consensus interni.

Resp.Rectè probari, ista duo non coalescere in vnum, & requiri aliquod signum externum: sed non est opus alio, quàm vsu & possessione rei tamquam suæ. per hoc enim satis exprimit consensum in cõtractum. Similiter sufficit quoduis aliud signum quo ostendat sibi contractum probari.

Dixi, *esse probabilius*; quia contraria quoque sententia, nimirum, requiri nouum consensum ex parte vtriusque, est probabilis, vt docet Sancius l.2.de Matr.disp.32.n.8. pro qua citat aliquot DD.

Sed quid si vterque metu vel fictè consensit? 73

Si vterque fictè vel metu.

Resp. Quidam dicunt tunc requiri vtriusque nouum consensum, more recepto exteriùs expressum. Ratio est, quia tunc contractus neutra ex parte fuit inchoatus. Sed videtur distinguendum. Vel enim alter nouit defectum qui est in altero, vel ignorat. Si nouit, non potest præsumere illum manere in consensu priore valido, vt sic consensus ipsius accedens perficiat, (vt in casu supradicto.) ergo debet vterque de nouo mutuum & respectiuum consensum præbere & exigere. Si tamen vterque ignoraret defectum alterius, & putaret illum validè consensisse, & ideò vterque interiùs consentiret, alter priùs, alter posteriùs, iuxta casum supradictæ assertionis, putarem valere. ita enim expresè docet Siluest. v. Matrimonium. 8. q.11. dicto 4.ex Richardo d.29.art.2. q.1. Idem tenet Anton. 3. part. tit. 1. cap.7. Ratio est; quia etsi, v. g. Titius, qui prior sic consentit, falsò præsumat Lucretiam consensisse; tamen absolutè iam consentit, & hunc consensum satis exprimit seruando contractum, & re tamquam sua vtendo: ergo cùm superuenit consensus Lucretiæ, contractus perficitur iuxta primam assertionem: quia concurrit cum consensu Titij, qui præcessit, & vsque ad illud tempus mansit vel formaliter vel virtute. Nec refert quòd falsò putet Titium ab initio validè consensisse. quia parum refert vtrùm initio valuerit an non, modò nunc valeat, quando ipsa consentit.

Dico Secundò, Si dolus dedit causam contractui, deceptus non censetur illum ratificare, nisi veritate detecta rursus exteriùs consentiat. Idem dicendum, quando subèrat aliud impedimentum irritans. vbi enim sciuerit sublatum impedimentum, opus est nouo consensu. Prior pars patet, quia quamdiu latet dolus, & veritas ignoratur, consensus non est liber, imò Iure non censetur esse consensus; nam voluntas non fertur in incognitum, vt suprà dubit. 5. & 7. ostensum est. nisi quis fortè ita præberet consensum, vt actum vellet esse ratum, etiamsi in eo esset deceptus. tunc enim dolus non esset causa illius consensus. Altera pars etiam patet, quia quando erat impedimentum, consensus fuit inualidus, vtpote in materiam inhabilem. ergo impedimento sublato requiritur nouus consensus. 74

Si dolus causam dedit.

Aduerte tamen, si contrahentes scirent impedimentum sublatum, non esse opus verbali contractu ad ratificandum; sed satis esse vt interiùs in animo consentiant, & vsu ipsarum rerum hunc consensum exprimant. quod maximè locum habet in matrimonio. quando enim matrimonium ob aliquod occultum impedimentum fuit inualidum, sublato impedimento satis est vt coniuges id scientes affectu maritali vtantur matrimonio; vt apertè colligitur ex cap.2. & 4. de coniugio seruorum. hic enim est nouus consensus, qui satis ipso vsu exprimitur. Si tamen nesciant sublatum, non sufficit. quia non est nouus consensus, sed repetitio antiqui; ideò enim volunt permanere, quia putant primum consensum fuisse validum. Simile est in ratificatione professionis, vt infrà cap.41. dubit.7. in fine dicetur. item in collatione beneficiorum & officiorum, quando fuit inualida ratione impedimenti, v. g. irregularitatis. Nam eo sublato sufficit, vt collator vel summus Pontifex id sciens consentiat retentioni, aut non contradicat

Si nesciant impedimentum sublatum.

dicat cùm facilè possit. vt infrà cap. 34. dubitatione 22. dicetur.

Denique idem cernitur in donationibus, aliisque contractibus dolo factis; detecto enim errore, si is, cuius interest, non contradicit cùm facilè possit, censetur ratificare, nec velle in irritum reuocare quod factum est.

75 *Si alter tantùm nouit.*

Sed difficultas est maximè in matrimonio, quando fuit irritum ob aliquod impedimentum; vtrùm eo sublato, ad ratificandum matrimonium requiratur, vt vterque nouum consensum præbeat, intendatque de nouo contrahere. Multi Doctores putant id non esse necessarium, sed sufficere vt altera pars, v.g. vxor, conscia impedimenti, eo sublato, intendat de nouo contrahere & consentire per aliquem actum externum, marito vicissim per actum externum suum consensum exprimente, quo illam pro vxore habeat. Ratio est; quia cùm mariti consensus cadat in materiam habilem, est validus. itaque si accedat consensus vxoris, erit nouus contractus. Confirmatur, quia etsi mariti consensus fuerit inualidus pro tempore quo durabat impedimentum, eo tamen cessante, incipit esse validus, si continuetur. Vnde volunt sufficere vt vxor sublato impedimento intendat per actum coniugalem de nouo contrahere, petendo vel reddendo debitum ea mente; nec opus esse vt maritus sciat fuisse impedimentum, aut vt intendat nouum contractum inire. nam reddendo debitum satis indicat suum consensum, quo illam pro vxore habere cupit. ita tenet Angelus Matrimonium 3. impedimento 4. num. 10. Tabiena Matrimonium 2.q.7. num.8. Supplementum Gabrielis d.29.q.1.art.3.dub.3. Sotus d.35. q. vnica, art. 2. dicit se nescire vtrùm contraria non sit probabilior. Eamdem tenent multi Doctores antiquiores, vt refert Innocent. in cap. 1. de eo qui duxit in matrimonium, &c. & multi alij quos citat Sancius lib.2. de Matrimon. disput. 36. num. 2. qui docent non esse necessarium indicare marito impedimentum, sed sufficere vt coniunx illum inducat ad rursum contrahendum aliquo prætextu: quo casu maritus non præbebit consensum nisi fundatum in errore, quo putat primum contractum valuisse. Sed hæc sententia est parum probabilis. Vnde

76 *Vterque debet intendere nouum contractum.*

Dico Tertiò, contrariam esse multò probabiliorem, & tenendam; nimirum requiri vt vterque intendat de nouo contrahere, perinde ac si nullus contractus præcessisset. itaque necessarium esse vt vel impedimentum marito aperiatur, vt sine ambagibus de nouo contractus ineatur, vel ita cum illo agatur, vt velit matrimonium renouare perinde ac si antea non fuisset contractum. Ita sentiunt plerique Doctores, ita vt Couarr. de matrimon. p. 2. cap.4. in principio num. 5. dicat esse communem sententiam. Scotus in 4. dub. 35. Adrianus in 4. tractat. de sponsal. dub.13. Siluester Matrimonium 8.q.2. Nauar. cap. 22. n. 47. & alij quos adducit & sequitur Sancius suprà disp. 36. num. 3. Ratio est; quia prior consensus mariti fuit omnino irritus, cùm fuerit circa materiam inhabilem. ergo cùm reddita fuerit habilis, requiritur nouus consensus, qui non fundetur in priore contractu. Si enim ideò consentit, quòd putet contractum fuisse validum, non intendit aliquid noui iuris transferre in alterum, sed solùm approbare quod antè fecit. Quare cùm id fuerit irritum, consensus ille nihil operatur. non enim consensus & approbatio quæ fertur in contractum prout ex parte rei gestus est, potest habere maiorem vim quàm ipse contractus. Confirm. Primò, Quia ille consensus est ex errore circa substantiam contractus; consentit enim, quia putat priorem contractum fuisse validum, cùm non fuerit: & ex errore personæ; nam consentit quia putat hanc esse iam suam vxorem, cùm non sit. ergo est omnino inualidus. Confirm. Secundò, Quia si non requiritur nouus consensus mariti, non etiam requiritur nouus consensus vxoris. vnius enim consensus non facit contractum. Itaque sublato impedimento si se mutuò cognoscant affectu maritali, erit matrimonium, etiamsi vterque ignoret impedimentum sublatum. atqui hoc videtur omnino falsum: quia vbi non est vllus nouus consensus, non potest esse nouum vinculum, noua obligatio, nouum ius; nec potest esse ratificatio actus inualidi. Neque dici potest esse nouum consensum in actu maritali: quia hic actus agitur in virtute prioris consensus, qui nullus fuit: illius enim est signum & approbatio actus iste, vt rectè inquit Scotus loco citato. non enim intendunt per illum actum aliquid noui iuris sibi mutuò conferre, sed solùm vti iure, quod putant se ex priore contractu habere.

77 *Possumus vti in grauissima necessitate.*

Aduerte tamen, contrariam sententiam non ita esse improbabilem, quin in casu grauissimæ necessitatis ea possimus vti: vt si maritus non posset induci ad nouum contractum modo supradicto ineundum; nimirum, quo illam in vxorem accipiat, etiamsi hactenus vxor non fuisset: nec vxor auderet illi detegere impedimentum ob periculum vitæ aut grauis infamiæ, aut scandali quod sequeretur ex separatione; & ex altera parte non posset effugere debiti redditionem. Ita Sancius d. disput. 36. ex Dominico Soto, & aliis. Ratio est; quia grauissima necessitas facit, vt licitum sit quod aliàs minimè liceret: vt patet cùm infans baptizatur in digito tantùm, aliis partibus non extantibus; & cùm absolutio datur ei qui absente Sacerdote dedit signa contritionis. Confirmatur ex dicto Soti de secreto, membro 3. p.2. concl. 3. vbi dicit hominem non teneri sequi suam opinionem, si inde magnum immineat periculum; sed posse sequi alteram partem de qua solùm habet formidinem (id est, quam opinatur quidem esse falsam, tamen non est certus de falsitate, ita vt putet se posse decipi circa eam) modò illa formido apparentem habeat probabilitatem. Idem approbat Sancius suprà, citans in eamdem sententiam Nauarrum. magnitudo enim periculi facit, vt formido in moralibus præponderet opinioni, & vt minùs probabile præferendum sit probabiliori. Itaque in tali euentu sufficeret inducere maritum sub aliquo prætextu (vt maioris amoris, vel suæ consolationis) ad renouandum simpliciter contractum; vel si id non posset, satis esset, vt ipsa petendo vel reddendo debitum intendat de nouo consentire. nam mariti consensus adest hoc ipso, quo illa tamquam vxore vtitur. Et quamuis fundetur in priore consensu, qui erat ob materiæ inhabilitatem inualidus, tamen iam cadit in materiam habilem. quod confirmari potest; quia intendit modis omnibus actum coniugalem, nec vllo modo vult fornicari: ergo

hoc

hoc ipso tacitè consentit absolutè in illam, nec videtur restringere consensum suum ad primum contractum. Numquam tamen hac sententia vtendum extra casum grauissimæ necessitatis, ob tenuem illius probabilitatem, vt dictum est.

78 Notandum est, ea quæ diximus de matrimonio priuatim ratificando, intelligenda esse, quando anteà in facie Ecclesiæ contractum fuit, ita vt præsumeretur verum matrimonium, siue bona siue mala fide contrahentium: vel vbi decretum Concilij de parocho & testibus adhibendis non est promulgatum.

79 Dico Quartò, Si actus solùm fuit irritus ratione solemnitatis Iure requisitæ; pro foro conscientiæ, probabile est, non opus esse alia ratificatione, quamuis pro foro externo requiratur illa solemnitas. Ratio est; quia quando agentes sunt per se habiles, & adest plenus eorum consensus, probabile est actum in foro conscientiæ esse validum, ita vt neutra pars ante sententiam teneatur illum rescindere. de quo vide infrà cap. 19. num. 32. & sequentib. Vnde Siluest. v. Electio, 1. n. 11. *Si electio tenuit Iure naturali, puta quia interuenit consensus eligentium; sed non tenuit Iure positiuo, quia omissa fuerunt substantialia; secundum Innocent. quem communiter sequuntur DD. in cap. Quod sicut. de electione, si confirmetur electus, est verus Prælatus, & non tenetur in foro conscientiæ resignare.* In contractibus autem certum est, non teneri rescindere ante petitionem partis. itaque parte non vrgente, non opus est ratificatione. Quomodo ratificanda sit professio quando interuenit impedimentum, dicetur infrà capite 41. dubitatione 7. num. 65. & 66.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De Promissione, & Donatione.

Habet Dubitationes 17.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Promissio.

1 NOTANDVM est, Nomen *promissionis* esse generale, posseque extendi ad omnes contractus, sicut & nomen stipulationis: possum enim promittere rem aliquã sub aliquo onere, (v.g. vt detur pretium aut res alia) vel gratis. Verùm hic loquimur de *promissione gratuita*, qua aliquid promittitur gratis ex liberalitate

2 vel gratitudine; quæ sic describi potest: *Promissio simplex* est deliberata & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona & possibili. Dico *deliberata*, nempe plena deliberatione seu attentione, qualis requiritur ad peccatum mortiferum, ad meritum, & ad votum validum, vt rectè Nauarrus cap. 18. num. 7. Vnde si quis promittat aliquid cum semiplena deliberatione, non satis aduertens quid faciat; non obligatur ad implendum, ne sub veniali quidem. Ratio est, quia cùm hæc obligatio sit onus quoddam, quod sponte suscipitur, non debet censeri cuiquam impositum, nisi perfectè in illud consenserit; quod non fit absque perfecta deliberatione seu animaduersione quid agas. deinde quia alioquin non est

3 actus perfectè humanus. vnde sequitur, etiam votum Deo factum cum imperfecta deliberatione, non obligare ne sub veniali quidem. quamuis violatio voti validi, facta ex imperfecta deliberatione, venialis sit. de quo infrà cap. 40. dub. 1.

4 Dico *Spontanea*, vt excludatur promissio metu aut fraude extorta; hæc enim non est valida promissio. vnde eam non tenemur implere nisi sit iurata, vt docet D. Thomas q. 89. art. 7. Nec refert, (saltem in foro conscientiæ) etiamsi metus ille leuis fuerit, iuxta Siluestrum v. Restitutio. 2. §. Sed primò. & Nauarr. cap. 17. num. 30. ratio est, quia qui metu etiam leui vel fraude extorquet promissionem, iniuriam facit; vnde ratione iniuriæ potest promissor non soluere promissum. de quo plura diximus cap. 17. dubit 6.

Dico *obligatio fidei*; quia non sufficit dicere, Ego 5 faciam, significando solùm voluntatem faciendi; sed oportet vt fides detur & obligetur, id est, vt homo se obliget alteri ex virtute fidei, seu fidelitatis; vt rectè Sotus l. 7. de Iustit. q. 1. art. 2. vnde etiam non est satis dicere, Ego promitto me hoc facturum, si solùm intendat significare animi sui propositum; non autem dare fidem, vt sæpè fit. Si tamen ex tali modo loquendi alter deciperetur 6 cum notabili suo detrimento; teneretur ille sub peccato mortali implere, quod verborum speciem promisit; vt docet Nauarrus cap. 18. num. 6. quia non implendo, daret causam damni. Similiter non sufficit dicere, Ego promitto me facturum quidquid iusseris; si id dicas vt affectum tuum & animi promptitudinem ad alteri placendum testeris; non autem vt te illi obliges: quod etiam frequens est inter homines. Ratio est, quia hæ & similes formulæ loquendi sæpè vsurpantur voluntatis vel testandi animi causa, non autem ex intentione se absolutè obligandi. vnde tunc absolutè non obligant. cùm enim omnis vis obligandi promissionis sit ab intentione, non possunt vltra intentionem obligare. Vide Nauarr. comment. de datis & promissis pro iustitia, &c. num. 22. & 23.

Dices, Quid si promissor sit dubius, quo animo verbis promissoriis vsus sit?

Resp.

Quid promissio. *Debet esse deliberata.* *Votum.* *Spontanea.* *Metus leuis.* *Promissio sola specie verborum.*

7 *In dubio.* Resp. In vtroque foro inclinandum esse in eius fauorem; quia in dubio non est imponendum onus, quod, nisi sponte, non suscipitur. Ita multi Doctores. Verius tamen puto, si verba expressam promissionem præ se ferunt, in dubio in vtroque foro interpretandum valere, & obligationem induci, maximè in voto. Ratio est; quia quando verba sunt promissoria, non est præsumendum defuisse animum promittendi, cùm hic ex natura rei adesse soleat: nisi de contrario, saltem per rationes probabiles constet; vel nisi verba sint talia, vt cum talibus circumstantiis non minùs soleant vsurpari aliter quàm promissoriè. Neque tunc imponitur onus dubium, sed moraliter certum. Confirm. quia hîc non est par conditio promissoris & promissarij: nam constat de verbis promissionis, quæ fauent promissario; ergo hæc seruanda, nisi aliunde constet defuisse animum.

8 Dico, *De re quapiam bona*, vt excludatur promissio operis quod sine peccato præstari nequit; quia nulla potest contrahi obligatio ad id quod sine peccato præstari non potest, vt patet ex c. vlt. de pactis; id enim contradictionem implicat. sic enim fieret vt idem esset peccatum & virtus, bonum & malum; & vt homo peccaret non minùs omittendo peccatum, quàm faciendo.

Dices, Ergo promissio prodiga non obligat, cùm profusio rerum suarum sit opus malum.

9 *Promissio prodiga.* Resp. Plerique DD. expressè concedunt, promissionem, qua parte prodiga est, non obligare; idque verum esse quidam aiunt, etiamsi iuramento confirmata sit. Ita enim docet Sotus lib. 4. de Iust. q. 7. art. 1. ad 2. & Banes q. 62 art. 5. dub. 5. Quam sententiam quibusdam euentis veram censeo. Primò, Quando ita est prodiga, vt eius executio absolutè sit illicita: hanc enim rationem in probanda sententia sua prædicti DD. adferunt. Secundò, Quando aliquid est promissum simplici modum pretij, nec promissor aliter intendit dare. tunc enim non tenetur ad excessum, nisi iuramentum interuenerit; vt patet in promissione vsurarum & pretij enormis. Denique, Quando meritò præsumi potest, promissorem fuisse deceptum, aut promissionem non fuisse omnino liberam. alioquin si nihil horum intercedat, & executio sine peccato fieri possit, non video, cur promissio prodiga non obliget, maximè iureiurando accedente, etiamsi ipsa imprudenter & cum peccato facta fuerit. multa enim imprudenter & cum peccato fiunt, quæ tamen facta tenent, nec facilè rescindi possunt: vt si puella nobilis, contra voluntatem parentum, & cum familiæ indignatione promittat nuptias ignobili & pauperi, peccat quidem promittendo; tamen vere obligatur. Pari modo etiamsi promissio aliquando peccatum sit ob circumstantias, vel quia prodiga; tamen fieri potest, vt impletio eius peccatum non sit. suppono enim rem esse in plena potestate promittentis, neque illam alteri priori debitam. Ratio est, quia etsi prodiga largitio, quæ est executio promissionis, peccatum sit, dum adhuc liber es, & nondum obstrictus; tamen postquam te obligasti promissione vel iuramento, non est peccatum, sed actus iustitiæ, vel fidei, vel religionis, prout te intendisti obligare; neque amplius habet immediatè rationem donationis, sed solutionis debiti. Sicut enim prodiga donatio, incipiens à traditione, dominium transfert; ita prodiga promissio ius tribuit,

10 *Executio non est peccatum.*

quo iure in altero iam posito, teneris promissum soluere, si nihil prædictorum impediat. In hanc sententiam intelligo Sancium lib. 1. de Matrimonio disp. 14. & Molinam disp. 271. & quosdam alios Doctores.

Dvbitatio II.

Quid sit donatio, & quomodo differant donatio, promissio, pollicitatio, pactum, & stipulatio.

NOtandum est, nos hîc loqui de *donatione gratuita*, quæ fit vel ex mera liberalitate, vel etiam ex gratitudine. Hæc definiri solet, *Datio liberalis*. Per *dationem* intelligitur actio donantis, 11
natura sua sufficiens ad dominium transferendum, quæ fit vel traditione rei, vel verborum officio. Est enim duplex *donatio*: alia incipit à reali *Duplex donatio.*
traditione, vt quando res ipsa simul traditur; & hæc est completa donatio, transferens dominium: alia incipit à promissione, vel à verbali traditione; vt cùm dico, Do tibi meum equum, qui absens est. Hæc donatio verbalis natura sua sufficiens est ad dominium transferendum; tamen Iure positiuo impeditur, ne dominium transferat, nisi secuta reali traditione; vt dictum est cap. 3. dub. 3. Vnde 12
si quis rem sic donatam Petro, donaret aut venderet Paulo, & eidem traderet; Paulus acquireret illius rei dominium, & Petrus solùm haberet actionem personalem in donatorem, vt compenset rei æstimationem; quia per donationem verbalem, non secuta reali traditione, non fuit translatum dominium in Petrum, sed solùm concessum ius ad rem, tribuens actionem personalem; in Paulum autem per traditionem realem translatum est dominium. vide infrà cap. 21. dubit. 19.

Dicitur *liberalis* datio; quia neque fit tamquam 13
Iure debita, neque vt aliquid reddatur tamquam *Liberalis.*
Iure debitum. vnde excluditur omnis donatio, quæ habet rationem solutionis debiti, vel permutationis; neutra enim est liberalis.

Dico, *Tamquam Iure debita*; quia benè fieri po- 14
test tamquam debita ex gratitudine, quæ donatio *remuneratoria* dicitur. non enim repugnat, aliquid dari ex liberalitate, & ex gratitudine; cùm liberalitas sit dispositio necessaria ad gratitudinem. nemo enim potest esse gratus in benefactores, nisi sit liberalis. Imò eadem donatio simul ex affectu liberalitatis & gratitudinis sequi potest. Potest enim quis in donando vtriusque virtutis bonum & laudem spectare. Vt ergo dicatur *liberalis*, sufficit vt non sit debita ex iustitia, neque ad tale debitum alteri imponendum ordinetur. Quæ tamen merè liberalis est, non fit ex gratitudine, sed affectu solius liberalitatis.

Ex his patet, quomodo distinguantur *promissio* 15
& *donatio*. *Promissio* enim natura sua (id est, sepo- *Discrimen promissionis & donationis.*
sito Iure positiuo) non habet vim transferendi dominij: *donatio* verò, etsi tantùm verbis fiat, habet. Ratio est, quia promissio respicit donationem futuram: donatio verò est translatio rei in alterum in præsenti. posito tamen Iure, quo impeditur translatio dominij per donationem verbalem, parum videtur interesse inter hanc donationem & promissionem.

Pollicitatio est offerẽtis solius promissum; L. 3. ff. de polli- 16 *Pollicitatio.*

pollicit. seu est nuda promissio, nondum secuta acceptatione. vnde omnis pollicitatio est promissio, non contrà.

Pactum. *Pactum est duorum consensus atque conuentio.* d.L.3.7. eodem. vnde ad rationem pacti requiritur consensus duorum: ad rationem pollicitationis, solùm vnius. Transit autem pollicitatio in pactum, quando is, cui facta est, eam acceptat.

Stipulatio. *Stipulatio* autem est contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & secuta responsione debitoris. vt suprà cap.17. dubit.2. explicatum est. vide Gomezium tom.2.cap.9.num.1.2.3. & Siluestrum v.Pollicitatio.

DVBITATIO III.

Vtrùm promissio ob turpem causam, seu propter opus malum (v. g. ob fornicationem, homicidium) obliget.

17 *Ante opus præstitum, nõ obligat.* REspondeo & Dico Primò, Promissio, omnisque pactio ante patrationem operis praui, cuius causa ipsa est facta, est inualida, & vltrò citroque nullius roboris. Ratio est, quia nemo potest obligari ad peccatum; hoc enim contradictionem implicat: vnde promissor operis non tenetur; quare nec promissor pecuniæ, opere nondum præstito, tenetur, cùm eius promissio respectiua fuerit, vtpote solo intuitu illius operis facta: imò tenetur illam reuocare, tamquam iniquam, & ad malum directè allicientem.

18 *Opere patrato obligat.* Dico Secundò, Patrato opere malo, verius est promissorem obligari soluere promissum. colligitur ex Couarr.ad reg. Peccatum. p.2.§.2. nu.1. Caietan.q.32.art.7. Medina C. de restitutione. q.28. etsi enim hic putet solutum debere restitui, eò quòd opus turpe sit inuendibile; tamen dicit promissum debere solui, vt fidem suam promissor liberet. Verùm, non tantùm ex virtute fidei, vt vult Medina, sed etiam ex iustitia videtur teneri. Probatur, quia non fuit promissio gratuita, sed onerosa, nempe locatio & conductio operarum, vel contractus innominatus, Do vt facias (vt si promittas annulum vel catenam pro maleficio:) ergo si opera iudicio humano tanti valet, quanti res promissa, vbi præstita fuerit, nascetur obligatio iustitiæ in promissore. quando enim altera pars impleuit contractum, tenetur altera lege iustitiæ. Quòd autem in huiusmodi contractu possit esse æqualitas, patet; quia in opere præstito non solùm est malitia considerandа, sed etiam labor, periculum, detrimentum fortunarum, & similia, quæ executor tua causa subiit. Item fidelitas, quam tibi præstitit, & voluptas aut vtilitas, quæ tibi inde prouenit: atqui hæc apud homines digna pretio æstimantur, vt rectè docet Caietanus. Nec refert, quòd malitia illis sit connexa, quia possunt hæc seorsim à malitia operis considerari: sicut in bonis operibus labor, periculum, damnum, possunt considerari per se, & præcisa ab operis sanctitate, ita vt non committatur simonia; vt si quis pacisceatur dari sacerdoti 100. aureos, vt in loco, vbi est periculum capitis, semel faciat Sacrum; hìc periculũ abstrahitur ab operis sanctitate, & pretio æstimatur absque simoniæ culpa: ergo similiter in malis poterit periculum abstractim pretio æstimari absque malitia.

19 *Quæ in opere æstimentur pretio.*

Hinc sequitur, Mercedem opere præstito accipi & exigi posse, quia debetur Iure naturali: & eam accipiendo non obstringit se ad aliquid quod sit peccatum, nec approbat facinus commissum. potest enim illud detestari quà peccatum, & dolere se fecisse: tamen quia factum est, potest persequi commodum & Ius, quod ex eo obuenit. Secùs si accipiat mercedem ante opus: quia non potest accipere nisi obligando se & promittendo tacitè operis executionem. qui enim accipit pactam mercedem ante opus, confirmat se in contractu, & spondet opus, vt ex parte sua contractum impleat. eumque anteà solùm esset promissio conditionata, seu respectiua, *Si solues mercedem*; iam fit absoluta, quia impletur conditio sub qua promiserat opus. *Discrimen solutionis ante opus & post opus.*

Aduerte tamen, probabile esse, eum, qui aliquid promisit pro opere malo, quod legibus punitur, vt pro homicidio, adulterio, furto, & similibus; non teneri ad implendum promissum, etiam opere secuto: quia est communis sententia Doctorum vtriusque Iuris, vt docet Couarruuias suprà n.6. Et confirmatur ex L. Si plagij, 123.7. de verborum obligationibus. vbi dicitur: *Si plagij* (alij legunt, flagitij) *faciendi, factiue causa, concepta sit stipulatio, ab initio non valet.* & L. Generaliter. 26.7. eodem: *Generaliter nouimus, turpes stipulationes esse nullius momenti.* quibus locis lex reddit irritas tales conuentiones. Quamuis responderi possit, leges illas & similes ita accipiendas esse, vt significent non valere tales stipulationes ante factum, neque etiam post factum dari ius petendi promissum in foro externo: non autem earum mentem esse, tollere obligationem naturalem, quæ ex huiusmodi promissionibus onerosis oritur. vide suprà cap. 14. dub.8. 20 *Contraria est probabilius.* 21 *Mens istarũ legum.*

DVBITATIO IV.

Quænam promissiones sunt irritæ Iure positiuo.

22 SVppono, Iure naturæ irritas esse omnes promissiones, quarum impletio est illicita: quia nemo potest obligari ad peccatum. Iure autem positiuo probabile est esse irritas, Primò, Omnes eas promissiones, quæ factæ sunt ob turpem causam, quæ legibus punitur, etiamsi earum impletio illicita non sit: quamuis contrarium verius videatur, vt iam dictum est.

23 Secundò, Irritæ sunt omnes promissiones, quæ præbent occasionem peccandi: vt si promittas alicui, quòd non tenebitur in posterum de dolo, de vi, de iniuria, de furto. vt patet L.27.§.4.7. de pactis. si tamen post iniuriam commissam, liberè eam condones, valet condonatio. non enim leges impediunt condonationem; sed volunt, ne ex vi promissionis aut pacti præcedentis, tenearis condonare.

24 Tertiò, Irritæ sunt quæ adimunt libertatem disponendi de rebus suis: vt si promittas alicui quòd illum institues heredem, quòd non reuocabis testamentum, quòd dabis tantum, v.g. 100. si non instituas heredem. Hæc omnia comprehenduntur L. Pacta. 6. C. de pactis, vbi sic dicitur: *Pacta,*

Pacta, quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati Iuris est. Idem colligitur ex L. Stipulatio hoc modo.61.ff. de verb. oblig. *Contra leges* ea dicuntur fieri, in quibus promittitur aliquid quod leges prohibent, vt homicidium, furtum. *Contra bonos mores* fiunt, per quæ datur occasio iniquè agendi, vt in exemplis n.23. vel impediuntur illi mores, quos expedit esse in Rep. benè instituta. vide Silues. v. Pactum, n.8. & 11. & Molinam disp.271.

25 *Iuramento confirmata sunt valida.* Aduerte tamen, etsi promissiones & pacta quæ dicuntur esse contra bonos mores, sint per se irrita, tamen si accesserit iuramentum, esse seruanda: vt docet Silues. v. Pactum. n. 11. Omne enim iuramentum seruandum est, nisi sit de re illicita, vel contra leges, vel alia ratione contra bonum publicum, vt suprà cap. 17. dub. 7. n 54. ostensum est.

Nec obstat, quòd hæc pacta dicantur esse contra bonos mores, iuramentum autem contra bonos mores præstitum non sit obligatorium, vt habetur c. Non est obligat. 58. de regulis Iuris, in 6. quia vt Silvester ait, non sunt *contra bonos mores naturales*, (de quibus intelligenda est ista regula) 26 *Contra bonos mores.* *sed ciuiles*; id est, non sunt contra virtutem, ita vt res promissa sit peccatum, sed possunt incommodare moribus, quos expedit esse in Republica. Hoc modo pactum, quod filia, dum nuptui traditur, cum patre init, vt dote contenta, nullum ad bona paterna regressum habeat, est contra bonos mores, & irritum Iure ciuili; tamen iuramento confirmatur, vt constat cap. Quamuis pactum. de pactis, in 6. & promissio vsurarum est contra bonos mores; quia occasionem præbet exigendi vsuras; tamen impleri debet, si iuramentum accedat. 27 cap. Debitores. de iureiurando. Potest tamen in huiusmodi pactis peti dispensatio iuramenti ab Episcopo, si in illis aliqua iniuria intercessit, & tunc promissionem non seruari. vt suprà cap. 17. dubit. 7. dictum est.

Dvbitatio v.

Vtrùm promissio vel donatio interna obliget nos homini.

28 *Non obligat nos homini.* Respondeo & Dico Primò, Etsi promissio vel donatio purè interna, facta Deo, obliget nos Deo cordium inspectori, non tamen facta homini, obligat homini. est communis sententia DD.

29 Sed difficultas est, Vtrùm id proueniat ex solo Iure positiuo, an ex Iure naturali. Quidam putant id prouenire ex solo Iure positiuo. consistendo enim intra limites Iuris naturalis, talem actum inducere veram obligationem. Ita Ledesma in 4. p.2.q.18.a.1.dub.13. & inclinat Sotus lib.7.q.1. art.2. Molina disp. 266. Probari potest Primò, Quia promissio interna addit aliquid supra nudum propositum, ergo magis obligat. Secundò, Actu interno, quo quis non vult ampliùs rem habere in bonis suis, potest amitti possessio & dominium: ergo etiam causari obligatio erga alterum. Tertiò, Tota vis obligandi promissionis & donationis est à voluntate interna: ergo hæc sufficiens est ad obligandum. confirmatur, quia expressio exterior non est necessaria, nisi vt possit cognosci & acceptari ab altero: atqui hæc acceptatio Iure naturæ non est necessaria. Hęc sententia est probabilis. *Est probabilis.*

Dico Secundò, Probabilius tamen videtur, promissionem donationemque internam Iure naturæ esse insufficientem & inualidam ad obligandum. colligitur ex D. Thoma q.88. art.1. vbi dicit, promissionem vnius hominis non posse alteri fieri nisi per signa externa, Deo autem posse fieri per internam cogitationem. Idem tenent passim Thomistæ. ratio est; quia promissio & donatio sunt signa quædam practica, efficientia id ipsum quod significant. qui enim dicit, Promitto tibi, Do tibi, non solùm significat internam cogitationem & affectum dandi; sed etiam ipsum actum donationis & promissionis, qui in hisce verbis sub tali intentione prolatis, formaliter consistit; & effectum eius, scilicet obligationem, quæ nascitur in promittente, & ius, quod nascitur in promissario. Quare cùm actus interni non sint idonea signa ad alteri significandum, non sunt etiam instrumenta ad se alteri obligandum: nam hæc aptitudo fundatur in significatione ad alterum. Si tamen alter posset cognoscere internas cogitationes, sicut possunt Angeli, quando ad eos diriguntur; tunc per actum internum optimè posset donatio & promissio fieri. Accedit, quòd talis promissio non sit acceptata; quod tamen necessarium est ad obligationem, vt statim dicetur. sub hac enim tacita conditione fieri censetur. 30 *Promissio interna Iure naturæ videtur inualida ad obligandum se homini.* 31 32

Ad primum Respondeo, Interna promissio addit supra propositum aliquam inchoationem promissionis, quæ tamen adhuc est insufficiens ad causandam obligationem. *Ad argumenta.*

Ad secundum, Etsi possessio & dominium possint amitti actu interno, vt cùm res habetur pro derelicto; non tamen transferri in alterum: ad hoc enim plura requiruntur. facilius enim est aliquid desinere, quàm incipere esse, aut in altero produci. vnde nec ius alteri dari per internam promissionem potest.

Ad tertium, Etsi tota vis obligandi sit à voluntate, tamen voluntas non potest eam immediatè in homine causare absque actu externo, tamquam instrumento; alioquin hoc ipso quo interiùs vellem, alter haberet ius in omnia bona mea, nec possem ea alteri dare vel retinere. hinc fit, vt etiam iurisdictio sine actu externo dari nequeat, vt communiter Theologi docent. Ad confirmationem. Non tantùm ideò requiruntur externa signa, vt alteri significetur voluntas donandi, sed etiam vt ipsa donatio & promissio per illa fiat, vt dictum est. 33

Dvbitatio vi.

Vtrùm promissio vel donatio externa obliget ante acceptationem, & quomodo acceptanda dum sit absenti.

Respondeo & Dico Primò, Promissionem ante acceptationem ordinariè nullam parere obligationem naturalem aut ciuilem. est communis sententia Doctorum, teste Gomezio to.2.c.9. n.1. & seqq. & patet L.1.ff. de pollicitationibus. Idem dicendum de donatione, vt ex communi sententia Doctorum docet idem Gomez. tom.2. cap.4.n.3. & colligitur apertè ex L. Absenti.10. 34

Potest revocari.

ff. de donat & L.Nec ambigi. 6. C. eodem. Vnde sequitur,ante acceptationem semper reuocari posse: quod tum ex prædictis Iuribus, tum ex aliis clarè deducitur, vt L. Multùm interest. 6. C. Si quis alteri, vel sibi. & L. Si pater. 4. ff. de manumissis vindictâ.

Idem in omnibus aliis contractibus locum habet. L. Contractus. 16. C. de fide Instrumentorum.& alibi. Ratio est, quia obligatio non nascitur nisi mutuo duorum consensu.L.1.ff. de pactis. quare priusquam alterius consensus accedat,prior potest pœnitere,& suam oblationem reuocare.

35 *An valeat mortuo donatario.*

Ex his patet Primò, Mortuo donatario ante acceptationem, inualidam esse donationem: quia ampliùs acceptari nequit.

Dices, Poterit acceptari ab heredibus.

Resp. Ex rigore Iuris non posse; quia ad illos directa non fuit. videtur tamen posse ex quadam æquitate, quia heredes personam defuncti repræsentant: & præsumendum est, eam esse mentem donatoris, vt si defunctus beneficio eius frui non posset, heredibus illius prodesset; nisi de contrario constet. quod intellige, si illi heredes sint liberi: secùs si extranei.

An mortuo nuntio.

Secundò, Quando donatio defertur per nuntium, si contingat illum mori ante insinuationem vel traditionem, censetur tacitè reuocata: quia per mortem mandatarij soluitur mandatum. L. 57. Mandatum. ff. mandati. vnde consensus donatoris, qui illi commissus & per illum deferendus erat ad donatarium, quasi euanescit: quo fit vt duorum consensus non possint concurrere.

Hoc tamen intellige, si nuntio commissum erat vt verbis & traditione reali rem perageret: secùs si solùm litteras deferendas habuit. hæ enim si ad manus donatarij peruenerint, sufficiunt ad donationem insinuandam vel deferendam. vnde ipse vicissim per litteras poterit eam acceptare.

36 *Quadam pollicitationes obligant.*

Dixi *ordinariè*, quia à Doctoribus excipiuntur quædam pollicitationes, quæ obligant ante acceptationem; nempe quæ fiunt ciuitati, vel Vniuersitati, vel Ecclesiæ, vel hospitali. In Iure tamen non inuenitur expressè, nisi de promissione facta ciuitati ad instaurandas ruinas, vel ob honorem ab ea receptum aut recipiendum, vel ad opus aliquod faciendum, si hoc opus iam sit inchoatum: de quibus ff. de pollicitationibus, per totum. Verùm Doctores id extendunt ad promissiones iam dictas: quia promissiones & donationes ad pias causas, videntur æquari donationibus & promissionibus factis ciuitatibus, si priuilegia spectemus. vt patet L.Illud. 19. & L. Vt inter 23. C. de sacrosanctis Ecclesiis.

37 *An Iure naturæ requiratur acceptatio.*

Couar sententia non requiritur.

Sed difficultas est, vnde proueniat quòd ex promissione & donatione, ante acceptationem non oriatur obligatio. Quidam putant id prouenire ex solius Iuris positiui dispositione; nam consistendo intra limites Iuris naturalis, sufficere consensum ad obligationem. Ita Couarruuias in caput Quamuis pactum. p.2. §.2.num. vlt. Molina disp.263. Probatur Primò, Quia ex pollicitatione facta ciuitati oritur obligatio: ergo hic actus natura sua ad hoc est sufficiens. consequentia patet; quia Ius ciuile non tribuit contractibus maiorem vim quàm natura sua habeant; quamuis interdum ob bonum commune illis vim, quam per se habent, adimat. Secundò, Quia in gratuitis promissionibus acceptatis, obligatio non oritur ex acceptatione, sed ex gratuita promissione, quæ non expectat obligationem reciprocam.

Hæc sententia est probabilis; & ex ea sequitur, 38 promissiones & donationes ad pias causas esse validas ante omnem acceptationem. quod tenet Felinus in cap. 1. de pactis, n. 7. citatque pro se Bartolum, Baldum, Panorm. & alios. ratio est; quia Iure naturali sunt validæ, & Iure ciuili non sunt reddiræ inualidæ: nam leges ciuiles,quæ irritas reddunt tales promissiones & donationes, non habent vim in piis causis, eò quòd Iure Canonico (ad quod ea res pertinet) non inueniantur approbatæ. Sed contraria sententia videtur esse communior Doctorum, vnde

Donationes ad causas pias.

Dico Secundò, Verius videri, quòd promissio 39 & donatio non habeant vim obligandi ante acceptationem, id prouenire non tantùm ex Iure ciuili,sed etiam ex Iure naturali,vel Iure gentium. vnde vt habeant vim absolutè obligandi, Iure gentium requiri acceptationem. Probatur Primò, Quia in contractibus onerosis ante acceptationem licitum est vbique gentium pœnitere & reuocare suam oblationem; vt patet in contractu emptionis, sponsalium, matrimonij,& aliis: nec opus est expectare donec alter acceptet vel reiiciat: ergo idem licitum erit in promissionibus & donationibus gratuitis, nisi lex positiua adimat hanc potestatem. Secundò, Sicut promissio vel oblatio onerosa, qua quis se obligat, habet tacitam conditionem,nempe, *Si alter vicissim se velit obligare*; ita etiam promissio & donatio habent tacitam conditionem, *Si acceptentur*: nam vt L.Qui absenti. 38 ff. de acquirenda vel amitt. possess. dicitur, Qui promittit vel donat, non videtur animum se obligandi habere, donec alter acceptet. ergo sicuti ibi conditione nondum impleta, potest reuocare oblationem; ita & hîc. Tertiò, Quia ex contraria sententia sequitur, eum, qui apud se, nemine audiente, diceret, Promitto vel do Ioanni 100.teneri manifestare hanc suam donationem Ioanni an velit acceptare, nec posse pœnitere. quod tamen videtur durum, & credibile nusquam gentium vsitatum.

Verius est, Iure gentium requiri acceptationem.

Ad primam rationem Respondeo, Ius ciuile 40 non efficere vt pollicitatio facta ciuitati vim habeat absolutam ante acceptationem; (nihil enim tale colligi potest ex vlla lege toto titulo de pollicitationibus) sed ne possit reuocari pro libito, sicut ex natura rei posset: vt patet ex L. 3. eodem tit. vnde fit, vt talis promissio semper possit acceptari, & promissum peti: quæ petitio videtur necessaria vt tenearis soluere, vt iisdem legibus indicatur. Nec tenetur promissor eam ciuitati insinuare:nulla enim lex id præcipit. Idem dicendum videtur de pollicitationibus ad causas pias: nisi ex intentione promittentis vim habeant voti: nam tunc sponte solui debent. Itaque ex pollicitatione omni,nascitur quædam obligatio veluti conditionata & suspensa, donec acceptetur, vel reuocetur; quam reuocationem Ius positiuum potest impedire. vnde tunc Ius ciuile non tribuit propriè pollicitationi vim, quam Iure naturali vel gentium non habet, sed impedit ne possit reuocari.

Ius ciuile impedit reuocationē.

Ad secundam, Obligatio non oritur ex acceptatione tamquam ex causa directa, sed tamquam ex conditione sine qua non. sicut enim ignis est sufficiens causa calefactionis aquæ, tamen non potest ex eo nasci calefactio, nisi aqua debito modo 41

appli-

applicetur; ita promissio est sufficiens causa obligationis, & iuris in altero, si alter eam acceptet: quæ acceptatio est veluti conditio necessaria, vt promissio vim exerat, iusque tribuat.

42 *Altera pars. De modo acceptãdi, quando facta absenti.* Quod ad alteram partem huius dubitationis, quæ est de modo acceptandi, seu quid requiratur, vt donatio facta absenti, validè possit acceptari, attinet; dicendum est, Primò requiri, vt donator absenti per epistolam, vel nuntium, cui id commiserit, eam deferat, vel insinuet. id enim necessarium est, vt duorum voluntates in vnam concurrant; vt colligitur L. Absenti. 10. ff. de donationib. & L. 1. ff. de contrahenda emptione. Vnde si alius quispiam præcurrens, cui id mandatum non fuit, donationem illi insinuet, non sufficit vt validè acceptari possit; quæ est communis sententia DD. vt refert Clarus lib. 4 §. Donatio. q. 12. & colligitur ex Glossa in L Nec ambigi. 6. C. de donationibus. Ratio est; quia cùm promissor non intendat per hunc hominem, suum consensum & obligationem in alterum dirigere, non potest alter acceptando, aliquid iuris acquirere. nam cui nihil validè offertur, nihil etiam potest validè acceptare. Cùm autem ipse nuntium mittit, tunc in verbis nuntij suum consensum & obligationem ponit, vt per eum ad absentem deferatur: & sic dum absens coram nuntio acceptat, duorum consensus concurrunt; quod ad rationem pacti est necessarium, vt dictum est dubit. 1. cap. 17.

Debet insinuari per nuntium vel epistolam.

43 *Debet acceptari coram nuntio, si per nuntium offeratur.* Secundò, Si donatio per nuntium deferenda vel facienda est absenti; requiritur vt hic eam coram nuntio acceptet: nec sufficit eam acceptare coram aliis; vt ex multis Auctoribus ostendit Sancius lib. 1. de Matrimonio, disp. 7. n. 35. Ratio est; quia alioquin duorum consensus non concurrunt, nec vicissim innotescunt. Quam ob rem acceptatio debet exprimi illi qui eam offert, id est, ipsi promittenti, vel eius nuntio, qui eius locum supplet. Hoc ipso enim, quo aliquis destinatur ad absentem, vt offerat ei promissionem alterius, constituitur etiam ad recipiendam eius acceptationem; vel, si promissio sit onerosa, eius repromissionem.

Vnde sequitur, Non videri veram sententiam Siluestri v. Matrimonium. 5. qu. 12. & quorumdam aliorum, qui docent, quando matrimonium contrahitur per nuntium vel litteras, sufficere vt absens exprimat consensum suum aliis. debet enim consensus absentis exprimi illi qui eum petit, & qui sub conditione illius sibi rependendi, in alterum consentit; nisi constet, aliam esse promittentis mentem. Quod addo; quia non est de essentia contractus, vt consensus absentis, cum quo contrahis, tibi innotuerit. Si enim mens tua est, vt statim contractus valeat posito alterius consensu, etiam antequam tibi innotescat, statim valebit. hoc tamen non præsumitur, nisi clarè sit expressum.

Si offeratur per litteras. Si verò per litteras promissionem tuam absenti obtuleris; vt acceptatio eius sit valida, ita vt retrocedere nequeas, requiri, vt ea tibi vicissim per litteras, vel per nuntium ad te missum, innotescat. Ita Sancius suprà. Probatur Primò, Quia requiritur acceptatio exterius expressa, ita vt promissor eam possit intelligere. Deinde, quia alioquin non concurrunt consensus duorum in vnum. Denique, quia antequam tibi innotescat consensus alterius, potest ille suum consensum reuocare: ergo & tu potes tuum. quod maximè locum habet in promissionibus respectiuis, quæ requirunt repromissionem. hæ enim omnes hanc tacitam conditionem habent, Si is cui promittis, vicissim repromittat, seseque obliget: quod fit signo externo ad promissorem directo. In gratuitis tamen promissionibus vel donationibus, non puto necessarium vt litteræ acceptationis vel nuntius ad donatorem peruenerint: quia non tanti interest eum, qui gratis donat, scire suam donationem acceptari, quàm eum, qui sub onere aliquid offert, & repromissionem expectat, nosse, alterum repromittere. cuius signum est, quòd donator non sit multùm de eo cognoscendo sollicitus. Secùs verò in eo, qui contractum onerosum init. Denique qui gratis donat, non videtur beneficium suum ad hoc velle restringere, vt non habeat vim, nisi litteras de acceptatione acceperit: sed potiùs cupit illud, simulatque debito modo acceptatum fuerit, efficax esse.

44 *Si reuoces consensum, misso nuntio.* Tertiò, Requiritur vt non reuoces donationem ante acceptationem. si enim reuoces, & nuntio, quem misisti, id innotescat; non potest quidquam efficere. L. Si verò. 12. §. Si mandauero. ff. Mandati. *quia extinctum est mandatum*, vt ibidem dicitur; ac proinde omnis potestas insinuandi, vel tradendi, ei adempta. Si autem non innotescat ante executionem, tunc distinguendum est: vel enim ille se habet solùm instar nuntij, referentis alterius donationem, aut rem tradentis; vel habet mandatum faciendi donationem. Si priore modo se habeat; facta reuocatione, nihil fit: quia deest omnino consensus ex parte donantis. ille enim nuntius solùm habet officium nuntiandi vel tradendi; non autem tribuendi aliquid iuris. Si secundo modo, valent eius acta, non quidem ad transferendum dominium; sed ad tribuendum donatario ius ad rem, & donatori iniiciendam obligationem ad consensum. Colligitur L. Si mandatsem. 15. & L. 26. Inter causas. ff. Mandati. Tenetur enim mandator ratum habere, quod ex vi mandati, bona fide, eius nomine gestum est. Vide Gomezium tom. 2. cap. 4. num. 3.

An post mortem donatoris possit donatio acceptari. Petes, Vtrùm post mortem donatoris possit donatio validè acceptari?

Resp. Primò, Quando ipsa donatio ante mortem facta est ex parte donatoris, & missa epistola vel nuntius, qui illam absenti insinuet, vel rem tradat; si contingat donatorem mori ante insinuationem, verius est illam nihilominùs validè acceptari posse. Ita docet Sancius lib. 1. de Matrimon. disp. 6. n. 5. & Molina Iureconsultus lib. 4. de primogen. cap. 2. num. 77. Ratio est; quia donatio illa, ex parte donantis fuit valida, etsi reuocabilis; vt expressè habetur L. Nec ambigi. 6. C. de donat. & manet virtute impressa litteris vel nuntio, vt ad donatarium transeat. Vnde perseuerat post mortem; ac proinde potest tunc acceptari. Confirmatur Primò, Quia donatio mortuo donatore non potest reuocari per heredem, etiamsi nondum sit acceptata, vt passim docent DD. Couarr. lib. 3. variar. c. 14. n. 17. Iulius Clarus §. Donatio. qu. 13. in fine, & alij. quod est signum, illam posse validè acceptari post mortem. quorsum enim adempta heredi potestas reuocandi, si non potest acceptari? Confirmatur Secundò, Quia donatio est gratia quædam: quando autem gratia facta est ex parte concedentis; potestas executoris non expirat morte concedentis, vt expressè dicitur

Si facta erat ex parte donatoris, potest acceptari.

45

cap. Si super gratiam. 9. de offic. delegati, in 6. Contraria tamen sententia est plurimorum Doctorum, vt ostendit Sancius: quorum fundamentum est quia mandatum morte mandantis soluitur. Verùm hîc non est propriè mandatum donandi, sed donatio ipsa, vt dictum est. Itaque illa ratio ad alium casum pertinet. Vnde

46 *Si solùm sit mandata, non potest.* Dico Secundò, Quando donatio ante mortem donatoris non est facta ex parte ipsius, sed solùm mandata fieri; vt si misit rem per nuntium vel procuratorem, cum mandato vt suo nomine det absenti: tunc si antè quàm ille munere suo fungatur, contingat donatorem mori, non potest donatio validè acceptari. vnde res illa restituenda est heredibus donatoris. Ratio est; quia ante mortem donatio facta non fuit, sed solùm datum fuit mandatum donandi. mandatum autem morte mandantis expirat, vt habetur d. L. 26. Inter causas. 7. Mandati. vnde procurator ille non potest donationem nomine sui mandatoris facere; & si fecerit, erit nullius momenti: ac proinde etiam acceptatio. Hoc tamen intelligendum est, nisi mandatum fuerit in fauorem piæ causæ; quia istud morte mandantis non expirat, vt notat Molina ex Couarruuia lib. 1. variar. cap. 14. num. 16. vnde etiam post mortem est exequendum. cuius ratio est; quia quisque præsumitur ita tacitè voluisse in vita, cùm opera pietatis tunc maximè homini sint necessaria. Confirmatur ex L. Si pater. 4. 7. de manu. vind. vbi mandatum de manumittendo seruo non expirat morte mandantis, fauore libertatis: ergo multò magis idem dicendum fauore piæ causæ, & salutis animæ.

Mandatū in fauorem piæ causæ.

Hinc sequitur, Si culpa nuntij donatio non fuerit tempestiuè ante mortem donantis facta, ipsum teneri ad duplicem restitutionem: nam heredibus defuncti tenetur ratione rei, quæ tunc illorum est; donatario ratione damni, quod eius culpa contraxit, vt rectè notauit Molina disp. 263. posito enim tali mandato, tenebatur nuntius lege iustitiæ adhibere diligentiam, & mandatum ex mente mandantis in commodum donatarij implere.

Aduerte tamen, quosdam sentire, mandatum donandi non expirare morte donatoris, eò quòd sit gratia quædam. ita Emanuel Sà v. Donatio. num. 21. & v. Mandatum, num. 2. quæ sententia est probabilis: & iuxta illam non tenebitur nuntius ille heredibus, sed soli donatario.

Dvbitatio vii.

Qui possint promissionem vel donationem absenti factam acceptare: siue, vt Iurisperiti loquuntur, Qui possint pro absente stipulari.

Respondeo, Primò id potest omnis qui ab altero generalem vel specialem habet commissionem.

47 Secúdò, Is qui est sub alterius potestate, ita vt nō sit sui iuris. vt filiusfamilias pro patre, seruus pro domino, Religiosus pro Prælato. Ratio est, quia censetur vna persona. non tamen famulus mercenarius pro suo domino, aut subditus pro Principe, quia sunt sui iuris. vnde Instit de inutilibus stipulationibus. §. Si quis alij, dicitur, *Si quis alij quam ei cuius iuri subiectus sit, stipuletur, nihil agit.*

Tertiò, Qui aliorum curam gerunt, vt tutor pro pupillo, curator pro furioso. Item Princeps pro subdito: quia cùm hic alteri possit facultatem facere stipulandi pro altero, multò magis ipse eam habet. Item Notarius publicus, præsertim si de eo conficiat Instrumentum. de quo vide Couarruiam lib. 1. variar. cap. 14. num. 11. & deinceps. Hoc tamen de Notario solùm in Iudicio locum habere, multis testimoniis ostendit noster Sancius lib. 1. disput. 7. num. 11.

Quartò, Is, qui ex donatione vel promissione facta absenti, commodum reportat, vel onere aliquo liberatur, vt patet §. Sed & si quis. Instituit. de inutilibus stipulationibus: vt creditor pro debitore, socius pro socio, vxor pro marito: vel si pœna sit adiecta in fauorem præsentis; de quo vide Couarr. in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. num. 5.

Quintò, Quiuis priuatus potest stipulari & acquirere Ecclesiæ, piisve causis, iuxta Glossam communiter receptam in cap. Quoties cordis. 1. q. 7. de quo Couarruuias suprà. n. 14. Ad hos reduci possunt omnes, quos refert Glossa in §. Si quis alij. Instituit. suprà. Præter hos autem nemo potest Iure communi validè pro absente stipulari seu acceptare promissionem in fauorem absentis factam, ita vt inde nascatur aliqua stricta obligatio. Ratio est; tum quia Iura resistunt tali stipulationi eamque irritam reddunt, vt patet d. §. Si quis alij. & L. 126. Si ita stipulatus. §. Chrysogonus. 7. de verb. oblig. Tum quia promissio facta alicui, cuius nihil interest eam impleri, censetur solùm verbis facta illi; reipsa autem solùm facta est tertio, in quem est exequenda. Nihilominùs secundùm communem vsum hominum, amicus pro amico ita stipulari solet, vt aliquam leuem obligationem pariat. Si tamen hæc iuramento confirmetur, non solùm in foro conscientiæ obligat, sed etiam in foro ciuili tribuit actionem, vt patet ex dictis dubit. 4. Secùs verò quando stipulatio nihil valet: quia iuramentum secundùm naturam actus, in quem cadit, accipiendum est. atqui actus habet tacitam conditionem, puta si validè acceptetur: ergo donec validè acceptatus fuerit, poterit reuocari, etiamsi iuramentum interuenerit. vide suprà cap 17. dubit. 7. num. 52. Circa prædicta.

48

Notandum Primò, Vt is qui præsens est, possit pro absente stipulari, (id est, promissionem in absentis commodum petere, & validè acceptare) requiri vt verba obligationis dirigantur expressè vel implicitè ad præsentem. v. g. promitto tibi me daturum Petro 100. &c. Si enim dirigantur ad absentem, is qui præsens est non potest promissionem acceptare, quia illi non fit. Ita docet Couarruuias ex communi sententia Doctorum, in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. n. 13. vnde si dicat, Promitto Petro absenti 100. nemo potest validè acceptare talem promissionem nomine Petri. Ratio est, quia vt fiat pactum, necessarius est consensus reciprocus duorum in idem, vt patet ex pacti definitione dub. 1. hîc autem non est consensus reciprocus, quia non adest consensus eius, in quem tuus consensus & verba tuæ promissionis diriguntur. Ita que talis promissio semper potest reuocari, quamdiu ab eo, qui absens est, acceptata non fuerit.

49 *Verba promissionis ad præsentem dirigenda.*

Dixi, *Expressè vel implicitè*, quia dupliciter verba

verba promissionis censentur ad præsentem dirigi. Primò, Quando exprimitur persona præsens; vt Promitto tibi, &c. Secundò, Quando persona, cui fit promissio, non exprimitur, quamuis ea, in cuius fauorem fit, exprimatur. vt si dicas, Promitto me daturum Petro 100. tunc enim implicitè censetur fieri præsenti: sic enim vsus hominum consueuit; & in dubio is sensus verbis contractus est tribuendus, qui faciat valere. L. Quoties in stipulat. 80. ff. de verb. obligat. quare si præsens acceptet, valet.

50 *Stipulator non potest eam condonare.*

Notandum Secundò, Eum, qui validè nomine alterius promissionem acceptauit, non posse eam condonare, quia iam tertio ex dispositione legum est ius quæsitum, quo illum priuare non potest. obligatio tamen, qua obstringitur promissor tertio, adhuc pendet, donec à tertio acceptata fuerit: vnde ante eius acceptationem non tenetur eam exequi. ratio est; quia præsens non acceptauit eam nomine suo, sed nomine tertij, & sub eius beneplacito: vnde si ille eam repudiet, tota est irrita; quamuis id in damnum præsentis verteret. secùs est, quando is qui acceptat promissionem pro tertio, vicissim aliquid repromittit: tunc enim potest condonare promissionem in fauorem tertij factam. ratio est, quia potest seipsum, obligatione soluere, consentiente promissore, cui se obstrinxit. Confirmatur ex reg. 35. ff. de reg. Iuris. *Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissoluere, quo colligatum est.* itaque cùm hoc vinculum ortum sit ex acceptatione stipulantis, poterit eiusdem remissione dissolui.

Dices, Hoc argumentum videtur probare, etiam posse condonare, etsi nihil repromiserit: quia iisdem causis res dissoluitur, quibus ab initio constitit. Nec obstat, quòd tertio videatur ius acquisitum; quia dici potest, ita esse acquisitum, vt pendeat ex arbitrio stipulantis; sicut quando stipulans vicissim aliquid repromisit. Confirmatur, quia consistendo intra limites legis naturæ potest remittere; atqui nullum est ius positiuum, quod sciam, quod hanc remissionem irritam reddat; præsertim cùm verba promissionis non ad absentem, sed ad stipulantem directa fuerint. Denique stipulans non tenetur absenti indicare se in fauorem ipsius stipulatum esse; præsertim quando ex officio vel mandato non tenebatur res ipsius curare: ac proinde inutilis ei erit illa stipulatio.

Ob has rationes illa sententia non videtur improbabilis: eamque tenet collector Decisionum Pedemontan. in 70. & fauent Auctores, qui tenent, donationem in fauorem absentis factam & acceptatam, reuocari ex consensu donatarij posse. de quo vide Couarr. lib. 1. variar. cap. 14 n. 13. & infrà dub. 9. num. 64. & 65.

51 *Promissio onerosa facta absenti.*

Notandum Tertiò, Ea, quæ diximus de acceptatione promissionis pro absente, intelligenda esse tantummodò de promissione gratuita seu lucratiua. Si enim promissio sit onerosa, seu respectiua, (vt cùm promitto tibi me ducturum tuam filiam, si ipsa vicissim velit promittere me venditurum parenti tuo meam domum, si pro ea mille dare velit) non sufficit vt tu pro absente acceptes; sed requiritur vt absens eam acceptet, & repromittat. vnde ante eius repromissionem, quæ vicissim priori promittenti nota sit, semper reuocari potest. Ita Sancius suprà num. 12. Molina disp. 164. & quidam Iurisperiti. Probatur Primò, Quia ante vtriusque partis obligationem non potest effici perfectus contractus: contractus enim respectiuus habet tacitam conditionem, Si alter repromittat: qua non impleta, potes resilire; quia promissio non est plenè acceptata. Secundò, quia absens potest nolle acceptare cum illo onere: ergo similiter contrahens cum absente, potest retrocedere. patet conseq. quia contractus onerosi non debent claudicare. Tertiò, Qui acceptat pro absente, non potest acceptare, nisi quatenus ei potest esse commoda: sed hæc nullo modo sufficit; quia etiamsi fieret per ipsum absentem, & coràm, non sufficeret: debet enim simul adesse repromissio, vt ex vsu communi omnium gentium patet.

Dices, Omnis promissio seriò facta & acceptata ab eo cuius interest eam impleri, seruanda est lege naturæ, siue sit absoluta, siue conditionata. si enim est conditionata, expectandus est euentus conditionis, vt mandetur executioni. Confirmatur Primò, Quia talis promissio facta præsenti in fauorem absentis, est absoluta promissio; conditio autem, quæ additur vel subintelligitur, non afficit ipsam promissionem, sed eius executionem; ergo hoc ipso, quo acceptatur ab eo cui immediatè fit, obligat absolutè; quamuis ad executionem non teneatur, nisi posita conditione. Confirmatur Secundò, Quia qui tale quid promittit, simul censetur promittere se expectaturum vt consensus alterius inquiri possit; alioquin videretur deluforiè promittere præsenti.

Resp. Si illa promissio est respectiua, postulans repromissionem, potest reuocari ante repromissionem: neque huius conditionis euentus est exspectandus lege iustitiæ, sed solùm lege constantiæ (si res interea non mutentur) quæ tamen non obligat, nisi fortè ad veniale. Ad Primam confirmationem. Illa promissio non est absoluta, quia promissor non intendit se obligare irreuocabiliter, nisi alter repromittat. Ad Secundam confirmationem. Non promittit se expectaturum: alioquin præter promissionem respectiuam esset alia quæ sit gratuita; quod est contra suppositum. agimus enim de eo casu, in quo solùm est respectiua. neque ideò est deluforia promissio; quia seriò promisit, neque ab initio habebat in animo reuocare.

DVBITATIO VIII.

Quantum obliget promissio externa legitimè acceptata.

SVnt tres sententiæ. Prima est Caietani infrà q. 113. art. 1. sub finem, vbi docet, promissionem per se solùm obligare sub peccato veniali; per accidens tamen, nempe ratione damni quod promissarius ea non impleta incurreret, posse obligare sub mortali. Ratio ipsius est; quia solùm ex quadam honestate morali fidelitatis seu veritatis tenemur promissa implere. sicut enim ex virtute veritatis tenemur dicere verum, & facere vt verba respondeant menti; ita ex eadem virtute obligamur, vt opera respondeant verbis. atqui veritatis virtus non obligat sub peccato mortali: ergo, &c. Sed quidquid sit de veritate huius sententiæ, hoc fundamentum Caietani non est verum. Primò, Quia promittere, non tantùm est affirmare se daturum vel facturum, sed vlteriùs est se obli-

52 *Sententia Caiet. solùm obligare sub veniali.*

Refutatur fund. Caietani.

obligare alteri, & consequenter ius illi tribuere ad exigendum. vnde dici solet, *promissionem parere debitum*. Secundò, Quia inde sequeretur, eum qui promittit, non magis obligari, quàm eum qui absq; promissione affirmat se facturum; quod constat esse falsum communi hominum vsu & sensu. Hoc sequi patet, quia qui tantùm affirmat se facturum, tenetur ex virtute veritatis suum dictum verificare, ne lædat honestatem huius virtutis. atqui secundùm Caietanum hæc est tota ratio, cur teneatur promittens: ergo non magis obligatur.

53 *Veritas obligat ad duo.* Vbi Aduerte, Virtutem *veritatis* nos obligare ad duo; nempe vt dicta nostra conformemus menti, ne committamus mendacium; & vt facta conformemus dictis, ne dicamus falsum. vtrumque enim requiritur vt quis sit verax in dictis. magis tamen obligat ad non mentiendum, quàm ad non dicendum materialiter falsum. Itaque si promissio solùm obligaret lege veritatis, minus peccatum esset violare promissum, quàm mentiri mendacio officioso; (quod tamen manifestè falsum est) quia minus peccatum est, non facere quod affirmasti te facturum, quàm mentiri. certum igitur videtur, promissionem non tantùm obligare ex virtute veritatis; (etsi hæc obligatio in ea inueniatur) sed etiam ex peculiari ratione & virtute, quam *fidelitatem* & *fidem* promissorum vocamus.

Alia tamen ratione hæc sententia probari potest. Primò, Quia liberalis promissio solùm obligat lege fidelitatis; sed fidelitas non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint. violatio enim fidei, solùm continet quamdam deceptionem proximi absque damno. Secundò, Quia homines parum solent æstimare violationem talium promissorum, nec ideò solent haberi iniusti, sicut fures, aut qui debita iustitiæ non soluunt; sed leues, inconstantes, non satis fidi. Tertiò, Quia plerique promissores, si rogarentur an velint suam promissionem chirographo firmare, dicerent se nolle tam strictè obligari. Itaque hæc sententia est probabilis; si tamen promissor non intendat ampliùs se obligare, quàm ex fidelitate. eamque tenent multi docti viri, vt Henriquez de excommunicatione cap. 17. Franciscus Garcia de contract. 1. p. cap. 3. Fumus verb Perfidia, & ex parte Molina disp. 362.

54 *Est probabilis.* Secunda sententia est, Obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. si enim promissor intendat se solùm obligare ex honestate morali; solùm tenebitur sub peccato veniali. si verò intendat se obligare strictè & ex iustitia; tunc tenebitur sub peccato mortali. Ita Molina suprà. estque probabilis, sed non satis explicat vim promissionis, quantum ipsa per se, præcisa intentione extrinseca, obliget.

55 Tertia sententia est communior DD. Promissionem, si materia notabilis sit, obligare sub peccato mortali. Pro qua

Obligare sub p. m. Dico Primò, Omnis promissio seriò facta animo promittendi, in re magni momenti, vbi acceptata fuerit, obligat sub peccato mortali ad sui implectionem. Tenet Nauarr. c. 18. n. 6. Sotus l. 7. q. 2. art. 1. ad 1. Richardus in 4. d. 38. circa tertium principal. q. 3. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 1. §. 4. vbi fusè agit de hac re, & videtur esse communis Canonistarum. vide Couarr. in cap. Quamuis pactum. §. 4. vbi citat multos.

Probatur Primò, Quia omnis promissio, si fiat per formulam stipulationis, tribuit actionem in foro externo, & promissor cogitur eam implere, vt omnes DD. tradunt: ergo inducit strictam obligationem; nempe lege Iustitiæ, vel virtutis Iustitiæ valdè affinis, quæ proinde Iustitia dici possit.

Dices, Hinc solùm sequi, promissionem inducere talem obligationem, si fiat interueniente formula stipulationis, non autem si fiat simpliciter.

Resp Formula stipulationis non reddit promissionem firmiorem in foro conscientiæ, sed solùm in foro externo; quia præsumitur maiore cum deliberatione facta, quando hæc interuenit. Deinde etsi Iure Digestorum, requisita fuerit stipulatio, vt promissio simplex tribueret actionem in foro externo; tamen Iure Codicis non videtur requiri; vt colligi potest ex L. 1. Si quis argentum. C. de donationibus. Adde, quidquid sit de Iure ciuili, tamen Iure Canonico conceditur actio ex promissione acceptata, etiamsi formula stipulationis non interuenerit. vt patet ex c. 1. de pactis. estque communis sententia Doctorum, teste Gomezio tom. 2. c. 9. n. 2. & Couarr. in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 4 n. 24 & 25. Nec refert quòd Ius Canonicum requirat expressionem causæ, quia dum causam non exprimis cur promittas, videris per errorem promittere: quæ tamen præsumptio cessat in foro conscientiæ. vide Siluestrum v. Pactum. num. 3. *Iure Can. datur actio ex promiss.*

Probatur Secundò, Promissio onerosa acceptata obligat lege Iustitiæ, vt omnes fatentur: ergo etiam gratuita. consequentia probatur: quia etsi in onerosa sit perfectior obligatio, eò quòd pro obligatione rependatur æqualis obligatio; tamen hoc non facit obligationem promittentis esse alterius generis, aut non pertinere etiam suo modo ad virtutem Iustitiæ.

Dices, Qui facit promissionem gratuitam, non videtur se tam strictè velle obligare, sed solùm ex virtute fidei, ita vt si non seruet, faciat contra fidem seu fidelitatem, non tamen contra Iustitiam.

Resp. Virtutem fidei esse eam, qua quis seruat promissum, quia promisit, & se verbis obstrinxit. vnde quantum obliget promissio, non est spectandum ex virtute fidei; sed contrà, quantum fides obliget, diiudicandum est ex natura promissionis: atqui promissio ex natura sua obligat supra simplicem assertionem, vt ostensum est: ergo fides, cuius est implere promissum, obligat plusquam virtus veritatis, cuius est verificare assertum. neque intelligi potest, quæ sit hæc maior obligatio, nisi sit Iustitiæ, vel virtutis Iustitiæ valdè affinis. *Fides.*

Tertiò probatur, Quia promissione datur ius ad rem, quod etiam ad heredes promissarij transit: sicut & obligatio promissoris ad ipsius heredes traiicitur: atqui huiusmodi Iuri respondet obligatio Iustitiæ. Confirmatur; quia promissarius dicit sibi rem deberi, potestque debitum exigere, vel condonare; quod signum est, esse debitum Iustitiæ, vel virtutis affinis. *Promissio ad rem datur ius ad rem.*

Quartò, Omnis obligatio contractuum est obligatio Iustitiæ, & non oritur nisi promissione: ergo promissio inducit obligationem Iustitiæ.

Quintò, Quia homines queri solent, iniuriam sibi fieri, si promissio violetur. ergo fit contra obligationem Iustitiæ.

Sextò, Homines non solent acquiescere simplici assertioni, sed solent exigere promissionem, quasi

quasi tunc demum sint securi: sentiunt ergo inducere obligationem iustitiæ.

Septimò, Quia Cicero lib.1. Offic. dicit: *Fundamentum iustitiæ est fides, id est, dictorum conuentorumque constantia & veritas.* Vocat *fidem, iustitiæ fundamentum*; quia est causa operum iustorum, seu cur impleantur promissa, & seruentur contractus. nam *fides* nihil est aliud, quàm affectus voluntatis, inclinans ad seruanda promissa, non tantùm gratuita, sed etiam onerosa; idq; non tantùm ad verificandum quod dictum est, sed propriè ad satisfaciendum obligationi, quæ ex promissione est orta. vnde videtur esse pars iustitiæ.

Petes, Quanti momenti debet esse res promissa, vt violatio promissionis censeatur esse mortifera?

56 *Quanti res promissa esse debeat.* Resp. Nauarrus cap.18. num.6. insinuat sufficere vt res sit notabilis. rem autem *notabilem* explicat esse eam, quæ in furto notabilis censetur. Sed certum est, in promissione longè maiorem requiri; vt docet Lopez lib.2. de contract. cap. vltimo, & Ioannes Penna, quem ibidem adducit. vnde si furtum vnius aurei est peccatum mortale; requiruntur plures aurei, vt promissio sub mortali obliget. Ratio est, quia promissum longè imperfectiore modo est debitum. nam per promissionem solùm datur ius ad rem; & multis modis potest reuocari, vel impediri. Deinde censetur maior iniuria, si vnum aureum surripias, vel ex contractu oneroso debitum non soluas, quàm si quatuor vel quinque ex liberali promissione debitos non soluas.

57 *De virtute fidei.* Dices, Debitum ex iustitia, & debitum ex fidelitate distinguuntur: atqui obligatio promissionis est fidelitatis: ergo non est iustitiæ. maior patet ex communi modo loquendi DD. qui solent dicere, deberi quidpiam ex fidelitate, non ex iustitia. Sic œconomus, & omnis qui officium aliquod nomine alterius administrat, dicitur ad quædam teneri ex fidelitate, & non ex iustitia.

Resp. Si nomen *Iustitiæ* omnino strictè sumatur, videtur debitum fidelitatis à debito iustitiæ, & fidelitas à iustitia distingui. *Debitum fidelitatis & iustitia.* Debitum enim fidelitatis, quod ex liberali promissione oritur, est multò imperfectius, quàm id quod debetur lege iustitiæ, ratione contractus, vel damni dati. Primò, Quia promissio solùm tribuit ius ad rem, & remotum. Secundò, Multis modis potest reuocari. Tertiò, Quia pendet ex liberalitate promittentis; non enim rependitur æquiualens. Quartò, Non ita adstringit, vt si violes, tenearis ad compensationem lucri cessantis. nemo enim sua liberali promissione censetur se ad hoc velle obligare, nisi id exprimatur. Quintò, Quia non necessariò respicit eum qui est sui iuris, vt patet in promissione dominiad seruum, patris ad filium, & Dei ad hominem. Denique quia promissio non impedit, quò minùs res dicatur posteà gratis dari. debitum autem *perfectæ iustitiæ* longè maius est; & si non soluatur, obligat ad lucrum cessans refundendum: & solùm est ad eum qui est sui iuris, & omnino distinctus; & impedit donationem gratuitam. Itaque hæc debita sunt distincta. Vnde cùm virtus *fidei* seu fidelitas respiciat solum debitum promissionis; iustitia autem debitum perfectum, (restituit enim cuique quod ei perfecto iure debetur; vt si damnum datum, si contractus initus, si res aliena ablata) sequitur has quoque virtutes distinctas esse. quamuis si *iustitia* non tam arctè sumatur, etiam *fidelitatem* sub se comprehendat. & sic fidelitas nihil erit aliud, quàm iustitia inadæquatè concepta; nempe quatenus reddit cuique ius suum ex promissione debitum. & hoc modo debitum promissionis à multis DD. dicitur debitum iustitiæ. Verùm meliùs dicitur hæc distingui sicut diximus.

Hinc patet Primò, Qua ratione œconomus teneatur ex *fidelitate* in contractibus & negotiis gerendis spectare maxima commoda sui domini; & non ex iustitia: quia etsi ad hoc principaliter ex officio suo non teneatur, tenetur tamen secundariò ex tacita quadam promissione, qua dum officium suscepit, censetur se adstringere ad curandam summam vtilitatem domini, quantum commodè seu communi diligentia poterit. de quo plura infrà cap.32. *Oeconomus.*

Patet Secundò, Deum, etsi ex sua promissione debeat pœnitentibus ignoscere, non tamen teneri ex iustitia, sed solùm ex fidelitate; tum quia promissioni satisfacit fidelitas propriè, non iustitia strictè accepta; tum quia Deus non potest creaturæ lege perfectæ iustitiæ obstringi; eò quòd semper sit in eius dominio, multò magis quàm seruus in potestate domini. *Deus non tenetur ex iustitia propriè.*

Dico Secundò, Si quis vtatur verbis promissoriis, non quidem animo seriò promittendi, sed tantùm ad significandum firmum propositum, vel ad firmiùs asseuerandum, vt ei credatur, non obligabitur sub peccato mortali ad implendum quod ita promisit, nisi ratione damni inde secuti. Probatur; quia talis non obligatur nisi lege veritatis, qua tenetur dicta sua efficere vera, & cauere ne dixerit falsum: atqui ad hoc non obligatur sub peccato mortali, vt rectè Caietan. docet. Hoc modo multorum promissiones, qui leuiter solent multa promittere, sunt intelligendæ: non enim mens illorum est seriò se obligare, aut ius aliis tribuere exigendi, sed dumtaxat firmiter asserere. Idem de illis, qui non intendunt se obligare absolutè, sed cum conditione circa executionem, v.g. nisi fuerit incommodum aliquod, vel nisi aliud melius occurrerit. Si tamen promissarius putaret alterum seriò promisisse, & inde posteà contingeret illum damno affici, (vt quia non potest soluere ad diem dictum) promissor tenetur implere sub peccato mortali: quia illo modo promittendi illum decepit, eaque deceptio est causa sine qua non, damni secuti. quod vt euitetur, debet promissum præstare. Pari modo si promissio facta sit in modum contractus oneros, & altera pars impleuerit onus seu conditionem impositam; tenetur implere promissum, etiamsi animo non se obligādi, sed decipiendi promiserit. Ratio est, quia tenetur euitare damnum promissarij, & grauem deceptionem, cui causam dedit fictè promittendo. Deinde, quia in contractibus huiusmodi, ex iustitia tenebatur internum consensum adhibere, alioquin decipit alterum, & non rependit æquale. Adde, nullam fore fidem contractuum inter homines, si hac ratione se possent expedire; dicendo se fictè promisisse. Si tamen res adhuc sit integra, & nihil incommodi timeatur, nō videtur peccatū mortale, non seruare tale promissum, vt docet Siluester v. Pactum. n.4. (quamuis potuerit esse peccatum mortiferum in promittendo, propter animum decipiendi) vt si quis animo decipiendi promiserit puellæ nuptias: quia

58

59 *Si altera pars contractum impleuit.*

60 *Ficta promissio.*

61

quia reuerà nihil promisit, sed simulauit se promittere, ex qua simulatione nihil incõmodi puellæ obuenit. quòd si talis à Iudice rogetur an promiserit, poterit negare etiam cum iuramento; quia reuerà non promisit. quòd si per sententiam Iudicis iubeatur promissum implere, debet parere; si non parendo timeretur scandalum: alioquin non tenebitur. quare potest vertere solum, ne cogatur sententiæ in falsa præsumptione fundatæ morem gerere, vt in simili docet Sotus lib.7. quæst.1.a.2.

Dvbitatio IX.

Vtrùm promissioni vel donationi iam acceptatæ possit apponi aliquod onus, vel impositum tolli.

62 Dico Primò, Ante acceptationem promissionis vel donationis, potest onus imponi. vt si dem tibi domum vel agrum sine onere, priusquam acceptes, possùm imponere onus, vt mihi vel alteri tenearis inde soluere aliquam pensiunculam annuam, vel post certum tempus restituere. ratio est, quia potest tota reuocari: ergo multò magis onus imponi.

63 Dico Secundò, Post acceptationem non potest vllum onus imponi absque consensu promissarij. Ita Couarruuias lib.1.variar.cap.14. n.1. ratio est; quia iam consecutus est ius ad rem sine onere, ac proinde sine onere est ei debita. habetur expressè L. Perfecta. 4. C. de donat. quæ sub modo. *Perfecta donatio conditiones postea non capit.*

64 *Onus impositum in fauorem tertij.* Dico Tertiò, Si acceptes donationem cum onere in fauorem tertij apposito, ille tertius hoc ipso acquirit ius vt illud onus ei præstes. quod ius transit ad ipsius heredes: est tamen hoc ius reuocabile à donatore vsque ad tempus, quo onus est implendum, nisi fuerit à tertio acceptatum. Ita docet Couarruuias num. 3. & 11. Iulius Clarus §. Donatio, q.13.n.5. Prior pars colligitur apertè ex L. Quoties. 3. C. de donat. quæ sub modo. Altera colligitur ex L. Eum qui. 4. π. Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt. vbi significatur à contrario sensu, in potestate venditoris, qui grauamen in fauorem tertij appositi, esse, illud reuocare ante tempus quo erat implendum. Idem colligitur ex L. 1. & vltima, C. Si mancipium ita fuerit alienatum, &c.

65 Sed dubium est, Vtrùm sit reuocabile à donatore, postquam tempus aduenit. v. g. dedi tibi domum cum onere, vt post quinquennium ea cedas Petro: transactum est quinquennium: nondum cessisti, nec Petro quidquam significatum: vtrùm possim te hoc onere liberare, vel domum meam repetere, vt mihi seruem.

Potest onus illud tolli ante acceptationem tertij. Resp. & Dico Quartò, Etsi probabile valdè sit, tunc non posse ampliùs reuocari; tamen contrarium quoque est probabile, nempe posse reuocari à donatore, donec ipse vel alius nomine ipsius acceptauerit quod in ipsius fauorẽ est constitutum, vel donec cœperit impleri. Priorem partem tenet Clarus n. 5. multiq; alij, quos ipse refert. & videtur colligi ex d.L. Quoties 3. C. De donationibus quæ sub modo, vbi corrigitur Ius vetus, quo post tempus elapsum, si onus appositũ in fauorem tertij non erat præstitũ à donatario, concedebatur vt à donatore & ab heredibus eius posset reuocari.

Alteram partem tenet Couarruuias num.13. & Bartol. in L. Qui Romæ. 122. §. Flauius. num.1. π. de verborum obligationibus. ratio est, quia donatio ante acceptationem non est valida: ergo cùm tertius ille non acceptauerit eam per se vel alium, poterit reuocari. Nec obstat d. L. Quoties: quia ad eius interpretationem satis est vt heredes donatoris non possint eam reuocare, & vt illi tertio competat actio in donatarium, volente donatore: non autem donatore nolente & reuocante onus impositum. 66

Aduerte tamen, si tertius ille, in cuius fauorem onus impositum est donationi, sit ciuitas vel causa pia, statim atque fuerit acceptata à donatario, acquirit ius irreuocabile ad actionem in rem: vt patet ex L. vt inter. 23. C. de sacrosanctis Ecclesiis. & docet Couarruuias num.14. 67 *Ciuitas.* *Causa pia.*

Dixi, *Posse reuocari à donatore*; quia ipsius heredes non possunt reuocare onus impositum, etiamsi nondum sit impletum, nec tempus implendi aduenerit. vt patet ex d. L. Quoties, & docet Couarruuias num. 17. estque sententia communis. Ratio est, quia eius est reuocare, qui donationem liberè fecit. vnde mortuo donatore, onus illud fit irreuocabile. Similiter fit irreuocabile, quando cœperit impleri; quia tunc censetur ille tertius acceptasse. qui enim rem donatam acceptat, satis acceptat ipsam donationem. 68

Dvbitatio X.

Quibus euentis promissio acceptata & antea valida desinat obligare.

69 Qvidam dicunt, eam desinere obligare, quando ita mutatur status rerum vel personarum, vt si promissor hanc mutationem præcogitasset, noluisset promittere vel donare. Ita Nauarr. c.18 num.7. & quidam alij. quæ regula in multis casibus est idonea; præsertim quando promissio vel donatio facta est homini. In quibusdam tamen factis Deo, habet difficultatem. multi enim vouent castitatem vel Religionis ingressum, non præcogitantes difficultates obuenturas, quas si præuidissent, noluissent promittere, vt ipsimet testantur: tamen omnium iudicio manent obligati; nam debebant hæc omnia præcogitare, & iuxta monitum Saluatoris, sedere & computare sumptus, qui ad turrim euangelicam extruendam sunt necessarij. vnde si non fecerint, sibi imputent. reuerentia enim diuinæ Maiestati debita postulat, vt promissio impleatur secundùm eum sensum, eamque mentem, quam promissor reipsa habuit explicitè vel implicitè, dum promitteret; non autem secundùm eam quam habuisset, si hæc vel illa præsciuisset. Id tamen in promissionibus homini factis non est necessarium, quia hæ faciliùs reuocantur. vide infrà c.40.dub.2. *Promissio facta Deo.*

70 Resp. igitur, Faciliori modo hanc rem explicari posse, si dicamus promissionem desinere obligare, Primò, Si res promissa fiat illicita, vel inutilis, vel impossibilis. Ita Caietanus q.113.art.1. sub finem, & alij Doctores communiter. *Quibus euentis desinit obligare.*

71 Secundò, Si status rerum vel personarum ita mutetur, vt promissor secundùm iudicium prudentum non videatur illũ euentum voluisse comprehendere: quod ex conditione rei promissæ, promis-

promissionis, & promissarij dispositione, ceterisque circumstantiis iudicandum est, vt rectè Caietan. suprà. Ratio est; quia promissio non habet vim nisi ex voluntate & intentione promittentis, quam expressè vel implicitè habet dum promittit: ergo vltra hanc intētionem expressam vel prudenter interpretatam, non potest obligare. Confirmatur; quia lex, quæ absolutè lata est, non obligat in illis casibus, quos legislator expressè vel interpretatiuè voluit exceptos: atqui promissio est lex quædam particularis, quam sibi quis sponte imponit: ergo non obligabit in illis casibus, quos expressè vel tacitè ex prudentum interpretatione censetur excepisse: vt si promisisti operam tuam alteri certo tempore, & filius tuus in morbum incidat, vt non possis eum deserere, non teneris præstare promissum, vt inquit Caietanus. Si puellæ promisisti nuptias, putans esse virginem, alioquin non promissurus, & posteà constet non fuisse virginem; non teneris eam ducere; quia secundùm affectum & intentionem, quam habebas promittendo, non censeris te voluisse obligare ad implendam promissionem, si talem defectum in ea deprehenderes. Nec refert, etiamsi iuramento promissionem confirmaueris; quia iuramentum non datvim promissioni, nisi secundùm eam mentem, qua ipsa censetur facta. vnde si promissio habet tacitam conditionem siue ex Iuris interpretatione aut dispositione, siue ex mente promittentis, iuramentum accedens non tollit eam conditionem, sed solùm secundùm eam confirmat promissionem. vide infrà cap. 42. dub. 4. Nec obstat cap. Quemadmodum, de iureiurando; vbi dicitur, *Qui iurauit se ducturum aliquam in vxorem, non posse ei posteà obiicere fornicationem præcedentem*: quia intelligitur de fornicatione sibi nota, vt colligitur ex Glossa, §. Præcedentem.

72 *Sponsalia.*

73

74 *Sopitur obligatio promissionis.*

Aduertendum est, Eum, qui tempore constituto non impleuit promissum, cùm facilè posset, non solui obligatione, si posteà incidat in paupertatem; sed obligationem pro eo tempore sopiri: vnde cùm fuerit soluendo, tenebitur implere promissum. Ratio est, quia iam non est tantùm debitor ex promissione, sed ex delicto, eò quòd fuerit in mora; per quam moram fuit promissario causa damni. itaq; ratione damni, ex mora prouenientis, tenetur. in quo damno continetur & id quod promissum est, & si quid occasione promissionis non impletæ præterea incommodi incurrit.

75 *Compensatio in promissis.*

Tertiò, Desinit obligare, vel potiùs consopitur, quando duo vicissim sibi aliquid promiserunt, & alter non vult implere promissum: tunc enim alter non tenetur, sed potest vti compensatione. Nauarrus c. 11. n. 7. citato, putat id solùm esse concessum, quando posterior promissio facta est intuitu prioris, veluti in remunerationem; tunc enim si is qui prior promisit non impleat, alterum non teneri: non autem quando secunda promissio alio fine est facta. Sed verius est, siue hoc respectu, siue alio facta sit secunda promissio; si prior non impleat, alterum non teneri. Primò, Quia hæc iura & debita sunt eiusdem rationis; ergo in illis potest fieri compensatio. Secundò, Quia secundus promissor non censetur se voluisse obligare ad præstandum promissum, eo euentu quo contingeret promissarium, qui prior promiserat, fieri ingratum & fidem violare, hæc tamen ingratitudo non est sufficiens ad reuocándam donationem iam completam. etiamsi id quidam affirment, de quo infrà dubit. 14. quamuis donator possit vti compensatione occulta, tantumdem subtrahendo, quantum ille promiserat, si alia via rem promissam consequi nequit. 76

Quartò, Quando aliquid promissum est ob causam, quæ non subest: vt si promiseris, quòd putes te accepisse ab ipso aliquod beneficium, cùm non acceperis; tunc enim non teneris implere: quia est error circa causam principalem. vide infrà cap. 40. dub. 2.

Dvbitatio xi.

Quinam possint donare, qui non.

Respondeo, Eos solos donare liberè posse, qui habent dominium & administrationem, cum facultate alienandi. Qui tantùm habent dominium, non possunt donare; quia donatio pertinet ad regimen & dispositionem bonorum. Qui tantùm administrationem, non possunt, nisi secundùm mentem domini, vel in eius commodum. Qui carent facultate alienandi, non possunt, nisi prout Ius vel Superior id eis permittunt. 77

Primò igitur, Donare non potest is, qui caret rationis vsu ad id sufficiente: qui talis esse debet, qualis in contractibus, & votis.

Secundò, *Prodigus*, qui à Magistratu positus est sub curatore; quia adepta est ei administratio. vnde qui aliquid à tali acceperit, tenetur restituere.

Tertiò, *Impubes*; talis est masculus, qui nondum expleuit annum 14. & femina, quæ nondum 12. vt patet L. finali, C. Quando tutores vel curatores esse desinant, estque communis sententia Doctorum, hunc donare non posse. colligunt id ex L. finali, C. de testamento militis, vbi tribuno impuberi denegatur potestas testandi, etiam de bonis castrensibus: *eo quòd stabilem mentem nondum sit adeptus*, quæ ratio etiam locum habere videtur in donationibus. Ex illa tamen lege non videtur prohiberi donare ad causas pias, sed solùm extraneis. idem colligitur L. 2. ff. de pollicit. 78 79

Quartò, *Filiusfamilias*, etiamsi pubes sit, non potest donare sine consensu expresso vel tacito patris, nisi habeat bona castrensia, vel quasi castrensia. iuxta ea quæ dicta sunt cap. 4. dub. 3. & cap. 12. dubit. 13. Si tamen de his bonis donauerit profusè, ita vt sentiat damnum notabile, potest petere restitutionem in integrum; vt dictum est capite 17. dubit. 9. 80

Quintò, *Minor 25. annis*, si curatori subsit, donare nequit de bonis suis, quæ neque castrensia, neque quasi castrensia sunt, absque consensu expresso vel tacito, vel debito sui curatoris. censetur autem consensus eius tacitus vel certè debitus, vt possit donare & expendere pro sua conditione & facultate, prout aliis paris conditionis passim permitti solet: qua in re spectandus est natalium splendor, magnitudo patrimonij, causa donandi, & mos receptus, vt rectè Sarmiento 1. parte de redditibus, cap. 2. num. 5. Si profusè donet vel expendat, peccat; quia contra præscriptum eius, cui tenetur obedire. Rarò tamen ob hanc causam erit peccatum mortale; quia nemini fit iniuria. Vnde illi, quibus donatio est facta, non videntur teneri ad restitutionem, donec donatum à curatore repetatur, vel ipse donator petat restitutionem in inte- 81 *Profusa donatio minoris.*

integrum, vt docet Molina disp.224.261.& 277.

Sextò, *Vxor* non potest donare absq; consensu mariti, nisi prout explicatum est cap.12. dub.14.

82 Septimò, *Ecclesiastici* non possunt de iis, quæ ex fructibus beneficiorum decenti sustentationi supersunt, donare ad vsus profanos: alioquin peccant mortiferè, si summa est magna: nisi fortè id faciant cum animo ex aliis, quorũ liberam habent dispositionem, tantumdem in causas pias refundendi. Est communis sententia DD. vt ostensum est c.4. dub.6. qui tamen acceperint, non tenentur ad restitutionem, iuxta probabilem multorum DD. sententiam. quamuis contrarium quoq; non minùs videatur probabile, vt ibidem dictum.

83 Octauò, *Superiores Regularium* non possunt
Regulares. donare ad vsus profanos (v.g. ad locupletandos suos consanguineos;) & qui acceperint, tenentur ad restitutionem. Ratio est; quia non sunt domini bonorum Monasterij, sed tantùm administratores: ergo non possunt ea conferre quibus voluerint: sed tenentur in illis tractandis leges boni administratoris & œconomi seruare, & secundùm præscriptum & intentionem Ecclesiæ impendere. Confirmatur, quia Conuentus, qui est dominus istorum bonorum, non consentit in tales donationes; imò nec potest consentire, eò quòd per Canones hæc potestas sit illi adempta, qui non permittunt donationes, nisi ad pias causas. etsi enim
84 Conuentus habeat dominium istorum bonorum, tamen hoc dominium per votum in paupertatis & Ecclesiæ constitutiones est restrictum & limitatum ad pios vsus: & subest dispositioni Summi Pontificis, qui est supremus istorum bonorum administrator. Vnde Prælati Regularium, qui solùm sunt administratores subordinati, non possunt ab eo præscripto recedere. Vide Constitutionem Clementis VIII. contra profanas Regularium largitiones editam: & Nauarrum comment.2.de Regular.num.9.& sequentibus.

85 Nonò, Subditi Regulares non possunt donare, ne quidem ad causas pias, nisi ex consensu Prælatorum expresso vel tacito. vnde qui versantur extra Monasterium in studiis, possunt facere eleëmosynas, aliasque expensas minutas, quas vsus receptus habet: quia censetur Superioris adesse consensus, nisi constet de contrario; nullo tamen
Ad res illicitas. modo ad res illicitas, v.g. ad turpes voluptates. & quod hoc modo acceptum fuerit, est restituendum; quia non potuit transferri ob eam causam dominium; nec valet ad hoc consensus Superioris. vide Siluest. Religio. 6. q.7. dicto 2. & suprà cap.4. dub.5.& infrà cap.41.dub.9.

Dvbitatio xii.

Vtrùm donatio inter coniuges, & inter liberos & parentes sit valida.

86 Dico Primò, Donationes coniugum inter se,
Donationes inter coniuges sunt inualidæ. Iure communi sunt inualidæ, ita vt ad arbitrium donantis sint reuocabiles, exceptis quibusdam casibus. est communis sententia DD. ex L.32. Cùm hic status. ff. de donat. inter virum & vxorem, & cap. fin. eodẽ tit. Hoc autem ideò Iure statutum est, ne coniuges mutuo amore se bonis suis spoliarent. Itaque etiamsi maritus aliquid dederit vxori, potest tamen illud vendere, & pretium in commune conferre; per hoc enim tacitè donatio reuocata censetur. Alij contractus inter coniuges valent, vt venditio, mutuum, permutatio. L.5. Si sponsus. ff. de donat. inter vir. & vxor.

Notandum tamen est Primò, Donationes duo- 87
bus modis confirmari, Primò, Morte donantis, *Confirmatur dupliciter.*
modò hæc præcedat mortem donatarij; sicut legatum & donatum causa mortis confirmatur morte, vt patet ex d.L. Cùm hic status. vt tamen morte confirmetur, requiritur vt res ante mortem fuerit aliquo modo tradita, ita vt donatarius eius possessionem aliqua ratione acceperit, vt docet Couarruuias Rubr. de testamentis p.3. num.3. & Gomezius tom.2. c.4. n.23. secuta autem morte, retrotrahitur confirmatio vsque ad tempus traditionis, ita vt omnes fructus ab illo tempore collecti cedant donatario. vt ibidem docet num.7. & Iulius Clarus lib.4.§.Donatio.p.9.num.7.

Dixi, *Si mors donatoris præcedat*; nam si mors donatarij præcedat, irrita erit donatio, vt patet ex d. L. Cùm hic status. ff. suprà.

Secundò, Confirmatur iuramento, vt si con- 88
iunx iuret se eam non reuocaturum. vt patet ex dictis suprà dub.4.& c.17.dub.7.

Notandum Secundò, Esse quosdam casus, quibus hæc donatio statim valet, neque expectanda est mors donatoris. de quibus Siluester v. Donatio 2.quæst.4.

Primus est, Si Imperator donet Augustæ, vel 89
contrà. L.26.C. de donat. inter vir. & vx. Idem di- *Statim valet in hisce euentis.*
cendum de quouis Principe supremo, eiusq; vxore. Ratio est, quia Iure naturæ valet; lege autem positiua non redduntur inhabiles, vel certè Princeps dispensat. vnde in illorum contractibus non requiruntur solemnitates Iure ciuili præscriptæ.

Secundus, Si coniunx coniugi det ad instaurationem ædium succensarum. L.14.ff.eodem.

Tertius, Si donans ex donatione non fiat pauperior, id est, si nihil ei detrahatur ex bonis vel iuribus iam quæsitis, vt benè explicat Gomez to.2. cap.4. n.23. & 24. vt si maritus repudiet hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum sibi delatum & nondum acceptatum, & perueniat ad vxorem, statim valet. d.L. Si spõsus. §. Si maritus. ff. de donat. inter vir. & vxor. Hoc tamen intellige, si vxor aliàs erat successura, vt quia erat marito substituta, vel quia ab intestato debebat succedere, vt rectè notat Gomezius suprà. Tunc enim non accipit immediatè à marito, sed iure proprio, quod habebat marito non acceptante. alioquin si ipsa nullum ius habebat, & maritus repudiet in fauorem vxoris, erit potiùs cessio quàm repudiatio; nam ipsa immediatè ius à marito accipiet. atqui cessio talis in fauorem vxoris non valet, quia continet tacitam acceptationem naturæ priorem: hoc ipso enim quo cedit alteri, censetur tacitè & naturæ priùs adiisse, seu acceptasse, vt apertè colligitur L. Si auia. C. de iure deliberandi. Similiter non valet, si mihi donatum iubeam dari vxori; quia hoc ipso quo id mando, supponitur me tacitè acceptasse: idem enim operatur tacitum quod expressum, vt colligitur L.1. ff. de rebus eorum qui sub tut. vbi dicitur, si minor emat prædium, obligans illud pignori donec soluat integrè pretium, obligationem non valere: quia hoc ipso quo dominium quæsitum est minori, incipit non posse obligari. censetur autem quæsitum tacitè, & priùs natura quàm possit oppignerari. *Repudiatio hereditatis, legati.*

Dices,

Dices, Legatarius rei certæ statim per mortem legantis acquirit dominium legati; nam vt habetur L. A Titio. 64. ff. de furtis, *Ea quæ legantur, recta via ab eo qui legauit, ad eum cui legata sunt, transeunt.* Vbi Bartolus dicit hoc dominium transire fictè à die mortis, verè à die aditæ hereditatis. ergo repudiatio talis legati est alienatio & donatio; ac proinde non valet.

Respond. negando conseq. Quia hoc dominium non est omnino perfectum & absolutum ante acceptationem; sed habet hanc imperfectionem quòd sit repudiabile: adeò vt si repudietur, retrotrahatur repudiatio; & fingitur numquam acquisitum; vt expressè habetur L. 1. ff. Si quid in fraudē patroni, vbi dicitur; *Quamuis legatum retrò nostrum sit, nisi repudietur; attamen cùm repudiatur, retrò nostrū non fuisse palam est.* Idem cernitur in hereditate respectu heredis sui. hic enim statim accipit dominium hereditatis absque aditione (vnde & ad suos heredes transmittit) sed reuocabiliter, ita vt possit repudiare; vt constat L. apud hostes. C. de suis & legit. heredibus. L. Si fratris. C. de iure deliber. Vide Gomezium tom. 1. c. 9. n. 7. & 20. Valet igitur in supradictis casibus repudiatio, etiamsi bona omnia repudiantis sint hypothecata, aut fisco iure addicta ob crimen; aut quamuis fiat in fraudem creditorum, quibus potuisset soluere, si non repudiasset. quo postremo casu etsi Gomezius to. 2. c. 4. n. 22. putet illum licitè id posse facere: credo tamē peccare contra iustitiam. Eadem enim virtute obligamur ad finem & ad media necessaria. atqui ille debitor obligatur ad finem, nimirum solutionem: ergo ad acceptationem hereditatis, quæ hîc & nunc est medium necessarium. nihilominùs repudiatio est valida.

Quartus, Si donatarius non fiat ditior: vt si maritus det vxori ad fucos, & vnguenta, ad dandas eleëmosynas. Denique si ipsa ita expendat, vt locupletior non fiat. L. 7. ff. eodem. quamdiu tamen inde aliquid extat non expensum, potest id repeti.

Quintus, Si alter det alteri vt aliquam dignitatem assequatur, v. g. vt fiat Doctor. L. 40. Quod adipiscendæ. ff. eodem.

Sextus, Si fiat causa remunerationis, vt si maritus senex donet vxori iuueni: vel ignobilis nobili, statim valet, vt ex communi sententia docet Gomezius n. 23. quia potiùs est remuneratio, quam rependit pro nobilitate, vel iuuenili flore coniugis, quàm simplex donatio. colligitur ex d. L. 7. Quod autem. §. Si vir. ff. eodem. Idem dicendum, si maritus ex certa scientia fateatur se dotem accepisse, quam non accepit. censetur enim eam donare vxori in remunerationem.

90 *Patris in filium.* Dico Secundo, Donatio patris in filium nondum emancipatum est inualida, ita vt pro arbitrio patris reuocari possit, L. 2. C. de inoffic. donat. & L. Cùm de bonis. 11. C. de donat. & alibi. confirmatur tamen tum morte donātis; (si res anteà fuerit tradita) tum iuramento, sicut donatio inter coniuges; vt habet communis sententia DD. Ratio, cur Iura voluerint esse inualidā, est, quia quamdiu filius est sub potestate patris, censetur veluti vna persona ciuilis cum patre, & ita videtur pater sibi donare confirmatur tamen morte, quia tunc filius desinit esse in potestate patris. Hinc infert Gomezius suprà n. 25. Primò, Valere donationem patris in filium emancipatum, quia in hunc cessat patria potestas. Secundò, Donationem matris in filium esse validam, quia filius non est in potestate matris, sed patris. Tertiò, Donationem patris in filium naturalem illegitimum valere, quia Iure Cæsareo non est sub patria potestate. Quartò, Validam esse donationem filij in patrem & matrem, si det de castrensibus vel quasi castrensibus.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus donatio patris in filium sub patria potestate constitutum statim valet. Primò, Si aliquid detur in dotem, vel ad matrimonium. Secundò, Cùm donat bona mobilia proficiscenti ad bellum. Tertiò, Si professuro aliquam disciplinam libros donet; hæc enim duo genera efficiuntur statim castrensia, vel quasi castrensia bona. Quartò, Si vsumfructum, quem habet in bonis aduentitiis filij, condonet filio. Quintò, Si in remunerationem obsequiorum. Denique in omnibus pænè casibus, in quibus donatio inter coniuges valet statim, valet etiam parentis in filium, teste Nauarro c. 17. n. 147. quem vide ibidem cum Siluestro Donatio 2. q. 7. 91 *Valet in his casibus.*

Aduerte tamen, In his omnibus, si donatio excedat illam quantitatem, de qua parens potest liberè disponere, eam secundùm hunc excessum reuocari, ne legitimæ aliarum prolium officiat. 92

Dvbitatio XIII.

Quantum possit quis validè donare.

Resp. & Dico Primò, Donatio, qua quis donat alicui omnia sua bona tam futura quàm præsentia, iure communi est inualida est communis sententia DD. ex L. Stipulatio hoc modo. 61. ff. de verb. oblig. vt docet Clarus q. 19. n. 1. & Couar Rub. de testamentis, p. 2. nu. 8 & l. 3. var. c. 12. Ratio est; quia per hanc donationem homo aufert sibi potestatem testandi: quod leges improbant, tamquam contra bonos mores, quos in Reipub. benè instituta esse decet. 93 *Donatio omnium bonorum.*

Vnde sequitur, Validam fore donationem omnium bonorum præsentium; quia non adimit sibi potestatem testandi de futuris, vt rectè infert Clarus n. 2. & Couar. l. 3. variar. c. 12. n. 4. Similiter si donator reseruet sibi aliquid ex bonis suis, vel saltem vsumfructum, vt idem Clarus nu. 8. & 9. quia de hoc testari poterit. Denique si donet omnia bona sua præsentia & futura, donatione causa mortis, (sicut sæpè fit inter coniuges, cùm paciscūtur vt superstes habeat omnia) valebit donatio, quia hæc donatio non aufert potestatem testandi. potest enim donator, non obstante tali donatione, alium heredem instituere; qui etsi teneatur posteà donatario dare iuxta conuenta in donatione, tamen potest detrahere Falcidiam (vt inquit Clarus n. 7.) id est, quartam partem, eamq; sibi retinere. 94

Notandum tamē est, Esse duos casus, in quibus donatio inter viuos omnium bonorum præsentium & futurorum valet. Prior est, si fiat Ecclesiæ, vel in aliquam piam causam. Ita Clarus q. 20. n. 3. & Couar. Rub. de testamentis, p. 2. nu. 13. vbi citat multos, qui dicunt hanc communem esse DD. sententiam. Probatur Primò, Quia talis donatio non potest censeri contra bonos mores. si enim possum personam meam tradere Ecclesiæ vel Monasterio, cur non etiam omnia bona? Secundò, quia Ius ciuile non potest impedire officia pietatis & consilia Euangelica: atqui talis donatio est officium pietatis & consilium Christi: ergo. 95 *Donatio omnium bonorum ad causam piam.*

96 *Si iuramẽto confirmetur, valet.*

Posterior est, Si iuramento confirmetur. Ita Couarr.num. 14. etsi plerique Iurisperiti contrarium sentiant. sed illorum ratio est infirma: non enim donatio omnium bonorum est contra bonos mores, sicut id quod est illicitum, sed solùm quia expedit in Repub. passim esse libertatem testandi. quare cùm absque vllo peccato possit quis omnia sua donare; si iuramento promittat se non reuocaturum, valet donatio, vt apertè colligitur ex capite, Quamuis pactum. de pactis, in Sexto.

97

Dico Secundò, Potest quis validè donare vsque ad 500. solidos: vltra verò hanc summam donatio est inualida, quoad excessum; nisi fiat cum insinuatione. Habetur expressè L. penul. C. de donationibus, sub finem. quod ideò statutum est, ne homines, metu vel fraude, vel inconsulta temeritate impulsi, se donationibus exhaurirent. valent autem 500. solidi, teste Claro q. 15. n. 1. scutis Hi- *Insinuatio.* spanicis 700. vel, vt alij volunt, 750. *Insinuatio* hęc, est simplex suæ mentis declaratio, qua quis declarat Iudici, se liberè donare huic tantum vel tantum. nec requiritur causæ cognitio, vel facultas à Iudice, sed sufficit eius præsentia, vt docet Clarus num. 5. Iudicis autem est inquirere, an donatio sit omnino libera, an coacta.

Hinc sequitur Primò, Si quis donet pluribus, & excedat prædictam summam, donationem quoad excessum esse inualidã; modò donatio illa simul, & quasi vno animi impetu fiat. detrahendũ autem tunc singulis secundùm proportionem. Si tamen diuersis temporibus, animiq; motibus fiat, erit valida, vt patet ex L. Sancimus. 34. C. de donat. §. 4.

98 *Debitorum condonatio.*

Secundò, Si quis debitum aliquod liquidum, hanc summam excedens, remittat, inualidam esse remissionem; quia remissio est instar donationis. Ita Clarus q. 16. num. 2.

99 *Potest retineri donec repetatur.*

Aduerte tamen, Eum, cui vltra hanc summam donatum est, posse retinere, nisi à donatore vel eius heredibus repetatur; quia leges non intendunt obligare donatarios, vt sponte restituant, (hoc enim non pertinebat ad bonum commune) sed vt restituant, si donator vel eius heredes velint. non enim reddunt donatarium inhabilem, sed tribuunt donatori potestatem pro arbitrio repetendi. quamdiu ergo non repetit, possunt retinere. scienti enim & volenti non fit iniuria. Nec refert, etiamsi donator ignoret se posse repetere; quia donatarius non tenetur id illi dicere cum suo incommodo; sed potest retinere rem, donec aliunde resciscat & repetat.

100 *In quibus euentis sit valida absque insinuatione.*

Excipiuntur tamen aliquot euentus, quibus donatio absque insinuatione est valida, etiamsi 500. solidos excedat. Primò, Si iuramento confirmetur. ita Clarus q. 18. qui dicit, vtramq; scholã, tam Legistarum quàm Canonistarum, ita sentire hoc tempore; etsi olim plurimi contrarium senserint. Ratio est euidẽs; quia donare supra illã summam nullo Iure est prohibitum; ergo si iuramento confirmetur, est omnino seruandum: patet consec. ex cap. Quamuis pactum. 2. de pactis, in Sexto. vide suprà Dub. 4. & cap. 17. Dubit. 7. Secundò, Si donatio fiat ad redemptionem captiuorum. Tertiò, Si ad reparationem ædium, incendio vel ruina destructarum. Quartò, Cùm magister militum dat militi mobilia, quantumuis ea sint ma- 101 gni pretij. Hæ tres exceptiones ponuntur L. pænultim. C. de donationibus. Quintò, Quando donatio est remuneratoria obsequiorum vel beneficiorũ. Ita Clarus q. 16. n. 6. ex L. Aquilius 27. π. de donationibus. Sextò, Cùm quis renuntiat bonis vel iuribus speratis nondum obtentis; vt si filius vel filia renuntiet hereditati vel legato, quod sperat ratione substitutionis. Ita Gomezius c. 4. n. 10. quiuis enim potest renuntiare iuri, quod illi offertur eo modo, vt dependeat ab ipsius arbitrio acceptare vel recusare. Sed hìc propriè non est donatio; quia non datur aliquid quod sit suum, sed recusatur alienum quod futurum erat suum.

Sed difficultas est, Vtrùm donatio ad pias causas sit inualida, si fiat absque insinuatione, supra dictam summam.

Resp. Absolutè validam esse talem donationem 102 in vtroque foro, vt docet Iulius Clarus q. 17. vbi *Donatio ad pias causas sine insinuatione.* dicit hanc sententiam esse communem. Siluest. v. Donatio 1. q. 4. & Angelus Donatio 1. n. 20. Tabiena ibid. n. 14. etsi Gomezius suprà n. 10. contrarium sentiat. Probatur Primò, Quia etsi fortè Ius ciuile non permittat nisi 500. solidos validè donari: tamen hoc non est seruandum in præiudicium piarum causarum, vt rectè ait Clarus. Ratio est, quia Principes sæculares non possunt ali- *Potestas Principis sæcularis.* quid statuere in præiudicium bonorum operum & salutis animarum. solùm enim ita possunt gubernare Remp. ad tranquillitatem temporalem, vt ea gubernatio non impediat studium pietatis & media ad finem supernaturalem; sed potiùs subseruiat & iuuet: atqui si talis insinuatio esset necessaria in causis piis, sæpè bona opera impedirentur; idque cum magno boni spiritualis damno.

Secundò, Capite Relatum. 1. de testamentis, Pontifex decernit, *ne pro legatis ad pias causas requiratur solemnitas septem vel quinq; testium Iure ciuili definita, sed sufficiant duo vel tres, sicut Iure gentium satis est.* Vnde Panorm. ibid. n. 4. deducit, donationem ad pias causas valere absque insinuatione, in quantauis magna summa, quidquid Leges ea de re disponant; addens se ita sæpè respondisse. si enim Pontifex sustulit illum numerum testium, ne pia legata impediantur; quis dubiter, quin eius mens sit, ne donationes piæ implicentur, aut circumscribantur legibus insinuationis, sed vt omnino liberum & expeditum relinquatur earum exercitium?

Tertiò, Si Imperator in fauorem militiæ liberas reliquit largitiones Ducum in milites; quantò magis idem priuilegium debetur donationibus piis in fauorem diuini cultus, salutis animarum, & sustentationis pauperum?

Quartò, Donatio quantumuis magna, ad redẽptionem captiuorum est valida; cur non etiam ad alias causas non minùs Deo gratas & salutares?

Dvbitatio xiv.

Quibus euentis donatio possit reuocari.

SVppono duplicem esse donationem, *inter vi-* 103 *uos, & mortis causã. Donatio inter viuos* est, *Duplex donatio.* cùm quis sic donat, vt etiam se viuo velit rem absolutè esse alterius. *Donatio mortis causa* est, cùm sic donat, vt rem non velit absolutè & irreuocabiliter esse alterius, nisi post suam mortem; vt si dicam, Dono tibi hanc rem post mortem meam, vel cùm moriar, vel quia timeo nunc mori. vide Siluestrum v. Donatio 1. num. 1. & Gomezium num. 19. Nunc

Dico

104 *Donatio inter viuos reuocatur tripliciter.*

Dico Primò, Donatio inter viuos, etiamsi sit acceptata, & res sit tradita, generatim triplici ex causa potest reuocari. Primò, Ob ingratitudinem donatarij. Secundò, Ob prolem susceptam. Tertiò, Si sit inofficiosa. Ita Iulius Clarus q.21.nu.1. Gomezius tom.2. cap.4.num.11.

Ratione ingratitudinis.

Primò, *Ratione ingratitudinis.* huius ponuntur quinque casus: L.fin.C. de reuocandis donat. Primus est, Si donatarius iniurias atroces in donatorem effuderit. Secundus, Si manus impias intulerit. Tertius, Si iacturam non leuem bonis eius attulerit. Quartus, Si periculum vitæ ei intulerit. Quintus, Si conditionem donationi appositam non impleuerit. His addunt DD. Sextum, Si inopia pressum non aluerit. quod est notandum pro simplicibus, qui omnia donãt suis liberis, & posteà negliguntur, vt rectè Siluest. Donat.1. nu.17. Idem docet Clarus nu.3. & Gomezius nu.14.

105 Notanda tamen hìc sunt tria: Primum est, Hæc non habere locum, quando donatio est ob causam; vt propter obsequia, quæ eam merebantur. neque in donatione facta Ecclesiæ vel Monasterio; quia censetur facta Deo & ob grauem causam, vt notat Clarus.

106 *Non tenetur ante sententiam.*

Secundum est, Donatarium non teneri ad restitutionem ante sententiam; quia est pœna, vt apertè colligitur ex L.citata. vnde debet interponi querela, & ingratitudo probari. Si tamen res nondum sit tradita, potest non tradere, & petentem, exceptione ingratitudinis repellere: cui enim datur repetitio post solutionem seu traditionem, datur exceptio ante traditionem, vt non teneatur soluere, vt suprà cap.17.n.68. ostensum est. Quòd si re tradita, donatarius per iniuriam impediat querelam; potest donator via compensationis occultè sibi consulere; quia per iniuriam patitur damnum.

107 *Quando heredes possint reuocare.*

Tertium est, Si donator non reuocauit in vita ob hanc causam, nec heredes eius posse. Ita expressè habetur d. L. fin. C. de reuocand. donat. quod intellige, nisi fortè donator per ignorantiam ingratitudinis in se commissæ, eam non reuocauerit; tunc enim heredes eam reuocare possunt; sicut etiam possunt alium heredem ab hereditate repellere, vt docet Gomezius suprà n.14. Silu. Donatio 1.n.18. Ratio est, quia etsi ignoretur ingratitudo, tamen tacitè censetur reuocata donatio, hereditas, legatum & fideicommissum factum ingrato; vnde heredes donatoris possunt eam reuocationem post mortem eius exequi, etiam contra heredes eius, qui ingratus extitit.

108 *Ratione prolis.*

Secundò, Reuocatur ratione prolis susceptæ; vt si quis prole carens, magnam partem bonorum suorum donauit, & posteà nascatur ei proles. L.Si vmquam 8.C. de reuocandis donat. Ratio est, quia præsumitur fuisse facta sub tacita conditione, nisi nascerentur ei liberi. Et quidem si donatio facta sit extraneo, reuocatur tota; si facta sit alicui ascendentium, v.g. patri vel auo, reuocatur solùm quoad legitimas filiorum posteà susceptorum, iuxta Gomezium. Idem dicendum si donatio facta sit Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam; solùm enim reuocatur, quantum necesse est vt filij, qui pòst nascuntur, habeant legitimam. vt communiter docent DD. vide Gomezium num.11. & Clarum q.32.n.2. Silu. Donatio 1.n.22. Probatur Primò, Quia quod datum est priori filio, non reuocatur nisi quoad legitimas aliorum pòst susceptorum; atqui Ecclesia est instar filij, vt Panormitanus & alij docẽt, Secundò, Quod datur in piam causam, datur propter salutem animæ, cuius causa non est minùs fauorabilis, quàm causa filiorum, vt colligitur Authent. Si qua mulier. C. de de Sacrosc. Eccles. Interdum tamen expedit ad ædificationem populi, vt id quod Ecclesiæ vel Monasterio datum est ante liberos natos, Prælatus, iis posteà susceptis, totum restituat; sicut fecit Aurelius Carthaginensis Episcopus, vt refertur cap.fin.17.q.4. ex D. August. Serm.52. ad Fratres in eremo.

Donatio ad piam causam quousque reuocetur.

110 *Debet repeti.*

Notandum tamen Primò, Donatarium non teneri ad restitutionem, donec donatum repetatur: quamdiu enim non repetitur, potest præsumere donatorem non cupere restitutionem, & cedere suo iure.

Si renuntiet priuilegio.

Secundò, Si donator expressè & in specie renuntiet priuilegio legis *Si vmquam*, dum donat, non posse reuocare dum viuit, etsi ei nascantur liberi; poterunt tamen liberi post eius mortem reuocare, quatenus fuit eis inofficiosa; id est, quatenus legitimam eorum læsit; quia renuntiatio patris non potest tollere ius filiorum, quod post mortem patris habent ad suas legitimas. vide Clarum q.22.num 4.

111 *Si iuramẽto confirmauit.*

Tertiò, Si iurauit, se non reuocaturum donationem, nihilominùs potest reuocare suscepta prole. Ratio est, quia hoc iuramentum non excludit tacitam conditionem, quæ ex Iuris dispositione inest illi donationi. vnde ille tantùm censetur iurare se non reuocaturum, sub hac conditione, si nati ei non fuerint liberi. Ita Iulius Clarus q.23. num.1. Gomezius nu.11. & alij. si tamen ille expressè excluderet illam conditionem, velletque donationem valere, etiamsi filij nascerentur, eamque iuramento confirmaret; non posset eam reuocare, vt idem Clarus q.22.num.4. docet. Ratio est, quia quando iuratur id quod non est malum, iuramentum est seruandum, vt suprà c.17.Dub.7. ostensum est. Atqui non reuocare talem donationem, non est malum. ergo, &c. poterunt tamen liberi eam reuocare post mortem patris, ob rationem paulò antè allatam.

112 *Ratione inofficiosi.*

Tertiò, Reuocatur si sit inofficiosa, id est, si sit contra officium pietatis paternæ in filios; vt cùm tantum donat, vt filij priuentur sua portione legitima, L.1. & seq. C. de inofficiosa donat. Primò, Si facta est alicui ex filiis, reuocatur solùm vsque ad legitimam aliorum. L.5. & 8. C. eodem. Secundò, Si facta est extraneo, animo fraudandi liberos, reuocatur tota. si tamen aliquid liberis relictum est, probabile est non reuocari, nisi quoad legitimas filiorum; idq; tenent plurimi DD. cum Bartolo & Panorm quos citat Couar. lib.1. variar. cap.19. versus finem. Idem tenet Clarus qu.24. num.4. Tertiò, Si non eo animo facta est, reuocatur solùm quoad legitimas filiorum. vide Couar. suprà, Gomezium n.13. Clarum q.24. Quartò, Si facta est Ecclesiæ vel piæ causæ, solùm reuocatur vsque ad portiones legitimas filiorum, vt docet Iason consil.141. & Decius consil.247. quia Ecclesia est instar filij, & donatio est facta in fauorem animæ. Imò secundùm Nauarrum, possunt parentes minuere legitimas filiorum, tum per contractus onerosos, tum etiam per donationes remuneratorias, & ad causas pias. quia donatio talis non est vera donatio, sed donatio ob causam. ita Nauar.cap.26.num.39. ex Alberico: nec vllo Iure contrarium probari potest.

113 *Quando reuocetur, si parens habet liberos.*

Circa prædicta duo sunt Notanda: Primò, Donationem inofficiosam, quam parens liberos habens fecit, non reuocari, nisi post mortem parentis; nam tunc primùm debetur filiis sua legitima; ac proinde tunc primùm incipit donatio illa cedere in filiorum præiudicium.

Secundò, Donationem inofficiosam, etsi valida sit vsque ad mortem donantis, tamen non fieri sine peccato; quia fit in damnum liberorum, quod post mortem donantis sentient. vnde etsi quis promittat aliquid inofficiosè, eamque promissionem iuramento confirmet, non tamen tenetur implere; quia sine peccato implere nequit, vt colligitur ex multis Inribus, C. de inofficiosis donat.

114 *Donatio mortis causa reuocatur tripliciter.*

Dico Secundò, Donatio, quæ mortis causa facta est, reuocari potest ob tres causas. Primò, Si pœniteat donatorem. sicut enim testamentum & legatum, vsque ad mortem pro arbitrio testatoris reuocari potest; ita etiam donatio, quæ mortis causa fit. Nec refert, vtrùm expressè pœniteat, an implicitè; vt si rem illam alteri donet. colligitur L. Qui mortis causa. 30. ff. de mortis causa donat.

115 Secundò, Si donator dedit intuitu alicuius periculi instantis, ex quo metuit mortem incurrere; hoc ipso, quo periculum euaserit, censetur tacitè reuocata donatio. vt si quis det in graui morbo, vel instante prælio, vt patet L. 3. & sequentibus. ff. de mortis causa donationibus: vide Gomezium num. 19.

116 *Promissio & donatio inter viuos non extinguitur.*

Tertiò, Si donatarius moriatur ante donatorem; ipso iure est reuocata. idem vsu venit in testamentis & legatis. Secùs est in promissione & donatione inter viuos, quæ non extinguitur morte donatarij, si sit acceptata, sed transit ad heredes; quamuis sit donatio conditionata, vel in diem. Quòd si donator in donatione promittat se eam non reuocaturum, transit in donationem inter viuos, vt docet Gomezius numer. 19. & alij. de quo vide etiam Couarr. Rubr. de testam. p. 2. num. 37. & sequentibus.

Dvbitatio XV.

Vtrùm promissio vel donatio conditionalis sit valida, & quam vim habeant conditiones appositæ.

117 *Præsentis, præteriti, & certò futuri.*

Respondeo & Dico Primò, Conditio præsentis vel præteriti, addita donationi, vel alteri dispositioni, non suspendit eam; sed si conditio existit, valet dispositio; si non existit, non valet, etiamsi ignoretur: vt, Do tibi hanc vestem, si fuisti Romæ, si es meus cognatus. habetur L. Cùm ad præsens. 37. & 2. sequent. ff. Si certum petetur. & L. Conditio in præteritum. 100. ff. de verb. obligat. Idem dicendum si conditio est de eo, quod necessariò vel omnino certò futurum est; quia quòd hoc futurum sit, iam in præsenti est verum, ac proinde conditio censetur præsens. futuritio enim (vt sic loquar) iam inest rei: vt, Promitto, do, vendo tibi, si es moriturus, si iudicium est futurum, L. Si pupillus. 9. ff. de nouat. estque communis sententia DD. vt testatur Gomezius c. 12. de legatis, num. 63.

118 Dico Secundò, Conditio futuri incerti suspendit donationem & alias dispositiones, vsque ad euentum conditionis; v. g. Promitto tibi 100. si nubas, vel si fias sacerdos. Ratio est, quia ante euentum conditionis non potest certò constare an extabit. vnde qui ita donat, non intendit vt illud fiat donatarij, nisi conditio euenerit. Gomezius suprà num. 64. *Conditio futuri incerti.*

Aduerte tamen, Ex huiusmodi promissione vel donatione acceptata, statim nasci obligationem in donatore, & ius in donatario, (pendens tamen à futuro quoad sui impletionem) quod non potest reuocari à donatore, nisi in casibus Dub. 14. positis, nec nouo aliquo onere grauari inuito donatario, vt rectè Siluest. Donatio 1. q. 15. *Inducit obligationem pendentem.*

119 Nec obstat, quòd donatio mortis causa possit reuocari; quia ex dispositione Iuris habet hanc tacitam conditionem, vt valeat si non reuocetur. d. L. Qui mortis causa. ff. de mort. causa donat.

Dico Tertiò, Si conditio, sub qua donatio facta est, suo tempore impleta non fuerit, donatio non obligat, sed in irritum recidit. Idem dicendum de quauis alia dispositione, sub conditione futuri facta. Ratio est; quia dispositio pendens ex 120 hominis libertate, non habet maiorem vim obligandi, nec aliter obligare potest, quàm disponens intendit: atqui non intendit se obligare conditione non impleta: ergo.

121 *Conditio impossibilis irritum reddit contractum.*

Dico Quartò, Conditio impossibilis non suspendit; sed irritam reddit donationem, & quemuis alium contractum, ita vt nulla ex eo oriatur obligatio, nec ei possit accedere fideiussor. (non loquor modò de contractu matrimonij, & dispositione vltimæ voluntatis.) Ita Gomez. tractatu de legatis tomo 1. c. 12. n. 67. colligitur ex L. Impossibiles. 7. ff. de verborum obligat. & L. Non solùm. 31. ff. de actionibus & obligat. Vbi etiam ratio insinuatur; *quia omnium ea cogitatio est, vt nihil agi existiment apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem*. est enim talis conditio signum dissensus, nisi aliunde præsumatur ioco adiecta.

Notandum est, Conditionem dici dupliciter *impossibilem*, reipsa, & Iure. *Reipsa impossibilis* est, quæ fieri nequit, siue id ex natura rei proueniat, vt, Si lunam detraxeris; siue ex impotentia illius, cui imponitur, vt, Si pauper millionè aureorum dederis. *Reipsa impossibilis.*

Iure impossibilis dicitur, quæ stante Iure eoque inuiolato fieri nequit; vt est omnis conditio turpis peccatum continens. Item quæ nihil boni in se continet, & alicui bono est impedimento. qualis olim apud ethnicos erat conditio non nubendi. Item, si eleëmosynam non dederis; si amicitiam illius deseruieris, &c. Igitur si conditio sit priore modo impossibilis, irritum reddit contractum, siue sit de futuro, siue de præsenti vel præterito; quia talis conditio est signum non adesse consensum serium in contractum, sed dissensum potiùs. dum enim consensus dispenditur ab eo, quod est impossibile; sicut hoc eo tempore, in quod refertur, non extat, ita nec consensus absolutus extat. Vnde etiam non refert, vtrùm putetur possibilis an impossibilis. Si enim putatur impossibilis, signum est, ab initio deesse serium consensum, & ita nihil agitur. Si possibilis, adest quidem serius consensus, sed seriò suspenditur à conditione, quæ numquam extitit nec extabit, & ita expectandus est euentus, donec sciant esse impossibilem. simul autem atque id rescisciunt, cessat omnis obligatio, quæ esse poterat ratione conscientiæ errantis, quamdiù putabatur possibilis. nam ex parte rei nulla *Iure impossibilis.*

nulla ab initio subfuit obligatio, cùm conditio ab initio fuerit determinata ad non esse.

Conditio iure impossib. irritum reddit contractum de futuro.

Si secundo modo dicatur impossibilis, nimirum quia turpis, non irritat contractum, nisi sit conditio de futuro, non autem si de præsenti vel præterito. Ratio est; quia quando est de futuro, obstringeret vel alliceret alterum directè ad peccatum; atqui nemo potest obligari ad seruandam promissionem, qua alius obstringatur vel alliciatur ad peccatum. hoc enim contradictionem implicat. v.g. promitto vel do tibi 100. si illum occideris: vendo tibi meam domum, si fœnus in ea exercere velis. Itaque ante conditionem impletam, omnes huiusmodi promissiones & donationes sunt nullius momenti. Impleta tamen conditione obligant; quia non amplius ad peccatum obstringunt. & alias potest opera alterius, omnibus spectatis, tanti æstimari; de quo vide suprà Dubit. 3. Vnde etiamsi talis conditio sit de præterito vel præsenti, non infirmat promissionem, quia ad peccatum non allicit.

122 *Excipitur contractus matrimonij in foro externo.*

Excepi *contractum matrimonij*, propter caput finale, de conditionibus appositis. Vbi Gregorius IX. statuit, *conditiones impossibiles & turpes, contractui matrimonij adiectas, debere propter eius fauorem pro non adiectis haberi; ac proinde non irritare contractum: exceptis ijs, quæ sunt contra substantiam coniugij*. de qua constitutione, etsi ea ad tractatum matrimonij pertineat, hîc etiam aliquid dicendum. Difficile enim est intelligere, quomodo conditio impossibilis possit haberi pro non adiecta in contractu matrimonij, cùm sit potiùs signum, consensum deesse, quàm adesse; & Ecclesia non possit defectum consensus in matrimonio supplere. Item quomodo conditio turpis non irritet potiùs contractum, cùm alliciat ad peccatum, & etiam suspendat sæpè consensum in futurum.

Omissis variis responsionibus, quas benè refutat noster Rebellius, pro intelligentia istius Canonis, Notandum, conditiones impossibiles, & de futuro, siue turpes, siue honestas, dupliciter posse apponi contractui matrimonij de præsenti, & cuiuis alteri, ac etiam donationi.

Dupliciter potest conditio apponi contractui.

Primò, Vt per eam immediatè exigitur opus externũ in futurum præstandum, siue illud sit impossibile absolutè, siue turpe, siue honestum. Et hoc modo suspenditur consensus vsque ad euentum conditionis, seu donec opus quod exigitur, sit præstitum. Vnde quando constat tali modo esse appositam, non est habenda pro non apposita in contractu matrimonij, etiamsi contractus fiat per verba de præsenti, sed expectandum donec opus sit præstitum, & conditio impleta. Vnde si sit absolutè impossibilis, est irritus: si solùm est impossibilis iure, seu turpis & illicita, suspenditur vsque ad euentum conditionis; quo euentu posito, consensus fit absolutus, & contractus validus, si ab initio ea fuit mens contrahentium.

Secundò, Potest apponi conditio, non vt immediatè exigatur ipsum opus externum; sed solùm obligatio ad illud: vt, Contraho tecum si matrem meam alteris; si inimicum meum occideris: hoc est, si te obliges ad hæc facienda. Hoc modo conditio non suspendit consensum meum, sed statim altero consentiente, & acceptante conditionem, perficitur contractus. Vnde etiamsi hoc modo ponatur conditio impossibilis quoad operis executionem, non vitiat contractum matrimonij de præsenti initum: quia id quod immediatè illa conditio exigit, non est impossibile, nempe obligatio sui saltem verbalis, & quantum in te est, actuale opus.

His positis, dicendum est, Gregorium IX. cap. illo finali instruere Iudices, quidnam de huiusmodi contractibus in foro externo iudicare debeant, quando non potest constare, quo animo talem conditionem absolutè vel iure impossibilem contrahẽtes apposuerint: nimirum an animo immediatè exigendi ipsum opus externum, an verò solùm obligationem ad opus. Si enim constare possit, quòd illam conditionem apposuerit alter eorum exigendo ipsum opus ad plenum consensum in contractum; certum est, iure naturæ contractum non esse validum ante ipsum opus: quia consensus non est absolutus, nisi posito opere. Neque in hoc casu loquitur Pontifex. Si verò constet per conditionem non requiri immediatè ipsum opus, sed solùm obligationem, vel cõsensum in obligationem talis operis; vel si non constet quidem, sed de hoc dubitetur, neque re discussa possit Iudex aliquid certi habere (de quibus duobus casibus loquitur Pontifex) tunc habendam conditionem pro non apposita: quia nemo potest validè ad impossibile absolutè, vel ad id quod peccatum est (quod Iure impossibile dicitur) obstringi. Cumque conditio immediatè requisita adsit, nempe consensus in obligationem, & contractus sit de præsenti, nec aliud impedimentum habeat, statim est validus. Nec posteà propter onus non præstitum potest rescindi: quia contractus matrimonij semel validus, non potest amplius in irritum à partibus reuocari. *Mens Canonis.*

Hæc sine dubio est mens Pontificis. Rebellius noster paulò aliter explicat, sed in re non multùm discrepat. His adde, si constet, conditionem impossibilem non seriò sed ioco appositam, habendam pro non apposita. Similiter si dubium sit, & neutra ex parte possit moralis certitudo haberi. Tunc enim in fauorem matrimonij iudicandum. cap. fin. de sententia & re iudicata: idque propter periculum animæ, ne separati, & aliis iuncti, in adulterio viuant, si ex parte rei prior contractus fortè fuit validus.

Conditiones quæ contra substantiam matrimonij.

Ceterùm, conditiones quæ sunt contra matrimonij substantiam (vt sunt illæ, quæ sunt contra bonum prolis, vel fidei, vel Sacramenti) non habentur pro non adiectis in foro externo, sed absolutè reddunt contractum irritum: vt si alter dicat alteri, Contraho tecum, si generationem prolis euites, vel donec inueniam ditiorem, vel si corpore quæstum facies. Ita expressè habetur dicto capite finali. Quod intellige, si sint de futuro: sic enim solùm imponunt obligationem contrariam obligationi substantiali matrimonij. vide lib. 5. de Matrimon. Thomæ Sancij, vbi de his omnibus fusè & eruditè disputat, etsi eius explicatio cap. finalis suprà dicti non probetur.

123 *Vltimæ voluntates.*

Excepi etiam *vltimas voluntates*, vt sunt institutio heredis, fideicommissum, legatum, & donatio mortis causâ; nam conditio impossibilis vel turpis illis appositæ, non reddit dispositionem irritam, sed habetur pro non adiecta. vt constat L.1.4.6.8.9. ff. de conditionibus institutionum. & §. Impossibilis. Instit. de heredibus instituendis. vide Gomezium de legatis nu.67. Neque id

tantùm in foro externo & quoad præsumptionem, sicut in matrimonio & sponsalibus; sed etiam in conscientia. Ratio est; quia etsi Ius non possit supplere consensum in sponsalibus & matrimonio, eò quòd in his quisque sit sui Iuris, nec vlla potestas humana possit alteri dare potestatem mei corporis ad vsum matrimonij absque meo consensu; potest tamen illum supplere in vltimis voluntatibus; quia res externæ subsunt dispositioni Iuris humani, suppetente iusta causa. Idem potuisset in aliis contractibus, si voluisset, sed iustas ob causas non fecit. Causa verò, cur in vltimis voluntatibus, non in aliis, ita statuerit, est, quia mortuo testatore, non supereſt qui possit eius mentem interpretari, quomodo conditionem intellexerit, seriòne an ioco adiecerit, an satis aduerterit qualis conditio esset: vnde nasci potuissent plurimæ lites. Deinde si conditio sit turpis, meritò reijcitur, in pœnam testatoris: si impossibilis, reijcitur tamquam impertinens. In aliis contractibus non reijcitur, sed reddit contractum irritum; quia contrahentes rursus contrahere possunt, si velint. Si tamen testator putabat conditionem possibilem & honestam, non reiicitur, sed irritam reddit dispositionem, vt docet Gomezius suprà num. 65. & alij, ex L. Seruo manumisso. 58. π. de condictione indebiti.

Conditio nubendi vel non nubendi.

Conditio, *Si non nupseris, si vxorem non duxeris*, apposita vltimæ voluntati, habetur Iure Digestorum pro non adiecta. L. Titiæ. 100. π. de conditionibus & demonstrat. idque fauore matrimonij, vt Respub augeatur. postea tamen Iure Codicis hoc restrictum est ad primas nuptias; & constitutum vt in secundis hæc conditio vim haberet, ita vt si contrà facias, legatum amittas; Authentica, Cui relictum. C. de indicta viduitate tollenda. Parem modò vim habet conditio, *Si Religionem non ingrediaris*. Ita Gomezius suprà n. 78. & alij. Si dicatur, *Lego tibi* 200. *si nupseris*, nihil addendo de ingressu Religionis, consequêris 200. etiamsi Religionem ingrediaris. Conueniunt in hoc omnes DD. teste Molina disput. 207. & habetur apertè Nouella 123. de sanct. Ep. c. 37. & Authent. Nisi rogati. C. ad S. C. Trebellian. Ratio est; quia non censetur de Religione cogitasse, cùm id non expresserit; ac proinde noluisse eam excludere. Si autem dicatur, Lego 200. si nupseris, 100. si Religionem ingrediaris, est dubium. Multi enim tenent te habiturum 200. etiamsi Religionem ingrediaris, quia illa conditio, si nupseris, quatenus retrahere potest à Religione, habenda pro non adiecta. Siluester verbo Hereditas 4. qu. vlt. Medina q. 23. Panorm. in cap. In præsentia, de probationibus. estque communior sententia Iurisperitorum. colligitur ex Authenticis proximè citatis. Contrarium tenet Couarruuias lib. 1. variar. c. 19. num. 7. & sequentibus, cum aliis quos citat. Eadem placet Molinæ disput. 207. etsi contrariam fateatur probabilem. Ratio est; quia testator expressè contrarium statuit, & potuit ad hoc iusta ratione moueri. hoc tamen ex circumstantiis iudicandum est.

Nihilominùs prior sententia videtur Iuri conformior, vt docet Felinus cap. In præsentia. de probationibus, nu. 37. vbi pro hac sententia adducit Ioannem Andream, Antonium de Butrio, Romanum, Bartolum, Albericum, Abbatem, Matthesilanum, & Baldum; quamuis Baldus sibi non constans alibi doceat contrarium. Pro eadem Couarr. lib. 1. variar. cap. 19. n. 9 citat Soncinatem, Aretinum, Iasonem, & Ioannem Crottum. Idem passim tenent Summistę. Ratio est; quia si quis benè consideret, Nouella illa 123. Iustiniani c. 37. non nititur præsumptione tacitæ voluntatis testatoris (vt volunt Auctores contrariæ sententiæ, qui proinde nolunt illam locum habere, quando testator expressè Monasterium excludit) sed absolutè intendit fauere pietati, etiam contra testatoris voluntatem; & ideò vult talem clausulam haberi pro non adiecta: sicut Iure Digestorum clausula, *Si non nupserit*, habebatur pro non adiecta, quia volebat Ius fauere nuptiis. Quomodo enim præsumi potest passim de quouis testatore, qui sic disponit; *Lego Fuluiæ* 200. *si nupserit, si autem non nupserit*, 100. non cogitasse de statu Religionis, & si cogitasset, ita affectum fuisse erga illam, vt Fuluiæ ingredienti Religionem relicturus esset 200. perinde ac nubenti? Sanè hoc præsumi non potest, sed potiùs contrarium. nam ingredi Religionem est maximè affine ei, quod est non nubere; & homines tunc omnia expendere solent. Deinde pauci erga Religionem ita sunt affecti, vt ita vellent disponere. Quidquid enim ad Religionem peruenit, videtur familiæ perire. Vnde idem Iustinianus eadem Nouella in fauorem Religionis statuit, ne parentes possent filios Religionem ingredientes legitima priuare, sed vt hanc tenerentur Monasterio dare. Et multa alia ibidem constituit in Religionis fauorem, ne parentes & consanguinei quidquam ingredientibus detraherent. Quare etiamsi constet de contraria voluntate testatoris, nihilominùs clausula illa habebitur pro non adiecta, vt rectè docent Auctores suprà citati.

Nec obstat, quod Couarr. obiicit; Neminem qui seriò Religionem cogitet, ratione talis clausulæ auertendum: quia etsi id verum sit quando legatum est paruum (nam ob tale ne nuptias quidem omittet, qui seriò de illis cogitat) non tamen quando est amplissimum, ex quo manens in sæculo maxima bona ad Dei gloriam perficere poterit; quod legatum diuites amici occupabunt, & vanè expendent, si Religionem ingressus fuerit. Addo, non tantùm agi ne auertantur qui firmo animo Religionem destinarunt; sed etiam ne illi qui de illa deliberant.

Dvbitatio xvi.

Vtrùm donatio facta ad certum vsum vel finem, vel sub certo onere; si illud onus, vel ille finis non præstetur, sit valida.

Dico Primò, Quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat ad illum finem obligare, sed solùm allicere animum, vel præbere media ad illum consequêndum, si placuerit; non est irrita donatio, etiamsi finis non sequatur. v. g. Petrus legauit puellæ 100. vt nubat, nec aliud expressit; illa verò ante nuptias obiit; legatum non est restituendum, sed transit ad heredes puellæ, imò etiamsi manens in vita coleret cælibatum in sæculo, vel ingrederetur Religionem, non teneretur restituere, vt docet Molina disput. 208. quia non censetur legato maius bonum voluisse impedire, 124

125 dire, nisi aliunde de contrario constet. Ob hanc causam valida est donatio, qua quis donat collatori ad alliciendum ipsius animum, vt beneficium conferat; vel mercatori, vt ad mutuandum inclinetur; vel puellæ, vt ad consensum flectatur; quamuis finis non sequatur. quia non est donatio conditionata, sed absoluta, facta non animo obligandi, sed tantùm alliciendi ad liberum consensum. vnde potest acceptare, etiamsi non intendat præstare quod donator exoptat.

Donatio ad alliciendum animum.

126 Dico Secundò, Si intendat donatarium ad illum finem vel vsum obligare, donatio erit irrita, fine non præstito, si ille sit principalis finis donationis: si verò sit secundarius, non erit irrita, poterit tamen in irritum reuocari, si donatarius nolit præstare. Ita docet Ioannes Medina C. de restitut. quæst. 24. Prior pars patet ex multis textibus, ff. de condictione causa data non secuta. & C. de condictione ob causam. quibus conceditur repetitio causa non secuta.

Donatio ad certum vsum vel finem.

Probatur, quia quando dat ad certum vsum, tamquam ad finem principalem, limitat suam donationem ad illum vsum, nec habet aliam causam cur velit rem esse ipsius. sicut enim est in potestate ipsius donare, ita etiam limitare suam donationem ad certum finem & vsum, prout placuerit; nam tota vis donationis pendet ex intentione donantis. vt si parens det filio pecuniam, eo dumtaxat fine vt emat libros; si filius non emerit, tenetur ad restitutionem; quia donator limitauit donationem suam ad certum vsum, nec aliam causam donandi habuit. si tamen filius bona fide conatus fuisset emere, & aliunde fuisset impeditus; vel si insumpsisset in res alias æquè vtiles, non esset obligandus ad restitutionem; quia parens posset præsumi id ratum habere. Idem dicendum

127 de similibus donationibus. Altera pars probatur; quia etsi finis secundarius non præstetur, tamen subest finis principalis, ob quem donatio est facta; & ita non censetur irrita, nisi ex circumstantiis constet aliam donatoris mentem fuisse. vt si des Monasterio 100. aureos sub aliquo onere, est valida donatio, etiamsi Monasterium onus non præstiterit. quia non censetur ille principalis finis donationis, sed salus animæ, ob quam Monasterio videtur absolutè donatum, etsi cum onere. imò nec reuocari potest, nisi id additum sit in donatione, vel nisi aliunde constet, eam donatoris mentem fuisse, vt docet Medina suprà, & colligitur ex cap. Verùm, de condit. appositis. potest tamen compelli Monasterium, vt onus impleat; quòd si nolit, per sententiam Iudicis potest pri-

Si finis secundarius non præstetur.

Donans sub certo onere.

128 uari. Si tamen impletio oneris non est in ipsius potestate, (vt quia alij impediunt, vel pendet à consensu aliorum, qui nolunt consentire) non potest compelli. sufficit enim vt sit paratum facere quantum in se est, vt onus impleat. non enim donator censetur aliud intendisse, nisi expresserit; cùm recta ratio non plus exigat, quàm homo possit præstare. Idem dicendum de omnibus donationibus, quæ ob aliquem finem principalem fiunt, cum aliquo onere annexo.

Dvbitatio xvii.

Vtrùm donatio ob causam præteritam vel præsentem sit valida, si causa non subsit.

Respondeo, Talem donationem esse inualidam, nisi donator actu vel habitu ita sit affectus, vt illam censeatur velle valere, quamuis causa non subsit. colligitur ex Medina q. 24. Probatur Primo, Quia talis donatio est inuoluntaria: procedit enim ex errore; quæ si non esset, donatio non fieret: atqui donatio vt omnino valida sit, debet esse plenè voluntaria, cùm ex liberalitate pendeat. Secundò, Quando error dat causam contractui vel alteri dispositioni; actus est irritus, vel saltem in irritum reuocabilis, vt ostensum est suprà cap. 17. Dubitat. 5. atqui hîc dat causam actui: ergo. Tertiò, Cùm quis exprimit se donare ob causam, videtur donatio fieri sub conditione, *si causa subsit*: ergo si illa conditio non subsistit, donatio est nulla. Hoc tamen argumentum non est firmum; quia expressio causæ non habet vim conditionis; vt patet in contractu matrimonij, si quis ita dicat, Accipio te in vxorem, quia es bonis moribus, quia diues, &c. talis enim contractus est validus, siue causa illa extet in re, siue non. solùm enim exprimitur quid moueat & impellat animum ad contrahendum, non autem ponitur vlla conditio consensui. 129 *Si causa non subsit.*

Circa hanc assertionem Aduertendum est, si res absolutè donetur, & error non sit circa substantiam rei donandæ, vel personam donatarij, vel circa substantiam ipsius actus (vt cùm est error circa causam principalem, dantem speciem actui) sed solùm circa conditionem accidentariam, vel causam secundariam, donationem non esse omnino irritam: dici tamen *inualidam*, quia pro arbitrio donantis reuocari potest, errore cognito. & quidem si donatarius est causa deceptionis, tenetur errorem detegere, & ponere rem totam in arbitrio donatoris, vt donationem ratificet vel reuocet. si verò non est causa, non videtur ad hoc teneri. vnde poterit retinere, donec reuocetur, iuxta ea quæ d. Dub. 5. c. 17. diximus.

Diserimen erroris circa substantiam, & circa conditionem accidentariam.

Dixi, *Nisi actu vel habitu*, &c. quia sæpè fit, quëpiam ita esse affectum, vt si sciret causam esse falsam, nollet donare; tamen quia dedit, non vult donationem esse irritam. vt si donasti aliquid amico, quia putas illum curasse aliquod negotium, quod non curauit; tamen multa alia tua causa fecit, ob quæ velles donationem confirmare. 130

Petes, Quando causa, ob quam aliquid datur, non subest; quomodo scietur vtrùm velit donationem valere, an non?

Resp. Quando id non exprimitur, esse colligendum ex conditione dantis & accipientis, & rei donatæ, & ex cõditione causæ. si enim causa ob quam datur non est principalis, sed secundaria, ob quam hîc & nunc solùm se applicat ad donandum, & extat aliqua causa principalior; tunc donatio non est censenda irrita, etiamsi illa causa secundaria non extet, vt patet exemplo allato. item cùm datur eleëmosyna pauperi simulanti fidem Catholicam, vel sanctitatem; nam principalis causa dandi est paupertas. posset tamen talis donatio reuocari, si error ei causam dedit. deinde etsi causa princi- 131

Causa principalis & secundaria dandi.

palis ob quam datur non extet; si tamen conditio donantis, vel rei donatæ est talis, vt putetur nolle obligare ad restitut. poterit donatarius retinere.

132 *Paupertatis simulatione obtentum.* Hinc sæpè fit, vt qui simulatione sanctitatis, paupertatis vel infirmitatis, vel obsequiorum aliquid impetrarunt, non teneantur ad restitutionem; quia donatores non censentur id onus velle imponere, idque vel ob liberalitatem, vel ob beneuolentiam & amicitiam, vel ob rerum paruitatem, vel quia res est consumpta, & difficilis esset donatario restitutio. Si tamen putetur donator velle, vt sic per fraudem obtentum restituatur, est restituendum, maximè si quantitas est notabilis. Imò etiam in dubio est restituendum; saltem pars aliqua, pro ratione dubij; quia cùm non inceperit bona fide possidere, non potest ratione possessionis, ipsius conditio melior censeri: vel certè debet fraudem aperire, & rem in libero arbitrio donantis constituere.

Dubium tamen est inter DD. cui sit restituendum id, quod simulatione paupertatis obtentum est, si donator putetur illum velle ad hoc obligare. Plerique DD. docent id esse conferendum in alios pauperes, vel in alios pios vsus. quia donator illud iam à se alienauit; & Christo donauit, accepturus pro eo mercedem, non secùs ac si verè pauperi dedisset. ita Nauarr. cap. 17. num. 107. Scotus in 4. d. 15. q. 2. art. 3. Adrianus in 4. tract. de restit. q. 5. & Medina suprà. Sotus tamen lib. 9. de Iustit. q. 7. art. 3. ad 4. putat esse restituendum donatori; quia hic non intendit donare Christo, nisi quatenus intendit donare huic pauperi. Sed possunt conciliari, si dicamus esse restituendum donatori, si is sit notus, & res sit notabilis, & ipse putetur velle vt sibi restituatur. alioqui si res sint minutæ, vel ignoti qui dederunt, vel si putentur velle illud aliis pauperibus dari, aliis dandum est. 133 *Cui restituendum.*

CAPVT DECIMVMNONVM.

De testamento & legatis.

Constat Dubitationibus 8.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit testamentum, & quomodo à codicillo differat.

1 RESPONDEO, *Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.* Ita definitur L. 1. ff. Qui testam. fac. poss. Verùm quia hæc definitio conuenit etiam aliis vltimis voluntatibus, nempe codicillo, legato, fideicommisso & donationi causa mortis; addunt Doctores, *cum directa heredis institutione.* per quam particulam testamentum discernitur ab illis: quia nulla alia vltima voluntas continet heredis institutionem. vnde propriè loquendo *Testamentum est heredis institutio.* ideò enim instrumentum illud dicitur *testamentum* iure ciuili, quia continet heredis institutionem; non autem quia continet legata vel fideicommissa. nam quòd hæc in eodem instrumento scribantur, est extrinsecum & accessorium rationi testamenti; possent enim omitti.

2 *Codicillus.* Differt autem à *codicillo*, Primò, Quòd codicillus non fiat ad instituendum heredem; (nisi interdum ex priuilegio, quale concessum militi, vt patet L. Militis codicillis. 36. ff. de milit. testam.) sed ad aliquid in testamento explicandú vel mutandum, addendum vel detrahendum; vt ad legata instituenda, vel ad substitutionem fideicommissariam faciendam, &c. Secundò, Quòd in codicillo sufficiant 5. testes, etiamsi non sint rogati; inter quos possunt etiam esse mulieres. In testamento requiruntur 7. testes rogati masculi & puberes. vide Siluestrum v. Testamentum 1. num. 2. Hinc fit vt

3 *Clausula codicillaris.* *clausula codicillaris* testamento addita (qua significat testator se velle suam dispositionem valere per modum vel testamenti, vel codicilli; vel generatim se velle illam valere meliore modo, quo potest) eam vim habeat, vt etiam si testamentum ob defectú solemnitatis non valeat quà testamentum (id est, quoad institutionem heredis directam) valeat tamen quà codicillus. Vnde efficitur Primò, Vt legata tali testamento relicta, sint soluenda. Secundò, Si testator nō habens liberos, instituat extraneum heredem; institutio illa directa habebit vim substitutionis fideicommissariæ. nam frater, vel alius, qui ab intestato succedit, tenebitur illi tradere hereditatem, retenta solùm quarta eius parte, quam vocant Trebellianicam. Tertiò, Si verò habeat liberos, illi habebunt solùm legitimam; extraneus verò sic institutus habebit reliqua. vide Silu. suprà n. 11. & Molinam disp. 132. & Iulium Clarum §. Testamentum quæst. 46.

DVBITATIO II.

Vtrùm testamentum factum ad piam causam sit validum; si ei desint solemnitates, quas requirit Ius ciuile:

VErbi gratia, si non adsint 7. testes, vel non omnes sint masculi, & puberes; vel non omnes sint rogati, vel si nō omnes subscripserint, &c. quæ habentur L. Hac consultissima. 21. C. de testamentis. dicitur autem factum ad piam causam, quando heres instituitur pia causa, vt Ecclesia, Monasterium, pauperes.

Respondeo, Vt testamentum ad pias causas sit validum, etiam in foro externo, non requiruntur 4 *Testamentū ad piam causam.* solem-

solemnitates Iuris ciuilis; sed sufficiunt eæ quæ sunt Iuris gentium; nempe vt duo testes adsint. Ita Couarr. cap. 11. de testament. n. 9. & Iulius Clarus §. Testamentum q 6. nu. 1. & colligitur apertè ex cap. Relatum. 1. de testamentis. vbi Alexander III. mandat vt Iudex causas, in quibus agitur de iis quæ relicta sunt Ecclesiis, tractet non secundùm leges, sed secundùm Canones, duobus vel tribus dumtaxat legitimis testibus requisitis. quod etiam in foro ciuili seruandum esse docet Clarus suprà, & alij DD. Neque requiritur præsentia Parochi, vt quidam volunt. nam Pontifex dicit non nisi duos legitimos testes requirendos. potuit autem Summus Pontifex hac in re legibus ciuilibus derogare; quia potestatis Ecclesiasticæ (cuius plenitudo est in Pontifice) est, ordinare hominum actiones ad finem supernaturalem, qui est salus animæ: & consequenter potest submouere & tollere omnia, quæ studium & cursum bonorum operum ad salutem animæ pertinentium impediunt; atqui istæ leges in causis piis impedirent studium bonorum operum: ergo.

Duo testes sufficiunt. 5

6

Petes, Vtrùm necessarij sint duo testes, vt tale testamentum sit validum in foro conscientiæ?

7 Resp. Non esse necessarios: sufficit enim in his testamentis id, quod Iure naturali est sufficiens, nempe vt sit potestas in disponente, capacitas in eo in cuius fauorem disponitur, & libertas in dispositione. quod probatur, quia nulla solemnitas Iuris ciuilis in his testamentis est necessaria, vt patet ex cap. Relatum. 1. de testam. Neque etiam necessarij sunt duo testes Iure Canonico; quia Ius Canonicum non requirit eos vt dispositio sit valida in foro conscientiæ; sed vt possit probari in foro externo, quantum satis est vt Iudex pro ea sententiam ferat, vt colligitur ex d. cap. Relatum.

Non sunt necessarij in foro conscientiæ.

8 Hinc sequitur Primò, In tali testamento, vt validum sit, non requiri heredis institutionem. Ratio est, quia hæc necessaria tantùm est Iure ciuili: atqui vt testamentum ad pias causas validum sit, nihil requiritur solo Iure ciuili introductum. Ita Iulius Clarus q. 6. num. 8.

9 Secundò, Etsi testamentum aliquod ad causas profanas, defectu solemnitatis sit inualidum; tamen legata pia in eo contenta, valida esse. Ita Couarr. cap. 11. nu. 4. Ratio est, quia caput Relatum, loquitur generatim de omnibus ad piam causam relictis; vnde etiam comprehendit legata.

Legata pia.

Legata profana. Tertiò, Legata profana posita in testamento ad pias causas minùs solemni, valere, esseque soluenda. est sententia communis DD. vt refert Clarus §. Testamentum. q. 6. nu. 9. Ratio est, quia solemnitas, quæ sufficit ad institutionem heredis, etiam sufficit ad legata illi apposita. accessorium enim sequitur naturam principalis.

10 Quartò, Etsi regulariter non valet dispositio vltimæ voluntatis captatoria; (id est, quæ confertur in alterius arbitrium) tamen valere in dispositione ad pias causas. Ita Clarus q. 6. n. 5. citat Bartolum, & alios, qui dicunt hanc esse sententiam communem. Ratio est, quia Iure gentium talis dispositio est valida. & satis apertè colligitur ex cap. Cùm tibi, de testamentis, vbi dicit Innocent. III. *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.* quod multi DD. intelligunt in causis piis, & ita exponitur in Summatio illius capitis.

DVBITATIO III.

Vtrùm testamentum factum ad causam non piam sit validum in foro conscientiæ, si ei desint solemnitates Iure positiuo requisitæ.

C Ouarruuias cap. 10. de testamentis num. 12. docet tale testamentum etiam in foro conscientiæ inualidum esse; ita vt heres tali testamento institutus, & legatarius, teneantur ad restitutionem heredibus ab intestato. citat pro hac sententia Baldum & Fortunium. eamdem tenent quidam recentiores. nihilominùs 11

Sententia Couarr.

Resp. Contrariam sententiam omnino veriorem videri, Tale testamentum in foro conscientiæ validum esse, & licitè retineri quod ex tali testamento possidetur, siue titulo hereditatis, siue legati. Probatur Primò, Quia communis sententia DD. vtriusque Iuris est, ex testamento minùs solemni oriri obligationem naturalem, vt testatur Iulius Clarus §. Testamentum. q. 90. n. 1. & Iason in L. Cùm quis. 10. C. de Iuris & facti ignorantia n. 13. & fatetur Couarruuias n. 10. atqui hoc nihil aliud est, quàm testamẽtum tale in foro conscientiæ esse validum, ita vt heres ab intestato teneatur ei satisfacere; & institutus possit relictum petere & retinere: quamuis Ius ciuile ex eo actionem non tribuat. sicut simplex promissio in foro conscientiæ est implenda, etiamsi Ius ciuile ex ea non concedat actionem. Respondet Couarruuias, Illam sententiam Iurisperitorum intelligendam de obligatione naturali; non stricta, ratione cuius heres ab intestato teneatur ex iustitia; sed laxa, qua teneatur solùm ex honestate morali: vnde eum, qui sic institutus est, non posse retinere hereditatem vel legatum, eò quòd ius iustitiæ non habeat. Verùm hæc responsio non satisfacit, Primò, Quia obligatio naturalis apud Iurisperitos vocatur ea, quæ præciso omni Iure positiuo oritur ex natura actus, & à Iure positiuo superueniente non irritatur: atqui sepositio Iure positiuo, oritur obligatio iustitiæ ex tali testamento: ergo loquuntur de obligatione iustitiæ. Secundò, Si oritur ex tali testamento obligatio honestatis; ergo heres ab intestato tenebitur saltem sub peccato veniali illi satisfacere. nam alioquin faceret contra honestatem virtutis. similiter heres tali testamenro institutus poterit retinere quod ipsi sic datum fuerit. sicut quod datur ex vi promissionis, verè debitum est, & retineri potest; quamuis non sit debitum nisi ex honestate morali, vt multi DD. docent. Denique quòd Iurisperiti hanc sententiam intelligant de obligatione stricta, patet ex eo, quòd inde concludant, heredem ab intestato teneri in foro animæ restituere hereditatem ei, qui sic est institutus; & institutum posse retinere. vide Angelum v. Heres, num. 5. & alios infrà.

Obligatio naturalis. 12

Contraria verior.

Resp. Couarr. 13

Reijcitur.

Probatur Secundò, Quia plerique Theologi, qui hanc quæstionem attigerunt, apertè docent, tale testamentum in foro conscientiæ validum esse, Adrianus Quodlib. 6. art. 1. illatione 2. Angelus v. Heres, n. 5. Tabiena ibidem nu. 4. Silu. v. Testamentum 1. q. 5. §. Quartum, secundùm Archidia. & v. Hereditas 3. q. 7. Ioannes Medin. C. de restitut. 14

q.23 in fine, Lopez 2.p.c.14. Idem ex parte tenet Sotus lib. 4. de Iustitia qu. 5. art. 3. Banes qu. 62. disp. 5. quatenus docent, id quod ex tali testamento possidetur non esse restituendum, donec per sententiam heredi ab intestato adiudicetur. denique noster Molina disp. 81.

15 Tertiò, Ex L. Etsi inutiliter. 2. C. de fideicommissis, vbi Antoninus sanxit, *Non posse per te repeti fideicommissum relictum à defuncto inutiliter*, (id est, in scriptura minùs solemni) *si tu sciens voluntatem defuncti, cuius es heres, illud præstitisti.* rationem subdit: *Quia non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, defuncti voluntati satisfactum esse videtur.* Hìc apertè supponit, voluntatem defuncti, de qua constet per confessionem heredis, cuius interest, validâ esse debere etiam in foro externo; etsi per scripturam minùs solemnem
16 non satis probetur. Vnde colligunt Iurisperiti, legata, quæ in testamento minùs solemni tibi sunt relicta, si à te possideantur, non solùm posse in foro conscientiæ retineri; sed etiam in externo defendi per legitimam exceptionem. quam sententiam Iason dicit esse communè, vt refert Couarr. n. 19.

17 Quartò, Probatur ex §. vltimo, Instit. de fideicõmissariis hereditatibus, vbi Iustinianus statuit, vt si testator fidei heredis sui commisit, vt hereditatem vel speciale fideicommissum tibi restituat; & posteà nec ex scriptura, nec ex quinque testium numero possit probari hanc fuisse eius voluntatem; possis ei offerre iuramentum; & si iurare noluerit, vel si fassus fuerit, cogatur tibi restituere: nec liceat ei ad subtilitatẽ Iuris confugere, (id est, non liceat ei opponere, testamento defuisse debitã solemnitatem) rationem subdit: *Ne depereat vltima voluntas testatoris, fidei heredis commissa.* Idem habetur L. Quæstionem 23. C. de fideicommiss.

18 Quintò, Quia numerus testium & similes solemnitates solùm requiruntur in testamentis, vt fidem faciant in foro externo, seu vt falsitas & omnis deceptio euitetur; vt expressè dicitur d. L. Quæstionem. C. de fideicommiss. vbi sic habemus: *Cùm enim per testium solemnitatem ostenditur, tunc & numerus testium & nimia subtilitas requirenda est. Lex enim, ne quid falsitatis incurrat per duos fortè testes compositum testamentum, maiorem numerum testium expostulat, vt per amplìores homines perfectissima veritas reueletur. Cùm autem is, qui ex voluntate defuncti lucratur (& maximè ipse heres, cui summa auctoritas totius causæ commissa est) dicere compellitur veritatẽ per sacramenti religionem; qualis locus testibus relinquatur, vel quemadmodum ad extraneam fidẽ decurratur, propria & indubitata fide relicta? Cum & in leges respeximus, quæ iustis dispositionibus testatorũ omnino heredes obedire compellunt; & sic strictiùs causam exigunt, vt etiam amittere lucrum hereditatis sanciant eos, qui testatoribus suis minimè paruerint.*

Ex quibus clarè patet, non fuisse mentem legislatorum reddere irrita talia testamenta in foro conscientiæ; sed tantùm in foro externo non assistere, seu non dare actionem: sicut non dant actionem ex nuda promissione, nisi formula stipulationis, vel simili modo sit vestita.

19 Sextò, *Nihil est tam conueniens naturali æquitati, quam voluntatẽ domini, volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi*; vt habetur §. Per traditionem. Instit. de rerum diuisione: ergo non est conueniens naturali æquitati, vt omisso talium solemnitatum (præsertim si per ignorantiam vel obliuionem vel impotentiam proueniat) hanc voluntatem reddat inualidam. valdè enim durum est, vt nõ possim testari, vel aliquid legare in fauorem amici, eò quòd desit vnus testis, vel Notarius; & ob hanc causam amicus teneatur in conscientia restituere fratribus meis, vel sororibus, vel cognatis, quibus, ob iustas causas, nihil volui relictum.

Septimò, Ideò introductæ sunt istæ solemnitates, vt voluntati testatoris certiùs satisfieret, nec posset variis hominum artibus interuerti. homines enim maximè desiderant vltimæ voluntatis suæ dispositionem seruari: vnde Authent. de nuptiis, coll. 4. cap. 46. Imperator ait, *Vbique custodire volumus morientium voluntates.* ergo nõ intenderunt legislatores ob defectũ illarum irritas reddere vltimas volũtates; si aliunde constet de mente testatoris. hoc enim esset euertere finem, vt seruentur media. Deniq; hanc sententiam tamquam maximè rationi consentaneam tenet Plinius Secundus lib. 2. ep. ad Annianũ. *Ego*, inquit, *propriam legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiamsi deficerent, quasi perfectas tuerer.* Et l. 5. ep. ad Caluisium, *Hoc enim si ius aspicias, irritum; si defuncti voluntatem, ratum & firmum est: mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partẽ Iurisconsulti quod dicturus sum accipiant) antiquior Iure est.* 20

Ex his sequitur Primò, Heredem ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, teneri restituere hereditatem, & soluere legata eis, quibus testamento minùs solemni debentur. 21 *Consectaria 5.*

Secundò, Si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere pro ratione dubij. Ita Molina disput. 81. Ratio est, quia cùm nec ipse nec alij cœperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio. Probabilius tamen videtur, heredem ab intestato hoc casu posse totum retinere. Ratio est, quia habet ius certum, à quo non debet excludi per ius alterius dubium. hæc enim est ratio cur melior sit conditio possidentis. quia possidens qui certus est se habere ius possidendi, non tenetur rem nec totam, nec partem eius deserere, ob ius dubium alterius.

Tertiò, Si heres ab intestato retineat hereditatem & legata; possunt illi, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, vti occulta compensatione; nam reuerà res illæ erant ipsorum. Siluester v. Hereditas 3. q. 7. 22 *Si iudex adiudicet heredi ab intestato.*

Quartò, Si heres ab intestato fateatur mentem testatoris fuisse, vt hereditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solueret; aut si oblato iuramento, iurare noluerit, cogendus est etiam in foro externo hereditatem tradere, (detracta tamen quarta parte, quam vocant Trebellianam) & soluere legatum. vt patet ex quarta & quinta probatione. 23 *Si heres fatetur.*

Quintò, Idem ob eamdem causam dicendum est, si fateatur voluntatem testatoris fuisse, vt hereditas non vt fideicommissum, sed immediatè perueniret ad institutum. non enim recurrendum est ad fidem testium, vel ad Iuris subtilitatem, quando is cùius interest, confitetur testatoris voluntatem; vt habetur d. L. Quæstionem 23. C. de fideicommissis. 24

Sed contrà obiicitur ex Couarruuia, Primò, ex L. Hac consultissima. 21. C. De testamentis. *Non subscriptum à testibus ac non signatũ testamentum, pro infecto haberi conuenit.* & subdit, *Ex imperfecto testamen-*

testamento voluntatem tenere defuncti (nisi inter solos liberos habeatur) non volumus. & §. Ex eo. Instit. Quibus modis testam. infir. *Imperfectum testamentum nullum est.*

25 Respondent quidã, has leges niti præsumptione fraudis, quæ præsumitur commissa in talibus testamentis, quando præscriptæ solemnitates desunt. vnde quando constat nullam fraudem commissam, sed hanc esse veram & liberam voluntatem testatoris, leges hasce non habere locum. Sed solutio non videtur vera. Primò, Quia non potest prudenter præsumi fraus, ex eo, quòd vnus vel alter testis, vel subscriptio alicuius desit. nam multis modis fieri potest, vt aliquid horum sit omissum. Secundò, Quia quatuor testes possunt sufficere, vt constet non subesse fraudem; sufficiunt enim in rebus maioribus, vt in causa criminali, in qua agitur de vita. Tertiò, Etiamsi Iudices sciant nullam subesse fraudem, tamen non adiudicabũt ex tali testamento hereditatem, nisi heres ab intestato fateatur hanc fuisse mentem testatoris, vel nisi recusauerit oblatum iuramentum. Vnde aliter respondetur, Illas leges loqui de nullitate in foro externo; quia in foro externo non datur actio ex tali testamento. lex enim ciuilis ei non assistit: non tamen ei resistit, vt rectè docet Franciscus Sarmiento de redditibus p. 1. cap. 2. num. 3. habetur itaque pro *infecto*, *irrito*, & *nullo* in foro externo; quia non conceditur actio ex tali testamento, perinde ac si nullum omnino extaret. cum hoc tamen consistit, quòd ex eo nascatur obligatio naturalis in herede ab intestato ad res illas tradendas; & ius in iis, quibus sic aliquid est relictum, ad exigendum: sicut patet in pactis nudis, ex quibus etsi nulla oriatur obligatio ciuilis, oritur tamen obligatio naturalis, vt dictum est cap. 17. Dub. 4.

Non nituntur præsumptione fraudis.

26 *Est nullum in foro externo.*

Potuit autem Ius ciuile actionem ex huiusmodi testamentis denegare ob iustas causas. Primò, Ad vitandas plurimas lites, quæ ortæ fuissent, si licuisset heredi instituto & legatariis probare, hanc fuisse mentem testatoris. quam etiam ob causam factum est, vt certas solemnitates requireret, quæ nisi seruatæ essent, aliæ probationes non admitterentur, præter confessionem heredis ab intestato, cuius interest. Secundò, Ad excludendas varias hominum artes & machinationes, quibus conati fuissent vltimas voluntates interuertere, si satis fuisset probationibus Iure gentium requisitis vti. dum enim vident tam multa requiri ad faciendam fidem in causa testamentaria, desperant de successu, & cessant à fraudibus. Tertiò, Ne heredes ab intestato, quibus non constat de voluntate testatoris, gemino dolore afficerentur, si priuati solatio defuncti, cogerentur extraneis dare hereditatem. quòd si illis de voluntate defuncti constet, non possunt queri, quia par est vt satisfaciant voluntati defuncti, quam ipsimet agnoscunt.

27 *Cur deneget actionem.*

28 Obijcitur Secundò, Si illa testamenta in foro conscientiæ essent valida, iniquè Iudices adiudicarent heredibus ab intestato; fouerent enim apertam iniustitiam; præberent etiam occasionem heredibus illis, iniquè petendi, quod aliis relictum est.

Respond. Non adiudicari heredibus hereditatem illam, tamquam absolutè ad illos pertineat; sed non concedi actionem iis, qui nituntur tali testamento; quia repelluntur tamquam destituti probatione, quam leges requirunt. quòd si contingat hos esse possessores; datur quidem heredibus repetitio, quia putantur bona fide agere, nec scire aliam esse defuncti voluntatem: non tamen intendit Iudex decernere rem absolutè illorum esse; sed esse illorum, quantum apparet ex probationibus, quæ Iure admittuntur, interim relinquens eos suæ conscientiæ. Quòd autem heredes inde occasionem accipiant petendi quod aliis relictum est, ipsorum malitiæ imputandum, non legum dispositioni, quæ iustis causis nititur. Simile cernitur in pactis nudis, ex quibus etsi aliquid debitum sit in conscientia; Ius tamen ciuile Cæsareum non concedit actionem. imò concedit repetitionẽ, si alter aliquid hoc nomine absque voluntate partis acceperit. vide Couarruuiam in cap. Quamuis pactum, p. 2. §. 4. vbi docet dari repetitionem heredi, si ex ignorantia facti (nempe ex eo, quòd putauerit testamentum esse solemne) soluerit legatum, vel fideicommissum. non autem si ex ignorantia Iuris; id est, si soluerit, quòd putaret testamentum minùs solemne esse validum. sed hoc ad forum externum pertinet: nam in conscientia non licet repetere, si putat illam fuisse defuncti voluntatem.

Obiicitur Tertiò, Si tale testamentum in foro 29
conscientiæ est validum: ergo tutor non poterit agere pro pupillo (qui est heres ab intestato) ad rescissionem testamenti minùs solemnis in fauorem alterius conditi, si sciat voluntatem testatoris fuisse vt alius esset heres: quod est graue incommodum. si enim agat, peccabit mortaliter: si non agat, condẽnabitur vt pupillũ præstet indemnem.

Respon. Non posse agere. si autem ideò cogatur pupillo compensare damnum, pupillus tenetur ei in conscientia ad restitutionem, & ipse potest occultè tantumdem detrahere ex illius bonis.

Aduerte tamen Primò, Sententiam Couarru- 30
uiæ esse probabilem, & securam in conscientia, etsi nostra sit verior & probabilior: potuissent enim legislatores ita statuere; quamuis non ita consentaneè naturali æquitati. vnde poterit tutor ea vti, & sic agere contra tale testamentum. Iuxta hanc sententiam Primò, Is, cui sic quid relictum est, non potest illud petere tamquam ex iustitia debitum. Secundò, Si possidet, non potest retinere: nisi fortè sit fideicommissum, quod testator fidei sui heredis commiserit: vel legatum, quod heres iam soluerit, sciens testamentum non fuisse solemne; iuxta ea, quæ dicta sunt in 3. 4. & 5. probatione. Tertiò, Heres ab intestato potest illud retinere; &, si alter possidet, repetere in iudicio. Quartò, Quod si non possit ob potentiam aduersarij, vti potest occulta compensatione.

Sententia opposita est probabilis.

Aduerte Secundò, Dominicum Sotum & Ba- 31
ñes suprà, tenere quamdam sententiam mediam; sentiunt enim, testamentum minùs solemne quadam ratione esse validum, quadam inualidũ. Validum; quia institutus potest capere hereditatem, si nemo ei se opponat, & retinere, donec Iudex illi eam abiudicet. Inualidum; quia heres ab intestato potest eam capere & retinere, etiamsi sciat voluntatem defuncti aliam fuisse. quòd si alter eam occupauerit, potest in iudicio eam petere, & cùm adiudicata fuerit, retinere. Hæc sententia non est improbabilis. nec dubitandum est, quin legislatores ita potuerint statuere; nempe vt tale testamentum non esset irritũ in conscientia, ante sentẽtiam Iudicis; & per eam irritaretur vel declararetur irritum

Sententia Soti.

tum ex vi legis, &c. Verùm non videtur illa fuisse mens illorum: nam si heres fateatur, voluntatem testatoris fuisse vt alteri traderet fideicommissum vel legatum, cogetur vi legum soluere, vt suprà dictum est.

32 *Aliorum contractuũ solemnitates.* Aduerte Tertiò, Ea, quæ dicta sunt de solemnitate testamentorum, à quibusdam extendi ad contractus, donationes, beneficiorum & officiorum collationes, electiones, præsentationes, & similes actus, qui ex dispositione Iuris ciuilis vel Canonici requirunt varias solemnitates. v. g. vt celebrentur certis verbis, certo loco vel tempore, per tres tractatus, coram certo numero testium. si enim hi actus solo defectu solemnitatis laborent, ob quem Iure positiuo decernãtur irriti, non ideò desinere valere in foro conscientiæ: ita enim docent omnes DD. Iuris, qui tenent, testamentum minùs solemne valere; vt fatetur Couarruuias nu. 1 c. &

33 omnes Theologi citati in 2. argumento. Vnde si contrahentes sint per se habiles, & adsit plenus eorum consensus, contractus erit validus in foro conscientiæ. Nec obstat, quòd contractus matrimonij sit irritus sine Parocho & testibus; quia Conc. Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reform. expressè reddit illos inhabiles ad sic contrahendum: & prætereà satis significat se omnino irritum reddere in foro conscientiæ. Simili modo, si electioni ad Prælaturam adsit legitimum suffragium eorum qui habent ius eligendi; & alienationi rei Ecclesiæ auctoritas personarum, quæ illam facere possunt: hi actus erunt validi in foro conscientiæ, quamuis aliquæ solemnitates per Canones requisitæ desint. Pro quo facit L. Cùm amplius solutum. ff. de reg. Iuris, vbi dicitur: *Is natura debet, quem Iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus.* Hanc sententiam tamquam probabiliorem

34 *Bañes.* amplectitur Bañes disput. 3. ad q. 62. p. 100. vbi docet, eum, qui per contractum minùs solemnem possidet, iustè possidere, donec à Iudice spolietur; nec teneri vitium contractus alteri parti indicare. Ratio ipsius est, quia leges positiuæ tam Ecclesiasticæ quàm ciuiles, quæ irritos faciunt contractus minùs solemnes, non sunt nisi iuxta hanc moderationem receptæ; nimirum vt nemo teneatur rem, quam sic habet, ante sententiam dimittere. itaq; per huiusmodi contractus transferri qui-

Dominium reuocabile. dem dominium, sed infirmum & reuocabile. excipit tamen electionem Prælatorum, hanc enim, si ei desit solemnitas necessaria, esse irritam, propter rei momentum: quia iurisdictio spiritualis per eam conferri debet: alij tamen Doctores nullam faciunt exceptionem. Videtur hæc sententia satis probabilis, maximè spectato vsu, qui passim est receptus. non enim consuetum est, vt quis ea, quæ per tales contractus habet, restituat, nisi cogatur per sententiam. Durum enim est, vt qui rem habet ex consensu eius qui poterat illam tradere, cogatur sponte ea cedere; quòd non eo loco vel tempore, vel coram illis testibus, quos lex præscribit, tradita fuerit.

35 *Contrariũ verius.* Nihilominùs contrarium est Iuri conformius, & verius; nimirum huiusmodi actus & contractus, quibus deest solemnitas, sine qua lex illos absolutè irritos decernit, non inducere obligationem naturalem; nisi fortè alibi explicetur in Iure, illam solemnitatem solùm requiri ad probationem in iudicio, sicut in testamentis. Ita ferè tenent reliqui DD. & Couarr. in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 4 nu. 7. & Sarmiento de redditibus. p. 1. cap. 2. n. 3. & alij. Probatur Primò, Quia non est dubitandum, quin potestas ciuilis & Ecclesiastica possint talem irritationem & nullitatem actibus inducere, vt nullam omnino vim habeant: ergo iudicandum est eas reipsa id facere, quando claris verbis actum irritum & nullum decernunt, nec indicant vsquam id ad forum externum restringendum. Secundò, Quia L. In causæ cognitione. 16. ff. de minoribus, apertè insinuatur, multos esse contractus, qui defectu solemnitatis à lege requisitæ, ita sint irriti, vt ad eos rescindendos non opus sit beneficio restitutionis; sed mero Iure possint dissolui: ergo tales contractus etiam ante sententiam Iudicis omni robore carent, ita vt ne naturalem quidem obligationem inducant, obligatio enim naturalis non potest elidi, nisi beneficio restitutionis, vt patet ex dictis cap. 17. d. 8. & 9. Tertiò, Quando contractus inducit obligationem naturalem, potest illi accedere fideiussor; vt colligitur ex L. Fideiuss. 16. ff. de fideiuss. & mandat. sed multi contractus defectu solemnitatis ita sunt irriti, vt non possit illis accedere fideiussor. L. Qui contra 11. ff. de fideiussor. ergo. Denique ratio est, quia quando lex irritum reddit contractum ob defectum solemnitatis, facit hanc pertinere ad formam essentialem contractus, & adimit contrahentibus potestatem aliter se inuicem obligandi. Vide dicta suprà c. 17. Dub. 8. num. 61. & Dub. 7. nu. 56. vbi attulimus aliquot exempla.

Hinc sequitur, etiam completo tali contractu, 36 alterum posse resilire inuito altero, & rem suam repetere, offerendo quod pro ea accepit: & alterum teneri restituere, etiam ante sententiam, nisi fortè causas probabiles habeat, quibus se possit tueri. non tamen tenetur, quamdiu alter rem traditam non repetit, vel acceptam non restituit. Nec obstat contraria consuetudo; quia negari potest esse talem consuetudinem, nisi quando is qui conuenitur, putat se habere causas iustæ defensionis; vel qui repetit, non potest rem acceptam restituere. Fieri tamen potest, vt dissoluere talem contractum sit contra charitatem; vt si bona fide erat initus, & alter sine graui incommodo non possit rem acceptam restituere.

Potest rescindi.

Dvbitatio iv.

Quinam non possint testari.

REspondeo, Eos non posse testari, qui vel sufficienti rationis vsu carent, vel Iuris dispositione prohibentur. Inter hos Primò est impubes; id est masculus ante 14. annum expletum, & femina ante annum 12. expletum, vt apertè habetur L. A qua ætate. 5. ff. Qui testamenta. vbi dicitur, illud tempus debere esse completum, ita tamen vt sufficiat vltimum diem esse inchoatum. 37

Impubes.

Secundò, Filiusfamilias. hic tamen si pubes sit, 38 potest testari de bonis castrensibus & quasi castrensibus; L. Nemo, 11. C. Qui testamenta. De bonis aduentitiis, si quidem ea ante clericatum ei obuenerint, non potest testari ad causas profanas, etiamsi pater consentiat, vt docet Clarus q. 18. ex communi DD. sententia; quia est contra aperta Iura. L. Qui in potestate. 6. ff. Qui testamenta. & L. Nemo. 11. C. eodem. Potest tamen ad causas

Filiusfamilias.

pias

pias cum patris consensu. vt idem Clarus docet q.5. num.7. & apertè colligitur ex c. Licet, de sepulturis, in 6. estque communis sententia DD. De bonis verò aduentitiis, quæ post clericatum consecutus est, testari potest absolutè absque patris consensu; quia illa sunt quasi castrensia. vnde eorum commoditas & dispositio ad ipsum pertinet, vt patet ex dictis suprà cap.4. d.3. & expressè habetur Authent. Presbyteros. 1. C. de Episcopis & Clericis.

39 *Criminosi.* Tertiò, Testari non possunt, qui commiserunt aliquod crimen, cui Iure annexa est pœna, qua ipso facto sunt instabiles, L. Is cui. 18. & L. Cùm lege. 26. π. Qui testam. vt sunt illi, qui insecuti sunt hostiliter Cardinalem; vel eum ceperunt, aut percusserunt, & qui ad hoc fuerunt cooperati: vt habetur cap. Felicis, de pœnis. l. 6. Tales etiam sunt hæretici, vt patet L. Manichæos 4. C. De hæret. Item credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, si intra annum non satisfecerint; vt patet Authent. Credentes. C. De hæreticis, quæ est Frederici Imperatoris. & cap. Excommunicamus. 1. §. Credentes. ex Concilio Lateran. magno. vbi dicitur, *Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis successionem accedat.* Simili modo testari non potest, qui damnatus est ob libellum famosum, vt habetur d. L. Is cui. §. Si quis.

40 *Religiosi.* Quartò, Religiosi testari non possunt, nisi ex concessione Summi Pontificis: qui sicuti potest facere potestatem donandi ad pias causas inter viuos, ita etiam condendi testamenti: sed tantùm ad pias causas. vide Couarruuiam de testam. c. 2. n. 17. & 18. hæc autem facultas concedi non solet, nisi Religiosis habentibus beneficium aliquod regulare vel sæculare, vel degentibus extra Monasterium & sua industria victum quærentibus, vel quibus quotannis aliquid certi à Monasterio assignari solet, vt se inde sustentent, vt docet Nauar. comment. 2. de Regularibus n. 58. vide infrà cap.41. Dub.8. n.73.

Sed præcipua difficultas est de Clericis beneficiariis, Vtrùm de prouentibus suorum beneficiorum testari possint, etiam in suos consanguineos.

41 *Beneficiarij.* Resp. & Dico Primò, Omnes Clericos qui non sunt Religiosi, posse testari, etiam ad causas profanas, de patrimonio, & de aliis quæ suo labore & industria congregarunt; denique de iis quæ ex prouentibus beneficiorum congruenti sustentationi subtraxerunt. patet ex dictis cap. 4. Dub. 6. vide Nauarrum tractatu de Reddit. eccles. q.3.

42 Dico Secundò, De iis verò, quæ ex beneficiorum prouentibus congruenti sustentationi superant, si ius scriptum spectemus, testari nequeunt, ne ad pias quidem causas: ex consuetudine tamen multis locis recepta, possunt de his ad opera pia testari. Prior pars patet ex cap. Quia nos, & cap. Relatum. 2. & cap. Cùm in officiis, de testamentis. quæ capita explicantur à Couarruuia tract. de testamentis. estque communis sententia Doctorum, vt docet Couarr. in cap. Cùm in officiis (quod est cap.7. de testamentis) n. 16. hoc autem ideò Iure statutum est, vt Ecclesiastici non studerent opibus accumulandis; sed eas in vita liberaliter in pios vsus expenderent.

43 Alteram partem docet Couarruuias n. 23. vbi dicit, *moribus receptum esse, vt solis Episcopis testãdi licentia sit necessaria; Clericos enim ceteros omnes liberè testari de iis quæ ex redditibus Ecclesiasticis adepti sunt; atque in iisdem parentes, fratres, cognatos succedere intestatis.* vnde patet, multis locis consuetudine hæc Iura esse abrogata. hæc enim consuetudo non est per se mala, neque corruptela dici potest, si ad pias causas referatur. Vnde etiam in Episcopis locum habere potest, quos videmus multis locis testari; quod Pontifex non ignorat. quare potest consuetudo etiam in illis abrogare Ius illud positiuum.

Dico Tertiò, Peccant tamen mortiferè beneficiarij, siue sint Episcopi siue Canonici, qui de parte illa prouentuum disponunt ad causas profanas, relinquendo eam consanguineis diuitibus, vel sponte sinunt eos succedere ab intestato. dispositio tamen huiusmodi & successio est valida, vbi consuetudo inualuit. *Quòd peccent mortiferè*, est communis sententia Doctorum. si enim peccant mortiferè disponendo de his profanè inter viuos; (vt ostensum est cap.4. Dub.6. & sentiunt omnes Doctores) multò magis disponendo per vltimam voluntatem. nam semper minùs concessum fuit beneficiariis condere testamentũ, quàm donare inter viuos. Confirmari potest ex multis Canonibus, quibus grauiter prohibetur, ne de iis, quæ ex bonis Ecclesiæ acquisita sunt, testentur, præsertim Episcopi; vt patet ex cap. Cùm in officiis. de testamentis, & 12. q.5. per totam. & quãuis istis Canonibus sit derogatum plerisque locis quoad causas pias; minimè tamen quoad profanas, & portionem bonorum congruæ sustentationi superfluam: viri enim boni valdè ab eo semper abhorruerunt. & sanè mirum est in quibusdam Ecclesiasticis tantam esse salutis suæ incuriam & futurorum securitatem, vt etiamsi mox ad Christi tribunal rapiendi sint, ea tamen negligant, quibus facilè salutem consequi possent; & insuper rem adeò periculosam, vt amicos suos locupletent, audeant attentare. Verùm hæc est huius sæculi fascinatio, & principis huius mundi, corda mortalium excæcantis, potestas. 44 *Peccant mortiferè si ad profana.*

Nec obstat, quòd Summus Pontifex aliquando concedat alicui Episcopo vel Clerico facultatem testandi: hoc enim solùm est intelligendum ad pias causas, vt monet Nauarrus in Apolog. q.3. monito 6. & alibi. 45

Altera pars, *Quòd dispositio sit valida*, non est quidem certa, nam plurimi Doctores tenent contrarium cum Nauarro, vt suprà cap.4. Dubit. 6. ostensum est: est tamen probabilis. ratio est; quia beneficiarij sunt domini omnium fructuum, etsi cum onere & obligatione vt superflua in pios vsus expendant: ergo validè transferunt illorum dominium, siue donatione inter viuos, siue per vltimam voluntatem. supponimus enim eos ex consuetudine esse habiles ad testandum. 46 *Est valida dispositio.*

Nec refert, quòd peccent mortiferè; quia aliud est dispositionem esse illicitam, aliud esse irritam. etsi enim ex præcepto Ecclesiæ & fundatorum intentione teneantur expendere in pios vsus; non tamen decernitur irritum, si contrarium fecerint: sicut cùm quis de superfluis suis disponit in vsus profanos, cùm ea in eleëmosynam, vrgente graui necessitate proximorum, conferre tenetur; dispositio valet, etiamsi ipse mortiferè peccet. Hinc etiam patet, heredes validè succedere; accipiunt enim ab illo, qui validè poterat disponere. neque illa per se sunt obligata piis vsibus; sed om- 47 48

nis obligatio erat personalis, ad solum testatorem pertinens, quæ non transit ad heredes, quo fit vt heredes non peccent ea accipiendo iure hereditario; sed solus testator, ita expressè vel tacitè disponendo, & qui ipsum ad hoc induxit.

49 *Damnati.* Postremò, Damnati ad mortem naturalem vel ciuilem: (vt electi in exilium perpetuum.) Item damnati ad perpetuos carceres, testari non possunt, nisi ad pias causas, de quibus & aliis quibusdam minutioribus vide Siluestrum, Testamentum 1.q. 3. & 4. nam in variis locis sunt variæ leges & consuetudines; nec vbique seruatur Ius Codicis vel Digestorum.

Dvbitatio v.

Quinam non possint testamento instituí heredes vel legatarij.

50 *Hæretici. Credentes, &c.* Respondeo, Inter eos qui heredes vel legatarij instituí non possunt, numerantur Primò, Hæretici & apostatæ. L. fin. C. de hæreticis. & L. Hi, qui sanctam. 3. C. de apostatis. Secundò, Credentes. Tertiò, Receptores. Quartò, Defensores. Quintò, Fautores hæreticorum, si tamen intra annum non pœnituerint, vt patet ex Authent. Frederici Imperatoris, C. de hæreticis. & cap. Excommunicamus. 1. §. Credentes.

51 Hinc sequitur, heredes Catholicos posse tales heredes excludere; &, si impediantur, vti aduersus eos occulta compensatione: quia Ius non habent. Vtrùm verò illi teneantur ad restitutionem eorum quæ tali successione acquisiuerunt, dubitari potest. videntur enim in conscientia teneri, quia facti sunt inhabiles ad succedendum, ac proinde debentur illa bona hæredibus ab intestato, Catholicis. Sed probabile est non teneri ante sententiam,

52 *Non tenentur ante sentẽtiam.* vel certè antequam Catholici heredes sese opponant. quamuis enim ex rigore Iuris videantur teneri, tamen hoc Ius cum illo rigore non est vsu receptum. est enim valdè durum, & parum consentaneum conditioni talium hominum, vt obligentur talia commoda sponte restituere.

Sextò, Qui persequuntur Cardinales, eosque percutiunt vel capiunt, c. Felicis. 5. de pœnis, in 6.

53 *Criminosi.* Septimo, Quicumque ob crimen aliquod est intestabilis actiuè, (id est, ita vt non possit condere testamentum) est etiam intestabilis passiuè (id est, eo modo vt non possit capere ex testamento) vt docet Glossa in cap. Is cui. 7. Qui testam. quam communiter approbant DD. vt docet Clarus q. 34. de testam. ex Aretino.

54 Octauo, Fratres Minores non possunt heredes instituí, vt patet Clement. Exiui, de verborum signific. §. Quia igitur. Hoc tamen intelligendum, vt exponit Glossa, non posse absolutè instituí heredes, ita vt ipsi acquirant Ius ad bona immobilia, & teneantur ad onera defuncti, vt heredes. potest tamen in eorum fauorem hereditas relinqui, vt per executores vendatur & detur eis pretium. simili modo potest aliquid relinqui testamento professis in Societate, neutri tamen possunt succedere ab intestato. alij tamen Religiosi possunt. vide cetera apud Siluestrum, Hereditas. 3. q. 2. non tamen placet, quòd putet excommunicatum non posse esse heredem, cùm id nullo Iure probetur.

Dvbitatio vi.

Vtrùm illegitimus possit instituí heres.

NOtandum est, *Illegitimorum* generatim duas esse species; quidam vocantur *naturales*, quidam *spurij*. *Naturales* sunt, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens. vt docet Couarr. de matrimonio p. 2 c. 8. §. 4. n. 4. etsi enim Iure Cæsareo solùm dicebatur naturalis, qui natus erat ex vnica concubina domi retenta; tamen Iure Canonico omnes illi vocantur naturales, qui ex parentibus solutis geniti; omnesque eodem Iure gaudent. quod etiam consuetudine receptum est in foro ciuili, vt docet Panorm. in cap. Per venerabilem, Qui filij sint legitimi. potiùs enim fauendum est ei qui natus est absque concubinatu, quàm ei qui ex concubina domi retenta, cùm hoc sit deterius, vt idem Panormitanus ait. 55 *Illegitimi duplices. Naturales.*

Spurij dicuntur, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis & natiuitatis erat impedimentum dirimens, vt docet Couarr. §. 5. n. 1. 2. 3. Sub his duabus speciebus comprehenduntur nothi & manzeres appellati: quæ nomina variè ab Auctoribus vsurpantur; nec quidquam ad rem explicandam faciunt. vide Couarruuiam §. 4. n. 1. & 11. 56 *Spurij.*

Ex his patet, Eum, qui natus est ex femina foris habitante, esse naturalem, si nullum erat impedimentum inter eam & virum, etiamsi ipsa esset meretrix; cuius filius in Iure vocatur nothus. Item eum; qui natus est ex virgine vi compressa; quia etsi talis coniunctio lege puniatur, id non fit, quòd ipsæ personæ sint inhabiles, sed ob vim illatam. Item eum, qui natus ex Clerico beneficiario in Sacris non existente & ex soluta. quia beneficium non est impedimentum dirimens. neque illa coniunctio in Iure vocatur coitus damnatus. Idem dicendum de eo, qui natus est ex parentibus votum simplex castitatis habentibus. Denique de eo, qui natus est ex parentibus, inter quos erat impedimentum; sed illud omnino erat ignotum, saltem alteri parti: quia talis coniunctio formaliter non est nisi simplex fornicatio. Qui verò natus est ex soluta & coniugato, ex soluta & Sacerdote, est *spurius*. His positis 57

Respondeo & Dico Primò, *Spurius* non potest aliquid à patre capere, siue ex testamento, siue ab intestato, siue ex contractu inter viuos. Ita Couarruuias de matrimonio p. 2. c. 8. §. 5. nu. 5. & Clarus q. 31. de testam. patet Auth. Licet. C. de naturalibus liberis, in fine; vbi dicitur: *Qui ex dãnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur.* & Nouella 74. cap. 6. dicitur: *Nulla eis participanda clementia est: sed sit supplicium etiam hoc patrum, vt agnoscant eos nihil habituros.* Quòd si pater illi aliquid in testamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiritur; sed tenetur in conscientia legitimis heredibus, vt docet Couarruuias n. 11. ratio est, quia ipse per leges factus est incapax. Hæc intellige de spurio patris. nam si vxor habeat spurium, is est marito instar extranei. vnde lex de illo non loquitur. quare maritus seu pater putatiuus potest illi relinquere sicut extraneo. 58 *Spurius non succedit patri.* *Tenetur in conscientia restituere.*

Hinc sequitur Primò, *Spurium* à patre non posse 59

posse substitui; nec vulgari, nec fideicommissaria substitutione, vt idem docet numero 7. quia perinde est, capiántne à patre immediatè, an ab alio ex patris ordinatione. Potest tamen substitui substitutione pupillari, non quidem ita vt bona paterna per pupillum ad ipsum perueniant; sed vt in alia bona pupilli succedat. hæc enim non habebit à patre, sed à fratre, cui succedere potest; vt docet Couarr. numero 6. vide infrà num 79. Dubit.7.

60 Sequitur Secundò, Si pater heredem instituens, roget eum vt hereditatem restituat spurio, & ille promittat se id facturum; non teneri illum heredem implere promissum; quia promissio fuit nulla, vtpote contra legem: vnde potest hereditatem sibi retinere, tamquam verus heres à testatore institutus. conditio enim seu grauamen appositum à testatore, cùm sit contra legem, censetur tamquam non appositum in vltimis voluntatibus, vt patet ex L. Impossibilis. 7. 7. de verb. oblig. Vide Gomez. tom.1.cap.12.num.67.& suprà cap.18.num.123.Dub.15.

Dices, Tenetur restituere fisco; quia bona illa hoc ipso quo heres promittit, sunt confiscata, vt ex multis legibus patet. L. penult. 7. de Iure fisci. L.Prædonis.46.7.de petitione hereditatis.

61 *Non tenetur fisto ante sententiam.* Resp.Non teneri ante sententiam; quia est pœna (vt rectè Couarr. n.13.) constituta heredi à legibus in punitionem illius promissionis Iure prohibitæ: pœna autem non debetur ante sententiam condemnatoriam. vnde si à Iudice interrogetur, an tale quid promiserit testatori; non tenetur fateri, nisi præcesserit infamia: vt rectè idem Couarr. num. 14. quia agitur de crimine occulto, ob quod grauiter, si verum fateatur, mulctabitur; nempe confiscatione, non solùm illius hereditatis, sed etiam omnium bonorum, & deportatione in insulam, eò quòd sponte non reuelauerit, vt patet C. de iis qui se deferunt, L. vnica. quo fit vt nec testis teneatur testari, nisi præcesserit infamia, vel probatio semiplena, sicut in aliis delictis. Si tamen sponte reuelasset antequam interrogaretur, concessa fuisset ei tertia pars bonorum in præmium. Si spurius reuelasset, data ei fuisset pars dimidia. vt patet L.vnica, C.suprà citato.

62 *Si heres promisit se traditurũ.* Sequitur Tertiò, Si heres institutus nihil promisit testatori de hereditate restituenda spurio, potest eam restituere ex sua liberalitate; & spurius potest eam accipere; quia accipit illam voluntate veri domini, nulla lege vetante. si verò tacitè vel expressè promisit testatori id petenti; peccauit quidem mortiferè promittendo, sicut & testator ita disponendo; si tamen illa bona tradat, potest ea spurius retinere. Ita Couarr.num.11. *Quòd mortiferè peccarit promittendo*, patet; quia leges talem promissionem sub grauissima pœna vetant. *quod tamen traditio valeat*, probatur; quia fit ab eo qui est dominus bonorum, & lex, etsi prohibet promissionem factam testatori, non tamen prohibet quin heres, qui est verus dominus illorum bonorum, possit ea dare heredi & tradere.

63 Dices, Hæc traditio fit ex voluntate parentis: ergo spurius est incapax illius per legem.

Resp. Cùm heres sciat se neque sua promissione, neque ex dispositione testatoris obligari, non censetur ea dare ex vi illius dispositionis, sed ex sua liberalitate. quòd si putaret se obligari, & idcircò ea daret spurio; spurius non efficeretur illorum dominus: quia donatio non esset voluntaria; procederet enim ex ignorantia, vnde teneretur ea ipsi restituere. si tamen ipse re intellecta permitteret ea spurio, posset retinere. colligitur ex Couarr.num.11.

Dico Secundò, *Spurius* etiam non potest succedere matri, etiamsi nulla proles alia supersit. Couarruuias §.5 num.20.Molina disp.167. dicit esse omnium DD.sententiam. probatur; quia illegitimus, qui non potest succedere patri, non potest etiam succedere matri, nisi aliquo Iure sit de hoc exceptio; vt colligitur ex d. Authent. Licet, suprà, & ex Nouella 74.cap.6.atqui nulla de successione spurij in bonis maternis extat in Iure exceptio; sicut de aliis illegitimis, vt patet Instit. ad S.C. Orficianum §.Nouissimè. & L Si qua illustris.5.C.eodem. 64 *Non succedit matri.*

Aduerte tamen Primò, Quosdam existimare filium coniugati ex soluta, succedere posse matri: similiter filium sacerdotis, ex soluta vno vel altero concubitu susceptum; eò quòd tales coniunctiones legibus non vindicentur. Hæc sententia non videtur improbabilis; nam in praxi plerumque est recepta, teste Couarruuia nu.20. Contraria tamen est verior; quia reuerà isti concubitus legibus damnantur, etsi rariùs puniantur. 65

Aduerte Secundò, Quosdam sentire (quibus accedit Emmanuel Sà verbo Hereditas, & Henriquez lib 1.de matrimonio cap.21.n.1.) *spurium* posse retinere ea quæ mater ipsi reliquit, donec per Iudicem priuetur. modò notabiliter non noceat legitimis liberis. Quæ sententia mihi videtur non improbabilis, præsertim de matre non illustri. nam si quis benè expendat Iura, quibus Doctores probent matrem non posse aliquid ei relinquere, non omnino vrgent. Authentica enim Licet, & Nouella 74. loquuntur apertè de patre. similiter Authentica Ex complexu. C. De incestis nuptiis, vbi dicitur: *Ex complexu nefario aut incesto, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi, omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, ita vt nec alantur à patre*: cur hoc extendamus ad substantiam maternam, cùm odia sint restringenda? In d.L.Si qua illustris.5.C. ad S.C. Orficianum, solùm dicitur, mulierem illustrem, si proles habet legitimas, non posse quidquam dare vel testamento relinquere suo spurio. Hinc tamen non sequitur, quin mulier non illustris id possit, etiamsi alias proles habeat. Item non sequitur, illustrem non posse, si aliis liberis careat. 66 *Sententiæ probabilis.*

Aduerte Tertiò, Etiam spuriis deberi alimenta, si aliunde nõ se possunt sustentare, vt patet ex cap. Cùm haberet, de eo, qui duxit in matrimonium, &c. estque communis sententia DD. teste Couar. §.6.n.9. ratio est, quia parens Iure naturali tenetur alere prolem, si possit. Nec obstat, quòd Iure ciuili fuerit vetitum, ne proles ex damnato concubitu à patre alerentur, vt patet d. Authent. Ex complexu. C. de incest. nupt. quia Ius Canonicum illud sustulit, tamquam minùs consentaneum naturali pietati. & ita nunc seruatur etiam in foro sæculari, vt idem Couarruuias docet. Nomine autẽ *alimentorum* intelliguntur omnia, quæ pro conditione personæ sunt necessaria; vt victus, vestitus, habitatio, medicinæ, &c. hæc autem præstanda sunt, spectata conditione parentis & prolis, prout prudens arbitrabitur, vt colligitur ex dicto c.Cùm haberet. Vnde sequitur, filiæ spuriæ 67 *Alimenta debentur.* 68 *Alimenta.*

Dos spuria.

deberi dotem; quia hæc succedit in locum alimentorum, etiamsi parens esset sacerdos; vt docet Nauar. in cap. Non liceat. §. 19. num. 11. & colligitur

69 ex Couarr. nu. 15. Neque satisfacit pater huic obligationi, si filium ponat in aliquo hospitali pauperum; vt rectè Couarruuias n. 13. nisi fortè ipse pauper sit; vel nisi res sit occulta, & aliàs timeatur infamia. tunc enim ad tempus posset exponi ad aliquod hospitale, vitandæ infamiæ causa. nam etiam ad similes casus hospitalia quædam sunt fundata. teneretur tamen tunc parens hospitali illi compensare sumptus, etsi non ex rigore iustitiæ; (nisi fortè pro solis pauperibus sit institutum) tamen ex decentia & gratitudine. Possunt autem hæc alimenta secundùm quosdam relinqui, (præsertim si eorum quantitas lege sit definita) etiam si filius non egeat, quamuis Couarruuias nu. 14. de hoc dubitet. cur enim parens non possit dare filio spurio, quod potest extraneo? Ita sentit Henriquez lib. 1. de matrimonio, cap. 20. n. 4. Sed contraria sententia est communis, & ex mente legum.

70 His adde, Matrem teneri alere prolem primo triênio, vel suis sumptibus curare ali, si possit: post hoc triennium tenetur pater, donec filius sua industria se possit iuuare, vt docet Couarr. num. 19. & alij DD. & patet ex L. Nec filium. 9. C. de patria potestate, vbi id expressè habetur. Idem insinuat Gregorius IX. ca. fin. de conuersione infidelium, dum ait, *Pueri post triennium apud patrem ali debent.* vide Molinam disp. 159. §. Mater.

Mater quando tenetur alere.

71 Dico Tertiò, Filius *naturalis* potest institui heres vniuersalis à suis parentibus, si ipsi legitimas proles non habeant. patet ex d. Auth. Licet. C. de filiis naturalibus.

Filius naturalis, an patri succedat.

72 Aduerte tamẽ, Si aliquis, carens prole legitima, habeat ascendentes, iis Iure communi Cæsareo deberi portionem legitimam, vt patet Authent. de heredibus ab intestato Nouella 118. Couarr. §. 4. num. 20. hoc tamen pleriſque locis non est in vsu, vnde ibi totum potest dari filio naturali. Similiter totum relinqui potest nepotibus, siue ex filio naturali sint nati, siue ex spurio; quia nulla lex id vetat. Quòd si filius naturalis non instituatur heres,

73 non succedet patri ab intestato, nisi in duabus vnciis, id est, in sexta parte bonorum, vt habetur eadem Authent. Licet. Si pater habet liberos legitimos,

74 non succedet cum illis ab intestato; potest tamen ei relinqui vncia, id est, pars duodecima bonorum. vide Couarr. num. 19.

75 Dico Quartò, Filius *naturalis* succedit matri carenti legitimis, etiam intestatæ, vt heres ex asse. habenti autem legitimos, succedit ex æquo cum illis. d. L. Si qua illustris, 5. C. ad S. C. Orficianum. sed exactior horum tractatio pertinet ad Iurisperitos.

Succedit matri.

DVBITATIO VII.

Quibus modis potest aliquis heredi substitui.

DE his agit Gomezius tom. 1. c. 3. vsque ad 8. & Couarr. toto cap. 16. de testamentis.

76 Respondetur, Generatim sex modis, vt docet Gomezius cap. 3. n. 1. & alij passim, nempe *substitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommissaria, reciproca & compendiosa.* quatuor priores sunt simplices; duæ reliquæ sunt cõpositæ ex pluribus.

Substitutio vulgaris est, qua quiuis Iure non 77
prohibitus, potest substitui à quouis testatore. *Vulgaris.*
nam per hanc substitutionem testator solùm substituit sub cõditione; nempe si is, qui ipsi ex testamento vel ab intestato successurus erat, nolit aut non possit esse heres: vt si moriatur ante testatorem, si propter crimen fiat incapax, si repudiet hereditatem. his euentis succedet substitutus. Hæc autem conditio in omni substitutione vulgari vel exprimitur, vel saltem tacitè subintelligitur. fit enim vel *verbis generalibus*; vt si testator dicat, Ti- 78
tium instituo heredem, & Sempronium ei substi- *Fit tripliciter.*
tuo. & tunc non exprimitur vlla conditio, sed subintelligitur. vel *verbis specialibus*, vt, Titium instituo heredem, & si is heres non erit, substituo ei Sempronium. hîc exprimitur conditio, sed verbis specialibus, sub quibus continentur diuersæ conditiones singulares. vel denique *verbis singularibus*; vt quando exprimitur conditio specialissimè. vide Couar. de testamentis cap 16. §. 3. n. 3. 4 5. & plurima de variis formulis huius substitutionis apud Gomezium tom. 1. cap. 3.

Substitutio pupillaris est qua quis proli impube- 79
ri in sua potestate constitutæ aliquem substituit. *Pupillaris.*
cùm enim nemo ante pubertatem possit condere testamentum; Iura concesserunt vt pater impuberis possit loco illius quodammodò testari in suo testamento, directè substituendo ei heredem, si ante pubertatem decesserit; per quam substitutionem fit, vt non solùm bona illius pupilli, quæ à patre obtinuerit, sed etiam alia ad substitutum perueniant, perinde ac si ipsemet testamentum fecisset; vt docet Gomezius c. 4. n. 13. Nam vt §. Igitur. Instit. de pupill. substit. dicitur, *In pupillari substitutione duo quodammodò sunt testamenta, alterum patris, alteram filij, tamquam si ipse filius sibi heredem instituisset.*

Vbi tria notanda sunt. Primum est, Vt hæc sub- 80
stitutio sit valida, duo requiri. Primò, Vt testator *Duo requiruntur.*
eum, cui substituit, habeat in sua potestate. vnde mater non potest pupillariter substituere, vt docet Couar. §. 5. nu. 18. quia liberi non sunt in potestate matris. nec pater filio illegitimo, ob eamdem causam. Secundò, Vt pupillus, cui substitutio fit, non recidat per mortem testatoris in alterius potestatem. vnde auus non potest nepotem pupillariter substituere, si pater viuit; quia nepos post mortem aui recidit in potestatem patris. Nec pater filium, si auus adhuc viuit; quia nepos est in potestate aui Iure communi. vide Gomez. c. 4. n. 2.

Secundum est, In hac substitutione semper ex- 81
primi, vel certè subintelligi conditionem, *si in ætate pupillari*, (id est, ante pubertatem) *decesserit.* nam ratione huius dicitur substitutio pupillaris, vt DD. tradunt. Intelliguntur etiam aliæ conditiones, ratione quarum continentur tacitè aliæ substitutiones. Nam in omni formula substitutionis, continetur omnis substitutio, cuius persona, cui substituitur, est capax; seu quæ verbis illius formulæ significari potest. nisi constet de contraria mente testatoris.

Tertium est, Substitutionem pupillarem ex- 82
pressam posse fieri tripliciter, vt antè dictum est de *Potest fieri tripliciter.*
vulgari. Primò, Verbis generalibus; vt si testator loquens de filio suo impubere, non tamen exprimens specificè quòd sit impubes, dicat, Instituo filium meum heredem, & ei Titium substituo. Secundò, Verbis specialibus; vt si mentionẽ faciat

pupil-

pupillaris ætatis. Tertiò, Verbis specialissimis; vt si exprimat conditionem, Instituo filium meum impuberem heredem, & si in pupillari ætate post mortem meam decesserit, substituo ei Titium. quandocumque autem vno ex his tribus modis facta est substitutio, tunc substitutus pupillaris excludit matrem pupilli, si ille pupillus in ætate pupillari mortuus fuerit: vt docet Gomezius c.4. num.7. & Couarr. §.5. num.20.

83 *Exemplaris* est, cùm filio amenti, vel surdo simul & muto, vel prodigo, cui bonorum administratio interdicta (qui duo posteriores testari non possunt, nisi ad pias causas) fit substitutio; vt si testator habens talem filium, dicat; Instituo filium meum, & ei substituo Titium. Si hic filius nondum fuerit pubes, eadem substitutio etiam erit pupillaris. in eadem etiam semper continetur vulgaris. si enim contingat filium mori ante testatorem, substitutus succedet ex vulgari. Idem dicendum, si nomine ipsius hereditas repudietur. Exspirat hæc substitutio, si filius redeat ad sanam mentem, nec citò in insaniam relabatur. Dicitur hæc substitutio exemplaris, quia ad exemplum pupillaris substitutionis est inuenta.

Exemplaris.

84 Vbi notandum Primò, Posse hanc substitutionem fieri non solùm à patre, sed etiam à matre, idque in diuersos substitutos: & patris substitutio valebit in bonis prouenientibus à patre & linea paterna: matris verò valebit in iis, quæ à matre & linea materna, vt docet Gomezius c.6.n.13.

Secundò, Si ille, cui fit substitutio, habet liberos vel fratres, debet vnus vel plures ex his substitui; relicta legitima eis, quibus Iure debetur, vt idem Gomezius num.6.

85 *Substitutio fideicommissaria* est substitutio indirecta seu obliqua, qua heres grauatur, vt hereditatem totam vel partem eius aliquotam (v. g. dimidiam, tertiam, quartam, &c.) restituat alteri, qui fideicommissarius dicitur; vt ait Gomezius cap.5.numero 1. vbi

Fideicommissaria.

Tria notanda occurrunt. Primò, Ceteras omnes substitutiones esse *directas*, quia per eas hereditas directè & immediatè à testatore defertur substituto, absque ministerio alterius. Hæc autem est *indirecta* seu obliqua; quia per eam defertur hereditas ministerio alterius, vt docet Gomezius suprà, & Couarruuias cap.16.§.4.num.2.

Est directa. *Est indirecta.*

86 Vnde sequitur, hanc substitutionem posse fieri codicillo, ceteras minimè. ratio est, quia per codicillum benè potest heredi imponi onus vt hereditatem alteri restituat; (vt fit in hac substitutione) non tamen per codicillum potest aliquis directè institui heres, quod fit in ceteris substitutionibus. nam in illis instituitur heres sub certa conditione, nempe si prior institutus non fiat heres, vel si heres factus, moriatur in pupillari ætate, vel in amentia, &c. Si tamen aliquis codicillo faciat substitutionem vulgarem, vel pupillarem, vel exemplarem, vel reciprocam, vel compendiosam; ex benigna Iuris interpretatione habebit vim substitutionis fideicommissariæ. ita Glossa communiter recepta. Instit. de vulg. subst. in principio.

Sola potest fieri codicillo.

87 Secundò, Heredem sic institutum & grauatum restituere, posse detrahere quartam partem eius in quo institutus est; idque, tum ne vana sit heredis institutio, tum vt alliciatur ad acceptandum & præstandum quod testator cupit; vt si est institutus in tota hereditate, cum onere eam restituendi alteri, detrahet quartam totius: si in dimidia cum simili onere, detrahet quartam illius dimidij: si in decima, detrahet quartam illius decimæ. quòd si testator aliquid ei certi assignet, & reliquum iubeat restitui; si illud certum non adæquat quartam partem totius, in quo institutus est, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartam. hæc patent §. Sed quia stipulationes. Instit. de fideicommissarijs hereditatibus. L.1. & seq. C. ad S.C. Trebellianum. Vocatur autem hæc quarta *Trebellianica*, à Senatusconsulto Trebelliano, per quod est constitutum vt detraheretur, vt colligitur ex dicto §. A legatis non detrahitur hæc quarta, vt docet Couarru. c.16.§.1.num.10. similiter cùm fideicommissum est ad piam causam, seu cùm substitutus, est pia causa; vt docet Gomezius cap.5.n.11. & Couarru. de testam. cap.18.n.13. sicut enim fauore piæ causæ in legatis piis cessat Falcidia, vt patet Authent. Similiter, C. ad L. Falcidiam; ita in fideicommissis pijs cessat Trebellianica. nisi fortè etiam heres, qui grauatur, sit causa pia; tunc enim detrahet; quia vna causa pia contra aliam non habet priuilegium; sed Iure communi censentur. Siluester v. Legitima, num.9.

Potest detrahere quartam Trebellianam.

88 *Non detrahitur à legatis nec à piis causis.*

Petes, Vtrùm testator possit prohibere ne heres detrahat Trebellianam?

89 Resp. Posse, vt docet Gomezius suprà; quia potest prohibere ne heres detrahat Falcidiam à legatis. Authent. Sed cùm testator, C. ad L. Falcidiam: ergo etiam ne detrahat Trebellianam à fideicommissis. consequentia probatur, quia in Iure Trebelliana & Falcidia æquiparantur, ita vt ipsa nomina sæpè confundantur. Idem docet Couar. cap.18. num.10.

Potest prohiberi hæc quarta.

90 Tertiò, Si is cui imponitur fideicommissum, sit heres primi gradus, (id est, filius vel parens, cui debetur legitima) hunc ante omnia posse detrahere suam legitimam; hæc enim fideicommisso grauari non potest. deinde de reliquo, quando illud erit restituendum, potest detrahere quartam Trebellianam; vt docet Couar. cap.16.§.11.num.10. ex cap. Rainutius, & ex cap. Rainaldus, de testamentis, vbi id expressè habetur; nisi fortè iussus sit statim post mortem testatoris restituere fideicommissum; tunc enim non posset quartam illam deducere; sed deberet esse contentus legitima, vel illa quarta, prout maluerit; vt ibidem docet Couarru. A legatis tamen, habita legitima, non potest vlteriùs detrahere Falcidiam. Vocatur autem *Falcidia* ea pars, quam detrahit heres à legatis, vel donationibus causa mortis factis. & quidem si sit heres primi gradus, (id est, cui debita sit legitima) & testator tam multa fecerit legata, vt non reliquerit illi integram legitimam, detrahit à legatis, spectata singulorum proportione, donec compleat legitimam. Si autem sit heres, cui Iure non sit debita legitima, detrahit solùm vsque ad quartam bonorum; quam sibi potest seruare, sicut in fideicommissis. vide Siluestrum v. Legitima, numero 9. & Molinam disp.213.

Heres primi gradus detrahit duas portiones. *Si statim sit restituendum, non detrahit Trebellianam.* *Falcidia.*

Substitutio reciproca (quæ & *breuiloqua* dicitur) est, qua instituti, sibi vicissim substituuntur. hæc complectitur plures substitutiones quoad personas. vt si dicas, Instituo Seium & Caium meos heredes, & eos inuicem substituo. hîc vt minimum sunt duæ substitutiones vulgares. si vterque est impubes, sunt duæ vulgares & duæ pupillares. si alter est impubes, alter puber; sunt tantùm duæ vul-

92 *Reciproca.*

Plures continet.

gares: quia hæc substitutio solùm complectitur eas, quæ vtrique substituto pariter conueniunt, vt docet Couar.cap.16.§.7. n.4. Potest etiam continere duas fideicommissarias; vt si fiat per codicillum; vel si fiat in testamento verbis obliquis, id est,quibus iubeantur vel rogentur heredes, vt is qui prior moritur,restituat aliis hereditatem; Couarruuias num.3.vide etiam Gomezium c.8.

93 *Compendiosa.* *Substitutio compendiosa* est, quæ plures complectitur substitutiones, quoad diuersa tempora. comprehendere enim potest omnes heredes, & *Plures continet.* omnes ætates eorum, vt ait Gomezius cap. 7. n.1. vt si testator dicat, Instituo filium meum heredem; & quandocumque ex vita decesserit, substituo ei Titium. hîc enim si filius moriatur ante patrem, vel alia de causa non fiat hæres, Titius substitutus succedet ex vulgari. si verò filius fiat heres, & moriatur in ætate pupillari, succedet Titius ex pupillari. si verò filius moriatur post pupillarem ætatem, succedet ex fideicommissaria, detracta legitima, & quarta Trebellianica. si verò filius sit amens, succedet ei ex exemplari. Gomezius numero 2.

Dvbitatio viii.

Vtrùm testamentũ possit semper reuocari.

94 Respondeo, Testamentum per se consideratum, semper vsque ad mortem potest reuocari & mutari. nam *primùm in mortuis confirmatur*, vt ait Apostolus ad Hebr. 9. idem omnia Iura & gentium mores docent. vide Couarr. Rubr. de testam. p.2. in principio.

95 Sed difficultas est Primò, Vtrùm reuocari possit, si testator iurauerit se non reuocaturum. Multi enim Iurisperiti, vt refert Couarr.suprà, n.48.docent liberè reuocari posse absque vllo peccato. Sed omnino tenendum est, absque peccato mortali reuocari non posse. Ratio est; quia iuramentum, quod absque salutis præiudicio seruari potest,implendum est,vt apertè habetur cap. Quamuis pactum. de pactis, in 6. de quo suprà cap. 17. Dub. 4. atqui hoc iuramentum tale est: nam non reuocare testamẽtum,& relinquere eum heredem quem instituisti, est res licita, quæ absque salutis incommodo possit seruari. imò fieri potest vt sit multò melius quàm oppositum; vt si testamẽtum factum sit ad piam causam. tunc igitur nullo modo absque sacrilegij scelere potest reuocari: est enim instar voti. Nec obstat, quòd testamentum natura sua sit reuocabile; hoc enim intelligendum de testamento per se nudè considerato, absque iuramento: sicut donatio inter coniuges, & donatio mortis causa est reuocabilis per se considerata; si tamen confirmetur iuramento, non potest absque

Si iuramẽto confirmetur,non potest reuocari.

96 peccato mortifero reuocari. imò promissiones & contractus, qui Iure positiuo vel naturali sunt irriti, iuramento ita confirmantur vt omnino impleri debeant, si eorum impletio licita est; vt patet in promissione solutionis vsurarum, quæ Iure naturæ est irrita; & alienatione fundi dotalis, quæ Iure ciuili est irrita. Quæ etiam vera sunt,etsi prohibitum esset iuramentum apponere. etsi enim tunc peccaret iurando, eò quòd faceret contra iustam prohibitionem; tamen non peccaret iuramentum implendo; nam hoc non est prohibitum. vide suprà cap.17.Dub.7.

Aduerte tamen, Si quis metu vel fraude inductus esset ad iurandum, posset petere dispensationem in iuramento, & tunc reuocare. sed de hoc infrà cap.42.Dub.12.num. 64.

Secundò, An, si testator reuocet tale testamen- 97 *An reuocatio valeat.*
tum iuramento confirmatum,confecto alio, reuocatio sit valida, ita vt prius testamentum reddatur irritum? Couarruuias n. 46. cum plurimis Iurisperitis affirmat secundum testamentum esse præferendum priori: ac proinde prius esse irritum, etiamsi id conditum esset ad pias causas. Probatur; quia si constituam te meum procuratorem, & iurem me non reuocaturum; si tamen reuoco,valet reuocatio, & desinis esse meus procurator. similiter si iurem me ducturum hanc in vxorem; si posteà duco aliam,valet actus secundus. ratio esse potest, quia iuramentum non aufert potestatem ad testandum, quam Ius gentium & ciuile concedit; sed solùm facit vt sis periurus si aliud condas. Hæc sententia benè probat, prius testamen- 98
tum non habere vim testamenti, sed secundum; verùm non probat, ex priori non esse acquisitum ius ad bona testatoris, ratione iuramenti. si enim testator promitteret tibi se daturum sua bona vel partem illorum, & hanc promissionem iuramento confirmaret; acquireres ius ad illa in vtroque foro,quod ius transiret ad tuos heredes; & ipse contraheret obligationem, quæ transiret ad ipsius heredes; vt constat ex dictis suprà c. 17. Dub.7. vnde heredes defuncti tenerentur satisfacere huic obligationi ante impletionem testamenti, sicut 99
aliis debitis in vita contractis; quia succedunt in omnia onera realia defuncti. Idem dicendum de testamento,iureiurando confirmato, vt docet Molina disput.149.& 152. hoc tamen intelligendum 100 *Restrictio illius tenetis.*
est, si is, in cuius fauorem testamentum illud fuit conditum, sciuit & acceptauit. si enim nesciuit, ex iuramento illo non est orta obligatio realis, quæ ad heredes transeat, sed personalis tantùm, quæ mansit in solo testatore. nam vt suprà c. 18. Dubit. 6.dictum est, ex promissione non acceptata,non oritur obligatio. itaque heredes non tenebuntur. Hæc sufficiant de testamentis: nam cetera ferè ad Iurisperitos pertinent, & diuersissimæ sunt de hisce rebus diuersorum locorum leges & consuetudines.

CA-

CAPVT VIGESIMVM.

De mutuo & vsura. *D.Thomas q.78.*

Constat Dubitationibus 24.

1 *Vnde vsura dicta.*

NOTANDVM est, lucrum vsurarium vocari *vsuram*, eò quòd ex *vsura*, id est, *vsu* pecuniæ alteri mutuatæ proueniat. *vsura* enim idem valet quod *vsus*: dicimus enim Latinè, habere vsurã huius lucis, vsuram breuissimi temporis. & Cicero; *Natura dedit vsuram vitæ, sicut pecuniæ.* Hinc factum est vt lucrum ex vsura seu vsu pecuniæ proueniens, *vsura* vocetur. Idem lucrum vocatur etiam fœnus, quasi quidam fœtus pecuniarum, & Græcè τόκος, id est, partus. de quo vide pulchra apud Ambros. l. de Tobia c. 12. & 13. & Basil. Homil. 2. in Psalmum 14. qui dicunt vsuram vocari fœnus & τόκον, quòd cùm pecunia sit naturâ suâ maximè sterilis, tamen industria auarorum, vincat fecunditate omnia viuentia.

Τόκος.

2 Notandum Secundò, hæc nomina non semper accipi in malum; vt Deuter. 19. *Fœnerabis gentibus multis, & à nullo fœnus accipies*, id est, mutuabis. Ecclesiastici 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis.* Similiter apud profanos Scriptores sæpè pro iusto lucro seu interesse accipiuntur.

DVBITATIO I.

Quid mutuum.

NOtandum est, nomen *mutuum* aliquando accipi pro re ipsa, quæ cadit in contractum mutuationis; vt cùm dicimus dari vel reddi *mutuum*: aliquando pro ipsa mutuatione; quo modo hîc loquimur de mutuo, & potest sic describi:

3 *Mutuum quid.* *Mutuum est traditio rei, numero, põdere vel mensura constantis, facta eo animo, vt statim fiat accipientis, cum obligatione vt similis specie & bonitate restituatur.* colligitur ex Institut. tit. Quibus modis re contrah. obligat. & π. Si certum petetur; L. 2.

Explico singula. *Est traditio*; quia mutuum perficitur traditione, sicut donatio, commodatum, depositum. hinc excluduntur contractus qui verbis perficiuntur; vt emptio, venditio, locatio, conductio, & similes.

4 *Rei, numero, pondere vel mensura constantis*; quia mutui obligatio in his rebus consistit, quæ numero, pondere, mensurave constant; vt in vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro; vt habetur Instit. Quibus modis re contr. oblig. in principio, & d. L. 2. π. Si certum petetur. Non dico *vsu consumptibilis*; quia si tibi mutuem libram ęris vel argenti, est verum mutuum, vt patet ex locis citatis; non tamen rei istius vsus, est consumptio vel alienatio. Vnde non est verum, quod ait Nauarrus cap. 17. num. 206. mutuum reperiri in solis rebus quæ vsu consumuntur; etsi verum sit, vt plurimùm in his reperiri. Dicuntur autem *vsu consumi*, quarum vsus est consumptio; (vt oleum, vinum) vel alienatio (vt pecunia.) Hæ res dicuntur à Iurisperitis *accipere functionem* (vt patet L. 2. π. Si certum pet.) quia vna potest fungi vice alterius, vt frumentum, frumenti; pecunia, pecuniæ; vt colligitur ex eadem lege. Similiter non est propriè mutuum, si quis alteri det ouem vel bouem, recepturus aliam ouem vel bouem: quia hæc non constant pondere, numero vel mensura. vnde etiam non solemus dicere, Mutua mihi vnam ouem. sed potiùs est contractus innominatus, Dabo vt des. sicut si quis det sacculum pecuniæ vt alium recipiat similem; non est mutuum, sed contractus innominatus, vt inquit Glossa Instit. suprà in principio.

Eo animo, &c. quia *mutuum* dicitur quasi ex meo tuum; ità enim à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat; vt habetur Instit. suprà, & d. L. 2. suprà.

Cum obligatione, quia hæc traditio non habet rationem mutuationis; nisi cum obligatione fiat. hinc excluditur donatio.

Vt similis in specie; si enim reddenda si res alterius speciei, non erit mutuum, sed permutatio: si verò eadem numero, non erit etiam mutuum; sed commodatum, vel depositum. Itaque ad rationem mutui requiritur vt mutuatarius obligetur reddere rem similem secundùm speciem: vt autem seruetur æqualitas, debet esse paris bonitatis. 5

DVBITATIO II.

Vtrùm aliqui ex mutuo non obligentur.

REspondeo, Omnes, qui possunt contrahere, Iure naturæ ex mutuo obligari; nisi priuilegio Iuris positiui eis concessum sit vt in certis casibus non obligentur, vel certè obligationem possint elidere exceptione. Tale autem priuilegium concessum est *filio familias, Ecclesiæ, ciuitatibus, & minoribus.* 6

Filiusfamilias. Ac Primò quidem *filiusfamilias*, qui est sub patria potestate, si mutuam pecuniam absq; consensu patris acceperit, non tenetur in effectu ad restitutionem; ne post mortem quidem patris; quia potest opponere mutuatori exceptionem Senatusconsulti Macedoniani, quo concessum est ei, vt non teneatur soluere, vt docet Gomezius tom. 2. cap 6. num. 2.

S.C Macedonianum. Vbi notandum Primò, Huius Senatusconsulti occasionem dedisse quemdam Macedonem fœneratorem. hic Romæ filiisfamilias petentibus pecuniam mutuabat, qui postea oppressi ære alieno, vitæ parentum insidiabantur, vt hereditate potiti, possent soluere. quam ob causam Senatusconsulto cautum fuit, vt si quis filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, ei non daretur actio, petitioque, ne quidem post mortem patris, vt habetur L. 1. π. de S. C. Macedoniano. 7

Notandum Secundò, Quamuis verbis huius Senatusconsulti solùm videatur tolli obligatio ciuilis: 8

Etiam naturalis obligatio tollitur.

uilis: (quod multi DD. tenent, estque satis probabile) tamen probabilius est quòd etiam tollatur obligatio naturalis, ita vt in foro conscientiæ non teneatur vmquam tale mutuum restituere, si velit hoc priuilegio vti. vt docet Gomezius suprà, ex Innocentio in cap. Quia plerique, de immunitate Ecclesiarum, & ex communi sententia DD. & Molina disp. 301. idque statuit lex, tum in pœnam eorum qui talibus mutuarent; tum vt omnis occasio machinationis prauæ contra parentes, filiis præscinderetur. vnde etiam huic priuilegio non potest filius renuntiare; quia magis est in fauorem parentum, quàm ipsius. Si tamen filius iurauit se soluturum, tenebitur soluere, saltem post mortem patris, quando commodè poterit. quia semper iuramentum in alterius fauorem factum seruandum est, quando absque peccato seruari potest, vt patet ex dictis suprà cap. 17. Dub. 7. Potest tamen huius iuramenti peti relaxatio à Prælato: quia in fraudem legis appositum est; & aliàs lex facilè redderetur inutilis: eaque obtenta poterit non soluere.

9 *Si iurauit soluere.*

10 Notandum Tertiò, Hanc exceptionem competere non solùm filiofamilias, sed etiam filiæfamilias, & parentibus eorum, & heredibus, & fideiussoribus eorum, vt patet L. 7. & 9. π. de S. C. Macedon. Gomezius suprà.

11 *Exceptiones, quibus filius tenetur.* Aduerte tamen, esse multos casus, in quibus filius tenetur. Primò, Si habet bona castrensia vel quasi castrensia. Secundò, Si publicè putabatur sui iuris. Tertiò, Si accepit mutuò non pecuniam sed rem aliam, vt triticum, vinum, & similia, (nam lex solùm loquitur de mutuo pecuniario) nisi id fecerit in fraudem legis, vt inde conflaret pecuniam. Quartò, Si pecunia versa sit in vtilitatem patris. Quintò, Si pater debuisset eam secundùm rectam rationem suppeditare. vt si filius absens causa studiorum, accipiat mutuum necessarium vt viuat, vt emat libros necessarios, vt soluat didactra. vide Gomezium suprà.

12 *Ecclesia.* Secundò, Si *Ecclesiæ vel causæ piæ* mutuum datum sit, & dubitetur postea, num pecunia illa versa sit in eius vtilitatem: non tenetur Ecclesia vel locus pius soluere, nisi creditor probet in vtilitatem eius pecuniam illam versam esse. Ita habetur in Authent. Hoc Ius porrectum. C. de sacrosanctis Ecclesiis, quæ translata est in Ius Canonicum, 10. q. 2. Idem dicendũ, si mutuum datum sit *oppido*; vt patet L. Ciuitas. 27. π. Si certũ petetur. *Oppidum.*

13 Aduerte tamen, si Prælatus cum consensu Capituli, mutuum nomine Ecclesiæ accepit, & possit solui absque alienatione rerum immobilium Ecclesiæ, solui debere, etiamsi creditor non probet pecuniam in Ecclesiæ vtilitatem versam fuisse. Ratio est, quia ad alienationem rerum mobilium, non est opus vt constet illam Ecclesiæ esse vtilem. quare cùm Prælatus cũ Capitulo habeant plenam administrationem, possunt hæc in hoc casu alienare. Si verò solui non possit absq; alienatione bonorum immobilium; tunc creditor debet probare: quia hæc alienatio non est valida, nisi constet illam esse necessariam vel vtilem Ecclesiæ: & in hoc casu intelligenda est ista Authentica.

14 Si particularis aliquis administrationi Ecclesiæ vel pij loci deputatus, mutuum nomine illius loci acceperit, debet creditor probare esse conuersum in illius vtilitatem; nisi tali administratori concessum fuerit tantam summam accipere. vide hac de re fusè apud Panorm. in cap. Quòd quibusdam, de fideiussionibus, & Molinam disp. 300.

15 Tertiò, Si tutor nomine pupilli, vel curator nomine minoris mutuum acceperit, non tenetur ille postea etiam maior factus soluere, nisi creditor probarit id in eius vtilitatem esse conuersum. Ita communiter DD. ex L. 3. C. Quando ex facto tutoris. *Minor.*

16 In his tamen casibus datur actio aduersus eum, qui nomine alterius mutuum petierit.

17 Quartò, Si aliquis minor 25. annis mutuum acceperit, & inde se læsum deprehenderit, vt quia pecuniam inutiliter consumpsit; potest petere restitutionem in integrum, vt non teneatur, nisi quatenus inde factus est locupletior. vt dictum est cap. 17. Dubit. 9. & docet Gomezius tom. 2. cap. 14. numero 2. *Restitutio conceditur.*

Dvbitatio III.

Quid sit vsura.

18 NOtandum est, hoc nomen in præsenti negotio accipi tripliciter, Primò, Pro lucro vsurario. Secundò, Pro contractu vsurario vnde hoc lucrum. Tertiò, Pro voluntate sic contrahendi. Si accipiatur primo modo, sic definiri potest, *Vsura est lucrum immediate ex mutuo proueniens. Lucrum* vocatur acquisitio rei supra sortem pecunia æstimabilis, & aliàs indebitæ. vnde si mutuem tibi mille, vt desinas iniquè nocere, vt soluas debitum, vt reddas depositum, non erit vsura; quia nihil acquiro supra sortem, nisi quod alio titulo mihi erat debitum. si mutuem vt consequar amicitiam vel fauorem, non erit vsura, quia amicitia non æstimatur pecuniâ. & quamuis fauor magni æstimetur in electionibus & suffragiis; si tamen non intendas obligare, sed solùm allicere, nulla erit vsura, vt statim constabit. *Vsura, Lucrum.*

19 *Immediatè*, quia debet hoc lucrum prouenire ex vi pacti mutuationis. si enim immediatè proueniat ex amicitia vel gratitudine, vel ex spe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, non erit vsura. vt autem censeatur ex vi mutui prouenire, requiritur vt mutuator intenderit mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare obligatione stricta seu iustitiæ, qualis per pacta induci solet; vel certè vt mutuatarius putet hanc mutuantis fuisse mentem. *Ex vi mutui.*

20 *Ex mutuo proueniens.* si enim vendas rem tuam supra iustum pretium, lucraris quidem, sed hoc lucrum non est vsura, quia prouenit non ex vi mutui, sed ex iniqua venditione. Idem dicendum de locatione, conductione, & similibus contractibus. vnde talis non incurrit pœnas vsuratiorum.

21 Aduerte tamen, nihil referre, sitne mutuum illud, ex quo tibi lucrum obuenit supra sortem, expressum, (vt cùm aliquis expresè mutuauit:) an implicitum; vt cùm vendit rem pluris iusto, ob dilationem solutionis; aut emit minoris iusto, ob anticipationem: dum enim venditor concedit dilationem, implicitè illi mutuat pretium vsque ad tempus solutionis: & dum emptor anticipat solutionem, implicitè mutuat vsque ad tempus traditionis rei emptæ. vnde lucrum hinc proueniens est vsurarium. *Mutuum expressum. Implicitũ.*

22 Ex his facilè intelligitur quid vsura pro contractu

Vsura pro contractu & voluntate.

ctu & pro voluntate. *Vsura* enim *pro contractu* nihil est aliud, quàm mutuatio expressa vel implicita, cum pacto reddendi aliquid supra sortem ratione mutui. *Pro voluntate*, est voluntas capiendi lucri supra sortem ex vi mutui. quam definitionem explicat Couarr. lib. 3. variar. c. 1. num. 2.

DVBITATIO IV.

Quo Jure sint prohibitæ vsuræ.

D. Thom. quæst. 78. art. 1.

23 SVppono, *vsuras* (id est contractus vsurarios, & acquisitionem lucri ex his contractibus) esse prohibitas: imò hæresim esse, dicere, vsuram non esse peccatum, vt definitum est in Concilio Viennensi, & habetur Clement. vnica, tit. de vsuris, §. vlt. & colligitur ex multis Scripturæ locis. Est contra Carolum Molinæum, qui in tractatu de commerciis n. 7. 11. & alibi, probat vsuras moderatas, quas Ius ciuile permittit. vide Nauarr. comment. de vsuris. num. 11.

24 Sed difficultas est, quo Iure sint prohibitæ. Quidam enim existimarunt, solo Iure positiuo interdictas esse. Ita Abul. in cap. 25. Matth. q. 171. & 172. Sed dicendum est, non solùm Iure positiuo (diuino & humano) sed etiam naturali illicitas esse: est communis sententia Theolog. & Canonistarum, vt videre est apud Couarr. lib. 3. variar. cap. 1.

Iure diuino vetitæ.

Quòd *Iure diuino*, patet Psalmo 14. vbi dicitur, *eum, qui pecuniam suam non dederit ad vsuram, habitaturum in monte sancto Domini.* vbi indicatur, eum qui dederit ad vsuram, non habitaturum. Ezech. 18. dicitur de eo qui dedit ad vsurâ, quòd *non viuet.* denique Luc. 6. *Benefacite & mutuũ date, nihil inde sperantes*, nempe vltra sortem, vt pleriq; DD. Scholastici, & Vrbanus III. c. Consuluit. de vsuris, hunc locum explicant. Et quamuis videatur Dominus ibi tradere consilium perfectionis Christianæ, vt benefaciamus proximo, eique mutuum demus, etsi nullum simile beneficium ab ipso speremus: tamen ille etiam sensus est probabilis, & colligi potest ex illis verbis, argumento à maiori; vt inquit Sotus lib. 6. q. 1. art. 1.

25 *Iure Canonico.*

Quòd etiam *Iure Canonico*, patet ex Decreto causa 14. q. 3. & 4. & ex Decretalibus toto titulo de vsuris. & ex 6. Decretalium eodem titulo. & Clement. de vsuris.

26 *Iure naturali.*

Deinde quòd etiam *Iure naturali* sint illicitæ, probatur; quia est contra Ius naturæ, vt idem bis seu duplici pretio vendatur. Item vt vendatur id, quod non est vendentis: atqui is qui vsuras accipit, vendit idem bis, & vendit id quod non est suum: ergo peccat contra Ius naturæ. Minor probatur, quia qui vsuras accipit; vel accipit eas pro sorte, & sic pro eadem re duplex pretium accipit, nempe summam sorti æqualem, & præterea vsuram; vel accipit eas pro vsu sortis, & sic vendit alteri vsum rei non suæ, sed ipsius: nam per mutuum transfertur dominium in mutuatarium, & consequenter etiam vsus rei. Item vsus rei illius non distinguitur à substantia rei, si æstimationem spectes: nam vsus illius est alienatio, & quasi consumptio substantiæ: ergo pro vsu rei, & pro substantia rei non potest distinctum pretium accipi. vide Couarr. suprà numero 5. vbi adfert testimonium Aristotelis, Plauti, Catonis, Ciceronis & Aristophanis contra vsuras.

27 *Qui tituli possint obtendi.*

Dices, Non desunt alij tituli vsurariis, ratione quorum videntur posse accipere supra sortem; vt ratione temporis, quo alter pecuniâ vtitur: ratione obligationis, qua se obligat ad non repetendam sortem intra certum terminum: ratione carentiæ pecuniæ, quia interim priuat se facultate ea vtendi: denique ratione laboris mutuandi, scribendi, numerandi.

28 *Labor numerandi.*

Resp. Titulum, quo vsura accipitur, propriè esse vsum pecuniæ ad certum tempus concessum: ceteri tituli propriè & per se non sunt vsurarij, sed tantùm quatenus implicitè in illum recidunt. quod fit, dum exceditur in æstimatione. Itaque ratione temporis nihil accipi potest, quia hoc nihil esset aliud quàm accipere ratione vsus tanti temporis. Ratione laboris scribendi & numerandi dum datur & restituitur mutuum, aliquid exigi potest, vt docet Siluester ex Hostiensi v. Vsura 1. nu. 32. & Nauarr. cap. 15. nu. 209. ratio est; quia hoc totum fit in gratiam mutuatarij, estque nauatio operæ pretio æstimabilis. si tamen iusta æstimatio excedatur, præsumetur vsura.

Ratione obligationis non repetendi & ratione carentiæ pecuniæ, quæ duo parum differunt, an aliquid accipi possit, dicemus infrà.

29 *Sunt intrinsecè malæ.*

Ex his patet, vsuram eodem Iure vetitam, quo furtum; ac proinde esse intrinsecè malam, si formaliter consideretur. sicut enim intrinsecè malum est, accipere rem alienam inuito iusta ratione domino: ita etiam intrinsecè malum est, exigere lucrum supra sortem ex pacto mutui seu titulo mutui. vnde nulla dispensatione possunt fieri licitæ. *Indispensabiles.* Potest quidem Deus tibi concedere, vt vltra sortem possis exigere, sed tunc tamquam Dominus omnium hoc tibi donabit; & sic non exiges præcisè ex vi obligationis inductæ per pactum mutui, sed ex donatione Dei, qui est Dominus omnium. sic Israelitæ spoliantes Ægyptum non commiserunt furtum, aut aliam iniuriam.

30 *Obiectiones.*

Sed contrà Obijcitur Primò, Deuteron. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno.* & c. 28. *Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies:* ergo licitum est, saltem ab infidelibus exigere vsuras.

Respondeo negando consequentiam. nam in priore testimonio illis verbis (*sed alieno*) vel significatur tantùm permissio vsurarum erga infideles, maioris mali vitandi causa, nè videlicet suos fratres vsuris exhaurirent, sicut exponit D. Thomas q. 78. art. 1. ad 2. vel conceduntur vsuræ erga infideles, qui erant hostes Iudæorum; quos Iure poterant rebus suis siue artificio, siue vi spoliare: ita Ambros. l. de Tobia cap. 8. In secundo non dicitur *fœnerabis ad vsuram*, sed *fœnerabis*, id est, mutuum dabis; & significatur benedictio custodientium legem: videlicet, tantas fore eorum opes, vt multis gentibus possint dare mutuũ. vide D. Thomam suprà, & Couarr. lib. 3. var. cap. 1. nu. 7.

31 Obijcitur Secundò, Ius ciuile permittit vsuras, & ad eas exigendas concedit actionem; si tamen per stipulationem de eis conuenerit, vt patet L. 1. 2. & aliis, C. de vsuris. atqui si Iure naturali essent vetitæ, id non latuisset acutissimos illos Iureconsultos. Ob hoc argumentum Car. Molinæus lib. de commerciis, num. 6. & sequent. concedit vsuras moderatas esse licitas, quales præscribuntur

L. Eos

L. Eos qui. 26. C. de vsuris. sed hoc iam satis refutatum est. vnde

Possunt permitti.

Respondeo, Vsuras ob bonum Reipublicæ posse permitti; sicut & prostibula. qua parte tamen 32 Ius ciuile videtur eas approbare tamquam licitas, & cogit ad solutionem, eatenus est abrogatum per Ius Canonicum; dum Canones damnant illas tamquam illicitas, vt patet ex plurimis Canonibus: & insuper excommunicant Iudices cogentes ad earum solutionem; vt patet Clement. vnica, de vsuris. Quod ad Iurisconsultos attinet, puto eos facilè intellexisse, vsuras formaliter esse illicitas; tamen concessisse quasdam moderatas, tum ob bonum publicum, tum quia sæpè aliqui iusti tituli intercedunt. quamuis in eo sententia illorum non sit admittenda, quòd generatim tales vsuras tamquam licitas & iustas concedant.

33 Vbi aduerte, Iure Cæsareo non quaslibet vsuras concedi; sed has tantùm, Primò, Si illustres erant personæ, tantùm poterant stipulari seu exigere tertiam centesimæ; id est, pro centum aureis, singulis mensibus tertiam partem aurei. Secundò, Si erant negotiatores, vel præerant ergasteriis, tantùm bessem centesimæ, id est, duas tertias vnius aurei per mensem pro 100. Tertiò, In traiectitio contractu (.i. cùm pecunia dabatur mercatori traijcienti mare) vnam centesimam, id est, vnum pro centum in singulos menses. Quartò, Ceteri non poterant stipulari nisi dimidiam centesimæ, id est dimidium aureum pro centum, in singulos menses. hæc omnia habentur d. L. Eos qui. C. de vsuris. & L. vltima, eodem titulo, tollit Iustinianus omnem anatocismum, i. omnes vsuras vsurarum: quæ nascuntur ex eo quòd vsuræ nondùm solutæ annumerentur sorti, & pariant similiter lucrum; quod lucrum rursus adijcitur & parit; & sic in infinitum.

Vsuræ quædam iure ciuili concessæ.

Vsuræ vsurarum sublatæ.

34

Hinc patet, in maximis vsuris non fuisse permissum exigere nisi 12. in centum, idque tantùm in fœnore nautico, vbi periculum sortis, erat mutuantis, vt patet ex omnibus legibus, ff. de fœnore nautico. In secundis, octo pro centum: in tertiis, sex pro 100. in minimis, 4. pro centù: nunc passim permittuntur 33. in centum; magno miserorum hominum malo, cui magna ex parte occurri posset per Montem pietatis; vt infrà Dub. 23. dicetur.

Dvbitatio v.

Vtrùm licitù sit sperare lucrum ex mutuo.

35 OMissis variis sententiis, quæ non tam re quàm verbis differunt,

Dico Primò, Nec principaliter nec minùs principaliter licet sperare lucrù, quod detur tamquam ex obligatione iustitiæ propter mutuum. Ita Sotus lib. 6. q. 1. art. 1. & Ioan. Medina q. 1. C. de vsuris restituendis, §. Tertiò inquirendum. Probatur Primò, Quia velle accipere & retinere tale lucrù, est iniquum; est enim velle accipere alienum: nam dando tali modo non transfertur dominium, vt infrà Dubitat. 18. dicetur: ergo tale lucrum non licet sperare; non enim licet sperare, quod non licet accipere. Secundò, Per mutuum tu nullum ius acquiris ad tale lucrum, nec ille obligationem iustitiæ contrahit ad illud dandum: ergo iniquum est illud desiderare tamquam ex obligatione 36 iustitiæ per mutuum inducta. Hoc sensu verum est, non licere sperare lucrum ex mutuo; nempe tamquam ex pacto mutui, obligatione iustitiæ debitum. Et hoc est, quod ait Vrbanus III. cap. Consuluit. tit. de vsuris, *Qui mutuat, alias non mutuò daturus, eo proposito, vt licet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat; pro huiusmodi lucri intentione, quam habet, iudicandus est male agere.* Loquitur enim de eo, qui sine externa conuentione intendit lucrum tamquam debitum ex iustitia, siue principaliter, siue minùs principaliter. Neque hìc est facienda distinctio inter lucri spem & lucri intentionem, quasi hæc non liceat, illa sit licita; vt facit Medina suprà: quia spes & intentio non sunt actus distincti.

Sperare lucrum ex mutuo.

Cap. Consuluit.

Dico Secundò, Non est iniquum etiam principaliter sperare lucrum ex mutuo, mediante amicitia vel gratitudine; ita vt non speretur immediatè ex ipso mutuo, tamquam pretium eius. Colligitur ex Soto suprà, & tenet Petrus Nauarra l. 3. de restitut. cap. 2. num. 198. Probatur, quia accipere tale lucrum sic datum, non est iniquum; non enim accipitur inuito domino, cùm illum ad hoc non obliges; sed ipse omnino liberè, ratione amicitiæ vel gratitudinis illud det: ergo intendere accipere, iniquum non est, siue principaliter, siue minùs principaliter intendas per mutuationē tale lucrum adipisci; hoc enim nihil facit ad iniustitiam. quamuis fieri possit, vt sit signum auaritiæ, si principalis finis mutuationis in tali lucro constituatur. Fieri tamen potest vt licitè lucrum principaliter intendas; vt si mutues alicui Principi, intendens principaliter per eius amicitiam aliquod officium vel priuilegium quæstuosum ad bonum finem referendum. licitum enim est aliquando amicitiam alicuius ambire propter aliquod commodum temporale, ita vt eam desideres tantummodò vt medium ad illud; vt si talis amicitia tibi alioquin esset grauis. sic multi captant fauorem aulicorum.

37 *Principaliter sperans lucrum.*

38

Dico Tertiò, Licitum etiam est ex mutuo sperare amicitiam tam principaliter quàm minùs principaliter; & ex amicitia lucrum. Quòd licitum sit sperare amicitiā principaliter, seu vt finem principalem, & secundariò lucrum ex amicitia, satis manifestum est. possum enim desiderare amicitiam alicuius, propter eius virtutem vel sapientiam, & ad eam mihi conciliandam dare illi mutuum cum spe, quòd ex amicitia illa etiam aliquid commodi mihi prouenier. Quòd *etiam liceat sperare amicitiam minùs principaliter*, nempe tamquam medium ad lucrum principaliter speratum, (etsi Nauarrus contrà sentire videatur) patet ex dictis. quamuis enim amicitia absolutè sit bonum præstantius quàm pecunia, ac propterea non debeat tota eius dignitas æstimari ex vtilitate ad lucrum temporale; (valdè enim inordinatū esset, nullam appetere amicitiam, nisi ob commodum temporale) tamen quòd me applicem ad huius vel illius amicitiam in particulari, fieri potest etiam propter solam pecuniam, idque absque omni inordinatione. quod enim ad multa vtile est, potest desiderari ob hanc vel illam vtilitatem, nulla habita ratione aliarum vtilitatum quæ illi rei insunt, modò illa res secundùm se non æstimetur tantummodò ex illa vna vtilitate. hoc enim non est facere commodum temporale finem illius rei, sed finem huius desiderij, quo hîc & nunc magis desideratur hoc commodum, quàm illa amicitia; quia magis necessarium. vt cùm is, qui statuerat manere cælebs,

39

40 *Amicitia minùs principaliter intenta.*

lebs, mutat sententiam, eò quòd offeratur pulchra & opulenta vxor, decernitque hanc ducere; hic non facit pulchritudinem finem matrimonij propriè, sed suæ applicationis seu electionis, qua hîc & nunc mutat animum, & se ad matrimonium applicat, vt benè explicat Caietan.to.1. opusc.12. q:3. Idem dicendum de eo, qui amicitiam alicuius affectat, eam dumtaxat ob causam, vt inde aliquid commodi temporalis percipiat.

Dvbitatio vi.

Vtrùm qui animo vsurario aliquid accepit pro mutuo, sine vllo externo pacto, teneatur ad restitutionem.

Vsurarius mentalis.

NOtandum, hunc à DD. vocari *vsurarium mentalem*, quia sine vllo externo pacto mente vsuraria aliquid accipit, siue alter det gratis, siue non.

41 Respondeo & Dico Primò, Si mutuans intendat aliquid accipere tamquam pretium mutui, seu tamquam debitum ex pacto mutui, & mutuatarius eo modo det, (quod interdum accidit, quando indoles mutuantis ei est perspecta) tunc iudicio omnium, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia mutuatarius non intendit donare gratis, sed solùm tamquam debitum ex pacto mutui: atqui non erat debitum; ergo nihil dat. Iuxta hunc casum videtur intelligendum cap. Consuluit, de vsuris, vbi Pontifex dicit, eum, qui ex proposito mutuam pecuniam credit, vt plus sortè recipiat, (nempe tamquam debitum ex mutuo) inducendum efficaciter ad restitutionem: quamuis sine omni conuentione id fecerit. vide Couarr. ad regulam Peccatum, p.2. in principio, nu.4.

42 *Si nesciat dari gratis.* Dico Secundò, Si mutuatarius det gratis seu ex amicitia, & mutuator id ignorans accipiat tamquam datum ex obligatione ratione mutui; tunc non tenetur ad restitutionem ex parte rei, sed solùm ratione conscientiæ erroneæ, quamdiu illa durat. docet hoc Caietan.tom.2.opusc.8.q.3. Couarr.suprà. Gabr.d.15.qu.11. Dubit. pænultima. Scotus eadem dist.q.2.a.2. Quòd *ex parte rei non teneatur*, Probatur Primò, Quia alter verè & reipsa donauit, & transtulit dominium in mutuantem: (non enim dedit tamquam pretium mutui, sed ex gratitudine, vti supponimus) ergo quocumque animo alter acceperit, non tenetur ad restitutionem. Secundò, Quia nemo tenetur ad restitutionem, nisi qui habet alienum, vel qui iniustè læsit: atqui hic non habet alienum, nec iniustè læsit. etsi enim habuerit intentionem lædendi dum accipit tamquam debitum ex obligatione; tamen in re læsio non fuit secuta; nam alter non dedit ex illa obligatione iniusta, quam mutuator intendebat, sed ex amicitia: ergo læsus non fuit. sicut si accipiendo librum à Petro, putares te furto accipere, & consentires in furtum: si liber reuerà sit tuus; (quamuis id ignores) ex parte rei non tenereris ad restitutionem; quia in re non læsisses illum, vt rectè notat Sotus lib.6.q.1.art.2. Similiter si quis liberam condonationem obtineat à creditore, liber est à debito, quamuis habuisset propositum numquam restituendi, & eo animo remissionem petiisset. Tertiò Probatur ex L. Inter omnes. 46. §. Rectè. π. de furtis, vbi sic dicitur: *Contrectans rem, credens inuitum dominum, committit furtum, sed furto non est obligatus, si dominus erat volens.*

Dices, Quamuis mutuatarius det gratis, tamen 43
mutuator non acceptat illud vt donum, sed vt debitum: ergo donatio hæc non est valida, cùm non sit acceptata vt donatio; quod tamen requiri docent Iurisperiti.

Respondeo, Donationem non esse validam, *Quomodo acceptetur hæc donatio.*
quando acceptans non vult eam acceptare titulo donationis, sed debiti dumtaxat. quòd si velit eam acceptare omni titulo, seu modo, quo potest, (quod semper censetur facere dum contrarium non exprimit) valida est donatio. confirmatur, quia cùm hîc mutuator nihil quærat nisi lucrum; nulla subest ratio cur non censeatur acceptare illud omni modo, quo potest. Adde, quamuis non 44
acceptasset tunc implicitè vt donum, posteà tamen semper poterit acceptare quando volet. nempe quamdiu alter in eodem proposito donandi permanere censetur, seu quamdiu non reuocat donationem. vnde non tenebitur ad restitutionem. Itaque hæc obligatio restituendi nulla est, vel certè nullius momenti, cùm ex libertate debitoris pendeat.

Petes, Quid si mutuatarius det aliquid mutuanti, dum ei restituit sortem, & ille dubitet quo animo detur, vtrùm possit retinere.

Respondeo, Caietanus suprà, videtur sentire, 45
posse retinere. Sed dicendum est non posse cum *Si accipiens dubitet.*
vero dubio, siue negatiuo, (vt quando non habet signa, vnde probabiliter coniiciat dedisse, sed omnino nescit dederitne gratis, an pretium mutui) siue positiuo, (vt cùm vtrimque paria sunt motiua) retinere. Ratio est, quia cum tali dubio non potest rei alicuius possessionem inchoare. vt ergo possit retinere, requiruntur tales circumstantiæ, vt omnibus perpensis, moraliter quasi certum sit gratis donari. quod ordinariè censendum est, quando mutuans non dedit vllum signum se aliquid petere; & mutuatarius non præ se fert tristitiam in dando, aut aliquam molestiam, aut metum seu coactionem, nec est auarus; vt insinuant Caietanus & Couarr. suprà. Quòd si bona fide 46
putauerit aliquid gratis donatum, & pòst deprehenderit contrarium, tenebitur ad restitutionem; si tamen extet, vel factus sit ex eo locupletior. secùs si bona fide consumptum, nec quidquam inde emolumenti supersit. vt patet ex dictis cap.14. dubitat.1.& 2.

Dvbitatio vii.

Vtrùm licitum sit mutuare alteri cum pacto vt pœnam debitam, vel famæ honorísve violati restitutionem condonet.

RESp.& Dico Primò, Licitum est tibi mutuare alteri cum pacto vt priuatam vindictam 47
tibi condonet. Probatur, quia sic nihil lucraris, sed *Vt priuatam vindictam condonet.*
solùm redimis iniustam vexationem tibi impendentem. nullum enim ius habet ad talem vindictam. Idem dicendum, si exigat iniustam aliquam satisfactionem pro fama, vel honore violato.

Dico Secundò, Si iustam vindictam vel satis- 48
factionem exigat, non potes eum ratione mutui obligare pacto iustitiæ vt condonet; potes tamen pacto amicitiæ.

Vbi

Pactum iustitiæ & amicitiæ.

Vbi Aduerte, Pactum iustitiæ esse, quo quis intendit alteri inijcere vinculum & obligationem iustitiæ. Pactum amicitiæ, quo solùm intendit eam obligationem, quam amicitia vel virtus gratitudinis inducit.

Nunc probatur Prior pars, (quæ est communior sententia DD. Angeli v. Vsura 1.n. 3. Conradi q. 37. concl. 2. & passim recentiorum.) Primò, Quia ex vi mutui præcisè non licet obligare nisi ad æquale: atqui sors est æqualis rei quæ traditur in mutuo, & redditio sortis est æqualis actui mutuationis: ergo ex vi huius contractus non licet obligare ad aliud, quàm ad redditionem sortis. Secundò, Condonatio vindictæ & restitutionis famæ & honoris est res magno pretio æstimabilis: (plerique enim ingenti summa pecuniæ vix hæc condonent) ergo vsura est, si ratione mutui, pacto ciuili, seu iustitiæ ad condonationem obliges.

Dices Primò, Fama & honor, quæ mutuator iste debet restituere, non æstimantur pretio: ergo per condonationem illam non lucratur aliquid pretio æstimabile.

49 Resp. Dicuntur non æstimari pretio, non quasi nullo pretio sint digna, sed quia superant omne pretium pecuniarium: & ideò maximi æstimantur apud homines. deinde etsi fama non æstimetur pretio, onus tamen & obligatio restituendæ famæ pretio æstimatur; est enim opus valdè molestum, plenum verecundiæ, quod homines sæpè magno redimunt. huius autem oneris remissionem tamquam debitam ex iustitia; vel potiùs obligationem ciuilem ad remittendum hoc onus lucratur vltra sortem.

Fama & honor.

Dices Secundò, Pœna non est debita ante sententiam: ergo saltem non erit vsura, si mutues cum pacto vt vindictam condonet, quam per Iudicem poterat exigere. Ob hoc argumentum Nauarr. c.17.n.238. putat hoc non esse vsuram.

50 Resp. Etsi pœna non sit ante sententiam proximè debita, est tamen debita remotè, quatenus potes accusari. huius autem debiti remissionem lucraris supra sortem, quæ remissio magni apud homines æstimatur. vnde cùm supra sortem ad hanc obliges alterum obligatione ciuili, vsuram committis.

51 *Potes pacto amicitiæ obligare.*

Altera pars, *quòd pacto amicitiæ possit quis obligare alterum vt hæc condonet*, probatur; quia tunc condonatio ista non exigitur vt pretium mutui, neque immediatè ex pacto & obligatione mutui; sed vt officium amicitiæ, præstandum non ex obligatione iustitiæ, sed ex amicitia, pro obsequio ex amicitia præstito vel præstando. Si enim petis à me aliquod amicitiæ officium; possum respondere, me esse paratum tale officium præstare, si tu vicissim aliud præstare velis, quod etiam ex amicitia exhiberi solet. Imò possum exigere vt prior præstes. si tamen ego prior mutuum dedero, non obligaberis ex iustitia præstare quod promisisti, sed tantùm ex gratitudine. non enim intendisti aliter te illa promissione obligare, cùm ego aliam

52 obligationem non potuerim exigere. Iuxta hunc modum defendi facilè potest sententia Soti, quam habet lib.6. q. 1. art.2. cùm dicit non esse vsuram si mutues alteri, cum pacto vt læsionem famæ vel honoris condoner; quia natura sua iure amicitiæ condonari solet. vnde patet eum loqui tantùm de pacto amicitiæ.

Dvbitatio viii.

Vtrùm sit vsura, si tibi mutuem, vt mihi vicißim remutues, aut vt ex mea officina quæ tibi opus sunt emas, aut meo molendino molas.

Respondeo & Dico Primò, Si tibi mutuem pecuniam ea lege, vt statim mihi remutues frumentum vel vinum, non est vsura; modò tibi hoc non sit magis damnosum, quàm illud mihi. colligitur ex D. Thoma ar. 2. ad quartum, cùm ait: *Licet simul mutuanti vnum, aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuandum in posterum.* Probatur Primò, Quia qui à me petit officium amicitiæ, potest vicissim à me rogari simile officium, & si nolit præstare, tamquam ingratus repelli.

53 *Vt statim remutues aliam speciem.*

Dices, Officio tuo, quo mihi mutuas, respondet ex æquo redditio sortis: ergo non potes pro eo aliud officium (v.g. mutuationem vini vel olei) cum quo tua functio permutetur, exigere.

Resp. Actionem illam mutuandi dupliciter posse considerari. Primò, Vt est contractus quidam, quo traditur certa summa pecuniæ, & sic respondet ei redditio sortis, vt officium iustitiæ; nec quidquam amplius, tamquam ex iustitia debitum, potest exigi. Secundò, Vt est officium amicitiæ, quod ab amico in commodum amici præstari solet: & sic debetur ei compensatio per aliud officium amicitiæ, eaque potest exigi in præsenti.

54 *Actioni mutuandi duo actus respondent diuerso modo.*

Probatur Secundò, Quia nihil hîc deducitur in pactum, quod sit pretio æstimabile. si enim mea mutuatio non est pretio æstimabilis, neque etiam ipsius. Tertiò, Quia non exigitur vt pretium mutuationis, sed vt conditio quædam in mutuatario. quæ ipsi non est grauior, quàm mihi mutuatio, Secùs esset si esset illi longè grauior; tunc enim videretur pretium: nam talia gratis rependi non solent. Hinc patet, non esse periculum, ne hac ratione pallietur vsura.

55

Dices, Omne onus à mutuo debet abesse.

Resp. Id verum esse de onere, quod maius sit quàm onus mutuantis. item de onere in futurum, non de officio amicitiæ in præsenti.

56 *Vt remutues cùm opus habebo.*

Dico Secundò, Non est etiam vsura si mutuem, vt mihi vicissim in posterum cùm opus habebo, & tibi commodum erit, remutues, aut vt iusto pretio à me emas, aut vt meo molendino molas, aut vt agrum meum iusto pretio colas; modò tamen ad hoc te non obligem obligatione ciuili, sed solùm gratitudinis. Ita docet Angelus v. Vsura 1. n.4. cùm ait, *non esse vsuram, cùm naturalis obligatio ita deducitur in pactum, vt non magis teneatur quàm ex ipsa naturali obligatione.* Idem tenent Hostiensis & Gregor. Ariminensis citati ab Angelo. Adrianus in 4. tract. de restitut. §. Dico igitur ad quæsitum. Gabriel in 4.d.15.q.3.art.3.dubio 1. Ratio est clara; quia si nulla imponitur maior obligatio in futurum quàm ex ipsa beneficij natura oriatur, non potest esse vlla iniustitia: atqui ex tali beneficio oritur obligatio antidoralis seu remuneratoria, ratione virtutis gratitudinis: ergo absque vlla iniustitia potest imponi & exigi.

Petes, Vtrùm possim statuere mutuatario terminum,

minum, vt quando desierit meam apothecam frequentare, cogatur reddere mutuum?

57 *Statuere terminum mutui.* Respondeo cum Angelo, Gabriele & Adriano locis citatis, affirmatiuè. quia quilibet mutuans potest constituere terminum, quem voluerit, præsertim si alterum non obliget lege iustitiæ ad id, quod solùm lege gratitudinis facere tenebatur, v.g. vt apothecam frequentet. potest tamen illum obligare lege iustitiæ ad reddendum mutuum, quando illud, quod ex gratitudine faciebat, facere desierit. vt si tibi mutuem 100. toto eo tempore, quo meam apothecam frequentabis; ita vt cogaris restituere, quando illam deseruerís. possum enim meum beneficium desinere, quando tu desines tuum.

Obligatio imposterũ. 58 Sed difficultas est, Vtrùm mutuans possit mutuatario imponere obligationem ciuilem ad ista rependenda in posterum, quando absque notabili suo incommodo poterit. Plerique DD. sentiunt id esse vsuram. indicat D. Thomas suprà, Anton. p.2. titulo 1.cap.7 §.8. Gabriel suprà, Sotus l.6. q.1.art.2. Caietanus in Summa v. Vsura exterior, casu 8. Probatur, quia ista obligatio est pretio æstimabilis; vnde mutuans ex vi mutui lucratur aliquid supra sortem pretio æstimabile: atqui hoc est vsura. Hinc inferunt DD. mutuantem teneri relaxare illam obligationem, & compensare pecunia arbitrio prudentis, non tamen teneri ad restitutionem eorum quæ sic lucratus est; vt si mutuatarius multa ab ipso emit eo pretio, quo apud alios emere debuisset: vel si ea occasione multi alij ad ipsius officinam cõfluxerint, qua inre falluntur quidam, dum putant ea pauperibus eroganda. Hæc sententia est tenenda in praxi, præterquam quòd putem non esse necessarium, vt obligatio illa pecuniâ compensetur, si nullum ex ea damnum est secutum. quia iniuria nuda non æstimatur pecuniâ, vt ostensum est cap.11.dub.16. & cap.9.dub.23.

59 Contraria tamen quibusdam videtur non improbabilis, quam apertè tenet Adrianus suprà, §. Sed contra, cùm ait, *licere mutuando paciscí, & inducere obligationem ciuilem, si per illud pactum ad nihil aliud obligetur, quàm ad quod prius erat obligatus naturaliter.* Idem tenet D. Anton. sup. §.10. de eo, qui mutuat rustico, cum pacto vt colat iusto pretio ipsius agrum, idq; probat ex Gregorio Ariminensi. Probari potest Primò, Quia non videtur esse notabile onus, quòd obliges te obligatione ciuili ad illud, ad quod iam obligatus eras obligatione naturali ex gratitudine, ita vt sine ingratitudine non posses recusare. Secundò, Amicitiæ officium, quod præstatur mutuando, videtur mereri, vt mutuatarius se obliget ad gratificandum, quando locus & tempus id postulabunt: ergo talem obligationem seu promissionem exigere, non est quidquam exigere extra debitum amicitiæ & gratitudinis. Tertiò, Sicut ille se obligat ciuiliter ad rependendum beneficium, v.g. ad molendum in mola mutuantis, ita vicissim, mutuans se ciuiliter obligat ad non repetendam sortem vsque ad certum terminum; non tamen ad hoc tenebatur; cur ergo illa obligatio nõ poterit pro hac exigi? Quartò, Si tibi debeam 2000. in fine huius anni soluenda, possum nunc tibi offerre 1000. cum pacto, vt alia 1000. non soluam ante biennium; vt Doctores fatentur. atqui hoc est dare nunc mutuum implicitum cum pacto vt vicissim implicitè remutues in fine anni. Quintò, Licitum est mutuare ea lege, vt mox vicissim aliam speciem remutues. atqui hoc non est minùs graue quàm obligatio ciuilis mutuandi in posterum, quando gratitudo id postulabit. imò multi mallent hanc obligationem, quàm mutuare statim; quia incertum est an alter indigebit; & non teneris nisi commodè possis. Denique quando quis tenetur ex charitate 60 aliquid facere, licitum est ei mutuare cum pacto imponente obligationem ciuilem, vt id faciat, v.g. vt medicus mihi vel alteri in necessitate constituto curationem iusto pretio adhibeat, vt aduocatus patrocinium necessarium præstet; vt docet Medina, de vsura quæst. 4. ergo etiam quando tenetur ex gratitudine. vtrobique enim supra obligationem naturalem imponitur obligatio ciuilis. Fateor tamen, non esse omnino eamdem in hisce duobus rationem. Neque huic sententiæ obstare videtur D. Thomas, quia loquitur de obligatione absoluta ad vicissim mutuandum quouis euentu, quo alter indigebit. quod posset cedere in magnum damnum. eodem modo intelligendi reliqui DD. Hæc autem sententia loquitur de obli- 61 gatione conditionata, nempe si commodè possit. Verùm sententia prior est tenenda; nisi eo euentu, quo onus carendi pecunia tanto tempore, par censeretur isti obligationi ciuili: licitum enim est pars onus exigere. vnde etiam pro obligatione ciuili, quam subeo, dum tibi mutuum promitto (vt fit inter mercatores) possum vicissim parem à te obligationem exigere. etsi enim pro actu mutuandi non possit exigi obligatio ad aliquid reddendum vltra sortem; pro obligatione tamen mutuandi possum vicissim exigere obligationem. Hinc ad prædicta argumenta respondeo: debet enim esse onerum paritas, vt iusta sit conuentio.

Dvbitatio IX.

Vtrùm liceat mutuare cum pacto, vt mihi vel alteri officium vel beneficium conferas.

Petrus Nauarra lib.3.c.2.num.267. & Adrianus suprà, §. Ex his suboritur. distinguunt, si officium sit sæculare, & fructus non excedant operas, non esse vsuram cum tali pacto mutuare vt statim conferatur. secùs verò si fructus excedant. Verùm

Respondeo, & Dico Primò, Siue fructus ex- 62 cedant operas, siue non excedant; si officium sit tale, vt ex amicitia benè idoneis conferri soleat, non esse vsuram mutuare cum pacto, vt tale officium conferatur, modò illud pactum sit tantùm *Si ex amicitia.* amicitiæ. Idem dicendum, si agatur de collatione in futurum, vt patet ex dictis dubit. 6. & 7. sola enim obligatio iustitiæ ad aliquid supra sortem reddendum repugnat mutuo: non autem obligatio amicitiæ vel gratitudinis. quòd si ille non conferat ex amicitia, sed veluti coactus ex obligatione sibi imposita pactione mutui, collatio non est valida. vnde qui sic accepit, non potest retinere; vt docet D. Thomas Opusculo ad Ducissam Brabantiæ: quia nullo titulo possidet. non enim titulo liberalis collationis, vt suppono; nec etiam titulo mutui, quia ex isto titulo non debetur aliquid vltra sortem. si tamen præsumeretur colla-

tor nolle illum obligare ad relinquendum officium, vt regulariter fit, posset retinere.

63 Dico Secundò, Si autem illud pactũ sit iustitiæ, erit vsura. ita expresè docet D. Thomas Opuscul. cit. ratio est, quia exigitur aliquid supra sortem tamquam ex iustitia debitum, ratione mutui.

64 *Si pro beneficio, est simonia & vsura.* Dico Tertio, Si mutues alteri cum pacto vt conferat beneficium Ecclesiasticum, siue in præsenti, siue tempore futuro, partim est vsura, partim simonia: modò illud pactum sit iustitiæ; secùs si amicitiæ. *Quòd sit vsura*, probatur, quia supra sortem exigit obligationem iustitiæ, quam alter libens pretio redimeret; nam hæc obligatio admit ei libertatem alteri gratificandi, quæ libertas pretio est æstimabilis. *Quod etiam sit simonia*, probatur, quia datur temporale pro spirituali.

65 Dices, Illud temporale non est pretio æstimabile, quia mutuatio non est pretio æstimabilis, cùm nullum pretium pro ea liceat accipere, vt quæ omnino gratis sit præstanda: ergo non est simonia, etiam si fiat pro beneficio vel beneficij collatione, præsentatione, electione, &c.

Resp. Etsi non sit pretio æstimabilis, est tamen quid merè temporale; ac proinde non potest dari vel permutari cum spiritali: non enim minor fit iniuria rei spiritali si commutetur cum re temporali, quæ pretio non est digna, quàm quæ est digna: sed potiùs maior. quòd si pactum sit solùm amicitiæ, nec erit vsura, vt patet ex dictis, nec simonia; quia simonia requirit obligationem iustitiæ, vt infrà dicetur.

66 Aduerte tamen, in praxi non esse facilè concedendum pactum amicitiæ in huiusmodi; nam facilè sic palliaretur vsura & simonia. vnde in foro externo condemnarentur huiusmodi pactiones tamquam vsurariæ vel simoniacæ.

67 *Varij tituli mutuantium.* Ex superioribus Dubitat. satis constat, nihil posse exigi ratione ipsius mutuationis, supra sortem. Sed quia mutuationi multi alij tituli possunt esse connexi, videndum est, vtrùm ratione horum possit aliquid exigi. Præcipui sunt isti. Primò, Damnum inde emergens. Secundò, Lucrum inde cessans. Tertiò, Periculum sortis & molestiarum in ea recuperanda. Quartò, Carentia pecuniæ vel obligatio non repetendi pecuniam ante certum tempus. Quintò, Pœna conuentionalis.

Dvbitatio x.

Vtrùm ratione damni emergentis ex mutuo possit mutuator aliquid supra sortem exigere.

68 *Damnum emergens.* NOtandum est, *damnum emergens & lucrum cessans communiter vocari Interesse. Damnum emergens* dicitur, quando quis detrimentum patitur in rebus quas habet, vel quæ ipsi debentur: vt cùm quis ratione mutui, quod alteri præstitit, cogitur ipse pecuniam fœnori accipere, & vsuram soluere, vel res suas minoris iusto vendere, &c.

Lucrum cessans. *Lucrum cessans* dicitur, quando quis impeditur ab aliquo bono consequendo, seu à lucro, quod illi non erat debitum. His positis, Scotus in 4.d.15.q.2.§. De tertio, sentit esse illicitum exigere aliquid ratione *damni emergentis*. ratio ipsius est, quia lex diuina præcipit vt nihil exigatur supra sortem: *quod si quis ex mutuo* (inquit) *metuit damnificari, reseruet pecuniam suam, quia non cogitur facere misericordiam.* Sed contrarium tenendum cum ceteris Doctoribus.

Resp. igitur & Dico Primò, Quando mutuatarius est in mora, si inde damnum aliquod eueniat mutuanti; tenetur mutuatarius ad illius compensationem. dicitur autem mutuatarius & quiuis alius debitor *esse in mora*, dum elapso iam termino non soluit, cùm tamen possit; aduertens explicitè vel implicitè creditorem sibi velle solui. Neque necesse est vt creditor eum interpellet de solutione: quia ipsa dies satis interpellat, virtute pacti ab initio conuenti. quòd igitur teneatur de damno hinc emerso, Patet Primò, quia per omissionem solutionis, est causa damni. quare cùm hæc omissio sit contra iustitiam, etiam erit causa damni contra iustitiam; ac proinde tenebitur ad compensationem. Secundò, Quando in contractibus constituitur terminus solutionis vel rei exhibendæ, initur tacitum pactum, vt non soluens teneatur ad interesse, defectu solutionis obueniens, vt colligitur ex L.2.§.Nõ vtique,& §.Nunc de officio. & L.4. π. de eo, quod certo loco dari oportet. Hoc tamen intelligendum est, nisi absque omni culpa sua redditus sit impotens solutionis; vt si incendio res eius sint absumptæ, si ipse abreptus sit in captiuitatem; vel inciderit in tantam paupertatem, vt non possit soluere, quin se coniciat in extremam vel grauem necessitatem. His enim casibus non videtur obligandus ad interesse. nam præter quàm quòd omni culpa vacet tunc non soluere; non videtur etiam tacitum illud pactum se ad hos casus extendere, eò quòd hoc sit nimis durum, & moribus hominum non receptum. Secùs verò est, si potest soluere, quamuis non sine magno detrimento rei familiaris: tunc enim vel tenetur soluere ad diem constitutum, vel certè in animo esse paratus compensare interesse. vide suprà cap.16.dubit.1.

69 *Esse in mora.*

70 *Si absque culpa redditus impotens.*

Aduerte tamen, si bona fide putaret creditorem consentire in dilationem, non censeretur esse in mora, nec teneretur in foro conscientiæ ad restitutionem damni; nisi anteà de eo esset conuentum. de quo plura suprà cap.7.n.37.& seq.

71

Dico Secundò, Licitum etiam est à principio pacisci de aliqua pecunia vltra sortem reddenda, vel ratione periculi damni ex mutuatione impendentis, etiam ante terminum & moram mutuatarij; vel ratione ipsius damni, si quod euenerit. D. Thomas art. 2. ad 1. & alij. ratio est; quia illa pecunia, quæ mihi necessaria est ad aliquod damnum impediendum, non solùm mihi valet quanti ipsa nudè considerata æstimatur; sed etiam quanti est carere tali damno. non enim tantummodò æstimatur res secundùm seipsam, sed etiam quatenus domino est causa certi boni consequendi, vel mali vitandi. vnde licitè potest vendi pluris quàm per se valeat, cùm in ipsa illud etiam commodum vendi censeatur. Confirmatur, quia nulla æquitas postulat vt quis ex beneficio mutui damnum reportet: ergo damnum illud, & periculum illius à mutuante æstimari potest.

72 *Potest à principio pacisci.*

Requiruntur tamen ad hoc tres conditiones. Prima est, Vt mutuum sit causa damni, sine qua non eueniret; vt si per mutuum efficeris impotens illius impediendi. Secunda, Vt mutuatarium illius damni admoneas, ne illum decipias: nam

73 *Tres conditiones necessariæ.*

nam fortè nollet mutuum cum tanto onere.

74 Aduerte tamen, si reuerà ex mutuo tibi damnum impendeat, v. g. si ex mutuo 100. aureorum, certò sis accepturus detrimentum aureorum 10. non erit vsuræ peccatum, etiamsi non monito mutuatario de hoc dãno, paciscaris tibi reddi 110. ratio est, quia in re nulla est inæqualitas, quãuis ipse hoc ignoret, & existimet te ratione mutui exigere, ac proinde des ei occasionem scandali. Neque ipsum decipis contra iustitiam; quia per hoc non datur ei occasio vt putet pecuniam illam pluris valere, quàm valeat, aut vt acceptet contractum, quem aliàs non erat acceptaturus, vti suppono.

Dices, In venditione venditor debet emptori vitium rei vel onus, si quod habet, aperire; alioquin facit ei iniuriam: ergo similiter si mutues alteri, non significans onus tuæ pecuniæ annexum, facis iniuriam.

75 Respondeo, Est dispar ratio, Primò, Nam quòd hæc pecunia damnum emersurum sit impeditura, non est vitium eius, seu onus illi annexum; sed est bona quædam conditio, & veluti vis quædam insita, ratione cuius mihi pluris valet, quam alteri. vnde plus possum exigere, quàm ipsa per se valeat: sicuti venditor potest pluris æstimare rem quampiam sibi peculiariter commodam, quàm ipsa per se considerata valeat. Secundò, Quia si rem pluris æstimet propter suum commodum, quàm ipsa per se valeat, neque id significet emptori; fortasse illum decipit, dando occasionem vt putet eam esse meliorem, quàm sit; secùs in pecunia. quòd si certò sciat illam non ideò esse meliorem, non video quam iniuriam faciat emptori, æstimando eam pluris quàm per se valeat, ratione damni, quod eius alienatione incurrit; quamuis id non expresserit. Idem dico in pecunia: suppono autem, quòd æquè illam erat acceptaturus, siue causa illius æstimationis illi aperiretur, siue non.

76 Tertia conditio est, Vt non cogas illum paciscì de periculo damni potiùs quàm de damno; sed relinquas ipsius arbitrio: etsi enim periculum illud damni probabiliter euenturi, sit ab initio æstimabile pretio, (quamuis minori, quàm ipsum damnum) non potes tamen alterum cogere vt pro ipso periculo aliquid promittat. nam si mutuatarius paratus est sarcire damnum omne, quod euentus patefecerit, mutuator seruatur indemnis. si tamen ipsi sit indifferens vtro modo paciscatur; vel malit pro periculo, certo pretio paciscì quàm proincerto damno manere in ancipiti; potes acceptare pactum: & quamuis damnum posteà non euenerit, poteris tamen conuentum exigere; nam periculum, quod subiisti, pretio erat æstimabile.

77 Aduerte tamen, si neque damnum ipsum, neque periculum damni deduxisti in pactum, mutuatarius non tenetur quidquam pro eo soluere, etiamsi posteà eueniat: modò ipse non fuerit in mora soluendi. quia nec tenetur ratione pacti, nec ratione culpæ; sed mutuans hoc ipso, quo non deduxit in pactum, censetur illud in se recepisse. secùs est si fuerit in mora. tunc enim damnum ex culpa ipsius euenit. similiter si per vim coactus fuit mutuare; hìc enim est causa damni per iniuriam. vide Nauarrum cap. 17. num. 211.

Si non est deductum in pactum.

Petes, Vtrùm ratione damni emergentis possis exigere supra sortem, quantum tu supra sortem coactus fuisti soluere vsurario, v. g. accepisti 1000. aureos ab vsurario. Petrus à te petit mutuum; vtrùm possis tantum exigere, quantum tu soluis vsurario?

Resp. Non ideò te posse exigere supra sortem: 78
sicut non quia tu carè emisti, potes carè vendere; *Si mutuãs ipse vsurã soluerit.*
sed spectandum est, quantum ea res tibi commodet. si enim ita tibi sit commoda, vt non pœniteat te tantum vsuræ nomine pro ea soluisse, potes à mutuatario tantumdem exigere: tanti enim æstimas illud commodum, quo te causa alterius priuas. imò si pluris æstimares, plus posses exigere. si verò hoc commodum æstimes minoris, ita vt pœniteat te tantum soluisse nomine vsuræ, non tamen pœniteret soluisse dimidium; solùm potes exigere dimidium, seu tantum, quantum ipse te velles dedisse. denique si res illa tibi non sit ita commoda vt velles pro ea aliquid dare supra sortem, nihil etiam potes exigere supra sortem; quia ex eius mutuatione nullum tibi damnum vel incommodum oritur. Iuxta hæc intellige Molinam disput. 314. Potes tamen alteri cedere toto contractu: tunc enim non tu vsuram exiges, sed vsurarius: nec tu lucraris, sed pecuniam acceptam cum toto onere in alterum volentem deponis. sicut qui rem supra iustum pretium emit, potest alteri ante solutionem contractu cedere.

Dvbitatio xi.

Vtrùm ratione lucri cessantis liceat vltra sortem exigere.

Svppono, si quis metu vel fraude, vel Principis 79
iussu compulsus sit mutuare, & inde ei lucrum *Si metu vel fraude impulsus ad mutuandum.*
cesset; posse ab auctore exigere huius lucri compensationem, vt rectè Sotus art. 3. & alij DD quia talis est ei causa damni. Idem dicendum, si ex eo, quòd mutuatarius non soluat ad diem præfixum, lucrum aliquod amittat. neque in his euentis opus est vt fuerit hoc deductum in pactum.

Sed difficultas est, si absit omnis coactio, vtrùm liceat de hoc lucro paciscì? Quidam Doctores docent id esse illicitum. Ita Durandus in 3. d. 17. qu. 2. ad primum. Sotus l. 6. de Iustit. q. 1. art. 3. (etsi fateatur contrarium esse probabile.) Idem insinuat D. Thomas art. 2. ad primum. Idem tenent multi Canonistæ, vt Ioannes Andreas, & Innoc. IV. in cap. Nauiganti, de vsuris, & quidam alij. Sed contraria sententia est ferè communis. vide Couarr. lib. 3. variarum cap. 4. & Nauarr. cap. 17. num. 211. & in comment. de vsuris, n. 43. qui alios citant. Vnde

Resp. Licitum esse paciscì ab initio de lucro 80
cessante cum mutuatario, quamuis ab eo vi vel *Pro lucro cessante paciscì.*
fraude non sis inductus; seruatis tamen quibusdam conditionibus. Probatur Primò, Quia pecunia illa, quam mutuas alteri, quatenus subest industriæ tuæ ad lucrum ex ea faciendum, pluris tibi valet, quàm ipsa per se considerata; est enim veluti semen fecundum lucri per industriam, in quo lucrum ipsum virtute continetur: ergo plus pro ea exigi potest, quàm ipsa per se valeat. Patet consequentia, quia dum illam tradis, etiam lucrum in illa latens tradere censeris; eo enim te spolias. sicut si triticum destinatum sationi (quo si careas, carebis fructu) mutuum des; plus potes pro eo exigere, quàm per se valeat, quia in illo virtute continetur fructus; & dum illud das, simul das fructum in eo latentem. Secundò, Quia dum

priuas te hac pecunia lucro destinata, non solùm illa te priuas, sed etiam spe lucri, quam ex illa per tuam industriam conceperas. atqui hæc spes est pretio æstimabilis : (potest enim spes lucri, seu lucrum speratum vendi) ergo pro ea potest aliquid exigi. Tertiò, Hæc spes lucri non est minoris æstimanda, quàm metus damni: atqui dum metuitur damnum ex mutuatione, licitum est de eo paciscì : ergo etiam dum speratur lucrum. Confirmatur, quia amissio rei speratæ computatur inter damna; quod enim spe possidemus, aliquo modo censemur habere.

81 *Non refert an sponte mutues, an coactè.*

Ex his patet, nihil referre, siue sponte mutues, siue inuoluntariè per vim, fraudem, vel præceptum Superioris impulsus; quod est contra Sotum suprà. si enim qui per iniuriam cogitur mutuare, de lucro cessante paciscì potest, etiam poterit qui non cogitur. nam iniuria non facit vt centum quæ alteri mutuas sint æqualia centum & decem quæ ab illo exigis; sed lucrum speratum per 100. id facit. alioquin si ratione iniuriæ esset illa æqualitas, darentur 10. illa, pro iniuria illata, non pro lucro cessante; & ita lucrum cessans esset impertinens. Item, non possent mercatores exigere pro lucro cessante, quando coguntur à Principe vel Repub. ad mutuandum; (quod tamen non admittit Sotus) quia nulla fit illis iniuria.

Obiectiones.

Obiicitur Primò, ex D. Thoma q. 78. art. 2. ad primum, vbi dicit *compensationem damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucretur, non posse in pactum deduci, quia non potes vendere id quod nondum habes, & à quo potes multipliciter impediri.*

82

Respondeo, D. Th. loquitur ibi de lucro remoto; nempe quando pecunia nondum erat negotiationi destinata: vel certè solùm vult non posse tantum exigi, quantum erat lucrum possibile. non tamen negat, quin spes illa lucri, quæ minoris valet quàm ipsa res sperata, possit in pactum deduci. vt colligitur ex q. 62. art. 4. ad 1. & docet Caietanus q. 78. art. 2. ad primum.

Obiicitur Secundò, Mutuum debet fieri gratis: ergo cùm non tenearis mutuare, non potes quidquam exigere.

Quo modo mutuum debeat gratis fieri.

Respond. Mutuum debet fieri gratis, quia pro ipso mutuo præcisè spectato nihil potest exigi supra sortem: benè tamen potest exigi pro spe lucri, quam ex illa pecunia acceperas, qua spe simul te priuas, dum illam pecuniam tradis. quo modo licitum est aliquid accipere ratione damni emergentis.

Obiicitur Tertiò, Lucrum tibi cessare, est te à lucrando prohiberi & impediri; atqui preces non cogunt, præsertim si te ad mutuandum offeras: ergo non potest iure videri lucrum cessans, quando vel ipse te offers, vel precibus cedis. ita Sotus.

83 *Quãdo lucrum dicatur cessare.*

Resp. Non tantùm dicitur alicui *cessare lucrum*, quando inuitus priuatur vel impeditur; sed etiam quando ipse se priuat, siue id faciat sponte, siue ad preces alterius. hoc enim est pretio æstimabile. sicut si quis me roget, vt non laborem, vel vt instrumenta artis meæ ipsi commodem; possum paciscì de lucro cessante. non enim teneor me priuare meo emolumento gratis.

84 *Cõditiones requisitæ. 1. conditio, Mutuatio debet esse causa lucri cessantis.*

Aduerte tamen, vt hæc pactio sit licita, requiri tres conditiones. Prima est, Vt hæc mutuatio sit causa lucri cessantis: vt si pecuniam destinatam negotiationi vel emptioni rei frugiferæ, subtraham illi destinationi, vt tibi mutuem; & ita amittam spem illius lucri.

Hinc sequitur, si quis relicta aliqua negotiatione propter datum mutuum, conferat se ad aliam rationem lucrandi per artificium vel aliam industriam, & ita compenset totum lucrum negotiationis; non posse ratione lucri cessantis quidquam exigere; quia per mutuum non cessat illi lucrum absolutè: datur enim ei occasio lucrandi alia via, quam non habuisset, si in negotiatione perstitisset. si tamen illa ratio lucrandi est molestior, potest illam molestiam æstimare, & pro ea exigere compensationem. similiter si minus ista alia via lucretur, quàm lucratus fuisset prosequendo negotiationem. potest enim tantum exigere, quantum prudens arbitrabitur, omnibus circumstantiis perpensis. 85

Vt autem melius intelligatur quando mutuatio sit causa lucri cessantis, Notandum est, Pecuniam variis modis posse esse lucro destinatam, & ab ea destinatione causa mutui auelli. Primus est, Si absolutè sit destinata certæ negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, (vt census, agri, domus) & vt tibi petenti mutuem, eam inde auellam. tunc enim possum paciscì de lucro, quod tua causa mihi perit. Idem dico, si erat destinata negotiationi in genere; vt fit à quibuscùm, qui in omnem lucrandi occasionem sunt intenti. nihil enim refert, sit ne certæ an incertæ negotiationi destinata, modò æquè lucrum speretur. Hîc tamen requiritur (vt notant DD.) vt non habeam aliam pecuniam otiosam, quam commodè in mutuatæ locum possim supponere, & eidem lucro destinare. Dixi, *commodè*, quia, (vt rectè notauit Nauar. n. 212.) etsi habeam aliam repositam in alios euentus, (vt ad alendam familiam, ad dotandas filias, ad solandam senectutem, vel ne statum meum periculo exponam) quam proinde nolo propter lucrum in aliquod discrimen coniicere; tamen possum pro lucro cessante paciscì; quia reuerà illa mutuatio est causa cur lucrum illud mihi pereat, quod per illam pecuniam sperabam. Nec refert, quòd inani timore non audeam illam exponere; quia ex quo absolutè decreui non amplius impendere negotiationi, quàm hanc certam summam; si ex ea mutuem, verè lucrum mihi cessat, quod aliunde non compensatur, vt etiam notauit Molina disp. 316. vnde absolutè loquendo, sufficit vt nolim aliam loco mutuatæ impendere. 86 *Tripliciter potest pecunia negotiationi destinata, ab ea auelli.* 1. *Si tepetente eam auellam, vt tibi mutuem.* 87

Secundus modus est, Si antequam mutuum petas, ego pecuniam meam negotiationi subtraxerim, vt tibi, quem scio petiturum, possim mutuare. Hoc euentu etiam possum paciscì de lucro cessante, etsi non eodem prorsus modo, quo priùs. ibi enim pecunia, quam do mutuam, pluris mihi valebat, vt subest illi destinationi, quàm ipsa per se valeat; (per hanc enim facta erat veluti semen lucri futuri) & ideò plus poteram exigere, vt fieret æqualitas: vt pro 100. 110. quia 100. destinata negotiationi, valebant 110. hîc verò quod do non pluris mihi nunc valeat, quàm per se æstimetur; cùm iam defierit esse semen lucri, eò quòd priùs subtraxerim negotiationi, quàm mutuum peteretur. vnde dum mutuum rogor, non possum exigere supra sortem quòd illa mihi nunc pluris valeat, sed ob aliam causam; nempe quia cum damno meo pecuniam meam ex statu fecundo ad statum sterilem reduxi, idque vt mutuarem 88 2. *Si abstraxi pecuniam antè quàm petas.*

rem tibi, prudenter coniectans te id cupere, & ratum habiturum. vnde ratione huius possum exigere, quanti istud lucrum, quo tua causa me priuasti, æstimabitur. Negotium enim tuum cum meo damno gessi. Etsi enim mutuum hîc non sit immediata causa lucri cessantis; est tamen causa mediata: nam subtractio pecuniæ à negotiatione, est causa immediata. Hæc autem subtractio fit propter mutuum, estque præparatio & dispositio ad mutuum; quæ subtractio etiam censetur fieri vo-
89 luntate eius, qui mutuum est petiturus. Hac ratione excusari videntur mercatores, qui præscientes Regem petiturum, pecuniam suam à negotiatione subducunt, vel ea abstinent, vt ingentes summas paratas habeant; non enim id faciunt sine magno lucri detrimento; & alia ratio non suppetit ad tantam vim numeratæ pecuniæ simul repræsentandam.

90 Tertius modus est, Si pecuniam destinarim negotiationi, non absolutè, sed dumtaxat sub conditione; vt si dicam, Vellem negotiari, nisi multi mutuum peterent, de quo modo est difficultas. Quidam enim doctissimi viri putant, etiam tunc posse aliquid exigi ratione lucri cessantis.

3. Si non fuerit destinata, nisi sub conditione.

Probari potest Primò, Quia si abstineas negotiatione, vt paratam habeas pecuniam ad mutuandum Principi, potes exigere interesse, dum ille mutuum petet: ergo similiter, si id facias vt mutues iis qui è Republ. sunt petituri.

Dices, Esse disparem rationem; quia dum id facis ad mutuandum Principi, certa mutuatio (nempe ea quæ Principi est facienda) est causa lucri cessantis; & sic potest à Principe exigi compensatio: dum verò id facis vt mutues iis qui passim se offerent; nulla certa mutuatio est causa lucri cessantis (quamuis enim non mutuares huic vel isti in particulari, non tamen ideò lucrum ex negotiatione caperes) quare non potes ab hoc vel illo in particulari compensationem exigere.

91 Respondeo, Etsi nulla particularis mutuatio seorsim spectata, sit causa; tamen omnes collectim sumptæ sunt causa totius lucri cessantis. nam vt mutues passim occurrentibus, abstines à negotiatione, & subis detrimentum lucri inde prouenturi. quare cùm omnes collectim sint causa, potest onus compensandi hoc lucrum distribui in singulas mutuationes secundùm cuiusque proportionem. sicut quando multi collectim sunt causa alicuius damni; onus restitutionis debet distribui in singulos, prout quisque ad illud damnum est cooperatus. Simile videmus in Monte pietatis (de quo infrà dubit. 23.) vbi onus distribuitur in singulos mutuatarios.

92 Secundò, Si Respublica, boni communis causâ aliquem mercatorem cogeret abstinere à mercatura, vt passim daret mutuum iis qui sunt petituri; posset iste mercator exigere à singulis interesse: non enim tenetur gratis abiicere spem illam quæstus, vt aliis commodet: ergo etiam poterit, quamuis sponte ob eam causam abstineat. consequentia patet, quia quòd coactus vel sponte abstineat, non mutat rationem iustitiæ & æqualitatis, nec tribuit ius exigendi interesse; sed quòd lucrum ei cesset, vel non cesset.

93 Tertiò, Si quis præsciret in particulari, quinam essent petituri, posset abstinere à mercatura, vt pecuniam habeat paratam, & quando peterent, exigere interesse. tunc enim certæ & determinatæ mutuationes essent causa lucri cessantis: ergo idem licitum erit, etiamsi nesciantur in particulari. quid enim refert ad iustitiam, vtrùm scias in particulari qui sint, an in genere, esse aliquos? hinc enim non pendet ratio æqualitatis, de qua solâ nunc quærimus.

Quartò, Mutuatarij in hoc casu non putant sibi fieri iniuriam; imò æquum censent, vt ei compensetur, quantum spes lucri per negotiationem (quam causa mutui reliquit) consequendi, valebat.

Quintò, Si quis venderet aliquod instrumen- 94
tum artis suæ, quo multum poterat lucrari, & quo vellet vti nisi sciret à multis desiderari, posset exigere ab emptore interesse lucri cessantis: atqui pecunia est instrumentum mercatorum, quo possunt multum lucrari, & quo vellent vti negotiando, nisi scirent illud à multis aliis expeti: ergo si illud à se alienent, possunt exigere interesse.

Ob has rationes, hæc sententia mihi olim visa 95
est probabilis, & etiam nunc videtur, præsertim *Videtur probabilis.*
speculatiuè considerata; modò ille non exigat amplius quàm spes illa lucri, detracta laborum & expensarum æstimatione, valebat; & semper retineat animum negotiandi illa pecunia, si mutuum non peteretur. In praxi tamen ob periculum palliandi vsuras, non est facilè admittenda post factum tamen, non ausim cogere ad restitutionem.

Secunda conditio est, Vt non tantum exigas, 96
quantum est lucrum, quod sperabas, sed minus. *2. Cõditio. Spes sola æstimanda.*
deducendi enim est æstimatio laborum, expensarum, & quanti pluris valet id quod certum est & præsens, quàm quod futurum & incertum; vt DD. passim docent. itaque solùm potes deducere in pactum, quanti valet illa spes lucri, deductis laboribus & expensis: vt si paratus sis spem illam lucri vendere 10. aureis, & labores expensasque ob illud subeundas redimere tribus; non potes exigere nomine lucri cessantis nisi aureos septem. si amplius petas, iniustitiam committis, pro lucro cessante plus exigens, quàm ipse illud æstimes. non tamen id esset propriè vsura; quia non peteretur nomine mutui, sed amissionis lucri.

Notandum tamen Primò, Dupliciter hoc lu- 97
crum posse in pactum deduci. Primò, *Indeterminatè*; nempe vt mutuatarius teneatur tantum solu- *Lucri cessantis compensatio dupliciter deducitur in pactum.*
uere pro interesse, quantum euentus declarauerit lucri fuisse futurum: ita vt si posteà ex euentu deprehensum fuerit, mutuo non dato, lucrum futurum fuisse 100. aureorum; teneatur pro eo soluere 100. (deductis tamen deducendis) si 50. solùm quinquaginta; si nullum, nihil. id autem sciri poterit vel ex euentu, quem idem mercator in alia pecunia negotiationi expositâ experitur; vel quem alij mercatores in simili mercimonij genere versantes, sortiuntur.

Secundò, *Determinatè*, nempe stipulando à principio à mutuatario vt aliquid determinati promittat pro spe lucri, qua se mutuans per mutuum priuat. & tunc poterit mutuans hoc exigere, etiamsi euentus declaret nullum lucrum fuisse obuenturum, & sortem ipsam cum naui perituram: quia spes illa, cùm mutuum daret, pretio erat æstimabilis, eamque censetur vendidisse.

Notandum Secundò, Sotum lib. 6. qu. 1. art. 3. 98
tenere, laboris & molestiarum æstimationem non necessariò esse deducendam mercatori. quod probatur, quia si petas à mechanico vt tibi sua commodet instrumenta, vel vt te comitetur, potest te- *An labor deducendus sit.*

cum paciſci de toto lucro ſarciendo, quod eo tempore amittet, nec tenetur laboris æſtimationem deducere; ergo nec mercator tenetur æſtimationem laboris & moleſtiarum negotiationis detrahere. Quæ ſententia mihi placet, quando iſte labor talis eſt, vt mercator non optet illum pecunia redimere; quia vel cupit illum ſubire, vt otium aliamve moleſtiam vitet; vel facili conatu cum ceteris negotiis eum præſtabit.

99 *3. Cõditio. Nõ ſtatim exigenda compenſatio.*

Tertia conditio eſt, Vt lucri ceſſantis compenſatio non exigatur ſtatim dato mutuo, ſed conuenienti interuallo. vt ſi ex mutuo 100. aureorum, debeantur tibi 10. nomine lucri ceſſantis, non potes paciſci decem ſtatim dari; vt rectè docet Medina de vſuris q. 3. §. Septima conditio. ratio eſt, quia ſi ſtatim velis reddi 10. iam in re non mutuas alteri 100. ſed ſolùm 90. ſolùm enim 90. retinet dum decem tibi reſtituit. vnde hac ratione fiet vt tantumdem exigas pro lucro ceſſante ex nonaginta, quantum ex centum; quod apertè eſt iniquum. cùm enim non ceſſet tibi lucrum niſi ex 90. non eſt æquum vt velis compenſationem, quaſi ceſſantis ex 100.

100 *Si ſtatim exigat cõpenſationem.*

Aduerte tamen, ſi mutues 100. aureos ea lege vt ſtatim reddat 9. (ratione lucri ceſſantis ex 91. quæ ipſe retinet) non eſſe vſuram. ratio eſt, quia hoc nihil eſt aliud quàm mutuare 91. cum intereſſe; & alia nouem ſine intereſſe: quæ tamen ſtatim ſint reddenda ad ſoluendum intereſſe ex 91. prouenientis in quo contractu non magis grauatur mutuatarius, quàm ſi differretur ſolutio intereſſe.

101 *An non poſſit ſe offerre.*

Petes, Vtrùm vt pactio lucri ceſſantis ſit licita, neceſſaria ſit vt mutuans ſe non offerat ad mutuandum, ſed alterius precibus compulſus mutuet?

Reſp. Id neceſſarium non eſſe: (etſi Conradus q. 30. & quidam alij id exiſtiment) vt rectè Nauarr. num. 212. & Sotus ſuprà art. 3. ratio eſt, quia æqualitas & iuſtitia contractus non pendet ex eo, quòd deſideres vel non deſideres illum fieri: ſicut poſſum offerre alteri equum meum, qui mihi valdè eſt commodus, venalem; æſtimato commodo, quo me priuo. in hoc tamen caſu teneor patefacere emptori, me ratione commodi, quo priuor, amplius petere; ne decipiatur putando equum eſſe meliorem quàm ſit, & ita emat meum commodum neſciens, loco bonitatis equi.

DVBITATIO XII.

Vtrùm qui bona fide fecit contractum vſurarium, vel aliàs iniquum, quem ſi talem ſciuiſſet, feciſſet alium iuſtum; poſſit ratione lucri ceſſantis, veritate comperta, tantum retinere, quantum contractu illo iuſto lucraturus fuiſſet.

102 *Quidam affirmant.*

QVidam viri ſanè docti affirmant, & dicunt in tali caſu contractum illum iniquum bona fide initum, reducendum eſſe ad limites contractus iuſti, quem contrahens cum eodem vel cum altero poterat facere. Probatur hæc ſententia Primò, Quia iſte contractus eſt cauſa cur relinquat alium contractum, quo iuſtè lucratus fuiſſet: ergo poterit exigere intereſſe lucri ceſſantis.

Dices; Ergo etiamſi mala fide contraxiſſet, poſſet exigere intereſſe.

Reſponderi poteſt negando conſequentiam; quia dum mala fide contrahit iudicans contractum eſſe iniuſtum; tunc in contrahendo non cenſetur habere rationem lucri ceſſantis per alios contractus iuſtos. ſi enim illius rationem habere vellet, facilè in ſuo contractu poſſet conſtituere iuſtitiam & æqualitatem, & ita non eſſet iniquus. Qui autem putat contractum eſſe iuſtum, non intendens niſi iuſtè contrahere; implicitè videtur in ſubſidium accerſere omnes titulos iuſtos, qui in tali contractu poſſunt reperiri: & conſequenter etiam titulum lucri, quod ceſſat ex alio contractu, quem feciſſet, niſi hunc contractum probum putaſſet.

Secundò, Quia in hoc contractu, formaliter & ex intentione contrahentis ſeruatur æqualitas: & etiam eſt æqualitas ex parte materiæ; nam poteſt in ea materia inueniri titulus iuſtus; etiamſi à contrahente non conſideretur: ergo talis contractus etſi ſecundùm ſe ſit iniquus, tamen ratione intentionis & tituli latentis poteſt iuſtificari. 103

Tertiò, Quia nemo per talem contractum putabit ſibi factam iniuriam; non enim facta eſt iniuria formalis, cùm mutuator non intenderit niſi iuſtè contrahere: nec etiam materialis, quia in materia reperitur titulus iuſtus, quem ille implicitè cenſetur voluiſſe: non enim eſt neceſſe vt expreſsè cogitarit, Si hic contractus eſſet iniquus, vellem facere alium, aut vellem exigere compenſationem lucri ceſſantis: quia ſufficit intentio virtualis, quam videtur habere negotiator diligens, in omnem occaſionem intentus. ſi enim rogaretur, diceret hanc eſſe mentem ſuam in omni contractu.

104 *Refutatio ſententiæ generatim acceptæ.*

Verùm hæc ſententia ita generatim accepta, non videtur vera. Primò, Quia ſi emiſti rem minoris iuſto, bona fide; poſteà tamen intellecta veritate teneris complere pretium; nec potes confugere ad alium contractum, quem cum alio iniuiſſes, & quo plus lucratus fuiſſes; ratio eſt, quia venditor non conſenſit in illum titulum; non enim mens eius eſt rem ſuam minoris iuſto vendere propter intereſſe emptoris.

Secundò, Si vendas aliquid bona fide ſupra iuſtum, teneris poſteà comperta veritate reſtituere exceſſum, nec potes confugere ad lucrum ceſſans. ratio eſt, quia emptor non conſentit in illum titulum; non enim intendit compenſare intereſſe venditoris, ſed tantùm emere rem iuſto pretio, vnde quòd ampliùs ſoluat, eſt quia decipitur, putatque rem pluris valere, quàm reuerà valeat. ſi enim ſciuiſſet rei pretium, noluiſſet dare quantum dedit. quòd ſi illum exceſſum volebas ratione tui intereſſe, hoc ei debebas explicare, nam fortaſſe noluiſſet rem emere ſupra iuſtum, ob tuum incommodum ſarciendum. Idem dicendum de locato & conducto, de cambiis & cenſibus.

105 *Limitatio ſententiæ.*

Si tamen limitetur hæc ſententia ad contractus eos, in quibus vterque contrahentium cenſetur conſentire in eoſdem titulos; ita vt is, cum quo contrahis, intendat tibi dare lucrum omni eo titulo, quo tu intendis illud accipere, vt fit in mutuo; ſic non videtur improbabilis. & poteſt habere locum in quatuor caſibus.

1. *Si expreſsè intendas omni titulo lucrati.*

Primò, Si quis dum alteri tradit, v. g. 100. intendat expreſsè omni titulo, quo poteſt, lucrari ſex; hic poterit poſteà exigere ſex; ſi reuerà lucrum ceſſans, deductis deducendis, tanti æſtimetur, etiamſi

etiamsi de hoc non cogitauerit. Similter poterit exigere, si alio iusto titulo salua sorte tantum poterat peti, vt per tres contractus cum mercatore, (de quibus infrà;) aut per contractum census vtrimque redimibilis, aut alium: quia satis est vt intendat omni iusto titulo id lucrari à tali: vt eruditè docet Gregorius à Valentia disp. 5. q. 25. dub. 3. ratio est, quia ad iustitiam, seu æqualitatem, perinde est siue titulus sit cognitus & volitus in genere, siue in specie; modò reuerà extet, & propter illum exigatur æquiualens.

106 *2. Si implicitè. Id sit tripliciter.* Secundò, Si quis implicitè & virtute aliquem titulum iustum intendat; quod potest fieri tripliciter. Primò, Si intendat accipere lucrum eo titulo, quo consueuit passim à mercatoribus, v. g. in Bursa accipi. tunc enim implicitè spectat illum titulum, ex quo illa consuetudo est orta, etiamsi illum in particulari ignoret. vnde si ille titulus sit in se iustus, & reuerà hîc & nunc subsit; potest iustè illud lucrum accipere. Orta autem videtur hæc consuetudo ex interesse, quod incurrunt mutuando: vnde si interesse lucri cessantis subsit huic mutuo, poterit lucrum illud accipere; quia implicitè hoc interesse spectauit.

107 *Pecunia pupillorũ.* Simili modo, si consuetudo illa dandi pecuniam pupillorum & viduarum in depositum (vt vocant) & exigendi 5. vel 6. pro centum, orta sit ex iusto titulo, (v. g. triplicis contractus cum mercatore, aut veri interesse:) qui sic contrahunt iuxta morem receptum, implicitè spectant titulum illum vnde consuetudo illa est orta. vnde si subsit interesse, vel si ille cum quo contrahitur est talis, vt per tres contractus ab eo tantum peti queat, possunt illud exigere.

108 *Ex vi præcedentis propositi cõtrahens.* Secundò, Censetur implicitè intendere iustum titulum, si ex vi præcedentis propositi, quo statuit in hoc contractu exigere lucrum omni titulo, quo potest, se se applicet postea ad hunc contractum celebrandum: tunc enim etiamsi actu id non cogitet, tamen implicitè censetur velle ita contrahere, & reipsa sic exequi, sicut antè proposuit. quo modo fortè excusari possent aliqui, qui initio cùm ad Bursam darent, expressè sæpiùs intenderunt illud lucrum omni titulo iusto accipere; & inde consuetudine contracta, non ampliùs posteà id actu cogitant. nam censentur semper contrahere ex vi illius consuetudinis & habitus inducti per priores illos actus, in quibus erat expressa intentio omnium iustorum titulorum; quæ intentio censetur manere in habitu, & consequenter in omnibus actibus ex illo habitu seu consuetudine secutis.

109 Tertiò, Videri potest implicitè intendere iustum titulum, qui cupit iusto modo lucrari, & non aliter. Hic enim intendit formaliter iustum titulum, & ita est affectus, vt si sciret titulum huius contractus non esse iustum, nollet contrahere, sed faceret alium contractum; vel statim titulum iustum inueniret (vt lucri cessantis) & deduceret in pactum: vnde videtur iste virtute intendere titulum omnem iustum, qui subest; neque se alligare ad hanc formam contractus, v. g. mutui: nam ita est actu dispositus, vt si rogaretur, quo titulo quáve forma contractus velit lucrari illa sex pro 100. responderet, Omni modo meliore, quo possum: quam clausulam Notarij plerumque solent addere Instrumentis, quia censetur ea esse mens contrahentium.

Hoc animo viri iusti, Deumque timentes solent contrahere, dum res est obscura. Iuxta hanc rationem excusari possent multi, qui pecuniam pupillarem apud homines industrios vel mercatores deponere solebant. hi enim non intendunt nisi licito modo hoc lucrum percipere: & si rogarentur, ex vi suæ consuetudinis & præsentis affectus idipsum responderent. Itaque non ausim hos cogere ad restitutionem. quamquam putem non permittendum, vt quis in posterum sic contrahat absque expresso titulo ob quem lucrum petat: quia cùm tituli non considerantur expressè, non constat an ex parte rei seruetur æqualitas. deinde non satis liquet, an iste tertius modus implicitæ intentionis sit sufficiens; (videtur enim potiùs intentio habitualis quàm virtualis:) & si sit sufficiens, an reipsa interuenerit. quare hunc modum non probauerim in formali pacto mutui, nisi expresseris te velle contrahere meliore modo quo potes. 110

DVBITATIO XIII.

Vtrùm ratione periculi sortis, vel difficultatum aut expensarum quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat aliquid vltra sortem exigere.

QVidam putant id esse illicitum. Ita Nauarrus c. 23. n. 81. Sotus lib. 6. q. 4. art 1. ad 1. & quidam alij, ob rationes infrà ponendas. 111 *Ratione periculi.*

Respondeo tamen, Absolutè id esse licitum, vt docet Angelus Vsura 1. n. 38. Silu. Vsura 1. q. 35. Ioan. Medina C. de restitut. q. 38. §. Ad tertiam causam, Corduba in Summa q. 78. Petrus Nauarra lib. 3. c. 2. n. 343. & alij recentiores. Probatur Primò, Quòd me coniiciam in tale periculum est pretio æstimabile; vt si mutuem homini non satis noto, aut decoctori, aut dubiæ fidei: aut si timeam probabiliter magnas molestias in recuperanda sorte, (quos casus ponunt Ioannes Medina & Petrus Nauarra:) ergo possum pro eo pretium exigere. iustissimum enim est, si pro eo, quod pretio æstimabile est, pretium exigatur.

Secundò, Quia fideiussor potest ratione periculi, quod fideiubendo subit, aliquid exigere: atqui fideiubere est quoddam mutuare.

Dices, Fideiussor accipit ratione obligationis, quam subit.

Respondeo, Non tantùm ratione obligationis, sed etiam & maximè ratione periculi. etsi enim possit ratione solius obligationis aliquid exigere; cùm omnis obligatio ciuilis sit pretio æstimabilis: tamen multò magis potest ratione periculi; vt patet in eo, qui fideiubet vbi periculum est nullum; & in eo, qui idem facit vbi magnum: hic enim longè amplius exigere potest, nec alius ei titulus in hoc suffragatur, quàm periculi.

Tertiò, Qui vendit ad diem, seu creditò, potest ratione periculi, quod subit dilata solutione, aliquid exigere supra iustum rei nudæ pretium, vt infrà cap. 21. dubit. 6. dicemus: atqui dilatio solutionis est tacitum quoddam mutuum: ergo si licet in hac dilatione, etiam licebit in mutuo expresso.

Quartò, Si tibi commodem vel elocem equum,

domum, vestem, possum aliquid exigere ratione periculi quod tua causa subeo, si prudenter metuo ne apud te res pereat, vel deterior efficiatur; vt quia te noui negligentem aut non probæ fidei: (quod etiam Sotus fatetur) ergo etiam quando mutuo pecuniam. Nec satisfacit quod ait Sotus, esse discrimen, quòd ibi non transferatur dominium, hîc verò transferatur: hoc enim parum ad rem facit. nam sicut tu obligaris reddere locatum & commodatum, ita etiam totum mutuum; & sicut mea res tibi locata, est in periculo, ita summa mihi debita, est in periculo.

Quintò, Mutuator potest exigere vt mutuatarius ei caueat, dato fideiussore aut pignore: ergo potest etiam ipse aliquid accipere cùm periculum fideiussoris subit.

112 *Tria requiruntur.* Notandum tamen, Vt hoc iustè fiat, tria requiri. Primò, Vt non cogas mutuatarium vt te adhibeat loco fideiussoris, sed liberum ei facias pignore vel fideiussore cauere: quia obligatio illa, quòd teneatur te loco fideiussoris accipere potiùs quàm alium, est onus quoddam pecuniâ æstimabile. Itaque non potes id ei imponere, nisi fortè ratione lucri cessantis, vt sic illud compenses.

113 Secundò, Vt non plus exigas ratione huius periculi, quàm ipse alteri velles dare pro talis periculi redemptione, si pecuniam tuam in illud coniicere cogereris. hoc enim est signum, te iustam æstimationem non excedere.

Tertiò, Vt sit verum periculum, ex quo probabiliter timeatur incommodum. Nec refert, etsi posteà fortè damnum nullum euenerit: quia non pro ipso damno futuro, sed pro periculo damni pactus es.

114 *Obiectiones.* Sed contrà obiicitur ex Nauarro, Primò, Quòd hæc sententia sit contra communem sententiam Theologorum & Canonistarum.

Respondeo, Est contra communem sententiam, licitum esse cogere mutuatarium vt vtatur mutuante loco fideiussoris; non autem inire cum illo talem contractum, si sponte consentiat.

115 *Cap. In ciuitate.* Secundò, *Ecclesia*, inquit, *determinauit contrarium, cap. In ciuitate, de Vsuris, ex quo colligere licet, Ecclesiam determinasse, talia pericula non esse considerabilia.*

Respondeo, Falli Nauarrum; nam in illo cap. nihil aliud definitur ab Alexandro III. quàm ratione solutionis dilatæ non licere merces pluris vendere, quam modò valeant; nisi dubium sit, illas plus minúsve tempore solutionis valituras.

Vbi aduerte, non damnari eum, qui plus exigit ratione periculi, cui sors per dilationem solutionis exponitur; de hoc enim nulla fit tibi mentio; imò tacitè insinuatur id esse licitum. si enim tibi ius est, rem quæ nunc valet 5. vendere 6. dilata solutione, quando dubium est, vtrùm ea tempore solutionis sit plus minúsve quàm sex valitura, vt docet Pontifex; multò magis ius erit exigere aliquid supra rei præsentem æstimationem, ratione periculi totius sortis. si enim illud licet quia exponis te periculo amissionis lucri; multò magis hoc licebit, cùm te exponas periculo non minuti vel ambigui lucelli, sed totius sortis amittendæ.

116 Tertiò, Ex cap. Nauiganti. 19. de Vsuris, vbi Gregorius IX. sic ait: *Nauiganti vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.*

Respondeo, Vel Pontifex loquitur de eo, qui ita mutuat vt alterum cogat inire secum contractum præstandæ securitatis mercium aut pecuniæ: qui videlicet non vult mutuare, nisi alter alium contractum secum ineat, quo ipse certo pretio in se periculum pecuniæ vel mercium recipiat; & hoc est illicitum, & ex parte vsurarium, vt dictum est: quia hoc onus est pretio æstimabile, & fortè alia ratione, minore detrimento securitas præstati potuisset, dato pignore vel fideiussore. Ita docent Angelus & Silu. suprà, & Ioann. Medina suprà, ad 4. & alij DD. ferè omnes; vel certè solùm intendit damnare vsuras centesimas, quæ in traiectitia pecunia Iure ciuili permittebantur; de quibus dubit. 4. *Expositio cap. Nauiganti.*

Quartò, Ex Soto, Quamuis, inquit, periculum, quod subis mutuando vel vendendo creditò, sit pretio æstimabile; tamen non potes pro eo quidquam exigere, nisi inuoluntariè hoc patiaris. atqui is, qui se offert vel rogatus mutuat, non patitur hoc periculum inuoluntariè: ergo non potest quidquam pro eo exigere. 117

Respondeo, Ad hoc suprà dub. 11. responsum est; nam eodem argumento probabat Sotus, non licere quidquam exigere pro lucro cessante, nisi inuoluntariè id patiaris. Dico igitur, verum non esse quod assumitur. si enim pretio æstimabile est exponere pecuniam tali periculo; nihil refert vtrùm voluntariè an inuoluntariè id facias. etsi enim dum res sponte offertur, eius pretium minuatur; (nam vt dici solet, *merces vitroneæ vilescunt*) & ideò minùs exigere debeas dum te loco fideiussoris offers, quàm si ad hoc rogatus esses; tamen iudicio prudentis, spectatis circumstantiis, hoc officium meretur mercedem.

Quintò, Si posset aliquid exigi ratione metus & periculi; is, qui magis est meticulosus, posset plus exigere; quod est absurdum.

Respondeo, Metus debet niti iusta ratione; debet enim esse verum periculum, ob quod prudenter metuitur. vel tale, vt ipsemet libenter tanti illud redimeret, si cogeretur subire. 118

Dvbitatio XIV.

Vtrùm ratione carentiæ pecuniæ, seu obligationis non repetendi ante certum tempus, possit aliquid exigi: vt si mutuem tibi 1000. aureos ad vnum annum, priuans me non solùm pecunia, sed etiam facultate repetendi per tantũ tempus.

Quidam, vt refert Molina disput. 308. putant hoc titulo posse aliquid exigi, in qua sententia videtur esse Ioannes Medina C. de restitut. q. 32. §. Inde infertur. vbi dicit: *Inde infertur, posse mutuantem aliquid supra sortem recipere sine vitio vsuræ aut iniustitiæ: ratione grauaminis, quod ex carentia mutuatæ pecuniæ patitur; si inde non daretur occasio infamiæ aut scandali: quia ob illam causam licitũ est vendenti, supra iustũ pretium accipere.* hæc ille. Quæ sententia probari potest Primò, Quia fideiubere alterius nomine ad vnum annum pro tanta summa, est pretio æstimabile, etiamsi nullum sit periculum in debitore: ergo etiam mutuare 119 *Quorundam sententia.*

cum

cum obligatione non repetendi. consequentia probatur, quia hoc est difficilius quàm illud. plures enim inuenias, qui nomine tuo fideiubeant pro tanta summa, quàm qui eam tibi velint ad tantum tempus mutuare, vt experientia constat. & ratio est; quia qui fideiubet in hoc casu; moraliter certus est se nullam pecuniam numeraturum; & si fortasse contigerit eam esse numerandam, certus est se eam recuperaturum: imò potest eam statim repetetere, & omne interesse. qui verò mutuat, iam reipsa numerat; & quidquid euenerit, non potest ante annum repetere. si quoque interim ei obuenerit interesse, non compensabitur, nisi expresè de eo fuerit conuentum.

Secundò, Licitum est aliquid exigere pro obligatione mutuandi 1000. suscepta per vnum annum: ergo etiam pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam tanto tempore.

120 *Solutio quorumdam.* Dices, Esse disparem rationem: nam omnis obligatio est pretio æstimabilis. vnde licet aliquid stipulari pro fideiussione & obligatione mutuandi, quamuis nihil sit periculi vel damni in illis. at verò quòd quis non possit mutuatam pecuniam repetere ante annum elapsum, non est obligatio aliqua, sed liberalis concessio suæ pecuniæ, (sicut fit in donatione, vbi donator nullam subit obligationem) quæ satis compensatur redditione æquiualentis in fine anni.

Refutatio. *Obligatio ad non agendum.* Sed contrà Primò, Non solùm dantur obligationes ad actus positiuos, sed etiam ad priuationes actuum. sicut enim me obligo ad aliquid faciendum, ita etiam me possum obligare ad non faciendum: vt si promittam alicui non vti via vel actu per agrum ipsius, non vrgere solutionem ante certum tempus, non vocare in Ius, non egredi vrbe; in quibus constat induci veram obligationem ad aliquid non faciendum: contra quam si fecero, ius alterius violabo, & tenebor de damno secuto. Nec refert, quòd is qui donat, nullam dicatur subire obligationem; quia plus oneris subit, quàm si obligationem solùm aliquam susciperet; cùm rem penitus à se alienet, non retento iure repetendi; quod omne est pretio æstimabile.

121

122 Secundò, Etiamsi concederetur, non dici obligationem, tamen negari non potest, quin sit onus quoddam indebitum; tale autem onus subire, est pretio æstimabile. sicut enim fieri potest, vt is qui fideiubet pro eo qui maximè est soluendo, incommodum aliquod subeat; ita etiam fieri potest, vt is qui mutuat cum tali onere, incommodum aliquod inde reportet, etiamsi modò non appareat; vt experientia docet. sæpè enim fit vt qui ditissimi videntur, non sint; vel si sint, repentè fiant pauperes, & non sint soluendo per infortunium, vel occultam calumniam, vt sæpè fit in magnis emporiis.

123 *Carentia pecuniæ an possit pretium imponi.* Tertiò, Probatur hæc sententia; quia sicut aliis rebus & oneribus potest aliquod pretium imponi; ita etiam oneri carendi sua pecunia tanto vel tanto tempore. cùm enim pecunia sit instrumentum negotiandi, & priuare se instrumento suæ artis sit pecunia æstimabile; cur non etiam mercatores poterunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod communi consensu imponere; præsertim si ratio boni communis id postulet? Quòd autem bonum commune postulet vt id faciant, probatur; quia cùm plurimi pecunia præsenti egeant, nec facilè possit inueniri qui gratis mutuare velit, (partim ratione periculi sortis, vel difficultatis in ea recuperanda; partim ne priuet se commoditate variis modis negotiandi, maximè per cambia quæ hoc tempore vigent) ratio postulabat, vt mercatores communi consensu constituerent veluti certa pretia carentiæ pecuniæ, spectatis omnibus illis circumstantiis, ex quibus ea carentia posset pro tempore pluris vel minoris æstimari; idque vt passim omnibus constaret quanti pecunia haberi possit, & ne singuli pro suo arbitratu suum interesse, suaque incommoda, cum magno mutuatariorum damno taxare possent. Et hic videtur esse vsus Bursæ seu Petistylij 124
Antuerpiensis, quò mercatores quotidie conueniunt, & habita ratione copiæ vel inopiæ pecuniæ, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, omniumque lucrandi rationum, (in quibus opus est pecunia præsenti) statuunt tum per se, tum per suos proxenetas pretium carentiæ pecuniæ, quòd mercatores mutuantes, pro eo quòd tanto tempore sua pecunia careant, nec ante terminum constitutum liceat repetere, possint exigere. Hoc pretium interdum est sex pro 100. in annum; aliquando 7. 8. 9. 10. 11. 12. amplius quàm 12. vetantur exigere constitutione Caroli V. edita Bruxellæ anno 1540. 4. Octob. quæ habetur pag. 767. diuersarum ordinat. vbi si ampliùs exigatur, declaratur 125
vsurarium. Porrò hoc pretium videtur posse ibidem exigere quiuis mercator, etiamsi nullum ei lucrum cesset. Primò, Quia est iustum pretium carentiæ pecuniæ inter mercatores. nam iustum pretium rei vel oneris in aliqua communitate, est, quod bona fide, causa boni communis, ab illa communitate, spectatis omnibus circumstantiis, imponitur. atqui hoc pretium sic imponitur: ergo est iustum. Secundò, Quando alicui rei vel obligationi ob iustas causas, quæ communiter adsint, est pretium impositum, possum illud exigere, etiamsi mihi talis obligatio non sit oneri, imò etiamsi sit commoda; eò quòd communiter tanti æstimetur: ergo etiamsi ex carentia pecuniæ per annum, non cesset mihi lucrum, nec sit periculum sortis; tamen quia huic carentiæ ob iustas causas tale pretium est impositum, possum illud exigere sicut ceteri: sicut pro fideiussione possum exigere pretium communiter taxatum, si quod sit, etiam nullum mihi sit periculum, imò etiamsi mihi sit percommoda: cùm tamen fideiussio potissimùm ex periculo incommodi æstimetur.

Hæ rationes videri possint alicui probabiles, 126
potissimùm tertia; & iuxta eas consuetudo Bursæ Antuerpiensis excusabilis; quam præstaret seruari, quàm illam quæ modò introducta est: qui multi nolunt cuiquam mutuare secundùm morem Bursæ, sed tantùm dare ad cambium. vnde fit vt qui mutuando solùm lucrarentur 7. 8. vel 10. in 100. facilè extorqueant 20. vel 30. in 100. per varia cambia & recambia intra vnum annum.

Nihilominùs sentio non esse tam laxas habenas mercatoribus dandas; nec illis concedendum vt quidquam supra sortem exigant, si illis ex carentia pecuniæ nullum lucrum cessat, nullum periculum impendet, nullum incommodum metuitur. Primò, Quia sententia illa videtur noua, 127
nec illam apud Auctores reperio: ac proinde in re morali tanti momenti non facilè admittenda. Deinde quia carentia pecuniæ & obligatio non repetendi ante aliquod tempus, est quid intrinsecum

rationi

rationi mutui: (alioquin mutuum non differret à precario) vnde si mutuum debet gratis fieri (vt constat ex supradictis) nihil pro hac carentia vel obligatione petendum est.

Ex hoc fundamento elicienda est responsio ad 1. & 2. argumentum.

Ad Tertium respondeti potest, tale pretium imponi à mercatoribus non posse; quia carentia pecuniæ non est pretio æstimabilis, nisi ratione alicuius incommodi vel periculi coniuncti.

DVBITATIO XV.

Vtrùm in mutuo pœna conuentionalis locum habeat; siue, Vtrùm licitum sit pacisci, vt mutuatarius, si ad terminum statutum non restituerit, aliquid soluat in pœnam suæ moræ vltra sortem.

128 RESpondeo, Id esse licitum. Ita Scotus d.15. q.2. & ex Scoto Gabriel q.11. art.1. columna 4 Siluester, Vsura 1.num.28. Ioannes Medina q.3.de Vsura. §.Quarta causa & Nauarr. cap.17. n.215. & alij. Ratio est, quia debitor, qui est in mora, peccat contra iustitiam retinendo alienum seu alteri debitum; ac proinde dignus est pœna: ergo ex conuentione partium potest illi aliqua pœna constitui; sicut illi solet pœna imponi, qui à contractu resilierit: & hæc pœna poterit exigi, etiamsi mutuans nihil incommodi sit passus.

Pœna conuentionalis.

129 Dices, Nemo potest alteri imponere pœnam, quam teneatur subire, nisi Superior: ergo, &c.

Respondeo, Solus Superior potest inuitum obligare ad pœnam; sed priuatus potest alterum obligare consentientem; tunc enim ille per suum consensum seipsum obligat, sicut in aliis pactis.

130 Notandum tamen, hic requiri 4. conditiones. Prima est, Vt non fiat in fraudem vsurariam, vt notant Scotus, Gabriel, & alij: vt si non cures vtrùm soluat ante talem terminum, an non; sed vt possis lucrari ex mutuo, terminum illi cum pacto pœnali constituis. tunc enim non ex culpa, quæ nulla esset in non soluendo; sed ex vi mutui censeretur illud lucrum expectari. Eòdem pertinet, si vt lucreris, breuem nimis terminum, intra quem scis illum soluere non posse, constituas. Necesse igitur est, vt dum mutuas, velis tibi ad talem terminum restitui, siue tua interfit siue non; & vt is iusta temporis intercapedine, vt intra eum soluere queat mutuatarius, distet. tunc enim non restituendo peccabit; ac proinde potes pacisci de pœna; vt si contra hanc tuam voluntatem restituere omiserit, eam teneatur soluere. quòd si constituta iam pœna, optes illam incurri, peccas contra charitatem, optando peccatum proximi ob tuum commodum; non tamen contra iustitiam; nec inde fit vt exactio pœnæ sit iniusta: (etsi contrarium sentire videatur Nauarrus suprà) quia omissio solutionis non ideò desinit esse peccatum.

4. Conditiones requisitæ.

1. Conditio, vt absit fraus vsuraria.

131 Secunda est, Vt debitor verè sit in culpa non soluendo. nam sine culpa non potest imponi pœna; siue ea sit iudicialis, quam Iudex imponit per sententiam; siue legalis, quæ lege est constituta; siue conuentionalis, quæ constituitur ex conuentione partium. vnde si factus sit impotens, non potest exigi, vt rectè notat Nauarrus suprà. Pari modo si contractus, cui apposita est pœna, Iure sit irritus: quia absque peccato talis contractus potest non seruari. si tamen huiusmodi contractus iuramento esset confirmatus, pœna peti posset, quia tunc obligaret; ac proinde eius violatio esset peccatum, quod pœnam meretur.

2. Vt sit culpa.

132 *Si contractus erat irritus.*

Sed quid, si culpa sua factus sit quispiam impotens?

Resp. Si aduertit vel facilè aduertere potuit, ex negligentia vel actione sua culpabili secuturam impotentiam, tenebitur ad pœnam. ratio est, quia tunc non soluere est culpabile, volitum in causa culpabili: vnde meretur pœnam. vt si alea vel comessatione decoxit rem familiarem. Secùs si id ita factum sit, vt nullo modo aduerterit.

Tertia est, Vt pœna sit moderata iuxta mensuram culpæ: quod etiam in pœna iudiciali & legali requiritur. quando enim pœna est immo derata, iniquè cogitur mutuatarius in eam consentire: ac proinde non potest peti, qua parte iustum modum excedit. Hinc pactum legis commissoriæ in pignoribus (id est, vt pignus sit creditoris, si certo tempore debitor non soluerit) est Iure prohibitum cap. Significante. 7. de pignoribus, & L 1. & 3. C. de pactis pign. Hinc sequitur, si pars debiti soluta fuerit, non posse totam pœnam exigi, sed partem tantùm; eam nimirum, quæ parti debiti proportione respondeat.

133 *3. Vt sit pœna moderata.*

Quarta, Vt mora sit notabilis. non enim vnius diei, vel etiam hebdomadæ interuallum ordinariè sufficiens dici debet ad pœnam incurrendam. hîc tamen qualitas negotij & mos Prouinciæ spectandus est. Nam si concessum est spatium sufficiens, & intra illud solutio facta non sit, poterit peti, etiamsi vel vnum diem excesserit, si Iuris rigore vti velit mutuator.

134 *4. Vt mora notabilis.*

Petes, Vtrùm hæc pœna post moram sit debita in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam?

Resp. Valdè probabile est, ante omnem sententiam deberi. Ita Siluester v. Pœna num. 14. & Couarr. in Epitome 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 8. nu. 11. & alij. ratio est; quia debetur ex vi pacti inter contrahentes initi, & sic communis sensus hominum eas accipit. vnde multùm differt hæc pœna à pœna legali & iudiciali, quæ non debentur ante sententiam; quia non ex vi pacti & promissionis rei, sed Iudicis præcepto, delictum punientis.

135

Aduerte tamen, sicut legalis & iudicialis non debentur ante sententiam Iudicis, ità conuentionalis non debetur ante exactionem partis, quæ hîc Iudicis vicem supplet: est enim nimis durum & moribus hominum non satis accommodatum, vt solutio debeatur ante exactionem: æquum verò, vt parte exigente; quia debetur ex pacto. quare sicut Iudici iubenti non licet resistere, ita neque parti exigenti pœnam conuentam, denegare. ita Couarr. loco citato, Molina disp. 97. & multi Iurisperiti.

136 *Non debetur antè quàm exigatur.*

Dixi, esse *valdè probabile*; quia non est certum. Imò contrarium etiam probabile est, videlicet pœnam conuentionalem non esse necessariò soluendam in foro conscientiæ, antequam debitor illius per sententiam Iudicis cogatur. ita enim sentit Adrianus quodlib. 6. art. 1. concl. 2. illatione 3. vbi generaliter docet, nullam pœnam esse soluendam

ante

ante condemnationem. Lopez l. 1. de contract. c. 31. & l. 2. c. 34. Victoria, vt refert Lopez; insinuat Nauarr. c. 23. n. 68. eamdem tenet noster Sanches l. 1. de Matr. disp. 37. & dicit multos neotericos doctissimos ita sentire. Ratio est; quia illa videtur esse mens contrahentium & pœnam apponentium; nisi aliud exprimant. ideò enim apponunt pœnam, vt cogant secum contrahentem ad seruandam fidem; & vt ius habeant compellendi ad eius solutionem, si fefellerit. confirmatur, quia cùm pœna sit contra voluntatem; eius conditio naturalis postulat, vt non sit debita solutio, nisi quis cogatur. hæc tamen ratio non omnino conuincit: quia quod ex pacto debetur, non requirit sententiam Iudicis. Itaque verius puto spectandam consuetudinem; quæ nisi requirat condemnationem Iudicis, credo teneri ante sententiam, ad solam partis requisitionem. In dubio tamen de consuetudine, censeo alteram sententiam probabilem.

Dvbitatio xvi.

Vtrùm is qui pignus ab alio habet, si fructus ex eo perceperit, teneatur eos in sortem putare.

137 Dico Primò, Si pignus creditori datum sit tantummodò in securitatem debitorum, tenetur creditor fructus ex eo perceptos in sortem computare; nisi ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis, vel pœnæ conuentionalis, (iuxta ea quæ suprà diximus) vel ratione expensarum in pignore custodiendo factarum, posset eos retinere. est communis sententia DD. & apertè colligitur ex cap. 1. & 2 de vsuris. ratio est; quia nullum ius habet ad fructus illos ratione mutui. vnde etiamsi agrum sterilem, quem mutuator non colebat, acceperit in pignus; si sua diligentia inde fructus collegerit, tenetur eos, deductis expensis in colendo factis, referre in sortem, vt rectè Nauarrus cap. 17. nu. 216. contra Sotum: quia fructus hoc ipso, quo nascuntur ex re alterius, pertinent ad dominum illius rei. vide suprà

138 *Quomodo possint fructus pignoris percipi.* c. 12. dub. 17. Quòd si quis vellet accipere fructus rei quæ in pignus offertur, & nihilominùs posteà recipere sortem; deberet illam rem emere cum pacto de retrouendendo. tunc enim posset percipere fructus, donec venditor rem suam redimeret; vt rectè Caietanus q. 78. art. 2. circa resp. D. Thomæ ad sextum. nam tempore illo medio res ipsius esset, & rei periculum; vnde etiam fructus. posset autem hæc emptio fieri etiam post contractum mutui & pignoris, si vtriusque consensu rescisso contractu mutui, iniretur contractus emptionis cum pacto de retrouendendo; de quo infrà cap. 21.

139 *Duæ exceptiones, in feudo, & in emphyteusi.* Excipiuntur duo casus, in quibus creditor non tenetur fructus pignoris in sortem computare. vt docet Nauarrus cap. 17. nu. 217. & Gabriel d. 15. q. 11. art. 2. concl. 4. & alij. Prior est, si feudatarius debeat aliquid domino directo, eique in pignus tradat feudum: tunc enim dominus directus feudi potest eius fructus percipere, sorte manente integra; vt patet ex cap. 1. de feudis, quod est Innocentij III. & cap. Conquestus 8. de Vsuris, quod est Alexandri III.

Posterior est, si emphyteuta oppigneret domino directo rem emphyteuticam: tunc enim dominus directus, etiamsi laicus sit, potest fructus rei illius percipere. ratio horum est, quia contractus feudi & emphyteusis habent tacitas quasdam conditiones, cum quibus semper censentur celebrari, nisi contrarium exprimatur. inter has vna est, vt si dentur in pignus domino directo, possit ipse percipere eorum fructus, sorte non imminuta; idque ne res apud dominum directum existens fructificet alteri, quod non videtur consonum rationi. Ex similibus tacitis conditionibus fit, vt feudum in multis casibus reuertatur ad dominum directum. vt docet Siluester v. Feudum. num. 17.

140 Requiruntur tamen tres conditiones vt dominus possit fructus istos percipere. Primò, Vt non exigat obsequium vel pensionem solitam. Secundò, Vt non percipiat eos, quos res producit, qua parte est melior effecta per industriam emphyteutæ. Tertiò, Vt feudum vel emphyteusis non sit comparata magna pecuniæ summa, vel magnis obsequiis antecedentibus; sed bona ex parte gratis concessa: aliàs iniquum esset pactum illud de fructibus horum (cùm oppignerata hæc domino directo fuerint) percipiendis. vide Siluestrum suprà num. 29. & 30. Nauarr. & Gabrielem suprà.

141 Dico Secundò, Si pignus datum sit non solùm ad debiti securitatem, sed etiam vt creditor interim eo fruatur, loco rei debitæ; tunc non tenetur eos in sortem conferre. Hoc modo intelligendum est caput Salubriter, de vsuris, vt rectè ostendit Molina disput. 321. & colligitur ex Caietano loco cit. sic enim ait Innocentius III. illo cap. *Sanè generum, ad fructus possessionum quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.* q. d. ideò fructus talis pignoris non sunt computandi in sortem (in diminutionem dotis;) quia tale pignus non consueuit dari vt dos minuatur; cùm fructus dotis integræ frequenter non sufficiant oneribus matrimonij sustentandis; in quem tamen finem dos datur. non ergo mens soceri est, vt ratione horum fructuum dos minuatur; sed vt gener fruatur illis, donec ei dos repræsentata fuerit. hæc videtur esse mens Pontificis: non enim intendit aliquid statuere præter Ius commune, aut aliquod priuilegium concedere genero ratione onerum matrimonij in pignore dotis, quod ex conditione contractus non habeat; (vt ex ipso modo loquendi satis patet) sed tantùm explicat, generum non teneri, suppositâ consuetudine, quæ passim viget. *Cap. Salubriter, de vsuris.*

142 *Non requiritur vt genero lucrum cesset.* Hinc sequitur Primò, Generum hos fructus posse seruare, etiamsi ex dilatione dotis nullum ei lucrum cesset; quia non conceduntur hi fructus ratione lucri cessantis: (vt plerique DD. putant, teste Couarr. l. 3. variar. cap. 1. num. 3.) sed vt onera matrimonij, donec dos soluatur, sustententur; nisi de contraria soceri intentione constet. Idem dicendum, etiamsi is qui dedit dotem, sit extraneus.

Secundò, Si constet socerum pignus non dedisse, nisi in securitatem dotis, non potest gener fructus retinere, nisi ratione lucri cessantis: (vt si socer sit in mora, non soluens tempore constituto:) ratio est, quia tunc isti fructus pertinent ad socerum; neque genero alia ratione sunt debiti,

vti

vti suppono. Vnde gener in hoc casu non potest obligare socerum, vt socer ei illos fructus concedat, aut vt nouum contractum, quo illos possit percipere donec dos soluatur, secum ineat. Posset tamen lege constitui, vt etiam in hoc casu gener ad onera matrimonij sustinenda possit percipere fructus pignoris, donec dos soluatur: imò vt possit petere à socero pensionem annuam, donec dotem soluerit; idque non tantùm ratione interesse, sed etiam tamquam pretium onerum matrimonij. hoc enim æquitati est consentaneum, & pertinet ad Reipubl. bonam ordinationem & tranquillitatem.

Potest lege statui, vt percipiat fructus pignoris.

143 Tertiò sequitur, Viduam non posse soluto matrimonio percipere fructus pignoris, ei pro securitate dotis assignati; nisi ratione lucri cessantis vel damni emergentis; quia tale pignus non solet dari nisi ad securitatem. Contrarium tamen tenent multi DD. Bañes q. 78. a. 2. sub finem. Petrus Arragon. ibidem, Lopez, & quidam alij. vnde sententia illa non est improbabilis. Sed puto spectandam consuetudinem, vel mentem oppignerantis.

Dvbitatio xvii.

Vtrùm licitum semper sit in mutuo paciſci, vt res restituatur in eadem mensura, etiamsi pretium eius, tempore restitutionis creuerit.

VT si mutues mihi 10. modios tritici, valentes nunc 20. aureis, Vtrùm possis exigere totidem modios, etiamsi pretium crescat ad 25. aureos.

144 Sotus lib. 6. q. 1. artic. 2. putat in mutuo semper posse exigi eamdem mensuram, seu idem pondus rerum. ratio ipsius est, quia in mutuo spectatur proportio seu æqualitas corporum, quæ permutantur, non pretiorum. si enim pretiorum æqualitas spectaretur, esset potiùs emptio & venditio, quàm mutuum. Sed vtendum distinctione. vnde

145 Dico Primò, Si sit dubium vtrùm res tempore restitutionis valebit pluris an minoris, potest mutuator exigere parem mensuram rei æquè in se bonæ, eamque suo tempore accipere, etiamsi interim pretium eius valdè creuerit. Ratio est, quia tunc par est vtriusque conditio, sicut enim mutuator potest lucrari, ita & amittere. vnde si lucretur, non prouenit id ex obligatione mutui; (quasi illud lucrum supra sortem exigatur ex pacto) sed per accidens, & casu fortuito, eò quòd res tempore redditionis facta sit maioris æstimationis. In casu vera est sententia Soti.

Si dubium an pluris minoris ve valebit.

146 Dico Secundò, Si certum sit, vel saltem probabilius, rem valituram minoris, potest mutuator maiorem quàm dederit mensuram exigere, (prout id magis vel minùs certum fuerit) vt fiat æqualitas; idque siue rem illam esset nunc venditurus aut in familia consumpturus, siue seruaturus. Probatur; quia qui dat mutuum, potest spectare in re sua non solùm naturalem bonitatem, sed etiam pretium; & exigere vt restituatur æquale non solùm bonitate, sed etiam pretio. si enim in omnibus aliis contractibus potest exigi æquale in pretio; cur non etiam in mutuo? ergo si tibi mutuo 10. modios dum valent 25. aureis, possum paciſci, vt restituas mihi 12. modios & dimidium, si tempore restitutionis singuli modij non valebunt nisi duobus aureis; quia illi duodecim cum dimidio æquales erunt æstimatione meis decem.

Si certum valituram minoris.

Dico, *Si tempore restitutionis non valebunt nisi duobus:* quia non possum te obligare, vt ad illud tempus differas restitutionem; possum tamen obligare vt non differas vltra certum terminum, & intra illum soluas, ea mensura, quæ adæquet pretium mensuræ, quam tibi nunc trado. 147

Dices, Iste contractus non est mutui, sed venditionis frumenti tui & emptionis alterius: nam implicitè exigis pretium frumenti tui, (quod est 25. aureorum) & emis frumentum alterius, tibi suo tempore reddendum.

Sed contrà, Si esset contractus emptionis & venditionis, non possem exigere vt reddas mihi rem eiusdem speciei. si enim pretium frumenti mei est 25. aureorum, debeo illo in venditione esse contentus: nec possum vlteriùs obligare emptorem vt vendat mihi vicissim frumentum vsque ad illam summam, pretio tempore traditionis currente: hæc enim obligatio exigeretur supra iustum pretium. Est igitur formalis contractus mutui, etsi implicitè venditionem & emptionem contineat.

Dices, Si rem illam eras seruaturus in illud vsque tempus, quo minoris erat valitura, non censetur tibi pluris nunc valere, quàm tunc valebit: ergo non potes nunc pro ea amplius exigere, quàm tunc valebit. Quidam concèdunt totum. 148

Non refert, quòd eam non eras seruaturus.

Sed neganda est consequentia; quia etsi toto eo tempore, quo manebas in proposito illam seruandi, non pluris valeret; tamen hoc ipso, quo mutasti illud propositum, statuendo illam nunc alienare per mutuum, potes illam æstimare secundùm præsentem valorem, quem modò habet, ac proinde huic æquale exigere.

Petes, Quid si in contractu non fuerit conuentum de restituenda maiore mensura, vel de exæquando pretio, sed tantùm de restituendo mutuo; tenebitúrne mutuatarius posteà, cùm pretium decreuerit, maiorem mensuram restituere? Petrus Nauarra l. 3. c. 2. n. 252. & sequentib. putat eum teneri. Primò, Quia alioquin non seruatur æqualitas pretiorum, quæ in ceteris omnibus permutationibus seruari solet. Secundò, Si mutuo tibi 100. aureos dum singuli valent 12. regalibus, & posteà decrescat pretium eorum vsque ad 11. non satisfacis si mihi restituas idem pondus auri; sed maius dare debes: ergo similiter in aliis, vbi materia distinguitur à pretio. Hæc sententia est probabilis. 149

Si non est conuentum de maiore mensura.

Contraria tamen videtur vsu recepta: quam tenet Sotus suprà. ratio est; quia in mutuo ita vsu receptum est, vt mutuatarius non censeatur obligatus, nisi ad reddendam rem similem specie, & parem bonitate & mensuræ; nisi ratione mutationis pretij aliter sit conuentum. hæc enim est conditio puri mutui, cui nulla implicitè miscetur emptio aut venditio. 150

Non tenetur reddere maiorem.

Ad Primum responderi potest, In mutuo nudo non spectari æqualitatem pretiorum, sed bonitatis naturalis & mensuræ, quamuis si mutuans velit, possit etiam habere rationem pretij: sed si non fecit, sibi imputet. 151

Ad Secundum: Alia est ratio nummorum, alia frumenti & rerum similium. in nummis enim non

non spectatur nisi pretium: vnde non debet restitui nisi pretium æquale. in aliis rebus primariò spectatur ipsa materia. nemo enim petit mutuum frumentum propter pretium frumenti, sed propter ipsum corpus & substantiam eius.

152 *Si valitura pluris, non potes exigere mensuram parem.* Dico Tertiò, Si certum est, vel probabilius, rem tempore traditionis valituram pluris quàm modò valeat, non potes ad parem mensuram reddendam obligare; sed tantùm ad eam, quæ tunc temporis adæquabit pretium rei à te traditæ. vt si 10. modij, qui nunc valent 20. aureis, restituendi sint eo tempore, quo valebunt 25. non potes exigere vt restituantur 10. Ratio est, quia non potes pacisci vt aliquid reddatur vltra id quod æquiualet rei tuæ. 10. autem modij tempore redditionis pluris valebunt quàm res tua,

153 quam modò tradis. Excipe, nisi rem tuam vsque ad illud tempus constituisses seruare; tunc enim ratione lucri cessantis posses ampliùs exigere quàm res valeat. hîc tamen detrahenda esset æstimatio custodiæ vsque ad illud tempus faciendæ, & æstimatio periculi corruptionis; tantoque minus exigendum.

154 *Posse exigi mensuram parem, est probabile.* Aduerte tamen, Sotum suprà & Molinam disput. 311. putare, non esse contra iustitiam, etiamsi exigat in hoc casu parem mensuram; modò non obliget illum vt differat solutionem vsque ad illud tempus, sed solùm obliget vt soluat dum mutuans repetet. Ratio est, quia tunc mutuatarius sibi imputare debet quòd expectauerit donec pretium creuit. Hæc sententia etiam probabilis est, si non erat certum, pretium fore augendum; vel si mutuans constituerat rem seruare, aut erat adhuc anceps. alioquin si constabat pretium augendum, & constituerat rem consumere aut alienare ante illud tempus, non video quo Iure possit æqualem mensuram repetere: hoc enim est manifestè aliquid lucrari supra æstimationem sortis, ex pactione mutui.

Dvbitatio xviii.

Vtrùm dominium vsurarum transferatur in vsurarium.

155 *Sententia quorumdam, transferri dominium.* Mvlti putant vsurarium acquirere dominium vsurarum, (id est, earum rerum quas ratione mutui supra sortem accepit) siue illæ sint vsu consumptibiles, vt vinum, frumentum, pecunia; siue non, vt vestes, annuli. Ita docet Scotus in 4 d. 15. quæst. 2. art. 3. ad secundum. Palud. ibidem quæst. 2. art. 5. Nauarr. cap. 17. num. 265. Fundamentum præcipuum est, quia voluntas illa mutuatarij, qua illas soluit, sufficiens est ad dominium transferendum. nam absolutè voluntariè soluit; & solùm inuoluntariè secundùm quid. Sed contraria sententia est communior, pro qua

156 *Si misceantur.* Resp. & Dico Primò, Si res illæ nomine vsuræ acceptæ, ita misceantur rebus vsurarij similibus, vt non possint ab eis distingui, tunc earum dominium censetur translatum. est communis sententia DD. colligitur ex §. Si duorum. & 2. sequentib. Instit. de rerum diuisione. & L. Si alieni. 78. π. de solutionibus, vbi dicitur, *Si alieni nummi inscio vel inuito domino soluti sunt, manent eius, cuius fuerunt. si mixti essent, ita vt discerni non possent, eius fieri qui accepit, in libris Cassij scriptum est; ita vt actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret.* Valdè tamen credibile est, quamdiu cumulus iste extat, aliquo modo idem permanens, siue apud vsurarium, siue apud alium; eum, cuius res ibi permixta est, habere ius in re; vt ante alios omnes ei ex illo satisfiat: imò eum posse sibi ex illo occultè accipere, quantum è re sua ibi permixtum esse nouit. Ratio est, quia etsi quando misceo, v g. frumentum alterius frumento meo, absque voluntate domini, aceruus ille ex vtroque resultans non fiat communis, ac proinde nec singula grana communicentur, sicut cùm vtriusque consensu miscetur: tamen competit illi actio in rem, quamdiu aceruus extat totus, vt habetur Instit. suprà. quod est valdè consentaneum Iuri naturali. cur enim, cùm certò mihi constat rem meam esse huic permixtam, non possim mihi vindicare ex mixto illo, quantum de meo inest? Confirmatur ex L. Marcellus. 3. §. Pomponius. π. de rei vindicatione, vbi dicitur: *Si quid quod eiusdem naturæ est, ita confusum & mixtum est, vt separari nequeat, pro parte vindicandum, vt puta meum argentum & tuum in massam redactum est.* *Dominus habet ius in re, quàdiu manet eadem.* 157

Dico Secundò, Si non ita permisceantur, non transfertur earum dominium in vsurarium; ac proinde numquam transfertur ex vi solutionis seu traditionis factæ ratione contractus mutui. Est communior sententia DD. D. Thomæ art. 3. Caiet. tom. 2. Opusc. 8. cap. 1. Medinæ q. 4. de vsura. §. Ad tertium principale. Soti lib. 6. q. 1. art. 4. Couarr. l. 3. variarum, cap. 3. n. 6. & aliorum. Ratio est, quia per illam solutionem mutuatarius non intendit donare gratis, vti suppono, nec plus iuris dare vsurario quàm habeat, aut quàm ei debeatur ratione mutuationis: atqui ratione mutuationis nihil debetur præter sortem: ergo non intendit transferre dominium, sed solùm externam traditionem facere, quæ necessaria est vt fidem suam liberet, & pecuniam mutuam impetret. confirmatur ex L. Numquam. 31. π. de acquir. rerum domin. vbi dicitur: *Numquam nuda traditio dominium transfert, nisi præcesserit venditio, aut iusta aliqua causa.* atqui hic non præcessit iusta causa, id est, iustus titulus: ergo. Addo, etiamsi quis fateri vellet, transferri dominium; hoc tamen est adeò debile, vt nullius sit momenti: quia tenetur sponte restituere propter iniuriam; & mutuatarius retinet ius in re; sicut quando aliquid metu extortum est. de quo suprà cap. 17. dub. 6. *Non transfertur dominium vsurarum.* 158

Hinc patet responsio ad fundamentum diuersæ sententiæ, Illam voluntatem non esse sufficientem, non defectu voluntarij propriè, quia est absolutè libera; sed quia per eam non est volitum vt istæ vsuræ absolutè cedant in dominium vsurarij, sed solùm vt sint ipsius, quatenus ei debentur, non aliter. 159

Ex his sequitur, si res nomine vsuræ accepta, sit fructifera, non solùm rem illam, sed etiam fructus perceptos restituendos esse, vt docet D. Thomas suprà. quod etiam admittunt illi, qui putant dominium vsurarum transferri in vsurarium. vide Couarruuiam l. 3. variar. c. 3. num. 6. *Si sit res fructifera, etiam fructus deberi.* 160

Dico Tertiò, Res tamen lucrifactæ pecunia vsuraria, statim ac ipsi traditæ fuerint, transeunt in ipsius dominium. est communis sententia DD. D. Thomæ art. 3. Adriani in 4. tract. de restitut. *Res pecuniâ vsurariâ parta, est vsurarij.* 161

quæst.de vsura. §. Occurrunt. Medinæ, de vsura quæst.4.§. Ad quartum principale, Couarr.lib.3. var.cap.3. num.6. & aliorum. & colligitur apertè ex L.1.C.Si quis alteri,vel sibi sub alterius nomine,vel aliena pecunia emerit. vbi significatur,eum effici dominum, cuius nomine alienâ pecuniâ res empta fuerit, si ei tradatur possessio, & L. 8. ibidem, *Qui alienâ pecuniâ comparat, non ei, cuius nummi fuerint, sed sibi tam actionem empti, quàm dominium, si ei tradita fuerit possessio, quærit.* Item L.Si ex ea.6.C.de rei vindicat. Ratio est;quia talis res est fructus industriæ, non pecuniæ; vt quæ per se sit sterilis.

162 *Si vendat res alienas.* Dico Quartò, Si vsurarius res alienas loco vsurarum acceptas vendat, acquirit dominium pretij, licet dominium istarum rerum non transferat in emptores. Prior pars patet ex L. 48. Qui vas, in fine,ff.de furtis, vbi dicitur, *Nummus,qui redactus est ex pretio rei furtiuæ, non est furtiuus.* & paulò antè : *Cùm fur rem furtiuam vendidisset, eique nummos pretij dominus rei per vim extorsit: furtum eum nummorum fecisse, rectè responsum est.* potest tamen dominus pretium capere in compensationem,quando timet se rem suam non recuperaturum.

163 Dices, Talis contractus est inuoluntarius ex parte emptoris : (si enim sciret rem esse alienam, nollet emere) ergo est irritus. confirmatur, quia non intendit transferre dominium pretij in venditorem, nisi venditor transferat vicissim dominium rei in illum : atqui venditor hoc non potest vllo modo facere: ergo,&c.

Resp. Eum quidem aliquo modo esse inuoluntarium, cùm ex errore procedat : quia tamen hic error non est circa rei substantiam, sed circa conditionem quamdam extrinsecam, non est ipso Iure contractus irritus. potest tamen emptor illum rescindere vbi sciuerit, & pretium repetere, vt constat ex cap. 17. dubit. 5. sed quamdiu hoc non facit, pretium est venditoris. Ad confirmationem: Non intendit pretium transferre sub conditione illa;sed transfert illud absolutè cum onere vt venditor rem quoque transferat in ipsum.vnde venditor statim fit dominus pretij traditi, sed manet obligatus vt rem faciat emptoris; teneturque de euictione.

164 Aduerte tamen, hîc requiri vt emptor bona fide res illas emerit, nesciens esse alienas. si enim id sciuit, contractus est irritus. vnde tunc vsurarius non acquirit dominium pretij. vt patet L. Si in emptione. 34.ff.de contrahenda emptione.

Altera pars probatur; quia qui non est dominus rei, non potest illius dominium in alium transferre, vt colligitur L. Ex empto 11. ff. de actionibus empti. hinc vbicumque reperta fuerit, poterit à priore domino vindicari.

Dvbitatio xix.

Quænam possimus ab vsurarijs titulo gratuito vel oneroso accipere.

Hæc quæstio locum habet in omnibus debitoribus, qui non sunt soluendo.

165 *Si res sint aliena.* Resp. & Dico Primò, Non potes ab vsurario vel fure accipere vllo titulo res alienas, quæ in specie extant, vt vestes, catenas, lectos; etiamsi ipsi eas alienando non fierent impotentiores ad soluendum. Ratio est; quia cùm ipsi talium rerum non habeant dominium, non possunt illud in alium transferre. Hinc sequitur, eas non posse emi: & si quis eas sciens esse alienas emeret,teneretur ad restitutionem earum, & etiam fructuum omnium.

Notandum tamen est, hæc esse intelligenda, 166 quando inuito domino emerentur. secùs verò si ex consensu eius, saltem tacito & præsumpto. vnde excusandi videntur, qui emunt pignora, & alia quæ vsurarij passim in oppidis publicè vendunt. Primò, Quia non constat an hæc sint aliena; talia enim solent sponte à mutuatariis relinqui per modum venditionis pro sorte & vsuris. & ita dominium eorum transit in vsurarium, quamuis teneatur pretium supplere. Secundò, Quia mutuatarij postquam ea reliquerunt pro vsuris, non solent curare ad quos perueniant; & si rogarentur, libenter facerent potestatem emendi. *Emptio pignorum ab vsurarijs.*

Dico Secundò, Potes ab vsurario & à fure ac- 167 cipere etiam titulo gratuito res eas, quarum ipse dominium habet. Ratio est; quia hæ res non sunt alienæ, sed ipsius vsurarij: neque aliis sunt vlla reali obligatione obnoxiæ. non enim res vsurarij sunt tacitè hypothecatæ prouisuris,vt quidam olim putarunt. nusquam enim in Iure positiuo talis hypotheca constituta inuenitur : Iure autem naturali nulla est tacita hypotheca. Accedit quòd ne furis quidem bona pro furtis hypothecata sint, vt communiter DD.docent. vide Nau.c.17. n.265. Siluestrum Vsura 6.n.5. Couarr.lib.3.variar.c.3.num.6.& alios: ergo potest earum dominium validè in alios transferre. consequentia patet, quia dominus rei alteri non obligatæ, habens liberam administrationem, potest eius dominium transferre in alium. *Si vsurarij propria.*

Petes, Quid si per eam donationem vel alienationem fiat impotens ad soluendum?

Resp. Multi DD. in hoc casu docent, eum, 168 qui aliquid accepit, teneri ad restitutionem; quia accepit in fraudem creditorum, ac proinde iniustè. *Si res alienetur in fraudem creditorũ.*

Sed vtendum est distinctione. Primò, Si non inducis illum ad donandum vel ad alienandum, sed ipse sponte tibi donat, vel vendit, aut emit; non teneris ad restitutionem in foro conscientiæ, etiamsi scias ipsum per hoc fieri impotentem ad soluendum. Ita Petrus Nauarr. lib. 3. cap. 4. num.218. & Molina disput. 327. colligitur apertè ex L.vltima, §.4. ff. Quæ in fraudem creditorum. & patet ex ratione allata; quia illæ res nemini sunt obstrictæ, & ipse est earum dominus; & nulla lege est inhabilis ad transferendum earum dominium : ergo transfert reipsa. Nec obstat, quòd ille peccet donando, quatenus per hoc reddit se impotentem ad soluendum creditoribus : quia tu non es causa cur velit donare; sed supposito quòd ipse sponte velit, tu acceptas, vtens iure tuo. nec enim vel iustitia vel charitas postulat, vt negligas tuum commodum, etiamsi inde per accidens sequatur alteri tantumdem damni. *Si non induxisti ad donandum, potes accipere.*

Aduerte tamen, si titulo gratuito accepisti, Iure 169 ciuili concedi creditoribus actionem, qua possint illud à te repetere. & quidem si sciuisti illum ea donatione fieri impotentem, cogèris restituere, etiamsi *Conceditur actio iure ciuili.*

etiamsi neque res extet, neque ex ea factus sis locupletior. si verò nesciuisti, solùm teneberis quatenus extat, vel ex ea factus es locupletior, vt patet ex L. Quòd autem. 6. ff. Quæ in fraudem creditorum. Quòd si titulo oneroso accepisti; si quidem sciuisti illum sic reddi impotentem (vt si venderet domum vel agrum, vt insumat in conuiuia, in ludum) cogêris reddere non restituto pretio, nisi quatenus inde aliquid extat in bonis debitoris, vt patet L. 7. 8. & vltima, ff. Quæ in fraudem creditorum. Si verò nesciuisti, non datur actio creditoribus ad rescindendum, vt expressè habetur d. L. Quòd autem. 6. d. tit. vbi dicitur; *Si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is qui cepit, ignorauit, cessare videntur verba edicti.*

170 Notandum est, hanc actionem concedi creditoribus solùm per vnum annum, qui computandus est ab eo die, quo primùm sciuerunt alienationem esse factam; vt patet ex Iuribus citatis.

Si induxisti eum. Secundò, Si verò illum induxisti ad donandum vel alienandum, putans eum per hoc fore impotentem, teneris ad restitutionem, si hæc impotentia sit causa non soluendi. Ratio est, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Si tamen hæc impotentia non sit causa cur non soluat, non teneris; vt si ipse ea esset industria, vt facilè possit tantumdem lucrifacere: tunc enim non impotentia, sed negligentia esset causa non soluendi. quo euentu potes licitè ab illo petere donationem vel condonationem. Pari modo si iam antè statuerat non soluere: (vt fit in multis occultis vsurariis) tunc enim etsi tua inductione fiat impotens, tamen non teneris ad restitutionem; quia hæc inopia non est causa non soluendi, sed propositum illud prauum. confirmatur, quia creditores nihil à talibus expectant: vnde non censent sibi fieri iniuriam, si quis à talibus aliquid sibi donari vel condonari petat.

171 *Debet esse paratus restituere.* Notandum tamen est, eum, qui induxit alium ad donandum, aduertens eum sic reddi impotentem solutionis, ita vt industriâ non possit supplere, debere esse paratum ad restituendum, quandocumque viderit illum cupere soluere suis creditoribus, & per impotentiam (cuius ipse sua inductione est causa) impediri. Ratio est, quia in eo casu ipse est causa non soluendi, cùm sit causa impotentiæ, propter quam debitor non soluit. Idem dicendum, si creditores putentur bona illius publica auctoritate occupaturi: quia tunc esset causa, cur creditores minus in bonis eius inuenirent.

172 *Per vltimam voluntatem non licet accipere.* Dico Tertiò, Si vsurarius vel alius debitor non est soluendo, nihil potest ab eo accipi per vltimam voluntatem, vt per testamentum, codicillum, fideicommissum, vel donationem causa mortis; sed totum in conscientiæ foro restituendum creditoribus. colligitur ex d. L. Quòd autem. §. 9. ff. Quæ in fraudem creditorum. & L. vlt. §. Etsi. C. de Iure deliberandi. Ratio est, quia nemo post mortem suam habet potestatem lucrandi & compensandi creditoribus, si quid ex bonis ipsius, quod creditoribus dandum erat, in alios collatum fuerit. ergo par non est, vt de rebus suis possit pro eo tempore cum damno creditorum disponere, confirmatur; quia ideò potest res suas alienare dum viuit, quia quamdiu viuit, manet ipsius persona obligata, quæ adhuc lucrari potest: ergo cùm post mortem non possit ipsius persona manere obligata, aut aliquid lucrari vnde soluatur creditoribus; non potest etiam in illud tempus aliquid in fraudem creditorum alienare.

Dvbitatio xx.

Vtrùm heredes vsurarij teneantur in solidum.

NAuarrus cap. 17. num. 278. sentire videtur, singulos heredes in solidum teneri. ait enim: *Si quis heredum non habeat vnde restituat, alius ad id pro sua hereditatis parte, quantum feret, obligabitur.* Probat per cap. Tua nos. 9. de vsuris, vbi dicitur, *Quod filij ad restituendas vsuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viuerent, cogerentur.* Idem censet de donatario & legatario, deficientibus heredibus. Eamdem tenet Glossa in illud caput. Sed contraria est verior, pro qua 173

Dico Primò, Si res aliqua in specie extet apud vsurarium, quam nomine vsurarum acceptam esse constet, ea, ad quemcumque heredem deuenerit, est restituenda. Patet ex dictis; quia est aliena. secùs est de iis, quæ pecunia vsuraria sunt coëmpta; nam horum dominium est penes vsurarium, vt dictum est suprà dub. 18. 174 *Si res aliena in specie extet.*

Dico Secundò, Heredes non tenentur in solidum, nec alter pro altero; sed singuli tantummodò pro sua parte iuxta vires hereditatis. Ita Caietanus tom. 2. opusc. 8. quod est de vsura. q. 5. Siluest. Vsura. 6. q. 10. Couarr. lib. 3. variar. cap. 3. Sotus lib. 6. q. 1. art. 4. Medina q. 4. de vsuris. §. Ad quintum principale. Ratio est, quia in successione hereditatis sicut bona defuncti diuiduntur in heredes, ita etiam eius obligationes personales & debita. Rationi enim consentaneum est, vt qui tantummodò ex parte commodum percipit, onus quoque ex parte dumtaxat sentiat. Dico *personales*, quia si aliquid obligatione reali sit obstrictum, illud in totum conueniri potest. 175

Ad cap. Tua nos, Respondeo, Ibi tantùm significari, totam obligationem restituendi transire ad heredes simul iunctos; ita tamen vt singuli non teneantur, nisi ex parte.

Dico Tertiò, Etiamsi omnes heredes deficiant, tamen legatarij & donatarij non tenentur ad restitutionem, si illa, quæ heredibus relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita, & ad portionem heredibus Iure debitam. Ita docet Ioannes Medina suprà. Probatur, quia onera debitorum testatoris non transeunt ad legatarios, sed ad heredes: hoc enim ratio hereditatis includit, heres enim dicitur, qui succedit in vniuersum ius defuncti. L. Hereditas. 63. ff. de regulis Iuris; ac proinde etiam in onera eiusdem, substituitur enim in locum defuncti. 176 *Legatarij non tenentur.*

Aduerte tamen, si bona heredibus titulo hereditatis cum oneribus defuncti relicta, non sufficiunt vt ipsi solutis debitis habeant suam legitimam, vel quartam Iure debitam; tunc legatarios & donatarios, quibus aliquid causa mortis donatum est, teneri contribuere, seruata pro- 177 *Si bona relicta heredibus non sufficiant ad onera.*

Falcidiam detrahunt. portione, vt solutis debitis legitimam vel quartam illam, quæ Falcidia dicitur, obtineant; vt patet ex dictis cap.19.dub.7.

DVBITATIO XXI.

Quinam ex cooperantibus ad vsuras teneantur ad restitutionem.

178 *Qui agunt partes vsurarij, tenentur.* REspondeo & Dico Primò, Omnes eos teneri, qui agunt partes vsurarij, & sunt causa efficax cur vsuræ soluantur, vel solutæ non repetantur. Tales sunt Primò, Qui persuadent alicui vt fiat vsurarius & vsuras exigat; vt rectè Nauarr. cap.17.nu.263. & Sotus l.6.q.1.art.4. sub finem. sicut qui suadet alteri vt fiat fur, tenetur de damno inde secuto; nisi fortè putauerit, mutuatariis, qui aliter mutuum obtinere nequeunt, id gratum fore. tunc enim quodammodò illorum partes agit, ipsisque tacitè consentientibus & ratum habentibus, suadet.

179 Secundò, Omnes Iudices, qui statuto vel sententia compellunt soluere vsuras, vel decernunt vt solutæ non repetantur, tenentur in solidum iis, qui eas ob hanc causam soluunt, vel solutas non audent repetere. sunt etiam hi ipso facto excommunicati, vt patet Clementina vnica, de vsuris. Secùs est, si vsurarios solùm in Republ. permittant, ad maiora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præbentes: tunc enim non censerentur vsurarum causa: nisi fortè ingentes summas pro licentia fœnerandi exigant, vnde fiat vt ipsi vsuras augeant, & pauperes magis exhauriant.

Excommunicantur Iudices.

Pretium pro licentia fœnoris.

Abusus insignis. Sicut in quibusdam fit locis, vbi tanta pensio vsurariis imponitur, vt pænè tertiam partem lucri soluere cogantur. Vnde augent vsuras, & exigunt à mutuatariis circiter 33. in centum per annum; id est tres quadrantes in libram Flandricam per hebdomadam; cùm pro se, remissa illa pensione, sint contenti 21. in centum, & duobus quadrantibus in libram per hebdomadam. Tenentur tamen solùm secundo loco, nempe in defectum vsurariorum, quando fuerunt causa.

Denegatio actionis. Petes, Vtrùm Iudices possint denegare actionem repetere volentibus vsuras. Videntur non posse; quia d. Clement. vnica de vsuris, excommunicat omnes Iudices qui impediunt vsurarum repetitionem. at denegare actionem ad repetendum, est impedire repetitionem: ergo. Deinde, quia Iudices tenentur ex officio administrare iustitiam ius habentibus: isti autem habent ius repetendi.

Resp. Per se loquendo Iudices non posse actionem illam reticere, sed teneri admittere. Etsi enim Clement. illa non videatur loqui de simplici actionis denegatione; solùm enim prohibet hos actus: 1. Facere, scribere, dictare statuta, vt soluantur vsuræ. 2. Liberè & scienter iudicare vt solutæ cùm repetuntur, non restituantur. 3. Huiusmodi statuta iam edita ex libris communitatum non delere. 4. Talia statuta, vel consuetudines parem vim habentes obseruare; & hæc omnia cum præsumptione. Vbi manifestum est, non contineri simplicem actionis denegationem. Tamen secunda ratio allata satis probat, Iudices ordinariè id non posse.

Dico, *Ordinariè*; quia si alicubi putaretur necessarium; vel valdè expediens bono publico, vt vsuræ permittantur, eò quod non suppetat alia ratio minore incommodo, pauperculis, mechanicis, & aliis indigentibus succurrendi; & vsurarij nollent mutuare, si talis actio concedatur, tunc posset Princeps supremus permittere, & etiam statuere, vt Iudices inferiores actionem denegent. Sic enim denegatur actio in multis aliis casibus, vbi tamen est obligatio naturalis; vt cùm quis deceptus est citra dimidium iusti pretij. Itaque ob publicum commodum non videtur dubitandum, quin hæc actio denegari possit: in qua sententia deprehendi posteà esse Azorium lib.8. Instit. moral. cap.22. q.13. dubit.3. & Nauarrum in Consil. lib.5. tit. de Iudæis & Saracenis, consil.3.n.7. & 8. & consil. 4.n.3. qui non restringunt ad casum, quo id videatur necessarium bono publico: sed absolutè docent, Principes supremos posse repetentibus vsuras denegare actionem. Imò Nauarrus ampliùs affirmat; Principem posse statuere & compellere vt vsuræ permissæ soluantur. Ratio est; quia Princeps non tenetur in omni casu iustitiam subditis administrare, sed solùm quando id fieri potest sine notabili incommodo. ergo sicut, vt vitetur incommodum multarum litium, potest denegare actionem in deceptione citra dimidium, & in promissionibus simplicibus, &c. ita ad vitandum incommodum pauperum & mechanicorum in repub. potest denegare actionem in repetitione vsuræ. Confir. quia Princeps non tenetur administrare iustitiam, quando ipsa communitas id non vult; sed maiult pati aliquam iniuriam, quàm priuari certo commodo. atqui in hoc casu nostro communitas non cupit. ergo, &c. Non tamen vsurarij ideircò sunt liberi in conscientia, nec minùs ab Ecclesia iuxta canones puniri possunt, aut vsuræ in foro Ecclesiastico reperi.

Quando possit denegari.

Cùm autem nulla in eo vertitur boni communis vtilitas, puto Principem non posse talem actionem repellere, aut permittere vt Iudices inferiores repellant; sed tenetur eos cogere vt admittant. Tum quia tenetur impedire peccata, præsertim contra legem naturæ, vt sunt vsuræ; tum quia tenetur administrare iustitiam, & curare vt ab omnibus administretur, nisi iusta aliqua ratio permittendæ iniuriæ subsit. Clementina illa non pertinet ad supremos Principes, sed solùm ad Iudices inferiores, vt ex verbis eius manifestum est.

Quando non possit.

Tertiò, Notarius, qui Instrumentum vsurarium ita conficit inuito mutuatario, vt ex eo re- 180
ipsa cogatur soluere vsuras: vt si contractui vsurario prætendat honestum nomen mutui vel venditionis. Notandum tamen, qualecumque Instrumentum conficiat, si id faciat volente mutuatario, non teneri ad restitutionem; quia non lædit inuitum. similiter no tenetur, si exprimat contractum qualis est. nam ex vi talis Instrumenti non possunt vsuræ exigi. nisi fortè alicubi esset iniquum statutum, quo cogerentur mutuatarij eas soluere. rarò tamen vsu venit vt Notarius teneatur; quia non facit instrumentum nisi volente mutuatario. peccat tamen semper mortiferè talia Instrumenta conficiendo; quia facit contra suum iuramentum, quod Notarij, dum munus illud suscipiunt, facere solent.

Notarij.

Quartò,

181 *Famuli.* Quartò, Famuli & factores vsurariorum, qui faciunt ipsos contractus iniquos.

Aduerte tamen, Siluestrum v. Vsura. 7. q. 4. cum Monaldo docere, non teneri famulum, qui ex speciali mandato domini dicentis, *Mutua Petro decem libras ad vsuram meo nomine*, mutuum dedit. quæ sententia vera est, si contractus iam cum domino sit initus; ita vt famulus tantummodò pecuniam numerare debeat. Secùs verò si ipse contractus per famulum sit inundus. tunc enim videtur efficax causa damni, imponendo illi obligationem iniustam, ob quam posteà vsuras soluit. si tamen non erat in potestate famuli

182 *Si famulus non poterat aliter dare.* absque eo contractu pecuniam dare, eò quòd dominus esset præsens; non videtur teneri; quia mutuatarius non censet sibi iniuriam fieri à famulo, qui aliter pecuniam numerare non potest; sed à domino. & hoc videtur velle Siluester suprà.

183 *Qui cogunt ad solutionem.* Quintò, Famuli qui cogunt ad solutionem vsurarum. quòd si non vrgeant, & mutuatarij aliquin sponte erant soluturi, putat Sotus lib. 6. de Iustit. quæst. 1. art. 4. in fine, illos non teneri: quia mutuatarij non putant sibi ab illis fieri iniuriam, & consentiunt vt dominis suis vsuras acceptas tradant. sed verius est hoc ipso quo exigunt iniuriam fieri: quia iure dominorum suorum, quod nullum est, exigunt, & directè spoliant alterum re sua. Verùm quia id sponte non faciunt, sed iussu dominorum, nec ipsis inde emolumentum prouenit, non censent debitores sibi tantam iniuriam fieri, vt velint per ipsos fieri restitutionem; vel saltem quin libenter sint condonaturi si rogentur.

184 *Non efficaciter concurrentes.* Dico Secundo, Qui verò agunt partes mutuatarij, vel certè non efficaciter concurrunt, non tenentur ad restitutionem, etiamsi videantur cooperari. Tales sunt Primò, Famuli, qui recipiunt pignora, eaque asseruant. Secundò, Qui numerant pecuniam. Tertiò, Qui referunt omnia in libros rationum. Quartò, Proxenetæ, qui quærunt eos qui pecunia egent, & adducunt ad vsurarium. hi enim potiùs beneficium præstant, quàm iniuriam inferunt. vide Siluestrum v. Vsura. 7. q. 3. quia non est in potestate illorum vt vsurarius

Deponens pecuniam apud vsurarium. det pecuniam suam sine vsura. Quintò, Qui pecuniam suam apud vsurarium deposuerunt. modò tamen non suaserint vt vsuras exigeret, nec sint earum participes, vt docet Caietanus q. 78. art. 4. Ratio est, quia nemo mutuatarius censet sibi per hoc fieri iniuriam, aut id ægrè fert. quid enim illis obest quòd vsurarius pecuniis abundet? fieri tamen potest vt is qui deponit, peccet; quatenus ei præbet materiam plurium iniquorum contractuum. Sic intellige D. Thomam quæst. 78. art. 4. ad vltimum, vbi Caietanus non videtur assecutus eius mentem.

Dvbitatio XXII.

Quænam pœnæ sint vsurarijs constitutæ.

NOtandum est, multas pœnas tum Iure Ciuili, tum maximè Iure Canonico in vsurarios manifestos esse constitutas; vt patet cap. Quamquam, de vsuris l. 6. & alibi. de quibus fusè Couarruuias lib. 3. variar. cap. 3. & Siluester Vsura 9. quæst. 4.

185 *Manifesti vsurarij qui dicantur.* Dicuntur autem manifesti vsurarij, qui facto vel Iure manifestè sunt tales. Facto quidem manifestè tales dicuntur, qui palàm, ita vt nulla tergiuersatione negari possit, ad vsuram dant. Iure verò, qui Iudicis sententia de hoc crimine sunt condemnati, vel qui de seipsis legitimo Iuris ordine hoc crimen coram Iudice sunt confessi, vel denique de quibus id per idoneos testes in iudicio est plenè probatum, vt docet Couarr. suprà num. 4. & 5. Infamia, aut semiplena probatio non sufficit, teste Couarruuia. Imò nec confessio extra iudicium, coram Parocho & testibus; vt docet Molina disput. 333. quia confessio extraiudicialis non inducit notorium Iuris. vide Glossam cap. Manifesta 2. quæst. 1.

186 *Infamia.* Prima pœna est, Infamia Iuris. L. Improbum. 20. C. Ex quibus causis irrog. infam. vnde si frater meus illum heredem instituat, possum agere contra illum actione inofficiosi testamenti, vt docet Siluester ex Bartolo; & patet ex L. Fratres. 27. C. de inofficioso testamento. Item si est Clericus, beneficij obtinendi est incapax; vtpote irregularis.

Secunda est, Quòd non sint admittendi ad communionem altaris: cap. Quia in omnibus. 3. de vsuris. quibus verbis non significatur, vt quidam volunt, eos esse excludendos ab officio diuino tamquam excommunicatos, sed solùm à perceptione Eucharistiæ; hæc enim communio altaris dici solet. Addo, ipsos Iure communi non esse excommunicatos; & pœnas esse restringendas.

187 Tertia, Nec ad oblationes offerendas; dicto cap. Quia in omnibus, qui oblationes eorum acceperit, ipso facto est suspensus ab officio, donec ad arbitrium sui Episcopi satisfecerit: & compellitur reddere, vt ibidem habetur.

Quarta, Nec ad confessionem peccatorum, donec satisfecerint reipsa pro sua facultate; vel idoneam cautionem dederint; (nempe pignoratitiam vel fideiussoriam) idque vel creditoribus ipsis (si sint præsentes) vel Ordinario loci, aut eius Vicario, vel Parocho coram testibus fide dignis, vel Notario publico, habenti mandatum ab Ordinario; vt patet ex d. cap. Quamquam, suprà. Si talem cautionem præstare non possunt, debent iurare se non posse, & se facturos quidquid poterunt, vt fiat restitutio. si periculum non patiatur moram, statim absoluendi sunt, & posteà cautio exigenda.

188 Quinta, Nec ad sepulturam Ecclesiasticam, d. cap. Quia in omnibus. Imò qui eos scienter sepelire præsumpserit, ipso facto est excommunicatus; nec est absoluendus donec arbitrio Episcopi satisfecerit; Clementina 1. de sepulturis. Vbi nõ solùm vespillonem seu sandapilarium, qui corpus in sepulchrum demittit, puto comprehendi, contra Nauarr. cap. 27. nu. 137. & Caiet. v. Excomm. cap. 46. in hos enim rarissimè competit illud, *qui propriæ temeritatis audacia præsumpserint sepelire*; quod tamen hîc requiritur. Vnde ridicula foret hæc constitutio, vt rectè docet Glossa in hanc Clement. sed etiam & in primis Parochum, qui funeri præest: hic enim propriè dicitur sepelire. comitantes tamen non comprehenduntur; quia hi non propriè sepeliunt, sed funus honoris causa deducunt, & adstant. Vtrùm autem hæc censura & illa, de qua §. 3. modò incurrantur ante

sententiam condemnatoriam vel declaratoriam criminis in ipsos vsurarios specialiter latam, dubitari potest. Sanè in Extrau. Ad cuitanda, quam refert Nauarr. cap.27.nu.35.videtur requiri sententia specialis: nec generalem Iuris prohibitionem sufficere. sed de hoc alibi.

Sexta, Testamenta ipsorum sunt irrita, nisi ante mortem soluerint, vel cautionem legitimam dederint. d. cap. Quamquam.

Septima, Ecclesiastici non possunt vsurariis exteris elocare domos, aut permittere in eis habitare, imò tenentur eos expellere ex suis terris intra tres menses: alioquin ipso facto incurrunt pœnam suspensionis, si sint Episcopi: excommunicationis, si sint minores Episcopis; interdicti, si sit Collegium vel Vniuersitas Ecclesiasticorum. vt patet cap. 1. de vsuris, in Sexto. vide plura apud Siluestrum & Couarr. supra.

Dvbitatio XXIII.

Vtrùm Montes, qui dicuntur pietatis, excusentur ab vsura, & quâ ratione.

189 NOtandum est, in multis Christiani orbis locis, iam à 160. & ampliùs annis, fuisse à piis viris ingentes pecuniæ summas ad mutuandum pauperibus deputatas; quæ summæ solent vocari *montes pietatis*. constituti autem sunt hi montes cum hisce conditionibus.

190 *Conditiones montis.* Prima. Vt ex illis detur mutuum ad certam summam pauperibus loci, non exteris, aut diuitibus.

Secunda, Vt ad certum tempus, v.g. ad annum, vel paulò ampliùs id eis permittatur.

Tertia, Vt mutuatarij dent pignus idoneum: quia alioquin talis mons facilè exhauriretur, multis postea non soluentibus.

Quarta, Singulis mensibus aliquid minutum soluant pro sumptibus necessariis ad montis conseruationem; vt pro stipendio ministrorum, qui montem custodiunt, & administrant; semperque parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, reddenda; pro conductione domus, pro libris rationum, ceteriscque necessariis instrumentis.

Quinta, Si tempore præscripto non soluerint, vendatur pignus; & quod ex pretio, detracta sorte & menstruis detrimentis, superfuerit, illis restituatur. Patent hæc ex Medina, de vsuris quæst. 10. & Nauarro tract. de vsuris num. 59. & sequentibus.

191 *Sententia Caiet. & Soti.* His positis, Caietanus tom. 2. opusc. 6. censet hunc montem & hanc mutuandi rationem illicitam esse. Idem docet Sotus lib. 6. quæst. 1. art. 6. In eamdem sententiam inclinat Siluester Vsura. 5. quæst. 4. Verùm dicendum est, certum esse, hanc rationem mutuandi & hosce montes licitos esse & pios. Ita Nauarr. & Medina loco citato, & alij passim. *Montes esse licitos.*

Probatur Primò, Quia Leo X. in Concilio Lateran. sess. 10. vnà cum ipso Concilio approbat hosce montes tamquam pios, & cupit eos erigi cum conditionibus expositis; concedens Indulgentias iis, qui manus adiutrices ad huiusmodi erigendos porrexerint: denique excomunicationis sententiam profert in omnes, qui contrarium docere vel concionari præsumpserint; vt patet ex Bulla eiusdem, quæ tota extat apud Medinam, & in tomo 4. Conciliorum. vnde videtur hæc doctrina fide tenenda.

Respondet Sotus Primò, Caietanum, qui Concilio interfuit, non obstante hac determinatione, integro Opusculo contrarium docuisse, idque esse signum, eam non esse validam. *Sotus.*

Respondeo, Caietanum scripsisse illud Opusculum ante Concilium, nempe anno 1498. vt patet ex fine Opusculi; Concilium autem hoc definiuit anno 1515. vt patet ex fine Bullæ. 192

Secundò Respondet Sotus, hoc Concilium non esse receptum in iis quæ statuit de eiusmodi montibus. Sed hæc responsio nihil valet: nam vt definitio alicuius veritatis rata sit, non eget receptione populorum, sed hoc tantummodo locum habet in legum obligatione: non enim veritas, quæ definitur, pendet à receptione aut censura subditorum, sed obligatio legis, quæ imponitur.

Tertiò Respondet, Concilium solùm approbasse hosce montes, quatenus non sunt contrarij sacris Canonibus; atqui conditiones positæ, sunt illis contrariæ, præsertim ea, qua pauperes iubentur aliquid soluere in singulos menses.

Verùm Sotus non videtur expendisse Bullam, quam Concilium approbauit: nam in ea expressè habetur & approbatur illa conditio his verbis: *Declaramus & definimus, montes pietatis, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum, ad illorum conseruationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat vltra sortem, absque lucro eorumdem montium recipitur, nec mali speciem præferre, nec vllo pacto improbari.* Id autem, quod ipse dicit, scilicet montem approbari quatenus eius capitula non sunt contraria sacris Canonibus, non habetur in illo Concilio; sed Pontifices, qui fuerant ante Concilium, conditionem illam in suis Bullis adiecerant, vt patet ex Caietano. Sed quia hæc conditio maximas controuersias inter Theologos excitauerat, debuit tota res apertè definiri, sublatis illis verbis ambiguis.

Denique dicit Sotus, non pertinere ad Concilium huiusmodi quæstiones, quæ magis ex philosophia quàm Sacris litteris pendent, definire. Sed hæc responsio parum digna est tanto viro. Nam ad Concilium pertinet, definire omnia ex quibus pendet salus animarum; vt, vtrùm hoc licitum an illicitum, peccatum an meritum. hoc enim nosse non minùs necessarium est, quàm quæ merè speculatiua: nam proximè pertinent ad hominum mores. & sanè Ecclesiæ auctoritas esset valdè imperfecta, si de his certò & infallibiliter statuere non posset. Neque opus est, dum non agitur de veritate aliqua supernaturali, vt decisio ex Sacris litteris vel traditionibus immediatè colligatur; sed satis est ex illis mediatè seu remotè aliqua adiumenta peti; ex quibus vnà cum ratione naturali iunctis, veritas illa firmiter deducatur. quo modo etiam ab Ecclesia definitum est, *animam rationalem esse corporis formam*. *Conciliorum definitio.*

Secundò, Probatur ex Concilio Tridentino. hoc enim Concilium sess. 22.c.8.9.11. enumerans loca pia, quæ ab Episcopo visitari debent, ponit etiam

etiam hosce *montes*; supponit ergo esse pia opera, vt xenodochia, &c.

193 Tertiò, Probatur ratione. Primò, Quia nihil exigitur à mutuatarijs ratione mutuationis; sed solùm ratione expensarum, quæ necessariæ sunt ad montis conseruationem & administrationem, vt patet ex Bulla Leonis: atqui licitum est aliquid pro his expensis exigere: ergo quod in istis montibus datur, iustè exigitur. Minor probatur, quia expensæ illæ fiunt in gratiam & commodum eorum qui mutuum petituri sunt, nempe vt maius damnum euitent, nec coguntur vsurarios accedere; ergo si quis cupiat frui commodis montis, potest cum eo iniri pactum, vt pro sua parte ad illas expensas contribuat. par enim est, vt qui commodis alicuius rei frui cupit, etiam contribuat ad illius rei necessariam conseruationem. Secundò, Nulla æquitas postulat, vt quis cum damno suo mutuet: ergo tantum exigere potest, quantum est necessarium ad damnum vitandum: & consequenter quantum opus est pro domo conducenda, pro stipendijs ministrorum, pro libris, &c. atque hæc non possunt commodiùs exigi, quàm si singuli pro ratione mutui contribuant. cùm enim ad eos simul sumptos hoc onus pertineat, debet distribui in singulos pro ratione commodi, quod ex monte percipere volunt. Nullo tamen modo potest aliquid exigi vt mons augeatur, vel vt dominus illius ditior fiat, vt rectè Medina quæst. 10.

194 Hinc sequitur, etiam hominem priuatum posse huiusmodi montem instituere, etiamsi pecuniam illam sub onere alicuius census accepisset; & exigere à mutuatarijs quantum opus est, vt se indemnem præstet, etiamsi 8. vel 10. in 100. ab illis soluenda essent: dum enim hoc totum in commodum illorum agit, & veluti negotium illorum vtiliter gerit, potest exigere quantum opus est vt se indemnem præstet. Negotium eorum vtiliter geri, patet; quia tunc non soluerent nisi 8. vel 10. cùm iam soluant 33. & in quibusdam locis 44. vel 45. Nec obstat, quòd eo amplius exigatur, quò diutiùs sortem retinent; quia par est vt illi plus ad onera montis contribuant qui diutiùs illius commodis fruuntur, quorumque pignora diutiùs custodiuntur. Denique non obstat, quòd illi, qui dant pignora, in quibus nihil molestiæ (vt catenam auream vel annulum) tantum soluant, quantum qui dant molestiora, vt vestes: quia debuit certa quædam & æquabilis ratio erga omnes constitui. quando enim ob varias circumstantias non potest vbique seruari æqualitas, sufficit aliquid generatim determinari, quòd maximè videatur accedere. Ex his patet responsio ad rationes Soti & Caietani.

Ex dictis patet, valdè optandum & adlaborandum esse, vt passim per oppida huiusmodi montes, sublatis vsurarijs, qui vbique dominantur, & plebem exhauriunt, excitentur. Inde enim multiplex vtilitas in Rempubl. proueniret. Primò, Impediretur peccatum vsuræ, Deo & hominibus valdè detestabile. Secundò, Pecunia remaneret in patria, cùm iam aliò exportetur: quia vsurarij ferè sunt exteri, qui sedem sæpè mutant, & vbi euaserint opulenti, in suas regiones redeunt. Tertiò, incolæ pecunia affluentes haberent locum vbi securè & fructuosè eam possent collocare, emendo census super monte fundatos: tales enim census essent optimi & securissimi. vnde numquam deessent qui pecuniam copiosè conferrent. Quartò, Homines tenuiores, in omni euentu ad sua negotia possent statim habere pecuniam numeratam, idque mediocri detrimento, soluendo 6. 7. 8. 9. vel 10. in 100. aut etiam multò minùs. nam credibile est successu temporis multos fore, qui hosce census sint condonaturi, vel testamento relicturi, aut alias summas legaturi: sicque sensim montem ad magnas opes peruenturum, vt tandem seipsum, sine notabili contributione mutuatariorum, possit sustentare, sicut in multis Italiæ locis accidisse videmus. Quintò, Venditis pignoribus, restitueretur quod sortem & detrimenta excedit: cùm vsurarij totum pretium pignoris, etiamsi multò pluris valeat, sibi reseruent. Vide plura de hisce montibus in Appendice ad finem huius Operis annexa.

DVBITATIO XXIV.

Vtrùm si vsurarius, qui mihi sit debitor 100. librarum, assignet mihi solutionem petendam ab eo qui vsuræ nomine ei debet tantumdem, possim acceptare & exigere.

QVòd possim, Probatur Primò, quia Antuerpiæ & passim per orbem dantur & acceptantur tales assignationes, nec quisquam sibi facit scrupulum: itaque videtur hoc vsu gentium receptum. Secundò, Quia nullam facio iniuriam debitori vsurarij. si enim mihi non soluisset, debuisset soluere vsurario. Tertiò, Si iste velit repetere vsuras quas mihi soluit, semper habebit recursum ad vsurarium, cui eas primò debebat: & ità nihil ego ei damni intulisse censebor.

Resp. tamen & Dico Primò, Me non posse à 195
tali adsignationem exigere, si mihi certò constet *Non possum exigere.*
illam vsurario nullo modo deberi.

Probatur Primò, Quia communis sententia DD. est, famulum vsurarij non posse exigere vsuras nomine sui domini, eò quòd non debeantur: ergo neque creditor vsurarij potest eas exigere: non enim hic minùs exequitur iniquam exactionem, nec minùs exigit indebitum, quàm famulus.

Secundò, Ipse vsurarius non potest eas exigere; & si exigat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, vt omnes fatentur: ergo nec creditor vsurarij potest. patet consequentia, quia creditor vsurarij non habet plus iuris in illum, quàm ipse vsurarius: cùm non exigat illas nisi ex vi chirographi, & iuris, quod vsurarius in illum transtulit; quod ius nullum fuit, sicut & chirographum iniquum.

Tertiò, Creditor vsurarij eodem titulo illas exigit, quo ipse vsurarius exigeret, nempe tamquam debitas pro vsu pecuniæ ab vsurario mutuatæ: (sicut si tibi sint debita 100. à Petro causa venditionis, & mihi soluas chirographo Petri, exigam illa 100. titulo venditionis, quo tibi debentur) atqui exigere illas eo titulo quo exigit vsurarius, est iniquum: ergo creditor vsurarij iniustè exigit.

Quartò, Si tyrannus, qui Rempublicam vi oppressit, debeat tibi 1000. & det assignationem super subditos, quibus iniusta tributa imposuit,

non potes ab eis solutionem exigere; cuius non est alia ratio, quàm quòd tyrannus nullum ius ad illa habeat, ac proinde nec alteri dare possit: ergo similiter si vsurarius vel alius iniquus oppressor adsignet solutionem super eos, qui nihil ei iure debent, non potes illos conuenire.

Quintò, Qui soluit vsuras creditori vsurarij, potest solutum repetere; & si alia ratio ei non suppetat, vti occulta compensatione: quod signum est, ei factam iniuriam non solùm ab vsurario, sed etiam à creditore. Antecedens patet, tum quia si soluisset vsurario, posset repetere, & vti compensatione erga illum: ergo etiam dum soluit creditori vsurarij, qui eodem iure sciens & prudens ab illo exigit, potest repetere & vti compensatione: tum quia non est translatum dominium illa solutione. sicut enim non transfertur dominium vsurarum in vsurarium, qui proprio nomine illas exegit, ita neque in illum, qui nomine & iure vsurarij; præsertim cùm hic etiam sciat non subesse titulum.

196 *Tenetur ad restit. primo loco.* Ex dictis sequitur Primò, Eum, qui ex vi talis chirographi solutionem accepit à debitore vsurarij, teneri ad restitutionem primo loco; quia tenetur ratione rei acceptæ, quamdiu pecuniam eius apud se habet: ea autem alienata tenetur solùm secundo loco, nempe si vsurarius, qui principalis est auctor damni per contractum vsurarium, & in cuius commodum facta est solutio ipsius creditori, non restituerit.

Secundò, Posse vtrumque conueniri & cogi per Iudicem ad restitutionem, ratione iniustæ actionis, per quam damnum alter accepit. qui enim damnum à pluribus per iniuriam accepit, ita vt singuli in solidum sint obstricti, potest à quolibet eorum compensationem exigere, prout illi commodius fuerit, nec tenetur inter eos ordinem seruare, quamuis ipsi inter se ordinem tenere debeant: nam ratione iniuriæ habet immediatè ius in singulos. Neque potest Magistratus impedire ne vsuræ solutæ repetantur, quia Clemens V. approbante Concilio generali, excommunicat omnes Iudices & Magistratus, qui statuunt vel iudidant, vt vsuræ, cùm repetuntur, non restituantur. vt patet Clement. vnica, de vsuris.

Ad argumenta. Ad primum Respondeo, Apud Christianos, vbi vsuræ puniuntur, non acceptari à viris probis

197 tales assignationes, quando constat eas non deberi. Sed quia plerumque præsumuntur iustæ, eò quòd non constet de contrario, ideò passim illis fit solutio. vbi autem vsuræ communiter fiunt, non est mirum eas acceptari. sed hæc consuetudo non facit illud licitum, cùm sit corruptela contra Ius naturæ.

Exigere illas est iniuria. Ad secundum, Nego nullam fieri iniuriam dum exiguntur illæ vsuræ: exigere enim id quod nullo titulo est debitum, idque non gratia soluentis, vt ei commodetur, sed gratia exigentis, est vera iniuria; & solutio non minùs fit inuitè, quàm si fieret ipsi vsurario, cùm eodem titulo fiat. Accedit, quòd si iste non exigeret, posset adhuc pecuniam retinere. Denique quia exiguntur à creditore vsurarij tamquam iniustum debitū: qua etiam in re fit iniuria, cùm vsurarij titulus approbetur.

Ad tertium, Etiamsi idem damnum acceptu-rus erat per vsurarium: tamen hoc non excusat alterum; tum quia fortè non tam citò; tum quia sicut vsurarius illud iniustè intulisset, & fuisset obligatus ad restituendum, ita qui loco illius infert, iniustè agit & tenetur ad restitutionem.

Dico Secundò, Si mihi non constat illam insu- 198
sto titulo exigendam, eò quòd proximus non sit condemnandus vsuræ, nisi res sit euidens, possum tali assignatione vti, & exigere solutionem. Probatur Primò, quia quando res non est euidens, possum inducere in animum, subesse causas, ob quas iustè possit exigi per meum debitorem, ac proinde me etiam posse exigere. Secundò, Quia cùm inter mercatores plerumque fiat solutio per adsignationes; si propter aliquod leue dubium vel suspicionem deberent recusare assignationes, non possent inter se tractare. si tamen iustæ rationes dubitandi occurrant, inquirenda primùm est veritas, vel assignatio recusanda. manente tamen dubio post debitam inquisitionem, potes eam suscipere, quia in dubio, proximus non est censendus vsurarius, sed iustus negotiator: ac proinde eius assignatio putanda est iusta. si tamen posteà contrarium detectum fuerit, debeo esse paratus restituere, illo non restituente; nisi tempus vsucapioni necessarium effluxerit. Simile est in emptione rei, de qua dubito an sit furtiua, seu an venditor eam Iure possideat. de quo vide suprà cap. 14. dub. 4.

Petes, Quid si ipse vsurarius vel alius iniquus 199
possessor pecuniam ab aliquo iniustè acceperit, & eâ mihi soluat, teneórne eam restituere ei, cui scio iniustè extortam vel surreptam? *Si scio hanc pecuniam esse alienã, teneor eam restituere.*

Resp. Si mihi constat hanc pecuniam materialem alienam esse, in rigore Iuris teneor eam restituere. Primò, Quia dominium non est translatum in vsurarium, vti suppono; neque etiam in me, quia non potest vsurarius rei alienæ in me dominium transferre, ac proinde nullum ius habeo ad eam retinendam. Secundo, Dominus illius pecuniæ potest eam sibi vindicare, vbicumque eam inuenerit, etiam per occultam compensationem, accipiendo æquiualens à possessore illius. quod signum est me teneri ad eius restitutionem; præsertim si sciam, eum, qui eam dedit, non restituturum æquialens. Tertiò, si equum, vestem, vel aliam rem, quàm in specie scio esse Petri, non possum retinere inuito Petro, cur possim retinere pecuniam, quam in specie ipsius esse scio? Quartò, Non habeo vllum alium titulum ad eam retinendam, quàm illum quem habebat iniquus possessor, à quo eam accepi; sed ille non habebat iustum titulum ad eam retinendam, supposito quòd non voluerit domino reddere aliam æquiualentem: ergo nec ego habeo vllum titulum iustum illius retinendæ, supposito quòd nec ego nec ille habeat voluntatem restituendi domino æquipollentem. Quintò, Acceptum à fure, vel alio iniquo possessore, restituendum est vero domino, omnium DD. sententia; nisi vel contractum cum fure mox dissoluas, ne amittas pretium rei: vel certò scias furem domino restituturum æquiualens, quod ipsi æquè placeat ac res sua. Neque hîc excipienda pecunia; quia omnes generatim loquuntur de re aliena, & eadem est ratio pecuniæ, & aliarum rerum quæ functionem recipiunt, seu quæ in numero, pondere & mensura consistunt.

Dices, Dominus huius pecuniæ parū curat cui 200
hi materiales nummi dentur; quia non ideò reditur ipsius conditio peior, quàdiu prior iniquus possessor est soluendo; nam æquè facilè potest recuperare rem suam: ergo non censet sibi vllam à *Obiectio.*

me

me fieri iniuriam, si ego hanc pecuniam, mihi à priore iniquo possessore numeratam, acceptem.

Resp. Illum parum curare cui illa pecunia numeretur; quia ille, cui numeratur, manet similiter obligatus ad eam restituendam, saltem ratione rei acceptæ. non enim per hoc quòd permittit eam alteri numerari, & ratam habet illam numerationem, intendit cedere iure suo quod in rem ipsam habet, aut liberare alterum obligatione, quam ex rei alienæ vsurpatione contrahit. Idem dicendum de omnibus rebus functionem recipientibus: nam si quis eas accipiat gratis, vel contractu oneroso ab iniquo possessore, sciens esse alienas, tenetur ratione rei acceptæ vero domino; etiamsi domino perinde sit in quem hæc res fuerit alienata. Vnde patet, si is, cui hæc pecunia numeratur, eam acceptet cum animo non restituendi, etiam eo euentu, quo prior possessor nollet restituere, eum facere iniuriam vero domino, cuius illa pecunia erat: non enim potest eam acceptare, nisi cum animo restituendi, in euentum quo prior nollet restituere. Idem dicendum de ijs qui emunt pignora, quæ sciunt esse in specie aliena, vtpote pro solis vsuris accepta; sed hoc vix vmquam constare potest: putantur enim vendita pro sorte & vsuris; quæ venditio satis est ad transferendum dominium in vsurarium, etsi teneatur pretium supplere.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

De Emptione & Venditione. *D. Thomas q. 77.*

Habet 21. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid emptio, venditio, negotiatio; & hæc quibus prohibita.

1. RESPONDEO, *Emptio* definiri potest, *pactio pretij pro merce; Venditio, pactio mercis pro pretio.* colligitur ex L. 1. ff. de contrahenda emptione. vbi tria requiruntur pro forma seu substantia huius contractus, merx, pretium, & mutuus consensus.

Merx. *Merx* vocatur quæuis res vendibilis. tales sunt res omnes mobiles & immobiles, actiones & iura, quæ pecunia æstimari & comparari solent. Item omnia bona præsentia & futura, simul sumpta. hæc enim vno actu vendi possunt, etiamsi non possint donari, vt colligitur ex L. Stipulatio hoc modo concepta. 61. ff. de verb. obligat. quia per talem venditionem non impeditur libera facultas testandi; cùm possit de pretio testari: impeditur verò per gratuitam donationem. Pari modo merx & res vendibilis est hereditas iam delata: non tamen ea quæ nondum delata est, vt quæ expectatur ab homine viuente; huius enim venditio est irrita, vtpote contra bonos mores, vt patet ex L. 1. de hereditate vel act. vendita.

Pretium. *Pretium* verò est nummus seu pecunia: hæc enim inuenta est vt sit mensura & pretium omnium, quæ in contractus humanos veniunt; vt docet Aristotel. lib. 5. Ethic. cap. 5. Neque hæc per se merx esse potest, aut instar mercis vendi, nisi ratione materiæ, vel circumstantiæ, quæ ipsius rationi sit extrinseca: vt quia vetus, quia pulchra, quia commoda ad transferendum, quia absens, quia difficilis recuperatu, &c. Ante vsum nummi non erat emptio vel venditio, sed solùm permutatio, vt d. L. 1. ff. de contrahenda emptione, habetur; sed quia ea res erat incommoda, inuentus est nummus.

Est pactio. Hoc ponitur loco generis, quia emptio & venditio sunt species pactionis: vel potiùs partes vnius integræ pactionis; quæ sit species pactionis in genere, nam ex emptione & venditione fit integrum pactum; quod consensum duorum intrinsecè includit. istæ autem partes, etsi distinctæ sint, tamen se mutuò respiciunt, adeò vt altera sine altera non possit intelligi: sicut in alijs relatis accidit.

Perficitur consensu. Porrò consistit hic contractus in nuda pactione, seu conuentione partium: nec requirit ad sui substantiam traditionem rei aut pretij; quia solo consensu perficitur, vt dictum est supra cap. 17. dubit. 2. & habetur d. L. ff. de contrahenda empt. in fine. vnde inter absentes contrahi potest, & per nuntium, & per literas, vt ibidem dicitur. vt tamen transferatur dominium per hunc contractum, requiritur traditio, vt constat ex cap. 3. dubit. 3. vnde non secuta vtrimque traditione, censetur adhuc incompletus; quia etsi secundùm substantiam perfectus sit, non tamen habet vltimum suum complementum, ad quod contrahentes peruenire intendunt. Hinc quando emptioni aut venditioni pœna aliqua apponitur, ea intelligenda est de actibus vtrimque per traditionem completis, nisi expressè legislator aliud intendat. Pari modo non requiritur stipulatio; quia est contractus bonæ fidei: nec scriptura; nisi partes ante vel in contractu ita velint ad maiorem securitatem: & tunc censentur suspendere suum consensum extremum, donec conuentio scripto sit consignata & relecta, vt docet Gomezius tom. 2. cap. 2. num. 17.

Est contractus reciprocus. Cùm dicitur, *pretij pro merce & mercis pro pretio,* indicatur apertè, hunc contractum esse reciprocum, & requirere repromissionem, seu mutuum consensum. Hac parte distinguitur tum à donatione & promissione liberali, tum ab omnibus aliis contractibus, in quibus fit commutatio inter alia quàm inter mercem & pretium: vt est permutatio, mutuum, & omnes contractus innominati. item locatio, & conductio: res enim, quæ dicitur locari vel conduci, non datur pro pretio, sed solùm conceditur ad vsum: quamuis vsus ipse quodammodò vendi videatur; quia pro pretio conceditur. sed propriè non dicitur vendi; quia non tam vsus ipse, quàm res vtenda, proponitur in contractu.

Distinguitur ab aliis.

Petes, Quid si pro re aliqua detur pecunia & res,

res, (vt pro domo, alia domus & 100. aurei) erítne emptio vel venditio?

2 *Si detur pecunia & res, pro re.* Resp. Si res illa quæ datur, sit multò maioris valoris quàm pecunia, erit permutatio: si verò pecunia sit multò maioris valoris, censebitur emptio & venditio; nam à maiori parte fit denominatio. quòd si sint paris valoris, vel ferè paris, censebitur talis contractus, qualem ipsi intenderunt. de quo vide Gomezium num. 10.

3 *Tributum ex contractu emptionis.* Ex his sequitur, quando tributum aliquod soluendum est ex contractu emptionis & venditionis, hoc tributum statim post conuentionem partium incipere deberi, etiamsi res nondum sit tradita, aut pretium solutum; quia debetur ex contractu perfecto: hic autem perficitur statim per consensum mutuum verbis expressum. quod intellige, si consensus sit absolutus, & pretium sit determinatum. si enim consensus sit *conditionalis*, suspendit contractum vsque ad euentum conditionis: qua posita contractus perficitur; sed eo modo, vt eius effectus, qui est obligatio absoluta, Iuris fictione retrotrahatur ad tempus initi contractus; perinde ac si ab initio consensus absolutus fuisset, vt constat ex L. Qui balneum. 9. & L. Potior. 11. ff. Qui potiores in pignore. & alijs Iuribus.

Si consensus conditionalis.

Limitatio. Sed hoc intellige, si conditio sit casualis; secùs verò si potestatiua: tunc enim non fit retrotractio. Ita docet Bartolus in d. L. Qui balneum. & fusè in L. Si is qui pro emptore. in q. 5. num. 44. & sequentibus. ff. de vsucap.

Casualis conditio dicitur, cuius impletio non est vllo modo in potestate eius cui imponitur, sed pendet ab euentu fortuito; vt, Si naues ex India venerint hoc anno.

Potestatiua est, cuius impletio est in potestate eius solius cui imponitur; vt, Si tutelam suscepe-ris, Si officium tuum mihi resignaueris.

Ratio est; quando conditio est potestatiua, intendit is, qui conditionem apponit, allicere alterum ad celerem impletionem. vnde tunc impleta conditione non debet fieri retrotractio; sed contractus tunc primùm incipiet, quasi tunc solùm initus esset. alioquin non excitaretur ad conditionem celeriùs implendam. nam perinde esset siue citiùs siue tardiùs impleretur, cùm æquè ad initium contractus obligatio retraheretur. Hæc autem ratio cessat, quando conditio contractui apposita est casualis. Vnde cùm is qui hanc conditionem apponit, sit ita affectus, vt vellet statim inducere obligationem absolutam, si ea conditio præsens esset; ita refert se ad euentum conditionis, vt ea posita velit omnia sic geri, quasi ab initio extitisset. Atque hoc modo interpretandi sunt contractus, nisi constet aliam fuisse mentem contrahentium. Hi enim ita possunt contrahere, vt etiamsi conditio sit casualis, non fiat retrotractio; & è contrario vt fiat, quando est potestatiua. sed tunc id disertè debet exprimi; alioquin præsumendum in dubio, sicut diximus.

Hinc fit, vt etiam debitú vectigalis retroagatur, & debeat solui redemptori, qui erat tempore contractus, non autem qui est dum impletur conditio.

Si requirat ratihabitionem. Simili modo, quando contractus requirit *ratihabitionem* alterius, etiamsi absolutè initus videatur, non censetur perfectus, nisi accesserit ratihabitio: quia talis contractus ex dispositione Iuris continet tacitam conditionem, quæ illi vim dare debet, eumque perficere. quæ vbi accesserit, perficitur quidem contractus; sed eo modo, vt fictione Iuris hæc perfectio, & obligatio eam sequens, retrotrahantur, perinde ac si hæc omnia ab initio fuissent: nam perinde omnia sunt agenda. Colligitur ex regul. Ratihabitionem, de regulis Iuris, in 6. & L. fin. C. ad S. C. Macedon. vbi id eleganter explicatur: & ex multis alijs Iuribus, quæ citat Gomezius tom. 2. cap. 11. num. 30. vbi hanc rem fusè tractat.

Denique non est perfectus contractus emptionis, si pretium non sit *determinatum*; vt si contrahentes conferant illud in arbitrium tertij. est quidem validus contractus priusquam ille definiat, ita vt non possint retrocedere absque mutuo consensu; non tamen est perfectus, vt patet §. Pretium, Institut. de emptione & vendit. vnde non debetur vectigal ante definitionem. hîc tamen non habet locum retrotractio; quia contractus fuit absolutus, non conditionatus, aut requirens ratihabitionem; sed ob solam pretij indeterminationem imperfectus. videre de his est plura apud Gomezium suprà, & nostrum Molinam disput. 337.

Si pretium indetermi-natum.

4 *Negotiatio.* *Negotiatio est, cum quis rem aliquam comparat eo animo vt integram & non mutatam vendendo, lucretur*, vt ait Chrysost. hom. 38. in Matth. & habetur c. 11. Eiiciens. d. 88. vbi illud *vendendo* accipitur generatim vt etiam *permutationem* contineat; nam apud barbaros negotiatio fit permutatione: & campsores permutatione pecuniæ negotiantur. Hæc res per se non est illicita, sed indifferens; quia ad bonum, malum, vel indifferentem finem referri potest; vt ostendit D. Thomas q. 77. art. 4.

Obiicies verba Chrysostomi. *Eiiciens* (inquit) *Dominus vendentes & ementes de templo; significauit, quòd mercator numquam potest Deo placere: & ideò nullus Christianus debet esse mercator.* Respondet D. Thomas, Chrysostomum loqui de eo, qui finem vltimum in lucro constituit, paratus offendere Deum mortiferè vt lucretur: quod plerique faciunt. vel (quod in idem redit) loquitur de eo qui fraudibus & periurijs negotiationem exercet.

Aduerte tamen Primò, Eam esse prohibitam Clericis, vt patet cap. Consequens. d. 88. vbi Gelasius ait, *Clerlois ab indignis quæstibus abstinẽdum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cessandũ, aut in quocumq; gradu sint positi, mox à clericalibus officiis cogantur abstinere.* Idem patet ex cap. Negotiatorem. 8. ex Hieronymo, & cap. Fornicari. 9. ex August. & cap. finali, de vita & honestate Clericorum. & cap. Secundum. 6. Ne Clerici vel Monachi; vbi Pontifex ait, *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur.* Ex his patet, esse peccatum mortale, si multùm negotiationi dent operam. quod intellige de Clericis, qui Sacris initiati; de Monachis verò generatim, vt notat Medina C. de restit. q. 30. Causa secunda, in fine. Ratio cur Ecclesia id tam seuerè prohibuerit, est, tum quia valdè indecorum est, Clericos lucris captandis incumbere; tum quia merè occupat animum & à spiritualibus auocat; tum quia plena est periculis periurij, fraudum, & iniustitiæ. vnde Ecclesiastici 26. *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt; difficile exuitur negotians à negligentia* (intellige rerum ad salutem pertinentium) *& non iustificabitur caupo à peccatis* Idem apertiùs Apostolus 1. ad Timotheum

Clericis prohibita.

Ratio vetandi.

motheum 6. *Habentes alimẽta & quibus tegamur, his contenti simus.* rationem subdit: *Nam qui volũt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

5 *Quid illis permissum.* Aduerte Secundò, posse Clericos comparare rem aliquam, vt sit materia ex qua aliam cõficiant, quam vendant; quia id non est negotiari; vt expressè Chrysostomus suprà docet. sic olim Religiosi sportas, storeas, & similia faciebant vt venderent, & ex pretio se sustentarent: & Apostolus artem scenofactoriam faciebat. Similiter possunt agros proprios colere, vt fructus vendant; lapides vel metalla ex suis fundis cædere vel eruere, siue ea mutent in aliam speciem, siue non; greges in suis prædijs alere, vt ex fœtu, lacte, lana, pecuniam conficiant, aut vt ipsa animalia adulta & saginata vendant, vt rectè docet Medina C. de restit. q. 30. causa secunda; & Molina disput. 342. hæc enim omnia sunt fructus vel quasi fructus agrorum.

6 *Conductio alieni prædij.* Tertiò, Non posse tamen conducere aliena prædia, vel similes res fructiferas, vt fructus vendant, & ita quæstum faciant. etsi enim hoc non sit negotiatio, est tamen expressè prohibitum 21. q. 3. c. 1. 2. & 3. ex Concil. Carthag. 1. & 4. secùs si pro sua necessaria sustentatione. Ibidem prohibetur ne suscipiant administrationem vel procurationem domus sæcularis.

Per alios negotiari. Quartò, Non esse peccatum si Clerici vel Religiosi per alios negotientur, qui totam industriam præstent; vt si pecuniam in societate mercatorum depositam habeant; quia tunc cessat ratio prohibitionis, & quia solùm prohibitum est, ne per se negotientur, vt probat Medina suprà. videtur tamen parum decorum statui Ecclesiastico. vnde non putarem faciendum, nisi iusta aliqua causa excuset.

Dvbitatio II.

Quodnam censendum sit æquale seu iustum pretium rerum venalium.

7 *Iustum pretium.* Respondeo, *Iustum pretium* censeri, quod vel à potestate publica ob bonum commune est taxatum, vel communi hominum æstimatione determinatum.

Imponitur dupliciter. Dupliciter enim solet pretium imponi. Primò,
1. Per Principem. Per Principem vel Magistratum, qui consideratis circumstantiis, ex quibus æstimatio rerum pendet, statuunt quanti vendi debeat; idque potissimùm ne emptores decipiantur, vel cogantur soluere pro libidine venditorum. Hoc vocant DD. *pretium legitimum*, quasi lege definitum. Quòd autem hoc iustum censeri debeat, (nisi fortè constet spe munerũ, vel odio venditorum, vel crassa ignorantia taxatum esse) patet; quia quod potestas publica ex officio statuit, non potest à subditis in dubium vocari. atqui hoc pretium statuit ex officio. sicut enim ceteris in rebus bonum commune curare ad potestatem publicam pertinet, ita etiam in negotiatione, ad auertendas fraudes & pauperum expilationes. Accedit quòd Superiores possunt

8 *Circũstantia considerandæ in taxatione.* melius ceteris omnes nosse circũstantias, ex quibus æstimatio rerum crescit vel decrescit; quarum quædam spectantur circa merces ipsas, vt copia, inopia, necessitas, & vtilitas earum: quædam circa venditores, vt labores, expensę, pericula, damna in illis comparandis, adducendis & conseruandis. item modus vendendi, nempe an vltrò offerant, an rogati vendant: quædam circa emptores, sintne multi an pauci, sitne pecuniæ copia an inopia.

9 *2. Cõmuni hominum æstimatione.* Secundò, Imponi solet communi hominum intelligentium æstimatione, vnde dicitur *vulgare*: à quibusdam verò *naturale*, tamquam à naturali prudentia constitutum, cerniturque in iis rebus, quibus à publica potestate pretium non est impositum. quòd autem hoc iustum censeri debeat, patet ex L. Pretia 63. ff. ad L. Falcidiam. vbi dicitur, *Pretia rerum nõ ex affectu, nec vtilitate singulorum, sed communiter funguntur*, id est, definiuntur & taxantur; nisi forte legendum sit *finguntur*. ratio est; quia iudicium priuatum est fallax, & facilè lucri cupiditate peruertitur. iudicium verò commune est minùs errori obnoxium. quare cùm hîc certior regula non suppetat, hoc sequendum est. Fit autem hæc communis æstimatio consideratis prædictis circumstantiis. Vide Nauarrum cap. 23. num. 78. & sequentibus, Medinam C. de restitut. quæst. 31. Couarr. l. 2. variar. cap. 3. in principio.

10 *Differunt pretium legitimum & vulgare.* Notandum autem, esse discrimen inter hæc duo pretia; quòd *pretium legitimum* consistat in indiuisibili, *vulgare* non item, sed habeat quamdam latitudinem, vt docet Scotus d. 15. q. 2. & alij DD. ratio est, quia legitimũ taxatur ab vno vel à multis in vnum conuenientibus: vulgare autem à plurimorum iudicio pendet, qui non idem omnino iudicant. quod enim aliqui æstimant 9. alij æstimant 10. alij 11. Hinc fit vt *pretium vulgare* 11 *Pretium vulgare triplex.* sit triplex, vt communiter docent DD. *infimum* seu pium, *medium*, *summum*, quod & *rigorosum* dicitur. v. g. pretium medium sit 10. infimum erit 9. plus minus, summum 11. rursus medium sit 100. infimum 95. summum 105. vt ait Couarr. suprà num. 1. ipsum quoque medium suam habet latitudinem, similiter infimum & summum.

12 Hinc vlteriùs sequitur, quando pretium lege taxatum est, non licere amplius accipere; sed restituendum, si quid suprà exigatur. quando autem pendet ex vulgari æstimatione, licere eamdem rem triplici illo pretio vendere, prout occasio tulerit.

Quando pretium vulgare & legitimum discrepant. Petes, Quid si pretium legitimum discrepet à vulgari, v. g. tritici legitimum pretium sit 10. regalium, vulgare autem propter abundantiam vel raritatem emptorum sit 8. licebitne vendere pretio legitimo?

13 *Si legitimum sit maius.* Resp. & Dico Primò, Si pretium legitimum maius sit quàm vulgare, ordinariè non esse licitum exigere pretium legitimum. ratio est, quia ordinariè pretium taxatur in gratiam emptorum vt non excedatur; non autem vt infra non descendatur, si circumstantiæ varientur, & communis æstimatio minoris faciat. Dixi *ordinariè*, quia interdum taxatur in gratiam venditorum, vt non minuatur: (vt fit in venditione censuum perpetuorum & vitalium, & similium iurium, quæ homines non nisi coacti penuria vendunt) & tunc licebit totum pretium legitimum exigere. Imò si quis minoris emeret, non esset tutus in conscientia. ratio est, quia iudicium Magistratus præferendum est iudicio populari: nam Magistratus auctoritate publica & boni communis intuitu tale pretium constituit.

14 *Si minus.* Dico Secundò, Si pretium legitimum sit minus, vulgare maius; non licebit exigere vulgare, sed solùm legitimum. ratio est, quia hoc censendum

dum est verum rei pretium à Magistratu definitum, ne excedatur. Aduerte tamen, si mutatis circumstantiis copiæ, inopiæ, & similibus, Magistratus esset notabiliter negligens in pretio legitimo mutando, posset res vendi pretio vulgari; nam lex censeretur iniqua, vt rectè Ioann. Medina q. 36. Sed hoc non est priuatorum iudicare, nisi moraliter sit euidens, (semper enim in dubio pro Superioribus est præsumendum) vt si constaret Magistratum corruptum muneribus, aut malè instructum de circumstantiis mercium, vel odio vendentium aut ementium, pretium taxasse.

Dvbitatio III.

Vtrùm res eæ, quæ non habent pretium legitimum, vel vulgare, (vt sunt quædam gemmæ, insignes canes, falcones, aues Indicæ, picturæ veteres, & similia) possint vendi quanti volet dominus.

15 *Sententia quorumdam.* QVidam affirmant. Ita Sotus l.6.q.2.art.3.& Petrus Nauarra l. 3. c.2. num.11. Probatur Primò, quia cùm non sint necessariæ vitæ humanæ, si quis velit eas emere, sponte censebitur velle dare quod alter exigit: (alioquin non emeret, cùm nulla necessitas eum ad hoc compellat) quare venditor poterit accipere.

Secundò, Quia *quisque in rebus suis est moderator & arbiter*, vt habemus L. In re mandata. 21. C. mandati. & commune proloquium est, *rem tanti valere, quanti vendi potest*. L. 2.§. Si heres. ff. ad Trebellianum S.C.

16 *Contraria verior.* Respondeo tamen, contrarium verius videri, nempe res tales non posse vendi pro arbitrio venditoris, sed iuxta æstimationem intelligentium, vel certè iuxta æstimationem ipsius venditoris, bona fide spectatis circumstantiis supradictis, initam. colligitur ex Nauarro c.23.n 78 & Caiet. in art.1.q.77. Probatur Primò, Quia iustum pretium earum rerum, quæ nec lege nec communi æstimatione taxatæ sunt, sumendum est ex iudicio intelligentis mercatoris, qui spectatis circumstantiis ad rei valorem facientibus, eam æstimet. atqui res quælibet debet vendi iusto pretio: ergo non est licitum tanti vendere, quanti vendi potest. Maior probatur: quia hîc certior regula haberi nequit, quàm iudicium intelligentis. Secundò, Non ideò res tanti valet, quia venditori placet eam tanti vendere; sed quia prudentum iudicio omnibus consideratis tanti æstimatur: ergo non potest eam vendere quanti lubet. Confirmatur: quia iudicium, quo iudicatur tanti valere, debet esse prudens; atqui nemo potest prudenter iudicare eam valere tanti, ex eo quòd venditor tanti velit vendere. Tertiò, Quia alioquin venditor rem eam, quam bona fide æstimat 10. posset vendere 100. vel 1000. si videret Principem aliquem ea delectari, eamque velle emere.

17 *Affectus æstimari potest.* Aduerte tamen, si venditor ei valdè afficiatur, posse hunc suum affectum æstimare; (vt docet Nauarr.c.23.n.83.) sed id bona fide fieri debet.

18 *Ad rationes.* Ad primum Respondeo, Illum emptorem non censeri sponte donare excessum pretij, quia non intendit donare, sed emere, & soluere dumtaxat pretium rei. vnde cùm in re nihil respondeat incremento pretij, non potest hoc incrementum instar pretij retineri. Nec refert, quòd ei nulla vis aut necessitas emendi inferatur, quia alioquin possent vsuræ peti ab eo, qui nulla necessitate coactus, sed in lusum vel in alias oblectationes mutuum petit.

Dices, Si non intendit donare excessum pretij, cur illum dat, cùm sciat rem non tanti valere, & nemo illum cogat emere?

Resp. Quia rem illam desiderat, & mauult facere iacturam illius incrementi, quàm re illa carere: sicut qui promittit vsuras vt habeat pecuniam præsentem ad lusum.

Ad secundùm, Lex illa nihil ad rem facit, nam 19 non loquitur de æstimatione rebus imponenda; sed tantùm significat, quemque de rebus suis posse disponere pro suo arbitratu, etiam in suum incommodum; mandatarium autem non posse. Commune autem dictum illud, *Res tanti valet, quanti vendi potest*, intelligendum est intra limites iustæ æstimationis; quia iustitia pretij non consistit in indiuiduo.

Dvbitatio IV.

Vtrùm liceat interdum pluris vendere vel minoris emere quàm valeat.

D.Thom.q.77.art.1.

NOtandum Primò, In foro externo non dari 20 actionem ei, qui emendo cariùs vel vendendo viliùs non est deceptus vltra dimidium iusti pretij. v. g. si agrum tuum valentem nunc 100. libris, vendas 70. vel 60. vel etiam 50. libris, non potes intentare actionem ad rescindendam venditionem, aut ad supplendum pretium; quia non es deceptus vltra dimidium iusti pretij; secùs autem si vendidisses 48. vel 49. vel minoris. Pari modo, si agrum valentem 100. libris, emas 152. vel pluris; potes agere vt vel restituatur excessus ille, vel emptio rescindatur: non tamen si emeris 140. vel etiam 150. Colliguntur hęc apertè ex L.2. C. de rescindenda venditione, & L. 8. ibid. & ex cap. Cùm dilecti. & cap. Cùm causa, de emptione & venditione. vide Gomezium tomo 2.c.2.n.22. & Couarr. lib.2.variar.cap.3. Permittit autem Ius vtrimque deceptionem, quæ non est vltra dimidium iusti pretij, ad vitandas innumeras lites quæ sequerentur, si ex qualibet fraude daretur actio. *Deceptio vltra vel citra dimidium iusti pretij.*

Notandum Secundò, Fraudatorem, qui citra di- 21 midium decepit, non ideò excusari à restitutione eius in quo alterum circumuenit, siue emendo, siue vendendo; vt communis sententia DD. habet, D. Thomas hoc articulo, D. Anton. 2.p.tit,1. cap.16.§.3. Ioannes Medina q.32. Couarr. 2.var. cap.4. num. 11. & alij, quos ipse citat. Ratio est, quia illud quod excedit, non censetur liberaliter donatum, sed solùm quatenus debitum est titulo emptionis vel venditionis, nempe tamquam iustum pretium, vel tamquam æquiualens & debitum pretio oblato. si ergo non est debitum, eò quòd superet æqualitatem, non potest retineri, nisi conuenienti modo compensetur, supplendo defectum pretij vel rei. vide Nauarr. in c. Nouit, de Iudiciis, notab.6.num.54.& seqq. *Tenetur in foro conscientiæ.*

Hinc patet falli Ioannem Gerson. Opusc. de con- 22 tractib.p.2.proposit.11. (habetur in t.2. alph.35.) dum putat talem non teneri ad restitutionem; (quamuis peccarit & confiteri teneatur) eò quòd scienti *Opinio Gersonis.*

scienti & volenti non fiat iniuria : quia ille non est absolutè volens, sed solùm modo explicato ; sicut is, qui soluit vsuras. Adde, sententiam illam includere repugnantiam. si enim talis fraudatio est peccatum, certè est peccatum contra iustitiam : ac proinde obligat ad restitutionem. Neque leges approbant hoc, tamquã licitum, sed permittunt, non cogendo restituere, aut contractum rescindere, ad maiora incommoda vitanda; vt docet D. Thomas hoc art. 1. & Bartolus in legem illam 2. & 8.

23 Nec obstat Lex, In causæ cognitione. 13. in fine, ff. de minoribus, vbi dicitur; *Idem Pomponius ait, in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire.* nam hoc intelligendum est de circũuentione intra latitudinẽ iusti pretij, vt ait Cou. l. 2. var. c. 3. n. 2. vel dicitur *licere naturaliter*, quia Iure gentiũ permittitur. His positis,

Causa vendendi pluris. Respondeo, & Dico Primò, Esse causas aliquas, ob quas licitum est interdum pluris rem vendere, quàm per se ipsa alioquin valeret aut venderetur.

24 *1. Ratione officij mercandi.* Prima est, Ratione officij mercandi; sic mercatores possunt paulò pluris vendere, quàm ab alijs vendi soleat, qui non ex officio, sed ex occasione aliquid vendunt. Ita Ioan. Medina C. de restitut. q. 3. §. Secundum erat. & Caiet. art. 1. Ratio est, quia pretio est æstimabile, quòd curas & cogitationes suas in rebus conquirendis, conseruandis & distrahendis assiduè impendant, aliasque multas lucrandi rationes omittere cogantur. Hinc fit vt multò pluris æstimetur res, dum vendenda est à mercatore, cui ex officio competit eam vendere, quàm dum venditur à milite vel mechanico, qui fortuitò illam obtinet & vendit.

Aduerte tamen Primò, Non ideò posse mercatorem pluris vendere, quàm lege vel communi æstimatione sit præscriptum; quia in taxatione pretiorum habita est ratio officij mercandi.

Secundò, Si ille, qui vendit aliquid ex occasione,

25 *Potest vendi pretio vsitato.* tantum exigat, quantum solent mercatores, non facere iniuriam emptori, modò res sit æquè bona, quia potest eam vendere pretio currenti, etiamsi ipse eas curas & impensas non habuerit, quas mercator. non enim necesse est ipsum subiisse omnia incommoda, ex quibus æstimatio creuit, vt illam æstimationem petere possit. Nec obstat, quòd minoris in manibus eius æstimetur; quia non ideò minoris æstimatur, quòd reuerà minoris valeat, supposita voluntate eam opportunè vendendi; sed quia tales nolunt vel nesciunt opportunitatem exspectare, & vltrò emptoribus ingerunt.

26 *2. Ratione lucri cessantis, &c.* Secunda, Ratione lucri cessantis vel damni emergentis ex rei alienatione, vel ratione peculiaris affectus aut oblectationis, qua se priuat, potest eam pluris vendere, quàm per se valeat, iuxta æstimationem ipsius lucri vel damni, oblectationis, vel affectus. ratio est, quia hîc nõ tantùm vendit rem illam nudam, sed etiam suum commodum vel oblectationem vel affectum : ergo etiam horum æstimationem exigere potest, etiamsi res habeat pretium legitimum. vt rectè docet Petrus Nauar l. 3. c. 2. num. 23.

27 Hîc tamen tria notanda sunt, Primò, Venditorem debere emptori significare causam cur tantum exigat, ne putet rem pluris valere, quia fortè non cupit illius incommodum redimere.

Ob affectũ. Secundò, Si ratione affectus, quo erga rem afficitur, eam pluris æstimet; affectum illum debere aliqua iusta ratione niti, ob quam prudenter possit tanti æstimari: vt si gemmam valdè raram, vel statuam valdè antiquam habeas.

Sed quid, si affectus ille ratione non nitatur, & nihilominùs verè ex illo affectu rem tanti facias, quanti pretium, quod exigis? vt si domum valentem 1000. aureis æstimes bis mille, quia accepta longo ordine à maioribus. Quidam admittunt; quia sua incommoda quiuis æstimare potest. Equidem non omnino probauerim; quia affectus à ratione alienus corrigendus est, non enormi pretio redimendus vel solandus.

Tertiò, Titulo lucri cessantis, rem posse pluris 28
vendi, si eam cõstitueras seruare; donec pluris esset *Si constitueras rem seruare.*
valitura, & iam se aliquis emptor offerat. potest autem tunc pacisci dupliciter. Primò, De pretio
determinato: & quidem si certum sit rem illo tem- *Dupliciter potest pacisci.*
pore valituram, v.g. 30. aureos, potes eam nunc
vendere 30. detracta tamen æstimatione custodiæ
& periculi corruptionis vel interitus rei, vnde si
custodiam & periculum æstimes solùm duobus
aureis, potes vendere 28. si vno tantùm, 29. Si autem sit dubium an valebit 30. tamen certum sit valituram inter 24. & 30. potes eligere pretium, quod sit medium inter 24. & 30. idque maius vel minus pro ratione dubij. & in hoc casu intelligendum est c. In ciuitate, de vsuris. loquitur enim de eo, qui rem seruaturus erat vsque ad tempus solutioni destinatum, & dicit eum nunc posse illam vendere eo pretio, quo plus minúsve illo tempore putatur valitura; id est pretio medio inter summum & infimum illius temporis. vide Couarr. 2. var. c. 3. n. 6. Secundò, Potest pacisci de pretio indeterminato, nempe vt emptor soluat quantum euentus ostendet communiter valere eo tempore, quo venditor statuerat vendere; detracta tamen æstimatione custodiæ & periculorum. non potest tamen pacisci vt soluat ei summum pretium, quo tunc valebit; quia non est certus se eo venditurum si rem asseruet; & ita non cessat ei certò hoc lucrũ. detrahenda ergo æstimatio illius certitudinis, id est, quanti æstimatur, esse certũ de summo pretio.

Tertia causa, cur possis pluris vendere, est ratio- 29
ne laborum & expensarum, quas subiisti in rebus *Ratione laborum & expensarum.*
illis conquirendis, aduehendis & conseruandis:
hoc tamen intelligendum est, si res istæ non habebant pretium statutum; tunc enim, cùm pretium primò sit imponendum, potest venditor habere rationem expensarum extraordinariarum in eo taxando. vt videmus in mercibus, quæ deferuntur per loca periculosa, vbi opus est comitatu manus militaris aduersus volones. non tamen hoc intelligo de expensis ratione infortunij vel per imprudentiam factis. secùs verò est si res illæ iam pretium suum, quo passim vendantur, habent : quia semper tenetur eas vendere pretio currente, vel sibi reseruare; vt docet Medina q. 31. & Couarr. l. 2. var. cap. 3. n. 3. & alij. In hoc enim pretio taxando iam habita est ratio laborum & expensarum, quæ ordinariè fieri solent. quòd si ab aliquo plures factæ sint, ipsius est infortunium, nec ideò pretium commune augere potest; sicut nec tenetur minuere, etiam. i nullas expẽsas fecerit. hęc enim est conditio mercatorum. vt sicut possunt lucrari, si merces habuerint expensis exiguis, ita perdere, si ingentibus, & extraordinariis.

Quartò, Ratione copiæ emptorum & pecunia- 30
rum, & penuriæ mercium, possunt res pluris ven- *Ratione copiæ emptorum, &c.*
di, quàm alioquin venderentur, si emptorum vel

pecuniarum esset raritas, vel mercium abundantia. Ratio est, quia ex his crescit æstimatio communis mercium. id enim pluris æstimatur, quod à pluribus quæritur, quodque difficiliùs vel minore copia inuenitur; minoris verò, cuius maior est copia, vel quòd minùs quæritur. Hac ratione interdum fit vt repentè rerum pretia valdè augescant, superueniente magna emptorum, qui opulenti sunt, & auidi ad emendum, copia; & statim illis abeuntibus ad priorem statum redeant: vt cùm Princeps cum aula subitò ad aliquòd oppidum venit, vel classis Indica appellitur, vt rectè docet Molina disp. 346. quo casu non censet damnandum, quòd res cariùs vendantur externis illis, quàm indigenis; si pro vtriusque sit satis magna copia. nam respectu externorum illorum, qui pecunia abundant, & plurima emere volunt, res istæ censentur pluris valere, quàm respectu indigenarum. Si tamen res non sufficerent pro vtriusque, accresceret pretium absolutè respectu omnium: neque venditores permittendi, essent vendere cariùs exteris, vt viliùs dent indigenis. Vel dici potest, vtroque casu accrescere pretium respectu omnium; neque venditores teneri minoris vendere indigenis, quàm aduenis; tamen consuetudine receptum esse, vt indigenis fiat gratia, eò quòd incrementum illud sit fortuitum & transiens. non enim est illicitum vendere cariùs exteris, quàm incolis: modò limites pretij rigorosi non excedantur cum exteris.

An cariùs exteris vendere liceat

31 *Si in gratiam emptoris.*

Quintò, Si vendas in gratiam emptoris, aliàs non venditurus, potes aliquantò pluris æstimare, quàm si venderes sponte. ratio est, quia æstimabile pretio est, quòd rem tuam, quæ venalis non erat, venalem facias. Sed hoc limitauerim, si aliquid inde incommodi vel molestiæ sentias.

Vtilitas emptoris.

Aduerte tamen, non posse rem pluris vendi ob singularem aliquam vtilitatem vel necessitatem emptoris (vt multi absque vlla conscientia faciunt.) Ita D. Thomas hoc artic. & communiter DD. ratio est, quia nemo potest alteri vendere id, quod est ipsius; illa autem vtilitas est ipsius emptoris, non venditoris, & prouenit ex aliqua alia circumstantia, cuius venditor non est causa.

Causa emendi minoris.

32 *Si emptori parum vtilis.*

Dico Secundò, Sunt etiam aliquæ causæ ob quas emptor potest interdum emere rem minoris quàm aliàs valeret. Primò, Si emptori parum est vtilis, eamque in gratiam venditoris emat. Ita Medina q. 32. Nauarrus c. 23. n. 84. & alij. pretium enim vilescit, tum ex eo, quòd emptores non inueniantur, tum ex eo, quòd ipsis res parum sit commoda. Secundò, Ratione modo vendendi; vt si

33 *Ratione modi vendendi.*

vendantur auctione publica. vel si quætantur aut rogentur emptores. nam vt prouerbio dici solet (teste Caietano) *merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte*. ita Caiet. ar. 1. Medina suprà §. similiter. Couar. suprà, n. 5. Nauar. cap. 23. n. 78. & alij. Ratio est, quia iste modus vendendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum, qui communi modo velint emere; quæ duo faciunt rem minoris æstimari. sic spolia militum, paruo veneunt. Similiter si res sit inutilis vel incommoda venditori, minoris æstimatur.

34 *Census.*

Notandum tamen Primò, Si res habet pretium legitimum, statutum in gratiam venditoris (vt fit in censibus, præsertim nouis) non debet diminui ratione modi vendendi, aut ratione copiæ, quia hoc pretium non statim mutatur ob aliquarum circumstantiarum variationem, si ordinatio eadem perseueret: alioquin liceret emere redditum nouum aurei vnius, aureis 12. si emptor rogaretur; quod est falsum: quia est contra legem receptam. secùs est in redditibus antiquis; quia pretium legitimum ob varias causas circa hos, consuetudine est abolitum, præsertim in Belgio.

35 *Si in auctione pretium sit maius.*

Notandum Secundò, In auctionibus interdum excedi pretium commune ex emptorum contralicitatione: & tunc probabile est venditorem non teneri ad restitutionem; vt docet Petrus Nauarr. suprà, & Mercatus. Ratio est, quia ibi res subsunt fortuito & incerto pretio, vt sicut plerumque venduntur minoris quàm sit pretium mercatorum, ob ementium raritatem & frigus; ita vendantur interdum pluris ob ementium multitudinem vel feruorem. quare sicut illud ad malam, ita hoc ad bonam fortunam ipsius censebitur pertinere. Confirmatur, quia iustum pretium illius fori est, quod absque fraude potest illo modo vendendi obtineri: sic enim passim habet hominum doctorum & piorum vsus.

36 *Ratione copia mercium, &c.*

Tertiò, Si multæ sint merces & pauci emprores: vti fieri solet in fine nundinarum; maximè cùm tunc accedat etiam inopia pecuniæ: hęc enim valdè minuunt pretium vulgare rerum venalium. Dico *vulgare*, quia *legitimum pretium* non tam facilè variatur: quare non licet statim ab eo recedere.

37 *Ratione donationis.*

Quartò, Ratione donationis potest res emi minoris quàm sit pretium commune, quando venditor censetur defectum pretij condonare: sicut è contrario potest pluris vendi, quando emptor censetur excessum pretij donare. Ita Conradus q. 57. & 58. de contract. Medina q. 32. hæc tamen donatio non præsumitur interuenire, quando vel ignorantia iusti pretij, vel necessitas emendi aut vendendi interuenit; sed requiritur vt contrahentes sciant rerum pretia, & omnino liberè contrahant, absque fraudis aut coactionis admixtione. Neque puto hæc sufficere, nisi coniunctio aliqua sanguinis, vel amicitia intercedat. nam inter extraneos non præsumitur donatio, nisi huius euidentia signa appareant. vide Caiet. ar. 1. & Couar. l. 2. variar. c. 4. n. 9.

38 *Si simul multa emas.*

Quintò, Ratione copiæ mercium, quas simul emis, potes emere minoris, quàm si paucas emeres. Ratio est, quia venditorem exoneras multis curis & occupationibus, quas circa illas merces habuisset, eumque reddis expeditiorem, vt statim alias comparet. quod magis cedit illi in lucrum, quàm si eas pretio ordinario sensim vendidisset. vnde hic modus emendi, facit vt venditor pretium accidat & minuat.

DVBITATIO V.

Vtrùm si sciam pretium mercis mox minuendum, possim eam vendere pretio currente:

VErbi gratia, accepi litteris magnam copiam aliunde aduehi, vel breui in lucem proferendam, quæ hactenus suppressa fuit; vtrùm possim id dissimulare, & vendere pretio vsitato.

39

Disputatur hæc quæstio apud Cicer. l. 3. Offic. inter Antipatrum & Diogenem Babylonium. Antipater vult id esse contra officium boni viri; Diogenes negat. vtrùm autem sit contra iustitiam, non clarè

clarè exprimunt. Cicero tamen id clarè affirmat. Idem tenet Medina C.de restitut.qu.35. & Conradus qu.62.&63. de contractibus. Sed contrarium est verius. vnde

40 *Potest vendi pretio currente.*

Respondeo, Etiamsi venditor sciat futuram pretij remissionem,emptorque nesciat,nihilominùs potest res suas absque iniustitia vendere pretio currente.Ita D.Thom.qu.77.a.3.ad quartum. & Caietan.ibidem,Siluester v.Emptio,q.15. Sotus lib.6.qu.3.ar.2.ad tertium. Couarr. ad regul. Peccatum p.2.§.4. num.5. &6. & alij. ratio est, quia res iustè vendi potest iuxta communem æstimationem pro tempore vigentem. nam iustum pretium est,quod vel Principis lege,vel communi æstimatione constat. confirmatur, quia priuata scientia venditoris communem sensum & æstimationem non mutat, sicut nec priuata scientia emptoris illam mutat: alioquin emptor non posset emere pretio currente,si sciret pretium posteà valdè augendum, quod tamen falsum esse constat exemplo Ioseph, Genesis 41.qui sciens posteà fore maximam caritatem, omne frumentum Ægypti pretio currente comparabat.

Obiectiones.

Dices ex Medina Primò,Illa communis æstimatio non est prudens : non enim facta est ex omnibus circumstantiis ad valorem rei facientibus.

41 Resp.Negando illam non esse prudentem:sufficit enim vt sit facta ex circumstantiis,quæ communiter sciri possunt.euentus enim futuri non possunt vulgò cognosci; vnde ex illis sumi non debet æstimatio rei. alioquin semper iniquo pretio res venderetur, quando imminet maior copia mercium, vel ratione fertilitatis, vel ratione nauium aliunde aduehentium, vel alio casu, quamuis vterque contrahentium id ignoraret.

Dices Secundò, Merces iam aduectæ & præsentes faciunt decrescere pretium;quia abundantia mercium minuit pretium:ergo etiam illæ,quæ breui erunt præsentes : quia quæ parum distant, non videntur abesse, & habentur quasi præsentia.

42 Resp. Abundantia præsens vel imminens facit decrescere pretium, si passim sciatur; secùs si ignoretur. vnde etiamsi merces sint in portu, vel in oppido, si id vulgò ignoretur, non decrescit pretium. vnde potes tuas pretio antiquo eatenus vsitato vendere.

43 *Potest esse contra charitatem.*

Dixi *absque iniustitia posse sic vendi*;quia interdum fieri potest vt sit contra charitatem ; vt si vni ingentem copiam talium mercium vendas, qui inde graue damnum incurret, statu & fortunis euertendus. regulariter tamen non est contra charitatẽ;(vt apertè indicat D.Thomas cùm ait,*abundantioris fore virtutis,si pretium minuat,vel futuram copiam exponat)* quia potest quis rebus suis consulere, etiamsi inde par damnum proximo obueniat.Cauendum tamen hîc est,ne emptorem fraudibus vel mendaciis alliciat ad emendum. quia sic iniusto modo esset illi causa damni : ac proinde teneretur ad restitutionem. vt si subornaret aliquem, qui emptoribus persuaderet pretium breuì augendum. Si tamen ipse rogatus, an non expectentur naues, vel an non sit futura maior copia, diceret se nescire ; putarem non teneri ad restitutionem; quia non tenetur veritatem aperire cum tanto suo incommodo. Imò quidam putant non teneri, etiamsi diceret non fore copiam. hoc enim mendacium censeri officiosum, ad vitandum damnum proprium. sicut si pauper astans ostio diuitis, & expectans eleëmosynam, diceret alteri pauperi accedenti, iam esse datam,non teneretur. secus si alius,cuius nihil interest,sic mentiretur: censeretur enim causa nocendi esse mentitus. Ita Petrus Arragon q.77.a.3. Quæ sententia probabilis est,si ille in hoc non sit censendus fide dignus: tunc enim qui credit,suæ leuitati imputet, si quid inde incommodi sentiat.

Ex his patet, quid dicendum sit de casibus, 44
quos Medina proponit. Primò,Si scias obsidionem futuram, posse te celeriter merces,quas habes in ciuitate, diuendere pretio currente, non monitis emptoribus de periculo impendente.Secundò, Posse te elocare domum tuam pretio solito,etiamsi scias pretia elocationum minuenda, ob aulæ recessum. Tertiò, Posse te vendere triticum tuum pretio currente, etiamsi scias Magistratum condidisse decretum de illo minuendo; si tamen hoc nondum est promulgatum. Idem dicendum de pecuniæ commutatione, & alienatione.

In hoc tamen tertio casu quidam putant non 45
posse te plus tritici, vel alterius mercis (cuius pretium per Magistratum scis esse minuendum) vendere, quàm venditurus eras, si id non sciuisses: alioquin si ratione huius scientiæ amplius vendas, teneri te ad restitutionem. Ita Molina disput.354. & quidam Iurisperiti, quos ibi citat. ratio est, quia si Magistratus alicui aperiret suum decretum ante promulgationem, qui occasione huius notitiæ eum aliorum damno ditaretur, teneretur ad restitutionem, quia dedit occasionem damni: ergo etiam ille tenebitur, qui hac occasione ditatus est,quomodocumque tandem ea scientia ad ipsum deuenerit.

Sed contrarium videtur verius, nempe non esse 46
contra iustitiam, etiamsi occasione illius scientiæ plus mercium vendas: quod expressè tenet Couarruuias loco citato. Probatur, quia etiamsi sciam decretum à Principe vel Magistratu conditum circa merces vel monetam; tamen quamdiu illud non est promulgatum, non obligat, nec vllam vim habet; ac proinde antiquum pretium adhuc durat: sicut prior lex vim habet, etiamsi alia,qua hæc abrogetur, iam sit conscripta; modò tamen non sit promulgata : ergo possum vendere pretio antiquo.

Dices, Posse me vendere pretio antiquo bona 47
fide, vt alij vendunt,qui decretum nesciunt,donec illud decretum promulgetur;non tamen posse me ratione notitiæ huius decreti vendere plus mercium eo pretio, quàm alioquin eram venditurus: quia non possum priuatim cum aliorum dispendio vti lege, quæ omnibus debet esse communis. Sed hæc responsio non satisfacit; Primò, Quia *Quadam resp.reiecta.*
nulla lex vetat ne vtar notitia illius decreti in meum commodum. Secundò,Quòd vendam aliquid permotus notitia illius decreti, vel ob aliam causam,nihil facit ad æqualitatem vel inæqualitatem, quæ seruanda est in contractibus. atqui si vendam modium frumenti pretio currente, nihil sciens de illo decreto, erit æqualitas inter rem & pretium, iustaque venditio; nec tenebor ad restitutionem, etiamsi pretium paulò pòst per decretum minuatur: ergo etiam erit æqualitas & iusta venditio, etiamsi sciam illud decretum. Tertiò, Intentio interior non potest facere vt actio exterior aliàs iusta,fiat iniusta,& obliget ad restitutionem. vt ostensum est cap.12.n.129.

48 *Ad rationem contrar.* Ad rationem in contrarium, Respondeo negando consequentiam; Magistratus enim ex officio tenetur dare operam quantum fieri potest, ne ex huiusmodi decretis, quibus pretia mutantur, aliquibus præ aliis damnum obueniat. Hinc tamen non sequitur, illum, qui notitia tali vsus est, teneri; quia non tenetur ex officio ciuium commoda curare, vel damna auertere. sicut si Magistratus sine causa excluderet alios venditores, & ita mercium tuarum pretium valdè excresceret; teneretur ille ciuibus compensare damnum illius incrementi: quia contra officij sui debitum est causa cur pretium ita creuerit. tu tamen non teneris; quia res tua tanti valuit, suppositia aliorum exclusione. 49 Si tamen fuisti causa, cur Magistratus alios excluderet iniustè; teneris de damno, tum exclusis, tum Reip. idque primo loco, quia in tuum commodum ad hanc iniquitatem Magistratum induxisti. Idem videtur dicendum si muneribus corruptum induxisti, vt tibi decretum suum ante promulgationem patefaceret, & hac ratione merces tuas cum graui aliquorum damno, magno pretio distraxisti.

Nescio tamen an hoc secundum sit satis solidum. quia illa reuelatio Magistratus, etsi sit contra officium (ac proinde ob illam possit puniri, sicut ob violationem aliorum secretorum) tamen non videtur causa damni iniusti. Nam iste iusto pretio merces suas vendidit. Vnde nec ipse reuelator videtur ante sententiam, qua ad hoc condemnetur, ad restitutionem seu compensationem damni teneri.

Simile esset, si in caritate annonæ scriberetur ad Magistratum, magnam frumenti vim intra octiduum adfuturam; & aliquis ex ipsis, quamuis impositum esset omnibus communi consilio silentium, hoc amico patefaceret, vt interea omne suum frumentum diuenderet: non videtur eo casu ille reuelator ad compensationem vllam teneri.

Dvbitatio vi.

Vtrùm liceat cariùs vendere dilata solutione, seu creditò, quàm vendi soleat præsenti pecunia.

50 *Venditio creditò.* Respondeo & Dico Primò, Intra limites iusti pretij licitum est vendere rem cariùs dilata solutione: vt si præsenti pecunia vendebas infimo vel mediocri; potes creditò vendere pretio summo: quia omne illud pretium censetur iustum.

51 *Supra rigorosum.* Dico Secundò, Supra pretium rigorosum, quo res poterat vendi pecunia numerata, non licet eam vendere ob solam dilationem solutionis. est communis sententia DD. Ratio est; quia dilatio solutionis est implicitum quoddam mutuum (dum enim creditor differt solutionem, perinde facit, ac si acceptam à debitore pecuniam eidem mutuet:) atqui pro mutuo nihil licet accipere supra sortem; ergo nec pro dilatione solutionis, vltra iustum pretium.

52 *Si dubium an pluris valebit.* Aduerte tamen, si res, quæ nunc valet 10. tempore solutionis creditur valitura plus minúsve quàm 12. posse nunc vendi duodecim creditò; si tamen eam rem venditor vsque ad illud tempus constituerat seruare. vt patet ex cap. In ciuitate 6. de vsuris; de quo suprà dub.4. tunc enim non ratione dilatæ solutionis, sed ratione lucri cessantis tanti vendit. vnde etiam præsenti pecunia posset tantidem vendere. secùs tamen si non constituerat seruare. Qua in re fallitur Caietanus qu.78. a.2.ad septimum, vbi docet, quando quis vendit creditò, & res tempore solutionis erit maioris pretij, posse nunc de illo pretio pacisci, etiamsi rem non constituisset seruare in illud tempus. ratio ipsius est, quia tempore traditionis pretij completur contractus ex parte mentis: atqui tunc res valet pluris, quàm tempore conuentionis: ergo postulat æqualitas vt detur maius pretium.

Sed contrarium est communis sententia DD. vide Couarr. lib.2.variarum cap.3.nu.6.& Medinam q.38. causa 5. Ratio est, quia hoc ipso, quo venditor rem tradit, amittit eius dominium, fitque emptoris: vnde si crescat eius pretium, crescit emptori; ac proinde venditor non potest quidquam pro eo incremento exigere: nisi ipsi eam rem fuisset seruaturus. Nec obstat cap. In ciuitate, de vsuris; quia loquitur de eo qui merces erat seruaturus; vt exponit Glossa & DD. communiter. & colligitur ex cap. Nauiganti.19.ibidem.vbi similis species facti expeditur.

Ad rationem Caietani Respondeo, Contractum emptionis & venditionis essentialiter compleri mutuo consensu verbis expresso, & pretium rei esse spectandum secundum valorem rei, quem habet tempore traditionis, quando transfertur dominium in emptorem. dicitur autem compleri solutione pretij, quia est finis & terminus contractus; vt dictum est dub.1.

53 *Ratione lucri cessantis ex dilatione.* Dico Tertiò, Licitum est tamen augere pretium ratione lucri cessantis vel damni ex illa dilatione, seu creditò venditione emergentis. patet ex dictis cap.20.dub.11. sicut enim in mutuo ob hanc causam licet vltra sortem exigere, ita in venditione supra iustum pretium: quia dilatio solutionis est quoddam mutuum implicitum.

54 *Ratione periculi sortis & molestiarum solutionis.* Dico Quartò, Etiam licitum est aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi sortis, cui mercator creditò vendens exponitur. Item ratione expensarum & molestiarum, quas timet in recuperanda sorte. Ioan. Medina C. de restitut. q.38.§. Ad tertiam causam. Corduba qu.78. Petrus Nauarra l.3. cap.2.n.110. consentiunt Sotus lib.6.q.4.a.1.ad 2.& Nauar.cap.23.nu.81.quoad secundam partem; primam tamen negant.

Sed probatur Primò, Quia exponere se tali periculo est pretio æstimabile, omnium iudicio: ergo pro eo potest aliquid exigi.

Secundò, Quia venditor potest petere fideiussorem, qui vt periculum illud præstet, seu in se suscipiat, potest iustum pretium stipulari: ergo si emptor cupiat venditorem illud in se suscipere, poterit & ipse iustum eius pretium exigere. vide dicta suprà c.20.dub.13. vbi id pluribus confirmauimus, & ad rationes Soti & Nauarri respondimus: nam eadem vtrobique est ratio.

55 *Conditiones requisitæ.* Aduerte tamen Primò, Debere esse verum periculum, non fictum. Secundò, Venditorem non posse cogere emptorem vt se potiùs quàm alium pro periculo præstando accipiat. Tertiò, non posse plus exigere, quàm ipse libenter alteri daret ad simile periculum redimendum, si necesse foret. Quartò, Significandum emptori, quo titulo tantum exigat; præsertim si dubium sit an illi placeat: fortè enim nolet eo titulo quidquam dare.

Dico

56 Dico Quintò, Licitum etiam est eas merces, quæ communiter non nisi creditò seu ad terminum (vt aiunt) vendi solent, pluris vendere, quàm venderentur, si solùm numerata pecunia distraherentur: colligitur ex Soto l.6.q.4.a.1. ad quartum. Et Couar.lib.2. variar.cap. 3. numero 6. sentit esse probabilem, ei tatque pro ea Salicetum & Decium. Tales sunt, quæ ingenti copia ex India aliisve locis in magna emporia deferûtur, & mox distrahuntur in varios mercatores, qui ad diuersa loca eas destinant, vt ibi sensim præsenti pecunia vendantur. Sic Antuerpiæ merces Venetæ, quædam venduntur ad terminum 10. mensium, quædam ad 8. Florentinæ ad 10. Lucensium ad 9. Neapolitanæ & Mediolanenses ad 6. vel 8.

Solita vendi creditò, possunt pluris vendi.

Denique merces cuiusuis generis venduntur vt plurimùm ad terminum 6. 8. 9. 10. 12. mensium. non rarò hi termini duplicantur, ea lege, vt emptor elapso medio tempore numeret dimidium pretij, reliquum in fine.

57 Ratio autem, cur sic possint pluris vendi, est, quia cùm istæ merces non possint ea copia, qua expedit Reipub. & emptores desiderant, præsenti pecunia vendi; necessarium fuit instituere modum eas vendendi creditò, seu ad terminum; qui modus facit vt mox plurimi emptores sese offerant, quorum copia pretium incendit, facitque crescere. & sic non venduntur pluris præcisè ob dilationem solutionis; sed quia iste modus vendendi, per accidens facit pretium crescere, alliciendo copiam emptorum. Accedit, quòd cùm pretium non consistat in indiuisibili, sæpè fit vt pretium, quo venduntur creditò, non excedat pretium rigorosum, quo numeratò vendi possent. denique ferè semper mercatoribus est incommoda illa dilatio solutionis: nam sæpè videmus postquam creditò vendiderunt, eos agere cum emptoribus de anticipando termino; remittendo 8. vel 9. in 100. per annum; vel plus minúsve, secundùm numerum mensium. Itaque in taxando illo pretio potuit haberi etiam ratio illius incommodi. Nec refert, quòd aliquis in particulari hoc incommodum non sentiat, quia non ideò cessat pretium commune, vt suprà ostensum est.

58 Ex quibus patet, non esse illa pretia, quibus merces creditò pluris vendi consueuerunt, facilè condemnanda; nisi aliunde constet esse iniusta. Nam meritò præsumi potest illud esse verum pretium talium mercium in tali modo vendendi, quod à mercatoribus, spectatis circumstantiis omnibus ad rem facientibus, impositum est. Si tamen Magistratus pretium imponat, hoc seruandum.

Iustum pretium rerum, quæ creditò venduntur.

Dvbitatio vii.

Vtrùm liceat minoris emere ob anticipatam solutionem.

59 Respondeo, Infra pretium infimum non licet emere præcisè ratione anticipatæ solutionis. est communis sententia DD. ratio est, quia hoc esset lucrari aliquid supra sortem ex vi impliciti mutui. Qui enim solutionem anticipat, implicitè mutuat; & posteà dum ei res empta pluris valens traditur, implicitè fit ei restitutio cum vsura. nam illud incrementum, quo res pluris valet quàm pretium, datur ex vi pacti præcedentis propter anticipatam solutionem, id est, propter vsum pecuniæ tanti temporis.

Anticipata solutio.

Aduerte tamen, interdum per accidens licere 60 minoris emere ratione anticipatæ solutionis, vt si per illam anticipationem emptor patiatur damnum, vel lucri iacturam: vel si esset periculum fraudis in venditore, quòd vel merces non traderet, vel non sinceras, vel non stato tempore: hæc enim omnia æstimabilia sunt. Denique quia modus hic vendendi inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum; ac proinde facit pretium decrescere. Hinc patet, non esse facilè con- 61 demnandas anticipatas emptiones lanarum, quæ in Hispania & alibi fieri solent; in quibus arroba lanæ (est pondus 25. librarum) videtur multò minoris emi anticipata solutione, quàm valeat tempore traditionis: quas emptiones defendi posse docet Sotus l.6.q.4.art.1.ad 4. & fusè Corduba quæst. 85. in Summa, & nouissimè Molina disp. 360. qui praxim earum fusè explicat.

Causa cur sic liceat emere minoris.

Lanæ anticipatè minoris emptæ.

Prebatur Primò, Quia mercatores, qui eas anticipata solutione emunt, patiuntur ex illa anticipatione iacturam lucri: nam aliquot mensibus ante traditionem mercis, carent sua pecunia, qua interim per cambia lucrari potuissent. cuius signum est, quòd libenter soluant vnum vel duos regales in singulas arrobas ampliùs, si venditor patiatur extrahi solutionem in tempus traditionis mercis, vel in duos trésve menses post. vnde sequitur, posse tantò minoris emi, quàm valeat tempore traditionis, quanti æstimatur spes lucri, qua se per anticipatam solutionem priuant.

1. Ratione lucri cessantis.

Secundò, Quia sæpè metuunt defectum ex parte venditorum; vt quòd non præstabunt totum pondus, vel non sinceram mercem; sed infectam & sordidam, aut infimæ notæ: cuius signum est, quòd libenter emant pluris solitò, medio regali singulas arrobas; si sperent venditorem præbiturum sinceram: & quòd eò plus dent in singulas tales mensuras, quòd venditor maiorem copiam habiturus est; quia tunc minùs timent defectum in contractu implendo. atque hic metus pretio est æstimabilis: vnde facit mercium æstimationem decrescere.

2. Ratione metus perfidiæ.

Tertiò, Sicut modus vendendi creditò, facit pretium crescere, quatenus inducit multitudinem emptorum; ita è contrario modus vendendi solutione anticipata facit pretium decrescere; quia inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum: nam pauci sunt, qui hoc modo lanam emant, & plurimi qui vendant. quo fit vt iustum pretium in hoc modo vendendi minus sit, quàm pretium in venditione rei præsentis.

3. Ratione paucitatis emptorum, &c.

Quartò, Res, quæ emptori primùm tradenda est post aliquot menses, minoris illi valet, quàm si statim ei tradenda esset, multas enim opportunitates habet res præsens, eiusque præsens dominium, quas non habet res futura. ergo si eam tunc emat & soluat, potest minoris emere, quàm tempore traditionis emenda foret.

4. Quia ementi res minùs commoda.

Quintò, Si nulla fieret venditio anticipata illius 62 lanæ, (vt si edicto esset prohibita, vel si mercatores nollent eâm emere ante tempus traditionis) non venderetur tunc pluris quàm nunc anticipata solutione vendatur; sed potiùs minoris, vt periti mercatores affirmant, & ratio ipsa probat: nam tunc pretium valdè decresceret, tum ratione copiæ, quæ summa est tempore tonsionis: tum

5. Aliàs tione non emerentur pluris.

quia venditores eam passim emptoribus ingererent;idque partim ad vitandos sumptus in ea conseruanda subeundos, partim ad obtinendam pecuniam, qua tunc summè ad debita soluenda, & pabulum in hiemem comparandum egent. vnde sequitur,per has anticipatas emptiones nullam iniuriam fieri venditoribus, cùm tanti emantur, quanti si nulla anticipata emptio fieret.

Obiectio. Dices, Res tempore traditionis valet pluris, quàm pro ea soluatur anticipatè: ergo non emitur iusto pretio. probatur consequentia; quia iustum pretium rei est, quanti ipsa res valet tempore traditionis; non autem tempore conuentionis. Si enim dum triticum valet 10. regalibus, emam illud anticipata solutione 10. sed tradendum post 4.menses dum valebit 14.iniqua est emptio, continens implicitam vsuram; eò quòd res tempore traditionis pluris valet: ergo similiter si pondus lanæ,quod tempore traditionis valebit 18.regalibus, emam 14. iniqua est emptio, continens implicitam vsuram. nam excessus rei est lucrum proueniens ex anticipata solutione.

63 *Solutio. Quando non sumitur pretium rei ex tempore traditionis.* Respondeo,negando consequentiam. Ad probationem dico, Iustum pretium rei esse, quanti ipsa valet tempore traditionis; nisi ex causis extrinsecis tempore contractus minoris æstimetur: vt si ex modo vendendi tali tempore,contingat esse paucos emptores & multos venditores, si ex tali modo emendi cesset lucrum, vel timeatur fraus aut defectus aliquis in venditore; tunc enim etsi res ipsa nudè & secundùm se considerata pluris valeat, non tamen pluris valet cum illis circumstantiis. His adde, iustum pretium rei tempore contractus non esse æstimandum ex pretio quod erit tempore traditionis, quando hoc pretium pendet ex præcedentibus contractibus, nempe quando per illas emptiones anticipatas inducta est raritas mercium (ac proinde caritas) tempore traditionis. cùm enim ista raritas pendeat ex præcedentibus contractibus, non potest pretium in præcedentibus contractibus, quando non erat raritas,sumi ab æstimatione,quam merces habent in raritate.alioquin qui emit, dum offertur magna copia mercium, deberet emere eo pretio, quo valebunt dum erit raritas, si venditor non posset anteà tradere; quod est absurdum.

64 Requiritur ergo, vt pretium, quod erit tempore traditionis, aliunde proueniat quàm ex emptionibus anticipatis; ita vt etiamsi tales emptiones non præcessissent, nihilominùs tanti res illa tempore quo tradenda est, sit valitura: quod hîc locum non habet. nam si lana multis huiusmodi anticipatis contractibus vendita non fuisset, non esset carior tempore traditionis, quàm fuit tempore anticipatæ conuentionis. Denique non est eadem lana, quæ carior est tempore traditionis, & quæ venditur anticipata solutione, sed alia; nempe ea, quæ tunc adhuc vendenda supereſt,quæ ob raritatem carior est. alioquin si tota lana anticipatè vendita, ponatur tempore traditionis non vendita, non erit carior. hoc tamen requiritur, vt pretium emptionis anticipatæ, debeat sumi ex tempore traditionis.

Dvbitatio viii.

An chirographa, seu credita possint emi minoris quàm contineant. v.g. vtrùm ius ad 100. aureos soluendos intra annum, possit modò emi minoris, vt 96. vel 97.

Svppono, talia posse minoris emi, si difficilis 65
vel ambigua sit solutio, vel cum molestiis obtinenda. Item ratione lucri cessantis aut dâmni emergentis ex emptione.

Sed tota difficultas est, Si nihil horum subsit,an secundùm se minoris emi possint? Sunt duæ sententiæ. Prior est,Posse talia iura minoris emi. ita Panormitanus & Innoc. in cap. In ciuitate,de vsuris, Caiet v. Vsura, sub finem, Nauarr. cap.17. n. 230. Idem docuit olim doctissimus Cardinalis Bellarminus Louanij, & Petrus Parra Romæ. Probatur Primò, Quia talia iura,dum proponuntur venalia instar mercis, communi hominum 66 *Sententia quorundam, posse minoris emi.* iudicio minoris æstimantur, quàm pecunia præsens, vt experientia patet: eò quòd hæc multarum rerum facultatem præbeat, quam iura illa non tribuunt: ergo minoris emi possunt. patet consequentia; quia illud censetur iustum cuiusque rei venalis pretium, quod communis hominum æstimatio statuit. si enim in ceteris rebus censetur iustum pretium, quod ex communi æstimatione statuitur, cur non etiam in his chirographis?

Dices, Quòd homines communiter hæc chiro- 67
grapha minoris faciant,hoc fit ob inopiam eorum, qui magis egent numerata: ergo hæc æstimatio non est prudens; ac proinde non licet ea vti. alioquin quando quis ob inopiam esset paratus dare duplum, liceret exigere duplum.

Responderi poterit,negando conseq. nam omnium ferè rerum æstimatio pendet ex necessitate, cui subiecti sunt homines; & nihili æstimarentur, si ea necessitas abesset, vt patet in medicamentis, in cibis,in ædificiis,& eorum materia. Neque requiritur vt ea necessitas sit omnium; sufficit vt sit multorum, vel ferè omnium, ita vt ratione eius, res illa tanti æstimetur.Itaque cùm illa iura minùs sint necessaria, quàm pecunia numerata, & non præbeant eam facultatem lucrorum & aliorum commodorum, prudenter minoris æstimantur.

Nec refert, quòd tibi in particulari perinde sit, vtrùm habeas pecuniam præsentem, an tale chirographum; quia id per accidens est. non enim ex tua æstimatione pretium rei pendet, sed ex communi: sicuti etsi nullis vnquam egeres medicamentis, posses nihilominùs ea pretio communi vendere.

Secundò Probatur,Si talia iura non valent mi- 68
noris quàm pecunia præsens: ergo iniustæ erunt *Census personales.* emptiones censuum personalium, quæ in pluribus locis sunt receptæ. Sequela patet; quia in his nihil emitur aliud, quàm ius ad recipiendâ quotannis, v. g. sextamdecimam partem sortis, ita vt sextodecimo anno tota sors sit exhausta. nihil autem refert ad iustitiam, siue diuisam quotannis, siue totam summam in fine totius illius temporis recipias. ergo si ius,v. g. ad 96. recipienda diuisim 16.portionibus ad annos 16.tanti valet quanti pecunia præsens 96. non licebit emptori census,

post

post annum 16. quidquam amplius accipere; neque licebit recipere totam sortem, si venditor interim voluerit censum redimere; sed pensiones annis elapsis solutæ, erunt in sortem computandæ: quorum vtrumque est contra praxim multarum Prouinciarum, in quibus Bulla Pij V. de censibus non est recepta: quam praxim vt iniquam damnare, valdè durum est.

69 Tertiò Probatur L. Minus. 205. ff. de Reg. Iuris, vbi dicitur, *Minus est actionem habere, quam rem.* ergo minoris valet, & minoris emi potest. Addunt aliqui, ob periculum palliandi vsuras, hanc sententiam non esse passim vsurpandam, sed tantùm in censibus, in quibus lege publica vel communi æstimatione pretium est taxatum, & in alijs iuribus iam antè constitutis: v.g. Petrus ex mutuo vel empto debet mihi 100. aureos soluendos post biennium; si tibi velim ius meum vendere, poteris illud minoris emere, v.g. 97. vel 98.

Si petas, Vtrùm ipse debitor possit illud emere, vt ita se obligatione liberet?

Debitor potest emere. Respondetur, Si creditor illud offerat venale, non videri cur debitor non possit illud emere, eo modo quo quiuis alius; vt docet Nauar. loco citato.

70 *Nisi sit causa difficultatis.* non enim ipse debet esse peioris conditionis in emptione illius iuris, quàm alij. nisi fortè ipse sit causa cur creditor velit vendere; vt si se præberet difficilem ad soluendum. tunc enim non posset eo pretio emere, quo alij. ratio est, quia tenetur illam difficultatem tollere, & præseferre solutionem fore facilem & securam termino elapso. vnde ob illam difficultatem non potest debitum minoris æstimare. alij tamen possunt, quia non sunt causa illius difficultatis, nec tenentur eam tollere.

Contrariũ tutius. Altera sententia, Talia iura non posse minoris emi, est communis aliorum DD. Medinæ, C. de restitut. q. 38. Soti lib. 6. q. 4. art. 1. ad 3. Siluestri, Vsura 2. q. 14. Gabrielis d. 15. q. 11. dubit. 4. ad 3. & aliorum; quæ & mihi probatur. Primò, Quia

Probatur altera sententia. est communior & securior. Secundò, Quia debitor 100. aureorum soluens minus, quam debet

71 (v.g. 96.) ob anticipationem, committit vsuram: implicitè enim mutuat 96. vsque ad terminum solutioni destinatum, vt tunc pro illis recipiat 100. nam debitum 100. aureorum extinguitur. atqui hoc iste facit, qui emit chirographum 100. aureorum pro 96. ergo.

Dices fortè, Maiorem esse veram, si ideò præcisè minus det, quia terminum solutionis præuenit: secùs autem si minus det, non gerens se vt solutorem debiti, sed vt emptorem Iuris alieni, quod per modum mercis expositum venale, non pluris æstimatur, nec pluris vendi in tota ciuitate posset, tanti interest, quo titulo, quàve forma quis contrahat. Sed hæc diuersitas videri possit magis esse in mente quàm in re ipsa: vnde

72 Probatur Tertiò, Nam hac ratione poterunt vsuræ multæ palliari. vsurarius enim dicere poterit, se nolle mutuare, sed esse paratum emere Ius, v.g. ad 100. vel 200. aureos, quod quisque sibi potest imponere.

Dices forsan, Non fore vsuram palliatam, si tale Ius vel actio non minoris ematur ab vsurario, quàm publicè vendi posset, addita pignoris securitate. Sed hoc suprà cap. 20. dubit. 14. discussum est, & in praxi improbatum.

Nec satisfacis, si dicas hanc sententiam non esse admittendam in nouo iure, quod quis sibi è vestigio imponit vt vendat: (nisi sit census annuus) eò quòd iste modus contrahendi non sit receptus, cùm planior sit via per mutuum; ac proinde meritò censeri vsurarium, qui eo vteretur. Secùs esse de chirographis seu iuribus iam antè aliam ob causam constitutis: hæc enim frequentissimè in emporiis vendi solere, & semper minoris, quàm contineant: hoc, inquam, non satisfacit. nam saltem in re non erit inæqualitas. si enim non est in antiquis, cur sit in nouis? non ergo censendus est vsurarius, sed potiùs auarus, & durus in proximum.

Quartò, Si ius ad 10. aureos in fine anni reci- 73
piendos, minoris valet quàm 100. præsentes; ergo si quis exigeret 100. præsentes, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem.

Fateor tamen hoc argumentum non conuincere. nam poterit negari consequentia. Primò, Quia 100. præsentes non omnino excedunt limites iusti pretij, sed pertinent ad pretium rigorosum; vnde si quis velit illud dare, poterit accipi. Secundò, Quia venditor non tenetur in huiusmodi iuribus vendendis quidquam remittere de pretio, etiamsi solutio sit difficilis; sed potest totum exigere, non æstimando difficultatem vel dilationem solutionis: vsu enim receptum est, vt quisque vendat talia iura quanti potest, intra tamen limites summæ debitæ. Idem videmus in censibus antiquis. Vnde si inueniatur emptor, qui sciens rei conditionem, tantum velit dare, iustè potest accipi.

Ad Primam rationem contrariæ sententiæ Re- *Ad argumenta.*
spondeo, Chirographa minoris æstimari vel propter aliquod periculum, aut difficultatem annexam, vel quia qui dat pecuniam præsentem, priuat se aliqua potestate aut commoditate, quam non habet per chirographum.

Ad Secundam, In redditibus personalibus semper est aliquod periculum ob temporis diuturnitatem. deinde non ipsæ pensiones, sed Ius ad illas emitur, vt infrà cap. 22. dub. 5. dicetur.

DVBITATIO IX.

Vtrùm chirographa, seu librantiæ, vt vocant, possint interdum emi dimidio pretio, si difficilis vel ambigua sit solutio.

RESpondeo, Id sæpè iustè fieri posse, nempe si 74
solutio tam sit difficilis obtentu, vel tam incerta, vt ob hanc circumstantiã coniunctam, prudenter æstimentur dimidio minoris: vt si chirographum per se consideratum valeat 100. & difficultas vel incertitudo annexa sit tanta, vt passim quiuis eam libenter redimeret 50. tunc potest emi 50. & paulò minoris. imò fieri potest vt licitè ematur 40. vel 30. prout difficultas & incertitudo solutionis maior fuerit.

Dices, Etsi aliis solutio difficilis sit impetratu, *Si tibi non sit difficilis obtentu.*
Petro tamen, eiusque sodalibus, ob fauorem Prin- 75
cipis vel officialium, vel ob contractus quos cum illo ineunt, non est difficilis, nec incerta: ergo ipsi non poterunt illud tam modico pretio emere: nam ratio illa detrahendi de pretio, in illis cessat. Ob hoc argumentum quidam putant, non posse librantias militares à mercatoribus, qui cum Rege contrahunt, minoris emi (saltem notabiliter)

quàm contineant; quia certi sunt integræ solutionis, idque absque difficultate.

76 Sed contraria sententia est probabilis,& verior, posse emi tali pretio absque iniustitia.in qua præter alios est etiam doctissimus vir Ludouicus Molina disp.361.ratio est;quia dum hæ libranciæ offeruntur venales, earum pretium non pendet ex commodo vnius vel paucorum,sed ex publica æstimatione, qua æstimarentur si publicè in foro,sub voce præconis,concurrente tota ciuitate,proponerentur. Confirmatur,quia cùm non habeant pretium lege præscriptum, illud assignandnm est ex communi æstimatione. vnde si Princeps Turcarum tibi debeat 1000.aureos, nullaque vel parua sit spes obtinendæ solutionis, vel non nisi magnis sumptibus aut laboribus, fas est hoc debitum emere paruo pretio, v.g.100.vel 50.aureis;etiamsi emptor pecuniarem aliquam rationem norit, qua facilè integram solutionem obtinere queat. hoc enim ad bonam ipsius fortunam pertinere existimandum est. Sæpè tamen fit vt mercatores illi peccent contra charitatem, si miseris militibus, qui per magnam inopiam coguntur eas vendere, rationabile pretium dare nolint, cùm ipsi tam ingens lucrum inde reportent.

Libranciarum æstimatio est iudicij publici.

Peccant sæpè contra charitatem.

77 Aduerte tamen Primò, Integrum esse iis, qui talia chirographa habent, non æstimare difficultatem vel incertitudinem solutionis debitæ, ac proinde nolle vendere nisi integrè numeretur tota summa. vsu enim receptum est,vt hæc vendantur quanti vendi possunt absque fraude & ignorantia, intra limites summæ contentæ.

Possunt vendi quanti continent.

78 Secundò, Huiusmodi chirographa non posse emi tali pretio à debitore vel eius ministris, quorum officium est ea soluere: vt dictum est dub.8. quia ipsi sunt causa malignæ solutionis: qua in re interdum grauiter peccatur à Receptoribus & Quæstoribus Principum.secùs tamen si Quæstor causa non sit, & scandalum absit.

Receptores & Pagadores.

Dvbitatio X.

Vtrùm si sciam occultè debitorem meum non esse soluendo, possim ijs, qui id nesciunt, vendere illud debitum pretio ordinario.

79 Iste casus est frequens inter mercatores. Videri possit non esse contra iustitiam; modò mendaciis vel fraudibus non alliciam emptorem. Primò, Quia qui vendit rem quanti communiter æstimatur, non facit emptori iniuriam: (nam hoc censetur iustum rei pretium) atqui iste sic vendit: ergo,&c. Nec refert, quòd ista æstimatio nitatur errore, dum putant illum debitorem esse soluendo, eò quòd passim pro opulento habeatur: quia iste error non versatur circa rei substantiam; (qualis esset, si quis emeret chirographum fictum, putans illud esse verum; vel vitrum, putans esse gemmam) sed circa aliquid extrinsecum, nempe circa conditionem quamdam non rei, quæ venditur, sed eius, qui debet eam tradere. Atqui talis error non facit contractum iniquum,nec tollit pretium vulgare: vt si rem meam, quæ est in potestate alterius, qui passim habetur vir bonus, vendam tibi cum onere illam recuperandi, & ego sciam, non sine graui difficultate recuperatum iri; nemo dixerit hanc venditionem esse iniustam:non enim venditoris est, explicare conditiones illas extrinsecas rei, nisi rogetur; sed emptoris est de illis inquirere, & omnia circumspicere.

Chirographa, quorum debitor non est soluendo.

Vendens rem difficilem recuperatu.

Secundò, Qui vendit merces suas pretio currente,sciens maximam copiam breuì proferendam in lucem, non peccat contra iustitiam, vt dictum est dubit.5. & tamen æstimatio illa nititur errore vel ignorantia: ergo similiter nec iste contra iustitiam peccabit, qui vendit tale debitum pretio, quo vulgò æstimatur inter mercatores, etiamsi illa æstimatio ex errore vel ignorantia procedat. sicut enim illæ merces ob communem æstimationem tanti valent; ita etiam istud debitum, seu obligatio chirographica. 80

Tertiò, Si sciam segetem delendam vel domum incendendam ab hoste, possum nihilominùs eam vendere iis qui id nesciunt, pretio ordinario; & tamen nemo vellet emere, si id sciret: ergo, &c.

Quartò, Si obligatio nihil valeret quando debitor non potest soluere; ergo etiam quando non vult soluere; nec ob potentiam potest cogi: (hæc enim idem valent, secundùm communem hominum æstimationem) ac proinde non possem tunc eam vendere pretio ordinatio alicui mercatori, qui sua industria posset solutionem obtinere: quod tamen falsum esse constat ex dictis suprà dubit.9.

Verùm quidquid sit de ratione Iustitiæ, mihi videtur absolutè illicitum; quia saltem est contra charitatem, maximè quando alicui tenuiori esset occasio grauis damni. deinde videtur esse contra Iustitiam. sicut enim Ius fructuum agri sterilis, in se est parui momenti, nec potest vendi eo pretio, quo Ius in agro fertili:ita Ius in illum, qui non est soluendo. Vnde hoc vitium videtur intrinsecum rei, ac proinde manifestandum. quod si non fiat, saltem contractus poterit rescindi; cùm dolus ei causam dederit; iuxta dicta cap.17. dub.5. secùs est in casibus, qui in argumentis proponuntur: res enim ibi non est intrinsecè deterior, aut minoris momenti; sed per accidens, ratione alicuius extrinseci, minoris æstimata. Ex quibus patet responsio ad argumenta. 81

Contrariũ verius.

Dvbitatio XI.

Vtrùm venditor teneatur emptori defectum rei vendendæ aperire.

D. Thom. art. 2. & 3.

82 Svppono iniquum esse vendere rem habentem vitium in quantitate, (id est, cui non est iustum pondus, aut numerus, aut mensura) aut qualitate, eo pretio, quo venderetur, si omni defectu careret; vt docet D.Thomas artic. 12. ratio est, quia in tali contractu deest æqualitas debita. sic peccant œnopolæ, qui vino miscent aquam, & frumentarij, qui tritico miscent secale aliaue semina, vel quisquilias: sicut illi, qui Amos 8. dicunt, *quisquilias frumenti vendamus*. Item qui sericum tincturæ, mangonio multò faciunt ponderosius; & tamen non multò minoris vendunt, quàm si fucatum non esset, qua ratione multi Antuerpiæ & alibi facti sunt ditissimi.decipiuntur enim

Defectus mercis.

enim emptores, & nollent tanti libram emere, si fraudem scirent. Denique omnes, qui mensuras adhibent dolosas, contra illud Prouerb.11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Si tamen res ex illa admixtione non esset minùs bona, quàm ea quæ ab aliis venditur; non esset condemnandus iniustitiæ, qui eodem pretio venderet: quia illa fraude nullum damnum infert emptori. Cur enim rem suam non possit ad eum statum reducere, in quo sunt res aliorum, & tunc eam vendere eodem pretio quo alij? Fit hoc interdum in vino, tritico, & similibus speciebus; dum vino valdè præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua; aut tritico valdè puro, secale; ea tamen moderatione, vt non sint deteriora quàm quæ ab aliis passim venduntur. docet hoc apertè Lopez p.2.c.42. sui Instruct. etiam in eo casu, quo pretium à Republ. est taxatum. Crediderim tamen, talem posse puniri, tamquàm specierum vendendarum adulteratorem, & emptorum deceptorem. tales enim mixtiones sunt in Republica valdè odiosæ, & auctores infames.

83 *Admixtio.*

84 Pari modo iniquum est, emere rem vitio carentem pro vitiosa; & pretiosam pro vili, vt gemmam loco vitri; etiamsi venditor ob ignorantiam, eam non pluris indicet, quàm si vitiosa aut vilis esset. ratio est, quia non seruatur æqualitas. non enim venditor intendit rem donare, qua parte excedit, sed totam vti est, vendere, & iusto pretio commutare. *Emens rem pretiosam pro vili.*

85 Si tamen in aliqua regione res illa passim parui æstimaretur, eò quòd ignorent alibi eam magni fieri, posset ibi paruo emi. Sic apud Indos licitum erat contra aurum aliasque res pretiosissimas commutare specula, tintinnabula, cultellos, & similia crepundia.

Item si aliquæ gemmæ pretiosissimæ in aliquo oppido, paruo æstimarentur à gemmariis illius loci, posset alius, qui earum præstantiam nosset, eas paruo emere: quia illo loco non pluris censentur valere. Denique fasciis herbarum, qui venditur ad pabulum animalium, potest emi pretio, quo talia vulgò vendi solent, etiamsi emptor sciat ibi pretiosas quasdam herbas contineri. ratio est, quia tota illa res ad eum vsum, quo vendi solet, non pluris æstimatur. His positis

86 Resp. & Dico Primò, Si emptor roget venditorem, an res sit bona, an careat vitio, vel si petat ad certum vsum; tenetur venditor ex iustitia aperire rei vitia, maximè occulta, vel talem, qualem ille desiderat offerre. est communis sententia DD. Probatur, quia tenetur ex officio explicare conditionem rei suæ, quam vendendam exponit, præsertim si rogetur ab emptore; alioquin maximæ contingerent fraudes, quæ non possent ab emptoribus vitari. ordinariè enim nemo nouit melius rei conditiones, quàm ipse venditor. Itaque si venditor affirmet rem vitio carere, eamque laudet, cùm tamen occultum vitium habeat, iniuriam facit emptori; & quidem si hac ratione alliciat eum, qui alioquin emere noluisset; contractus est inualidus: quia dolus dat causam contractui, iuxta ea, quæ dicta sunt c.17.d.5. Si autem voluisset quidem emere, sed non tanti, quanti nunc emit, eò quòd facilè reperisset illo pretio meliorem; non est quidem inualidus contractus, quia dolus non dedit causam contractui, sed solùm cur pluris emeret: tenetur tamen restituere ex pretio, quanti minoris emenda fuerat; quia eatenus eum decepit. *Si venditor rogetur, tenetur aperire.*

87

Pari modo, si petenti ad certum vsum, offerat rem inutilem vel parum vtilem: vt si pannum adustum vendat pro firmo; aromata euanida pro recentibus; semina corrupta pro sanis. Item si mangonio artis ita tegat rei vitia, vt non possint facilè deprehendi; & sic vendat eam tamquam integram. tunc enim etiamsi nihil dicat, tamen facto suo mentitur rei bonitatem: vt si quis guttulam argenti viui infundat in aures equi, vt excutiat segnitiem, & præseferat generositatem. In his & similibus casibus, in quibus dolus verborum vel factorum dat causam contractui, tenetur venditor ad omnia damna inde secuta; nisi tempestiuè emptorem admoneat. quod intellige de damnis, quæ probabiliter ex tali deceptione præuideri poterant euentura: vt si oues morbidas vendidit pro sanis, per quas totus grex est infectus: si tigna vitiosa, vnde domus ruinam est passa. Ita expressè habetur L.Iulianus π. de actionibus empti & venditi. 88 *Tenetur damni secuti.*

Petes, Vtrùm teneatur rescindere contractum, & restituere pretium?

Resp. Si res adhuc est integra, tenetur monere emptorem vt rescindatur contractus, si velit: si tamen nullum incommodum notabile inde timetur emptori, & res alioquin ipsi sit vtilis pro ratione pretij, non tenetur, saltem sub peccato mortali: quia etsi peccauit, nullum tamen notabile damnum intulit. sic sæpè possunt excusari, qui vinum Mosellanum pro Rhenano vendiderunt, modò iustum pretium non excesserint. Si autem res non sit integra, vt si est consumpta, nec aliquid detrimenti inde emptor accepit, non tenetur; quia non fuit excessus in pretio, vti suppono, quòd si fuit aliquis excessus, reuocandus est contractus ad æqualitatem per occultam compensationem. vide Lopez p.2. cap.42. vbi pro hac sententia multos citat. 89 *An rescindendus contractus.*

Dixi, *Maximè occulta vitia aperienda*; quia potest existimare, manifesta facilè ab emptore esse deprehendenda: si tamen putaret non deprehendi, teneretur etiam illa aperire: quia generatim rogatur de omnibus.

Notandum tamen, etiamsi venditor laudet rem suam supra meritum, vel celet vitium, quod illam non reddat notabiliter minùs vtilem ad vsum, cui expetitur, non censeri irritum contractum, nec teneri ad restitutionem; etiamsi fortè emptor alioquin non fuisset empturus. Ratio est, tum quia hæc ferè est consuetudo mercatorum, quæ passim ab emptoribus scitur: tum quia emptor non incurrit per hoc notabilem aliquam læsionem: tum denique quia nimis durum esset tale genus hominum tam strictè obligare ad omnium vitiorum detectionem. quod maximè verum est, quando emptor expressè non rogat de vitiis, sed petit rem bonam & vtilem sibi exhiberi. Ita Lopez suprà, Victoria, & alij quos ibidem citat. 90 *Si venditor laudet rem supra meritum.*

Dico Secundò, Si emptor suo iudicio fidens, rem aliquam ex multis deligat, nihil interrogans, præterquam de pretio, non peccat venditor contra iustitiam, etiamsi occultum vitium non aperiat; modò non vendat supra iustum, sed detrahat de pretio, pro ratione vitij. colligitur apertè ex D.Thoma art.3. solùm enim requirit vt defectus indicetur, ne emptor inde periculum incurrat; quod satis post contractum præstari potest. Idem apertè docet Quodlib.2.ar.10. consentiunt Sotus 91 *Si emptor suo iudicio fidat.*

lib.

lib.6.q.3.ar.2. & D. Anton. 2.p.tit.1.cap.17.§.6. Lopez & Victoria suprà. Probatur, quia hîc nullam iniuriam facit in ipso contractu, nam vendit rem suam iusto pretio; neque per iniuriam allicit illum ad contrahendum: non enim vllo mendacio vel fraude est causa cur emptor emat: ergo nullam hîc committit iniustitiam. si enim neque in contractu est iniustitia, neque in modo alliciendi ad contractum, absolutè nulla est hîc iniustitia. Nec obstat quòd non indicet vitium, quia ad id non tenetur ex iustitia, nisi emptor petat; nam exploratio rei ad emptorem pertinet. nec enim emptor meritò queri potest de iniuria sibi facta per venditorem, qui vitium non aperuit; sed si deceptus est, sibi imputet, eò quòd iudicio suo præfisus, non petità sententiâ venditoris, rem emerit. Nec obstat L. Iulianus. 13. ff. de action. empti. & L. 1. ff. de ædilitio edicto, vbi statuitur vt *venditor aperiat omnia vitia occulta emptori; alioquin concedi actionem redhibitoriam.* quia vel illa lex est positiua, nec locum habet nisi vbi moribus recepta: vel intelligenda quando emptor id petit: vel solùm datur actio ad rescindendum, & redhibendum per sententiam Iudicis.

92 Aduerte tamen Primò, Si venditor quodam ingenio artis, vitium texit, non excusari; quia dolus dedit causam contractui, vt dictum est. Idem dicendum, si rem illam ponat cum aliis vitio carentibus, vt distingui ab emptoribus non possit.

93 Secundò, Etiamsi non sit contra iustitiam non monere emptorem dum suo iudicio fidit, tamen potest esse contra charitatem; vt si videat emptorem ex simplicitate decipi, & putet rem ei fore inutilem, quamuis aliis inutilis non sit. Quòd si etiam putatur fore noxia, ratione occulti defectus; videtur quoque ex iustitia teneri aperire defectum, saltem post contractum; vt DD. communiter docent: nam hoc ipso, quo rem suam exponit venalem cum occulto vitio, tenetur officij sui lege cauere ex parte sua, ne quis inde aliquod nocumentum capiat; alioquin videtur causam nocumenti dedisse: vt si vendat equum sternacem, oues interno morbo laborantes, tigna vitiosa. colligitur ex d.L. Iulianus. 7. de actionib. empti. Puto tamen ante contractum ad hoc non teneri, quando emptor suo iudicio rem emit, vt dictum est; modò illa post contractum monitione, omnia damna & incommoda possint caueri. colligitur ex Soto & Lopezio suprà.

Si putatur fore noxia.

94

Dvbitatio xii.

Vtrùm si res vendita pereat, vel deterior fiat, pereat emptori, an venditori.

95 Respondeo, & Dico Primo, Si res vendita pereat vel deterior fiat post traditionem, perit emptori, etiamsi pretium nondum sit solutum. Ratio est, quia per traditionem translatum est dominium in emptorem, res autem domino perit. vide suprà c.3.dub.3. & infrà dub.19.

Si post traditionem pereat.

96 Dico Secundò, Si pereat ante traditionem, sitque res certa & determinata, (v.g. hic equus, hæc domus, hoc dolium vini) peracto contractu venditionis, perit emptori; vnde non tenetur venditor eius pretium restituere. Pari quoque modo eius incrementum ad emprorem pertinet. Ita Silvester v. Emptio, num. 3. & Couarr. practic. quæstionum c. 3. nu. 5. patet ex L. Quòd sæpè. 35. §. In his. ff. de contrahenda empt. & ex L. 1. & sequent. C. de periculis & commodis rei venditæ. Ratio est, quia contractus venditionis rei determinatæ, absolutè celebratus, sufficiens est Iure gentium ad transferendum dominium: quòd autem reipsa dominium non transferat ante traditionem, est ex dispositione Iuris ciuilis, quod ob certas causas ita statuit, vt dictum est c.3. dub.3. noluit tamen hoc Ius impedire, quin ante traditionem omnia rei commoda & incommoda ad emptorem pertinerent, perinde ac si dominium translatum esset, itaque etsi impediat dominium, non tamen impedit effectum, qui ex dominio sequi solet. Idque meritò, quia mens contrahentium est, vt statim res cum sequentibus eius euentis ad emptorem pertineat, nisi aliter expressè sit conuentum. Si tamen culpa venditoris, qui ex officio tenetur rem custodire, donec eam tradat emptori, deterior fiat, vel pereat; ipse tenetur. Similiter si sit in mora tradendi, & interim pereat vel deterior fiat; nisi similiter deterior futura fuisset apud emptorem; vt rectè docet Silvester suprà.

Si res sit certa, perit emptori.

Dico Tertiò, Si autem res sit indeterminata? (vt si quis emat 10. modios tritici ex messe vel granario, 10. oues ex grege) vel si emat rem determinatam, sed ad mensurâ, (v.g. totum aceruum tritici, vno floreno in singulas mensuras) tunc ante rei traditionem vel mensurationem, periculum interitus pertinet ad venditorem. Ita Silvest. suprà, Couarr. n.7. & expressè habetur d.L. Quòd sæpè. §. In his. ff. de contrahenda emptione. Ratio est, quia quando fit emptio rei indeterminatæ, vel ad mensuram, intelligitur tacitâ conditio, si res tradatur; vt dicitur in illa lege. vnde nisi sequatur traditio vel mensuratio (in qua continetur quædam traditio, cùm coram emptore fieri debeat) emptor non tenetur; quia non censetur perfecta venditio, cùm conditio non sit impleta. 97

Si res sit indeterminata vel ad mensuram vendita.

Aduerte tamen, si res fiat interim melior, vel deterior absque culpa & mora venditoris, commodum & incommodum pertinere ad emptorem. Ratio est, quia emit rem prout erit tempore traditionis, exponens se fortuitis euentibus. vide Silvestrum & Couar. suprà. 98

Si interim fiat melior vel deterior.

Dvbitatio xiii.

Vtrùm venditor possit percipere fructus vel vtilitates rei à se venditæ, donec soluatur pretium.

Couarruuias lib.3. variarum c.4. nu.1. & sequentibus, affirmat, fructus post venditionem natos, deberi venditori, donec emptor pretium soluerit: quòd si res tradita fuerit, & emptor hos fructus percipiat, ipsum teneri eos compensare pecunia, quia reuerà ad venditorem pertinent; etiamsi emptor non fuerit in mora, vt dum ei concessus est terminus ad soluendum. probat exL. Curabit. 5. C. de action. empti, vbi dicitur, *Curabit Præses Prouinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem, fructus percipit, partem pretij, quã penes se habet, cum vsuris restituere, quas, & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor, licet* 99

Sententia Couar. & Iurisperitorum.

licet nulla mora interceſſerit, generauit. quod intelligit Couarruuias & alij doctiſſimi Iuriſperiti de vſuris non lucratoriis, quæ illicitæ ſunt, ſed compenſatoriis fructuum, quos venditor percipere debuiſſet. Item, L. Iulianus. 13. §. Ex vendito. ff. de actio. empti. vbi dicitur, *Nam cum res emptor fruatur, æquiſſimum eſt, cum vſuras pretij dependere.* Hanc ſententiam vt omnino improbabilem refutat Petrus Nauarra l. 3. c. 2. nu. 157. Silueſter Vſura 2. q. 11. & alij multi.

Pro ſolutione Notandum eſt, nos poſſe loqui vel de fructibus ex re tempore contractus pendentibus, vel de aliis pòſt natis. Nunc

100 *Fructus pendentes.* Dico Primò, Si loquamur de fructibus pendentibus, certum eſt hos quoad valorem, quem tunc habent, deberi emptori, niſi aliter conuentum fuerit. habetur expreſsè d. L. Iulianus. §. Si fructibus. ff. de actionibus empti. eſtque communis ſententia DD. vt docet Gomezius tom. 2. c. 2. num. 11. & Couar. 1. variar. cap. 15. num. 1. ratio eſt, quia fructus actu exiſtentes tépore contractus, reique cohærentes, cenſentur pars rei emptæ; ac proinde ſimul cum re empti ſunt pretio conuento. Itaque debentur emptori, quandocumque pretium ſoluerit, ſicut res ipſa. Dixi, *quoad valorem, quem tunc habent*: quia non cenſentur pars rei emptæ, ſi conſiderentur ſecundùm valorem, qui creſcendo ipſis accedit. vt ſi emas vineam, dum primùm floret; valor florum ad te pertinet, tamquam pars rei emptæ; non ſic incrementum, quod creſcendo capiunt. hoc enim eſt effectus & fructus rei emptæ, non pars.

101 *Fructus poſt contractum nati. Si emptor obtulit pretium, & venditor ſit in mora.* Dico Secundò, Si verò loquamur de fructibus, qui poſt contractum naſcuntur, vel de incremento quod poſteà prouenit, diſtinguendum eſt: vel enim emptor ſoluit, aut certè obtulit pretium, vel non obtulit: ſi ſoluit, aut obtulit pretium venditori, & venditor ſit in mora rei tradendæ; omnes iſti fructus debentur emptori. imò venditor tenetur illi ad omne intereſſe intrinſecum; vt ſi plus fructuum ex re fuiſſet percepturus; ſi res deterior eſt facta vel minoris pretij, interim dum apud venditorem fuit, & emptor ſi eam habuiſſet, opportunè & cum lucro alienaſſet, vel non eſſet apud eum reddita deterior. ratio eſt; quia huius totius damni venditor eſt ei cauſa ex iniuſta rei detentione. Dixi, 102 *Ad omne intereſſe intrinſecum*; quia venditor non tenetur emptori ad intereſſe *extrinſecum*, id eſt, quod per accidens emptori euenit. v. g. ex eo, quòd rem in alium locum, vbi pluris valebat, non potuit transferre, vel ex eo, quòd mancipia fame mortua ſunt, ob rem non traditam. Ita expreſsè habetur L. Si ſterilis. 21. §. Cùm per venditorem. 3. ff. de actionibus empti. E contrario, emptor, ſi in mora fuerit ſoluendi pretij, non tenetur venditori, niſi ad vſuras pretij; non autem ad intereſſe lucri ceſſantis ex eo quòd pretio non ſit negotiatus; vt expreſsè habetur L. finali. ff. de periculis & commod. rei emptæ.

Sed aduerte, hæc intelligenda in foro externo: nam in foro conſcientiæ non diſtinguitur intereſſe *intrinſecum* & *extrinſecum*; neque intereſſe vſurarum & lucri ceſſantis. quicumque enim per iniuriam eſt cauſa damni, tenetur ad totum intereſſe, quod probabiliter poterat præuideri; vt communiter Theologi docent: & patet ex dictis ſuprà c. 7. dub. 6. & 8. & c. 20. dub. 11. & 12.

103 Dico Tertiò, Si pretium non ſoluit, aut obtulit, nec venditor ei fidem de pretio habuit, tunc Iure communi Cæſareo hi fructus debentur venditori. quòd ſi res tradita ſit emptori, & ipſe fructus eius percipiat, tenetur venditori eodem iure ſoluere vſuras pretij, pro ratione fructuum. Ita Gomezius & Couarr. ſuprà, & colligitur ex Legibus citatis. vt ſi domum tuam vendideris ſimpliciter 1000. aureis, & emptor contractu celebrato non ſoluat, cùm tamen ei terminum non conceſſeris: vel ſi dixit ſe ſtatim ſoluturum, & non ſoluat. Ratio eſt Primò, Quia tunc dominium non eſt tranſlatum, etiamſi res ſit tradita, (vt patet §. Venditæ, Inſtit. de rerum diuiſione) idque factum culpa emptoris. vnde meritò fructificat venditori, apud quem dominium manſit Iuris diſpoſitione. Secundò, Quia æquitas non patitur, vt emptor percipiat fructus ex re empta, & venditor non poſſit frui pretio, (quamuis deſideret) idque proueniat culpa emptoris. vt colligitur ex L. Iulianus. 13. §. Ex vendito. ff. de act. empti. *Si nec emptor obtulit pretium, nec venditor ei fidem habuit.*

Dices, Vſuræ ſunt prohibitæ. Reſpondet Couarruuias lib. 3. variar. c. 4. n. 1. vſuras lucratorias eſſe prohibitas, non autem compenſatorias. nempe quibus compenſantur fructus, qui venditori debebantur. non enim ſoluit vſuras, quia pretium quaſi mutuum tenet; ſed quia fructus percipit, qui ad venditorem adhuc pertinent. vnde ſequitur, ſi nullos fructus emptor percipiat, & venditor etiam nullos percepturus fuiſſet; emptorem ad nullas vſuras teneri. ſi multos percipiat, teneri ad multas, nempe quæ exæquent fructus perceptos. v. g emiſti domum 1000. aureis; cuius elocatio valet 50. ſi nihil ex pretio ſoluiſti, & domum inhabites, vel eloces; teneris venditori compenſare totum vſum domus; (hic enim eſt fructus eius) ac proinde ſoluere 50. ſi ſolùm pretij dimidium ſoluiſti, teneris ſoluere dimidium æſtimationis fructuum, nempe 25. ſi tertiam partem pretij ſoluiſti, teneris ſoluere duas tertias æſtimationis fructuum: & ſic deinceps, ſeruata proportione inter partes pretij fructuum ſoluendorum, & partes pretij quæ reſtant ſoluendæ. 104 *Vſuræ compenſatoriæ, & lucratoriæ.*

Dico Quartò, Si venditor emptori rem tradidit, habita fide de pretio, & conceſſa dilatione ad ſoluendum; fructus omnes debentur emptori, nec tenetur ad vſuras pretij non ſoluti. Ita Couarruuias ſuprà n. 5. ratio eſt; quia quando venditor ſponte rem tradit, & concedit dilationem abſque alia pactione, cenſetur renuntiare conſtitutioni Cæſareæ, dictæ L. Curabit. 105 *Si venditor rem tradidit & conceſſit dilationem.*

Notandum tamen, venditorem in hoc caſu iuxta Couarruuiam & multos Iuriſperitos, quos adducit, poſſe ſtipulari vſuras, vel intereſſe, donec pretium ſolutum fuerit. Ratio ipſorum eſt, quia ſi noluiſſet ei rem tradere, nec habere fidem de pretio, potuiſſet ſibi reſeruare fructus. Item ſi rem tradidiſſet & noluiſſet habere fidem de pretio, potuiſſet exigere vſuras pretij, iuxta L. Curabit. 5. atqui per hoc, quòd rem tradat emptori, habeatque ei fidem de pretio, non onerat illū; ſed beneficium potiùs & commodum præſtat. ergo ratione huius non amittit ius exigendi vſuras pretij pro ratione fructuum, donec pretium ſolutum fuerit.

Ex hac ſententia Sequitur Primò, Si vendam tibi domum 1000. aureis, habita fide de pretio, eamque tibi tradam, poſſe me ſtipulari, vt ſoluas pretium elocationis, donec ſolueris pretium domus. 106 *Conſectaria illius ſententia.*

Secun-

107 Secundò, Si eam tibi vendam, non habita fide de pretio, & tradam; teneberis soluere vsuras pretij ex Iuris dispositione, etiamsi id in pactum non sit deductum, quia censeris esse in mora.

108 Tertiò, Si vendam tibi domum 1000. aureis, posse me stipulari, vt percipiam fructum locationis, donec inuenta fuerit alia res frugifera, quæ pretio comparetur, relicto interim pretio in deposito, vel apud emptorem, prout emptori placuerit. possum enim vendere ea lege, vt non fiat traditio antequam alia res frugifera inuenta fuerit, quæ pretio comparetur: quo contractu inito, possum adiicere alium, quo faciam traditionem, & transferam dominium domus, & ius percipiendi fructus, vsque ad illud tempus, quo res alia inuenta fuerit, pro pensione annua, quæ exæquet fructus, vt docet Molina disp. 368.

Circa prædicta Aduertendum est, ea quæ ad 3. & 4. assertionem, & in consectariis de fructibus à venditore percipiendis, & vsuris ab emptore soluendis dicta sunt, procedere secundùm Ius Cæsareum: contrariam tamen sententiam esse veriorem & naturali æquitati conformiorem, nempe omnes fructus peracto contractu venditionis, pertinere ad emptorem, nisi aliter conuentum expressè fuerit. quòd si conuentum fuerit, vt certo tempore maneant venditoris; tunc etiam periculum rei debere esse venditoris. deinde emptorem, si sit in mora soluendi, solùm teneri ad interesse. Ita tenet Siluester Vsura 2.q.11. citans pro hac sententia Franciscum Mayronium in 4. dist. 15. sanctum Bernardinũ Senensem, Roselam & Archidiaconum. eadem est communis Theologorum, teste Archidiacono. Probatur Primò, Quia contractu celebrato, res statim censetur ita pertinere ad emptorem, vt si pereat, ipsi pereat, non venditori; vt suprà dubit. 12. de iis rebus, quæ venduntur non ad mensuram, sed ad corpus, (id est, prout corpus rei obiicitur sensibus) dictum est: atqui non est æquitati consentaneum, vt totum periculum rei sit emptoris, & venditor interim fructus omnes percipiat. nam inæqualis esset contrahentium conditio; venditor enim nihil nisi commodum ex venditione perciperet, posituſque esset extra omne periculum incommodi, & emptor solum periculum & incommodum. quare si venditor fructus percipere velit, oportet vt etiam toto eo tempore res periculo 110 ipsius constet. Secundò, Quia contractus talis videtur implicitam continere vsuram: videtur enim venditor illos fructus percipere ob dilationem solutionis pretij; non enim percipit illos ratione lucri cessantis, vt Couarruuias fatetur: (alioquin si nullum lucrum ei cessaret, non posset percipere, quod tamen ipse negat) neque ratione alicuius periculi, quod ipse in se suscipiat; quia totum periculum reiicitur in emptorem: ergo ratione dilationis pretij.

Tertiò, Venditor vel patitur interesse ex dilatione solutionis, vel non patitur. Si patitur interesse; potest illud deducere in pactum ab initio contractus, & hoc modo sibi satis cauere. Si non patitur, non est æquum vt exigat fructus, vel eorum compensationem, reiecto periculo rei in emptorem. eodem modo, si emptor est in mora soluendi, & venditor inde patiatur interesse; abundè ei satisfit, si illud æstimetur. quare non est ratio, cur fructus percipiat, nisi simul periculum rei præstare velit; idque ab initio in pactum deducat.

Contraria sententia verior.

Ad legem Curabit, responderi potest, illam legem, qua parte concedit vsuras, esse abolitam Iure Canonico; vnde reuocandum esse ad æquitatem naturalem; nempe vt emptor cogatur compensare interesse, si vel sit in mora, vel si ab initio est deductum in pactum. Eodem modo respondetur ad legem, Iulianus. certum est enim, illas leges loqui de vsuris pretij absolutè, siue fructus sint magni, siue parui. eæ autem vsuræ erant Iure Cæsareo semisses, id est quibus soluebantur 6. in 100. vt patet L. Eos 26. C. de vsuris. Quod autem Couarruuias ex Carolo Molinæo docet, leges illas loqui de vsuris compensatoriis fructuum, non videtur verum. Primò, Quia fructus reuerà pertinent ad emptorem, maximè in casu legis, Curabit. vbi emptor non erat in mora. Secundò, Quia alioquin leges non dicerent esse soluendas vsuras pretij, sed esse fructus compensandos, vel fructus pertinere ad venditorem. Tertiò, Quia alioquin non semper eædem vsuræ essent soluendæ. 111 *Ad argumentum Couarr.*

Dices, Cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum vsuras pretij dependere; vt habet dicta Lex, Iulianus, suprà.

Resp. Id non esse æquum, nisi venditor patiatur tantumdem incommodi ex dilatione pretij; vel nisi præstet periculum rei, & fructus æquiualeant illis vsuris, idque ab initio deductum sit in pactum. Cùm enim venditor susciput in se periculum rei, potest deducere in pactum vt recipiat fructus, donec pretium sit solutum; & proinde potest emptori fructus illos pro certa pensione relinquere, quæ vsuræ nomine vocari potest. 112

DVBITATIO XIV.

Vtrùm licita sit emptio & venditio cum pacto retrouenditionis, vel redemptionis.

REspondeo, Esse licitã, modò iusto pretio fiat. Et quidem licitam esse *venditionem* cum pacto redemptionis in fauorem venditoris, est communis sententia DD. & patet in censibus, qui ferè semper cum tali pacto, saltem implicito, venduntur. nam ex dispositione Iuris hoc pactum subintelligitur. Idem confirmari potest ex cap. 25. Leuitici, vbi Dominus filiis Israel vult esse potestatem redimendi possessiones omnes venditas, præter domos intra vrbem constitutas. Ratio est, quia quisque est arbiter rei suæ, eique modum, quem vult, imponere potest. 113

De *emptione* cum pacto retrouenditionis in gratiam emptoris, est maior difficultas. sed verius est, non esse illicitam, modò iusto pretio fiat. Ita Couar. lib. 3. var. cap. 9. num. 3. vbi etiam pro hac sententia citat Ioannem Medinam qu. de censu redimibili, quæ est vlt. de Vsura, & Ioannem Maiorem in 4. d. 15. quæst. 34. denique Imolensem & Alexandrum. Ratio est, quia sicut iusto pretio compensari potest onus, quod venditor imponit emptori, nempe tantumdem detrahendo de pretio: ita etiam onus, quod emptor imponit venditori, compensari potest, tantumdem augendo pretium in prima venditione. Vt autem sciatur an iustum sit pretium,

Dico Primò, Quando res venditur cum pacto redem-

114 redemptionis in fauorem solius venditoris appo-
Pactum retrouenditionis in fauorem venditoris. sito, (id est, quo fiat ei potestas redimendi, si velit) debere eam minoris vendi, quàm per se nuda æstimetur: ratio est, quia venditor imponit emptori onus quoddam pretio æstimabile, nempe vt ipsi volenti teneatur rem reuendere, seu restituere intra aliquod tempus. quare de pretio rei detrahendum est, quanti hoc onus æstimabitur; vt rectè Maior suprà q. 34. in fine.

115 Vbi Aduerte Primo, Non esse iniquum, si vendi-
Redimere eodem pretio. tor vendat cum pacto, vt eodem pretio possit redimere: hoc enim non est aliud, quàm vendere cum pacto, vt liceat post aliquod tempus contractum dissoluere. non enim tunc in redemptione est nouus contractus, sed solùm est dissolutio prioris contractus, facta ex vi pacti appositi. quare non est necesse vt venditor tantum det pro re, quanti ea absolutè tunc valet, cùm tunc nullus nouus contractus fiat. Similiter non est iniquum, vt venditor vendat ad certum tempus, cum pacto vt post illud rem suam absq; vllo pretio recipiat; & si ante illud tempus velit redimere, emptor teneatur fructus perceptos pro rata annorum computare in sortem. quo modo vendebant Iudæi suas possessiones, vt patet Leuit. 25.

In eo tamen casu, quo venditor cupit sibi seruare ius redimendi, posset emptor, qui rem iusto pretio emit, ab ipso exigere. vt quando volet redimere, soluat quanti tunc æstimabitur; & consequenter vt plus soluat, quàm pro illa re accepit, si valdè probabile est tempore redemptionis pluris valituram; vel si eam aliò delaturus erat maiore quæstu. Ratio est, quia emptor non tenetur consentire in pactum, quo venditio est dissoluenda; sed potest exigere, vt quando venditor volet rem illam recuperare, eam emat nouo contractu; & consequenter eo pretio, quo tunc æstimabitur. tanti interest quem cõtractum ineas. Imò etiamsi non esset pluris tunc valitura, posset tamen exigere plus quàm dedit: quia emit rem cum onere in fauorem venditoris appositò; ac proinde minus debuit pro ea dare, quàm si absque onere emisset. cogitur autem eam reuendere absque onere: ac proinde potest exigere pretium rei per se consideratæ; quod maius est, quàm pretium rei cum onere spectatæ.

116 Aduerte Secundò, Iniquam etiam fore venditionem cum pacto redimendi eodem pretio, si magni sumptus in re faciendi essent, & exigui fructus percipiendi, ita vt onus sumptuum, & præstatio periculi non compensetur fructibus: tunc enim non seruatur æqualitas: nam emptor plus debet restituere, quàm accepit. Similiter est iniqua, si paciscatur vt minoris redimere possit, quàm vendidit; vt patet ex dictis: nisi fortè constet illam minoris valituram.

117 Dico Secundò, Quando pactum redemptio-
In fauorem emptoris. nis apponitur venditioni in fauorem emptoris tantùm, (id est, vt venditor teneatur redimere, si placuerit emptori) tunc emptor debet illam pluris emere, quam ipsa per se valeat, & consequenter, quàm possit illam vendere alicui tertio. ratio est, quia talis emptor consequitur rem in perpetuum, quantum est ex parte ipsius, perinde ac alius quiuis, qui absque vllo pacto appositò rem emeret; vlteriùs autem imponit grauamen venditori: ergo etiam illud compensare debet; cùm sit pretio æstimabile.

Petes, vtrùm emptor possit paciscì vt venditor 118
teneatur eodem pretio rem illam redimere. Vide- *Vtrùm cum venditore.*
tur non posse: quia non potest alicui tertio eo pretio vendere, vt dictum est, eò quòd res per se tanti non valeat, quanti cum illo onere quod imponitur venditori: ergo neque venditori potest imponere obligationem redimendi eodẽ pretio. Confirm. hoc exemplo: Habes domũ æstimatã 4000. aureorum. ego illam à te emo 4300. ea lege, vt quando post aliquos annos mihi placebit, tenearis eam redimere. itaq; soluo 4000. pro domo quam mihi perfectè comparo; & 300. pro onere quod tibi impono. Valdè enim onerosum est venditori, quòd semper teneatur habere paratam pecuniam apud se vel amicos, qua domum redimat, quando emptor volet. atqui hoc onus iam subiit venditor, quando domum redimit: ergo emptor non potest repetere pretium quod pro eo onere dedit; neq; ab initio paciscì vt illud reddatur; sed solùm vt reddatur pretium domus, nempe 4000. Confir. Secundò, Quia si domum emerem simplici contractu emptionis absq; adiectione illius pacti, deberẽ pro ea soluere 4000. vt suppono & si facto illo contractu vellem paciscì cum venditore, vt eam teneatur redimere eodẽ pretio, nempe 4000. deberem illi dare pro illa obligatione 300. aureos, vt etiam suppono; nec postea in redemptione possem illos 300. repetere: ergo neque etiam in altero contractu, vbi pactũ redemptionis annectitur ab initio. quę enim pacta seorsum inita non sunt iusta, neq; etiam iunctim inita iusta sunt.

Resp. In rigore videri tale pactum iniquum, *Resp.*
vt rationes allatæ probant. Spectato tamen vsu communi & æstimatione hominum, posse excusari. Nam magni æstimatur inter homines, quòd emptor tam diu caret illis 300. aureis, quos pro illo onere dedit, & quòd fortasse domus numquam redimetur, & quòd venditor intereà potuit illa pecunia vti in suum commodum, & spem habeat fore vt non cogatur redimere, &c. quæ omnia sæpè tanti possunt æstimari, quanti illa obligatio quam in se suscepit: quo casu posset emptor paciscì vt venditor eodem pretio redimat, non per nouum contractum, sed per nudam contractus resolutionem; vt passim fit in redditibus.

Quòd si emptor paciscatur vt venditor rem 119
venditam maiore pretio post aliquot annos redimat, contractus erit iniustus (nisi aliquid excusset, vt melioratio rei, incrementum pretij futurum, &c.) non seruans in pretio æqualitatem. non tamen erit vsura, sed gignet vsuræ suspicionem, maximè si fructus percepti computentur in sortem. Vnde contractus ille, quo quidam emit prædium ab eo qui egebat pecunia, 23. libris, ea lege, *Casus cap. Illo vos, de Pignoribus. Præsumptio vsurarum de Iure.*
vt si intra biennium emptori displiceret emptio, teneretur venditor intra annum post displicentiã, redimere 26. libris, fructibus in sortem computatis; de Iure præsumitur vsurarius, ex tribus indiciis simul iunctis; vt patet cap. Illo vos. 4. de pignoribus. Primum est, Quòd fructus computentur in sortem: quod non solet fieri, quando res verè fuit empta; nam tunc pertinent ad emptorem. signum ergo est, non fuisse veram emptionem, sed oppignerationẽ pro mutuo. Secundum est, Quòd exigat tres libras ampliùs quàm dederit. Tertium est, Quòd emptor ille solitus sit vsuras exercere. Itaque quando hæc tria signa simul conueniunt, oportet contractum vsurarium in

foro externo pronuntiare. Vtrùm autem tale pactum in fauorem emptoris sit licitum in sensibus, dicemus cap.22.dubit.10.

120 *In fauorem vtriusque.* Dico Tertiò, Si hoc pactum appositum sit contractui venditionis in fauorem vtriusque, ita vt in potestate venditoris sit redimere, & emptoris reuendere quando voluerit; tunc res debet minoris vendi quàm per se valeat; pluris tamen, quàm si cum pacto redimendi in fauorem solius venditoris venderetur. Itaque si res per se valeret 100. cum pacto autem in fauorem solius venditoris 80.dum apponitur pactum in fauorem vtriusque, valebit fortè 88.vel 90. prout prudens arbitrabitur circumstantijs consideratis. Ita docet Medina quæst.vltima, de vsura.

Limitatio. Notandum Primò, Hæc omnia intelligenda esse sepositò interesse ementis & vendentis. nam si emens incurrat interesse ratione emptionis, poterit minus dare pro re, & pacisci vt non redimatur, nisi post certum tempus, vt interim ex fructibus sarciat lucri iacturam. item vt venditor teneatur eodem pretio redimere.

121 *An detur actio in rem ex hoc pacto.* Notandum Secundò, Etsi probabile sit, ex pacto de retrouendendo dari venditori actionem in rem; ac proinde posse eam vindicari vbicumque reperta fuerit; (quod tenet Couarr.lib.3.var.c.8. n.2 & 3.) tamen contrarium videri verius, nempe venditori solùm in factum seu in personam actione competere. vnde si emptor domũ, quam ei cum tali pacto vendidisti, vendat tertio, & tradat; tu non poteris domũ illam tertio eripere, sed tantùm agere contra eum qui vendidit, vt damnum tibi inde proueniens sarciat. Ita tenẽt Alexander, Iason, Curtius, & alij apud Couar. & Gomez.c.2.n.29. & Molin.disp.374. ratio est; quia illud pactum non habet maiorem vim, nec tribuit maius ius, quàm simplex venditio; atqui simplex venditio absq; traditione non tribuit ius in rem, sed solùm in personã, vt patet ex c.3.dub.3. ergo neq; illud pactum. sed de hoc plura infrà dub.19.

Notandum Tertiò, Quando venditor redimit rem olim à se venditam, reseruato iure redimẽdi, non teneri alterum, è cuius manibus redimit, de euictione, sicut venditor in venditione. quia redemptio non est emptio, neque contractus aliquis, sed distractus, seu prioris contractus resolutio. fit enim vi primi contractus, quo ipse vendidit cum tali pacto. vnde nec requirit consensum alterius, sed eo inuito fieri potest; nec debetur vectigal venditionibus impositum.

Dvbitatio xv.

Ad quem pertinent fructus medij temporis, quando venditionis contractus dißoluitur.

122 *Quinque modis dissoluitur.* Svppono, contractum posse dissolui quinque modis; de quibus vide multa apud Gomeziũ to.2.q.2.n.21. & seqq. Primò, Per *nouum pactum*, vt si postquã absolutè est initus, interposito iusto interuallo temporis, pœniteat, & mutuo consensu contrahentium rescindatur. & tunc est noua venditio & emptio, siue fiat eodem pretio, siue diuerso. hoc casu omnes fructus, quos res protulit eo tempore quo perseueratum est in contractu, pertinent ad primum emptorem; iuxta ea quæ dicta sunt dubit.13. quia ad eum pertinuit periculum rei. Nec refert, etiamsi contractus dissoluatur remedio legis 2.C. de rescindenda venditione; nimirum quòd venditor deceptus fuerit vltra dimidium iusti pretij, & emptor nolit pretium supplere, sed malit dissoluere contractum: quia fructus percipiendi, & etiam pendentes, secundùm æstimationem, quam rescissionis tempore habent, ad emptorem pertinent, vt docet Gomezius suprà num.24. ratio est; quia etsi iustum pretium nõ dederit; emptio tamen valida fuit, & sufficiens ad dominium, secuta traditione, transferendum; & ita percepit fructus ex re sua; & qui adhuc ex re illa pendent, ad ipsum pertinẽt. Confirmatur, quia nullam iniuriam fecit venditori, quòd rem possederit, & fructus ex illa perceperit; sed quia iustum pretium non dedit. vnde in foro cõscientiæ solùm tenetur quanti intererat venditoris, supplementum illud pretij ab initio fuisse solutum. vnde si bona fide actum est, nihil debet.

123 *Si resoluatur ex pacto retrouenditionis.* Secundò, Ex vi *pacti retrouenditionis*, in prima venditione appositi; quo euentu si eodem pretio res debet redimi quo vendita fuit, omnes fructus, qui à tempore venditionis vsq; ad tempus redemptionis producti sunt, secundùm valorem, quem tunc habent, ad emptorem pertinẽt; vt docet Couarr l.1.var.c.15.n.6. & 7. cum multis aliis DD. nisi aliter conuentum tacitè vel expressè fuerit. Secundùm valorem autem, quem acquirunt post tempus retrouenditionis, aut postquam emptor cœperit esse in mora, nolendo rem redimi; pertinent ad priorem venditorem, cui res debet restitui. Si verò diuerso pretio fieri debet redemptio, nempe pretio tunc currente, fructus omnes pendentes pertinent ad primum venditorem, qui rem redimit, sicut in aliis venditionibus. ratio est; quia hîc est nouus cõtractus emptionis & venditionis, & ita reuenditor potest pretium augere, ratione fructuum pendentium; ibi verò non est nouus contractus, sed tantùm resolutio prioris contractus; vnde non potest pretium augere, nec exigere fructuum compensationem: atqui contra æquitatem est, vt cogatur rem cum suis fructibus restituere, si illam sine fructibus accepit. vide Couarruuiam suprà, & Molinam disput.374.

Tertiò, Ex *pacto legis commissoriæ*. Dicitur autẽ venditio resolui *ex pacto legis commissoriæ*, quando res alicui est vendita ea lege, vt nisi intra certum tempus pretium eius soluat, res sit inempta, & contractus irritus; & posteà emptor intra illud tempus non soluit. tunc enim ipso facto contractus est nullus; si tamen venditor velit: quia in eius fauorem appositum fuit. vnde hæc conditio subintelligitur; vt apertè colligitur ex L.2. & 3.ff. de lege commissoria. In hoc casu, si hoc pactum conceptum fuit verbis directis, (id est, quibus significetur vt contractus ab initio censeatur irritus, vel res inempta) omnes fructus pertinent ad venditorem. ratio est; quia etsi venditio fuit pura, seu absoluta, non conditionalis, & per eam translatum fuerit dominium in emptorem, si res ei tradita fuerit: (vt docet Gomezius tom.2.c.2.n.30. & Couarr.lib.3.variar.c.8.n.1.) tamen ex vi pacti ita dissoluitur, ac si numquam fuisset; ac proinde omnes fructus sunt restituendi. quamuis enim venditio non fuerit pendens ab aliqua conditione; tamen effectus venditionis, id est, dominium rei & fructuum, translatum

124 *Si ex pacto legis commissoriæ.*

in

in emptorem ita fuit pendens, vt conditione non impleta penitus euaneſcat ac ſi numquam fuiſſet: irritatio enim retrotrahitur ad tempus contractus. Si verò hoc pactum conceptum fuit verbis obliquis ſeu indirectis; (id eſt, quibus ſignificetur contractum eſſe reſcindendum in poſterum, vel rem redituram ad venditorem) tunc fructus medij temporis pertinent ad emptorem. ratio eſt; quia tunc irritatio contractus non cenſetur retrotrahi vſque ad tempus celebrationis, ſed fieri ſolùm in poſterum: ac proinde fructus prioris temporis manent apud emptorem. In his tamen non tam formula verborum inſpicienda, (quæ ſæpè ambigua eſt) quàm mens contrahentium; ſi in foro conſcientiæ agatur.

125 *Si ex pacto addictionis in diem reſoluatur.* Quartò, Reſoluitur *ex pacto addictionis in diem* dicitur autem venditio *ex pacto addictionis in diem reſolui*, quando res alicui eſt vendita ea lege, vt ſi intra certum tempus, (v.g. intra menſem vel annum) alius meliorem conditionem obtulerit, res ſit inempta; & interim alius meliorem conditionem affert, offerendo maius pretiũ, vel commodiorem ſolutionem, vel minori cum onere; vt explicat Couarr. ſuprà. & patet ex L.1.& 4.ff. de addictione in diem. In hoc caſu idem dicendum, quod in tertio; nam eadem vtriuſque eſt ratio, vt oſtendit d. loco Couarruuias.

126 *Dominium quo modo redeat ad venditorem.* Aduertendum eſt autem Primò, In vtroque caſu, ſi pactum conceptum ſit verbis directis, dominium redire ad venditorem, etiam antequam res ei ab emptore reddita fuerit. Si autem verbis obliquis, non redire ante traditionem: iuxta communem ſententiam DD. quamuis probabile ſit, in quarto caſu dominium redire ante traditionem, etiamſi verbis obliquis pactum fuerit conceptum, vt docet Couarruuias ſuprà.

127 *Vectigal.* Secũdò, In neutro caſu deberi vectigal ex venditione ſolui conſuetum, ſi pactum verbis directis initum fuit. ratio eſt, quia ex vi pacti ita diſſoluitur, ac ſi numquam fuiſſet. retrotrahitur enim irritatio ad tempus contractus. Nec refert, quod venditio fuit abſoluta, non conditionalis; quia dominium, & omne ius acquiſitum ex illa venditione, fuit quaſi conditionatum, & dependens ex euentu futuro. ſi autem conceptum fuit verbis obliquis, debetur; quia tunc non retrotrahitur irritatio, ſed ſolùm valet in poſterum. vnde venditio vim habuit abſolutam vſque ad tempus, quo incipit eſſe irritum. ac proinde ex ea eſt ius acquiſitum Principi; ſicut ex venditione, quæ reſoluitur per pactum de retrouendendo. vide Gomezium c.2.n.31. vbi hanc rem clarè & fusè proſequitur.

128 *Si ſit conditionalis.* Quintò, *Si venditio ſit conditionalis*, & conditio impleta non fuerit: tunc enim venditio eſt irrita. In hoc caſu, fructus omnes ante conditionem impletam percepti, pertinent ad venditorem. Nec refert, quòd res tradita fuerit, & pretium ſolutum; quia venditio non fuit perfecta, (nam eius perfectio & impletio pendebat à conditione) ac proinde traditio illa nullam vim habuit ad transferendum abſolutum dominium rei vel fructuum in emptorem. Dico *abſolutum*, quia transfert aliquale dominium & ius in re, vt colligitur ex L. Sub conditione, de ſolutionibus; & notant ibidem DD. cum Bartolo; ſed illud pendet omnino ab euentu conditionis, eaque non eueniente euaneſcit, quaſi ab initio non fuiſſet.

Si tamen emptor ex ſolutione pretij patereturiacturam lucri, poſſet eius æſtimationem ab initio deducere in pactum, vt ſi conditio impleta non fuerit, ei fiat compenſatio. Si verò conditio impleta fuerit, tunc omnes iſti fructus pertinent ad 129
emptorem, ſicut & res ipſa. ratio eſt, quia ea eſt natura contractus conditionalis, vt impleta conditione, eius vis retrotrahatur ad tempus contractus; quaſi tunc purè celebratus fuiſſet, & quaſi conditio tunc fuiſſet præſens, vt ſuprà dubit. 1. dictum eſt. & docet Gomezius tom. 2. cap. 2. num. 30. ex multis Iuribus, & fuſiùs cap. 11. num. 30. niſi ſit conditio poteſtatiua, (vt aiunt Iuriſperiti) id eſt, cuius tota impletio eſt in poteſtate eius cui imponitur. hæc enim non retrotrahit contractum, vt ibidem docet Gomezius. quod intellige, niſi alia ſit mens contrahentium, quæ maximè in foro conſcientiæ ſpectanda. *Conditio poteſtatiua.*

DVBITATIO XVI.

Vtrùm venditiones & emptiones reciprocæ eiuſdem rei diuerſo pretio, quas Hiſpani vocant Baratas & Mohatras, ſint licitæ:

EXemplum ſit, Petit quis 100. aureos mutuos: mercator non vult mutuare, ſed paratus eſt vẽdere illi merces creditò, ſummo pretio, v.g. 105. vel 106. aureis, vt eas vendat pecunia numerata cui voluerit: ille emptas offert mercatori, qui eaſdem emit vel potiùs redimit pecunia numerata, ſed minoris, pretio nimirum medio vel infimo; v.g. 100. aureis, & ille manet debitor 105.

Quidam DD. exiſtimant id eſſe iniuſtum, & 130
palliatam vſuram, quando idẽ redimit, qui vendidit. Sed verius eſt non eſſe iniuſtum, etiamſi redimat ipſe venditor, modò intra limites iuſti pretij conſiſtat; ita vt quando vendit creditò, non excedat pretium rigoroſum, & quando redimit numeratò, non deſcendat infra iuſtum infimum; ita Nauarrus 23.n.91. & Petrus Nauarra lib. 3. c.2. num.170. & alij recentiores. Ratio eſt; quia & venditio prima iuſta eſt, cùm fiat iuſto pretio, quamuis ſummo; & ſecunda etiam eſt iuſta, qua eædem merces reuenduntur. Nec refert, quòd hæc reuenditio fiat pretio infimo; tum quia pretium infimum etiam eſt iuſtum, præſertim in numerata pecunia; tum quia merces, quæ à venditore ingeruntur, vileſcunt. Nec etiam refert, quòd idem ſit emptor, qui antè erat venditor; quia ſi alius quiuis poterat illo pretio emere, cur non ille qui vendidit? Imò beneficium alteri in hoc præſtari videtur, dum ille liberatur à quærendis aliis emptoribus & ſumptibus in proxenetas faciendis. non tamen poteſt illum ad hoc cogere, ſed debet omnino liberum relinquere. *Mohatra ſeu Barata.*

Aduerte tamen, hunc modum contrahendi ſæ- 131
pè non carere culpa in mercatore, qui ex compoſito ita vendit, vt pretio infimo redimat. nam Primò peccare poteſt contra charitatem; vt ſi cogat miſerum aliquem hominem emere merces, quibus non eget, magno illius diſpendio; cùm poſſit illi facilè, & abſq; ſuo incommodo mutuũ dare. Secundò peccare poteſt præbendo malum exemplum; nam contractus ille habet ſpeciem mali, & ſuſpicionem vſuræ. Tertiò, ſeipſum & ſuos infa- 132
mando. non tamen tenetur ad reſtitutionem (vt *Sæpè peccat contra charitatem.*

inquit Nauarrus) quod intellige non teneri ex iustitia, sed fieri potest vt teneatur ex charitate; vt si alter sit pauper, & graue sit illi tale detrimentum: cùm enim ipse sit causa illius grauis incommodi, tenetur illud amouere ex charitate, si commodè potest. cessante tamen paupertate alterius, non teneretur; quia nec charitas nec iustitia illum obligat. Quòd si vendidisset bona fide, nihil de redemptione cogitans, & posteà rogatus redimeret præsenti pecunia, non peccaret, vt rectè docet Angelus Vsura 1. nu. 60. idem dicendum si ipse iustam aliquam rationem habeat sic contrahendi cum aliquo diuite, & scandalum absit.

Dvbitatio xvii.

Vtrùm is qui vendidit rem alienam, possit retinere pretium.

HAnc dubitationem attigimus c. 14. dubit. 1. & 5. & cap. 20. dub. 18. num. 163.

Notandum est, quòd ille vel bona fide vendidit, nesciens esse alienam, vel mala: rursus vel ditior factus est, vel non est.

133 *Si bona fide vendidit.* Dico Primò, Si bona fide vendidit, & non est factus locupletior, non tenetur domino ad pretij restitutionem. Probatur, quia neque ratione rei acceptæ; cùm hæc apud ipsum non extet, nec vllum ex ea perceperit emolumentum: neque ratione iniustæ acceptionis; cùm nullam iniustitiam commiserit. neque etiam emptori, quamdiu emptor rem illam retinet; quia contractus fuit validus, & emptor nullum ex illo damnum accepit. Si tamen res euincatur, vel domino restituatur, tenebitur emptori de euictione. Non tamen tenetur monere emptorem esse alienam, si casu contigerit id eum resciscere; quia non tenetur cum pari suo damno curare, vt alteri fiat restitutio eius, quod nulla eius culpa periit, vel alienatum est. vide suprà cap. 14. dub. 1. & 5.

134 Dico Secundò, Si factus est locupletior ex venditione, tenetur illud lucrum restituere domino: quia illud lucrum supplet vicem rei alienæ. vnde etli non sit alienum, tamen quia in locum eius successit, & ex ea prouenit, debet restitui, veluti fructus rei. par enim non est, vt quis ex re aliena ditescat absque sua industria. Secùs si illud lucrum ex industria proueniat; vt si rem detulit in alium locum, vbi pluris vendidit: tunc enim non tenebitur illud restituere, quia est fructus industriæ; vt suprà loco citato ostensum est.

135 *Si mala fide vendidit.* Dico Tertiò, Si mala fide vendidit, & non est factus locupletior, eò quòd tantidem emerit, distinguendum est: vel enim poterat rem domino restituere, vel non poterat. Si poterat rem domino restituere, & eam alienauit, communis ferè DD. sententia est, teneri ad restitutionem pretij seu æstimationis. ratio est, quia eam alienando, damnum infert; sicut si eam perimeret. & aliàs nullum ius ad illam alienandam habebat. Secùs est, dum res empta à fure, eidem restituitur: hoc enim non est alienare, aut in alium transferre; sed contractum priorem resoluere: quod iuxta probabilem sententiam poterat facere, ad vitandum damnum pretij, si alia ratione caueri non poterat; vt dictum est cap. 14. dubit. 3. Verùm extra hunc casum tenebatur etiam cum damno pretij, rem domino restituere, vnde si non fecerit, tenebitur compensare æstimationem. Si verò non poterat eam domino restituere, & per alienationem non reddidit eam recuperatu difficiliorem, non videtur domino teneri; nisi quatenus ex illa alienatione est factus ditior. Ratio est, quia per illam alienationem nihil damni intulit domino. Itaque non tenetur ratione rei acceptæ; neque ratione iniustæ acceptionis. suppono enim, quòd ipse domino eam non eripuerit; neque sit causa cur ei restitui non possit. Confirmatur, quia ob hanc causam multi DD. tradunt, emptum à fure etiam mala fide, posse eidem restitui, ad pretium recuperandum; etiamsi domino restitui possit, vt suprà cap. 14. dubit. 3. ostensum est: ergo multò magis, quando non potest restitui, poterit absque iniuria alteri vendi. *Si non poterat domino restitui.*

Hac ratione multi in Anglia & Hollandia, qui bona Ecclesiastica immobilia ab aliis empta, aliis posteà vendiderunt, excusari possunt à restitutione. per hanc enim venditionem nihil damni Ecclesiæ, cui illa bona, hoc statu rerum, restitui non possunt, intulerunt. Vnde non tenentur Ecclesiæ restituere pretium, vel æquiualens. Si tamen ex fructibus, vel venditione, facti sint locupletiores, tenentur eatenus: nam fructus sunt Ecclesiæ, hoc ipso, quo in re Ecclesiæ nascuntur: & lucrum ex venditione, etsi Ecclesiæ non sit; est tamen ei debitum, tamquam id quod succedit in locum rei, nisi ex industria prouenerit. *Qui bona Ecclesiastica vendiderunt.*

Neque etiam hi tenentur emptoribus, qui ab ipsis ea bona emerunt; quia etsi contractus fuerit irritus, & consequenter non fuerit translatum dominium pretij, vt patet ex dictis c. 20. dub. 18. tamen quia venditor illud volente emptore accepit & retinet, & emptor nollet dissoluere contractum, & restituere emptum; non tenetur venditor illi pretium restituere, sed potest retinere loco rei venditæ. Si tamen emptor vellet dissoluere contractum, & emptum restituere, deberet venditor ei reddere pretium, quia ab initio contractus fuit irritus.

Dvbitatio xviii.

Vtrùm licitum sit aliquando rem alienam emere, & emptam retinere.

VIdetur non posse vnquam emi, aut retineri 136
res talis. Primò, Quia venditor non potest eam vendere, cùm sit raptor, fur, aut iniquus detentor, sed tenetur restituere domino: ergo nec emptor potest emere. Secundo, Quia per talem venditionem non transfertur dominium (non enim venditor potest transferre in alterum ius, quod ipsemet non habet) ac proinde manet aliena in specie. atqui res aliena restituenda est domino, si fieri potest: vel si non potest, eò quòd ignoretur, danda est in pauperes; illa enim censetur domini voluntas, & sic quodammodò ipsi domino in pauperibus restituitur. nam fructus restitutionis redundat in dominum, cùm pauperes pro ipso orent; vt passim DD. docent. Tertiò, Qui emunt res furtiuas vel raptas, fiunt participes criminis, & quodammodò fouent auctores in crimine: si enim non inuenirentur emptores, non raperent aliorum merces.

Pro

Pro respõsione notandum est, rem alienam, quæ à fure, raptore, vel alio possessore iniquo venditur, vel posse restitui domino, vel non posse restitui: rursus, vel esse spem fore recuperandam à domino, vel non esse: denique, vel non defore alios multos emptores, qui numquam restituent, si ego non emero; vel tales defore. Nunc

Si erat spes recuperandi.

Dico Primò, Si spes erat dominum alia ratione rem suam recuperaturum, nõ possum illam emere, nisi animo ipsi restituendi, nec possum exigere pretium quod dedi, sed solùm quantum prudenter consideratis circumstantiis iudicabitur dominus in ea recuperanda fuisse expensurus. Ratio est, Quia cùm res sit aliena, & possit restitui, debet restitui: nec dominus tenetur aliquid soluere, nisi quatenus vtiliter negotium eius gessi, seu quanti æstimabitur rei saluatio. si plus dedi, meæ id imputem imprudentiæ: quia non tenetur ipse meos errores luere, vt apertè colligitur L. Sed an vltrò. 10. in fine, ff. de negotiis gestis.

Obiectio.

Dices, Gestor negotiorum non tenetur nisi de culpa lata; quia totum agit in vtilitatem alterius: ergo dominus tenebitur compensare, etiamsi culpa leuis commissa sit; vt si putabam rem fore irrecuperabilem, vel plus solui quàm par erat pro talis rei redemptione.

Resp.

Respondeo, Illum non teneri domino ex culpa leui, si per talem culpam illum lædat; v.g. expendendo ipsius pecuniam, vel rem vendendo, &c. Si tamen gerendo negotium alterius seipsum lædat, per talem culpam, v.g. suam pecuniam expẽdendo; dominus non tenetur illi: quia nõ tenetur, nisi quanti prudenter gestio talis negotij seu saluatio rei æstimabitur. Vnde si per errorem amplius de suo impenderit, sibi imputet. Si tamen hìc & nunc gestio negotij prudenter instituta fuerit, tenetur eam integrè compensare; etiamsi fortè dominus alia via minore sumptu rem erat recuperaturus. quia id per accidens est; & hæc cauillatio semper opponi posset. Idem dicendum, etiamsi posteà res absque culpa gestoris perierit, vel deterior facta sit. d. L. Sed an vltrò, sub finem. & L. Siue hereditaria. 22. ff. de negotiis gestis.

Si non erat spes recuperandi.

Dico Secundò, Si nulla probabilis spes sit dominum rem suam recuperaturum, nisi ego emero, me verò emente possit illi restitui; non possum illam emere animo mihi absolutè seruandi: & si id fecero, dominus potest illam posteà sibi vindicare absque vlla compensatione: possum tamen emere animo illi exhibendi vt vel mihi illam permittat, vel si id nolit, iustam compensationem gesti negotij soluat.

Prior pars probatur, Quia dominus neque pro reipsa mihi tenetur, vt quæ ipsius sit (nemo enim rem suam emere tenetur) neque pro gestione negotij. quia non gessi negotium ipsius, sed meum. non enim vt ipsi aliquid commodi adferrem emi, sed vt mihi seruarẽ. vnde si dominus posteà rem suam inueniat apud eum qui à fure in suum commodum emit, non tenetur ei quidquam dare, nisi quatenus factus est inde locupletior; vt si res sit notabiliter meliorata sumptibus emptoris, &c. Colligitur apertè L. 6. §. Sed etsi. ff. de negotiis gestis. Si tamen bona fide nesciens esse alienam emisset, dominus teneretur refundere expensas, saltem ad eam quantitatem, quam ipse in ea recuperanda facere debuisset. L. Liberto. 31. §. 1. ff. de negotiis gestis: quia vtiliter reipsa negotium eius gestum est: nec par est, vt alter absque sua culpa hoc damnum sustineat.

Si nesciebat esse alienam.

Altera pars probatur, Quia cùm sic vtiliter negotium eius gestum sit, tenetur refundere sumptus; vt patet ex L. 2. 3. & sequentibus. ff. de negotiis gestis: vel relinquere ei rem redemptam, si fortè malit ea carere, quàm sumptus præstare. Quòd si nolit, poterit nihilominus alter in compensationem retinere: quia eo animo rem alioquin perituram suo sumptu liberauit; & ita passim vsu receptum; modò tamen non valdè infra limites iusti pretij eã redemerit. Si enim res longè pluris valet quàm expensæ, & dominus nolit refundere expensas, & rem sibi restitui: debet gestor esse contentus expensis, quas vel auctoritate Iudicis, vel ex re ipsa obtinere poterit, si ea fructuosa sit; vel eam retinebit veluti in pignus, donec dominus soluerit.

Dico Tertiò, Quando non est probabilis spes, 137
rem domino posse restitui, eaque publicè venditur; possum & ego per se loquendo emere, animo mihi seruandi vel vendendi; si dominus non comparuerit; & si comparuerit, illi eodem pretio relinquendi. Probatur, Quia in hoc casu nulla fit iniuria domino ab emptore, imò agitur negotium domini, quantum agi potest; vnde nec ipse censetur inuitus, sed consentiens in translationem dominij cum illo onere. Hoc modo Catholici in Hollandia possunt emere mercesibi publicè propositas, quas hæretici in mari ceperunt. Confirm. Quia alioquin totum hoc lucrum solis hæreticis cederet, qui iniustum bellum fouent, & Religionem oppugnant, nec emunt animo restituendi in euentu quo dominus compareret, sed omnino sibi retinendi tamquam iustè capta.

Si publicè venditur.

Rapta à piratis.

Sed aduertendum est, Rarò sciri posse qui sint domini, nisi aliqui mittant suos actores, qui nomine ipsorum illa redimant. Primò, Quia sunt res diuersissimæ, nec sciri potest, quid cuius fuerit. Deinde, quia interdum 100. 200. 300. vel plures partem in illis mercibus habent. plurimi enim ad huiusmodi nauticas traiectiones solent contribuere. vnde si res in tam multos diuidenda foret, singulis minimum obueniret. itaque non curant recuperare. Denique multi nolunt sciri se damnum passos, seque, quantum possunt, occultant, præsertim cùm desperant se quidquam nisi maiore sumptu recuperaturos.

Ad Primam rationem in oppositum, Neganda conseq. Quòd enim raptor vendat, facit inuito domino, qui vult sibi restitui; vel si id fieri nequit, saltem pauperibus. Supposita tamen illius iniqua voluntate vendendi, non est dominus inuitus, neque verò cùm ratione esse potest circa talem emptionem, qualem diximus.

Ad argumenta.

Ad Secundam, Translatio dominij in emptorem non fit auctoritate & voluntate raptoris, sed tacito consensu domini, cui expedit tali modo illud transferri: quia transfertur cum onere restituendi, si dominus comparuerit. Dici etiam potest transferri dominium Iure gentium tamquam rei adesporæ, etsi cum onere in euentu domini comparentis; maximè cùm emptor ille non sit particeps iniquæ inuasionis & rapinæ, nec illi faueat. Expedit enim communiter Reipub vt bona incerta non maneant vacantia. Neque necesse est vt fiat restitutio in pauperes, quãdo res empta est præsertim tali animo; consulendum tamen esset,

vt id in quo facti sunt ditiores,pauperibus conferant. quia illud domino restitui deberet, detracta tamen industriæ & expensarum æstimatione. Vide suprà cap.14.Dub.6.& 7.

Ad Tertiam, Qui emunt talia modo supradicto,nimirum cum illis circumstantiis quas exposuimus,non sunt participes criminis, nec fouent auctores in malo, cùm plurimi emptores alij non sint defuturi, qui absque animo restituendi sint empturi. Prædictam sententiam expressè post hęc scripta deprehendi traditam à Molina disputatione 118. §. Illud postremò.

Dvbitatio xix.

Vtrùm is, cui aliquid traditum est vendendum,possit sibi aliquid ex pretio retinere,si pluris vendiderit,quàm ei est præscriptum.

138 *Retinere ex pretio.* Respondeo non posse, si vel mercedem pro suo labore accipiet, vel erat in famulatu; vel si gratis hoc officium præstandum susscepit. ratio est, quia non habet vllum legitimum titulum, quo possit sibi aliquid ex pretio vsurpare. non enim ratione rei venditæ, cùm hæc non sit ipsius; nec ratione industriæ vel ministerij, quia pro ea mercedem accipit; vel si erat in ministerio, tenebatur sine mercede. Ita Siluester ex Archidiacono verb. Emptio, q.24. & alij. Nec obstat,quòd dominus rei vendendæ pretium determinauerit; quia id solùm videtur fecisse ne venderetur intrà,non autem ne supra,si fortè occasio ita ferret. Vnde eo ipso quo pluris fuit vendita,totum illud cessit domino.

139 Aduerte tamen, si talis famulus rem illam pretio à domino indicato sibi compararet, & postea suo nomine pluris venderet, non facturum contra iustitiam; ac proinde ad restitutionem obligatum non iri: quia eam iusto pretio à domino comparauit, & postea iusto pretio suo nomine vendidit. Nisi fortè dominus ei mandasset vt venderet quanti intra latitudinem iusti pretij vendi posset.quo casu tenetur illam diligentiam præstare. quo facto, posset eam sibi vindicare eo pretio, quod alij obtulerunt.

Dvbitatio xx.

Quando res in solidum ex interuallo duobus fuit vendita, vtri debeatur.

HAnc quęstionem tractat Couar.lib.2.variar. resolut.cap.19.ad quam breuiter

140 *Si neutri facta sit traditio.* Respondeo & Dico Primò, Si neutri sit tradita, debetur priori emptori. est communis sententia Doctorum. Ratio est, quia res illa non poterat vendi secundo emptori, cùm iam esset vendita: vnde nec potest ei tradi sine iniuria prioris:ergo ne fiat iniuria,tradenda est priori.

Si tradita secundo emptori. Dico Secundò, Si tradita sit secundo emptori, priori autem solùm vendita; debita est secundo. Est communis sententia Doctorum,vt docet Couar. suprà, n.1.& constat ex L.Quoties.15.C.de rei vindicatione,in principio,& in fine,& L.Traditionibus. 20.C. de pactis. Ratio est, quia solo contractu absque traditione non transfertur dominium, nec acquiritur ius in re, (exceptis quibusdam casibus) sed præter contractum requiritur traditio, vt constat ex dictis legibus. qua de re vide suprà cap.3.Dub.3. quòd non solum locum habet in contractu emptionis; sed etiam in promissione, donatione & similibus contractibus, imò etiam in locatione,vt docet idem Couar.n.8. quia etsi conductor per traditionem rei conductæ non habeat dominium; habet tamen rei detentionem, à qua si expelleretur, ante omnia Iudicis officio restituendus esset: sicut is, qui possessione fuit spoliatus. Vnde iure detentionis se defendet contra primum conductorem, qui solùm habet actionem personalem in locatorem. Nec refert, quòd contractus cum priore fuerit fortasse iuramento confirmatus; quia hoc quidem efficiet vt sit periurus, si alteri eam tradat; non tamen impediet dominij translationem,vt docet idem Couarr.epitome de sponsal.p.1.cap.5.num.9. *Habet locũ in alijs contractibus.*

Notandum tamen Primò, Hoc non procedere in iis euentis, quibus peculiari Iure ex solo contractu absque alia traditione transfertur dominium: vt si aliquid venditum aut donatum sit Ecclesiis, locis piis, vel ciuitatibus. iuxta L.fin. C. de sacrosanct. Ecclesiis. tunc enim dominium transfertur per solum contractum: vnde non poterit secundus emptor vel donatarius per traditionem dominium acquirere: secùs si res solùm sit promissa; quia promissio facta pro loco, vel alteri, nõ transfert dominium, nec tribuit ius in re: vnde si res Ecclesiæ promissa,alteri donata & tradita fuerit, huius erit. 141 *In quibus euentis hoc locum non habeat.*

Secundò, Non habere etiam locum, quando hypotheca priori emptori in securitatem contractus res fuit subiecta: tunc enim secundus emptor per traditionem non poterit eius dominium comparare, vt docet Couarr.suprà num.7. ex L.Si creditor.13.§.fin.ff. de distract.pignorũ: & ratio est, quia qui habet pignus, est simplici creditori præferendus, maximè in ipso pignore. *Si res hypothecata priori.*

Tertiò,Si secundus emptor mala fide egit, cõscius nimirum prioris contractus, prior poterit ab eo rem euincere, tamquam in fraudem ipsius alienatam. Ita Glossa communiter recepta in cap. Si tibi absenti,in 6. Sponte tamen eam priori tradere non tenetur: nisi fortè induxerit emptorem, vt eam sibi venderet;quo casu est causa damni iniusta, quod prior per illam venditionem incurrit, iuxta ea quæ dicta sunt suprà cap.20.Dubit.19. Si autem non fuit conscius, non poterit ab eo euinci, nisi fortè prior titulum emptionis vel alium onerosum habeat; secundus verò titulum donationis: tunc enim etsi secundus insscius fuerit prioris contractus, tamen prior poterit illam euincere, vt colligunt Doctores ex L. Ignoti. 5. C. de reuocandis his, quæ in fraudem creditorum.vide Couarr.n.5.Donatarius tamen non tenetur illam sponte tradere, sed solùm si emptor illam intra tempus Iure constitutum exigat, iuxta ea quæ cap.illo 20.Dub.19.diximus. 142 *Si malafide egit.*

Dico Tertiò, Si vterque emptor affirmet rem sibi traditam fuisse, nec liquere possit vtri priori tradita fuerit; adiudicanda est priori. Ratio est; quia secluſa traditione,ius prioris est potius:ergo in dubio huic fauendum.Nisi fortè posterior numerauerit pretium, prior verò nihil: tunc enim 143 *Si dubium sit vtri priori traditum.*

præ-

præsumptio est, posteriori factam traditionem. Ita Couarruuias num.6.ex Baldo & aliis.

Dvbitatio XXI.

Vtrùm omnia monopolia sint iniqua.

144 *Monopolium.* NOtandum est, *Monopolium* propriè dici cùm vnus vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod mercium genus vendant eo pretio, quo ipsis libuerit. generatim autem accipitur à Doctoribus pro omni machinatione & industria mercatorum, qua efficiunt, vt ipsi soli vel aliquid vendant, vel certo pretio vendãt. Hoc autem fieri potest quatuor modis: vel enim *conspirant* inter se de pretio, vt nemo vendat minoris: vel agunt vt ipsi soli certas quasdam merces vendant; idque vel *priuilegio Principis*, vel *industria*, coëmendo omnes merces, easque supprimendo donec creuerit pretium: vel *impediendo* ne aliunde importentur ab aliis. Si primo modo fiat,

Potest fieri 4.modis.

145 *1.Conspiratione in pretium.* Dico Primò, Si venditores *conspirẽt in pretium*, modò id non sit supra legitimum, vel supra vulgare summum, non peccant contra iustitiam, (quamuis benè contra charitatem.) Similiter nec emptores, si conspirent in pretium infimum; aut rogent alios, ne pluris emant, quàm tanti vel tanti; modò id non sit infra iustum. Hoc interdum fieri solet in auctionibus publicis, dum quis rogat alterum, ne pluris licitetur, vt ipse rem illam minoris emere possit; non tamen infra latitudinem iusti pretij illius fori.

146 Aduerte tamen, si aliqui mercatores fraude vel minis impedirent alios ne minoris venderent, tenerentur ad restitutionem emptoribus, qui inde damnum caperent; iuxta ea, quæ dicta sunt cap.12.dubit.18.

147 *Si supra legitimum.* Dico Secundò, Si pretium, in quod venditores conspirant, sit supra legitimum, vel supra summum vulgare, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem illius auctarij, quod emptores soluere coacti sunt, atque adeò totius damni inde secuti. ratio est, quia pretia rerum non pendent ex libidine mercatorum; sed vel ex Superioris taxatione, vel ex communi æstimatione, bona fide, absque conspiratione & dolo inita, spectata copia & raritate mercium, emptorum, venditorum, & ceteris circumstantiis. quare is, qui suo consilio vel consensu causa est, cur aliquis supra illud pretium soluat, est illi causa damni iniusta; ac proinde tenetur ad restitutionem.

Aduerte tamen, Primo loco teneri eum, qui pretium accepit. Secundo loco, seu in subsidium huius, ceteros conspiratores, idque vel in totum vel in partem, prout ad illam conspirationem sunt cooperati; iuxta ea quæ diximus cap.13.dubit.4.

Emptores. Dico Tertiò, Pari modo emptores contra iustitiam peccant, quando conspirant vel rogant alios, vt non liceantur rem iusto pretio, sed minoris. ratio est, quia venditores ius habẽt ad pretium maius; nempe ad illud, quo bona fide res æstimatur: vnde per talem conspirationem fit illis iniuria.

148 *2.Priuilegio Principis.* Si secundo modo, nempe *priuilegio Principis* fiat monopolium, vt cùm aliquis à Principe impetret priuilegium, vt sibi soli liceat aliquod genus mercium inuehere & vendere; tunc distinguendum est: vel enim illud priuilegium iusta aliqua ratione cõcessum est, vel non. Si iusta ratione cõcessum est: (v.g: quia aliter nemo tales merces sufficienti copia vellet inuehere ob sumptus, quos non facilè potest recuperare, nisi ad tempus aliquod priuilegium habeat; vel quia Princeps eget pecunia pro bono publico, ad quam conflandam tale priuilegium aliquibus vendit) tunc tale monopolium est licitum: modò iustum pretiũ à Principe taxatum, vel prudentum iudicio, spectatis circumstantiis omnibus, taxandum, non excedant.

149 Vdi Aduerte, quando Princeps tale priuilegium concedit in mercibus communiter Reipub. ad politicam vitam necessariis, debere simul pretium taxare. quòd si id eorum arbitrio relinquat, iniquum hac in parte erit tale priuilegium; nam datur illis occasio vendendi iniquo pretio cum notabili damno Reipub. quod ipse tenebatur pro officio suo impedire, vt rectè notat Nauarrus cap.23. num.92. secùs tamen si id concedat in mercibus, quæ solùm ad delicias & luxum pertinent, quas nemo cogitur emere. vt sunt picturæ, varia genera tapetium, sericorum pannorum, & holosericorum, aleæ, fritilli, chartulæ lusoriæ, latrunculi, & similia. cùm enim in his nemo grauetur, nisi qui sponte vult, (nisi fortè pauci aliqui diuites) facilè potest Princeps habere iustam causam non impediendi ne iustum pretium excedant. si verò priuilegium sine iusta ratione concessum fuerit, est iniquum; fitque iniuria & subditis, tales merces vendere volentibus, qui iniustè impediuntur; & emptoribus, qui eas meliore pretio emerent. vnde vtrisque tenentur ad restitutionem. Primo loco qui absque ratione priuilegium impetrarunt. (sunt enim causa principalis, cùm in suum commodum Principem ad concedendum, & ad alios iniustè prohibendos pertraxerint.) Secundo loco qui concesserunt. Hoc tamen intellige, si iniquitas priuilegij sit manifesta vel certa, alioqui in dubio non tenetur. præsumendum enim ob auctoritatem & prudentiam Principis in fauorem priuilegij.

150 *3.Si pauci coëmant omnia.* Si tertio modo fiat, vt quando vnus vel pauci *coëmunt omnes merces* certi generis, (v.g. frumentum tempore messis, vel ante, aut post) vt ipsi posteà pro suo arbitratu vendant: Doctores passim tenent hos peccare contra iustitiam, & obligari ad restitutionem. Ita Gabriel d.15. quæst.10. art.5. dubit.2. Ioannes Medina C. de restitut. quæst.36. & alij. Probatur Primò, Quia iniuriam faciunt Reipub. inducendo caritatem, interim dum tantam copiam apud se retinent. quamdiu enim illa copia ibi manet, Respublica ius habet vt pretium non augeatur. Secundò, iniuriam faciunt, posteà carè vendendo; nam illud pretium respectu ipsorum non est iustum, cùm per fraudem sint ipsius causa. Hæc sententia est valdè probabilis.

151 *Contrariũ non est improbabile.* Contraria tamen semper mihi visa est non improbabilis; nempe hos non teneri ex rigore iustitiæ ad restitutionem, neque peccasse contra iustitiam particularem; sed tantùm contra charitatem proximorum, & contra iustitiam legalem, seu publicam vtilitatem. quam video etiam placuisse doctissimo viro Ludouico Molinæ disput.345. in fine. Probatur, quia non peccarunt contra iustitiam emendo; emerunt enim pretio currente, vti suppono. Nec refert quòd hac ratione inducta sit caritas: quia etiam multitudo emptorum inducit

caritatem; non tamen ideò illi emendo peccant contra iustitiam; quia actio illa, ex qua prouenit caritas, non est contra iustitiam. Neque etiam supprimendo, seu non vendendo; quia non tenebantur ex iustitia tunc vendere, cùm nullo pacto se ad hoc obligarint. poterant enim eas in aliud tempus seruare, vel in alia loca deferre, vel etiam vaitare absque iniuria cuiusquam; quia perfectum dominium earum habebant. Neque ciues habebant ius iustitiæ ad eas emendas, nisi ipsis vendere volentibus. alioquin dicendum esset, ipsos peccaturos fuisse contra iustitiam, si res suas in flumen proiecissent. Nec obstat quòd possint cogi à Magistratu, vt sua proferant & opportunè vendant, & grauiter puniri ob talem compressionem; quia multa crimina per publicam potestatem puniri possunt, quæ tamen non sunt contra iustitiam, particularem: sufficit enim vt aliquo modo sint contra bonum publicum.

152 Hinc patet responsio ad rationes allatas. Respub. enim non habet ius iustitiæ vt pretium non augeatur, si copia mercium, quæ est in vrbe, sit suppressa & ignota, vt patet ex dubit. 5. nam pretium pendet ex communi æstimatione: alioquin alij, qui bona fide tunc carè vendiderunt, tenerentur posteà ad restitutionem. vnde etiam hoc pretium respectu eorum qui suppresserunt, non est iniustum; quia nulla iniusta actione illud procurarunt. Ad alterum argumentum

Respondeo, Hoc solùm probare, illos peccasse contra iustitiam particularem, si arbitratio pretij, spectatis circumstantiis temporis quo venditum, fuerit irrationabilis: quo modo intelligenda est illa sententia. Sicut cùm conspirant in pretium, vt dictum est num. 147.

Si Quarto modo fiat; si quidem vi aut fraude 153
impediat, ne maior copia aliunde importetur, vt *Quartus modus.*
maneat caritas in Repub. tenetur ad restitutionem tum Reipub. quatenus iniustè ei causa fuit maioris pretij; tum mercatoribus, quos impediuit, quatenus priuauit eos probabili lucro. Ita Siluester v. Emptio, quæst. 13. Si verò sine vi aut fraude impediuit, non tenetur. Quo modo monopolia factitantes puniantur in foro externo, vide apud Siluestrum v. Emptio, d. quæst. 13. & 18.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

De Censibus seu Redditibus annuis.

Complectitur Dubitationes 15.

POst contractum venditionis & emptionis, agendum nobis est de censibus, quorum contractus, est species venditionis & emptionis.

DVBITATIO I.

Quid sit Census.

1 *Census varia acceptio.*

NOTANDVM, nomen *census* variè accipi, vt docet Couarruuias l. 3. variar. cap. 7. num. 1. Primò, Pro æstimatione fortunatú cuiusque, quæ fieri solet, vt sciatur quantum quisque Principi tributi nomine soluere debeat: censere enim est æstimare. Secundò, Pro ipsis fortunis, quæ censentur, iuxta illud, *dat census honores, Census amicitias.* Tertiò, Pro ipso tributo, siue capitatim, siue ratione fortunarum imposito. sic Matth. 22. *Licet censum dare Cæsari, an non?* Quartò, Pro omni eo, quod annuatim alicui solui solet in signum subiectionis vel dominij. Quintò accipitur non pro pecunia aut re aliqua corporali, quæ solui solet; sed pro re spiritali, nempe pro iure quodam in re alterius, vt ex ea quotannis aliquid soluatur, potestque sic describi: 2 *Census est ius percipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius.* Dico, *Est ius*; quia census in proposito non est ipsa pensio soluenda; (quamuis sæpè hoc nomen sic vlurpetur) sed ius quoddam ad exigendum quotannis certam pensionem ab alio; cui iuri respondet in altero obligatio soluendi. Hinc fit, vt qui vendit censum, non vendat pecuniam aut fructus aliquos annuos, vt quidam putarunt, sed ius quoddam exigendi certam pecuniæ summam, vel certos fructus: quæ sanè plurimùm differunt. *Ex re alterius*; quia nemo super re sua propriè dicitur censum vel redditú habere; (cùm habeat in ea ius multò perfectius, nempe dominium) sed tantùm super re alterius, in quam ipse ratione census nullum ius habet, nisi ad exigendam ex ea pensionem; cùm dominium vtile & directum sit penes alterum. *Vel persona alterius*; quia etiã super persona nuda hoc ius constitui potest, vt infrà dicemus. 3

DVBITATIO II.

Quotuplex sit census; seu de variis censuum generibus.

RESpondeo & Dico Primò, Censum generatim diuidi in Reseruatiuum & Consignatiuum. *Reseruatiuus* dicitur, quando quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum & vtile, donando, legando, vendendo, aut permutando, seruata sibi pensione annua super eadem re. Talem censum constituit Ioseph in omnibus terris Ægyptiorum, præterquam sacerdotum, cùm eas emptas & subiectas dominio Pharaonis, Ægyptiis restituit, vt patet Gen. 47. v. 24. De tali non agit Constitutio Pij V. vt notat Thomas Boninsignius tractatu de censibus, & alij. vnde in huius contractu posset apponi pactum legis commissoriæ, id est, vt res, super qua constituitur, cadat in commissum, & redeat ad eum qui illam contulit, si biennio vel triennio non fuerit pensio soluta, vt docet Couarruuias lib. 3. variar. cap. 7. num. 1. Distinguitur autem hic contractus ab emphyteusi, teste Couar. suprà. Primò, Quia 5 4 *Reseruatiuus.*

in

Differt ab emphyteusi.

in emphyteusi non transfertur nisi dominium vtile: hîc autem vtrumque, directum & vtile. Secundò, Si in emphyteusi non soluatur pensio intra biennium, dum est Ecclesiæ, vel intra triennium, dum est sæcularis; dominium vtile cadit in commissum, & ipso Iure coalescit cum dominio directo. hoc autem non fit in censu, nisi de hoc expressè sit pactum inter partes. Tertiò, Emphyteuta non potest rem vendere, domino directo non monito, aliàs cadit in commissum, & ex pretio tenetur ei soluere certam partem, quam vocant laudemium: ad neutrum tenetur debitor census.

Consignatiuus.

Consignatiuus dicitur, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum & vtile retinet, vel etiam super persona sua, alteri ius pensionis annuæ consignat. de hoc est tota disputatio apud Doctores.

6 *Diuisio.*

Dico Secundò, Consignatiuus census variè diuiditur. Primò, Ratione materiæ, in realem, personalem, & mixtum. *Realis* est, qui super re aliqua fundatur, ita vt ex ea re pensio debeatur. *Realis.* Huic respondet Primò in reipsa obligatio realis, quæ rem perpetuò comitatur, etiamsi alteri vendatur, tamquam onus quoddam seu grauamen illi annexum, donec legitimè redimatur. Secundò, obligatio personalis in eo cuius illa res est. nam onus rei redundat in dominum. Tertiò, relatio debiti in pensione. vnde patet, censui reali triplex correlatiuum partiale ordine quodam respondere.

7 *Personalis.*

Personalis est, qui immediatè super personam, quæ seipsam obligat ad pensionis solutionem, constituitur. huic respondet tantùm obligatio in persona, & debitum in pensione. Nec obstat, quòd hîc interdum interueniat hypotheca: quia hæc non interuenit ex vi contractus censualis; sed superuenit per alium contractum: nam hypotheca solùm exigitur ad securitatem contractus alterius. vnde ex ea non est soluenda pensio, nisi eo euentu, quo aliter solutio à persona debitore nequiret obtineri. *Hypotheca in personali.*

8 *Mixtus.*

Mixtus est, qui constituitur super re & super persona immediatè: ita vt etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata. secùs in merè reali, vbi re ex parte vel in totum pereunte, perit similiter census, vt infrà dicetur.

9 *Fructuarius. Pecuniarius.*

Secundò diuiditur ratione pensionis; scilicet in *fructuarium*, ex quo debentur fructus, vt frumentum, vinum, &c. & *pecuniarium*, ex quo pecunia.

10 *Certus.*

Tertiò, in censum certum & incertum. *Certus* est, cùm determinata pecuniæ summa vel fructuum mensura, in pensionem constituta est. *Incertus.* *Incertus*, cùm indeterminata, v.g. tertia vel quinta pars fructuum constituitur soluenda. sicut fecit Ioseph in Ægypto. hic enim modus non est licitus, nisi in censu reseruatiuo.

11 *Perpetuus Redimibilis & Irredimibilis. Temporalis.*

Quartò, ratione temporis futuri, in *perpetuum* & *temporalem*. *Perpetuus* diuiditur in *Redimibilem* & *Irredimibilem*. *Temporalis* verò in eum, qui extenditur in tempus certum, v.g. 10. vel 20. annorum; & in eum, qui in incertum, vt ad vitam vnius, duorum, vel trium hominum, qui vitalitius dicitur. vide Ioannem Maiorem in 4. d. 15. quæst. 34.

Dvbitatio iii.

Vtrùm emptio census noui sit licita.

12 *Sententia Henrici de nouis censibus.*

Qvidam DD. olim putarunt, emptionem censuum nouorum, (id est, qui tunc primùm constituuntur quando vendendi sunt) illicitam esse, etiamsi in re aliqua fructifera constituantur; si pensiones recipiendæ putentur tandem superaturæ pretium. Secùs tamen esse de antiquis; hos enim licitè emi posse pretio communiter taxato. Ita sentit Henricus quodlib. 8. quæst. 23. ratio ipsius est, quia emptio redditus noui, non emptio, sed purum mutuum est: sed in mutuo non licet plus pecuniæ accipere quàm datum sit: ergo, &c. Maior probatur, quia extrema huius contractus (inquit) sunt, pecunia simul data & pecunia per quotas recipienda; pecunia autem vendi non potest, sed mutuò datur. Nec refert; quòd in re aliqua fructifera videatur constitui, quia hæc solùm se habet per modum hypothecæ. Idem sentire videntur Innocentius & Ioannes Andreas in cap. In ciuitate, de vsuris.

13 *Emptio censuum concessa, etiam nouorum.*

Verùm contraria sententia est communis & certa, Nō minùs licitè emi nouos redditus, quàm antiquos. Ita Conradus quæst. 79. vbi 12. rationibus Henrici sententiam refutat. Sotus lib. 6. quæst. 5. artic. 1. Medina de vsura quæst. 12. Couarr. lib. 3. variar. cap. 7. numer. 2. Nauarr. comment. de vsuris num. 69. & seqq. & alij. Probatur Primò, Quia Martinus V. & Calixt. III. in suis Extrauagantibus, quæ habentur inter communes, titulo de emptione & venditione, auctoritate Apostolica declararunt, *census eos, qui conditiones ibidem positas haberent, esse iustos & licitos, & debitores ad solutionem obligari.* Nec distinguunt hi Pontifices inter antiquos & nouos; sed in genere de omnibus loquuntur. Secundò, Quisque potest de nouo constituere ius percipiendæ pensionis in suis bonis, titulo donationis, vt ipsi fatentur: ergo etiam titulo emptionis; non enim minoris valet quod emitur, quàm quod donatur. Tertiò, Quia antiqui aliquando fuerunt noui, & lapsus temporis non fecit eos esse iustos: ergo sicuti antiqui vendi possunt, ita & noui. Quartò, Potest quis alteri vendere ius seruitutis in suo agro, de nouo constituendum; ego etiam ius percipiendæ pensionis annuæ. Patet consequentia; quia sicut ius seruitutis est particula quædam decerpta ex iure integro, quod dominus habet in re sua; ita & census, seu ius pensionis annuæ, est pars quædam iuris, quam dominus habet in re sua. si ergo illa vendi potest, etiam hæc.

14 *Ad rationē sententiæ contrariæ.*

Ad fundamentum contrariæ sententiæ Respondeo, Verum non esse, nullam hîc interuenire mercem præter pecuniam, seu pensiones annuas: nam id quod venditur & emitur propriè & immediatè in hoc contractu, non est pecunia aut pensio annua, sed ius ad pensionem annuam exigendam: quod ius multum distinctum est à reipsa; vt ostendit Conradus. deinde etiam pecunia absens & periculis exposita vendi potest pro præsente, vt infrà dicetur, cap. 23. dubit. 4.

Dices, Illud ius non extat: ergo non potest vēdi.

Respondeo Primò, Etsi nunc non extet, tamen paulò pòst extabit; vnde potest vendi, sicut hereditas

ditas futura, & iactus retis futurus vendi potest, vt rectè Medina quæst. 12.

Respondeo Secundò, Falsum esse, hoc ius non extare antequam vendatur: extat enim in ipso vendente; nam hic ius habet percipiendi pensionem ex re sua, (quamquam tunc non vocetur census) quod ius sicuti alteri donare potest, ita etiam vendere, tamquam rem modò extantem.

DVBITATIO IV.

Vtrùm Iure naturæ emptio census personalis sit licita.

15 *Emptio census realis.*

SVppono, emptionem census realis redimibilis licitam esse; quod expresè habetur in Bulla Pij V. anno 1568. de censibus edita, & in Extrauag. Martini V. & Calixti III. titulo de empt. & vendit. Ratio est; quia sicuti emptio prædij licita est cum pacto de retrouendendo, ita etiam emptio iuris percipiendi fructus ex illo prædio; quod ius est pars quædam iuris existentis in domino prædij. vt enim dominus potest vendere totum ius suum, quod habet in prædio, ita etiam potest vendere partem iuris, quæ nihil est aliud quàm census realis. vide Couarr. lib. 3. variar. cap. 7. num. 5.

16 *Personalis.*

Sed difficultas est de personali. Multi DD. negant, quos citat & sequitur Nauarrus comment. de vsuris, numer. 81. Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Ancharanus, Antonius de Butrio, Cardinalis Zabarella, Panormit. & Anani. in cap. In ciuitate, de vsuris, D. Antoninus 2. p. tit. 1. cap 8. Angelus v. Vsura. §. 78. & quidam recentiores. Probat hanc sententiam Nauarrus, Primò, Quia census personalis est inuentio noua, & numquam in Repub. Romana post susceptam religionem Christianam vsurpata. Secundò, Pensio non potest in libera persona constitui, eo modo, quo in prædio constituitur. Tertiò, Liber homo non potest pignori dari, cap. 2. de pignoribus: atqui ius census maius est iure pignoris: ergo. Quartò, Quia liber homo non potest in seruitutem rapi ob debita.

Quidam putant illicitam empt. personalis.

17 *De quali censu personali loquantur.*

Verùm ex his rationibus satis constat, hos Auctores non loqui de censu personali, qui passim est in vsu; sed de eo, qui ita constituitur in persona, sicut constitui solet in prædio; adeò vt si non sit soluendo, creditor possit debitorem vendere, aut trahere in seruitutem, sicut prædium vendi aut vindicari in dominium potest. Nos autem non loquimur de tali censu personali, sed de eo, qui in creditore solùm ponit ius pensionis annuæ; (cui interdum ad securitatem accedit ius hypothecæ in omnibus bonis debitoris) in debitore verò tantùm obligationem personalem illius soluendæ, (& in bonis obligationem hypothecariam) quæ transeat ad heredes; ita tamen vt non obliget illos nisi secundùm vires hereditatis. quo fit vt sæpè tales census pereant, etiamsi omnia bona pro illis hypothecata fuerint.

18 *Esse licitã.*

Respondeo igitur & Dico Primò, Census personalis emptionem licitam esse. docet hoc Conradus q. 74. & 79. Maior in 4. d. 15. q. 34. Gab. ibidem q. 12. ar. 1. conclus. 1. Sotus lib. 6. q. 5. art. 1. conclus. 4. Ioannes Medina, de vsura quæst. 11. §. Sed quæret aliquis. Couarr. lib. 3. variar. cap. 7. n. 5. Thomas Boninsignius c. 4. n. 7. denique puto fore paucos ex Auctoribus, quos Nauarr. citat, qui talium censuum emptionem condemnarent. Nam Panormitanus, citatus à Nauarro q. 5. apertè eam admittit esse licitam. Probatur Primò, Quia olim etiam Ecclesiæ debebantur decimæ personales, scilicet ex labore manuum, & ex negotiatione; vt patet cap. Decimæ, 16. quæst. 1. & cap. Apostolicæ, & cap. Pastoralis, de decimis, quæ etiam nunc quibusdam locis soluuntur. Item Esdræ lib. 2. cap. 10. fideles constituerunt annuum reditum tertiæ partis sicli pro fabrica templi, panibus propositionis, & sacrificijs, idque tantùm super personas suas: atqui talis obligatio vel sponte suscepta, vel à Superiore legitimè imposita, est certo pretio æstimabilis: ergo vendibilis. quare etiam census personalis vendibilis erit, cùm talis obligatio sit verè census personalis.

19 Secundò, Si ad censum res aliqua distincta à persona venditoris requireretur, super qua census dicatur constitui, id esset. vel quia illa res deberet emptori census vendi, vel certè quia fructus eius, illi vendi deberent. Atqui neutrum est verum. Non enim res illi venditur; quia dominium ei directum & vtile manet apud venditorem census, qui liberè eam potest alienare in quem voluerit, vt patet ex Bulla Pij V. Neque etiam fructus propriè illi venduntur; quia sæpè fit vt sit census pecuniarius, qui super agro constituitur. Deinde etiamsi concederemus fructus rei vendi; simili modo vendi possunt fructus, & lucra personæ. Si dicas rem fructiferam requiri, vt ius percipiendi ex ea fructus (quod ius est penes dominum rei) possit alteri vendi, in quo iure alteri collato consistit ratio census: cur non similiter potest vendi ius illud, quod quisque habet percipiendi lucri ex sua industria suisque bonis; obligando se & posteros suos ad eam diligentiam, quæ ad solutionem sufficiat? sicut enim fertilitas agri est naturalis, ita fertilitas (vt ita dixerim) hominis, qua potest acquirere lucrum, est voluntaria; ac proinde potest se homo ad eam obligare. quòd si etiam agri fertilitas esset in hominis potestate, posset similiter homo obligari ad eam procurandam: imò hoc ipso, quo cẽsus super agro constitutus est, homo, sine alio pacto, tenetur ad eum bona fide & diligenter colendum. non ergo mirum esse debet, si possit obligari censu personali ad eam industriam, qua tantum acquirat, quantum necesse est ad pensionis solutionem.

Nec obstat, quòd posteri quoque obligentur; quia sicut obligationes aliæ personales ex aliis contractibus ortæ, transeunt ad heredes, eosque obligant lege iustitiæ; ita etiam hæc obligatio soluendæ pensionis, etiamsi merè sit personalis, ad heredes transire potest. omitto alias rationes minoris momenti.

20 *Si pensiones superent sortem.*

Dico Secundò, Hanc emptionem esse licitam, etiamsi pensiones sperentur excessuræ pretium. colligitur ex Auctoribus citatis. qui enim admittunt hunc censum, admittunt eo modo, quo passim est in vsu: atqui nemo huiusmodi censum emit, nisi verisimile ei sit, pensiones cum tempore excessuras pretium: est enim census perpetuus, etsi redimibilis, ex parte venditoris. vnde semper sperat emptor se plus accepturum, quàm dedit: nam sperat se accepturum pensiones aliquot, & postea si venditor voluerit post aliquot annos se libe-

liberare, totam sortem. Probatur Primò, Quia per hanc emptionem non emuntur propriè pensiones futuræ, sed ius quoddam illas exigendi, quod in omni Repub. longè minoris valet, quàm pensiones speratæ, si essent præsentes, valerent. Secundò, Census realis perpetuus licitè emi potest minoris quàm sint pensiones speratæ: ergo etiam personalis. Conseq. probatur à paritate rationis: sicut enim ibi non violatur æqualitas, eò quòd non emantur propriè fructus, qui longè superant pretium, sed ius ad illos, quod censetur æquale pretio; ita etiam hîc non emuntur pensiones, sed ius & actio ad illas, quæ actio communi hominum æstimatione non pluris valet. Confirmatur, quia communi hominum iudicio pluris æstimatur census realis super amplissimo agro vel copiosis decimis fundatus, quàm census personalis cum hypotheca: ergo si ille minoris emi potest, quàm sint pensiones, etiam hic potest.

Tertiò, Nisi liceret tales census emere minori pretio, quàm sint pensiones speratæ, condemnandi essent plerique census in Belgio, Germania & Gallia; nam plerique antè quàm certo modo realizentur coram Magistratu, (quod sæpè non fit, vel non nisi post longum tempus) sunt merè personales, cum hypotheca speciali vel generali omnium bonorum; & emuntur senis denis in singula annua, seu pretio decuplo sextuplo. atqui non est facilè damnandum quod tot viri docti & religiosi in tot Prouincijs faciunt.

21 Dico Tertiò, Persona, in qua census constituitur, debet esse vel fructifera; (id est, talis, vt aliquem fructum sua opera vel industria pariat, vnde soluat) vel vt aliquà bona in re vel in spe habeat. Ita Medina quæst. 11. ratio est, quia alioquin ius illud nullius esset momenti; & ita non esset pretio æstimabile.

22 *Licita est hypotheca in censu personali.* Dico Quartò, Licitum etiam est in emptione census personalis, exigere hypothecam generalem vel specialem securitatis causâ. colligitur ex iisdem Auctoribus. Probatur Primò, Quia in reliquis contractibus licet exigere hypothecam, vt in mutuo, in venditione ad terminum, & similibus; cur non etiam in emptione census? si enim contractus est validus, meritò potest exigere is, cuius interest, securitatem, vt firmus maneat & non violetur. ad hoc autem pertinet hypotheca.

23 *Census mixti licitus.* Dico Quintò, Licita etiam est emptio census mixti, id est, qui partim sit personalis, partim realis. probatur, quia si emptio vtriusque seorsim est licita; cur non etiam iunctim? exemplum sit, Si emas census super prædium, ea lege, vt etiamsi prædium nihil vel parum aliquando ferat, teneatur nihilominùs venditor totam pensionem soluere, quo casu si prædium vendatur tertio, poteris pensionem exigere, & à venditore census, ratione obligationis personalis; & à tertio, ratione obligationis realis, quæ est in prædio. Item si emas census in prædio vel domo, ea lege vt venditor obligetur, si res omnino pereat, quamuis dici possit, pactum illud accessorium, esse pactum assecurationis pensionum ex prædio soluendarum. Denique si emas census in prædio, cuius fructus nō sufficiunt, ea lege vt tota pensio soluatur: quo casu est realis, quatenus se extendit ad fructus prædij; personalis, vt ad reliquam partem.

Sed contrà Obijcitur Primò, Martinus & Calixtus Pontifices in suis Extrauag. titul. de empt. & vendit. solùm reales census licitos esse declararunt: ergo personales sunt illiciti. 24 *Obiectiones.*

Respondeo, Non declararunt solos reales esse licitos, quamuis de illis solis declarationem fecerint; eò quòd de his solis essent consulti.

Obiicitur Secundò, Si tibi darem 1000. aureos, 25 ea lege vt quotannis pro vsu mihi persolueres 50. vsuram committerem; eò quòd vsum pecuniæ seorsim venderem; sed ita fit in emptione census personalis: ergo, &c. Hoc argumentum ait Lopez Sotum numquam potuisse soluere.

Resp. In censu personali non vendi ab emptore vsum pecuniæ; sed emi ius super alterum, qui sibi obligationem personalem potest imponere.

Dices, Qui emit ius exigendi pecuniam, emit 26 ipsam pecuniam; atqui pecunia non est vendibilis, cùm ipsa sit pretium & mensura rerum aliarum, iuxta Aristotelem: ergo hîc non est vera emptio, sed mutuum. Maior probatur, quia qui emit ius alicuius possessionis, principaliter censetur emere possessionem: ergo, &c. Confirmatur, Propter quod vnumquodque tale, illud magis tale: atqui illud ius emitur propter pecuniam; ergo ipsa pecunia magis emitur. *Emptio Iuris & rei differunt.*

Respondeo ad maiorem, Verum non esse, eum, qui emit ius ad pecuniam, emere propriè ipsam pecuniam; nam hæc multùm differunt, vt ex communi vsu hominum patet, qui quotidie iura sua & actiones pecuniarias vendunt.

Ad probationem maioris Dico, Verum non 27 esse, eum, qui emit solùm ius ad possessionem, emere propriè ipsam possessionem, vt patet dum ius litigiosum emitur: tunc enim non dicitur emi ipsa possessio, sed ius & actio alterius. deinde etiamsi ius sit liquidum; qui habet ius ad possessionem, non ideò habet ipsam possessionem; ac proinde qui vendit ius suum, non propriè vendit possessionem. sic qui transfert in alterum ius, quod habet in beneficium per præsentationem, non transfert in illum beneficium.

Ad minorem Respondeo, Verum non esse pecuniam vendi non posse: si enim distet loco, vel adiunctas habeat aliquas difficultates, aut pericula, vendi potest, sicut aliæ merces, vt cap. 23. dicetur. quamuis in censu personali non ipsa propriè, sed ius ad illam vendatur, vt dictum est.

Ad confirmationem, Etiamsi illud ius ematur 28 propter pensiones, ipsæ tamen pensiones non sunt propriè id quod emitur in contractu censuali; sed sunt ratio emendi. Sicut qui emit agrum, non dicitur emere fructus, quos singulis annis ager ferat, quamuis propter fructus emat. quare pensiones non habent se propriè instar mercis in hoc contractu; sed ius ad illas.

Illud autem axioma non sic est intelligendum, quasi quæuis denominatio alicui conueniens propter aliud, debeat illi magis conuenire. domus enim emitur propter vsum, non tamen vsus; emitur medicamentum ob valetudinem, non tamen ipsa valetudo.

Obiicitur Tertiò, Qui emunt prædium vel 29 equos ab iis qui iis carent, eaque rursus pro annua pensione iisdem fictis venditoribus locant, censendi sunt vsurarij: atqui non essent vsurarij, si ius ad personales annuas pensiones possent emere: ergo tales pensiones non possunt emi.

Respond.

Respond. Negando minorem, Primò, Quia non intendunt emere aliquem censum, sed accipere pretium fictæ locationis. quare cùm titulus sit planè confictus, ob quem expressè intendunt lucrum, nullo modo possunt illud lucrum percipere. Secundò, Quia intendunt repetere sortem, quam dederunt, quod non fit in censibus.

Obijcitur Quartò, Emptio census personalis non est aliud quàm emptio personalis debiti, successiuè soluendi, & Iuris personalis, ad illud exigendum; sed tale debitum & Ius, si nullum timeatur periculum, non minùs valet quàm res ipsa: ergo non potest emi minoris, quàm sint omnes pensiones speratæ.

30 Respondeo Primò Negando minorem; longè enim pluris communi hominum æstimatione censetur valere pecunia præsens, quàm actio personalis, seu ius ad illam sic per partes & per tanta interualla exigendam. cuius signum est, quòd nusquam inueniretur, qui tantum vellet pro tali iure soluere, si illud per modum mercis venale proponeretur. quòd si fortè aliquis inueniretur, cui perinde sit habere tale ius ac pecuniam præsentem, id non refert; quia communis hominum æstimatio pretium rebus & iuribus imponit. Accedit, quòd tale ius non pluris valeat, quàm ius reale in optimo & securissimo agro; quod tamen minoris æstimatur, quàm omnes pensiones, quæ inde sperantur, si simul essent.

31 *Potest Iuribus imponi commune pretium, ratione circumstantiarum, quæ ordinariè adsunt.*

Resp. Secundò, Cùm Ius personale ferè semper cum aliquibus periculis & difficultatibus sit coniunctum; & pecunia præsenti res fructiferæ possint emi, vel negotiatio cum magno lucro institui, meritò potuit communi hominum æstimatione vel Principis decreto, isti Iuri certum pretium imponi, omnibus istis circumstantiis probè expensis; quod pretium à quouis exigi possit, etiamsi fortè illæ circumstantiæ in ipso locum non habeant. non enim necesse est, vt omnes illæ causæ, ex quibus crescit communis æstimatio rei, in quouis locum habeant, vt suprà cap. 20. dub. 14. dictum est.

Obiicitur Quintò, Si hoc ius minoris valet, quàm pensiones speratæ: ergo qui dat mutuos 1600. aureos, potest exigere 1700. per partes reddendos, ita vt quotannis soluantur 100. (nam mutuans solùm acquirit ius ad 1700. sic soluendos, quod ius non valet pluris quàm pretium, nempe 1600.) atqui constat id esse vsurarium, sepositio lucro cessante, damno emergente, & omni periculo: ergo illud ius non valet minoris quàm pensiones.

32 Respondeo negando sequelam maioris: quia qui dat mutuò, non intendit emere aliquod ius; nec mutuatarius intendit aliquod ius vendere; (non enim proponitur hic aliquod ius per modum mercis vendibile) sed vterque tantùm intendit celebrare contractum mutui, ex cuius vi solùm potest exigi res eiusdem speciei & valoris; nec habetur ratio distantiæ temporis, si nullum inde sit periculum vel incommodum. pensiones autem 17. centenùm aureorum, sepositæ temporis distãtia, pluris valent quàm 1600. aurei. secùs est, quando ius aliquod per modum mercis exponitur venale. nã æstimatio mercium & rerum, quæ subiiciuntur contractui emptionis & vẽditionis, pendet ex variis circumstantiis, quæ communiter adsunt. & quamuis contingat aliquas respectu huius vel illius abesse, non ideò mutatur pretium lege vel communi æstimatione impositum. quare hoc ius emi potest pretio taxato. tanti refert quo modo quis contrahat. Cuius ratio est, quia vna 33
eademque res secundùm varios contractus variam æstimationem recipit; vt si illam vendas in auctione publica, minoris censetur valere, quàm si per manum periti mercatoris. simili modo si mutues operario 30. aureos, ea lege, vt iusto pretio pro te laboret, erit vsura, vt plerique DD. fatentur; si verò anticipato pretio eadem pecunia conducas ipsius operas, non erit; & tamen idem consequêris, etsi non plus pecuniæ exponas. si mutues 1000. aureos, accepto agro in pignus, nõ potes fructus percipere, nisi velis eos computare in sortem: si autem eadem pecunia agrum emas cum pacto retrouendendi, potes omnes fructus percipere, & posteà pretium totum repetere. neque metuendum, hoc modo vsuras palliatum iri; tum quia in censu non licet repetere sortem; tum quia nemo libenter in tot annos alteri credit.

Dvbitatio v.

Vtrùm emptio census perpetui irredimibilis, sit licita minore pretio, quàm sint pensiones speratæ.

Respondeo & Dico Primò, Emptio census 34
realis perpetui & irredimibilis licita est minori pretio, quàm sint pensiones speratæ. est communis sententia DD. Ioan. Mediæ q. 12. & 15. de vsura, Soti l. 6. q. 5. ar. 2. Couarr. l. 3. variar. c. 7. & aliorũ. Probatur, Quia res ipsa, seu dominium rei in qua census iste fundatur, est minoris pretij quàm fructus ex ea sperati: nam fructus, qui temporis successu percipiũtur, decuplo pluris valent, quàm res communiter æstimetur. atqui census realis nihil est aliud quàm pars illius iuris, quod in dominio continetur: ergo multò magis emi potest minore pretio quàm fructus. minus enim est habere censum super re, quàm eius dominium.

Census irredimibilis licitus.

Notandum tamen Primò, si res illa casu pereat, *Pereunte re, perit census realis.*
censum quoque concidere; id enim commune est omni censui merè reali. quia sicut pereunte re, dominium eius perit; ita etiam ius omne percipiendi fructus ex illa. vnde patet falli Couarr. *Couarr.* suprà num. 5. & 6. & Sotum suprà artic. 1. dum *& Sotus.* putant, re perempta non perire censum realem; (nisi contrarium in contractu sit expressum) 35
sed venditorem manere obligatum. ratio ipsorum est, quia putant rem censui subiectam, tà *Res subiecta censui reali non est propriè hypotheca.* qua dicitur census realis, esse veram hypothecam pro censu. atqui hypotheca pereunte vel in alium translata, adhuc manet obligatio personalis in priore debitore: ergo, &c. Sed hoc fundamentum non est verum, neque id quod ex eo infertur. nam census realis nihil est aliud, quàm ius percipiendi fructum vel pensionem ex re fructifera alterius. vnde se habet sicut ius seruitutis, quod quis habet in re alterius. v. g. ius eundi per prædium alterius, venandi, piscandi, colligendi glandes, & similia; ratione cuius iuris res non dicitur hypothecata pro illo iure. si enim res pereat, perit ius; si ad alium transferatur, prior dominus omni obligatione soluitur. quando autem res aliqua est hypothecata, tunc etiamsi pereat, vel in alium

alium transferatur, manet tamen obligatio personalis; quia hypotheca datur in securitatem alterius debiti, maximè personalis. Itaque dicere rem subiectã censui esse hypothecã pro censu, est omnes census facere personales. Quod confirmatur ex constitutione Pij V. Martini V. & Calixti III. de quibus inf. dub. 12. vbi expressè requiritur hęc conditio tamquam intrinseca censui reali, vt pereunte re, pereat etiam pro rata ipse census.

36 *Vsus hypotheca in censu reali.*

Notandum Secundò, In census realis irredimibilis emptione posse hypothecã exigi. sed hæc hypotheca nullũ habebit vsum, si res censui subiecta pereat; solumque ad hoc seruiet, vt si fortè debitor census nolit (re censui subiecta permanente salua) soluere pensiones, possit vendi hypotheca, vt ex ea solutio petatur.

Census pecuniarius irredimibilis.

Notandum Tertiò, non solùm fructuarium, sed etiam pecuniarium censum irredimibilem, posse in re fructifera fundari. ratio est, quia non tantùm res illa quam ager profert, censetur fructus eius, sed etiam pecunia illi æquiualens. sicut fructus domus, non solùm est vsus & habitatio, sed etiam pretium vsus. vnde sicut dominus agri non solùm ius habet ad agri segetem, sed etiam ad pretium ex segete capiendum, ita hoc ius vendere alteri in perpetuum potest.

37 *Census personalis irredimibilis licitus.*

Dico Secundò, Etiam emptio redditus personalis irredimibilis est licita, etsi pretium sit minus quàm pensiones speratæ. colligitur ex Medina, & Soto suprà. Probatur Primò, Quia minor est species vsuræ in hac emptione, quàm in emptione census personalis redimibilis, cùm nulla sit spes recuperandæ sortis. ergo si hic emi potest pretio minore quàm sint omnes pensiones speratæ, etiam ille potest. Secundò, Quia certum est, hominem sibi posse talem obligationem imponere, quæ ad heredes transeat secundùm hereditatis facultates: atqui hæc obligatio communi hominum iudicio est certo pretio æstimabilis, v. g. 30. aureis in singulos; cùm tamen plures sperentur recipiendi intra annos 40. Confirm. quia si vir aliquis opulentissimus tale onus sibi suisque posteris in perpetuum imponeret, illudque publicè venale proponeret, nemo tantũ offerret, nec tanti illud æstimaret, quanti omnes pensiones, si præsentes essent; sed longè minoris: atqui pretia rerum & iurium ex communi hominũ æstimatione pendent. Tertiò, Census realis irredimibilis pretium minus est, quàm sint pensiones speratæ: atqui sæpè fit vt census reales sint multò meliores & securiores quàm personales: ergo etiam pretium iustum personalis irredimibilis minus est, quàm omnes pensiones speratæ.

38 *Cẽsus realis cum pacto assecurationis nõ est minoris pretij, quã personalis irredimibilis.*

Nec obstat, quòd pretium census personalis irredimibilis maius esse debeat, quàm pretium census realis irredimibilis nudè consideratí, eò quòd venditor ibi maius onus sustineat: (etsi enim omnia eius bona pereant, non tamen perit obligatio huius census, cùm sit personalis; sed tantùm consopitur, donec melior fortuna obtigerit) quia si census realis annexum habeat pactum assecurationis, non est minore pretio dignus, quàm census personalis perpetuus: atqui pretium eius tunc est minus quàm pensiones speratæ; ergo etiam pretium census personalis.

39 *Obiectio.*

Dices, Nullum potest dari pretium censui irredimibili æquale: ergo eius emptio est iniqua. Antecedens probatur, quia si des 24. vel 25. vel etiam 30. in singula, intra totidem annos habebis sortem, & reliqua supra sortem accipies. Imò quantumuis sors sit magna, decursu annorum superabitur pensionibus.

Respond. Non emi ipsas pensiones, sed ius ad pensiones, quod communi hominum æstimatione æquiualet certæ summæ pecuniæ præsentis. vnde non refert quòd pensiones superent: quia hæ sunt instar fructuum illius iuris, quod primò & principaliter emitur, & cuius pretium vel lege publica, vel communi hominum æstimatione statuitur: alioquin non liceret emere agrũ certo pretio, quia fructus agri intra aliquot annos pretium superabunt. neq; census realem irredimibilem, ob eamdem causam; nam aliquot annis pensiones superabunt pretium. id tamen est contra praxim orbis, & communem sententiam DD.

DVBITATIO VI.

Vtrùm census temporalis possit emi minoris, quàm sint omnes pensiones simul iunctæ.

NOtandum est, temporalem dici, qui ad certum vel incertum tempus constitutus est, in cuius termino sponte extinguitur, sorte nõ refusa.

Resp. & Dico Primò, Qui ad incertum tempus constitutus est, (vt est omnis vitalitius) emi potest pretio, quod minus sit quàm pensiones speratæ. est communis sentent. DD. Gabr. in 4. d. 15. q. 12. art. 3. dub. 2. Maioris ibid q. 34. concl. 1. Medinæ de vsura, q. 14. Couarr. lib. 3. variat. c. 7. n. 3. & 4. & aliorũ. Probatur Primò, Quia quòd pensiones simul iunctæ superent sortem, id est fortuitum. sicut enim possunt superare, ita etiam superari, esseq; minores sorte; cùm valdè incertũ sit, an tot annos sit victurus is, super quem constitutus est. Nec obstat, quòd interdum multò probabilius sit esse diutiùs victurũ, ac proinde plures pensiones persoluturum: quia non emuntur pensiones, sed ius ad illas exigendas: quod ius minoris longè valet, quàm pensiones præsentes; tum ob commoditatem pecuniæ præsentis; tum quia multis modis tanto tempore fieri potest, vt nihil ex eo possit percipi. Secundò, Quia census vitalitius est res quædam æstimabilis communi hominũ iudicio, certo pretio; quod ferè semper minus est quàm pensiones speratæ; (nemo enim emeret censum, nisi id speraret:) atqui res omnis vendibilis, iustè emi potest pretio, quo cõmuniter æstimatur; ergo.

40 *Vitalitius census licitus.*

41

Notandum autem, hoc pretium, si census sit ad vitam vnius ætate florentis, alibi esse octonûm, alibi septenûm nummûm in singulos: si ad vitam duorum, denûm. quod enim in quauis Prouincia lege vel communi æstimatione est taxatum, præsumendum est esse iustum pretium, nisi contrarium sit euidens.

Dico Secundò, Probabile etiam est, eum, qui ad certum tempus constitutus est, v.g. ad 10. vel 20. annos, posse minoris emi. v. g. si quis vellet vendere pensionem 10. aureorum in decennium, probabile est licere emere 90. Tenet hoc Conradus q. 79. & 80. Couarr. cap. illo 7. nu. 4. Caietan. v. Vsura, sub finem. Nauarr. cap. 17. num. 230. & commentario de vsuris num. 71. vbi indicat, centum aureis posse emi pensionem annuam 10. au-

42 *Census ad certum tempus.*

reorum ad annos 15. & quidem si sit census realis, non videtur dubium. sicut enim emi potest ius percipiendi fructus seu emolumenta ex re fructifera alterius in perpetuum; ita etiam ad certum annorum numerum. quod ius semper æstimatur minoris, quàm emolumentum speratum, si præsens esset. Confirmatur, quia alioquin pluris valeret census temporalis quàm perpetuus. nã census perpetuus redimibilis emi potest denis senis nummis in singulos: hoc autem pretio non posset emi census temporalis ad 20. annos. Item census irredimibilis emi potest 30. nummis in singulos. atqui hoc pretio emi nõ posset census temporalis ad annos 33. quæ omnia per se absurda sunt.

43 *Personalis certi temporis.* Si autem loquamur de censu personali ad certum tempus, maius est dubium. tamen probabile est licitè emi minoris; ita enim docent Auctores citati Probatur Primò, Quia alioquin pluris valeret census personalis ad annos 17. vel 20. quàm reditus personalis, vel realis perpetuus redimibilis, imò quàm perpetuus irremedibilis, vt ostensum est.

Secundò, Quia non potest dari sufficiens ratio cur communi hominum æstimatione vel Principum lege non possit iuribus personalibus aliquod certum pretium imponi, spectatis omnibus circumstantiis, quæ communiter solent interuenire, quod pretium minus sit quàm res quæ in futurũ expectatur. vt enim hoc fiat, commune bonum videtur postulare, vt suprà ostensum est.

Obiectio. Dices, Ergo licitus est hic contractus, do tibi 180. aureos ea lege, vt per 20. annos mihi soluas quotannis 10. hoc autem est absurdum: nam sepositio lucro cessante & damno emergente, est aperta vsura: ergo.

44 *Alia ratio emptionis, alia mutui.* Respond. Si iste intendat emere censum, non erit iste contractus illicitus: quia intendit emere actionem personalem, quæ non pluris æstimatur in illa Republ. vti suppono. Si autem intendat solùm dare mutuum, erit illicitus: quia mutuum non datur pro iure; sed pro alia re simili in specie, eiusdem valoris. Simile erit, si dicat, Do tibi 180. aureos, vt per 20. annos soluas mihi annuè 10. aureos ex fructibus: nec minùs poterit hoc modo palliari vsura, quàm illo altero. verùm non est magnoperè timendum, ne hac ratione vsuræ inualescant, quia non desunt alij modi multò vtiliores. quamquam censeam omnino dissuadendum, si quis hoc modo vellet contrahere.

Dvbitatio vii.

Vtrùm census licitè possit emi minore pretio, aut vendi maiore, quàm fuerit ab initio constitutus.

45 *Si habeat pretium à lege.* Respond. & Dico Primò, Si census ille habeat pretium legitimum à Principe constitutum, nõ videtur posse emi minore pretio, quàm initio fuerit creatus: potest tamen vendi maiore. ratio est, quia taxatur pretium in gratiam venditorum, ne miseri venditores, qui propter inopiam coguntur censum vendere, & emptores rogare, minore pretio cogantur esse contenti: non autem ne maiore possint vendere, si emptorem inueniant. quare cùm pretium legitimum consistat in indiuisibili, non potest minus dari. vnde videmus in Belgio puniri eos, qui census, dum primò creantur, emunt minore pretio quàm 16. in singula: non autem eos, qui vendunt maiore, v. g. 18. vel 20. in singula.

Dices, Principis decretum tantùm est intelligendum de prima census emptione & constitutione, non autẽ de emptione secunda vel tertia.

Respon. Negando assumptum, nisi id exprimatur: dum enim in genere taxat census pretium, iubendo ne minoris emantur, videtur loqui de omnibus; sicut dum taxatum est pretium frumenti, non solùm in prima emptione seruandum est, sed etiam in sequentibus.

Aduerte tamen, in Belgio hoc non seruari: 46
nam passim videmus antiquos census emptos ad rationem 16. in singula, multò minore pretio vendi, Principe sciente nec contradicente: vnde videtur hac in parte consuetudo legi derogasse. Imò quibusdam locis ne in prima quidem constitutione pretium legitimum seruatur. emunt enim ad rationem 15 vel 14. vel etiam 12. in singula. quod quia permittitur à Principe, seu Concilio, non audim condemnare; meritò tamen deberet prohiberi. sed non multi inueniuntur emptores, quia solutio maligna.

Dico Secundò, Si census non habeat pretium 47
legitimum, vel si illud passim non seruetur, potest *Si careat pretio legitimo.*
emi minore pretio, quàm initio fuerit constitutus. ratio est, quia pretium vulgare nõ consistit in indiuisibili. vnde quod primò emptum est pretio summo, sæpè postea vẽditur pretio infimo. Accedit, quòd quando multi sunt emptores, qui quærunt census, pretium possit augeri; sicut è contrario, quando multi sunt venditores, & pauci emptores, minuitur, vt experientia in Belgio ab anno 1585. vsque ad præsentem, qui est 95. docuit.

Hinc sequitur, seposita lege positiua, posse ab 48
initio iniri pactum, vt si venditor velit redimere, *Pactum vt redimatur pretio maiore.*
teneatur redimere eo pretio, quo tempore redemptionis æstimabitur, & quo aliis tunc vendi posset. quòd si moraliter certum sit pluris valiturum, eò quòd hypotheca erit melior, vel quia plures erunt emptores, potest etiam pacisci vt pluris redimatur. Ordinariè tamen tale pactum lege positiua prohibetur, & Pius V. in sua constitutione illud prohibuit, statuens vt venditor eodem pretio possit redimere, quo primùm vendidit. Idem sanxit Carolus V. non solùm de censibus qui ab origine sua fuerunt redimibiles, sed etiam de omnibus irredimibilibus; exceptis censibus reseruatiuis, & piorum locorum, qui antè fuerunt irredimibiles; vt patet ex ordinatione ipsius, facta Bruxellæ anno 1528. die 21. Februarij.

Dvbitatio viii.

Vtrùm licitum sit emere censum cum pacto vt venditor, quando voluerit redimere, teneatur redimere eadem moneta:

VErbi gratia, Si emptus sit 100. coronatis in specie, vt teneatur totidem in specie vel quanti tunc in specie valebunt, refundere?

Resp. & Dico Primò, Id quibusdam euentis esse licitum. Primò, Si certum erat, æstimationem 49
mone-

Redimere eadem monera.

monetæ non esse mutandam. Secundò, Si vtrimque par erat dubium an esset augenda an minuenda. Tertiò, Si certum erat æstimationem augendam, & emptor statuerat pecuniam suam in illud tempus seruare: tunc enim ratione damni, quod patitur, pecuniam illam tunc exponendo, potest tale pactum apponere. Quartò, Si tanti emerem quanti emi solent irredimibiles; tunc enim non teneor reuendere. vnde possum exigere vt eadem moneta redimat, si redimere voluerit. hoc tamen non habet locum in Belgio. nam Carolus V. in sua ordinatione, qua census irredimibiles vult posse redimi eodem pretio quo primùm venditi sunt, statuit vt id fiat ea moneta, & secundùm eum valorem accepta, quem ipse vltimò imposuerat: non autem secundùm valorem antiquum. Vbi tamen non vetat, quin si monetam valdè excrescere contigerit, possit redimi secundùm eum valorem monetæ, quem pro tempore habuerit: non enim intendit venditores grauare, sed illis consulere.

50 Dico Secundò, Extra hos casus tale pactum non esse licitum. vnde si census redimibilis ematur pretio ordinario, & addatur pactum, vt venditor quando redimere voluerit, eadem moneta redimat, hoc pactum est iniquum, nec obligat in conscientia. Probatur, quia emptor non dat nisi pretium census absolutè consideratì, v. g. 16. in singula, & præterea imponit venditori graue onus, magno pretio æstimabile; pro quo onere, neque dat quidquam, neque ipse vicissim aliquod incommodum æquale in se suscipit. ergo non est æqualitas inter emptorem & venditorem. Confirmatur, quia quando emptori vel rei imponitur aliquod onus à venditore, quod non requiritur ex vi contractus; potest emptor exigere compensationem: ergo similiter quando ab emptore venditori onus imponitur, potest venditor præter iustum pretium census, compensationem illius oneris exigere, vt sit æqualitas.

Dvbitatio IX.

Vtrùm emptio census, cum pacto vt non possit redimi nisi ante vel post certum tempus, sit licita.

51 *Vt nõ possit redimi nisi ante certũ tempus.*

Respondeo & Dico Primò, Absolutè licitum est emere censum cum pacto vt non possit redimi nisi intra certum tempus; (v. g. intra decennium) ita vt si intra illud tempus non redimatur à vẽditore, fiat irredimibilis. Ita Gabriel d. 15. q. 12. a. 2. conclus. 4. Sotus suprà art. 3. Couar. l. 3. var. c. 8. n. 7. Medina de vsura, q. 15. dub. 1. §. Aduerte tamen. Probatur Primò, Quia talis emptionis exemplum habemus Leuit. 25. v. 29. vbi dicitur, *Qui vendiderit domũ intra vrbis muros, habebit licetiam redimendi, donec vnus impleatur annus. si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Iubileo.* Secundò, Tale ius est certo pretio æstimabile: ergo iustè poterit eo vendi. Tertiò, Licitum est emere censum irredimibilem absolutè; ergo etiam licitũ emere perpetuum irredimibilem sub illa conditione: nam illa conditio est in fauorem venditoris. Quartò, Quia sæpè potest esse iusta occasio tale pactum apponendi; vt si intra illud tempus occurrerent occasiones emendi res frugiferas, vel census irredimibiles, quæ putarentur non habendæ posteà; tunc enim ratione lucri cessantis, posset tale pactum apponere.

Notandum tamen, pretium talis census debere esse maius, quàm si semper maneret redimibilis; & minus, quàm si absolutè esset irredimibilis, vt per se patet. Item quò tempus illud, quo libertas relinquitur, est longius, eò debet pretium esse minus; & quò tempus illud est breuius, eò debet esse maius; vt rectè notauit Medina. 52 *Pretium huius census.*

Dico Secundò, Licitum etiam est emere censum cum pacto vt possit redimi post certum tempus, v. g. post decennium, ita vt antè redimi nequeat. Patet ex iisdem Auctoribus. ratio ferè est eadem: quia licitum est emere censum cum pacto vt perpetuò redimi possit, & cum pacto vt numquam redimi possit: ergo etiam cum pacto, vt ante certum tempus non possit; post autem illud tempus possit. hîc autem pretium eò maius esse debet, quò tempus est longius, quo redimere nõ licet; & eò minus, quò hoc tempus est breuius. quòd si tempus, quo non possit redimi, sit paucorum annorum, hoc onus plerumque est parui momenti. 53 *Vt nõ possit redimi nisi post certum tempus.* 54 *Pretium.*

Dvbitatio X.

Vtrùm licita sit emptio census vtrimque redimibilis.

Svppono licitam esse emptionem census redimibilis ex parte venditoris: (id est cum pacto, vt venditor possit redimere quando voluerit) tales enim sunt census, quos approbant Pontifices, vt infrà dicemus. Sed difficultas est, Vtrùm emptioni talis census possit adiici pactum in fauorem emptoris, nempe vt emptor possit illum reuendere, quando voluerit, vel resoluere contractum, recepto quod dedit. 55

Sotus l. 6. q. 5. art. 3. concl. 1. censet tale pactum esse vsurarium. ratio ipsius est, quia vbicumque datur pecunia cum pacto eamdem rursus recipiendi & aliquid vltra sortem, illic vsura vel patet, vel latet: atqui hoc fit dum das 1000. aureos, ea lege vt quotannis recipias 50. donec refundat sortem, & vt reddat illam, quando petes: ergo. *Redimibilis ex parte emptoris.*

Resp. tamen, contrariam sententiam esse probabilem, & speculatiuè veriorem, hanc enim tenet Gabriel d. 15. q. 12. art. 2. conclus. 4. & art. 3. ad 3. contra 4. concl. Conradus q. 84. post 5. conclus. §. Circa eam solutionem, & corollario primo, vbi docet, venditioni census posse apponi pactum multis modis, Primò, Vt neuter habeat potestatem resoluendi contractum. Secundò, Vt solus venditor habeat. Tertiò, Vt solus emptor. Quartò, Vt vterque, fructibus minimè in sortem computatis. Nec obstat quòd Gabriel in respon. ad 3. argumentum contra 4. conclus. addat: *Verùm hoc dico recitatiuè & probabiliter, sciens quosdam DD. notabiles hæc scripsisse. offero tamẽ examini peritorum.* Sic enim loqui solemus ad declinandam inuidiam, quando aliquid noui & receptæ opinioni aduersum ex nostra sententia proferimus. quamuis ibi etiam apertè fateatur sententiam illam esse probabilem, & à notabilibus DD. teneri. Simile quid addit Conradus; sed argumenta eius quæ in 5. concl. & in corol. 1. & 2. inculcat, 56 *Pactũ venditioni census variè apponi potest.*

culcat, satis indicant quid in animo probet. Idem expresè tenet Ioannes Medina qu. 15. de Vsura dub. 5. Petrus Arragon. q. 78. art. 4. & optimè Gregorius à Valentia 2. 2. disp. 15. q 22. puncto 6. & q. 25. puncto 2. vbi etiam refert eamdem sententiam à multis doctissimis Theologis Romæ in quadam consultatione, cui ipse interfuerit anno 1581. probabilem esse iudicatam; etsi ob periculum vsurarum minimè suadēdam. Probatur Primò, Venditor potest vendere censum cum pacto vt possit redimere quando voluerit, & vt emptor teneatur tunc censum seu litteras census reddere, vt omnes fatentur: ergo similiter emptor potest emere censum cum pacto, vt possit illum reuendere & reddere venditori, & vt tunc venditor teneatur illum redimere. consequentia patet à paritate rationis; si enim venditor potest sibi tale ius reseruare, & talem obligationem emptori imponere, ad rem, quam alienat, recuperandam; cur emptor non possit sibi simile ius reseruare, & similem obligationem imponere venditori, ad recuperandam pecuniam, quam alienat?

57 Dices, Esse disparitatem rationis; quia dare pecuniam cum obligatione ad eam reddendam, est mutuare, non emere: dare tamen rem aliam vendibilem pro pretio, cum obligatione ad illam restituendam, non est mutuare, sed vendere cum pacto redimendi: ergo est dispar ratio.

Dupliciter datur pecunia cum obligatione reddendi. Resp. Dupliciter posse dari pecuniam cum obligatione ad eam reddendam. Primò, si detur immediatè pro simili pecunia eiusdem valoris, cum obligatione vt illa post aliquod tempus reddatur; & tunc est mutuum. Secundò, si detur immediatè pro re aliqua vendibili, cum obligatione vt venditor illam rem post aliquod tempus redimat, & pro ea pretium restituat: & tunc est vera emptio. hoc modo fit in proposito; non enim emptor census dat pecuniam immediatè pro pecunia refundenda in redemptione, sed pro censu; neque obligat alterum vt reddat pecuniam pro pecunia accepta, sed vt recipiat rem, seu ius quod vendidit, & reddat pro ea iustum pretium.

Solutio cuiusdam. Quidam vir doctus prædictam rationem conatur infringere, negando imponi onus emptori, dum cogitur admittere redemptionem. Quia, inquit, venditioni censuum id per se coniunctum est, vt non habeat effectum perpetuum; ac proinde vt possit à venditore redimi. Secùs de venditione aliarum rerum. Rationem diuersitatis adfert, ex fine venditionis censuum & aliarum rerum. qui enim vendit censum, non intendit alienare rem aliquam, qua non indiget, sicut qui res alias vendit; sed in necessitate constitutus ne magis egeat, in bonis frugiferis sibi necessariis censum constituit, sperans se felicioribus annis exoneraturum. Intendit itaque censum redimibilem vendere; quod & emptor intendere debet. Hinc sequitur, inquit, si rem penitus inspiciamus, facultatem redimendi venditori reseruatam, non esse propriè conditionem grauantem emptorem, sed ipsi contractui natiuam.

Refutatur. Resp. Si illud ius venditori reseruatum, dicatur non esse onus emptori, eò quòd compensetur, dum minuitur pretium census, sic fateor non esse onus; sed simili modo dicetur non esse onus venditori, quòd emptor sibi ius reseruet, quia id compensatur aucto pretio. Quòd autem sit verum onus, patet Primò, Quia omnis obligatio in futurum quam quis magno cuperet redimere, est onus: atqui hæc obligatio quæ imponitur emptori, vt teneatur admittere resolutionem contractus censualis, est talis obligatio; ergo est onus. Secundò, Hæc obligatio potest ei esse valdè incommoda: quia etiamsi offerant se occasiones pretij vtilissimè impendendi, non tamen potest illud repetere, & tamen venditor potest illud refundere quando id ipsi erit inutile, vel damnosum, vt cùm pretium pecuniæ est auctum, vel cùm est magna pecuniæ copia, & nulla fructifera sunt venalia. Tertiò, Si vendam tibi agrum meum reseruato iure redimendi, impono tibi onus; ergo similiter si vendam tibi ius fructuum, v.g. 10. modiorum, in agro reseruato iure redimendi, censeor tibi onus imponere.

Illam obligationem esse onus.

Dices, Esse disparem rationem; quia est de natura census consignatiui, vt possit redimi pro voto venditoris. vnde non est onus distinctum. Sed hoc non est verum; nam plurimi sunt census, qui non possunt redimi, qui tamen sunt verissimi & perfectissimi census. Deinde census per se est ius percipiendi fructus ex re alterius, quòd absolutè translatum est perpetuum. Itaque verum non est hanc esse naturam censuum, vt possint redimi; aut venditioni censuum per se conuenire, vt non habeat effectum perpetuum. fateor plerumque census ita vendi, sed non semper; nec emptores tenentur tales emere, sed possunt exigere, vt redimi nequeant. tales enim ipsum Ius ciuile admittit tāquam minimè suspectos; & si non admitteret, saltem Ius naturę & gentium admittit; de quo nobis hìc est sermo. Loquimur enim de iustitia huius contractus spectato Iure naturæ & gentium. Neque peccant emptores contra iustitiam, etiamsi fini vendentis se non accommodent. parum enim ad iustitiam contractus & rerum æqualitatem refert, quo fine venditio fiat.

58 Secundò Probatur, Ideò venditor iustè potest emptori imponere obligationem reuendendi; quia hoc onus potest compensari, tantò minoris rem vendendo: atqui obligatio, quam emptor imponit venditori ad rem redimendam, potest similiter compensari ad æqualitatem, tantò pluris emendo: (non enim est infiniti pretij) ergo similiter potest imponi. Confirmatur, quia emptor census potest pacisci cum tertio, vt ille teneatur censum à se emere quando placuerit: ergo simile pactum potest inire cum venditore.

Obligatio illa potest compensari.

Dices, Nullus venditor sponte talem obligationem admittet; si ergo admiserit, coactè id faciet. atqui iniquum est cogere ad aliquam obligationem vltra naturam cōtractus. Deinde si illam obligationem redimendi suscipiat, peribit veritas emptionis, & ex emptione fiet mutuum. vnde ex vi mutui pensiones percipiet, quod est vsurarium.

Obiectio cuiusdam.

Resp. Primò, negando maiorem; quia illa obligatio ex æquo compensatur, dum emptor dat maius pretium soluendo 20. in singula, cùm alias sine tali obligatione non solueret nisi 16. in singula. Itaque illa obligatio non est venditori notabiliter onerosa. Confirm. Quia quando emptor volet resoluere contractum, facilè inueniet sortem vendendo alicui censum ordinarium, seu redimibilem ex parte venditoris. vnde patet illum minùs lædi tali censu vtrimque redimibili quàm censu ordinario. Deinde distinguo minorem. Dupliciter potest quis cogi ad aliquam obligationem

Resp.

vltra

vltra naturam contractus. Primò, Ex vi solius contractus principalis, absque iusta compensatione illius obligationis: & hoc est iniquum; neque hîc fit, vt ostensum est. Secundò, Per distinctum contractum, saltem implicitum, & iusta compensatione; & sic non est iniquum, sed iustum & quotidianum. possum enim nolle inire vnum contractum absque alio contractu.

Ad alteram rationem, Nego per hoc perire veritatem emptionis. Si enim ex eo quòd obligo venditorem ad restituendum pretium rei venditæ, quando cupiam contractum resoluere, emptio vertitur in mutuum; nulla emptio cum pacto retrouenditionis ex parte emptoris erit licita; nec emptor poterit lucrari fructus rei, sed tenebitur computare in sortem: quod falsum esse ostendimus cap. 21. dubit. 14. estque contra Couarr. & alios multos DD. Similiter in societate mercaturæ, contractus societatis & conductio operarum verteturin mutuum, si socius cui pecunia traditur, obligatur iusto pretio ad præstandum periculum sortis. Quod etsi Sotus concedat, Couarr. tamen & alij negant; & falsum esse ostendemus cap. 25. dub. 3. itaque non per hoc emptio vertitur in mutuum. Rationem attulimus suprà n 57. in respons. ad 1. replicam.

Pro obligatione potest peti mutua obligatio.

Tertiò, Si petas à me vt emam à te censum, possum vicissim à te petere vt emas post aliquod tempus à me domum, idque in pactum deducere: (nam pro obligatione licita, potest peti mutua obligatio) ergo similiter possum petere vt post aliquod tempus eumdē censum redimas. si enim possum in pactum deducere, teque obligare vt emas à me rem aliam; cur non etiam vt eamdem, quam mihi vendidisti, redimas?

Quartò, Hoc pactum potest addi emptioni aliarum rerum, v. g. agrorum, domorum, animalium, vt dictum est cap. 21. dubit. 14. cur non etiam emptioni censuum? vnde Couartuuias, dū lib. 3. variar. cap. 2. nu. 3. admittit hoc pactum in aliarum rerum emptione, & n. 4. negat in emptione censuum, *ἀσύστατα* docet.

59 Quintò, Pacta quæ seorsim fieri possunt, ita vt neutrum destruat alterum, etiam fieri possunt iunctim: (quæ enim seorsim iusta sunt, etiam simul iūcta sunt iusta) atqui hęc pacta seorsim fieri possunt. qui enim emit censum, redimibilem ex parte

Pretium huius census.

solius venditoris, 100. aureis, ei debentur quotannis 6. aurei & quadrans; sed hic potest inire pactum cum venditore vt quotannis non soluat nisi 5. aureos, & vt pro reliqua parte se obliget ad redimendum, quando emptori placuerit: illa enim obligatio videtur satis compensari, si quotannis condonetur pro ea vnus aureus & tres regales.

60 Hæ rationes satis probant, probabile esse, hoc pactum emptioni census realis apponi posse. nam sicut totum rei dominium emi potest cum pacto redimendi in fauorem vtriusque appositio; ita etiam ius fructuum, quod est veluti pars dominij. Si verò agatur de emptione census personalis, maior est difficultas. Sed Auctores citati etiam de hac intelligendi sunt: nam generatim loquuntur. Imò Gabriel, Medina, & Valentia expressè de hac agunt: & iisdem rationibus probatur: nam sicut census realis est ius quoddam certo pretio vendibile, ita & census personalis: vnde eædem rationes vtrobique locum habent.

61 Ex his sequitur, cùm in Belgio ematur communiter census personalis, redimibilis ex parte solius venditoris, 16. in singula, non fore illicitum (vbi lex positiua non obstaret) emere censum personalem vtrimque redimibilem 20. in singula. nam onus illud, quod imponitur venditori ad redimendum quando placuerit emptori, satis videtur compensari dum tantò pluris emitur. Confirmatur, quia non magis grauatur tali censu, quàm censu personali ordinario; imò minùs. qui enim vendidit talem censum, v. g. 100. aureis, quotannis non soluit nisi 5. aureos, & quando cogetur redimere, facilè inueniet pretium, vendendo alteri censum ordinarium 100. aureis, qui pendet sex aureos & quadrantem. itaque singulis annis vnum aureum & quadrantem minùs dedit in censu vtrimque redimibili, quàm debuisset dare si fuisset census ordinarius.

Pretium in Belgio talis census.

Hoc modo videntur posse excusari contractus 62 quidam valdè vsurati; quibus solet pecunia pupillorum tradi mercatori vel alteri pro vsura quincunce, id est, pro quinque in 100. & quamuis contrahentes non cogitent expressè de censu vtrimque redimibili; tamen videntur implicitè in illum consentire, dum is, qui pecuniam tradit, intendit hoc lucrum percipere omni modo quo iustè id fieri potest, & alter intēdit pro eo titulo, quo ille accipit, dare. qua de re aliquid dictum est sup. cap. 20. dub. 12. vide plura apud Valentiam disput. 5. q. 25. pun. 2. Verùm hic modus contrahendi meritò in posterum deberet vbique prohiberi.

Pecunia pupillorum & vsura pupillares.

Petes, Vtrùm licita sit emptio census cum pacto vt non possit redimi nisi velit emptor, & ipso volente debeat redimi? 63

Redimibilis pro solius emptoris arbitrio.

Resp. Ex natura rei esse licitam, modò iusto pretio fiat; quod sanè deberet esse maius, quàm pretium census absolutè irredimibilis. Ratio est, quia ex parte venditoris est absolutè irredimibilis, & prætereà imponitur obligatio venditori, vt eum redimat, quando emptor voluerit, quæ etiam est pretio æstimabilis. Potest tamen emptor pa- 64 cisci, vt si redemptio fiat, eodem pretio fiat, quo emptio facta est: quia potest pacisci vt resoluatur contractus. sicut enim dum emitur talis census, acquirit emptor censum & illam obligationem à venditore: ita etiam dum emptio resoluitur, restituit venditori censum & illam obligationem: ac proinde potest exigere pretium pro vtroq; datum. vide suprà cap. 21. num. 118. vbi alia ratio eaque solidior indicata.

Redemptio eodem pretio.

Dvbitatio XI.

Vtrùm alia quædam pacta, quibusdam locis contractui censuali addi consueta, sint licita.

PRimum est, Vt venditor semper teneatur ad pensionem, etiamsi res censui subiecta casu pereat. Quidam putant hoc pactū esse iniquum. Primò, Quia est contra naturam contractus censualis, qui postulat vt re pereunte, census pereat. Secundò, Iniquus esset contractus, si emerem à te agrum, annuè reddentem 10. mensuras, cum pacto vt si ager pereat, vel minus reddat, tenearis in perpetuum supplere ex tuis bonis vsque ad decem mensuras: atqui talis est emptio census cum illo pacto: ergo. 65

1. Pactum, etsi res pereat, soluendam pensionem.

66 *Non est iniquum.* Sed verius est, hoc pactum iniquum non esse, si iusto pretio compensetur. iustum autem pretium est, quanti illa obligatio cõditionalis iudicio probi & intelligentis viri, considerato periculo euentus, æstimabitur. si enim paruum vel nullum sit periculũ, paruo æstimabitur; si magnum, magno. Probatur Primò, Quia hîc sunt duo pacta, quæ seorsim iustè fieri possunt; vt si primò ematur iusto pretio cẽsus absolutè: deinde iusto pretio fiat pactum illud soluendæ pensionis in quouis euentu: ergo etiam possunt simul fieri; quæcumque enim seorsim sunt iusta, etiam iunctim iusta sunt. nõ enim ex vi vnius contractus, vltra iustum pretium obligat emptor venditorem ad alium; quod est illicitum: (vt dictum est c.20.dub.7.& 8.) sed non vult celebrare vnum contractum sine alio, quod potest licitè facere. potest enim se nolle obligare, vel applicare ad vnũ contractum, nisi alter se obliget, vel paratus sit applicare ad alterum.

Secundò, Pactum illud accessorium, est pactum assecurationis: atqui pactum assecurationis aliis contractibus addi potest; ergo etiam contractui census.

Tertiò, Istud pactum habet vim pacti census personalis: atqui census personalis est licitus, vt ostensum est dub.5. ergo etiam illud pactum. quo fit vt totus census emptus tali contractu, sit census mixtus ex reali & personali; vel certè, vt sit census realis cum pacto assecurationis. vt suprà dictum est dubit.4.

67 *Ad rationes.* Ad primum Respondeo, Pactum non est ita contra naturam contractus censualis, quasi destruat naturam contractus censualis; sed quia obligat ad aliquid, ad quod nullo modo obligat nudus contractus census realis; idque inducendo nouum cõtractum, nempe assecurationis vel census personalis. sic pactum retrouenditionis est contra naturam contractus emptionis, & tamen licitè ei additur.

Ad secundum, Ille contractus non est per se illicitus, quia est emptio agri cum pacto assecurationis fructuum in perpetuum: quod pactum est licitum. si enim fieri potest pactum assecurationis fructuum ad tempus, cur non etiam in perpetuum? item, si fieri potest tale pactum cum tertio, cur non etiam cum venditore agri?

68 *2. Pactum, legis commissoria.* Secundum pactum addi solitum, est, Vt si per biennium vel triennium pensio soluta non fuerit, res censui subiecta cadat in commissum, & in pœnã negligentiæ efficiatur domini census. Hoc pactum continetur implicitè in contractu emphyteusis, cui contractus censualis est aliqua ex parte similis. vnde huic etiam addi posset; præsertim contractui census reseruatiui. In contractu verò consignatiuo addi non potest, nisi ex æquo compensetur, aucto pretio census arbitrio prudentis: quia sicut in pignoribus pœna commissi est excessiua, (non enim par est, vt ob non solutum tempore præfixo paruum debitũ, amittas pignus aliquod pretiosissimũ) & ideò Iure prohibita, ea. Significate, de pignoribus: ita etiam in rebus censui subiectis (quæ sunt instar pignoris & hypothecæ) excedit iustum modum, nisi pretio compensetur.

69 *Quomodo possit apponi.* nunc enim poterit esse iusta. Posset tamen absque pretij augmento apponi pactum, vt si per biennium non soluerit, contractus resoluatur, & censuarius cogatur restituere pretium, vt notat Medina q.15. de vsura dub. vltimo; quia pactum legis commissoriæ tali modo in contractibus est licitum, vt suprà cap.21.dub.15. ostensum est.

Aduerte tamen, si absque culpa factum sit, vt debitor non soluerit pensionem, rem non debere censeri commissam: nam vbi non est culpa, locum non habet pœna. 70

Tertium pactum est, Vt debitor census non possit rem illam vendere, non requisito priùs illo, qui in ea censum habet, sicut in contractu emphyteutico. hoc pactum, etsi sit præter naturam contractus censualis, tamen non est iniquum. nam si res vendatur viro potenti, vel multis priuilegiis instructo, difficulter obtinebitur solutio pensionum. Vnde puto emptorem posse hoc pactum apponere absque augmento pretij: præsertim cùm Pius V. illud inter ceteras conditiones numeret, vt dub.12. dicetur. 71 *3. Pactum, vt res non vendatur irrequisito domino census.*

Quartum est, Vt si debitor rem vendat, teneatur decimam partem pretij dare emptori census. hoc iniquum est, nisi ex æquo compensetur; quia est valdè onerosum, & præter naturam contractus censualis. Possent tamen hæc tria vltima pacta locum habere, si prædium illud, vel rem aliam fructiferam (super quam alter census cupit vendere) iusto pretio emeres, & reseruato tibi dominio directo & censu annuo, dominium vtile in eumdem venditorem transferres, cum obligatione pensionis annuæ & decimæ partis soluendæ, si dominium vtile vendi contingeret, ceteriseque pactis; sicut fit in contractu emphyteutico. quia tunc hic esset verè contractus emphyteuticus post emptionem rei. Possent autem hi contractus volente venditore simul fieri. 72 *4. Pactum, de soluendo laudemio.*

Quintum pactum est, Vt non possit redimi per partes. hoc non est illicitum, imò est consentaneum naturæ contractus. nam in ceteris rebus, dum aliquid venditur cum pacto vt liceat eodem pretio redimere, non censetur venditor habere ius redimendi per partes. id enim posset cedere in graue incommodum emptoris: ergo neque in censibus. vnde nisi expressè conuenerit vt liceat per partes redimere, vel nisi Iura aut consuetudines id concedant, (omnis enim contractus censetur celebrari secundùm consuetudinem loci, nisi aliud exprimatur) non poterit venditor nolente emptore sic redimere; sed tenebitur redimere totum simul, sicut totum simul vendidit. 73 *5. Pactum, non redimendum per partes.*

Dvbitatio xii.

Quæ conditiones Iure positiuo requirantur in emptione censuum.

74 *Quid Iure naturæ necessarium.* HActenus explicuimus quænam Iure naturæ sint necessaria vt emptio census sit iusta; & ex omnibus hactenus dictis sequitur, nihil aliud esse necessarium, quàm vt sit æqualitas secũdùm æstimationem inter censum & pretium; & si aliqua grauamina hinc inde præter naturam contractus per pacta accessoria imponantur, ea prudentis arbitrio debitè compensentur.

Conditiones Iuris positiui. Restat igitur vt breuiter explicemus conditiones, quas requirit ius positiuum, maximè Canonicum seu Pontificium. cùm enim ex hoc contractu (propter proclivem ex eo lapsum ad vsuras) facilè possit animarum saluti periculum creari, pertinuit ad Summum Pontificem huic occurre-

currere,& statuere quæ conditiones sint in eo ser-
75 uandæ. Igitur Martinus V. anno 1423. & Ca-
lixtus III. anno 1455. in suis Extrauagantibus,
tit. de emptione, varias referunt conditiones ob-
seruari solitas in Polonia & Germania, quas ad
octo reducit Nauarrus comment. de vsuris, n. 72.
quas tamen hi Pontifices non requirunt vt ne-
cessarias ad iustitiam census (vt quidam opinati
sunt;) sed dumtaxat affirmãt, census eos, qui hasce
conditiones haberent, iustos esse & licitos: de hoc
enim consulti erant. vnde ex hisce Extrauagan-
tibus statui nequit quæ conditiones ad iustitiam
censuum sint necessariæ. Imò Sotus lib. 6. qu. 5.
art. 1. censet nullam illarum esse necessariam,
præter illam iusti pretij, & vt venditor ad census
redemptionem non cogatur.

Conditiones censuũ Martini V. & Calixti III.

Conditiones autem positæ ab his Pontificibus
sunt istæ. Prima est, vt certam rem immobilem
& fructiferam designet venditor, cui censum im-
ponat. Secunda, Vt illa sola maneat obligata so-
lutioni census; non autem ipsius persona, aut alia
bona. Tertia, Vt pretium iustum soluatur, quod
possit esse 10. 11. 12. vel 14. in singula annua; vel
plus aut minus secundùm temporum qualitatem.
Quarta, Vt pretium statim soluatur pecunia præ-
senti. Quinta, Vt venditori liberum sit censum
eodem pretio redimere, siue totum simul, siue per
partes. Sexta, Vt venditor ad redimendum non
obligetur. Septima, Vt re, super qua census est
constitutus, pereunte, ipse quoque pereat. Octa-
ua, Vt pensiones non superent æstimationem fru-
ctuum rei, in qua census est constitutus. Sed cùm
Pontifices non dicant has esse necessarias, non
potest hinc ad propositam dubitationem respon-
deri. Itaque Pius V. anno 1596. edita Constitu-
76 tione, multas conditiones requirit, & iubet ser-
Conditiones Pij V. uari in contractu censuario, sine quibus decernit
ipsum contractum irritum & fœneratitium ha-
bendum, hanc refert & explicat Nauarrus com-
ment. de vsuris, n. 84. & sequentibus. & Thomas
Boninsignius, tract. de censibus cap. 4. & sequen-
tibus. Sunt autem vniuersim conditiones 14.

77 Prima est, Vt census constituatur super re im-
1. Cõditio, super re immobili. mobili, aut quæ pro immobili habeatur, naturâ
suâ fructifera, & certis finibus designata, & nul-
lo modo aliter.

Vbi Notandum Primo, Tales res censeri agros,
domos, flumina, siluas, montes, portus, ripas, fo-
dinas metallicas, & similes, ex quibus emolu-
mentum percipitur Item censum ipsum; habetur
enim pro re immobili, (vt expressè dicitur Extra-
In alio censu. uag. Exiui. §. Cumque annui redditus, de verb. si-
gnific.) & fructifera. vnde super ipsum alius cen-
sus fundari potest, vti videmus supra census re-
gios & iura vectigalium, alios constitui. debet au-
tem ille census, super quo alius fundatur; esse ir-
redimibilis: si enim esset redimibilis, eo redẽpto
periret census in eo fundatus, vel maneret perso-
nalis. si tamen in hoc euentu venditor, qui secun-
dum in primo fundauit, paratus esset eum in alia
re fructifera collocare; putarem non esse illici-
tum in censu redimibili alium censum fundare.

78 Notandum Secundò, Illam rem debere esse
certis finibus designatam, ne super omnia bona
præsentia & futura census constituatur. talis enim
videtur esse personalis, eiusque totum periculum
reijci in venditorem, quem Pontifex hic inten-
dit prohibere.

Ex his patet, hîc excludi omnes census perso-
nales, & etiam mixtos, siue hypothecam habeant,
siue non; quia obligatur implicitè persona. vide
Nauarrum à num. 85. & deinceps.

Petes, Quid si res censui supposita non possit
obligari, vt si sit primogenij vinculo obstricta, vel
aliena?

Resp. Si emptor ignorabat rem esse talem, po- 79
test exigere pensiones, pro eo tempore, quo igno- *Res aliena, vel vinculata.*
rauit. Ratio est; quia venditor celans vitia rei ven-
ditæ, tenetur emptori ad interesse, L. Iulianus. 13.
ff. de action. empti. Ita Nauar. nu. 118. Postquam
autem sciuerit, non potest in posterum eas exige-
re, quia census in re non subsistit: (nemo enim in
rem alienam inuito domino, aut vinculatam, ius
alteri vendere potest) potest tamen eum cogere vt
censum in alia re æquè bona constituat, vel vt pre-
tium restituat. Si autem sciebat vel suspicabatur
rem esse alienam, non potest pensiones exigere.
Ita Nauarr. nu. 119. Ratio est, quia neque ratione
contractus censualis, vt qui non subsistat: (sicut
qui emit boues ab aliquo, sciens non esse ipsius,
& eosdem illi locat, non potest exigere pretium
locationis, quia locatio non subsistit:) neque ra-
tione interesse; nam venditor non tenetur ei de
euictione (cùm emptor sciens & volens eam e-
mat) ac proinde non est ei causa vllius interesse,
vt patet ex L. Si fundum. 27. C. de euictione.

Secunda conditio est, Vt non fiat nisi numerato, 80
& accepto iusto pretio, idque tempore contractus *2. Vt pecunia numeretur.*
& coram Notario, & testibus. Notandum ex Na-
uar. n. 88. in foro conscientiæ posse anticipari so-
lutionem pretij: (vt si venditor cupiat debitum,
quod mihi debet, computare in partem sortis, vel
etiam in totã sortem:) quamuis in foro exteriori
id non permittatur, propter suspicionem fraudis
vsurariæ. Idem docet Boninsignius cap. 5. nu. 5.

Tertia est, Vt non fiat, nec in pactum deduca- 81
tur anticipata solutio, id est, vt venditor non co- *3. Vt pensio non anticipetur.*
gatur soluere pensionem, nisi pro rata temporis
elapsi. ex quo patet, emptorem, dum pretium nu-
merat, non posse ex eo detrahere pensionem pri-
mi anni, per modum anticipatæ solutionis, aut
elapsa parte temporis exigere amplius quàm pẽ-
sionem illi parti respondentem. hæc conditio et-
iam Iure naturæ est necessaria; nisi hoc onus alia
ratione compensetur.

Quarta est, Vt conuentiones directè vel indi- 82
rectè obligantes ad casus fortuitos, ad quos ex *4. Pacta de casu fortuito.*
natura contractus non tenetur, non valeant. vt si
emptor obliget venditorem, vt ipse (etsi casu rem
subiectam vel fructus contingeret perire) nihilo-
minùs teneatur soluere. cùm enim in censu reali
solùm vendatur ius ad fructus rei; si casu nulli
fructus sint, nihil ex vi contractus debetur. si ta-
men sint aliqui fructus, hi debentur emptori cen-
sus: nec dominus rei quidquam ex illis percipere
potest, nisi integrè emptori sit satisfactum.

Quinta est, Vt non fiat pactum restringens li- 83
bertatem alienandi rem censui suppositam, neque *5. Pactum de non alienãdo, & de laudemio soluendo.*
venditor cogatur emptori census soluere laude-
mium; id est, quinquagesimã vel trigesimam par-
tem pretij illius rei alienatæ. Ratio est, quia cùm
emptor non habeat dominium directum rei, sed
solùm ius quoddã ex ea percipiendi aliquos fru-
ctus, vel aliquid fructibus illis æquiualens, non
postulat natura huius contractus, vt res non pos-
sit liberè vendi. nam obligatio census semper il-

lam comitatur,& cum ea transit ad alium dominum, sicut obligatio hypothecæ transit cum re hypothecata. vnde sicut res hypothecata liberè vendi potest à domino, ita & res censui subiecta. Laudemium autem non debetur nisi domino directo, in huius dominij recognitionem, vt infrà cap.24.dub.8.dicetur.

84 *6. Vt offerat rē domino census, &c.* Sexta est, Vt dominus rei censuariæ, si illam vendere velit, indicet domino census pretium & conditiones,quibus res est vendenda;& per mensem expectet,num ipse velit emere, eumque aliis præferat; nempe iis qui anteà non habebant ius prælationis, vt notat Nauarrus n.127. Hæc conditio poterat omitti; quia non pertinet ad contractum censuarium, sed ad emphyteuticum, vt idem testatur num.92.non tamen deest causa cur meritò possit exigi, vt dictum est dub.11.

85 *7. Pœna cōmissi, aut interesse.* Septima conditio, Vt non fiat pactum,quo venditor census incidat in vllam pœnam ob moram solutionis pensionum; vt in pœnam commissi seu amissionis rei censuariæ, aut interesse lucri cessantis, aut aliquarum expensarum.

Notandum tamen, si ex dilatione solutionis damnum emptori, seu domino census obuenerit, Iure naturali debitorem teneri;sed hoc non potest in pactum deduci ob fraudem vsurariam:potest tamen postea exigi tamquam debitum. Idem dicendum, si emptor aliquas expensas in solutione adipiscenda coactus fuerit subire, idque ex culpa debitoris. Similiter si ex mora lucrum ei cesset. Hoc tamen iuxta quosdam, quos sequitur Molina disp.390.intelligendum de lucro intrinseco;vt si tenebatur soluere triticum, dum valebat duos aureos,& tanti erat à creditore vendendum. Sicut enim in emptione & venditione, qui est in mora, vel rei tradendæ, vel pretij soluendi, non tenetur nisi ad interesse lucri intrinseci, nō autem extrinseci; (quale est, quod per industriam negotiationis, vt transportatione in alium locum, percipere-tur) vt colligitur L. Si sterilis.21.§.Per venditorem.ff.de actionibus empti; ita nec in contractu censuali;quia hîc est emptio quædam & vēditio: & solutio pensionum est veluti partialis traditio rei emptæ.de quo vide Nauarr.n.93.116.& 138.

86 *Interesse intrinsecū & extrinsecum.*

Verùm etsi hoc in foro externo locum habere possit; tamen in foro conscientiæ videtur etiam ad interesse extrinsecum, cuius ipse per moram iniquam est vera causa,teneri. si enim ex eo, quòd statuto tempore mihi non soluas triticum, contingat mancipia mea mori, quibus ego alia ratione succurrere non potui; cur non tenearis ad eorum æstimationem? & tamen hoc est interesse extrinsecum, vt patet ex d. L. Si sterilis.vide suprà cap.21.num.102.

87 *8 Non augeatur pensionibus.* Octaua conditio est, Vt ex pensionibus cessis non augeatur census iam constitutus. quod intellige,antequam illæ re ipsa solutæ fuerint; secùs cùm fuerint solutæ: nam ex pecuniæ numeratæ additione augeri potest: sic enim ab initio est constitutus. Nauarrus num.94.

9 Pacta oneris extrinseci. Nona est, Vt non fiant pacta, quibus cogatur onera aliqua soluere is, qui ex natura contractus ad ea non tenebatur: vt si consuetudo sit, vt emptor aliquid soluat fisco;non potest obligari venditor,nec contrà. vide Nauarr. n.94.& 132.

88 *10. Re pereunte,perit census.* Decima est, Vt re in totum, vel in partem perempta,vel effecta infructuosa, pro rata pereat census.

Vbi Notandum est Primò,Hanc conditionem intelligendam esse de re, quæ in perpetuum periit vel infrugifera est reddita, siue tota, siue ex parte: tunc enim tantummodò census perit pro rata. si enim ad tempus pars aliqua rei pereat, vel infrugifera sit reddita (vt si eam flumen ripis perfossis occupauit) non perit census ex parte, sed totus manet. vnde si reliqua pars aliquid ferat, ex ea debetur solutio integra. Etsi enim census totus ita fundatus sit in agro toto, & pars in parte agri, vt pereunte parte, vel in perpetuum reddita infrugifera, pereat census pro rata: hoc tamen non est ita accipiendum, quasi re manente salua & ad tempus ex parte infrugifera, non debeat pars pensionis illi respondens solui: quia si res secundùm nullam sui partem sit absolutè in perpetuum infrugifera effecta, manet secundùm se totam, & secundùm omnes sui partes obligata pro tota pensione: quod omnium confessione verum est, quamdiu tota res censui subiecta,manet in dominio vnius. *Si ad tēpus solùm perit vel infrugifera redditur.*

Sed dubium est, Si res diuidatur in plures heredes, vel vendatur pluribus per partes, vtrùm à singulis possit dominus census exigere totam pensionem? Couarr.lib.3.variar. c.7. nu.7.negat; quia istæ obligationes sunt in rebus. diuisis igitur rebus, diuiduntur obligationes. 89 *Res diuisa non diuidit censum seu obligationem.*

Sed contrarium est verius, vt docet Nauarrus num.114.quia conditio creditoris non debet fieri peioris conditionis ex heredum multiplicatione. Deinde quia nemo vellet tali conditione censum emere.quare dicendum est,obligationem non diuidi, quamdiu res salua manet;sed totam manere in tota re, & quodammodò in singulis partibus; ita vt ex quauis totam solutionem possit accipere. & hoc vsus ipse satis comprobat.

Notandum Secundò, Non esse illicitum paciscí, vt semper pensio integra soluatur, re salua manente,etiamsi interdum ob sterilitatem vel casu minus ferat:modò tamen tàlis sit, vt aliàs tantumdem amplius ferat,ita vt illud alio anno compensetur. 90 *Pactum vt pensio semper sit integra, licitū.*

Notandum Tertiò, Si dolo aut culpa censuarij res destruatur, teneri eum reddere pretium census, aut illum super alia re immobili constituere. quòd si res destructa (v.g.domus,molendinum) instauretur, non est ipsa censui subiecta, nisi de nouo ei supponatur;quia est distincta à priore. Ita Nauarr.n.118.In hoc tamen est spectanda consuetudo loci,quia multis locis vsus est contrarius. 91 *Res noua, non est subiecta.*

Vndecima conditio est, Vt semper eodem pretio, quo emptus est, possit redimi, nec fiant vlla pacta, quibus directè vel indirectè talis facultas adimatur. 92 *11. Redimendus eodem precio.*

Notandum est Primò,Hîc reiici census irredimibiles,non quidem omnes; (iuxta Nauar.n.98.) sed eos,qui non emuntur multò pluris quàm redimibiles; hi enim sunt iniqui. qui verò iusto pretio emuntur, cùm per totum orbem Christianum sint receptissimi,per iustam ἀπείκειαν possunt excipi; vt ibidem rectè docet Nauarr. non enim credibile est, Pontificem tam generalibus verbis, tam obiter,census tam receptos velle tollere,præsertim cùm in illis cesset omnis præsumptio vsuræ.Reiiciuntur etiam census temporales, (v.g.ad decennium) quibus adiicitur pactum, vt si intra certum tempus non redimantur,fiant irredimibiles. Ita Bonnsignius cap.14.n.9. *Non prohibētur irredimibiles.*

Notan-

93 *Non per partes, præsertim minutas.* Notandum Secundò, Non teneri emptorem permittere venditori, vt censum per minutas partes redimat, quamuis id in censibus Martini V.& Calixti III. concessum esset. hoc enim Pontifex non requirit hoc loco, & meritò: quia id posset esse valdè incommodum emptori: qui si integram summam perciperet, vel bonam eius partem, posset prædium vel aliam rem fructiferam comparare. Ita Thomas Boninsignius ca.14.n.11. quare posset in pactum deduci vt non redimat, nisi totum simul, vel notabilem partem.

12. *Vt moneat emptorē, &c.* Duodecima est, Vt venditor volens redimere censum, moneat emptorem ante bimestre,& post denuntiationem poterit cogi intra annum vt redimat; elapso anno non poterit cogi.

94 13 *Nō posse repeti sortem.* Decimatertia est, Vt emptor non possit abinuito venditore pretium repetere. ex hac conditione sequitur, omnes census esse perpetuos, seu irredimibiles ex parte ementis, quamuis ex parte vendentis semper sit libera redimendi facultas: nisi sit census irredimibilis iusto pretio comparatus, vt dictum est conditione 11.

95 14. *Vt pretium non augeatur.* Decimaquarta conditio est, Vt pretium census semel constitutum non possit augeri vel minui ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens. hoc intellige, non posse fieri in grauamen vendentis. hic enim semper eodem pretio potest censum extinguere, quo vendidit. Vtrùm autem alteri, maiori vel minori pretio, quàm initio emptus fuerit, possit vendi, dictum est suprà dubit.7.

96 *Circa Bullam obseruanda.* Circa has conditiones Notandum Primò, Eas non extendi ad contractus ante Bullam factos, sed solùm post illam faciendos. Secundò, Solùm extendi ad eos contractus, qui fiunt per modum emptionis & venditionis, in quibus dato pretio, census constituitur; non autem ad eos, qui fiunt per contractum donationis, aut dotis constituendæ, aut per viam legati, fideicommissi, vel alterius vltimæ voluntatis. vt notant Boninsignius suprà cap.18.& Nauarr.num.98.

97 *Vsura Iuris humani non datur.* Tertiò, Contractus sub alia forma in posterum celebrandos, à Pontifice iudicari fœneratitios. quod intellige, saltem quoad præsumptionem fori externi: nam ex parte rei fieri potest vt non sint fœneratitij. Quidam ex illis verbis colligunt, dari vsuram Iuris humani, vt datur simonia Iuris humani. Ita Boninsignius cap.17. Ratio est; quia potest Pontifex absolutè prohibere formam aliquam contractus, in qua est species quædam seu similitudo vsuræ, & efficere vt ille contractus sit necessariò vitandus ob periculum vsuræ; ita vt si quis post talem prohibitionem non vitet, committat peccatum vsuræ. Sed contrarium est verius. Ratio est, quia vsura non est, nisi vbi ex parte rei est inæqualitas contra Iustitiam: sed fieri potest, vt in contractibus aliter celebratis, quàm hæc Bulla postulat, nulla sit inæqualitas iustitiæ contraria, (vt si debitum aliquod conuertatur in censum: si non fiat coram Notario, & testibus, &c.) ac proinde vt nulla sit vsura. De simonia est alia ratio; quia dum aliquis contractus prohibetur ob reuerentiam rerum sacrarum, committitur peccatum irreligiositatis, si quis illum attentet. sed de hoc alibi.

Quartò, Quidquid expressè vel tacitè contra has conditiones dari, remitti, aut dimitti contigerit, à fisco vindicari posse. Ita habet Bulla.

Dvbitatio XIII.

Vtrùm hæ conditiones obligent vbique.

Respondeo & Dico Primò, Has conditiones vi Bullæ non obligare, vbi illa non est promulgata vel recepta. Probatur Primò, Quia probabile est non solùm leges Imperatorias, sed etiam Pontificias non obligare, nec vim irritandi habere, nisi sint promulgatæ in Prouincia; vt ostensum est 1.2.q.90.art.4. Secundò, Quidquid sit de aliis quibusdam constitutionibus Pontificiis; non est credibile, suam Sanctitatem velle, vt hæc Bulla, quæ tot nouas & Iure naturali minimè requisitas conditiones continet, circa contractum ciuilem obseruandas, in aliis Prouinciis vim habeat ante promulgationem in iisdem factam; nam ex contrario sequerentur grauissima incommoda: infiniti enim contractus bona fide celebrati, essent irriti, cum maximo plurimorum damno. tenerentur enim plurimi, omnes pensiones receptas computare in sortem; & multi amissa sorte deberent etiam aliquas pensiones refundere: (idque absque vlla sua culpa) qui tamē cum pari vel maiore lucro eam in rem fructiferam vel negotiationem impendissent, si contractum censualem irritum esse putassent. neque enim ex sola promulgatione Romæ facta passim potuit innotescere noua illa ordinatio; sed paucissimis tantùm: atqui ratio postulat legem eo modo promulgari, vt commodè & humano more possit innotescere omnibus, ne (quantum est ex parte legislatoris) subditi damnum incurrant ex ignorantia; neque se iustè possint excusare, si non obseruent. Tertiò, Quia etiamsi lex sit promulgata, si tamen ipso vsu & moribus vtentium non recipiatur, nec Superiores instent, & curent executioni mandari, non obligat, vt docet Nauarr.lib.1.consil.5.tit.de constitutionib.& in Enchirid c.23.n.41.& Couarr. lib.2.variar.cap.16.n.6.vel certè desinit post decennium obligare. decreta enim Concilij generalis, quæ per decennium in aliqua Prouincia non sunt recepta, amittunt vim suam, & desinunt obligare, vt idem docet lib.3. consil.83. tit. de Regularibus. Sed de his plura suo loco.

98 *Nō obligat, vbi non est promulgata.*

Ex his sequitur, has conditiones non obligare in Belgio; tum quia numquam hîc promulgatæ: tum quia contrarius vsus semper perseuerauit. Idem credo de Gallia & Germania. Addo nec in Regno Siciliæ vim habere. ibi enim concessum est primùm à Nicolao V. deinde à Gregorio XIII. vt cum tribus conditionibus possint census emere. quarum Prima est, Vt constituatur super re aliqua certa, vna vel pluribus, & posset addi generalis obligatio omnium bonorum. Secunda est, Vt venditor possit redimere quando voluerit. Tertia, Vt census non excedat decimam partem sortis, seu pretij. habentur hæc in Bullario nuper edito à Gregorio XIII. vnde patet, non vbique censendos esse vsurarios omnes census aliter constitutos, quàm in Bulla Pij V. præscribitur.

99 *Non obligat in Belgio.* *Nec in Sicilia.*

Dico Secundò, Vbi Bulla Pij V. est promulgata & recepta, est omnino seruanda in foro conscientiæ; idq; eatenus quatenus recepta est. omnis enim lex iusta & recepta obligat in conscientia. hæc autem talis est: ergo. quòd si ex

100

parte

parte solùm recepta sit, prout visum fuit expedire bono publico regni, etiam ex parte dumtaxat vim obligandi habet. sed de hoc vide Nauarr. de vsuris, num. 106. & 107.

101 Dico Tertiò, Vbi hæc Bulla non est recepta, seruandæ sunt leges & consuetudines ibidem vsitatæ, quæ tamen legi diuinæ vel naturali non repugnent. vbi autem nulla esset certa consuetudo habens vim legis, satis est seruare legem naturalem, quæ tantummodò requirit æqualitatem inter censum & pretium.

Vbi nulla est certa lex vel cõsuetudo.

Dvbitatio XIV.

Quomodo constituendum sit iustum pretium censuum?

102 *Iustũ pretium.* Respondeo, illud optimè constitui ex proportione pretij rerum fructiferarum, vt agrorum, domorum, siluarum, & similium. quo enim pretio emi potest res frugifera, quæ deductis expensis quotannis reddat 100. aureos; eodem, & etiam minore, iustè potest comparari census realis irredimibilis, tantumdem pendens. Ratio est, quia amplius est habere plenum rei dominium, quàm solùm ius percipiendi tantumdem fructuum, quantum res illa solita est ferre. quòd si census irredimibilis eo pretio emi potest; multò minore poterit census redimibilis, etiam personalis, quia longè minoris æstimatur quàm irredimibilis realis; imò sæpè non pluris quàm redimibilis realis, in bono fundo constitutus. Considerandum etiam est, vtrùm in ea Prouincia multùm vigeat negotiatio; hæc enim facit pecuniam præsentem pluris æstimari, & census minoris: denique sitne copia an inopia pecuniæ. nam inopia pecuniæ facit census vilescere; vt experientia superiorum annorum in Belgio docuit.

103 *Pretiũ Irredimibilis.* Ex his fit vt pretia censuum pro varietate temporum & locorum sint varia. nam pretium census irredimibilis in Hispania est 28. 29. vel 30. aureorum in singulos, vt testantur Medina & Nauarrus. cùm enim pretium huius non sit lege præscriptum, est varium: sicut & aliarum rerum, quæ pretio vulgari venduntur. vnde fit, vt nunc infimo, nunc medio, nunc summo vendantur.

104 *Pretiũ Redimibilis.* Pretium verò census realis redimibilis est lege taxatum, estque 14. in singula. In Sicilia tamen huius pretium est solùm 10. in singula, quod approbauit Nicolaus V. & Gregorius XIII. pro Sicilia. Calixtus quoque III. & Martinus V. idem approbarunt in censibus realibus pro Polonia & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est cõsuetudo vel æstimatio, vt patet ex illorum Extrauag. Aliquando est 11. vel 13. vt patet ibidem. Hinc patet, non debere iniquam videri emptionem censuum personalium cum hypotheca, pretio 16. aureorum in singulos. nam hi census, vt experientia docet, ordinariè non sunt securiores quàm census reales, qui tamen multò minoris emi possunt. Deinde eo pretio ferè potest emi prædium, quod tantumdem reddat. Denique quia ita viget negotiatio, vt multi parum curent census personales. nam facilè tantumdem & amplius lucrari possunt per tres contractus in societate mercatorum, idque absque vlla molestia. Census irredimibiles in Belgio non habent pretium legitimum, nec possunt de nouo creari, vt patet ex constitutione Caroli V. anno 1528. Bruxellæ facta. reseruatiui tamen vendi possunt pretio 25. in singula, vel etiam minoris. 105 *Pretium in Belgio.*

Dvbitatio XV.

Vtrùm si census emptus fuerit minoris iusto, pensiones sint restituendæ, quatenus superant pretium datum.

106 Quidam docent pensiones restituendas: vt si census valentem 15. aureis in singulos, emeris 10. restituendum esse tertiam pensionum perceptarum partem, iuxta ea quæ dicta sunt cap. 21. dubit. 13.

Si pretium constitutũ cum clausula irritante. Sed vtendum est distinctione. Si enim pretium census est lege constitutum, cum clausula irritante contractum; tunc necessariò sunt restituendæ pensiones, qua parte excedunt iustum pretium. ratio est, quia contractus, qua parte census superat pretium, est irritus; ac proinde non subest vllus titulus, quo recipiatur ille excessus pensionum. itaque qui censum valentem 15. emit 10. debet restituere trientem, id est, tertiam pensionum partem. poterit tamen duas tertias retinere, quia respectu illarum pretium est iustum; ac proinde contractus validus. non enim lex irritare intendit contractum illum, nisi qua parte pensiones superant pretium iustum. Si verò pretium non sit lege constitutum, vel saltem non cum clausula irritante, tunc dubium est. Quidam enim putant, 107 nihilominùs excessum illũ pensionum restituendum; iuxta ea quæ dicta sunt cap. 21. dub. 13. de fructibus restituendis; quæ sententia est probabilis, ob rationes ibi allatas. Contrariam tamen puto veriorem, Nempe nihil ex pensionibus esse restituendum: sed tantùm pretium esse supplendum, & interesse (si quod ex carentia iusti pretij obuenit venditori) compensandum. Ita Ioannes Medina q. 15. dub. 4. §. Sed pone. Probatur, quia venditor non est fraudatus ex eo quòd emptor pensiones perceperit (vt quæ ipsi erant debitæ ex valido contractu) sed quòd iustum pretium non fuerit ei persolutum. Confirmatur, si quis emeret agrum minoris iusto, non teneretur fructus agri reddere, sed pretium supplere, & sarcire damnum, si quod ex defectu iusti pretij secutum sit: atqui pensiones sunt veluti fructus census; ergo, &c. *Supplendũ pretium & interesse.*

Dices, Qui emit censum valentem 15. pro 10. non efficitur dominus nisi dodrantis, id est, duarum tertiarum census, cùm pro reliqua tertia nullum pretium dederit, vel promiserit: ergo pensiones illius tertiæ retinere non potest.

Respondeo negando antecedens. fit enim dominus totius census, nam venditor totum intendit in emptorem transferre, & emptor totum emere & pro toto pretium dare: sed quia pretium non fuit æquale tribus trientibus, sed duobus tantùm; manet obligatus vt suppleat quod deest pretio, pro reliquo.

Caput

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

De Cambiis.

Habet Dubitationes II.

Cambium magnam habet affinitatem cum contractu emptionis, ideò proximè post emptionem & venditionem, & post contractum censuarium (qui est species emptionis) dicendum est de cambiis.

DVBITATIO I.

Quid sit cambium, & quotuplex.

NOTANDVM est, *Cambium* generatim idem esse quod permutationem. *cambire* enim est permutare. sed ex vsu vulgato solùm accipitur pro permutatione numismatum. & hoc modo hîc loquimur de cambio. soletque sic definiri, *Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia.* Nomine *permutationis* generatim significatur omnis contractus onerosus. nam in his omnibus est quædam commutatio, vt patet in emptione, mutuo, locatione & similibus. verùm in proposito *permutatio* accipitur propriè, vt distinguitur à contractibus nominatis; vt nihil sit aliud quàm vltrò citroque datio rei pro re, vel pecuniæ pro pecunia. hoc modo est genus ad cambium, & ad permutationem rerum.

1 *Cambium quid.*

Permutatio.

Per hanc partem excluditur mutuum à ratione cambij: *mutuum* enim propriè non est permutatio, quia non est vltrò citroque datio seu traditio; perficitur enim traditione solius rei quæ mutuò datur: nec includit redditionem æquiualentis, sed solùm obligationem, vt post temporis interuallum reddatur æquiualens eiusdem speciei: *permutatio* verò vtrimque requirit traditionem; neque censetur perfecta secundùm suam propriam rationem, nisi vtrimque secuta sit traditio. vnde non solùm res quæ prior datur, sed etiam quæ rependitur, dicitur permutari. Deinde non postulat vt vllum intercedat temporis interuallum inter dationem & redditionem, sicut mutuum: nisi interdum per accidens ratione rerum quæ permutantur. nam fieri potest vt permutetur res præsens cum ea quæ multùm distat, cuius non potest statim fieri traditio. Imò res quæ existit, potest permutari cum futura, vt triticum præsens cum eo quod in messe fuerit collectum; vt rectè docet Nauarrus cap. 17. nu. 287. si enim talia possunt emi & vendi, cur non etiam permutari? cùm contractus permutationis similis sit emptioni & venditioni; vt habetur L. 1. & 2. ff. de rerum permutatione. vnde non rectè dixit Sotus lib. 6. qu. 12. art. 2. & alibi, ad rationem permutationis requiri vtriusque rei existentiam, & vt is qui recipit, in promptu habeat vt reddat. id enim nullo iure, nullâve ratione requiritur; vt contra eumdem docet Nauarrus suprà. Verum tamen est, contractum permutationis non fore completum in sua ratione, nisi res, quæ reddenda est, existat, & præterea nisi sit tradita. licitum tamen est facere pactum, & inchoare ipsam permutationem, tradendo rem præsentem, etiamsi altera nondum sit. Si tamen neutra existat, non potest quidem inchoari permutatio, cùm nulla possit fieri traditio. potest tamen fieri conuentio de permutando; vt patet ex L. 1. ff. de rerum permutatione; hæc enim perficitur consensu.

2 *Mutuum differt à cambio.*

3 *Res existẽs cum non existente & futura potest permutari.*

Petes, Ad quam speciem contractus pertinet *cambium*?

Respond. Posse referri ad varios. Primò enim ex vi nominis pertinet ad contractum *permutationis*, tamquam eius species, vt dictum est; siue permutentur pecuniæ diuersorum generum, siue diuersorum locorum, nempe præsens cum absente. Secundò, Pertinere potest ad contractum *emptionis & venditionis.* Ita Caietanus Opusc. de cambiis cap. 7. quod habetur t. 2. tract. 7. Siluester Vsura 4. quæst. 8. Boninsignius tract. de cambiis cap. 6. num. 7. quod maximè consentaneum est vsui mercatorum, qui pecuniam absentem spectant tamquam mercem, eamque præsenti pecunia tamquam pretio emunt & vendunt: nam pecunia non solùm est pretium & mensura rerum venalium; sed etiam potest esse merx venalis, tum ratione materiæ, quæ melior vel deterior est; tum ratione commoditatis conseruandi, deferendi, numerandi; tum ratione distantiæ localis, vt infrà patebit. Tertiò, Ad contractum *locationis & conductionis operarum*; præsertim si loquamur de cambio, in quo campsor accipit prior, vt alibi reddat: tunc enim censetur pecuniam alterius ex hoc loco in alium traiicere; quæ opera est pretio digna. dum verò hîc dat vt alibi accipiat; non ita propriè traiicit alterius pecuniam, sed permutat præsentem cum absente, quæ minoris æstimatur; quia vt præsens fiat, traiici debet. Quartò, Referri potest ad contractum *innominatum*, do vt des. Ita Nauarr. cap. 17. n. 294. sed parum refert ad quod genus contractus pertineat, modò seruetur æqualitas inter datum & acceptum, vt rectè docet idem Nauarr.

4 *Cambium refertur ad varios contractus.*

Pecunia vt est merx.

Diuiditur autem à DD. *cambium* in *reale*, & *siccum. Cambium siccum* vocatur, quod non est verum cambium, sed fingitur esse, eò quòd imaginem quamdam cambij præseferat; vt quando habetur sola ratio temporis; aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum vsura. dicitur *siccum*, quia caret humore, seu iusto titulo ad pariendum lucrum.

5 *Diuisio cambij. Siccum.*

Reale est legitima permutatio pecuniarum, ex qua iustè aliquid lucri capi potest. Hoc subdiuiditur in *minutum & locale. Minutum* est permutatio numismatum diuersæ rationis & speciei, vt aureorum cum argenteis, argenteorum cum æreis, maiorum cum minoribus, arrosorum cum integris, vetitorum cum legitimis, antiquorum cum nouis, patriorum cum externis.

6 *Reale. Minutum.*

Locale cambium (quod etiam vocatur *cambium per litteras*) est quando permutatur pecunia præsens cum absente. *Locale.*

DVBI-

DVBITATIO II.

Vtrùm in cambio minuto liceat aliquid accipere supra valorem nummi lege definitum:

7 *Varij tituli lucrandi in cambio minuto.*

Vt si aureus nummus lege taxatus sit 120. grossis, vtrùm liceat exigere 122. vel 123. dum aurei nummi commutantur cum minutis argenteis?

REspondeo, Posse interuenire varias causas, ob quas id sit licitum.

1. Lucri cessantis causa.

Primò, Ratione lucri cessantis tantum potes exigere supra valorem legitimum, quanti æstimabitur illa spes lucri, qua te per cambium priuas: vt si constitueras nummos aureos aliò deferre, vbi pluris valent; vel alibi merces emere, vbi sine damno aliâ monetâ emere nequis. Nec obstat quòd pretium lege taxatum consistat in indiuisibili; quia illud incrementum non accipitur pro nummo ipso præcisè considerato, sed pro lucro ex eo sperato. Eodem modo licitum est accipere supra pretium legitimum frumenti, vini, & aliarum rerum, si aliò, vbi pluris valent, delaturus eras, vt suprà dictum est.

8 *2. Ratione officij cambiendi.*

Secundò, Ratione officij cambiendi, præsertim si id alicui à Repub. vel Principe sit concessum. hoc enim officium includit obligationem cambiendi, & multa onera, (vt paratam habere pecuniam varij generis in gratiam aliorum, numerare cùm aliquis petierit, custodire assiduè cum sollicitudine) quæ sunt pretio æstimabilia. Itaque pro hac obligatione & his obsequiis, quæ in commodum aliorum præstat, potest à singulis aliquid exigere (si aliunde stipendium non habet) nempe quantum necesse est vt tale officium exæquo compensetur; sicut dictum est de Monte pietatis c. 20. dubit. pænult. vide Conradum q. 99 concluſ. 4 Ratione huius tituli non solùm potest aliquid lucrari, dum monetam magnam cambit pro parua, vel auream pro argentea; sed etiam dum minutam pro magna, siue aurea, siue argentea, commutat: nam vtrumque fit in gratiam eius qui permutationem petit, & ob vtrumque officium suscipitur & varia pecunia procuratur.

9 *An sine auctoritate Principis.*

Dixi, *Præsertim si à Principe hoc officium concessum*; quia quidam putant nihil posse accipere cum, qui sponte sua absque tali auctoritate hoc officium sumit. Verùm si hic eadem obsequia præstet, non video cur non possit aliquid exigere; etsi non tantum, quantum illi, qui id ex obligatione faciunt. nam obsequia illa in gratiam eorum, qui perituri sunt, præstita, aliquam mercedem merentur, & ita tenet Nauarr. cap. 17. n. 288. Imò vbi pretia cambiorum iam sunt constituta, vel scitur quantum hoc tempore campsores solent accipere; probabile est posse priuatum hominem, si fortè se offerat occasio cambiendi, tantumdem accipere; sicut in rebus venalibus.

10 *Ratione laboris numerandi.*

Tertiò, Ratione laboris numerandi pecuniam. Caietanus tract. de cambiis cap. 1. putat ratione huius tituli nihil posse accipi; tum quia non est pretio æstimabilis: tum quia si pretio æstimare quis velit, compensatur labore alterius, qui pecuniam eam numerare debet.

Verùm communis sententia DD. est, ob hunc titulum posse aliquid exigi, etsi parum. Ita Conradus q. 99. concluſ. 5. Nauarr. suprà. Sotus lib. 6. q. 9. art. vnico. ratio est, quia hic labor est pretio æstimabilis, etsi interdum gratis præstari soleat: quare cùm fiat ad petitionem alterius, poterit pro eo exigi compensatio. ab eo enim, qui petit aliquid in suum commodum præstari, potest merces repeti. vnde etiam in mutuo aliquid ratione huius laboris accipi potest. Neque verum est, numerationem vnius compensari per numerationem alterius; quia vtraque fit in gratiam eius, qui cambium petit, sicut in mutuo. nam secunda est propter primam; prima autem est propter petentem: ergo & secunda censetur esse propter eumdem.

11 *Ratione materiæ.*

Quartò, Ratione puritatis materiæ. Medina q. 7 de vsura, negat hoc titulo posse aliquid accipi à campsoribus. ratio ipsius est, quia in taxando pretio Princeps habuit rationem puritatis materiæ, ac proinde non potest ob hanc causam pluris æstimari.

Sed contrarium tenent Caietanus de cambiis cap. 6. Sotus & Nauarr. suprà, & alij. Probatur, Quia scutum auri purissimi, cui nihil alieni metalli est admixtum, etsi non sit maioris taxæ legalis, quàm scutum auri impurioris; est tamen maioris pretij vulgaris, ratione materiæ: communi enim hominum iudicio pluris æstimatur, quia materiæ æstimabilis (nempe auri) plus habet: ergo instar mercis pluris potest vendi, & commutari. sic antiqui ducati duplices pluris æstimantur quàm noui, etiamsi lege idem pretium habeant. Itaque licet veteres commutare nouis cum tanto auctario, quantò est plus auri in illis quàm in his.

Resp. ad rationem Medinæ.

Ad rationem Medinæ Respondeo, Principis mentem non esse, quin huiusmodi nummi puriores, si tamquam res commutentur cum impurioribus, possint ratione materiæ pluris æstimari; (id enim esset irrationabile, ac proinde non obligaret subditos in conscientia) sed tantùm præscribere pretium eorum, quatenus sunt mensura rerum venalium & solutionis debitorum; vt infrà magis declarabitur.

12 *Ratione variarum commoditatum.*

Quintò, Ratione commoditatis conseruandi, transferendi, numerandi, & vbique negotiandi. Hunc etiam negat Medina & quidam alij Doctores. Primò, Quia Princeps in pretio taxando, huius commoditatis rationem habuit. Secundò, Sicut moneta magna & aurea habet sua commoda, ita etiam minuta.

Sed contrarium tenent DD. citati; & meritò. quis enim non pluris æstimet 1000. coronatos in auro, quàm in pecunia minuta argentea? itaque in his permutandis potest hæc commoditas, qua se quis priuat, æstimari. nihil tamen amplius peti potest ratione commodi, quod alteri inde prouenit; vt rectè notat Caietanus.

13 *Resp. ad rationes Medinæ.*

Ad primam rationem Respondeo Primò, Principem eatenus habuisse rationem huius commoditatis, quatenus maius pretium illis nummis imposuit, quàm tantumdem auri in minutissimas partes distributum haberet. eo tamen pretio imposito, adhuc pluris æstimatur quàm pretium illud in minuta pecunia. neque id Princeps tollere potest, (quamuis possit prohibere commutationem) quia est conditio consequens rei naturam.

14 *Quo modo taxatio Principis sit intelligenda.*

Respondeo Secundò, Principem non intendere illos nummos taxare secundùm omnem rationem, & ad omnem vsum quem habere possunt; sed solùm, vt sunt mensura rerum venalium, & solu-

Nummi dupliciter considerantur.

solutionis debitorum. dupliciter enim nummi considerari possunt. Primò, Formaliter vt nummi, seu vt sunt mensura rerum venalium; qui est vsus earum primarius. sic non pluris valent quàm lege Principis sunt taxati, vel saltem quàm vulgò in emptionibus & solutionibus debitorum solent exponi. quod addo, quia sæpè fit vt formalis æstimatio nummorum crescat supra taxam legalem, ex

Pretium pecuniæ interdum crescit vulgi æstimatione.

appretiatione & vsu vulgi, Principe non contradicente; idque ob materiæ puritatem vel pondus, vel quia in locis vicinis pluris æstimantur: & tunc possunt passim in contractibus eo pretio exponi; quia illud censetur legitimum. Secundò, Materialiter, seu ratione conditionum, quas habent ex materia vel figura; vt ratione puritatis vel copiæ materiæ, vel raritatis, vel antiquitatis, vel commoditatis; hæc enim omnia censentur conditiones materiales. nam etiam ipsa imago est quid materiale in nummo, quâ nummus est. secundùm hanc rationem habent vsum secundarium, & fiunt res vendibiles & permutabiles cum aliis nummis. nec sunt taxati lege; sed habent vulgarem æstimationem, quæ non consistit in indiuisibili sicut legitima, sed constat suis gradibus pretij infimi, medij, summi. vnde possunt vendi & permutari cum aliquo lucro, iuxta receptam locorum consuetudinem. ita docent Caiet. c. 1. & 6. Conradus, Sotus, & Nauarr. suprà, & alij passim. Nemo tamen in solutionem debitorum tenetur eos acceptare, nisi secundùm æstimationem legalem, seu eam, quam habent vt nummi ad vsum primarium.

Ad secundam rationem, Monetæ paruæ etiam sua commoda habent, sed exigua copia cuique sufficit, quæ facillimè potest haberi; nemo enim quærit ingentes aceruos mitarum vel stuferorum. secùs de magna, cuius summa copia quæritur.

15 *Ratione raritatis.* Sextò, Ratione antiquitatis vel raritatis. hæc enim conditio facit nummos pluris æstimari, quàm alioquin valerent.

16 Septimò, Ratione vsus seu expendibilitatis, vt ait Caietanus, vt si in aliquo loco commutes nummos, qui possunt ibi expendi, cum iis, qui non possunt. cùm enim non habeant ibidem pretium vt nummi, sed solùm vt aurum vel argentum; possunt notabiliter minoris emi, quàm valeant in sua Prouincia.

17 *Campsores publici, & priuati.* Petes, Quid si lege publica cautum sit ne quis præter publicos campsores tale cambium factitet: tenebitúrne ad restitutionem qui contrà fecerit? Sotus suprà putat teneri.

Sed verius est non teneri, non enim tenetur Reipub. cùm nihil damni huic sit illatum: neque etiam ei, quicum cambium fecit, quia nulla ei facta est iniuria, cùm non plus ab eo sit acceptum, quàm communi campsorum iudicio nummi in tali permutatione soleant æstimari.

18 *Famulus pecuniam soluendam cum alia commutans.* Ex dictis sequitur, si tradam famulo vel negotiorum gestori mille aureos in auro vt soluat meo creditori, non curans qua specie id fiat, & ille eam commutet contra monetam argenteam cum lucro, eaque soluat creditori retento lucro; non teneri ad restitutionem illius lucri. Ratio est, quia illud lucrum est fructus industriæ, prouenientis ex negotiatione pecuniaria, famuli industria & periculo facta; proinde nec mihi domino pecuniæ debetur; (sicut dum fur vel vsurarius negotiatur aliena pecunia, non tenetur domino pecuniæ ad lucri restitutionem) nec etiam meo creditori; quia hæc species illi non erat debita, & illi integrè alia specie est satisfactum. Si tamen mens mea erat, vt illam pecuniæ speciem meo creditori traderet, eò quòd cuperem illi gratificari, & dare occasionem illa lucrandi; tunc distinguendum est. vel enim creditor illa specie erat lucraturus, vel non erat. si erat lucraturus, tunc famulus tenetur ei de lucro cessante, quanti illa spes lucri æstimabitur, quia hæc species ei erat debita, quam non soluendo, est ei causa iniusta amissionis lucri. si autem non erat lucraturus, sed pretio communi expositurus, ad nihil tenetur; quia etsi iniuriam fecit, speciem debitam non soluens; tamen nihil damni intulit. Sed de his plura suprà cap. 20. dub. 18. & 19.

Dvbitatio III.

Vtrùm in cambio locali, quando campsor prior accipit, vt alibi restituat, possit aliquid lucrari, & quo titulo.

19 Respondeo, Posse aliquid lucrari, idque variis titulis. est communis sententia DD. Gabrielis d. 15. q. 11. art. 3. dub. 12. Conradi q. 99. Caiet. c. 6. Medinæ q. 9. de vsura. Nauarr. cap. 17. num. 289. Soti l. 6. q. 10. art. 1. & aliorum.

1. Titulus. Translatio. Primò, Titulo translationis pecuniæ. traiicit enim pecuniam, quam hîc habes, in locum, vbi optas eam esse, v.g. Antuerpiâ Hispalim; quæ opera in gratiam alterius præstita, est pretio æstimabilis. Nec obstat, quòd reipsa non transferat, quia eam quasi transfert, faciendo id quod æquialet reali translationi. vnde etiam vsus communis loquendi habet, vt talis pecunia dicatur traiici & transponi. itaque cùm æquiualenter eam traiiciat, 20 ita vt tibi tantum commodi præstet, quantum si reipsa transferret, meritò potest pro illo obsequio pretium exigere. sicut nuntius, qui certo pretio pactus est 100. aureos in locum remotum transferre; etsi inueniat hominem, qui accepta hîc illa pecunia, paratus sit tantumdem ibi gratis numerare; nihilominùs potest accipere pretium translationis, perinde ac si reipsa transtulisset: quia sua industria præstitit id quod æquipollet translationi. Nec refert, quòd sine incommodo vllo vel labore hoc fecerit; quia id ipsius industriæ vel bonæ fortunæ assignandum. Idem dicendum de campsoribus.

21 *Quantum hoc nomine possint exigere.* Notandum tamen, campsores non posse tantum exigere pro hac virtuali translatione, quantum si reipsa transferrent; sed solùm quantum inter ipsos bona fide pro tali obsequio est constitutum: quod ordinariè est multò minus. quia facilitas operæ & commoditas, quam percipit is qui eam præstat, multum detrahit de pretio, secundùm communem hominum æstimationem. sicut enim aliarum rerum pretium ex communi peritorum æstimatione, consideratis omnibus circumstantiis, pendet; ita etiam huius operæ, quam ipsi præstant.

Obiectio. Dices Primò, is, qui dat hîc suam pecuniam campsori vt eam recipiat Hispali, non intendit conducere operam campsoris, sed solùm permutare pecuniam quam hic habet, cum ea quam campsor habet Hispali: ergo iste titulus est fictitius. Confirmatur, quia transfert dominium suæ pecuniæ in campsorem: ergo non conducit ope-

ram campsoris ad illius traiectionem. non enim conducit operam campsoris ad illiusmet pecuniam transferendam.

22 *Responsio.* Respond. Primò, Negando antecedens: quòd enim intendat operam eius conducere, patet ex forma loquendi; petit enim, pecuniam suam, quam campsori tradit, transponi seu traiici Hispalim. deinde etsi fortè non semper expressè intendat operam conducere; tamen id implicitè & virtute facit, cùm tradit pecuniam campsori, cum obligatione vt Hispali tantumdem reddat. hoc enim campsor non potest facere, nisi per realem vel æquipollentem translationem. procurare enim vt reddantur Hispali centum aurei accepti Antuerpiæ, secundùm communem hominum æstimationem, est eos virtute & æquiualenter transferre; quia idem commodum præstatur. Denique etiamsi concederemus illum solùm intendere permutare; tamen campsor poterit suam pecuniam, quam Hispali habet, pluris æstimare; quatenus per illam virtute potest transferre pecuniam, quæ aliis locis est, Hispalim: seu quatenus illi pecuniæ inest ea conditio, quæ pecuniis, quas hîc accipit, non inest; nempe esse Hispali; pro qua conditione vt insit, dari pretium solet. nam pretio æstimabile est, quòd pecuniam, quam habes Antuerpiæ, possis recipere Hispali, vbi eam optas esse. Et ita si quis attentè consideret, semper implicitè videtur contineri in hoc contractu, operarum locatio ad pecuniam transferendam.

23 *Transfertur dominium permissiuè.* Ad confirmationem. Non transfertur dominium præcisè ex vi huius contractus; sed tantùm permissiuè: quia potest campsor illud nolle admittere, integro permanente campsorio contractu. quia tamen is, qui pecuniam tradit, permittit illi dominium, potest campsor illud admittere, & vti illa pecunia tamquam sua: nam alteri perinde est, siue vtatur, siue non; modò aliam æquiualentem in loco destinato repræsentet, sicut quando quis tabellario publico tradit pecuniam in alium locum transferendam, conducit ipsius operam: tamen permittit illi pecuniæ dominium: nam perinde est ei, siue eamdem numero realiter transferat, siue æquiualenter; quod fit ibidem numerando æquiualentem.

Obiectio 2. Dices Secundò, Pecunia præsens pluris valet quàm absens: ergo si alter intendat commutare præsentem cum absente, non poterit campsor lucrari hoc titulo.

24 Respond. Negando consequentiam: quia quòd pluris valeat, id prouenit ratione commoditatis, quam adfert vtenti, quam non tenetur campsor æstimare; quia non cupit alterius operam, vt pro absente detur ei præsens: sed alter ipsius operam flagitat, vt pro præsenti det ei absentem. vnde potest absentiam suæ pecuniæ æstimare, quia per eam præstat id, quod pretio est æstimabile, leuando illum onere transferendi, eiusque pecuniam æquialenter traiiciendo.

25 *2. Titulus. Præstatio periculi seu assecuratio.* Secundus titulus, quo lucrari potest campsor in hoc cambio, est assecuratio. Ita Lopez tract. de cambiis cap. 4. quam sententiam dicit esse inter omnes receptissimam. Probatur, quia campsor accipiens hîc pecuniam aliò traiiciendam, non solùm suscipit onus transferendi, sed etiam periculum, vt si pereat, non danti, sed ipsi pereat. atqui præstare periculum traiectionis, est pretio æstimabile; vt patet quando cum nuntio paciscimur vt pecuniam suo periculo transferat. Nec refert, quòd campsori in pecunia transferenda nullum sit periculum, cùm ipse alibi eam paratam habeat; id enim ipsius industriæ vel fortunæ assignandum. nam satis est, illam obligationem, qua se obligat alteri, vt rem ipsius saluam loco condicto repræsentet, esse pretio æstimabilem, etiam si eam facillimè possit implere.

Ex his sequitur, quò longius est iter, & quò maiora sunt pericula, eò ampliùs ratione assecurationis & translationis posse stipulari: quia eò traiectio pecuniæ, si reipsa fieri deberet, esset difficilior & periculosior.

Tertius titulus esse potest, si pecunia sit minoris pretij in loco vbi campsor accipit, quàm vbi restituit. de quo plura dubit. sequenti. 3. *Diuersitas pretij.*

Circa prædicta Notandum est, assecurationem implicitè contineri in obligatione transferendi, prout in praxi exercetur. hoc ipso enim, quo campsor accipit pecuniam vt alibi restituat, censetur eam assecurare; quia acceptat eius dominium, ac proinde non minùs se obligat, quàm si eam assecuraret. quare videtur non minùs posse exigere pretium, quàm si duplici obligatione se obstringeret, traiectionis, & assecurationis. Verùm non ita est in praxi; quia enim dominium præsentis pecuniæ, quam hîc accipiunt, est valdè commodum campsoribus, ideò communiter parui æstimant illam implicitam assecurationem & traiectionem: neque multùm curant, an locus procul absit, an sit propinquus; sintne pericula itinerum, an non. quo fit, vt sæpè is, qui petit pecuniam suam aliò traiici, prior tradens, vt posteà alibi recipiat, lucretur à campsoribus, tamquam ipsemet campsoris munus exerceret: qua in re campsores ostendunt se non satis intelligere iustos titulos, ob quos in reali cambio possent lucrari, & sæpè alia quædam spectare, in quibus est magna suspicio vsuræ; quamuis sibi aliqui ex his persuadeant, hoc negotium cambiorum, & iustos titulos, meliùs à se quàm à Doctoribus intellectos. In eo tamen quòd in pretio constituendo non omnes titulos congerant, quos alioquin possent, ostendunt se satis sincerè procedere; nec facilè eorum contractus tamquam vsurarios condemnandos, quando pretia communi iudicio, vt passim fit, sunt constituta. 26 *Obseruanda.*

Dvbitatio IV.

Vtrùm quando campsor dat prior, vt alibi recipiat, possit lucrari, & quo titulo.

Qvidam existimant, campsorem non posse tunc quidquam lucrari: quia tunc non traiicit alterius pecuniam, sed solùm dat suam mutuò, vt alibi cum incremento recipiat, quod est vsurarium. 27

Sed contrarium tenendum est cum communi sententia DD. Ita Conradus suprà, Caietanus tractatu de cambiis, cap. 6. Sotus lib. 6. de Iustit. q. 10. art. 1. Nauarr. c. 17. n. 289. Probari id potest, explicando titulos, quibus videtur iustè aliquid lucri in tali cambio exigere.

Primus titulus est virtualis translatio, vel (quod in idem redit) maior æstimatio pecuniæ præsentis quàm absentis. Probatur Primò, Quia 28 *1. Tit. Virtualis translatio.*

numerando hîc pecuniam præsentem ei, qui habet absentem, tantum obsequij illi præstat, quantum si pecuniam absentem huc transferret: atqui obsequium translationis est pretio æstimabile: ergo etiam numeratio pecuniæ præsentis pro absente est pretio æstimabilis, quia æquiualet translationi. Secundò, Quia qui petit pecuniam præsentem pro absente, petit leuari onere translationis suæ pecuniæ in hunc locum; atqui hoc onere leuat illum campsor, numerando præsentem, & illud in se suscipit: hoc autem est pretio æstimabile: ergo, &c.

29 *Quomodo transferre censeatur.* Aduerte tamen, quosdam Doctores non admittere hunc titulum in hoc cambio. Primò, quia is qui prior accipit à campsore, vt alibi restituat, videtur potiùs pecuniam campsoris aliò traiicere, quàm campsor ipsius: ergo illi potiùs mercedem debebit campsor, quàm ipse campsori. Secundò, Campsor non potest aliunde huc transferre pecuniam alterius, nisi anteà eam acceperit: atqui nondum accepit; ergo, &c. Verùm qua ratione campsor censeri possit transferre pecuniam alterius, iam satis est explicatum: ideò enim censetur transferre, quia præstat operam æquiualentem, & quia liberat illum onere transferendi. & quamuis alia ratione campsarius videatur traiicere pecuniam campsoris; non tamen ideò campsor ei debet mercedem; quia hanc eius operam non imploranit. Hinc patet responsio ad primum. Ad alterum Respondeo, Non potest eam transferre realiter antè quàm acceperit; potest tamen æquialenter. facit enim id, quod æstimatione æquè valet ac si pecuniam alibi acceptam huc transferret. sicut si petam Louanij vt tabellarius mihi centum aureos Antuerpiâ huc transferat, & ille mihi numeret eos Louanij antequam Antuerpiæ acceperit, æquiualenter eos transtulit. Sed etiamsi concederemus, campsorem non traiicere pecuniam alterius in hoc cambio; tamen ex ratione permutationis aliquid lucrari potest: quia pecunia procul absens à loco contrahentium, minoris æstimatur quàm præsens: ergo præsens potest cum lucro contra absentem permutari. Antecedens probatur, tum quia absens non præbet ex natura rei eam facilitatem & commoditatem, quam præsens: tum quia absens (quantum est ex natura rei) sine sumptu & periculis non potest effici præsens. Hinc fit vt etiam merces absentes minoris valeant quàm præsentes. Ita docet Siluester, Vsura 4.q.4. versus finem, Caietan. cap.7. de cambiis. Nauarr. cap.17. num.295. & in cap. fin. de vsuris, num.62. & 63.

30 *Pecunia absens minoris æstimatur.*

31 Nec obstat Primò, Quòd campsor eam sine periculo & sumptu possit efficere præsentem: tum quia id non semper verum est. nam sæpè magnos sumptus & pericula ob id perferunt, & suos factores, quos alibi habent, magna mercede conducunt; tum quia si id ita est, hoc ipsius industriæ aut bonæ fortunæ est acceptum ferendum. satis enim est pecuniam absentem loco, ex ipsa rei conditione minoris æstimari, eò quòd communiter non sine periculis & sumptibus præsens haberi queat..

32 Non obstat Secundò, Quòd interdum campsori commodum sit pecuniam habere absentem; quia hoc non prouenit ex ipsa conditione absentiæ per se consideratæ, sed ex industria campsoris; qui pecuniam absentem nouit vtiliter impendere. vnde non tenetur idcircò eam secundùm se pluris æstimare. Sicut enim is, cui commodum est reducere equum Louanio Parisios, non tenetur illud commodum æstimare, aut minùs pro reductione equi stipulari, si aliquis eius opera in equo reducendo vti velit: ita campsor, cui vtile est, pecuniam, quam dat Hispali, recipere Antuerpiæ, non tenetur illud compendium æstimare, aut minus pro sua opera exigere, quando aliquis flagitat ad hoc eius industriam.

Ex his patet Primò, Campsorem lucrari posse, 33 etiamsi vtrobique sit idem pretium monetæ, & eadem copia vel inopia; vt docet Nauarr. in cap. fin. de vsuris num.21. & sequentibus.

Secundò, Posse lucrari, etiamsi det ad locum *Intra idem regnum.* intra idem regnum, vt docet idem Nauarr. c.17. n.290. & Boninsignius cap.7.n.27. quod est contra Sotum q.10.art.1. & q.13.a.1. Ratio est, quia sicuti opera, quam præstat transferendo eam de vna Prouincia in aliam, est pretio æstimabilis, ita etiam ex vna vrbe in aliam in eadem Prouincia, vt Antuerpiâ Insulas, & contrà.

Secundus titulus, quo in hoc cambio lucrari 34 potest, est maior æstimatio pecuniæ in loco vbi *2. Titulus. Maior æstimatio pecuniæ.* datur, quàm vbi redditur, siue ea æstimatio sit intrinseca, siue extrinseca.

Vbi aduerte, duplicem esse pecuniæ valorem seu *Duplex pecuniæ æstimatio, Intrinseca, extrinseca.* æstimationem; altera prouenit à lege vel communi consuetudine, qua pecunia taxatur vt valeat tot vel tot nummos minutos in eodem loco. sic in Belgio regalis æstimatur 10. grossis: philippicus 100. scutum aureum 130. hæc potest dici legitima & intrinseca, quia lege constitui solet, (etsi consuetudo interdum eam nonnihil augeat) & accipitur ex causis intrinsecis; nempe ex conditione materiæ & ponderis. Altera est extrinseca & fortuita, prouenies ex causis extrinsecis & fortuitis; ratione cuius non censetur pecunia maior pluris valere respectu minutarum in eodem loco; sed tota pecunia simul pluris vel minoris valet, tum respectu rerum venalium in eodem loco, tum respectu pecuniarum, quæ sunt in alio loco.

Prouenit autem hæc æstimatio ex quatuor cau- 35 sis. Primò, Ratione copiæ & inopiæ pecuniæ. quò *Prouenit æstimatio extrinseca ex 4. causis.* enim in aliquo loco apud mercatores est maior copia pecuniæ, eò ipsa est minoris valoris ad res venales præsentes, & etiam ad pecunias dissitas (quæ tunc rerum venalium rationem subeunt) comparandas: & consequenter pro iisdem mercibus plus pecuniæ dandum est, quàm dum est inopia; copia enim pecuniæ facit pretia mercium crescere: quia pecunia, quæ pro illis datur, minoris æstimatur. Pari modo, quò minor est copia pecuniæ, eò ipsa est maioris valoris respectu mercium; quia plus mercium eadem pecunia comparari potest. hinc pecuniæ inopia facit pretia mercium decrescere; quia pecunia, quæ datur, pluris æstimatur. sic ob copiam, in Indiis pecunia minoris æstimatur quàm in Hispania, etiam si idem sit pretium legitimum, & in Hispania minoris, quàm in Belgio. sicut enim pretia mercium ob copiam decrescunt, & ob inopiam crescunt; ita etiam valor pecuniarum omnium. Secundò, Prouenit hæc æstimatio ratione maioris vel minoris multitudinis petentium ad cambium. sicut enim multitudo emptorum facit vt crescant pretia mercium, ita etiam multitudo petentium ad cambium, facit vt crescat valor pecuniæ campsoris,

siue ea sit præsens, siue absens. Tertiò, Prouenit ex multitudine vel paucitate dantium ad cambium; quò enim sunt pauciores qui velint dare ad cambium, eò pecunia campsoris pluris æstimatur. sicut quò pauciores sunt venditores, eò merces pluris æstimantur. Quartò, Ex necessitate pecuniæ: vt si Principi ingentes summæ pro bello vel alia causa publica sint corrogandæ, vel ingens copia mercium offeratur venalis. quò enim pecunia est magis necessaria ad quosdam vsus magni momenti, eò pluris æstimatur respectu aliarum rerum venalium.

36 *Ob vtramque æstimationem potest lucrari.* His positis, Dico, Ratione vtriusque æstimationis posse campsorem aliquid lucrari. Primò, Ratione æstimationis intrinsecæ: vt si det 100. aureos Antuerpiæ, vt recipiat Hispali, debet Hispali accipere plus quàm 100. quia Antuerpiæ habent maiorem æstimationem legalem: plus enim est Antuerpiæ habere 100. aureos quàm Hispali. vnde vt fiat æqualitas, debet Hispali plus recipi quàm 100. quòd si det Hispali vt recipiat Antuerpiæ, non poterit Antuerpiæ accipere tantumdem pecuniæ, sed minus, sepositio pretio traiectionis, & carentiæ suæ pecuniæ: qnia alioquin non esset dati & accepti æqualitas in æstimatione, quæ in omni contractu est seruanda; addito tamen pretio cambij & carentiæ pecuniæ, rarò fit vt minus accipiant.

37 Secundò, Ratione æstimationis extrinsecæ seu fortuitæ lucrari posse, patet; quia sicuti merces ratione paucitatis & necessitatis, ratione multitudinis petentium & raritatis venditorum, pluris valent & emi debent quàm aliàs emerentur; ita etiam pecuniæ præsentes ob hasce quatuor causas pluris valent, tum ad merces, tum ad pecunias absentes comparandas, quàm si istæ causæ abessent. nam pecuniæ absentes se habent instar mercis respectu præsentium, vt rectè docet Caietanus cap.7. & Nauar. num. 291. Siluest. Vsura 4.q.8. §.1. & alij. non enim habent pretium legitimum, nisi respectu monetarum eiusdem loci:

Pecunia absens est instar mercis.

38 Princeps enim sua lege & populus communi consuetudine non intendit eis imponere pretium respectu monetarum, quæ sunt in aliis locis; sed tantùm respectu monetarum eiusdem loci. quare respectu pecuniarum diffitarum, relinquitur pretium imponendum iudicio mercatorum & eorum qui sic negotiantur. quod cùm sit vulgare, non consistit in indiuisibili; sed habet latitudinem pretij infimi, medij, & summi. itaque possunt emi & vendi sicut aliæ merces, secundùm hanc triplicem æstimationem, quam periti illius negotiationis bona fide imponunt.

39 *Ratione triplicis tituli.* Ex his patet, campsores interdum simul lucrari triplici titulo; videlicet traiectionis, & duplicis valoris explicati: tamen potissimùm solent respicere ad valorem extrinsecum, & ratione huius lucrari. vnde semper inquirunt, vbi sit futura penuria vel necessitas pecuniæ, vt ibi dare possint, & recipere vbi est vilitas & copia.

40 *An possit lucrari ratione vtriusque tituli.* Dices, Si campsor velit lucrari ratione traiectionis pecuniæ, non videtur posse simul lucrari ratione maioris valoris; & contrà, si velit ratione valoris, non potest propter traiectionem; cùm enim dat tibi 100. aureos Antuerpiæ, recipiendos Hispali, traiicit pecuniam tuam Hispali Antuerpiam, vbi pluris incipit valere: atqui hoc incrementum est tuum, non campsoris: ergo non debes ei aliquid ratione maioris valoris: vel si des ratione valoris, eò quòd pecunia, quam ipse dat, pluris valet quàm tua; non poterit quidquam exigere ratione traiectionis, quia non traiicit pecuniam tuam.

Ob hoc argumentum Sotus q.12.art.2. docet, 41
campsorem, dum lucratur ratione maioris valoris, non posse simul lucrari ratione traiectionis.

Sed contrarium docent reliqui Doctores, & Probatur Primò, Quia sunt distincti tituli pretio æstimabiles. Secundò, Si pecuniæ vtrobique haberent æqualem valorem, nihilominùs posset aliquid lucrari ratione traiectionis; seu quia pecunia absens minoris valet quàm præsens, vt suprà ostensum est.

Quare Respondeo ad argumentum, Campsorem non transferre realiter pecuniam tuam in specie; (tunc enim non posset petere nisi pretium translationis & assecurationis; sicut baiulus) sed transferre illam secundùm æquiualentiam, dando tantumdem de suo. vnde debes ei reddere æquiualens alibi, & pretium translationis.

Tertius titulus est, ratione lucri cessantis, vt si 42
pecunia, quam tradit ad cambium, erat destinata maiori lucro, ita vt (deducta æstimatione laboris, expensæ, & periculi) illa spes lucri maioris, pluris valeret quàm commune lucrum cambij; tunc enim posset illud incrementum exigi. nam sicut in aliis contractibus potest haberi ratio lucri cessantis, vt te indemnem serues; ita etiam in contractu cambij. Pius V. tamen vetuit, ne illud ab initio definiatur, & in pactum deducatur; sed solùm ex euentu secuto constituatur.

3. Titulus, Lucrum cessans.

Quartus titulus esse potest Carentia pecuniæ 43
suæ, & id quod huic carentiæ est coniunctum, nempe periculum ne non restituatur, & priuatio commoditatis ea pecunia negotiandi: magni enim æstimant omnes mercatores & campsores, quòd ad vnum, duos, vel tres menses cogantur carere sua pecunia; idque tum ob periculum, cui exponitur; tum quia interim priuantur commoditate per illam aliter negotiandi. vnde in omnibus cambiis, quò longius est tempus in quod eam concedunt, eò plus exigunt lucri, & quò breuiùs, eò minus. Atque hic est potissimus titulus, quem mercatores in cambiis hoc tempore spectant, vt ipsimet diserte fatentur: addentes, omnia cambia huius temporis iniqua esse, si hic titulus non sit iustus. parui autem æstimant traiectionem, quantumuis locus distet. qua in re non videntur prudenter facere; nam reuerà hic titulus est præcipuus in cambio reali; ob hanc enim causam sunt cambia introducta. Secundo loco æstimant valorem pecuniæ extrinsecum, qui ex copia & inopia pecuniæ, & similibus causis prouenit. vtrùm autem titulus iste quartus excusari possit, dicemus dub.6.

4. Carentia pecuniæ.

Quem tutissimum putissimùm spectent campsores & mercatores.

Ex dictis patet, quid dicendum sit ad speciem 44
facti, quam Sotus l.6. q.12.art.2. proponit, cuius æquitatem se ignorare fatetur. Tempore enim Soti, si campsor Metinæ accipiebat prior, restituturus in Flandria, lucrabatur in singulos aureos 50. dupondia, seu marauedinos: si verò prior dabat in Flandria, recepturus Metinæ, lucrabatur 70. vel 75. cùm tamen videatur non debuisse lucrari nisi 50. tunc enim tanti valebant in Flandria 360. marauedini, quanti Metinæ 400. vnde prior accipiens Metinæ, vt in Flandria restitueret, poterat accipere 400. qui valore æquantur 360. in Flandria reddendis; & præterea 10. in pretium

Species facti à Soto proposita.

trai-

traiectionis,& ita lucrabitur 50. Verùm non apparet ratio cur in Flandria prior dans 360. possit Metinæ recipire 430.cùm non possit Metinæ plus accipere, quàm ipse ibidem solet dare pro 360. Flandricis.

45 Sed dicendum est, quòd quando accipit prior Metinæ,tunc solùm lucratur ratione diuersæ æstimationis pecuniæ & ratione traiectionis. ratione diuersæ æstimationis, accipit 400. marauedinos Metinæ,pro 360.in Flandria.nam hæ duæ summę sunt valore æquales, ad diuersa ista loca comparatæ.ratione autem traiectionis accipit adhuc 10. & sic lucratur 50. accipit enim 410.marauedinos,& reddit solùm 360. tunc enim dicitur lucrari, quando plus materialis pecuniæ accipit, quàm dederit; etiamsi illud plus non pluris æstimetur illo loco, quàm istud minus hoc loco.

46 Si verò prior det, idque in Flandria, tunc solùm dat 360.marauedinos,& Metinæ recipit post duos menses 430. vel 435. sicque lucratur 70. vel 75. 400. enim accipit ratione diuersi valoris; cùm 400.Metinæ non pluris valeant quàm 360. in Flandria.præterea accipit 10. ratione traiectionis,& 20. reliquos ratione carentiæ pecuniæ, eò quòd prior det,& debeat per duos menses sua pecunia carere: hunc enim titulum maximè æstimant. Sed hoc lucrum reuerà est nimium,& excedere videtur metas iustitiæ; nec quisquam est, qui hoc tempore tantùm lucretur. duobus enim mensibus lucratur 20. in centum; nam in singula scuta lucratur 75. marauedinos. Quòd si prior det Metinæ 410. marauedinos, non recipiet in Flandria solùm 360. vt quidam putant; (sic enim nemo vmquam campsor vellet pecuniam suam dare; nam amitteret 50. marauedinos in singulos aureos) sed tanti æstimabit carentiam pecuniæ duorum mensium, vt ei in Flandria sint restituendi 410. vel circiter.

Dvbitatio v.

De praxi cambiorum, quæ hoc tempore viget.

47 VT hæc praxis intelligatur, tria potissimùm sunt consideranda: personæ, quæ ad cambium concurrunt: nummi, secundùm quos cambia ad varia loca reguntur: & variatio pretiorum, secundùm longius vel breuius tempus.

48 Quod ad primum attinet, regulariter quatuor personæ requiruntur vt contractus cambij sit perfectus, campsor, campsarius, respondens campsoris, & respondens campsarij. dum enim campsor alicui pecuniam numerat, accipit vicissim ab illo obligationem de pecunia illa alibi soluenda: & hanc transmittit ad suum respondentem, vt ibi eam recipiat: & campsarius similiter scribit ad suum respondentem, vt ibidem soluat. si hic

49 acceptet, & soluat respondenti campsoris, iam perfectum censetur primum cambium. sæpè tamen fit, vt respondens campsarij non soluat respondenti campsoris; sed tradit illi obligationem tamquam ab eo accepisset ad cambium, quam illa remittat ad campsorem; & simul scribit ad campsarium, vt soluat campsori recambium.quòd si respondens campsarij soluat reipsa; tunc respondens campsoris dat eamdem pecuniam alicui alteri ad cambium, & acceptam ab eo obligationem mittit ad primum campsorem. & sic semper redit cum luero. campsor tamen ordinariè scire non potest quantum lucretur, nisi dum pecunia per secundum vel tertium cambium, tandem ad ipsum redit. Interdum fit vt campsarius non habeat respondentem in loco vbi pecunia est restituenda, sed campsor assignat ei suum respondentem, qui acceptet debitum,& sibi soluat, quatenus diuersas personas repræsentat, seu diuersa officia subit: hic rursus obligationem scribit, tamquam ipse ad cambium acceperit, eamque transmittit ad primum campsorem, vt à campsario solutionem accipiat, cum pretio cambij & recambij. quotiescumque autem fit solutio, respondens campsoris detrahit ex tota summa suas prouisiones, (quas vocant) id est, mercedem sui laboris, quæ sunt bini vel terni aurei in singulos millenarios. Vtrùm autem hæc sint iusta, patebit ex dub.7.& 8.

50

51 De secundo, Vario nummorum genere cambia reguntur ad varia loca; quod vt intelligatur, explicabo quo modo id fiat Antuerpiæ ad loca præcipua Europæ. Igitur Antuerpiæ ad pleraque loca reguntur grossis: nam campsor pecuniam Antuerpiæ numerans, certo numero grossorum Flandricorum intendit emere ducatum, qui est in Italia vel Hispania; aut coronatum, qui in Gallia; aut florenum, qui in Germania,&c. Exempli gratiâ, anno 1600. 7. Decembris cursus cambiorum Antuerpiæ erat talis: Antuerpiâ Venetias dabat campsor 91. grossos & tres quartas, vt Venetiis reciperet vnum ducatum intra mensem à contractu inito; qui ducatus Venetiis æstimatur in Banco, id est, apud trapezitas 124. solidis seu piccolis Venetis. hoc enim intelligunt Venetiis per ducatum, dum agitur de soluendis cambiis. Antuerpiâ Mediolanum dabat 105. grossos & medium, vt Mediolani reciperet ducatum post vnum mensem. hic ducatus æstimatur 5. libris & 16. solidis. Florentiam dabat 110. grossos & medium, vt ibi reciperet ducatum intra mensem. Madritum dabat 106. grossos, vt Madriti vnum ducatum intra duos menses reciperet. Hispalim 105. grossos & medium, vt Hispali intra duos menses ducatum reciperet.

Quo genere nummorum regantur.

Vlissiponem 101. grossos, recepturus ducatum. Vbi aduerte, in Lusitania per ducatum intelligi 10. regales, quando de cambiis agitur; in Castella & reliquis Hispaniæ locis 11. regales.

Antuerpiâ Vesuntium, cambium agitur grossis & coronatis. campsor enim Antuerpiæ dabat 120. grossos & medium, recepturus Vesuntij in proximis nundinis vnum coronatum Francicum, vel eius valorem. celebrãtur hîc nundinæ quotannis quater, etsi exiguo concursu; nempe circa Pascha, in Augusto, circa festum omnium Sanctorum,& circa festum Epiphaniæ.

Lugdunum 117.grossis,pro coronato,Lugduni proximis nundinis recipiendo. aguntur & hîc quater nundinæ, quæ 14. diebus nundinas Vesuntinas præcedunt.

Parisios & Rotomagum 119. grossis & medio, pro coronato illis locis intra mensem recipiendo.

Antuerpiâ Francofurtum regitur grossis & florenis Germanicis. dabantur Antuerpiæ 76. grossi pro floreno Germanico, Francofurti proximis nundinis recipiendo. aguntur hîc binæ nundinæ celeberrimæ,in Septembri & circa Pascha. Flore-

nus Germanicus Francofurti in solutione cambiorum valet 65. crutzeros; ad rationem monetæ Belgicæ, pænè grossos 80. Antuerpiâ Hamburgum agitur grossis & daleris. Londinum scellingis & libris Anglicanis. Coloniam libris Flandricis. dantur enim Antuerpiæ 100. libræ vt Coloniæ recipiantur 102. libræ monetæ ibidem vsitatæ, idque intra duos, 3, 4, 6, 8, 10, vel 20. dies post litteras exhibitas, prout conuentum fuerit.

52 *Pretium cambiorũ.* Quod ad tertium attinet, Quandocumque mercatores cambia sua dirigunt secundùm nundinas, tunc quò longiùs absunt nundinæ, eò maius faciunt pretium cambij; ac proinde eò minùs dant pro pecunia, quàm alibi sunt accepturi: quò verò propiùs absunt, eò minus est pretium; ac proinde eò plus dant pro pecunia, quàm alibi sunt accepturi; ita vt sæpè non lucrentur, si nundinæ sint valdè vicinæ: quod an iustè fieri possit, dicemus dubit. seq. Hæc de praxi.

DVBITATIO VI.

Vtrùm cambium Francofurtense & similia, in quibus pretium variatur pro maiore vel minore temporis intercapedine, sint licita.

53 *Nundinæ Francofurtenses.* NOtandum est, Francofurti binas quotannis agi nundinas, alteras circa Paschа, alteras in Septembri: in quibus fiunt solutiones cambiorum: reguntur autem hæc cambia florenis Germanicis & grossis Flandricis, vt dictum est. Nam qui dant Antuerpiæ ad cambium, vt recipiant Francofurti, certo numero grossorum emunt florenum Germanicum, & contrà qui Francofurti dant, vt Antuerpiæ recipiant, floreno Germanico emunt certum numerum grossorum. In pretio autem ferè seruatur hæc ratio: Si Antuerpiæ campsor quinto mense ante nundinas pecuniam numerat, solùm dat, v.g. 73. grossos pro floreno Germanico. si quarto mense numerat, solùm dat 74. si tertio 75. si secundo 76. si vno dumtaxat ante nundinas 77. vel circiter. In nundinis autem recipiunt florenum Germanicum, æstimatum ibidem 79. vel 80. grossis; vel Antuerpiæ suas obligationes seu litteras cambij aliis vendunt, ita vt 4.). vel 6. grossos in singulos florenos Germanicos lucrentur. Similis ferè ratio seruatur, quotiescumque datur cambium ad loca, vbi celebrantur nundinæ; quò enim longiùs absunt nundinæ, eò campsores minus dant, & plus recipiunt: & contrà quò sunt propinquiores, eò plus dant & minus lucrantur.

54 *Ratione temporis.* Respondeo & Dico Primò, Pretium cambij non posse variari ratione solius temporis longioris vel breuioris. Ratio est, quia in cambio non requiritur tempus interuallum, nisi quatenus id necessarium ad translationem litterarum, & ad præparationem solutionis, vt ea commodè in loco distanti fieri possit: ergo si plus temporis concedatur ad solutionem, id non fiet ex vi contractus cambij, sed taciti cuiusdam mutui: atqui in mutuo aliquid exigere ratione temporis longioris, est vsura. ergo.

55 *Alia causa probabiles.* Dico Secundò, Posse hoc pretium ob alias causas iustè variari, quas cùm valdè probabile sit in casu proposito subesse, probabile etiam est hanc variationem pretij iustè à mercatoribus constitui; ac proinde tale cambium licitum esse. Prior pars patet ex dictis dubit. 3. & 4. Altera verò, quòd hæ causæ reperiantur in hoc cambio, Probatur Primò, Quia ordinariè campsores pluris æstimant carere pecunia sua quinque mensibus, quàm quatuor, & carere quatuor, quàm tribus; idque partim quia interim carent facultate lucrandi illâ pecuniâ, partim quia diutiùs versatur sors in periculo. vnde hæc æstimatio non est irrationalis; nititur enim iusta ratione, idque ex communi mercatorum & campsorum iudicio. Secundò, Quia quò plures sunt menses ante nundinas, eò plures petunt pecuniam à campsoribus, vt diu pretio frui possint: atqui quò plures sunt petentes, eò magis crescunt pretia cambiorum. Hæc causa quibusdam videtur sufficiens ad inducendam tantam pretij variationem. Tertiò, Si non concederetur plus temporis, quàm natura vnius cambij postulet; qui pluribus mensibus egent pecuniâ, deberent sæpiùs ad cambium petere, cum magno suo damno & incommodo. quod considerantes campsores concedunt longum tempus, vt in vno cambio, virtute comprehendant plura cambia, quæ ipsi interim facerent cum iisdem campsariis, si solùm tempus præcisè necessarium ad translationem concederetur: & hoc cedit in commodum campsariorum, qui longè minus soluunt, quàm si tot cambia cogerentur facere. causa igitur, cur quò tempus longius est, eo maius pretium statuant, est, quia eò plurac ambia virtute censentur fecisse. Hac ratione vir quidam doctissimus illam pretij variationem excusabat; mihique probatur: præsertim accedente etiam prima & secunda causa.

56 Confirmatur, Quia iustum pretium censetur in quoque foro, quod periti illius negotiationis bona fide, consideratis omnibus circumstantiis, imponunt, & quo inter se contrahendo vtuntur, nemine contradicente vel conquerente. atqui periti campsores & mercatores, omnibus consideratis, sic pretia variant, & sic inter se contrahunt, nemine conquerente; ergo hæc variatio non est censenda iniusta. *Iustum pretium.*

Ex his patet, talia cambia non esse damnanda; præsertim cùm omnes passim illis vtantur: inter quos multi viri probi & conscientiæ religiosæ; qui si iuberentur abstinere, soli laxiores illis vterentur, quo fieret vt pretia cambiorum istorum cum magno Reipublicæ incommodo valdè incenderentur. neque enim vnquam obtineri poterit, vt mercatores non pluris æstiment concessionem longi temporis, quàm breuis.

57 Ex hoc & supradictis dubiis facilè intelligi potest, quid dicendum sit de cambio, quando ei miscetur alia species contractus, & nominatim de quodam contractu, quem mercatores Antuerpienses sæpè cum Rege inierunt. de quo ab hinc 18. annis ab eis consultus fui. Dabant Regi Antuerpiæ ad bellicos, vsus centum millia aureorum, octoginta duo millia in pecunia, & 18. millia in pannis, dimidio tamen supra iustum æstimatis. Nam quod valebat duobus, æstimabant tribus. vnde cùm pannus totus valeret solùm 12000. aureorum, æstimabant 18000. Porrò ipsi in Hispania intra duos menses accepturi erant 100000. aureorum in pecunia. *Si alij contractus miscentur.* *Contractus mercatorũ cum Rege.*

Respond. Primò, Hunc contractum videri sic conceptum, vt fraus fieret militibus: ideò enim totum

totum onus cambij videri reuolui in pretium panni, vt in solutione stipendiorum, militi pannus æstimetur quasi reuerà tanti valeret. Verùm quia solutio ista non fit à mercatoribus, sed ab officialibus regiis, non est hæc iniuria mercatoribus imputanda, si huius consilij causa non sint. Si tamen possent eam absque suo incommodo impedire, ineundo aliam speciem contractus, tenerentur ex charitate.

Secundò, Hunc contractum non videri illicitum, nisi fortè sit excessus in lucro. continet enim tres contractus; per quos si seorsim ad tantum lucrum peruenire potest, potest etiam per eosdem vnitos. dantur enim 82000. ad cambium, & venditur pannus valens 12000. & hoc pretium implicitè datur ad cambium in locum dissitum. nam pretium panni soluendum est in Hispania post bimestre. Itaque si cambio 82000. Antuerpiâ in Hispaniam, & venditione illius panni, & cambio pretij illius, tantum à Rege lucrari potuissent, contractus est iustus. (quæ enim seorsim iusta sunt, etiam iunctim.) Nec obstat, quòd videantur pannum vendere supra iustum pretium; quia in eo pretio comprehendunt pretium cambij expressi 82000. & taciti 12000. Neque porrò est venditio; sed contractus innominatus, do vt des, comprehendens virtute plures contractus nominatos. Si verò non potuissent tantum exigere seorsim, contractus est iniquus, & tenentur ad restitutionem excessus. Et sanè lucrum videri possit excessiuum: nam in effectu non dant nisi 94000. aureorum, & recipiunt 100000. vnde intra bimestre lucrantur sex in 100. & consequenter, dum illum contractum quoque bimestri repetunt, lucrantur 36. in centum intra vnum annum. Accedit, quòd hac ratione vendant magnam vim mercium, quod commodum etiam est pretio æstimabile. Ad hæc respondent ipsi, se tantam vim pecuniæ sine magnis sumptibus, laboribus & periculis non posse conquirere, cùm eam vel ab aliis cum graui interesse debeant accipere, vel etiam ex Italia & Hispania per mulos cum magno periculo curare deferri. Deinde in contractibus cum Regibus magna esse pericula; soluere enim illos quando volunt, & facilè antiquos contractus, si per eos læsi videantur, reuocare. Quod ad pannum attinet, ideò se hunc inferere summæ, quòd id fiat sine vllo Regis incommodo: & quòd ipsi tantam vim numeratæ pecuniæ non possint assiduè habere paratam. Quòd autem lucrum videatur magnum, id fieri ob crebram eiusdem contractus repetitionem. Verùm vtrùm lucrum sit moderatum, an modum excedens; non est Doctorum determinare, sed proborum virorum in arte illa peritorum. Hoc tantùm affirmo, hunc contractum ex forma sua iniquum non esse.

Dvbitatio vii.

Vtrùm cambium Besuntinum sit licitum.

59 NOtandum, nomine cambij *Besuntini* intelligi proprie quod ad vrbem Besançon traiicitur, vbi non est frequentia mercatorum aut mercium. quidam nunc vocant *Placentinum*, quòd ad eam quoque vrbem frequens detur. Generatim tamen intelligi potest omne cambium, quod dirigitur ad locum, vbi campsorius nec vllam pecuniam, nec vllum respondentem, nec fidem habet; sed rogat campsorem, & ipse nomine eius aliquem, qui respondeat, procuret, vel ipse per suum factorem respondeat; qui postea eamdem pecuniam per recambium remittit, vt ita fiat solutio cambij & recambij, in loco, vbi fuit primò accepta. tale est cambium, quod maximè in illas vrbes à Genuensibus & aliis dicitur celebrari.

Quidam Doctores sentiunt; tale cambium non 60
esse contra iustitiam, si bona fide iustum pretium, *Sententia quorundã.*
quantum fieri potest, constituatur. Ita respondent in quadam consultatione sex viri doctissimi in Lusitania. & tenet Siluester v. Vsura 4. qu. 9. dicto 6. & Nauarr. l. 5. consilio 1. titulo de vsuris. & in Enchirid. cap. 17 n. 289. & 301. & Thomas Boninsignius cap. 7. de cambiis num. 7. 8. 9. Quæ 61
sententia probari potest Primò, Quia si hoc cam- *1. Probatio.*
bium esset iniustum, id ideò esset, quòd campsarius non habeat pecunias eo loco, vbi soluendum est: atqui hoc non obstat; quia non requiritur vt actu ibi habeat, sed sufficit vt habeat in credito apud amicum, vel vt facilè possit habere correspondentem, qui eas ibi det mutuò, vel ad cambium; vt rectè docet Nauarr. in Enchirid cap. 17. num. 289 & 301. & in Consiliis, loco citato: hoc enim sufficit vt fiat cambium verum & reale, non siccum: atqui iste hoc pacto facilè potest ibi habere pecuniam & respondentem: ergo ex hac parte non est iniustum; nec enim tunc vera emptio vel permutatio pecuniæ, quam campsarius ibi habet, vel habiturus est per mutuum, vel per aliud cambium reale.

Dices Primò, Non habet ibi alium respondentem, cui debitum traiiciat, præter respondentem campsoris: atqui hoc perinde est ac si ipse campsor responderet: quod videtur fieri in fraudem vsurariam. 62 *Obiectio.*

Respond. Si campsor illum cogeret vt suo respondenti traiiceret debitum, id iniquum foret; (quia præter naturam contractus nemo potest obligari) sed campsor id ei relinquit liberum. quòd si ipse sponte petat à campsore sibi aliquem respondentem dari, certè nulla fit ei iniuria. sicut enim quiuis alius (qui condicto tempore ibi potest soluere) potest ei respondere, debitumque acceptare; ita etiam is, quo ipse campsor vtitur, ibi potest hoc munere fungi.

Dices Secundò, Saltem hoc non licebit, quando 63
respondens campsoris, cui creditum transmittitur, est famulus, vel merus executor campsoris: nam tunc censetur vna persona cum campsore; ac proinde dum ipsi debitum traiicitur, ipse sibi solueret; quæ solutio videtur fictitia & imaginaria.

Respond. Non esse imaginariam solutionem; potest enim vnus idemque, quatenus subit diuersas personas, seu officia, sibi ipsi soluere, sibique esse creditor & debitor.

Vbi Aduerte, campsorem hîc subire duas personas, nempe campsoris, quatenus hîc dat ad cambium, & transmittit creditum ad suum respondentem: & campsarij, quatenus nomine eius traiicit debitum in eumdem suum respondentem: hoc enim ad officium campsarij pertinebat. Similiter respondens duplex officium præstat. Primò, Quo creditum acceptat, estque respondens campsoris. Secundò, Quo debitum acceptat, estque respondens campsarij, soluturus sibiipsi tamquam respondenti campsoris. nihil enim

refert ad iustitiam contractus, siue hæ personæ sint diuersæ, siue eædem; modò id in arbitrio eius, cuius interest, relinquatur. nam etiam in mutuo ipse mutuans potest esse fideiussor, seu assecurator, ita volente mutuatario, vt ostensum est c. 20. dub. 11. vnde fieri potest, vt campsor subeat officia quatuor personarum, si videlicet respondens sit eius famulus, vel collega in societate; nam socij omnes sunt instar vnius personæ.

64 *2. Probatio.* Secundò, Probari potest, quia si tu à mercatore petas mutuum, & ille dicat se non dare mutuum; sed esse paratum vendere pannum creditò, quem ipse præsenti pecunia illi vel alteri reuendas, non peccat contra iustitiam; quamuis interdum contra charitatem, vt ostensum est cap. 21. dubit. 16. Similiter si dicat se esse paratum emere præsenti pecunia si quid habeas hîc vel alibi venale; & si nihil habeas, offerat tibi merces (quas alibi habet vendendas) creditò, iuxta communem æstimationem; quas paratus est, si velis, præsenti pecunia redimere. Atqui hic contractus est similis illi, de quo agimus, in quo dicit campsor se nolle mutuare; sed esse paratum emere pecunia præsenti tuam pecuniam absentem, quam habes v.g. Besuntij: & si ibi non habes, nec potes habere per alios; paratus est tibi creditò ibi vendere, & præsenti pecunia eamdem emere.

65 *Obiectiones.* Dices Primò, Iste non liberè, sed coactè accipit tale cambium: atqui coactio, seu inuoluntarium, irritat contractū; ergo hoc cambium est iniquum.

Resp. esse hîc sufficientem libertatem vt validus sit contractus; quia absolutè, liberè & voluntariè contrahit. & quamuis ex parte faciat inuoluntariè, (quia mallet alia ratione pecuniam consequi) tamen quia per iniuriam ad hunc modum contrahendi non compellitur, non obest hoc inuoluntarium. multi enim valdè inuoluntariè res suas vendunt; quia tamen per iniuriam ad hoc non coguntur, venditio est valida. Idem dicendum de aliis contractibus. Pactio autem vsurarum non ideò est irrita, quia inuoluntaria; sed quia mutuatarius non intendit transferre vsuras, nisi quatenus eas Iure debet pro vsu pecuniæ, vt dictum est cap. 20. dub. 18.

66 Dices Secundò, Pretium in hoc cambio semper est iniustum: ergo & ipse contractus iniquus est. Antecedens probatur, quia pecunia, quam campsarius vendit, campsori pluris valet, ob sumptus quibus eam comparare debet. sicut merces maioribus laboribus & sumptibus comparatæ, pluris valent, v.g. frumentum aduectum ex Sicilia Romam, quàm in agro Romano natum.

Resp. Quando merces secundùm se habent communem æstimationem, non ideò pluris valent, quòd maioribus sumptibus sint comparatæ, vt dictum est suprà cap. 21. dubit. 4. atqui pecunia illa habet suam æstimationem communem in illo loco, ad quem cambium mittitur, vt patet; alioqui sequeretur, si aliquis comparasset 100. vlnas panni, maiori pretio, non posse eas emi pretio infimo currente; quod est contra communem sententiam. nec est simile de frumento: quia Siculum melius est Romano. quòd si non esset melius, possem illud emere eodem pretio quo vulgò venditur Romanum.

67 Dices Tertiò, Hoc cambium videri siccum, & verum mutuum: quia litteræ remittuntur inanes: vnde eodem loco, vbi pecunia accepta est, redditur campsori cum lucro, quod lucrum non videtur exigi, nisi ratione dilationis.

Resp. Non esse siccum; nam litteræ per quas fit, verè mittuntur, & virtute earum fit vera solutio in loco destinato; non enim est necesse pecuniam reipsa ibi numerari, sed sufficit ipsam ibi esse, & debita creditaque per chirographa transferri: (qui modus solutionis est vsitatissimus inter mercatores) ita vt sit aliquis qui acceptet debitum, & aliquis qui acceptet creditum; siue vnus idemque vtramque obligationem & functionem subeat, siue diuersi; hoc enim non mutat rei iustitiam. vnde verum non est, litteras redire inanes: nam aliæ remittuntur, quibus fit recambium.

Vt explicem quid de hac sententia sentiam, 68 Dico Primò, Si is qui petit à campsore, non sit habiturus pecunias alibi actu vel potestate, seu in credito, idque campsor norit; contra iustitiam peccat, si ei ad illum locum cambiat. est communis sententia Doctorum; Siluestri, Vsura 4. qu. 9. Nauarri c. 17. nu. 289. & 299. Thom. Boninsignij c. 7. Ratio est, quia dare ad cambium, vel est permutare pecuniam præsentem cum absente, vel est pecuniam absentem emere, aut transferre: atqui hîc non est vlla res, quæ possit emi vel transferri à campsore, vel permutari cum pecunia præsente: est ergo emptio & permutatio ficta; ac proinde lucrum inde prouenies caret iusto titulo. sicut si quis emeret boues ab aliquo qui nullos habet, eosque illi certo pretio locaret, lucrum illud esset iniustum; quia nulla hîc est locatio, sed solùm fictio locationis.

Quid sentiendum in hac quæst.

Si alibi non habet pecuniam re ipsa, vel fidem.

Aduerte tamen, si campsor bona fide ad cambium dederit in certum locum, putans alterum ibidem habere pecuniam, aut habiturum; potest, vbi resciuerit fraudem, illum cogere vt contractum impleat, & ibi soluat: quòd si alter nolit illic soluere, poterit campsor repetere sortem & pretium cambij in loco vbi dedit; & interesse, quod patitur ex eo, quòd loco constituto solutum non sit. Ratio est, quia cùm ipse bona fide contractum ex parte sua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte sua implere quantū potest; vel soluere quantum intererat campsoris eum impleri. alioquin contractus semper paterent fraudibus; & contrahentes possent cum magno suo incommodo eludi. 69

Si bona fide dedit campsor.

Dico Secundò, Si is qui petit, possit alibi habere pecuniam per amicum vel alium, qui non sit in ministerio vel societate campsoris, non peccabit contra iustitiam campsor, si nolit ei dare nisi ad cambium in talem locum. fieri tamen potest vt peccet contra charitatem proximi. Prior pars patet; quia ex iustitia non tenetur ei dare mutuum, sed potest nolle ei dare pecuniam, nisi aliquid emendo iusto pretio: atqui pecunia illa, quam iste habere potest alibi, est pretio æstimabilis: ergo etsi campsor nolit ei dare pecuniam, nisi emendo talem pecuniam absentem, non peccabit contra iustitiam. sicut si nolit ei dare pecuniam, nisi emendo domum, vel agrum, vel equum, non facit ei iniuriam. 70

Si alibi habet per amicum.

Altera pars patet; vt si proximus sit pauper, & in aliqua graui necessitate constitutus: nam contra charitatem est, compellere hominem tenuem hîc egentem pecunia præsenti, vt alibi, vbi non eget, cum magno suo damno eam procuret. vt enim campsarius ei, qui alibi pro se respondit, satisfaciat, cogitur ibi facere recambium, & sic in loco, vbi

vbi accepit, soluere pretium cambij & recambij, grauissimo suo incommodo.

71 *Probabile est non esse contra iustitiam.* Dico Tertiò, Si is qui petit à campsore, non possit habere alium qui ipsius nomine satisfaciat in loco condicto, quàm ipsum campsorem, vel socium eius cui pecunia in loco illo est numeranda; probabile est, esse contra iustitiam tunc ad cambium dare. Contraria tamen sententia non est improbabilis, & speculatiuè verior; tamen omnino dissuadenda, nec facilè permittenda. Prior pars probatur, quia ita tenent multi DD. videtur enim esse mutuum palliatum. intentio enim non videtur esse alia, quàm dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco restituatur; cetera videntur agi non seriò, sed tegendi mutui causâ. Secunda pars probatur rationibus suprà allatis. suppono autem seriò agi, ita vt si factor campsoris, qui respondet pro campsario, fugeret vel decoqueret, campsor non sit habiturus directam & nomine suo actionem in campsarium. nam hoc ipso, quo acceptata est obligatio respondentis, liberatur campsarius; ita vt campsor in illum agere saltem suo nomine non possit: quòd maximè locum habere debet, quando factor campsoris respondet. potest tamen ei competere actio indirecta, nomine sui debitoris.

72 Tertia pars patet; tum quia sæpè est contra charitatem; tum quia inducit præsumptionem Iuris & de Iure, vsurarum; vt patet ex Bulla Pij V. de cambiis. vnde talis in foro externo posset plecti tamquam vsurarius.

Dvbitatio viii.

Vtrùm prouisiones, quas solent campsores & bancarij accipere, iustè accipiantur.

73 *Prouisiones.* NOtandum est, nomine *prouisionum* significari mercedem & lucrum, quod campsores & bancarij detrahunt pecuniæ numerandæ, ratione operæ, quam præstant scribendo, numerando pecuniam, soluendo pro alio, litteras mittendo, pecuniam depositam custodiendo, pro alio se obligando, alterius negotia expediendo. Itaque possunt hîc interuenire varij tituli, de quibus seorsim dicendum.

74 *Prò custodia.* Dico Primò, Campsor vel nummularius, qui pecuniam mercatorum, vel aliorum accipit custodiendam, cum obligatione eam reddendi, quando & cui voluerint depositores, potest accipere iustam mercedem pro hac custodia & obligatione, si de ea antè stipulatus fuerit; vel si ex consuetudine dari soleat. Ratio est, quia tale obsequium in gratiam alterius præstitum, per se est pretio æstimabile.

Dixi, *Si ante stipulatus fuerit*, &c. quia alioquin non censebitur locasse operam suam pretio; sed gratis, vt vsu pecuniæ frueretur: vel accepisse eam mutuò. nam depositores ordinariè nihil dare solent, cùm bancarij libentissimè gratis hoc onus suscipiant, ob commodum quod illis inde prouenit.

75 *Quando lucrentur bancarij, & quando depositores.* Vbi Aduerte, fieri interdum posse, vt bancarij lucrentur; vt si nolint pecuniam suscipere custodiendam, nisi certo pretio operam suam ad hoc locando: quod possunt facere, etiamsi ex vsu pecuniæ interim magnum quæstum capiant: etsi enim permittatur illis vsus pecuniæ, tamen pretio æstimabile est, quòd obligent se ad pecuniæ custodiam, & ad eam restituendam, quando alteri placuerit: quod autem interim quæstum vsu pecuniæ faciant, industriæ fructus est, non pecuniæ: vnde hoc non impedit, quin pro obsequio, quod præstant depositori, possint mercedem pacisci. Interdum fieri potest, vt deponentes lucrentur; vt si nolint pecuniam suam tradere, nisi in societatem negotiationis per tres contractus, de quibus infrà. Hoc modo in Hispania & Gallia fortasse accipiunt depositores 6. vel 7. in 100. à bancariis, quamuis Nauarr. cap. 17. nu. 293. putet eos committere vsuram, si ex pacto tacito vel expresso accipiant. Sed hoc intellige, nisi talis vel similis contractus interuenerit. Interdum fieri 76
potest, vt neuter lucretur: vt si depositores nolint eam tradere titulo depositi, sed mutui vel precarij: tunc enim nihil poterit exigi ratione custodiæ, quia alter custodit rem suam, non alterius; cùm ex vi mutui transferatur dominium in mutuatarium. neque ratione obligationis soluendi; quia hæc obligatio tali mutuo est intrinsecè connexa. Deinde etiamsi non cogitent de mutuo, sed simpliciter apud bancarium deponant, tamen non tenentur soluere mercedem; quia cùm magnum bancario beneficium præstent, quòd apud ipsum potiùs, quàm apud alium pecuniam suam deponant, vicissim intendunt ab ipso beneficium accipere, (videlicet custodiam suæ pecuniæ) ad quod ex gratitudine tenetur. si enim indicaret se nolle id gratis præstare; facilè alij inuenirentur, qui id libentissimè susciperent.

Dico Secundò, Campsor potest aliquid exigere 77
nomine prouisionis seu mercedis à campsario. *Quibus campsor à campsario prouisiones possit accipere.*
Primò, Si periculum sortis, volente campsario, in se suscipiat. sicut enim mutuans vel emens anticipata solutione, vel creditò vendens, potest exigere pignus vel fideiussorem, vt sibi cautum sit de sorte: ita etiam cambiens; vt rectè docet Boninsignius cap. 7. num. 23. vnde si campsarius non habeat pignus vel fideiussorem, vel si petat vt ipse campsor id periculi subeat; poterit campsor aliquid pro eo onere bona fide æstimatum accipere. Secundò, Si fideiubeat pro campsario apud eum, cui debitum traiicitur, id est, apud respondentem campsarij; præsertim si ille non sit famulus, seu factor campsoris. Ratio est, quia obligat se pro campsario ad soluendum illi, si contigerit campsarium illi non soluere: quæ obligatio est aliquo pretio æstimabilis, quamuis exiguo; præsertim quando campsor aliunde est securus suæ sortis. est tamen alicuius momenti; quia si alius fideiussisset, campsor non posset conueniri à respondente campsarij; atqui nunc conueniri potest, si campsarius tempore constituto, suo respondenti non soluat. Quòd si ille sit famulus, vel factor campsoris, 78
non potest campsor quidquam pro fideiussione *Si famulus vel factor, seu gestor negotiorũ.*
exigere: tum quia verè non fideiubet; (non enim obligat se alteri pro campsario, nec vllum nouum periculum subit) tum quia hoc ipso securus est famulus de solutione sibi facienda pro debito traiecto, quo dominus eius securus est de sorte & lucro sortis (nam censetur vna eademque persona) atqui dominus est securus, si iam antea pignus vel aliam sufficientem cautionem acceperit: ergo non potest hîc esse vera fideiussio pretio æstimabilis. Dico, *si cautionem sufficientem acceperit*;

quia.

quia si nullam cautionem accepit, nec campsarius eam dare potest, aut non cupit, potest æstimare periculum, cui suam pecuniam, prior numerando, exponit: non tamen fideiussionem, qua apud suum famulum videtur fideiubere.

79 *Qui pecuniam nomine alterius numerant.*

Dico Tertiò, Exigere etiam potest prouisionem is, cui debitum traiicitur, id est, respondens campsarij, vel campsoris, qui pecuniam in loco dissito numerare debet: huic tamen satisfacere debet is, cuius nomine pecunia numeratur; (isti enim illam operam suam locatam habet, & obsequium præstat) non autem ille, cui numeratur. vnde iniqua est consuetudo quorumdam, qui cùm debeant v.g. 1000. aureos, mittunt chirographum ad suum respondentem, vel ad bancarium, quo iubent solui tantùm 1000. cùm sciant ipsum nomine prouisionum detracturum ℈. vel 6. de tota illa summa: debent enim curare vt integra solutio fiat. vnde tenentur illud supplere, quod ille detraxit; quamuis ille detrahendo, iniuriam non fecerit.

80

Dico Quartò, Campsor & respondens nihil possunt exigere à campsario, ratione laboris numerandæ pecuniæ, vel scribendi litteras & mittendi ad suos respondentes. Ratio est, quia ex natura contractus hunc illi laborem debent. sicut emptor numerans pecuniã venditori, vel scribens ad amicum vt ei soluat, non potest aliquid pro eo labore à venditore petere. similiter nec amicus pecuniam ipsi numerans, quamuis huic merces debeatur ab eo, cuius nomine illam numerat.

Dvbitatio ix.

Vtrùm possit fieri pactum de eo quod interest campsoris, vel de recambio, si campsariis fuerit in mora.

81 *Pactum de interesse.*

Respondeo & Dico Primò, Iustè posse fieri pactum de interesse, sicut in aliis contractibus: vt si campsor ob hanc moram debuerit accipere pecuniam sub vsura, aut lucris per eam speratis exciderit. Potest autem à principio dupliciter pacisci. Primò, De incerto, vt campsarius cogatur omne damnum emergens & lucrum cessans, quod postea ratione dilationis obuenisse fuerit deprehensum, sarcire. Secundò, De certo aliquo; vt si exigat certum quid pro periculo cui se exponit, concedendo dilationem vltra terminum ordinarium: sed hoc secundum non est licitum, vbi Bulla Pij V. de cambiis seruatur. aliàs verò per se non est illicitum, cum ea moderatione, qua dictum est c.20. dub.13. posse id in mutuo permitti. hæc enim concessio dilationis, est tacitum mutuum.

82 *De recambio.*

Dico Secundò, Campsor non potest pacisci cum campsario, vt si elapso termino non soluerit, teneatur eamdem summam accipere ad recambium: nisi certò constet, tantum lucri illum ex illa mora amissurum, quantũ ex recambio perciperet. Ratio est, quia non potest plus exigere ratione moræ, quàm æstimationem lucri cessantis & periculi sortis. itaque cùm detrimenta recambiorum sæpè sint maiora, non potest illum ad hæc obligare.

83

Si tamen campsor moraliter certus esset, se eamdem pecuniam, si termino constituto soluta fuerit, statim ad cambium æquè vel magis lucrosum dare posse; posset stipulari vt campsarius teneatur tamdiu pecuniam illam per cambia & recambia ad singulos terminos accipere, donec tandem soluerit sortem: quia hoc nihil est aliud quàm illum obligare ad interesse lucri cessantis.

Petes, Vtrùm tunc ipse campsor & eius respondens possint consuetas prouisiones exigere? Videntur enim non posse: tum quia campsarius non petit illas scriptitationes & gyrationes vltrò citroque, sed illæ fiunt gratia campsoris, vt videatur semper verum cambium factitare; tum quia non fit noua pecuniæ numeratio. 84 *Prouisiones.*

Resp. Posse in rigore exigere; (quamuis id sit satis inhumanum, ac proinde apud honestos non vsitatum) idque titulo lucri cessantis. nam ponimus, campsorem eiusque respondentem percepturos eas ab aliis, si campsarius condicto tempore soluisset. Adde, has scriptiones non posse omitti; quia alioqui campsor censeretur vsurarius apud suos, inter quos vsu receptum est, vt nisi litterarum missio appareat, censeatur cambium ad eumdem locum, & condemnetur tamquam vsurarium. vnde etiam ratione indemnitatis, necessaria est litterarum missio.

Petes, Vtrùm id quod campsoribus debetur ratione prouisionum & interesse, possit ab ipsis continenter adiici sorti, vt cambium augeant?

Resp. Id fieri non posse, nisi moraliter certi sint se illud potuisse aliis statim ad cambium dare, & per illud lucrari; tunc enim ratione lucri cessantis possunt illud sorti vnire ad cambij augmentum. 85 *An sorti possit adiici.*

Dvbitatio x.

Vtrùm campsor, quando post multa cambia & recambia debitor ei soluit partem aliquam, teneatur illam acceptare in sortem, antequam sit satisfactum detrimentis cambij.

NOtandum est, esse consuetudinem campsorum, vt non acceptent solutionem sortis, nisi simul soluantur cambiorum detrimenta, seu lucra & interesse. Quidam putant id esse iniquum. Primò, Quia quando quis est debitor ex pluribus causis eidem creditori, in potestate debitoris est, soluere priùs vtri debito maluerit; quia debitor potest legem dicere rei suæ, nempe vt sit pro debito; quod ipsi placuerit; vt habetur L. 1. π. de solutionibus. Secundò, Quando quis est debitor ex pluribus causis, si aliquid soluat, id censetur solutum pro debito, quod magis grauat: nisi debitor contrarium exprimat; vt habetur L. 3. 4. & 5. π. eodem titulo. atqui magis grauat debitum sortis quàm vsurarum, seu detrimentorum, quando hæc non sunt vnita sorti: ergo prima solutio censetur facta pro sorte. 86 *Consuetudo campsorum.*

Respondeo tamen, verius esse, illam consuetudinem non esse iniquam, sed Iuri consentaneam. Probatur, Quia quando ex debito aliquo principali, tamquam ex radice, nascuntur alia debita tamquam fructus; tunc si fiat solutio, primò censetur fieri pro fructibus illis dependentibus: deinde si quid supersit, computatur in sortem; vt expressè habetur L 1. C. de solutionibus. & L. Si vsuras 21. C. de vsuris. idque consentaneum est praxi in similibus debitis; vt in debito censuum, & in debito ex contractu societatis. Leges autem illæ 87 *Non est iniqua.*

illæ in contrarium citatæ, loquuntur de debitis ex diuersis causis. hæc autem non nascuntur ex diuersis, sed ex vna eademque radice: nam alterum ex altero, tamquam fructus à re fructifera, pendet. Idem dicendum, quando aliquid debetur ratione interesse prouenientis ex mutuo; hoc enim Iura passim vocant vsuras, quas volunt intelligi solutas ante sortem; vt patet d.L. Si vsuras, suprà.

Pactum de certo interesse, non est irritum.

DVBITATIO XI.

De conditionibus, quas requirit Pius V. in sua Bulla de cambiis, & an omnes obligent.

88 HAnc Bullam refert Nauarr. cap. 17. nu. 300. Respondeo Primò, Damnat Pontifex tamquam vsuraria omnia cambia ficca; qualia sunt ea, in quibus ex intentione contrahentium fit solutio in eodem loco, eò quòd alter alibi pecuniam habeat.

Cambia ficca damnantur.

Secundò, Iubet seruari quasdam conditiones in cambio reali.

Conditiones requisitæ à Pio V.

Prima est, Ne campsor ratione dilationis, vltra terminum præstitutum concessæ, paciscatur de aliquo lucro; id enim esse vsurarium.

Secunda est, Ne ab initio vel posteà paciscatur de certo interesse, etiam in euentu, quo non fieret solutio debito tempore.

89 Vbi Notandum Primò, Solùm prohiberi pactum de certo interesse futuro ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. vnde non prohibetur pactum de interesse incerto, quod posteà ex mora campsarij deprehensum fuerit. Item non prohibetur ne pœna moderata adiiciatur, si ex negligentia tempore conuento non fuerit facta solutio.

90 Notandum Secundò, Nauarrum existimare, hanc prohibitionem fundari in præsumptione fraudis vsurariæ: itaque in foro conscientiæ, vbi cessant præsumptiones, valere pactum de certo interesse, si moraliter constet istud iustum esse; idque etiam in locis, vbi hæc Bulla recepta fuit. Ita docet cap. 17. Enchiridij num. 301. versiculo Nota quartò. quæ sententia videtur vera, præsertim cùm Pontifex non irritet tale pactum: mens tamen ipsius est, absolutè tale pactum vetare; vnde erit illicitum, vbi Bulla est recepta, quamuis non irritum.

Tertia Conditio, Ne realia cambia aliter quàm ad proximas nundinas fiant; vel si nundinæ non agantur, proximis terminis, iuxta receptum locorum vsum. Vbi Nota Primò, Non licere ad secundas nundinas dare cum maiori lucro quàm ad proximas; cum pari tamen licere. Nota Secundò, Si quis ratione veri interesse plus exigeret quando ad secundas nundinas concedit, vel terminum ordinarium profert, peccaret contra hanc Bullam, vbi est ea recepta, & puniretur in foro exteriori tamquam vsurarius; non tamen teneretur ad restitutionem ante sententiam Iudicis. Ratio est, quia in re, nulla est facta inæqualitas. 91 *Ad proximas nundinas.*

Quarta est, Vt in terminis solutionum constituendis, habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur; ne dum longiores præfiguntur, quàm loca destinata solutioni desiderant, fœnerandi detur occasio. 92 *Termini solutionum.*

Vbi notandum est, non improbari hîc terminos solutionum in nundinis, qui sæpè triplo vel sextuplo sunt longiores, quàm locorum intercapedo postulet; quia non possunt illis locis commodè alij termini constitui: sed de terminis extra nundinas. videtur autem tacitè improbari consuetudo illa, qua campsores eò amplius lucrantur, quò longius est tempus ante nundinas. Verùm probabile est, eam non improbari, quando illa variatio fit communi mercatorum iudicio; idque ob causas, quæ communiter ipsis videantur æquæ, vt suprà dictum est. Quod ad obligationem eius attinet, puto paucis locis, & forte nusquam (saltem quoad omnes eius conditiones) esse receptam. 93 *An recepta.*

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

De Locatione & Conductione, Emphyteusi & Feudo.

Complectitur Dubitationes 15.

HI contractus sunt inter se valdè similes; nam in his vtilitas & fructus rei transferuntur in alterum pro aliqua pensione vel obsequio, retento dominio, saltem directo. quare de his breuiter vno eodemque capite tractabimus.

DVBITATIO I.

Quid locatio, conductio, emphyteusis, feudum, & liuellus.

Locatio. 1 RESPONDEO, *Locatio* est contractus, quo persona vel res aliqua ad vsum vel fructum pretio conceditur. Dico *persona*, quia potest quis seipsum, & seruum suum locare alteri. Dico *res* in genere, siue mobilis sit, siue immobilis. *Ad vsum vel fructum*; quædam enim locantur solùm ad vsum, vt seruus, equus, domus, & similia, quorum fructus non est alius quàm vsus ipsorum. quædam ad fructum, vt agri & pascua. Item Iura, vt redditus, vectigalia. *Pretio*, id est, pro pecunia: sicut enim emptio requirit pecuniam, ita etiam locatio. alioquin si fiat pro alia re, vel obsequio, erit contractus innominatus, do vt des, do vt facias, &c. vide Siluestrum v. Locatio, num. 1.

Conductio est contractus, quo persona vel res ad vsum vel fructum comparatur pretio. sicut enim vnus idemque contractus ex parte vnius vocatur emptio, ex parte alterius venditio; ita etiam vnus idemque contractus, ex parte vnius est locatio, quæ est similis venditioni; ex parte alterius conductio, quæ est similis emptioni: nam emit operas, vel fructus rei aut personæ. 2 *Conductio.*

Emphy-

3 *Emphyteusis* idem est propriè quod ἐμφυτεία, id est, implantatio, insitio. vnde dicitur ager dari εἰς ἐμφύτευσιν, quando datur vt conseratur arboribus, vel segetibus. Hinc accommodatum est hoc nomen ad significandum contractum, quo res datur ad emphyteusim: quo significatu nunc de emphyteusi loquimur. *Emphyteusis* igitur sic accepta (non rectè quidam vocant emphyteosim) est concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis, retento directo, sub onere certæ pensionis proprietario soluendæ; idque vel in perpetuum, vel ad vnius vel plurium vitam, vel ad certum tempus, quod decennio non sit minus. *Emphyteuta* autem dicitur, qui dominium vtile rei immobilis sic accipit.

Emphyteusis.

4 Differt à contractu locationis, Primò, Quòd emphyteusis solùm constitui possit in re immobili, quæ cultura potest effici melior. Secundò, Quòd per eam transferatur dominium vtile, manente solo dominio directo apud priorem dominum. Tertiò, Quòd non fiat ad breuius tempus, quàm decennij: quorum nullum cernitur in locatione strictè accepta: si enim res immobilis locetur alicui ad decennium aut vlteriùs, vel ad vitam conductoris, quæ censeatur decennio futura prolixior; transfertur Iure communi vtile dominium & ius in re in conductorem; ita vt ei competat actio in rem contra quemuis, vt communiter docent Iurisperiti, teste Couarr. l. 2. variar. cap. 16. & colligitur ex L. 1. π. de superficiebus. Quare tunc non tam est locatio quàm contractus emphyteuticus; nam omnes definitionis partes illi conueniunt: secùs est, si locetur breuiori tempore quàm decennio; aut si sit res mobilis, vel ius aliquod incorporale; hæc enim in emphyteusim non dantur.

Differt à locatione.

Res immobilis locata ad decennium.

5 *Feudum* dictum est à fide seu fidelitate, vt communiter docent DD. & accipitur tum pro re quæ datur in feudum, id est, pro fundo beneficiario; tum pro contractu feudali. Pro contractu sic definitur, *Feudum* est concessio rei immobilis vel æquipollentis, cum translatione vtilis dominij, proprietate retenta, sub onere fidelitatis & obsequij personalis exhibendi. vide Iulium Clarum, de feudo, q. 4. & 5. Differt ab emphyteusi potissimùm, quòd in puro feudo non soluatur pensio vt in emphyteusi; sed solùm obsequium personale. Interdum tamen etiam in feudo aliquid soluitur in recognitionem dominij directi; sed ea ex parte declinat ad conditionem emphyteusis. In ceteris hi contractus sunt valdè similes, adeò vt sæpè nomina confundantur.

Feudum.

6 Notandum est, emphyteusim vulgò vocari, *liuellum* vel *libellum* & *contractum libellaticum*, vt notat Clarus, de emphyteusi, quæst. 1. & alij. idem nomen tribuitur etiam feudo. vnde communiter id, quod datur in emphyteusim vel feudum, dicitur dari ad liuellum. propriè tamen *contractus libellaticus* dicitur, quando emphyteuta vel feudatarius rem eam, quam in fendum vel emphyteusim accepit, simili contractu tradit tertio, vt sit veluti subfeudum, & subemphyteusis, vt docet Antonius Negusantius, de pig. parte 2. membro 2. num. 51.

Libellus.

Dvbitatio II.

Vtrùm si conductor impediatur ab vsu vel cultura rei, absque sua culpa, teneatur soluere pensionem:

Verbi gratiâ, conduxit aliquis domum, & viciniam inuadit pestis; vel incipiunt ibi grassari milites, qui omnia vastant, vel est infesta spiritibus; conduxit famulum, qui incidit in morbum.

REspondeo & Dico Primò, Si superueniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ absque culpa conductoris, ob quod meritò rem deferat, vel ea non vtatur, aut non colat, non tenetur ad pensionem pro illo tempore. ita Nauarr. cap. 17. num. 187. & Couarruuias lib. 3. variar. cap. 13. num. 8. de famulo ægrotante. & practic. qq. quæst. 30. num. 3. de peste & quauis causa iusta. & colligitur ex L. Habitatores. 27. π. Locati. vbi dicitur, *Si causa iusta fuisset, cur periculum timeret, quamuis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem.* Ratio est, quia conductor non censetur promittere pensionem, nisi quatenus re illa poterit vti aut frui. atqui quando aliquid tale rei superuenit, vt iusto timore impediatur, non censetur posse vti vel frui: ergò, &c. Puto tamen non esse vsu receptum, vt si quis propter pestem domum deferat, aliquid de pensione ei debeat remitti. Itaque seruanda est in his consuetudo & Ius cuiusque loci.

7 *Si impedimentum proueniat ex parte rei conducta.*

Dico Secundò, Si illud impedimentum proueniat culpa conductoris, vel etiam sine culpa ab illo originem trahat, (vt si sui commodi causa vel damni vitandi cogatur aliò proficisci) non potest quidquam de pensione detrahere, nisi quatenus cum domino rei conductæ conuenerit. Ita Nauarrus cap. 17. num. 197. de eo, qui conducto operario non est vsus eius opera, ob impedimentum ex persona sua obueniens. hic enim conductor tenetur ei de integra mercede, perinde ac si operam præstitisset; & num. 198. de eo, qui alia re conducta, ob simile impedimentum non est vsus. colligitur ex L. Qui operas. 38. & L. Si vno 16. π. Locati.

8 *Si culpa conductoris.*

Petes, An conductor teneatur ad integram pensionem vel mercedem, si æquè benè res alteri locanda non fuisset? Siluester v. Locatio, q. 12. sentit non teneri; quia contra æquitatem videtur, vt cogaris operario, cuius opera non potes vti, soluere mercedem; qui si à te conductus non fuisset, æquè nihil lucraturus erat; aut integram pensionem domus, qua vti non potes, soluere, si alteri ea locanda non erat.

9 *Quid si res alteri non erat locanda.*

Resp. In eo casu non esse summo Iure agendum; sed rem ex æquitate transigendam: ità vt non tota merces soluatur, sed tamen aliquid, arbitrio prudentis, prout conditio rei postulauerit: quia conductor potestatem facit locatori, vt rem vel operam suam alteri elocet; quod est pretio æstimabile. si tamen conductio illa causa est, cur alteri, qui integram mercedem soluisset, locata non sit, aut cur reliquo tempore, quod supereſt, locari non possit, tunc meritò integra merces soluenda est; quia conductor est causa lucri cessantis.

10

Aduerte tamen, quando conductor re vel opera conducta non est vsus, si ea res vel opera alteri

11

pro

Si opera alteri elocata.

pro mercede aliqua elocata fuerit, tantumdem de pretio prioris conductionis detrahendum. v. g. conduxeram operam tuam in 10. dies, posteà impeditus, non sum ea vsus per 5. dies; si illis quinque diebus eam alteri locasti eo pretio, quo à me conducta fuerat; non teneor tibi soluere pro illis quinque diebus: si minoris locasti, non teneor nisi de incremento. Ratio est, quia opera illa, ratione conductionis mihi erat debita; vnde si illam alteri pretio eloces, mihi debetur pretium. sicut si rem eam, quam à te emi, & nondum solui, alteri vendas, mihi debetur pretium, posito quòd priorem emptionem velis esse ratam.

DVBITATIO III.

Vtrùm locator rei fructiferæ teneatur remittere de pensione conuenta, si sterilitas, vel calamitas, absque culpa conductoris obuenerit.

12 *Si pacti sint in casum fortuitum.*

RESpondeo & Dico Primò, Si pacti sint à principio, vt conductor quouis euentu teneatur ad integram pensionem, non tenetur locator quidquam remittere. posse autem hoc in pactum deduci, patet; tum quia potest conductor renuntiare omnibus casibus fortuitis, & dispositioni fauorabili legis vel consuetudinis, quæ in euentibus fortuitis concedunt remissionem; vt docet Gomezius tom. 2. cap. 3. num. 19. tum etiam quia tale pactum est consentaneum naturæ contractus locati & conducti. est enim hic contractus valdè affinis emptioni & venditioni, vt
13 habetur L. 2. ff. Locati. locator enim agri videtur vendere colono fructus, quos ipse suo cultu & diligentia poterit percipere; & locator domus, vsum domus. vnde sicut rei emptæ periculum est emptoris, ita etiam ex natura huius contractus, periculum fructuum est conductoris, qui est veluti emptor illorum. Nec obstat, quòd fructus successiuè nascantur, (vt obiicit Gomezius) quia etiam id quod successiuè fit, simul vendi potest; qua venditione facta, totum periculum est emptoris. vnde nisi Ius vel consuetudo habeat vt fiat remissio, non est necessariò facienda. hoc tamen casu pensio deberet esse minor, quàm vbi conceditur remissio, idque quanti æstimabitur illud onus, seu illa renuntiatio casus fortuiti.

14 *Partiarius colonus.*

Dico Secundò, Non tenetur etiam quidquam remittere, quando est partiarius, seu quando pensio consistit in parte aliquota fructuum, v. g. in dimidia vel tertia; Nauarr. c. 17. n. 190. Ratio est, quia partiarius colonus quasi societatis iure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur, vt habetur L. Si merces. 25. ff. Locati.

15 *Si nihil percipiatur.*

Dico Tertiò, Si sterilitas vel calamitas anni sit tanta, vt conductor nihil ex re conducta percipiat, tota pensio remittenda est, nisi aliter sit conuentum. est communis DD. L. Ex conducto. 15. ff. Locati. vt si eluuione, vel hostium incursione, vel grandine, vel brucho vastentur segetes; si molendini elocati aditus intercipiantur, ita vt nemo ampliùs illud accedat molendi causa.

16 *Si parum.*

Dico Quartò, Si non sit tanta vt nihil percipiatur, tamen reuerà sit magna, facienda est remissio pensionis pro rata. habetur expressè capit. Propter sterilitatem. 3. de locat. & conduct. vbi Gregorius IX. ait: *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata, pensionis remissio est facienda: nisi cum vbertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* & colligitur ex L. Si merces. §. Vis maior. ff. Locati: estque communis sententia DD. teste Gomezio num. 18. Hoc autem ex quadam æquitate constitutum est, ne solus conductor sit semper in periculo damnorum, locatore securo. natura tamen huius contractus id non postulat, (etiamsi contrarium sentire videatur Gomezius) vt suprà dictum est.

Qua magna sterilitas.

Sed difficultas est, quàdo censeatur *sterilitas magna*, ob quam sit facienda remissio pro rata. Gomezius suprà num. 18. & Couarru. pract. quæst. cap. 30. recensent multas opiniones Doctorũ, quarum tres sunt maximè probabiles. Prima est, *Magnam sterilitatem*, vulgi iudicio definiendam. Secunda est, Eam censeri magnam, quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum, quos dare consueuit. Tertia, Quando detracto semine & expensarum æstimatione, non supereſt quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni. si autem id, quod supereſt, sufficiat dimidiæ pensioni, tunc nulla remissio est facienda; quia non censetur sterilitas magna, sed modica. sicut si quis sit deceptus, non tamen vltra dimidium iusti pretij, non censetur læsio enormis. Hanc tertiam amplectuntur plerique Doctores, & iuxta illam facienda est remissio reliquæ partis, quæ semper maior est, quàm dimidia pensio. 17

Si fructus collecti pereant.

Notandum est, ea, quæ dicta sunt de sterilitate, 18
etiam intelligenda esse, quando fructus iam collecti, positi in fundo vel in area, pereunt casu fortuito, antequam commodè potuerint in domum recondi; tunc enim perinde facienda est remissio, ac si sterilitas fuisset, vt patet d. L. Ex conducto. 15. §. 1. ff. Locati. vide Gomezium suprà. Idem puto dicendum, si conditis in horreo, fulmen, vel hostis ex improuiso superueniens calamitatem inferat; nam eadem videtur ratio.

Si sterilitas compenset.

Dico Quintò, Si præcedentium annorum fertilitas compenset præsentem sterilitatem, non tene- 19
tur quidquam remittere: quòd si præcedentes anni eam non compensent, tamen sequentes id præstẽt; tunc id, quod remisit annis præcedentibus, potest inde repetere. est communis DD. & habetur d. L. Ex conducto. ff. Locati. & cap. Propter sterilitatem, suprà. Ratio est, quia æquitas id postulare videtur; si enim ob sterilitatem fit remissio, par est vt ob fertilitatem id compensetur.

Qua censeatur talis fertilitas.

Petes Primò, Quanta debet esse *fertilitas*, vt per eam censeatur compensari sterilitas?

Resp. Si anni præcedentes & sequentes simul 20
collati, tantum attulerint colono commodi supra consuetum modum, quantum annus sterilitatis damni: ita vt omnibus inter se collatis, non censeatur esse in damno. Ita Gomezius suprà.

Si vbertas extraordinaria.

Petes Secundò, Vtrùm si aliquo anno sit extra- 21
ordinaria vbertas, locator possit pensionẽ augere.

Resp. Posse, si ea proueniat ex casu fortuito, non autem dumtaxat ex coloni industria. Ita Gomezius suprà ex communi sententia DD. qui id colligunt ex L. Si merces. 25. §. Vis maior. ff. Locati, & similibus Iuribus, à paritate rationis. vnde infert Bartolus in d. §. Vis maior. num. 8. *Si quis*

conduxit molendinum,& alia vicina impetu aquarũ sint destructa, debere augeri pensionem. Ratio est, quia si pensioni aliquid est detrahendum ob sterilitatem, etiam postulat æquitas, vt ob insolitam vbertatem aliquid ei addatur; vt sicut locator sentit onus ex sterilitate, ita etiam commodum ex
22 vbertate reportet. Sed hoc intelligẽdum est, quando ratione illius vbertatis non multùm minuitur pretium, ita vt longè maiorem pecuniam tunc possit conflare quàm ordinariè solet. si enim ratione abundantiæ pretium ita decreuit, vt magna illa fructuum copia non multò pluris valeat quàm consueta messis, par non est pensionem augeri. nec obstat quod dicto §. Vis maior, dicitur, *Immodicum lucrum colono non auferri*, quia id intelligendum de lucro ratione industrię coloni, vel clementiæ cęli obueniente. Bartolus & alij antiqui Doctores pro *immodicum* passim legunt *modicum*.

Quæ diximus, seruanda sunt secundùm Ius commune Cæsareum, & nisi aliud deductum sit in pactum. secùs si alicubi hisce de rebus sint propriæ leges, vel consuetudines.

Dvbitatio iv.

Quodnam censeatur iustum stipendium operarij, famuli, & eius qui aliquod officium habet.

23 *Stipendiũ iustum.*

Respondeo, Illud *stipendium* censeri iustum, quod passim eo loco huiusmodi operarijs, officialibus, & famulis, tali ministerio occupatis dari solet; ita vt non sit minus infimo, nec maius summo, quod dari consueuit. sicut enim pretium rerum venalium, quod non est aliqua lege taxatum, non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem summi, medij, & infimi; ita etiam pretium operarum, & obsequiorum. vnde si locator suæ operæ mercedem exigat maiorem quàm sit summa, vel si conductor det minorem, quàm sit infima dari consueta; facit iniuriam, & tenetur ad restitutionem, reducendo mercedem ad proximos limites pretij iusti. locator enim detrahet quod accepit supra summum: & conductor addet quod deest vsque ad infimum. sicut is qui vendidit aliquid supra iustum, tenetur solùm restituere quod accepit supra summum pretium iustum: & qui emit aliquid infra iustum, tenetur solùm restituere quod deest vsque ad pretium infimum iustum. sufficit enim ad iustitiam, vt contractus iniustus reducatur ad proximos iustitiæ limites; qui sunt pretium summum & infimum. summum est proximus limes respectu eius qui supra iustum accepit: infimum, respectu eius qui infra iustum dedit.

24 *Si dubium sit.*

Hinc sequitur Primò, Quando famulo, vel operario, vel cuiuis alteri officiali non omnino constat, stipendium, seu pensionem, quæ ipsi constituta est, esse infra infimum iustæ mercedis gradum, non posse vti compensatione, subtrahendo de rebus domini: quia in dubio vtrùm aliquid sit iustitiæ lege debitum, non habet locum compensatio; vt dictum est cap. 12. dub. 10. non esse autem infra infimum, ex eo constare potest, si multi alij non deerunt, qui libenter tale munus, officium, vel obsequium pro tali stipendio sint præstituri; hoc enim manifestum est signum, talem mercedem, spectatis omnibus circumstantiis, non esse indignam tali functione: etsi enim functio aliqua multos labores coniunctos habeat; tamen si honores vel emolumenta alia ei coniuncta sint, stipendium poterit esse paruum; nam honor & commoda coniuncta, sunt veluti pars stipendij.

Sequitur Secundò, Etiamsi nulla facta sit conuentio de certo stipendio, & res tota relicta sit arbitrio domini; nihilominùs dominum teneri saltem ad infimum mercedis iustæ. non enim famulus mercedem ita relinquit in arbitrio domini, vt ei totum obsequium vel partem intendat præstare gratis, si ille nihil velit dare; sed mens eius est, vt soluat quod æquum & iustum ei visum fuerit. *Si mercedis modus relictus arbitrio domini.*

Aduerte tamen, in duobus casibus non esse necessarium vt stipendium attingat infimum iustæ mercedis modum. Primò, Si conductor non egeat opera alterius, sed solùm ex misericordia, ad preces ipsius, ipsam conducit. tunc enim satis est ei dare alimenta. si tamen opera eius multò maiorem vtilitatem conductori adferret; ita vt illa longè amplius illi valeret quàm alimenta, teneretur illam compensare, saltem infimo iustæ mercedis modo. Ratio est, quia ille non intendit operam suam donare, sed vendere. quare cùm notabiliter pluris valeat conductori, quàm alimenta, aliquid amplius pro ea dare debet. Se- 26
cundò, Si famulus sponte non petat iustum stipendium, vt hac ratione alliciat animum domini ad procurandum beneficium vel officium: tunc enim censetur obsequium suum, qua parte pluris valet, donare: sicut qui munera dant alicui ad alliciendum animum ipsius ad beneuolentiam, vt ex beneuolentia & gratitudine concedat quod ab ipso sunt petituri. Si tamen tacitè intenderet dominum suum hoc pacto obligare ad procurandum beneficium Ecclesiasticum, esset simonia; *Simonia.* & dominus hanc mentem aduertens, cùm non possit talem obligationem suscipere, teneretur ei iustam obsequij mercedem rependere. non enim ille intendit obsequium suum donare gratis, sed cum eo onere, quod dominus non potest admittere. Itaque si illius obsequio velit vti, tenetur illud alia ratione iustè compensare, soluendo illi quantum meretur. Si verò intenderet illum obligare ad procurandum officium sæculare, tunc dominus id aduertens, vel teneretur obligationem illam in se suscipere, & quantum in se est facere vt id consequatur; (modò tamen sit idoneus) vel si hoc nollet, teneretur ei iustam mercedem constituere. Si dominus fecerit quantum in se est vt illi officium procuraret, videtur ad nihil amplius teneri, quamuis non sit consecutus: quia famulus non videtur ad aliud voluisse obligare, nisi id expresserit. & quamuis opera illa, quam impendit in sollicitando, non tanti valeat quanti obsequium quod famulus præstitit, tamen id non refert; nam famulus sponte & omnino liberè obsequium suum pro tali sollicitatione obtulit contractu innominato, Faciam vt facias: vnde qua parte obsequium eius pluris valet, censetur liberaliter donatum. secùs esset, si à domino ad hoc compelleretur. *Excipiuntur duo casus.* 25

Dvbi-

Dvbitatio v.

Vtrùm is, qui pluribus operam ſuam in ſolidum locat, poßit plura integra ſtipendia accipere:

27 VErbi gratiâ, Titius locauit operam ſuam Sempronio ad reducendum eius equum Louanio Pariſios 4.aureis, vtrũ poſſit Caio eamdem locare pari pretio, vt illius equum reducat.

Videtur non poſſe. Primò, Quia ſi vna eademque res vendatur duobus, non poteſt illius rei integrum pretium exigi à ſingulis: atqui locatio operarum eſt inſtar venditionis: nam opera vendi cenſetur; ergo ſi duobus elocata fuerit, non poteſt à ſingulis integrum pretium exigi.

Secundò, In omni contractu iuſto debet ſeruari æqualitas: atqui hîc non videtur ſeruari; opera enim non valet niſi 4.aureis, & tamen accipit 8. ergo contractus ille non eſt iuſtus.

Tertiò, Quia alioquin qui pactus eſſet cum Titio 50.aureis obire pro illo peregrinationem ſacram Lauretum, poſſet paciſci cum Caio pari pretio: ſimiliter cum tertio & quarto. & ita 200. vel 300 aureos acciperet pro labore iſtius peregrinationis, cùm ſolùm valeat 50.aureis.

Quartò, Commiſſarius cauſarum, cui pro vnius cauſæ expeditione, dum foras proficiſcitur, permiſſum eſt in ſingulos dies accipere duos aureos ab eo cuius negotia gerit, poterit accipere quatuor aureos ſi agat negotia duorum, ſex ſi trium: quod tamen videtur abſurdum. Sic enim fieret ſtatim valdè dives exiguo labore; nam vna profectione vnoque labore omnia illa peragit.

Pro ſolutione adhibendæ ſunt aliquot diſtinctiones. Vel enim ille obligat operam ſuam ſingulis in ſolidum, ita vt teneatur ſingulis, etiamſi alij reſilirent: vel obligat illam omnibus ſimul. Rurſus, vel illa opera eſt æquè commoda ſingulis ac ſi pro vnoquoque illorum ſeorſim tota impenderetur: vel non æquè eſt commoda. Denique, quando certum ſtipendium conſtitutum eſt alicui functioni, vel conſtitutum eſt tamquam integra merces, ita vt non poſſit amplius accipere, ſiue vni illam impendat, ſiue pluribus ſeorſim; vel ſolùm ita vt ſit integra merces pro negotiis vnius, non prohibendo interim quin tantumdem accipiat ab alio, ſi eadem opera eius negotium agat. His poſitis

Si non ſinguis in ſolidum. Dico Primò, Quando quis non obligat ſuam operam ſingulis in ſolidum, ita vt teneatur eam præſtare pro vnoquoque ſeorſim, etiamſi alij non concurrerent, non poteſt tantum exigere, quantum ſi vni ſoli eam obligaret. Ratio eſt, Quia obligatio partialis eſt minoris pretij, quàm totalis & integra; ſicut dominium partiale eſt minus totali. Hinc nuntius ordinarius non poteſt tantum exigere à ſingulis pro delatione litterarum, quantum ſi vni ſoli ſuam operam obligaret. Idem dicendum de magiſtro multos docente diſcipulos; & aliis ſimilibus, qui nolunt ſuam operam ſingulis addici in ſolidum.

28 *Si non ſit æquè ſingulis commoda.* Dico Secundò, Quando opera multis præſtita, non eſt tam vtilis aut commoda ſingulis, quàm vni ſoli exhibita, non poteſt tantum exigi à ſingulis, quantum cùm vni ſoli impenditur. Sic qui facit Sacrum pro multis, non poteſt pro ſuſtentatione ſua tantum exigere à ſingulis, quantum poſſet ab vno, ſi pro vno ſolo feciſſet. Quia multis applicatum, non tantum prodeſt ſingulis ex opere operato, quàm vni ſoli attributum. Simili modo ſi quis pro pluribus peregrinationem piam ſuſcipiat, non poteſt tantumdem accipere à ſingulis, quantum ab vno, ſi pro eo ſolo feciſſet. quia vna peregrinatio non tantum prodeſt ſingulis per modum ſatisfactionis, quantum vni: vnde ſinguli cupiunt ſibi ſolis totum laborem & cultum illum applicari. Idem dico, quando non æquè vtiliter & perfectè pro multis agitur ac pro vno.

Dico Tertiò, Quando quis pluribus obligat operam ſuam ſingulis in ſolidum, & illa æquè commoda eſt ſingulis, ac ſi pro illis ſolis fuiſſet exhibita, poteſt à ſingulis tantum exigere, quantum ab vno poſſet, ſi pro eo ſolo præſtitiſſet. *Si æquè commoda ſingulis.*

Probatur Primò, Quia qui proprij negotij cauſa debet proficiſci Romam, poteſt tantum paciſci ab alio qui eum ſuo nomine cupit ire, quantum ſi propria cauſa iturus non fuiſſet, vt omnes concedunt, & vſus quotidianus comprobat. Ergo idem dicendum de eo qui antè ex pacto cum quodam alio ire debebat. Parum enim refert, ſi illuc ire debebas, vtrùm tua, an alterius cauſa. id enim non variat æſtimationem illius functionis. Simili modo, qui quærit equum vt negotij ſui cauſâ proficiſcatur Pariſios, ſi inueniat equum reductitium; tantum poteſt exigere pro reductione equi, quantum alius qui equo non egebat, nec eò ire cogitarat. Idem patet cùm quis negotia diuerſi generis eadem profectione expedire poteſt.

Secundò, Probatur allata ratione, Quia quòd vna eademque opera pluribus æquè poſſim commodare ac vni; non minuit æſtimationem operæ reſpectu ſingulorum. non enim opera mea minoris tibi valet, quòd eadem dum tibi impenditur, ſimul alteri proſit: ergo ſi tibi ſoli exhibita valet tibi duobus aureis, non minoris tibi valebit, quòd ſimul alteri per eam poſſim commodare. Sic ſi medicus vno eodemque ſuffitu poſſet curare tres ægros, tantum poſſet exigere à ſingulis, quantum ab vno: non enim opera & ſuffitus ille minoris valet reſpectu Petri, eò quòd ſimul curet Ioannem. Idem & potiore ratione dicendum eſt quando functiones ipſæ, pro quibus merces exigitur, ſunt diuerſæ, ſed requirunt per accidens aliquam actionem præuiam, quæ eadem diuerſis illis ſubſeruiat, v.g. profectionem ad locum remotum vbi diuerſæ res ſunt gerendæ. Vt cùm quis nomine diuerſorum proficiſcitur ad locum diſſitum, vt ibi illorũ negotia tractet, vel teſtimonia & probationes in eorum cauſis conquirat. non enim datur tunc principaliter merces pro itinere, ſed pro functione peragenda in termino; quæ tamen pluris æſtimatur ratione diſtantiæ loci & itineris, quod eſt medium quoddam ad illam actionem neceſſarium. Porrò ad bonam fortunam vel induſtriam illius pertinet, quòd plura negotia concurrant, ita vt vno medio poſſit ad ea conficienda vti, vel eamdem functionem pluribus impendere. Neq; opus eſt, vt qui ſua negotia ipſi committunt, eiuſque opera vti cupiunt, ſciant illum etiam aliorum negotia gerere, vel plura ſimul expeditu-rum: ſed ſufficit vt tam vtiliter & opportunè ea gerere poſſit, ac ſi alia ſimul gerenda non haberet, & ſuam operam cuique ſeorſim impenderet.

Limitatio. Hæc tamen assertio sic limitanda est. Primò, nisi alioquin merces annua vel diurna ita sit taxata auctoritate publica, vel recepta vsu, vt siue vnius siue plurium causam agas, non possis amplius exigere; vt fit cùm salarium est cõstitutum ex publico, & non exigitur à priuatis: secùs cùm à priuatis, & obligatio fit singulis in solidum.

Secundò, Vt non accipiat plura stipendia nisi pro actione quam simul pluribus in solidum impendit, idque pro tempore quo illa durat; non autem pro illis, quas singulas singulis. Vnde potest accipere pro itinere quod omnium causa facit, pro numero dierum quo profectio eundo & redeundo durat; non autem pro actionibus, quas pro diuersis diuersas facit in termino constitutus. v.g. si pro negotio Petri, vbi peruenit ad locum destinatum, impendat vnum diem, pro negotio Pauli duos, pro negotio Andreæ medium: singuli soluent pro negotiis suis pro rata temporis.

29 *Ad argumenta.* Ad Primum, Est dispar ratio. quando enim vna res venditur duobus, non venditur singulis in solidum, nec eo modo potest duobus tradi, vt singuli tantum ex ea commodi accipiant, quantum si cuique eorum soli traderetur. vna verò eademque opera potest duobus in solidum obligari, & impendi, vt ostensum est. Si tamen fingeremus eamdem rem duobus in solidum posse tradi, concederem illam bis posse vendi, & duplex pretium pro ea accipi.

Ad Secundum, Negandum est non seruari hîc æqualitatem. etsi enim illa actio, v. g. profectio ad illum locum, quatenus tendit ad confectionem vnius negotij sub vna obligatione, non pluris æstimetur duobus aureis; tamen si consideretur, vt tendit ad aliud negotium sub noua obligatione cum altero in solidum ineunda, valet duplum. Simili modo opera magistri eximij, etsi non pluris valeat 10. aureis, quatenus in vno discipulo scientiam raræ alicuius artis parit; valet tamen duplum, si consideretur vt in duobus illam efficit, & triplum vt in tribus; modò erga singulos in solidum se obliget.

Ad Tertium, Patet ex dictis. peregrinatio enim pro multis obita, non prodest singulis in solidum.

Ad Quartum, Concedo totum, modò id non putetur esse contra mentem Magistratus tale pretium taxantis. Vnde vbi est talis consuetudo iam olim recepta, præsertim Magistratu qui mercedem taxauit, & ipso quoque populo sciente & non contradicente; censeo non esse iniiciendum scrupulum: etsi plura stipendia diurna, dum plurium causam ex diuersa cum singulis obligatione gerit, accipiat; modò æquè vtiliter singulis ita simul conficiat, ac si seorsum pro eis ageret. Et sanè si id non esset licitum, debuisset Magistratus non solùm præscribere, quantum accipiendum sit ab vno, dum vnius causam agit, sed etiam quantum à singulis, quando plurium: v.g. si duorum, si trium, si quatuor. Æquum enim est, vt si ab vno, cùm vnius causa proficiscitur, possit in singulos dies exigere duos aureos, possit exigere amplius à duobus, si duorum causam acturus erat; & amplius à tribus, si trium; & sic deinceps: ita vt singuli teneantur conferre amplius pro rata, quàm ad conficiendos duos aureos sit opus. quò enim plurium causæ sunt agendæ, eò onus est grauius notabiliter. Non tamen hinc sequitur, quòd talis statim exiguo labore detescet: tum quia non est paruus labor singula negotia exactè peragere; tum quia multorum causæ non semper ita concurrunt, vt simul peragi possint. Denique non est mirum, hominem industrium in opimo officio breuî ditescere.

Dvbitatio vi.

Ex qua culpa teneatur locator conductori, & conductor locatori.

Respondeo, Teneri de dolo, de culpa lata, & de leui; non autem de leuissima, nec de casu fortuito, eò quòd contractus sit in commodum vtriusque; de quo plura diximus cap. 7. dubit. 8. conductor quidem tenetur, si res, quam conduxit ad suum vsum, vel ad fructum ex ea capiendum, ipsius negligentia periit, vel deterior facta est. similiter si conduxit, vel redemit aliquod opus faciendum, vel aliquam rem transferendam, aut transuehendam; eaque res ipsius negligentiâ vel imperitiâ periit, vel surrepta est, vel aliquo modo vitiata. Numquam tamen tenetur, (nisi aliud deductum sit in pactum) si eam diligentiam & circumspectionem in re custodienda & tractanda adhibuit, quę communiter ab huiusmodi conductoribus adhiberi solet. non enim amplius præstare tenetur, quàm passim ab aliis in huiusmodi rebus præstari solet. 30 *Conductor quando tenetur.*

Econtrariò locator tenetur conductori, si locet illi rem vitiosam, (v.g. vasa vitiosa, vel prauo liquore imbuta) indeq; fiat vt conductor damnum capiat: vt si liquores infusi corrumpantur, vel effundantur. hîc tamen requiritur aliqua negligentia, vel culpabilis ignorantia in locatore. si enim præstet id, quod passim solet ab iis qui res huiusmodi locant, ad nihil tenetur. pari modo, si locator operæ suæ, non præstet operam promissam (quod sæpè faciunt operarij negligentes) tenetur partem mercedis, quam non est promeritus, restituere, & si quid inde damni acceperit conductor, sarcire. Domini quoque, & alij conductores, qui non permittunt suis famulis & operariis, aut non præstant ea quæ in contractu tacitè vel expressè promiserunt, tenentur ad compensationem damni & incommodi secuti. si maiorem operam exigant quàm conuentum sit, tenentur ad maius stipendium: quod animaduersione dignum; nisi fortè stipendium sit ita largum, vt meritò plus ab ipso exigi possit. *Locator quando.* 31 *Non præstantes promissa.*

Dvbitatio vii.

Quas ob causas licitum sit conductorem expellere, vel priuare conducto.

Respondeo, Doctores ex Iure Cæsareo passim recensent quatuor causas, quæ etiam breuiter insinuantur & approbantur Iure Canonico, d. cap. Propter sterilitatem. 3. §. Verùm. De loc. & con. Prima est, Si conductor tempore constituto pensionem non soluerit. colligitur id ex L. Æde 3. C. de locato. 32 *1. Causa expulsionis.*

Dices, Ius Canonicum, §. Verùm. videtur requirere vt per biennium non soluerit: & tunc adhuc concedit vt possit purgare moram, celeriter

riter offerendo satisfactionem: ergo non potest statim expelli.

Respondet Glossa in illum §.& Nauarr.cap.17. num.193.& multi alij, Illud esse intelligendum, quando res fuit locata in decem vel plures annos, aut saltem in quinque vel sex; non autem quando in pauciores, vt tres, vel quatuor: tunc enim posse statim expelli.

33 *Esse biennium expectandum.*

Sed verius videtur, semper esse biennium exspectandum, quando res vltra biennium est conducta. Primò, Quia Ius Canonicum apertè insinuat biennium esse necessarium. Neque verum est, Pontificem ibi loqui de re locata in decem vel plures annos; tum quia talis locatio non est propriè locatio; sed emphyteusis, cùm transferat dominium vtile rei in conductorem, vt dictum est dubit. 1. Vt autem quis possit expelli ex re emphyteutica propter pensionem non solutam, requiritur triennium, si emphyteusis sit sæcularis, vt infrà dicetur: tum quia reliquæ causæ, quas Pontifex ibi enumerat, conueniunt in res locatas breuiori tempore. Secundò, Quia Ius Ciuile nusquam apertè dicit posse conductorem statim expelli; sed DD. id colligunt à contrario sensu, (nempe ex eo quòd lex dicit, æde non posse expelli eum, qui soluit pensionem) quod argumentum sæpè non est firmum. Tertiò, Idem Ius Ciuile alibi insinuat requiri biennium, vt patet L. Quæro. 54. §. Inter locatorem. 7. Locati. Denique quia Pontifex Gregorius IX. ita videtur Ius Ciuile interpretari; nam ponit easdem causas, quæ recensentur L. Æde. 3. C. de locato. vnde puto Iuri esse conformius vt non expellatur, nisi biennio pensionem non soluerit.

34 *Secunda causa.*

Secunda est, Casus improuisus, per quem domus, quam elocasti, tibi incipit esse necessaria ad habitandum. vt si prior, quam inhabitabas, corruat, vel comburatur; vel cogaris migrare propter hostes.

Notandum est, hanc causam tantùm locum habere in domibus causa habitandi necessariis; non autem in prædiis rusticis, seu agris; vt rectè notat Gomezius tom.2.cap.3.num.6. quia lex hoc concedens continet priuilegium, quod non debet extendi: idque meritò, tum quia in aliis locator sibi faciliùs potest prospicere; tum quia alioquin cum magno incommodo conductorum, sæpissimè res conductæ eis auferrentur: semper enim locator posset causari, rem esse sibi necessariam.

Tertia.

Tertia est, Si domus vel alia res elocata necessariò egeat refectione vel instauratione, quæ non possit fieri inhabitante conductore. illa tamen peracta, domus est conductori restituenda.

Quarta.

Quarta est, Si conductor re conducta abutatur, siue damnum inferendo, siue infames personas introducendo, siue alia ratione cum scandalo vtendo.

35 Insinuantur hæ causæ breuiter d. L. Æde. C. de locato. vbi dicitur, *Æde, quam te conductam habere dicis, si pensionem domino in solidum soluisti, inuitam te expelli non oportet, nisi propriis vsibus dominus eam necessariã esse probauerit, aut corrigere domum maluerit, aut tu male in re locata versata es.*

36 *Prima & quarta causa.*

Circa prædicta Notandum Primò, Primam & quartam causam habere locum non solùm in ædibus & prædiis vrbanis, sed etiam in prædiis rusticis; imò etiam in mobilibus. si enim harum conductor pensionem suo tempore non soluat, aut re conducta abutatur, poterit ea priuari. Ratio est, quia non præstat ea ad quæ ex vi contractus tenetur; ac proinde locator non tenetur etiam stare contractu.

Notandum Secundò, Si conuenerit, vt locator conductorem non expelleret; si quidem locator intendit renuntiare iuri suo, quod leges ei concedunt, non poterit eum expellere: nisi fortè conductor ita se gerat, vt locator ad scandalum impediendum teneatur eum expellere. si autem non intendit renuntiare suo iuri, poterit illum ob causas supradictas expellere, etiamsi iuramento illa conuentio fuisset confirmata, quia in pactis non censentur comprehendi casus illi, qui Iure sunt excepti; nisi contrahentes intenderint illos comprehendere. 37 *Si iuramẽto confirmata.*

Notandum Tertiò, Quando conductor priuatur re conducta, quia locator illâ eget, vel quia ipsa eget reparatione; condonandam esse pensionem pro rata temporis. quãdo verò priuatur, quia re abutitur, si quidem possit res alteri ita elocari, vt elocator nullum damnum sentiat, facienda etiam est condonatio: si autem non possit sine damno, tenetur conductor illud compensare, quia censetur causa iniusta illius damni. Si autem priuetur ob non solutam pensionem, videtur facienda remissio pro rata; quia si quod damnum inde proueniat, censetur locatori voluntarium: nam nihil est quod ipsum cogat vt conductorem priuet. 38 *An remissio facienda.*

Dvbitatio viii.

Vtrùm licitum sit locare domum vel rem aliam ei, qui putatur ea abusurus ad peccatum mortiferum.

NAuarrus cap.17.nu.195. in principio, generatim sentire videtur id esse illicitum. Sed vtendum est distinctione. vnde

Dico Primò, Id esse illicitum, si vel fiat elocatio in illum finem; vel elocator possit & teneatur peccatum alterius impedire. vt si eloces domum furi, vel latroni, quem putas inde habiturum opportunitatem nocendi ciuibus; si loces, aut vendas arma ei, qui contracto litigio parat inuadere. Imò in hisce duobus casibus, locans censetur præbere auxilium, ac proinde tenetur ad restitutionem damni secuti: si loces domum tuam meretricibus vel vsurariis, quia alibi domum commodam non inuenirent; idque eo loco, vbi nullo modo expediebat tales permitti. 39 *Si elocator teneatur impedire.*

Dico Secundò, Si locatio fiat ob finem indifferentem, (v.g. ad commodandum dumtaxat de habitatione) & locator non possit, aut non teneatur impedire illa peccata, quæ ibi committentur, non peccat talibus elocando, sepositio scandalo. ita tandem sentit Nauarrus suprà, citans Maiorem, & totius orbis consuetudinem. Ratio est, quia illa elocatio per se est indifferens; nec vitiatur malo fine, aut vlla praua circumstantia. Vnde sequitur non esse peccatum (si aliàs absit scandalum) elocare domum meretrici; si vel multæ aliæ domus æquè commodæ non sint ei defuturæ; vel si expedit vrbi, ad maiora mala vitanda, illas permitti: quia tunc vel non possum vel non teneor illarum peccatum impedire. Idem dicendum est de vsurariis. Confirmatur; quia cùm hæc duo ho- 40 *Si non teneatur impedire.*

minum genera permittantur in Republ. nullus priuatus tenetur eos eiicere, aut illorum peccata impedire ; & consequenter potest quiuis eis domos elocare, & alia necessaria vendere, absque in-
41 tentione aut cooperatione peccati. Iure tamen Canonico vetitum est, ne quis vsurariis alienigenis domum elocet, vt patet c.1. de vsuris, in Sexto. hoc tamen non videtur multis locis seruari ; nam passim à Principibus & Rebuspublicis admittuntur, Episcopis minimè contradicentibus.

Dvbitatio ix.

Quænam conditiones Iure communi requirantur ad contractum emphyteuticum.

42 *Emphyteuseos conditiones.*

Respondeo, Varias conditiones posse apponi huic contractui. nam pacta contrahentium huic contractui dant legem, magis quàm vlli alteri ; vt patet ex L. 1. & 3. C.de Iure emphyteut. Hinc fit, vt in variis prouinciis diuersæ admodum sint de hoc contractu leges & consuetudines. Iure tamen communi Cæsareo, potissimùm sequentes (quæ habentur L. 1. 2. & 3. C. de Iure emphyteut.) locum habent, nisi aliter inter contrahentes conuenerit.

43 Prima est, Vt constituatur in rebus immobilibus & fructiferis ; vt in agris, domibus, pascuis, siluis, stagnis, & similibus, quæ cultu & industria possunt fieri meliora. Institutus enim est initio hic contractus ad terras steriles fœcundandas: deinde successu temporis extensus est etiam ad fœcundas, & ad alia corporalia, quæ fructum vel emolumentum annuum reddunt.

Secunda est, Vt dominium directum & possessio ciuilis huius rei maneat apud priorem dominum, qui rem dat in emphyteusim: dominium autem vtile eiusdem rei transferatur in emphyteutam. Ius enim, vtrumque dominum vocat.

44 *Præscriptio emphyteusis.*

Ex hac conditione sequitur Primò, Agros emphyteuticos, quoad dominium directum non posse ab emphyteuta præscribi ; (vt patet L. Malè. 2. C. de præscriptione 30. annorum) quia prior dominus manet in possessione ciuili. etsi enim emphyteuta vellet illos incipere possidere tamquam suos ; quamdiu tamen non eijcit dominum, manet dominus in possessione : atqui contra possidentem ciuiliter non est præscriptio, cùm hæc ipsa possessio ad præscriptionem sit sufficiens, vt dictum est suprà cap. 6. dubit. 2. vide Siluestrum v. Emphyteusis, n. 19. potest tamen emphyteuta contra dominum directum præscribere dominium vtile & Ius emphyteuticum ; quia hoc, nomine suo possidet : idque tempore 30. annorum contra sæcularem ; 40. contra Ecclesiam priuatam ; 100. contra Ecclesiam Romanam, iuxta dicta cap. 6. dub. 8. & 11.

Secundò sequitur, Laicum habentem agros Ecclesiæ in emphyteusim, teneri ex illis soluere tributa quæ laicis imponuntur ; quia dominium vtile, ratione cuius tributum debetur, non est Ecclesiæ, sed laici.

Tertiò sequitur, Emphyteutam posse rem illam alteri donare, locare, vendere, & dare in emphyteusim quamdam secundariam ; quia est res ipsius quoad ius & dominium vtile. Itaque potest illam secundùm illud ius in alium transferre ; modò tamen id faciat absque domini directi incommodo, & vt Iura præscribunt. Siluest. num. 20. Simili modo vsusfructus quiuis vendi & elocari potest, vt dictum est cap. 3. dub. 6. emphyteusis autem est quidam vsusfructus.

Tertia conditio est, Vt emphyteuta teneatur ad 45 *Solutio pensionis.*
certam pensionem quotannis soluendam. Vbi Notandum Primò, Hanc ordinariè minorem esse, quàm fructus detractis expensis valeant. nihil tamen vetat quin possit illis esse adæquata, sicut in locatione. Secundò, Eam solui posse vel in pecunia, vel in fructibus, prout fuerit conuentum.

Quarta est, Vt si hanc pensionem intra certum tempus non soluerit, amittat rem emphyteuticam, cum omnibus meliorationibus & emponematibus, seu operibus quæ in ea fecit, eaque redeat ad priorem dominum, & dominium vtile consolidetur cum directo. est communis sententia DD. & colligitur L. 2. & 3. C. de Iure emphyteut.

Vbi Notandum Primò, Si emphyteusis sit Ec- 46
clesiastica, (id est, si res, quæ data est in emphyteusim, sit res Ecclesiæ, vel pij loci) tunc si per duos annos non soluerit pensionem constitutam, amittit eam, nisi celeri satisfactione sibi consulere studuerit, moramque purgauerit. Ita habetur cap. Potuit, de locato & conducto. Si verò sit emphyteusis communis, seu sæcularis, requiritur vt triennio non soluerit ; sed non conceditur moræ purgatio per celerem satisfactionem, sicut elapso biennio in emphyteusi Ecclesiastica. Siluest. v. Emphyteusis, num. 9. Vt autem tunc res censeatur commissa, non requiritur vt debitor fuerit interpellatus de pensione soluenda ; quia dies ipsa interpellat pro creditore : aut vt sententia Iudicis interueniat ; quia ipso Iure cadit in commissum. Non tamen tenetur se illa spoliare, antequam dominus directus declaret, se velle pœnam illam commissi mandare executioni ; vt docet Clarus q. 9. & Siluest. num. 7. post tamen illam declarationem tenetur cedere, sicut fit in pœna conuentionali ; (ad hoc enim tacitè se obligauit ex vi contractus) nisi Iure possit excipere, opponendo aliquid, cur in commissum non videatur cecidisse. Verius autem est, pœnam non esse retrotrahendam ad punctum temporis, quo res cecidit in commissum ; (quia censetur solùm cecidisse sub conditione, si dominus directus declarauerit se ita velle) sed tantùm incipiendam à tempore, quo dominus voluntatem suam declarauerit. deinde quia pœna non retrotrahitur, nisi vbi id lege est statutum, vel stylo fori receptum. ex natura enim rei, nulla est in pœnis retrotractio.

Notandum Secundò, Si præter pœnam com- 47 *Si alia pœna adiuncta sit.*
missi, appolita sit alia in contractu, v. g. vt si non soluerit, teneatur ad duplum pensionum non solutarum ; non potest vtraque simul exigi, sed altera tantùm, prout placuerit creditori. Ita Clarus v. Emphyteusis, q. 8. n. 12. & alij : quia vtraque simul iuncta excedit iustam moderationem.

Notandum Tertiò, Si Ecclesia vel pius locus 48 *Restitutio in integrũ.*
rem sæcularis in emphyteusim acceperit, & Rector loci ex negligentia pensionem intra tempus constitutum non soluerit, cadit in commissum, sicut quiuis priuatus ; tamen conceditur ei restitutio in integrum, sicut minori ; ne negligentia Prælati tanto sit ei detrimento ; iuxta ea quæ dicta sunt cap. 17. dubitat. vltima. Idem dicendum quando emphyteuta ex ignorantia non soluit pensionem,

sionem, (vt si ignorabat rem esse emphyteuticam) aut quia legitimè fuit impeditus. Ita Silues.n.10. & Clarus q.8.n.9.

49 *Si res pereat.* Quinta conditio est, Vt si res sine culpa emphyteutæ omnino pereat, aut absque spe recuperandi occupetur à mari vel ab hoste, emphyteuta liberetur à solutione pensionis: nisi obligauerit se ad casus fortuitos. Ita habetur L. 1. C. de Iure emphyt. estque communis sententia Doctorum. Ratio est; quia res emphyteutica perit proprietario. si tamen aliqua pars rei supersit, tenetur ad integram pensionem, vt ex eadem Lege colligitur. Ratio est; quia pensio soluitur potiùs in recognitionem dominij directi, quàm ad compensandos fructus, vt inquit Clarus q. 8. n. 8. Si tamen pensio esset magna, ita vt ferè responderet fructibus; tunc ex æquitate esset remissio facienda pro rata. similiter si pensio solueretur ad mensuram rei fructiferæ: vt si pro singulis iugeribus solueretur vnus aureus, & ex viginti iugeribus perirent 10. solùm esset obligandus ad pensionem decem aureorum. Ita Iulius Clarus suprà: idque potiùs ex

50 æquitate, quàm ex rigore Iuris. Ratione autem sterilitatis dicunt DD. nihil de pensione minuendum, (quia emphyteuta manet in possessione rei, & saltem aliquid percipit) nisi fortè pensio sit magna: tunc enim æquitatem postulare remissionem. Ratione autem belli, si res eoli non potuit, dicunt esse faciendam remissionem. vide Clarum suprà num. 7. & 8. Sed hæc omnia potiùs pendent ex quadam æquitate, & iudicio τῆς ἐπιεικείας, quàm ex Iuris dispositione.

51 *Si deterior efficiatur.* Sexta est, Vt si rem notabiliter deteriorem reddat, eam amittat, eique possit auferri. Vbi Nota, ita expressè statutum esse de emphyteusi Ecclesiastica, Authent. Qui rem. C. de sacrosanctis Ecclesiis. & Doctores ob paritatem rationis illud extendere etiam ad emphyteusim sæcularem. Ratio est; quia cùm emphyteusis instituta sit ad rem meliorandam, meritò ea priuari potest, si reddiderit deteriorem: vt si arbores inciderit, si vineam non putauerit, vt notat Silues. v. Emphyt. nu. 11. & Clarus qu. 26.

52 *Si eam vendat.* Septima est, Vt emphyteuta ius emphyteuticum & melioramenta à se facta non vendat, nisi domino directo antè admonito, vt ipse ante alios emere possit, si velit: quòd si contrà fecerit, totum sit commissum, & redeat ad dominum directum. colligitur ex L. 3. C. de Iure emphyteu. & cap. Potuit, de locato, estque communis sententia DD.

53 *Requiritur traditio.* Vbi Nota Primò, Si emphyteuta hæc vendat quidem, sed non tradat, nisi domino antè interrogato an ipse eodem pretio emere velit, non cadere in commissum, vt rectè notat Silues. n. 11. & Clarus q. 13. num. 3. Ratio est; quia ante traditionem venditio non est omnino perfecta; dominium enim non est translatum. vnde res non censetur adhuc alienata, quod tamen lex requirit. Idem dicendum, si solùm sub hac conditione (si dominus directus emere nolet) vendat & tradat: quia ipse contractus venditionis non est perfectus, vt patet ex dictis cap. 21. dub. 1.

54 Nota Secundò, Posse eum illa donare, domino non interrogato; hoc enim Iure non est prohibitum. non tamen potest donatarium inuestire seu in possessionem immittere; (alioquin suo iure excideret) sed debet rogare dominum directum vt id faciat; qui non tenetur id facere, nisi sit persona idonea, (à qua facilè possit obtineri solutio pensionis)' & solemni stipulatione promittat, se annuam pensionem soluturum. Ita Silu. num. 23. ex Baldo. Simili modo potest eam legare, permutare, & oppignerare; vt idem docet nu. 24. ex eodem Baldo. si tamen sit res Ecclesiæ, non potest oppignerari, per Authent. Hoc ius, &, Qui rem. C. de sacros. Eccles.

Nota Tertiò, Postquam significauerit domino 55 directo pretium, quod ab aliis pro iure emphyteuseos & melioramentis offertur, domino concedi duos menses ad deliberandum, post quos, si eo pretio non acceptauerit, potest emphyteuta aliis liberè, eodem vel maiori pretio vendere, modò non sint personæ Iure prohibitæ. pater ex L. 3. C. de Iure emphyt. & cap. Potuit. Idem tempus conceditur ei, vt deliberet an teneatur donatarium vel legatarium inuestire; vt docent communiter DD. *Duo mẽses ad deliberandum.*

Nota Quartò, Emphyteutam non posse rem 56 locare alteri ad decennium, vel vltrà, domino minimè requisito; (nisi alicubi sit contraria consuetudo) posse tamen ad breuius tempus. Ita Clarus q. 19. Ratio est; quia locatio ad decennium vel vltra, est veræ alienatio rei, quoad dominium vtile, pro pretio; vt dictum est dub. 1. non potest autem rem alienare pretio, nisi eam domino antè eodem pretio obtulerit, vt patet L. 3. C. de Iure emphyt. Simili modo non potest eam subemphyteuticare, seu alteri dare in emphyteusim, (quod passim dicitur *dare ad libellum,*) domino minimè requisito; idque ob eamdem causam, vt docet Clarus q. 20. *Locatio ad decennium.*

Octaua conditio est, Vt quoties res venditur, 57 vel donatione aut permutatione alienatur, is qui eam accipit, soluat domino directo laudemium, idque pro inuestitura seu possessione quam ab ipso accipit. vt patet L. 3. C. de iure emphyt. vbi Nota Primò, *Laudemium* vocari certam partem pretij, seu æstimationis rei venditæ, quę Iure communi est quinquagesima, consuetudine verò trigesima. vt docet Siluester ex Hostiensi num. 28. Nota Secundò, Hoc non deberi quando heres necessarius accipit rem illam titulo hereditatis, vel filia titulo dotis, vel quando res redit ad venditorem resoluto contractu, ex pacto de redimendo; vel quando plures heredes eam inter se diuidunt; vt ostendit Silues. suprà. Hęc ferè Iure communi de emphyteusi sunt sancita, de quibus plurima disputant Iurisperiti; sed inspicienda est locorum consuetudo, quæ admodum est varia. *Laudemiũ.*

Dvbitatio X.

Quæ conditiones requirantur ad contractum feudalem.

58 *Conditiones contractus feudalis.* Respondeo, Ferè easdem requiri, quæ in emphyteusi, à qua non multum differt. Nam Primò, Constitui debet in re immobili: vt in regno, Prouincia, vrbe, arce, pago, agro. Secundò, Dominium directum & possessio ciuilis ipsius rei manet apud dominum; vtile transfertur in vasallum, illudque vasallus ciuiliter & naturaliter possidet. Tertiò, Nõ tenetur ad vllam pensionem, (si est feudum purum;) sed loco pensionis debet obsequium, idque tantùm, quando de hoc interpellabitur. Quartò, si obsequium constitutum non præstiterit, amittit feudum; sicut emphyteuta

non soluens pensionem. Quintò, Sine domini voluntate illud alienare non potest, alioquin amittitur. Sextò, A Domino debet inuestiri & mitti in possessionem; & tunc iurare domino fidelitatem. Septimò, Non potest sine domini voluntate feudum donare, vel impignorare, vel alteri in feudum concedere siue domini voluntate. vide plura apud Siluest. & Iulium Clarum v. Feudum, & alios: nam variæ sunt locorum consuetudines, & varia feudorum genera.

Dvbitatio xi.

Vtrùm res Ecclesiæ possint in feudum vel emphyteusim à Prælatis dari, vel ad longum tempus locari, & quomodo.

59 *Si antèà in feudum data.*

Respondeo, & Dico Primò, Si res illæ proximè antè datæ fuerant in feudum vel emphyteusim, possunt iterùm sic dari; idque absque solemnitate, quam Ius Canonicum præscribit: modò tamen id fiat ad Ecclesiæ euidentem vtilitatem, & antequam illius rei fructus Ecclesiæ incorporentur, id est, eius vsibus à Prælato applicentur est communis sententia DD. vt refert Clarus, de emphyteusi q. 6. & de feudo q. 13. & Couarr. lib. 2. var. cap. 17. n. 4. Ratio est; quia id non censetur noua alienatio; (quæ Iure prohibetur) sed continuatio alienationis antè factæ.

60 *Si non fuerant antè data in feudum.*

Dico Secundò, Si res Ecclesiæ antea non fuerant sic traditæ, vel si post traditionem expirante contractu fuerant rursus, quoad fructus, Ecclesiæ incorporatæ; non possunt de nouo dari in feudum vel emphyteusim, vel alia ratione alienari, nisi ex iusta causa, & seruatis solemnitatibus Iure præscriptis. est etiam communis Doctorum. Probatur Primò, Ex cap. Nulli. 5. de reb. Eccl. alienan. vel non alienandis, vbi dicitur: *Nulli liceat alienare rem Ecclesiæ suæ immobilem, siue agrum, siue rusticum mancipium: neque specialis hypotheca titulo obligare. alienationis autem verbum continet conditionem,* (aliàs conductionem, nempe ad longum tempus) *donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuum contractum.* Secundò, Probatur Extrauag. commun. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien. vbi Paulus II. *prohibet omnem bonorum Ecclesiasticorũ, immobilium & mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, alienationem, omneque pactum, per quod dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, infeudationem & contractum emphyteuticum; præterquam in casibus Iure expressis, & omnem talem contractum irritum reddit, inflicta excommunicationis sententia iis, qui contra prædictam prohibitionẽ alienare præsumpserint.* Tertiò, Probatur ex cap. 53. Sine exceptione. 12. quæst. 2. *Sine exceptione decernimus* (inquit Leo I.) *ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum.* & infrà requirit subscriptionem Clericorum. Idem habetur cap. 1. & 8. de iis, quæ fiunt à Prælato absque consensu Capituli. Eadem habentur Authentic. Hos Ius porrectum. C. de sacrosanctis Ecclesiis. Circa quos Canones

61 *Extrauag. Ambitiosæ.*

Alienatio immobilium & mobilium pretiosorũ.

Notandum est Primò, Non solùm res immobiles Ecclesiæ non posse alienari vel impignorari absque præscripta forma; sed neque etiam mobiles, si sint pretiosæ, & seruando seruari possint, vt sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casulæ pretiosæ, tapetes; item quæcumque triennio non corrumpuntur, & simul fructificant, vt ouium grex, teste Siluest. v. Alienatio. num. 7. Secùs de iis quæ ipso vsu consumuntur, vt vinum, oleum, frumentum, pecunia: nisi hæc rei immobili comparandæ, voto, iuramento, vel præcepto Superioris sit destinata. tunc enim inter immobilia numeranda est. 62

Notandum Secundò, Vt valida sit alienatio rei Ecclesiæ immobilis vel mobilis pretiosæ, ex dispositione horum Canonum, duo requiri. Primò, Iustam causam: ea autem est quadruplex, vt docet Siluester v. Alienatio, num. 2. ex Panormitano. Prima est, Necessitas, cui aliter occurri nequit. Secunda est, Vtilitas manifesta. Tertia est, Pietas, v. g. ad redimendos captiuos, ad succurrendum graui proximorum necessitati. Quarta est, Incommoditas, vt si res sit Ecclesiæ sumptuosa, & parum vtilis. Secundò, Requiritur certa forma, quæ consistit in quatuor. 63 *Solemnitas requisita ad alienationem rei Ecclesiæ.* *Quadruplex causa iusta alienandi.* *Forma.*

Primò, Vt fiat super ea re tractatus, vt inquit Leo: id est, in Capitulo discutiatur, allatis vtrimque rationibus, an expediat alienari. sufficit autem vnus tractatus diligens, vt colligitur ex Canonibus citatis, & docet Siluester num. 10. ex Panormitano. Vbi autem res non tractantur capitulariter, sed tantùm per Superiorem & consultores, sufficit tractatus cum consultoribus, iuxta priuilegia instituti, vt in nostra Societate, vt rectè notauit Molina disp. 468.

Secundò, Vt Capitulum expressè consentiat. Hic consensus sequitur tractatum, & est eius veluti conclusio. Sufficit autem vt maior pars Capituli præsentis consentiat; vt notat Panorm. in cap. primum, de iis, quæ fiunt à Prælatis, num. 5.

Tertiò, Vt Capitulum subscribat. hoc tamen non est necessarium, nisi in venditione, donatione, & permutatione; vt docet Panorm. suprà, & colligitur ex decreto Leonis, imò iam consuetudine receptum est, vt sufficiat subscriptio Notarij.

Quartò, Vt adsit auctoritas Superioris: qui in non exemptis est Episcopus; in exemptis autem Prælatus, cui Ecclesia vel Monasterium immediatè pleno iure subest, vt Abbas in Ecclesiis sibi subiectis: Generalis vel Prouincialis in Ordinibus mendicantium, & aliis, qui eorum fruuntur priuilegiis: quòd si Prælatus procul absit, & res non patiatur moram, puto sufficere consensum præsumptum; vt si sit periculum ne ab hæreticis confiscetur: ita Panormit. in cap. fin. de reb. Eccles. non alien. & Fumus v. Alienatio, num. 18. Siluester num. 16.

Notandum Tertiò, Præter hanc formam, in Extrauag. Ambitiosæ, etiam præcipi sub grauibus pœnis, *vt non fiat alienatio bonorum Ecclesiæ, Monasterij aut pij loci inconsulto Romano Pontifice, & si facta fuerit, sit inualida.* quæ dispositio etsi non videatur recepta quoad pœnas; (vt docet Nauarr. cap. 27. num. 149.) tamen id, quod in ea ordinatur, seruatur passim ab Episcopis, & Abbatibus iis, qui vigore litterarum Apostolicarum consecrantur. nam id ipsum in formula iuramenti fidelitatis, quod præstant Summo Pontifici, quando 64 *Ne fiat inconsulto Rom. Pont.*

sunt

Formula iuramenti Episcoporū & Abbatum.

sunt consecrandi, insertum est. In formula enim Episcoporum sub finem sic habetur: *Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. & si ad aliquam alienationem deuenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.* Formula Abbatum, qui à Pontifice confirmantur, sic habet: *Possessiones verò ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo,* &c. sicut in priore. Constitutio verò, cuius hîc fit mentio, est illa Pauli II. quæ incipit, Ambitiosæ, vbi inter cetera dicitur: *Alienanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. & si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi perseuerauerit, a regimine Ecclesiæ vel Monastery, cui præsidet in spiritalibus & temporalibus, sit eo ipso suspensus.* Deinde inferiores Prælati & Rectores Ecclesiarum sic alienantes, priuantur omnibus beneficiis & officiis, ita vt hæc vacent absque alia declaratione, & liberè possint aliis conferri. Hoc tamen postremum non videtur in eo rigore receptum, vt infrà cap. 29. dub. 8. dicetur. Porrò Legatus à latere non potest dare licentiam alienandi contra prædictum iuramentum, vt docet Siluester v. Alienatio, num. 16. in fine, ex Panormitano & Speculatore. & meritò, quia id esset in præiudicium Romani Pontificis, cui hoc iuramentum Prælatos obstringit.

Vbi non sit necessaria illa consultatio.

Aduerte tamen, in rebus parui momenti non opus esse hac consultatione. idem dicendum, si alienationem constet esse necessariam, vel si res non patiatur moram, vt docet Panorm. in cap. Vt super. de reb. Eccl. non alien. num. 15. & in cap. fin. de Ecclesiis ædif. num. 8. sed solùm in rebus maioris momenti, in quibus possit esse aliqua ambiguitas: in his enim dumtaxat locum habet consultatio. Pari modo, non est necessaria (sicut nec aliæ supradictæ Iuris solemnitates) in alienatione summæ pecuniariæ ad pium vsum, quantumuis ea magna sit, si ad mensam Prælati pertineat: quia non est res Ecclesiæ, sed Prælati, de qua ad causas pias liberè disponere potest. quòd si Prælatus sit Regularis, etsi non habeat dominium, habet tamen ad causas pias administrationem. vide Siluest. v. Alienatio, num. 7.

65 *Renuntiatio legati, &c.*

Petes, Vtrùm sine prædicta solemnitate Prælatus validè repudiet legatum vel hereditatem delatam Ecclesiæ.

Respondeo, Valdè probabilem esse partem affirmantem; quia hæc repudiatio seu renuntiatio, non est alienatio rei Ecclesiæ, sed solùm non acquisitio; illa enim res non pertinet ad Ecclesiam ante acceptationem Prælati. Vnde etiamsi Prælatus non possit res Ecclesiæ alienare absque forma supradicta, hinc tamen non sequitur, quin possit nolle acceptare quod Ecclesiæ offertur. non enim paria sunt, lucra non capere, & quæsita perdere. L. Si sponsus. 5. §. Si maritus. ff. de donat. inter vir. & vxor. de quo vide Siluestrum suprà num. 18. Potest tamen in hoc euentu Ecclesia implorare beneficium restitutionis in integrum: id enim ei concessum est, quando negligentia vel facilitate Prælati læsa est, non solùm damno accepto, sed etiam lucro amisso, vt docet Glossa cap. Auditis. v. Restituimus, de in integrum restitut. vide suprà cap. 17. dubitat. 9. Potest etiam agere contra Prælatum; quia ex officio tenebatur rem Ecclesiæ agere, eiusque vtilitatibus consulere. cap. Quicumque. 12. quæst. 4.

Addo tamen, contrariam sententiam etiam esse valdè probabilem; nimirum talem renuntiationem non valere. etsi enim Ecclesia nondum acquisiuerit dominium rei; tamen acquisiuit ius ad rem, quo iure Prælatus per suam renuntiationem non potest eam priuare. de quo videri potest Geminianus in cap. 1. num. 19. de rebus Eccl. non alien. in 6.

66 *Quo modo possint dari in feudum vel emphyteusim.*

Dico Tertio, Seruata supradicta forma, & posita iusta causa, possunt res Ecclesiasticæ validè in emphyteusim & feudum dari, & specialiter oppignerari. patet ex dictis: quia licitum est eas sic vendere, permutare & donare: ergo multò magis dare in feudum vel emphyteusim. Quinimò si alicubi longa consuetudine forma supradicta seruata non sit, non est alienatio censenda inualida; modò consensus eorum, qui ex natura rei debent consentire, adfuerit. Ratio est, quia cùm forma illa sit Iure positiuo humano introducta, potest contraria consuetudine aboleri; etsi aliqui Canonistæ contrarium sentire videantur. Adde, multorum sententiâ eum, qui aliquid per supradictos contractus, non seruata forma præscripta ab Ecclesia, habet, non teneri in conscientia ad restitutionem, aut rescindere contractum; modò consensus eorum, qui necessariò debebant consentire, in contractu adfuerit; vt docet Siluester ex Antonio de Butrio, & Panormitano verb. Alienatio, num. 12. & 13. & Nauarr. comment. de alien. rer. Eccles. num. 17. & sequentib. & ratio illorum est; quia in foro animæ sufficit contractum tenere secundùm limites Iuris naturalis seu gentium: ad quod sufficit adesse prædictum consensum. Sed quid de hoc dicendum sit, vide suprà cap. 19. dub. 3.

67 *Elocatio ad vitam.*

Dico Quartò, Res Ecclesiarum non possunt etiam elocari ad vitam, aut ad longum tempus; imò neque vltra triennium. Prior pars est communis Doctorum, teste Couarr. lib. 2. var. cap. 16. num. 1. & colligitur apertè ex Clement. 1. de rebus Eccles. non alienandis; vbi Prælato Regulari contrà facienti ponitur pœna suspensionis ab officio. Idem colligitur ex cap. Nulli, eodem titulo. Altera pars expressè habetur in constit. Pauli II. suprà citata.

68 *Longùm tempus.*

Notandum autem est, *longum tempus* hîc vocari 10. annorum, & quidquid est vltra. *modicum* seu breue, quod intra decennium, vt notant Couarruuias & Nauarr. suprà. vnde ante Pauli II. Extrauag. poterant res Ecclesiæ locari ad nouem annos, non seruata Iuris solemnitate. post tamen illam, non possunt nisi ad triennium. si ad plures annos fiat elocatio, est irrita; vt patet ex verbis illius constitut. num. 61. adductis. Vbi intellige esse irritam non solùm quoad annos illos, qui triennium superant; sed absolutè quoad omnes, vt docet Couarr. contra multorum sententiam, suprà num. 5. Ratio est, quia ex vi contractus, contrahentes non consentiunt nisi in locationem & conductionem plurium annorum: non enim conductio

Elocatio vltra triennium est irrita absolutè.

ductio triennalis ita commoda est, sicut nouennalis; imò potest esse detrimentosa. Si tamen ipsi contrahentes tacitè consentirent in triennium, tunc ex hac parte valeret; quia implicitè esset duplex contractus, scilicet in nouennium, & (si hic non subsisteret) in triennium.

69 Aduerte tamen Primò, d. Extrauag. loqui de rebus, quæ quotannis dant fructum: vnde si aliqua res solùm alternis fructificet, poterit locari ad sexennium; si tertio quoque anno dumtaxat, poterit ad nouennium; vt notat Couarr.n.6.

Secundò, Sicut pœnæ istius Extrauag.nō sunt receptæ, teste Nauarro cap.27.num.150. ita etiam multis locis hanc dispositionē non esse receptam, vt Couarr.num.6.notat, & Siluester v. Alienatio, quæst.13. itaque ibi poterit fieri elocatio ad 9. annos absque forma Iuris supradicta. *Non videri receptam.*

Non tamen est tolerabile, quod quibusdam locis fit, vbi beneficiarij prædia Ecclesiæ ad multos annos exigua pensione elocant, ea lege vt statim conductor soluat poculum vini (vt vocant) mille florenorum. fraudant enim ex hoc modo successores, (si fortè intereà mori contingat) percipientes partem pensionis successoribus debitam. Vnde tenentur eorum heredes ad restitutionem ex illa pecunia anticipata, pro numero annorum, qui post mortem beneficiarij supersunt.

Tertiò, Non videri hìc prohiberi, quin fructus 70
beneficiorum & bonorum Ecclesiasticorum possint elocari aut vendi in plures annos; (modò ipsi fundi non elocentur) quia hi non sunt res Ecclesiæ, sed priuatorum: & locatio expirat morte locantis, & beneficij amissione. nam cōductor nullum acquirit ius in fundum, sed solùm in fructus ad locatorem pertinentes. Secùs est, quando fundus elocatur. hæc enim elocatio ipsum fundum immediatè attingit, & manet, etiamsi locans, beneficium amittat. vide Panorm. in cap. Continebatur. de his, quæ fiunt à Prælatis, num.7. *Fructus beneficiorum elocari possunt, &c.*

Petes, An Prælatus successor teneatur stare elo- 71
catione rei Ecclesiæ, quam eius decessor fecit?

Resp. Teneri, si legitimè facta fuit; sicut tutor pupilli, qui alteri tutori succedit, tenetur stare contractibus à suo decessore legitimè factis. secùs si non fuerit legitimè facta. Vide Couar.li.2. variar. cap.15. sub finem. Si tamen successor deprehendat Ecclesiam enormiter læsum ex illo contractu, poterit vti beneficio restitutionis.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

De contractu societatis.

Complectitur Dubitationes 4.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit societas, & quibus modis contrahatur.

1 *Societas.* RESPONDEO & Dico Primò, *Societas* in proposito est conuentio duorum pluriumve, ad conferendum aliquid in vsum vel quæstum communem contracta. Hic contractus perficitur solo consensu exteriùs expresso, absque vlla alia Iuris solemnitate; vt docet Gomezius tom.2.cap.5. num.1. vnde collatio bonorum vel operarum in commune, non est contractus societatis, sed effectus eius.

2 *Quatuor requiruntur ad societatis cōtractum.* Vt autem hæc definitio intelligatur, Notandum est, quatuor potissimùm ad hunc contractum requiri. Primū est, Vt singuli socij aliquid in commune cōferant, siue pecuniam, siue operam & industriam, siue instrumenta, (v.g. nauem, equos) siue animalia, siue alia bona, prout conuentum fuerit. nisi enim aliquid præstent, vel cooperentur ad lucrum vel commodum, non possunt eius esse participes; vt qui titulo careant.

3 Secundùm, Vt id, quod à singulis sociis collatum fuerit eo animo vt sit commune, statim cedat in dominium singulorum, ita vt singuli efficiantur domini totius sortis partialiter, seu partiali dominio. colligitur ex L.1. & seq. π. pro socio. Idem dicendum de iis, quæ socius nomine communi comparat; non autem quæ nomine proprio, vt docet Couarr.lib.3. variar.c.19. num.1. Dixi, *Eo animo vt sit commune*, quia alioquin non cedet in dominium sociorum; vt patet quando nō fit communio in capitali, sed solùm in lucro; vt quando alter pecuniam, alter industriam confert.

Tertium, Vt lucrum & damnum sit commune. colligitur ex iisdem legibus suprà, & L.1. & sequentibus, C. pro socio.

Quartum, Vt fiat diuisio lucri, secundùm proportionem sortis à singulis collatæ, L. Si non fuerint. 29. & L. Verùm. 63. π. pro socio. hæc tamen tertia & quarta conditio intelligenda est, nisi aliter expressè fuerit conuentum, & onus, quod præter naturam huius contractus alteri parti imponitur, debitè compensetur. Ex his facilè intelligi potest, quomodo hic contractus differat à ceteris.

Dico Secundò, Societatem variis modis con- 4
trahi posse. Primò, ex parte finis; possunt enim esse varij fines proximi huius contractus. sic aliquando contrahitur ad vsum tantùm; vt quando libri, vel alia supellex, vel pecunia, in vsum & victum communem conferuntur. aliquando ad lucrum tantùm, vt in negotiatione. aliquando ad vtrumque, vt in matrimonio, vbi vir & mulier conferunt bona & operas ad perpetuum conuictum & lucrum. *Varijs modis contrahi potest.*

Secundò, Ex parte materiæ; sic vel contrahitur societas omnium bonorum, vt fit in matrimonio, quod celebratur contractu medietatis bonorum. hìc omnia bona, quomodocumque obuenientia, sunt

unt communia, & facto diuortio æqualiter diuidenda. similiter damna sunt communia, præter ea, quæ culpa socij obueniunt, præsertim lata, (hæc enim soli auctori sunt imputanda) & ea quæ socius malè expendit, v.g. in meretrices & comessationes. Vel contrahitur societas lucrorum dumtaxat; vt quando bona heredum manent indiuisa. hic solùm communicantur lucra ex hereditate illa prouenientia, & damna circa eam absque culpa sociorum obuenientia. Vel denique contrahitur societas certæ alicuius partis bonorum, vel certæ negotiationis. Vide Siluest. v. Peculium, 2. num. 2. Aliquando ita contrahitur societas, vt alter conferat pecuniam, vel gregem animalium, alter industriam & operam necessariam: vel vterque partim pecuniam, partim industriam.

5 Tertiò, Ex parte temporis; alia enim contrahitur ad vitam, alia ad certum tempus, alia vsque ad finem certi negotij. Ad heredes autem hic contractus non transit, etiamsi expressè conuentum sit vt heres in eamdem societatem succedat, vt patet L. Adeò, 59. L. Verùm 63. §. In heredem. ff. pro socio: quia in hoc contractu industria personæ eligitur, vt habetur d. L. Adeò. Si tamen socij iuramento promiserunt se continuaturos contractum cum herede, valet pactum, & tenentur eum admittere, quidquid aliqui in contrarium censuerint. Ratio est, quia iuramentum seruandum est, quando absque salutis dispendio seruari potest: imò eam vim habet; vt contractum Iure humano aliàs irritum, reddat in sua specie validum; vt dictum est suprà cap. 17. dub. 7.

6 *Iuramentum.*

Dvbitatio II.

Quomodo cõtractus societatis iniri debeat, quando alter confert sortem, alter operã; & quomodo diuisio in fine faciendæ.

7 *Primus modus in quo pars lucri est loco mercedis.*

OMissis sententiis Doctorum qui valdè perplexè loquuntur,

Respondeo, Variis modis iniri posse. Primò, Vt is qui operas & instrumenta, (v. g. nauem vel currum) præbet, habeat aliquotam partem lucri, quam ipsius opera meretur, & reliquum totum cum sorte pertineat ad eum qui sortem contulit. Verùm hic potiùs est conductio operarum, quàm contractus societatis; vt rectè Nauarrus cap. 17. num. 252. docet. Talem contractum plerumque ineunt mercatores cum suis factoribus. non enim volunt eos admittere in societatem, dum nullam pecuniam conferunt; sed vt diligentiores sint, dant eis in mercedem partem lucri; quo fit, vt si res benè succedat, longè plus accipiant, quàm opera illa mereatur; si malè, longè minus. debet enim esse talis pars aliquota, vt tanta sit illis spes accipiendi amplius quàm opera præcisa meretur, quantum est periculum accipiendi minus: aliàs non est iusta merces.

8 *Secundus modus, in quo est particeps lucri secundum æstimationem operarum. Est iniquus.*

Secundò, Vt is qui operas confert, admittatur vt verus socius, & solùm sit particeps lucri secundùm æstimationem operarum, quasi tantum pecuniæ in societatem contulisset, quanti valent operæ. vt si conferas 1000. aureos, & opera socij æstimetur 100. aureis; sitque particeps lucri quasi contulisset solùm 100. aureos. Hic contractus, etsi à quibusdam DD. probari videatur, est tamen omnino iniquus. Ratio est; quia socius id quod confert, certò amittit; (perit enim opera illius) tu verò quod confers non amittis; sed manet tibi saluum: vnde est dispar conditio sociorum; quod repugnat contractui societatis; nisi aliunde fiat compensatio. Deinde, hoc pacto socius, qui confert operam, numquam aliquid lucrabitur, sed certò semper amittet; nisi lucrũ sit plusquam 1100. aureorum, quod vix vmquam continget. cùm enim solùm vndecima pars lucri ei sit assignata, nisi hæc excedat 100. aureos, quibus opera eius æstimabatur, nihil habebit suprà id quod contulit. si autem vndecima pars lucri sit infra 100. aureos, necessariò amittet, vt patet. Itaque talis societas ferè est leonina, in qua alter sociorum solùm habet damnum, alter solùm lucrum; de qua vide d. L. Si non fuerint. 29. §. fin. ff. pro socio.

9 *Tertius modus, cùm particeps sortis & lucri.*

Tertiò, Vt is qui operas confert, non solùm sit particeps lucri, sed etiam sortis, secundùm æstimationem operarum; ita vt negotiis peractis, ex tota summa, quæ ex lucro & sorte conflata erit, tantum extrahat, quantum si loco operarum pecuniam æquiualentem contulisset: vt si tu conferas 1000. aureos, socius autem operam valentem 100. aureis; & lucrum sit 500. aureorum, socius extrahet vndecimam partem, non solùm è lucro, sed etiam ex sorte; id est, ex 1000. & 500. aureis. vnde ille habebit 136. aureos & vnam tertiam. tu verò habebis reliquas decem partes. Hic contractus est iustus. probatur, quia qui confert operas, non minùs debet esse particeps tum lucri, tum sortis, quàm qui ponit tantumdem pecuniæ. non enim ipsi soli opera perire debet, cùm non minùs conferat ad negotiationem, quàm is qui contulit tantumdem pecuniæ: atque is, qui in casu proposito contulit 100. aureos, extrahit vndecimam partem non solùm lucri, sed etiam sortis: ergo etiam is, qui contulit operam eiusdem æstimationis. Itaque in hoc contractu opera socij æstimanda est pecuniâ; eaque æstimatio sorti addenda, vt fiat veluti vna sors communis, v. g. 1100. aureorum, in qua socius habeat partem vndecimam, perinde ac si tantumdem pecuniæ contulisset. vnde posteà in diuisione competit ei vndecima pars sortis & lucri, seu totius summæ. Si opera ipsius valebat quanti sors alterius; debetur ei dimidium totius summæ. si erat æqualis tertiæ, quartæ, quintæ, vel sextæ parti pecuniæ; debetur ei tertia, quarta, quinta, vel sexta pars totius summæ, quæ reperietur finitis negotiis. Iuxta hunc modum intelligi quæ habet Couarr. lib. 3. variar. cap. 2. & Nauarr. cap. 17. nu. 251. etsi non satis clarè explicent an socius operam conferens, debeat esse solùm particeps lucri, an etiam sortis.

10

Notandum est, quando hoc modo inita est societas, si sors pereat ante præstitam totam operam; socium, qui eam conferre debebat, teneri soluere alteri (cuius sors periit) partem æstimationis operarum, quæ conferendæ restabant. sicut enim salua sorte, & operâ exhibitâ, debetur socio conferenti operam certa pars sortis, vt dictum est; ita pereunte sorte, & operâ saluâ, (id est, nondum exhibitâ) debetur socio qui sortem posuit, pars æstimationis operæ restantis, iuxta modum suprà dictum.

11 *Si sors pereat.*

Quartò, Fieri potest pactum, vt is qui operam confert, non sit particeps sortis, sed tantùm lucri; ita vt si peracta negotiatione nihil supersit præter sortẽ, nihil habeat. hoc potest esse iustum. Verùm tunc non est comparanda pecuniæ quantitas,

12 *Quartus modus.*

titas, quam alter confert, cum pretio operarum, vt in secundo modo: neque est conflanda vna sors ex illa pecunia, & pretio operarum, vt in tertio: sed considerandæ sunt ea quæ vtrique pereunt, & hæc inter se comparanda, vt rectè docet Petrus Nauarra lib.3. cap. 2. num.452. Ei igitur, qui pecuniam confert, duo pereunt. Primò, Æstimatio periculi, seu pretium assecurationis capitalis, siue illud periculum in se suscipiat, siue alteri persoluat eius pretium: hæc enim paria censentur. Secundò perit illi æstimatio lucri, illâ pecuniâ sperati; seu pretium, quo alteri vendi poterat spes lucri illa pecunia percipiendi, detractis operis & expensis. qui enim exponit mille aureos negotiationi, facilè inueniet multos qui libenter pro lucro sperato dabunt 110.200. vel 300.aureos, iuxta conditionem mercimonij, operis solutis. itaque hoc totum perit ei, qui sortem confert. Vnde non rectè Sotus lib. 6. quæst. 6. art. 1. docuit, solum pretium periculi sortis hîc esse considerandum, quasi illud solùm periret conferenti sortem: nam etiam perit pretium lucri sperati. & sanè si sententia Soti vera esset, is, qui confert decem millia aureorum ad negotiationem valdè securam, vbi periculum non æstimatur nisi centum aureis, non posset plus ex lucro accipere, quàm alter, qui posuit operam 100. aureorum, etiamsi lucrum sit quatuor millium aureorum; quod omnino absurdum est, & nusquam vsurpatum, vt rectè Nauarr. suprà, hanc sententiam refutans, ait: etsi enim pecunia per se sit sterilis; tamen vt subest industriæ alicuius, fit fœcunda, eiusque fœcunditas magni æstimatur. Patet igitur hæc duo perire ei qui pecuniam confert.

Considerandæ quæ vtrique pereunt. 13

14

Ei verò, qui confert operam, solùm perit æstimatio operæ. hæc igitur inter se sunt comparanda, & secundùm horum proportionem lucrum est diuidendum; detracta primùm sorte pro eo qui illam posuit. vt si contuleris 1000. aureos, quorum periculum æstimetur 100. spes autem lucri, detractis expensis, æstimetur 200. censeris contulisse 300. aureos, qui omnino tibi pereunt; opera verò alterius æstimetur 100. censetur itaque contulisse 100. aureos, qui ipsi pereunt. lucrum autem sit 800. qui operam posuit, habebit quadrantem lucri, nempe 200. quia quartam partem contulit respectu alterius. qui pecuniam posuit, habebit 600. videlicet dodrantem lucri, seu tres quadrantes; quia tres quadrantes contulit respectu alterius. quòd si lucrum sit 400. aureorum tantùm, neuter quidquam lucrabitur, aut amittet; nam vterque solùm accipiet quantum contulit ex eo, quod necessariò periturum erat. Si lucrum sit nullum, vterque amittet, eadem proportione. is enim qui pecuniam contulit, amittet 300. aureos, videlicet pretium periculi sortis, & pretium lucri sperati, is qui operam, amittet centum, id est, pretium operæ.

15

Dices, Sæpè fit vt etiam sors pereat: ergo hoc etiam est æstimandum, ac proinde ratione huius, debebitur ei amplius ex lucro, quàm dictum est: qui enim præstat operam, non potest amittere nisi æstimationem operæ, v. g. 100. aureorum: qui pecuniam confert, potest totam sortem 1000. aureorum amittere.

16 *Obiectio.*

Responsio. Respondeo, Periculum sortis incertum debet reduci ad certum pretium, quod in casu proposito est centum aureorum, vti supponimus exempli causa; nec alia æstimatio huius periculi est facienda. Nec refert quòd possit amittere mille, quia hoc periculum non æstimatur nisi 100. quos si alteri dare velit, non poterit amittere 1000. in potestate enim ipsius est vel subire periculum amittendi mille, vel dando centum, efficere vt mille securos habeat. Itaque ratione periculi non pereunt ei nisi 100. aurei.

Ex his patet, si sors pereat, perire illi qui illam posuit, nec quidquam ei ab altero compensandum: si verò aliquid superfit, hoc eidem deberi: si præter æstimationem sortis aliquid superfit, id diuidendum secundùm proportionem dictam; ita vt vterque ex eo ea proportione capiat, qua contulit ad id, quod necessariò vtrique periturum erat. 17 *Si sors pereat.*

Petes, Quid si opera socij pluris valeat quàm pecunia alterius, & tantùm sors sit salua; tenebiturne is qui illam posuit, socio aliquid compensare? Quidam putant teneri; quia socius certò amittit totam æstimationem operæ, quæ pluris valet quàm sors alterius, quæ non perit necessariò. Sed dicendum est, si contractus initus est secundùm hunc quartum modum, nihil teneri ei compensare; quia dominia eorum quæ conferuntur, non fuerunt communicata; sed manserunt diuisa: (in hoc enim modo contrahendi solùm fit communicatio lucrorum, quæ deducta sorte supersunt) quæque autem res domino suo perit. itaque sicut quando sors longè superat operas, nihil compensare debet qui contulit operas, etsi sors pereat, (quia tota perit ei, qui illam posuit:) ita viciſſim quando operæ superant sortem, nihil compensare debet qui sortem posuit, etiamsi sola supersit. Nec refert quòd socius certò amittat totam æstimationem operarum, & quòd hæ operæ pluris valeant, quàm sors alterius; quia ideò longè amplius lucri capiet, si extiterit. 18 *Si opera pluris valeat quàm sors.*

Si autem initus fuit secundùm tertium modum, sic debet fieri compensatio; nam totum debet diuidi certa proportione, vt dictum est; eò quòd dominium eorum quæ conferuntur, fiat commune, tamquam vnius massæ seu sortis, ex diuersorum collatione conflatæ. 19

Ex his patet, quid dicendum sit, si alter conferat solùm pecuniam, alter pecuniam & operam: item si vterque conferat pecuniam & operam inæqualiter. nam iuxta tertium modum, omnia reuocanda sunt ad æstimationem pecuniariam, vnaque summa conflanda, quæ socijs sit communis; & finita negotiatione, diuisio totius quod interentum fuerit, facienda secundùm proportionem eorum, quæ singuli contulerunt. Iuxta quartum modum, æstimandum est periculum sortis, & spes lucri per talem sortem obtinendi, deductis operis & expensis. Deinde æstimandæ sunt operæ singulorum, & hac æstimatione iuncta cum pretio periculi sortis, & lucri sperati, duæ summæ vtrimque conflandæ, & iuxta harum proportionem facienda est diuisio lucri. 20 *Si alter pecuniam, alter operam conferat.*

Petes, Vtrùm hi tres modi contrahendi etiam locum habeant in societate circa greges ouium vel similium animalium?

Respondeo, Habere. De primo patet; quia potest alicui tradi grex 100. ouium, vt eas pascat pro dimidia parte fructuum, (id est, fœtus, lanæ, lactis) siue illi copiosi fuerint, siue exigui. Secundus probatur; quia potest iniri æstimatio pasturæ 21 *Societas circa greges.*

sturæ & ipsius gregis, vt ex vtroque confletur vna res communis: & finita pastura aliquot annorum, fiat diuisio totius, iuxta æstimationem eorum quæ singuli contulerunt. Tertius probatur; quia periculum gregis, & spes lucri ex eo percipiendi, possunt æstimari ex vna parte; (hæc enim pereunt ei qui gregem tradit) & cura pascendi ex altera parte; (hæc enim perit ei qui gregem suscipit) & iuxta horum proportionem poterit fieri diuisio fructuum.

DVBITATIO III.

Vtrùm in societate licitum sit pactum cum socijs, vt saluam præstent sortem, & reddant quotannis certum lucrum paruum, pro incerto magno.

22 *Caietanus.* CAietanus tom. 1. opusc. vltimo, responsione vndecima, putat formam hanc contractus, quam ei proposuerat Conradus, esse illicitam; *Petrus consignat centum florenos apud Paulum mercatorem, vt ei pro parte lucri, capitali saluo, assignet per annum quinque florenos, residuo lucri sibi reseruato.* Primò, Quia est contractus societatis, in quo socius obligatur ad assecurandum capitale, cùm nihil ei pro hac assecuratione detur; & ad reddendum certum lucrum, cùm tamen nemo alius pro incerto lucro vellet dare certum illud pretium, quod exigitur à socio.

Secundò, Quia non est licitum illos tres contractus simul cum vno eodemque celebrare, etiamsi in singulis daretur iustum pretium: non enim licitum est in contractibus obligare, & grauare alterum vltra naturam contractus: sicut cùm quis dat mutuum, non est licitum obligare mutuatarium ad remutuandum. Pari ergo modo, qui contrahit societatem cum aliquo, non potest eum obligare ad contractum assecurandi capitale, & emendi lucrum incertum certo pretio; nisi idipsum alter cupiat, sic vt fiat communi consensu & condicto. Addit tamen Caietanus posse hæc pacta cum eodem fieri successiuè; modò in singulis seruetur æqualitas.

Sotus. Sotus verò lib. 6. qu. 6. artic. 2. & quidam alij putant hæc pacta esse illicita, siue simul fiant, siue successiuè. Ratio præcipua est, quia qui ita pecuniam suam tradit, vt periculum eius transferat in accipientem, censetur eam dare mutuò, non ad societatem: atqui ex mutuo non potest peti lucrum: ergo talis contractus est iniustus. Maior probatur, quia dum transfert periculum in socium, amittit dominium illius pecuniæ, & transfert illud in socium. is enim est dominus, cui res perit: cuius signum est, quòd illa pecunia possit emere prædium, vel dotare filiam. Confirmatur, Quia hæc formula aperit fenestram vsuris. facilè enim fiet, vt homines hoc modo tradant suam pecuniam iis, qui neque negotiantur, neque alium quæstum faciunt; & non curent vtrùm illi, quibus eam dederunt, negotiationi an suis vsibus impendant.

23 *Esse licita hæc pacta.* Verùm contraria sententia est multò probabilior & verior; nimirum hæc pacta in societatis contractu esse licita; siue simul fiant cum sociis, siue successiuè; modò prudentis arbitrio seruetur æqualitas. Hanc expressè multi viri doctissimi & religiosissimi tenent: quorum verba breuiter adducam, vt maiorem fidem faciant apud eos qui vel aliter sentiunt, vel rem non penetrant, & magis Auctorum numero quàm rationum pondere mouentur.

Angelus v. Societas, 1. §. 7. *Idem dicerem* (scilicet licitum esse) *quando socius accipiens ipsum capitale, conueniret liberè cum socio dante capitale, de dando sibi tale modicum de lucro.* Et infrà dicit hoc habere locum, *quando negotiatio est talis qualitatis, quòd assecurationem inueniret soluendo tria vel quatuor pro centenario, & tum verisimiliter pro lucro societatis esset recepturus sex vel octo, & aliquando plus: & conueniret cum socio vt solùm daret tres vel quatuor pro lucro, & eum de capitali assecuraret.* Vnde sequitur, si lucrum verisimiliter sit 10. 12. vel amplius in centum, posse deponentem conuenire cum socio, vt socius det 5. 6. vel amplius in centum. Et infrà docet, non solùm in pecunia dotali, sed etiam *in omni capitali dato ad societatem, posse redimi periculum à socio: modò duo concurrant. Alterum est, vt socius accipiens, liberè hoc velit facere. Alterum, quòd ponens capitale paulò amplius verisimiliter sit lucraturus supra id, quod ex lucro ipsi obueniet; nempe quantum est id, quod cuiuis alteri pro assecuratione solueret.* Quæ omnia in nostro casu concurrunt. Non tamen est necessarium, vt socius ille vellet assecurare, etiamsi non esset in illa societate, vt videtur Angelus requirere, quia satis est, vt omnino liberè assecuret. Si enim non esset socius, fortè nollet illam pecuniam assecurare; quia non sciret quomodo impenderetur, & quæ fraudes possint interuenire. Cùm autem est socius, ipse totum negotium dirigit; & sic minus est periculi, & tota res est ei perspecta. vnde tunc eam libentiùs assecurat. *Probatur ex DD.*

Gabriel in 4.d.15.q.11.dubit.10. ad verbum sequitur Angelum.

Maior in 4.d.15. quæst. 27. *Si mutuatarius rogaret mutuatorem post mutuum in se suscipere periculum; vel si vltrò mutuator ad hoc se offerat, potest taliter subire onus periculi sicut non mutuator.* Idem docet qu. 49. vbi etiam dicit hanc sententiam à doctissimo Theologo Ioanne Eckio fuisse publicè Bononiæ defensam. Eamdem fuisse communem Theologorum Parisiis tempore Maioris, refert Ludouicus Lopez ex scholiis Victoriæ lib 1. de contractibus cap. 65. Etsi Iuristæ forum externum spectantes & præsumptioni innixi contrarium tenerent.

Siluester v. Societas, 1. quæst. 2. sub finem, etsi nonnihil confusè loquatur, hanc sententiam tamen apertè indicat: *Fallit*, inquit, *quod dictum est, si capitale sit saluum non ex contractu societatis, sed assecurationis factæ ab aliquo, qui non sit socius, cui datur certum quid vt subeat periculum capitalis. Et idem est, si ista assecuratio fiat à socio; modo intentio sit recta*, &c. Rationem subdit, *Quia ibi sunt duo contractus, scilicet societatis & assecurationis, quorum quilibet per se est licitus.*

Nec refert quòd Siluester velit aliquid certum solui pro hac assecuratione, & vt socius sit paratus assecurare, etiamsi non esset socius: quia perinde est, siue id quod soluitur sit certum & definitum reipsa, vt v. g. duo in centum; siue sit in se incertum, sed certum in æstimatione, qualis est pars aliquota, v. g. quarta vel quinta lucri sperati. Hæc enim ab intelligentibus certo pretio

æstimari potest, & vendi vel commutari cum re alia, aut obligatione. Similiter non est necessarium, vt ille assecurator vellet assecurare, si non esset socius (fortè enim tunc assecuratio esset illi incommoda, vel suspecta ob ignorantiam periculi & fraudum) sed sufficit vt sponte sua cupiat & malit ipse præstare securitatem sortis tali pretio, quàm eam præstari ab alio, vt infrà dicetur. Nec Siluester illa requirit vt absolutè necessaria, vt patet ex ratione quam adfert; sed solùm ponit exempla, in quibus res sit clarior.

Bartholomæus Fumus v. Societas, num. 6. *Si primò fiat contractus, vt periculum pecuniæ sit apud deponentem, postmodum depositarius assecuret deponentem de capitalis salute, recipiendo tria vel duo pro centenario, vel defalcando de lucro, puta sic: Ista pecunia verisimiliter lucrabitur octo pro centum; sed quia volo te assecurare de capitali, conuenio tecum, tantum dare quinque pro centum. hic cõtractus est licitus; quia etiam qui non est socius, potuisset illum hoc modo assecurare. ergo nec minus potest dum est socius, dummodo intentio sit, quod hoc fiat propter assecurationem.* Concordat Siluester v. Societas, §. 2.

Vbi aduerte, requirere hunc Auctorem, vt primò fiat contractus societatis absolutè, per quem periculum sit penes deponentem. Sed hoc ideò requirit, vt vitetur præsumptio coactionis & fraudis vsurariæ. Certum enim est, illud non esse necessarium, quando alter sociorum cupit sua sponte periculum in se suscipere, & alio modo non vult contrahere: quia non cupit rationes suas aliis patefacere.

Eadem apertissimè & distinctissimè tradunt recentiores.

Nauarrus cap. 17. num. 255. docet licitè fieri hos tres contractus cum eodem. *Primum societatis, in quo alter pecuniam, alter operam & industriam confert. Secundum assecurationis, in quo qui operam confert, assecurat alterius sortem. Tertium vt ad tollendas suspiciones, & rationum molestias, qui operam confert, lucrum incertum aliquo certo minore reditum; vel ex lucro verisimili seu incerto, tantumdem certi retineat.* Idem docet in Consil. lib. 1. tit. de constit. quæst. 34.

Couarruuias lib. 3. Variar. resolut. cap. 2. nu. 3. *Potest, ait, licite dari pecunia alteri, vt per eum adhibita industria, quæstuaria ars exerceatur; ita contracta societate, vt pecunia salua sit, eiusque periculũ ad mercatorem pertineat: lucrum tamen, quod alioquin æquis portionibus commune foret, maiori ex parte ad subeuntem periculum pecuniæ spectet; quasi ea pars lucri, quæ dimidium excedit, iustum sit arbitrio boni viri pretium subeundi periculi: possintque hi contractus vno actu & contextu fieri.*

Gregorius à Valentia disp. 5. q. 24. punct. 2. *Licet,* inquit, *contractum societatis inire, ac cum eodem socio contractum assecurationis capitalis pro parte lucri sperati probabiliter, & assecurationis lucri certi minoris pro alia parte sperati lucri.* Addit, hanc sententiam se præsente Romæ anno 1581. placuisse multis & doctissimis Theologis, re prius diligenter excussa; & pro ea citat multos DD.

Ludouicus Molina de Iustitia & Iure tract. 3. disput. 417. *Potest quis,* inquit, *dare pecuniam ad negotiationem vt cooperetur & pariat lucrum, cum pacto vt vel tertius, vel is qui eam accepit, securam illi reddat: ineundo insuper contractum lucri quod est in spe, pro certo & determinato lucro quotannis sibi reddendo; siue hæc pacta ex interuallo ponantur, siue à principio formaliter & expresse, siue etiam virtute, & implicitè tantùm.*

Franciscus Garcia de contract. p. 2. c. 17. *Potest in contractu societatis socius assecurare sortem socy sui, & lucrum ex ea societate speratum.*

Eamdem sententiam apertè docet Ludouicus Lopez de contract. lib. 1. cap. 65. vbi primùm ponit tres conditiones. Prima est, vt deponens pecuniam velit obligare mercatorem ad negotiandum. Secunda, vt non nimis multum lucri ab eo exigat. Tertia, vt mercator sponte velit capitale assecurare. Deinde addit: *Cum his conditionibus potest licitè fieri ex se contractus prædictus cum socio, siue eodem tempore cum contractu societatis, siue successiuè; & non solùm formaliter & explicitè, sed etiam implicitè & æquiualenter, vt aut Nauarrus.* Deinde citatis aliquot Auctoribus, addit: *Sed neque Victoria, neque Frater Ioannes de Penna, neque Caietanus (qui videntur tenere contrarium) ausi sunt hanc conclusionem omnino damnare.*

Eamdem tenet Bartholomæus Medina in sua Instructione §. 27. vt idem Lopez refert.

Franciscus Toletus l. 5. cap. 41. *Contractui societatis possunt annecti aly duo, puta assecurationis capitalis: sicut enim vnus potest assecurationem capitalis cum tertio facere, ita etiam potest cum socio. Potest etiam locare fructus & lucrum pretio conuenienti, vel assecurationem lucri facere. Et ita sentit Caietanus opusc. 16. q. 11. & Nauarr. c. 17. num. 255. quamuis Soto id non recipiat. Sed non videtur id negandum, dummodo, vt Caietanus dicit, non obliget socium ad tales contractus, sed liberum relinquat, sicut & alium tertium.*

Eamdem tenet Iosephus Anglez in Floribus 4. Sententiarum, quæst. de societate.

Eamdem apertè iudicat F. I. Benoist. lib. 3. c. 9. §. *Exemple.*

Eadem nuper à doctissimis viris absque vlla difficultate fuit Romæ approbata: & passim per Italiam est in vsu, vt ex formulis impressis mercatorum constat.

Denique plurimi hoc tempore per Italiam, Hispaniam, Germaniam, Galliam, S. Theologiæ Professores celeberrimi eamdem absque dubitatione tradunt.

Probant Doctores Primò, ex Iure Canonico cap. Per vestras. de donat. inter virum & vxorem: vbi, si marito vergente ad inopiam, nec valente dare sufficientem cautionem pro dote vxoris conseruanda, dos versetur in periculo; iubetur talis dos tradi mercatori ad societatem negotiationis, vt nimirum & securè apud illum conseruetur, & ex eius lucris possint onera matrimonij sustentari. atqui hoc fieri non posset, nisi cum mercatore ineantur tres supradicti contractus formaliter vel æquipollenter. Hæc ratio est probabilis, sed non conuincit, vt ostendit Lopez suprà. 24 *Secundò, probatur ex Iure.*

Secundò, ex Iure ciuili. L. Si non fuerint. 29. ff. pro socio. dicitur *ita coiri societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat.* quod alia ratione fieri non potest, nisi contractui societatis addatur contractus assecurationis sortis.

Tertiò Probatur ratione. Si esset aliqua iniquitas in hoc contractu, vel id proueniret ex eò quòd non seruetur æqualitas inter ea quæ commutantur, vel quòd mercator obligetur ad aliquid supra naturam contractus, vel denique ex eo quòd ratio- 25 *Tertiò, probatur ratione.*

ratione assecurationis præstandæ à mercatore sit implicitum mutuum, ex quo non licet lucrum captare. non enim sunt aliæ causæ ob quas Auctores aliqui velint hunc contractum iniustum. sed ex nullo horum capitum est iniquitas: ergo, &c.

Ex 1. cap. non esse iniustitiam.

Non ex primo, Quia supponimus esse æqualitatem, secundùm peritorum æstimationem, inter ea quæ vtrimque præstantur & commutantur, nimirum ex parte deponentis sortem, & ex parte mercatoris. Ex parte enim deponentis tria conferuntur, quæ ipsi pereunt.

Primum est, Æstimatio periculi, cui pecuniam suam exponit. etsi enim mercator dicatur eam assecurare, hæc tamen securitas est valdè infida, & cum ea plurimi euertuntur. Vnde plerique libenter adhuc darent vnum in centum pro perfecta assecuratione, per pignus aut hypothecam sufficientem obtinenda. Quare exponendo sic sortem, censetur mercatori dare vnum in centum, cùm periculum sortis tanti æstimetur.

Secundum, Æstimatio commoditatis, quam habebat ex pecunia præsenti: commodum enim cuique est habere pecuniam suam expeditam ad omne lucrum, quod se fortè offeret. hæc æstimatio est facilè duorum vel trium in mille.

Tertium est Æstimatio lucri sperati, quæ quando industrius est mercator, facile est 10. vel 12. in centum, & sæpè multò amplius, vt quotidiana experientia, & mercatorum confessione constat.

26 Ex parte mercatoris similiter tria conferuntur. Primum est Elocatio operarũ, seu obligatio ad impendendam illam pecuniam negotiationi. hæc non magni à mercatoribus pecuniã accipientibus æstimatur; quia eadem opera illam pecuniam vnà cum sua impendũt. Imò id auget illorum fidem, & facit illustriores, quòd magnam vim pecuniæ habeant. Vnde fit vt meliori pretio emant, partim propter fidem seu creditum, partim quia merces in maxima quantitate numerata pecunia comparant: quod facere absque adminiculo illo non possent.

Secundum est Assecuratio sortis. hæc etiam non magni penditur; tum quia ea securitas parum est secura, & multis periculis expositа, vtpote nulla nitens hypotheca, sed sola fide mercatoris. (vnde non est maior, quàm sit securitas bonorum ipsius mercatoris, quæ omnia fortunæ sunt expositа) tum quia si mercator euertitur fortunis, nihil iuuabit alterum, pactum illud assecurationis. si non euertitur, libenter soluet sortem, ne apud alios amittat fidem.

Tertium est Obligatio soluendi 6 & $\frac{1}{4}$ in centum, vel quantum iudicio peritorum conuentum fuerit. quæ obligatio minoris æstimatur quàm censuatia, propter infirmitatem fundamenti; nimirum quia caret hypotheca, & quia omnia bona illius magis sunt expositа periculis, quàm eorum à quibus census emi solent.

Conferantur nunc hæc tria quæ vtrimque præstantur inter se; cui dubium esse queat, quin iudicio & æstimatione peritorum mercatorum possit inter hæc statui æqualitas? Si potest statui æqualitas, nihil obstat quin hæc inter se possint commutari iusto contractu. atqui iudicio peritorum mercatorum in formula illa est æqualitas, saltem eatenus vt non censeatur plus exigi à mercatore, aut ipse plus grauari, quàm valeat id quod ipse præstat pecuniæ depositori. ergo illa formula hac ex parte non est iniusta.

Hinc patet, hos tres contractus posse fieri per 27
modum vnius contractus innominati, *Do & facio vt des & facias:* nimirum, Trado tibi hãc meam pecuniam ad negotiandum (exponens eam periculo, & priuans me illius commoditate) & do tibi totum lucrum, vt tu ea negotieris, & te obliges ad reddendam sortem, & ad soluendum 6 $\frac{1}{4}$ in centum. Vel sic, Si velis mea pecunia negotiari, assecurare sortem, & obligare te ad soluendũ 6 $\frac{1}{4}$ in centum, tradam tibi meam pecuniam, & concedam tibi totum lucrum. Hîc non sunt tres contractus à se mutuò independentes; sed vnus solus inuoluens omnia, quæ vtrimque sunt conferenda & commutanda.

Possunt fieri in modum vnius pacti.

Ex his patet, ex primo capite nullam esse iniustitiam in hoc contractu.

Sed neque ex secundo, nimirum quòd mercator obligetur ad aliquid supra naturam contractus societatis, vel conductionis operarum. Primò, Quia non obligatur ad hoc ex vi contractus societatis aut conductionis: hoc enim iniquum est, eò quòd grauetur supra naturam contractus; quod grauamen nouo pretio non compensatur: vt si quis ex eo solo quòd ineat contractum societatis mercaturæ cum altero, velit sibi præstari periculum sortis, & nihilominùs æqualiter particeps esse lucri; (hæc enim est societas leonina, in qua vult quis esse immunis à damno, & par vel maior in lucro) sed obligatur ex alio contractu in quo noua datur compensatio æqualis illi grauamini. ideò enim pars aliqua lucri sperati ei conceditur. 28

Ex 2. cap. non esse iniustitiam.

Nec refert, quòd sine hoc contractu assecurationis nolit depositor pecuniæ inire contractum societatis, aut conductionis operarum mercatoris: cuique enim liberum, nolle inire vnum contractum sine alio. v. g. contractum venditionis sine contractu redimendi; aut contractum venditionis vnius speciei, sine venditione alterius speciei, &c.

Accedit quòd mercatores sic malint quàm aliter; maius enim lucrum sic percipiunt. Assecurationem enim sortis sæpè non magni æstimant, quia norunt eam securè impendere; vel si exponunt eam periculis, & res malè cesserit, cogitant se non fore soluendo; ac proinde depositorem fore damni participem: quod sæpè fieri videmus. Lucrum autem incertum, quod illis offertur, libenter certo pretio redimunt, quia sperant se multò plus lucraturos: & tales venditiones & emptiones rerum non habentium certum euentum, inter eos sunt creberrimæ. Adde, quòd ex tali contrahendi formula non cogantur rationes suas & computus aliis patefacere. Itaque tantùm abest, vt ad contractum assecurationis, & certæ pensionis annuæ pro lucro sperato, adigantur mercatores inuiti, vt alia ratione plerosque nolint ad societatem admittere, aut eorum negotia curare.

Denique isti tres contractus possunt iniri per modum vnius, vt antè explicatũ est; modò ea quæ commutantur, exæquentur æstimatione & iudicio peritorum mercatorum; & tunc non poterit dici, quòd ex vi vnius contractus obligetur ad alium, cùm reuerà tantùm sit vnus contractus. Itaque ex hoc capite secundo non est iniquitas.

Ex tertio etiam capite non est iniquitas; quia 29
falsum est, quòd ratione assecurationis præstandæ à mercatore cui datur pecunia, amittatur dominium, & fiat implicitum mutuum, vt putat

Non ex 3. cap.

Non transire in mutuum. Soto. Non enim magis amittitur dominium, aut transit in mutuum, quando cum eodem, cui pecunia traditur, & veluti locatur ad negotiandum, pactum securitatis initur; quàm quando cum tertio initur.

Quod tripliciter probatur. Primò, Quia in locato & commodato non amittitur dominium, nec desinit esse contractus locati aut commodati, etiamsi conductor aut commodatarius suscipiat in se periculum rei, vt colligitur ex cap. vnico de commodato. & L. 1. ff. depositi. & per se satis constat. ergo neque in proposito contractu, siue consideretur vt contractus societatis, siue vt locatio pecuniæ, aut conductio operæ ad negotiandum illâ pecuniâ; quomodo ordinariè in praxi solet exerceri. Nec refert quòd pecunia illa misceatur cum pecunia mercatoris; quia id non facit amitti dominium; sed potiùs facit depositorem dominum partialem totius summæ, cùm communi consensu misceantur; vt apertè colligitur Institut. de rerum diuisione, §. Si duorum.

Secundò, Quia mercator non potest illam in alios vsus quàm in mercimonium impendere: alioquin iniuriam tibi facit, & tenetur quanti tua interest, non fuisse sic impensam. Vnde verum nõ est, illum ea pecunia posse emere prædium, aut dotare filiam; quia non est illi ad eum vsum concessa; nisi id faciat cum animo mox aliam eius loco substituendi: quo modo etiam deposito vti licet, cuius tamen dominium non amittitur.

Tertiò, Si contingat mercatorem non esse soluendo, depositor potest ante omnes creditores pecuniam suam, si adhuc inueniatur, extrahere, tamquam rem suam: & si surrepta fuerit, actione in rem illam vindicare: quæ omnia sunt aperta signa dominij, & nullum hîc esse mutuum. secùs enim res se in mutuo habet. Vnde patet, ex nullo istorum trium capitum supradictorum esse iniustitiam in hoc contractu; ac proinde contractum non esse iniquum.

30

Secunda ratio. Secundò, Si hic contractus esset iniquus, vel id esset ratione pacti assecurationis annexi, vel ratione lucri certi pro incerto. sed non est iniquus ratione pacti assecurationis, vt iam ostensum est: neque etiam ratione lucri certi pro incerto; quia omnes DD. fatentur hoc pactum licitum esse, vt docet Lopez suprà. sicut enim vendi potest iactus retis, ita etiam lucrum speratum.

Tertia ratio. Tertiò, Isti contractus possunt iniri cum diuersis, vt omnes fatentur. possum enim cum Paulo mercatore inire contractum societatis, vel conductionis operæ nauandæ, conferendo 1000. aureos, & assignando ei pro industria sextam vel septimam partem lucri sperati. Deinde contractum assecurationis cum Petro, vt præstet periculum sortis, relicta ei quarta, vel quinta parte lucri incerti. Denique contractum venditionis lucri incerti cum Ioanne, vt pro reliquis partibus lucri sperati certum quid mihi soluat. cur non possint fieri cum eodem, præsertim cùm ille id petat, & alios admisceri nolit? quæ enim inita cum diuersis iusta sunt, etiam cum eodem iusta sunt, si ille sic contrahere sponte sua cupiat, vt Siluester, Lopez, Nauarrus, & alij DD. annotarunt. Iustitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non in habitudine ad personam, seu subiectum. In hoc enim ab aliis virtutibus præsertim moralibus distinguitur, vt omnes Theologi & Philosophi docent.

Si dicas, quando tale pactum assecurationis cum eodem contrahitur, amitti dominium pecuniæ, fierique tacitum mutuum; hoc iam antè satis refutatum est. Denique hæc pacta possunt fieri cum eisdem successiuè, cur non etiam simul? Antecedens fatetur Caietanus, & passim ceteri DD. excepto Soto; & per se satis constat. sunt enim pacta iusta. Primum enim est pactum societatis, vel conductionis operæ; secundum, assecurationis; tertium, venditionis lucri incerti maioris pro certo pretio minore. Consequentia patet; quia simul vel successiuè fieri, non mutat iustitiam pactorum, modò semper seruetur æqualitas, & vtrimque libertas. *Quarta ratio.*

Ex his patet, Primò, Contractum illum supradictum, quem Conradus proposuit Caietano, ea forma qua proponitur, non esse iniquum: continet enim triplex pactum iam explicatum. Neque verum est, pro assecuratione nihil dari; quia datur pro ea pars lucri incerti; quæ iudicio prudentis, spectatis circumstantiis, censeatur illi æquiualere. pro reliquo lucri incerti maioris, exigitur aliquid certi quod minus sit, quod iudicio prudentis, spectata conditione negotiationis, & reliquis circumstantiis, censeatur spei illius æquiualens; vel certè non pluris æstimetur. *Conclusio.* *Ad rationes Caiet.*

Nec obstat, quòd fortè tertius nollet illud lucrum incertum eo pretio certo emere; tum quia sæpè contrarium est verum: tum quia id prouenit ex eo, quòd tertius non possit certò scire quantum lucri prouenerit. Nam potest ei fraus magna fieri; cùm non sit conscius eorum quæ geruntur. secùs est de sociis, vt ex dictis constat.

Secundò, constat, formulam illam, quæ in Italia & Antuerpiæ variis linguis circumfertur, non esse iniquam, continet enim tres illos contractus, estque talis: *Ego infrascriptus confiteor hoc meo chirographo, me accepisse à Titio mille aureos, vt eos impendam legitimæ negotiationi: & loco incerti lucri maioris, quod illi ex hac negotiatione posset competere, promitto me illi daturum 6 & ¼ in centum quotannis, & eiusdem summæ periculum præstiturum.* *Formula mercatoril.*

Ad argumentum Soti abundè constat ex rationibus supradictis. Ex quibus etiam facilè soluitur aliud argumentum quod quidam valdè vrgent: De ratione contractus societatis est, inquiunt, vt sicut socius est particeps lucri, ita etiam sit damni. L. 1. & sequent. ff. & C. Pro socio. atqui in prædicto contractu socius ille qui pecuniam confert, est extra damnum, & solùm est particeps lucri: ergo non est ibi vera societas, sed vel mutuum cum vsura, vel societas leonina. Dicendum enim, hinc rectè sequi, non esse contractum societatis purum, de quo illæ leges loquuntur: hic enim illam paritatem in lucris & damnis requirit; sed mixtum alio contractu. vtrùm autem ratione illius admixti transeat in aliam contractus speciem, ita vt non debeat ampliùs dici contractus societatis, parum refert, modò in re seruetur æqualitas. vt autem passim est in vsu, potiùs est contractus conductionis operarum ad negotiandum, quàm veræ societatis. neque verum est esse contractum mutui, vt suprà ostensum. neque potest dici societas leonina; quia quòd damni non sit particeps, compensatur alio contractu sponte vtrimque inito. si illam immunitatem iusta ratione & socio inuito nollet compensare, esset societas leonina.

Petes

31 Petes Primò, Vtrùm hi contractus debeant semper expressè fieri?

An debeãt fieri expressè.

Respondeo, Id non esse necessarium, vt rectè Nauarrus suprà ex Maiore: sufficit enim vt contrahentes implicitè illos intendant per vnicum contractum expressum, modò seruetur equalitas; ita vt per tres expressos contractus, iustè ad id, quod ex vnico quæritur, possit peruenìri. Idem enim operatur consensus implicitus & expressus. Vnde potest quis vti hac forma cum mercatore: Confero 1000. ad mercaturam, vt quotannis soluas 5. vel 6. salua sorte, eo modo, quo DD. docent id esse licitum. satis enim per hoc indicantur isti contractus; satisque intelligitur, pro lucro incerto exigi onus præstandæ sortis, & soluendæ certæ pensionis. quò autem negotiatio est magis lucrosa, eò plus exigi potest. Vnde si campsori detur, vel negotianti apud Indos, non damnarem, etiamsi 8. vel 10. in 100. exigantur.

Debent intendi.

Notandum tamen est Primò, Necessarium esse vt hi contractus saltem implicitè intendantur, iuxta aliquem istorum modorum, quos suprà cap. 20. dubit. 11. & 12. explicuimus; quia requiritur iustus titulus exigendi certum lucrum vltra sortem; nullus autem apparet præter contractus prædictos: (nisi fortè quis intendat emere censum vtrimque redimibilem, de quo modò non agimus.) Vnde si quis intendat mutuare mercatori, & exigat partem lucri, tenetur ad restitutionem. similiter si putet mercatorem non velle vti ea pecunia, aut alia eius loco, ad negotiationem: quia tunc contractus negotiationis & venditionis lucri incerti non habent locum. itaque censetur mutuum cum obligatione reddendi aliquid supra sortem, quod est illicitum. Si tamen bona fide dedisset, putans illum velle vti ad negotiationem, posset exigere pretium conuentum; quia contractum ex parte sua bona fide impleuit; ac proinde potest alterum cogere vt etiam impleat, aut soluat quanti sua intererat ipsum pacta conuenta præstitisse.

Notandum Secundò, Hoc pactum assecurationis etiam esse licitum in societate circa greges animalium. potest enim tradi grex 100. ouium pascendus, ea lege, vt pastor præstet eum saluum, supplendo si quid etiam fortuitò perierit; & præterea quotannis soluat aliquid certi pro fructibus. Vt tamen hic contractus sit iustus, necesse est, vt spes fructuum ex illo grege sit tanta, vt iudicio prudentis æquiualeat oneribus quæ pastori imponuntur; nempe obligationi præstandi integrum numerum, & soluendi quotannis certam pensionem.

32 Petes Secundò, Vtrùm expediat hoc tempore in Belgio, & aliis locis similiter constitutis, permittere huiusmodi formulam contrahendi?

An expediat Reip.

Videri possit non permittenda. Primò, Ob periculum fraudis vsurariæ, quæ facilè sic tegi potest: vt si pecunia detur ei, qui per eam quæstum facere non cogitet; aut si non cures, vtrùm negotietur, nec ne: tunc enim erit implicitum mutuum sub specie contractus societatis. Vnde quidam ex supradictis DD. dicunt hunc contractum non esse consulendum, & posse prohiberi, & sæpè habere coniunctum scandalum.

Secundò, Quia, si talis formula contractus permittatur, homines passim negligent emptionem redditùum & prædiorum, aliorumque bonorum immobilium, ex qua Principi vel Reipub. tributum seu vectigal aliquod pendi solet. itaque cedet hæc res in damnum Principis, & Reipubl.

Tertiò, Quia contingit multos priuatos euerti fortunis, quando mercatores (quod sæpè accidit) cedunt foro: quod incommodum vitabitur, si talis contrahendi ratio fuerit prohibita.

Nihilominùs sentio esse expediens, præsertim hoc tempore, & ad salutem animarum, & ad commodum Principis, & ad compendium viduarum & pupillorum, hanc formam non prohiberi, sed permitti. Quòd ad salutem animarum expediat, probatur; Quia si hæc forma prohibeatur, subtrahetur plurimis qui redditus non habẽt, nec venales inueniunt, ratio viuendi salua sorte, quã tamen omnes conseruatam volunt. Itaque conferent se ad iniquas artes, ad occultas vsuras, ad fraudes emptionum & venditionum, ad cambia sicca & ficta, ad mohatras, monopolia, furta. Alij paucis annis sortem consument; sicq; filiæ non poterunt honestè elocari, nec filij in studiis liberalibus ali: aliaque plurima incommoda sequentur.

Expedire probatur.

Quod ad commodum Principis & Reip. attinet, patet. Si enim hic contractus prohibitus fuerit, non poterunt mercatores Principi suppeditare pecuniam, nisi sub maximis detrimentis. cogentur enim omnem ferè pecuniam accipere aliunde per cambia, quorum pretia in annum sæpè excrescunt ad 12. 14. 18. vel amplius in centum. vnde etiam multò amplius nomine cambij vel interesse exigent à Principe. Cùm autem hîc in patria accipiunt pecuniam triplici illo contractu à viduis, pupillis, & aliis qui eam aliter impendere vtiliter non possunt, ordinariè solùm soluunt 6. & $\frac{1}{2}$ in centum, secũdùm rationem redditùum: & ita minus interesse exigunt à Principe. Itaque hic contractus maximè redundat in commodum Principis & Reipublicæ.

Neque verum est, alia ratione Principi obuenire damnũ, quòd negligatur emptio redditùum, & bonorum immobilium: quia hoc tempore ratò offeruntur redditus boni venales; quin potiùs passim redimuntur refusa sorte. Nemo enim est, qui non malit redditum benè hypothecatum, quàm hunc triplicem contractum cum mercatore. Itaque si omnes possent sortem suam impendere in redditus, non confugerent ad mercatores. Idem dicendum de emptione prædiorum, & aliorum immobilium. hæc enim vel se non offerunt; vel si offerant, ita grauantur, vt ex fructibus parum percipiant, & non possint inde viuere. Durum autem est, cogere subditos ad emptionem earum rerum, quæ ipsis pro hoc tempore futuræ sint parum vtiles.

Quòd etiam ad commodum viduarum, pupillorum, & plurimorum aliorum, qui alia ratione fructuosè suam pecuniam non possunt impendere, expediat hunc contractum permittere, constat ex dictis. alioquin consument sortem, & tandem redigentur ad inopiam, vel ad turpia lucra se conuertent.

Nec obstat, quòd aliquos contingat vnà cum mercatoribus euerti; quia hi pauci sunt ad reliquos qui non euertuntur. Deinde non statim euertuntur, sed plerumque post multos annos, quando iam diu fructum perceperunt. ac si viuere debuissent ex capitali, non minùs post aliquot annos ad inopiam vergere cœpissent.

33 *Ad rationes.*

Quod ad speciem vsuræ attinet, ea facilè abstergetur, si contractus ineatur cum industrio & sedulo mercatore, eique detur dumtaxat ad impendendum legitimæ negotiationi, vt formula præscribit. Quòd si quis aliter faciat, id non est vitium huius formulæ, sed hominis à formulæ præscripto recedentis: quod in omnibus contractibus vsu venire potest. atqui ob abusum quorumdam, id quod in se rectum est, & expediens bono publico, non est prohibendum.

Nec obstat quòd Sixtus V. in constitutione edita anno 1586.12. Kal. Nouemb. damnet & reprobet omnes contractus in posterum ineundos, per quos cauebitur personis pecunias, animalia, aut res alias, societatis nomine tradentibus, vt sors ipsa, etsi fortuito casu pereat, semper salua sit, & integrà à socio recipiente restituatur; & statuat, vt talis contractus posthac vsurarius censeatur.

Primò, Quia intelligi potest, quando ex vi contractus societatis exigitur assecuratio. Secundò, Quia non obstante hac constitutione, in Italia maximè viget, & semper viguit ista forma cõtrahendi: & passim schedulis impressis extat, & versatur in omnium manibus. Vnde patet illam constitutionem vel numquam ibi fuisse receptam, vel certè non vetare hanc formulam, sed aliò spectare. Multò minùs fuit recepta hîc in Belgio, vbi neque fuit vmquam promulgata, neque cognita.

Simili modo Pius V. anno 1569. multa statuit de censibus, (v.g. vt statuantur super re immobili, fructifera, certis finibus designata; vt re pereunte pereat census pro rata; vt pecunia reipsa numeretur, idque coram Notario & testibus, & alia huiusmodi) & iubet contractum censeri vsuratium, si aliqua ex his conditionibus defuerit: tamen quia hîc in Belgio illa constitutio non est recepta, nemo sibi facit scrupulum, etiamsi eam non seruet.

Idem alia constitutione de cambiis edita anno 1571. statuit, vt quando solutio differtur in secundas nundinas, non plus exigatur quàm cùm in primas tantùm, & vt æquè multum soluatur siue nundinæ illæ sint propinquæ tempore, siue remotæ. Neutrum tamen seruatur in praxi, nec Doctores damnant, cò quòd constitutio recepta non fuerit.

Neque etiam obstat cap. In ciuitate, de vsuris: quia solùm ibi vetatur, ne venditio creditò maiori pretio fiat, quàm ea quæ agitur præsenti pecunia. alius longè est casus noster. Nihilominùs nõ obstante illa prohibitione, sæpè venditio fit creditò maiori pretio; non solùm quando res putatur pluris tempore solutionis valitura, quod permittitur illo cap. sed etiam in aliis euentis; vt ratione interesse, ratione periculi cui exponitur, & ratione multitudinis eorum qui sic volunt emere: vt constat ex praxi mercatorum vbique recepta, & à DD. excusata & defensa.

Dices, Vsuræ pupillares sunt vetitæ multis locis; ergo etiam hic triplex contractus vetandus.

Respondeo, Esse magnam disparitatem: nam illæ vsuræ sunt veræ vsuræ, nec habent alium titulum quàm puri mutui (depositum vocant) nisi fortè deponentes explicitè vel implicitè intendant triplicem illum contractum, & agant cum mercatore. quo casu nulla est in illo contractu iniustitia. Sed reuerà plerique pecuniam suam vel pupillorum ita deponentes nihil cogitant, nec sciunt de illo modo contrahendi: & sæpè non agunt cum mercatore, sed cum aliquo, qui pecuniam ad suæ familiæ sustentationem, vel solutionem debitorum, expetit. Vnde meritò talis contractus est prohibitus. addo, totam hãc deductionem à primariis Professoribus sacræ Theologiæ huius Vniuersitatis esse examinatam, qui eam in omnibus & singulis suis conclusionibus probarunt, & vsui publico permittendam esse iudicarunt. Hæc fusiùs præter meum morem persecutus sum, quòd videam adhuc à quibusdam propter vmbras quasdam vsuræ hunc contractum damnari: cuius prohibitionem hoc tempore cum damno publico futuram non dubitauerim.

DVBITATIO IV.

Quæ damna & expensæ ponentis operam sint communes, quæ non.

RESpondeo Primò, Si quid hac de re inter eos iusta pactione est conuentum, id est seruandum. Secundò, Si nihil est conuentum, seruanda est consuetudo loci; nam contractus censentur celebrari secundùm consuetudinem loci, quando aliud non est expressum. 34

Tertiò, Si non constet de aliqua recepta consuetudine loci, qua res possit decidi, sequenda est hæc regula, Vt impendia & damna, quæ causa negotiorum societatis sunt accepta, sint communia; vt si ad merces coëmendas profectus, in latrones incideris, pecuniamque tuam, vel res alias perdideris; si tu vel serui tui ab iis fuerunt vulnerati, & impensæ in medicos sint factæ. Ita habemus L. Cum duobus. 52. §. Venit. 7. pro socio. Similiter si captus ab hoste, te redemeris. Vtrùm autem expensis itinerum detrahendum sit quod domi manens insumpsisses, dubium est. Siluester num. 12. ex Baldo & aliis affirmat. Nauar. cap. 17. num. 283. negat; nisi contrarium sit deductum in pactum. Vtrumq; est probabile. Sententia tamen Nauarri est conformior Iuri & praxi. Ad expensas etiam pertinet, si quid de suo socius impendit ad conseruationem mercium communium, ne perirent vel deteriores redderentur. 35 *Regula generalis.*

Vtrùm autem ex iustitia teneatur de suo ad hoc impendere, quærũt aliqui. Dicendum est, Teneri, si alia ratione non possit damnum commune auertere. Ratio est; quia tenetur eam diligentiam rebus communibus adhibere, quam quisque propriis adhibere solet: atqui ad res suas conseruandas quisque de suo impendit: ergo idem præstare debet ad conseruationem rerum communium. Confirmatur, quia talis tenetur petere mutuum, si aliter non potest damnum commune auertere: ergo si id nolit vel non possit ab aliis petere, tenetur accipere à seipso nomine societatis. Ita Molina disput. 418. 36

Aduerte tamen, si aliquid damni eueniat culpa socij, illud non fore commune; vt si res furto sint ablatæ defectu debitæ custodiæ, vt patet L. cit. tenetur autem non ad exactissimam diligentiam; sed ad talem, qualem rebus propriis adhibere solet. vt habetur L. Sõcius. 72. 7. pro socio. vel potiùs qualem socij communiter præstare solent. Pari modo, si priuato tui odio vel amore damnum vel commodum tibi quis adferat, etiam si socie- 37 *Si culpa tua vel odio tui damnum illatum sit.*

societas sit eius occasio, non erit commune: vt si inimicus inuentum in via, & ad negotia communia proficiscentem vulneraverit: si absentem amicus heredem non scripserit. vide Silvestrum, Societas 1.num.9.

Denique si alter sociorum prodigè administret ex lucris, tenetur alteri compensare. Vnde sequitur, in contractu societatis inter maritum & vxorem, vbi lucra sunt communia, si maritus, cui commissa est administratio, prodigè agat; soluto matrimonio, illius heredes teneri vxori: quia prodiga administratio, non est administratio, sed profusio: & aliàs, hoc ipso, quo lucra aliqua extant, dimidia pars est vxoris; sicut in alio societatis contractu, ad commune lucrum inito. quare tenetur sicut socius, cui concessa administratio ad bonum commune. Vnde in hoc casu vxor, si alia ratio sibi consulendi non suppetat, poterit vti occulta compensatione, quantum ex prodigè donatis, vel consumptis à marito ad eam pertinebat; vt rectè Petrus Nauarr. lib.3.de restitut.cap.1.num.114.

Contrarium tamen docet Nauarr. cap.17.numero 155.vbi dicit, maritum non teneri restituere vxori, quæ de lucris communibus malè impendit. Ratio ipsius est; quia, inquit, illa sola, quæ tempore diuortij inueniuntur lucrifacta, censentur lucra: reliqua enim, licet pro dimidio lucrifiant vxori, lucrifiunt tamen reuocabiliter, ita vt maritus benè vel malè administrando, potuerit illa sibi & vxori reuocare. Sed hæc ratio non est solida: nam reuerà vxor habet dominium & possessionem talium bonorum ab initio quo sunt acquisita, non minùs quàm maritus, etsi partiale; sicut quando res indiuisa, est communis duorum: & maritus nihil præ illa iuris in eis habet, nisi administrationis. ergo ab initio ei pars dimidia debetur; & si maritus malè administret, non potest hoc iuri vxoris officere, sicut nec in paraphernis.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

De Ludo & Sponsionibus.

Habet 5. Dubitationes.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ludus, quid sponsio, & vtrùm hi contractus sint liciti.

1 LVDVS propriè accipitur pro dictis vel factis ad oblectationem animi destinatis, vt colligitur ex D.Thoma 2.2. qu.168. art. 2. hîc verò accipimus pro *contractu, quo ludentes inter se paciscuntur, vt victori cedat quod vterque deposuit.* Itaque ludus propriè est veluti certamen quoddam duorum, ad animi oblectationem pertinens. *contractus autem ludi* est pactum, vt victori certaminis, res ab vtroque exposita tribuatur.

Contractus ludi.

2 *Sponsio.* *Sponsio* est contractus, in quo duo de veritate vel euentu alicuius rei contendentes sibi vicissim aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem fuerit assecutus.

3 *Esse Iure naturæ licitos.* Vterque contractus Iure naturæ est licitus, modò debitæ conditiones adsint. sicut enim in potestate cuiusque est rem suam alteri donare absolutè; ita etiam transferre in alterum sub aliqua conditione; siue ea fortuita sit, siue ex industria pendeat. Vnde non est verum, ex intentione lucri reddi illicitum, & mortiferum peccatum, vt vult Silvester v.Ludus, q.4. & alij, quos ibi citat, nisi affectus lucri sit immoderatus. non tamen erit ob hanc causam peccatum mortiferum, nisi affectus ille, ex quo procedit, tantus sit, vt quis ex illo paratus sit facere notabilem iniuriam proximo, vel aliquod præceptum sub peccato mortifero obligans violare, vt si amore lucrandi per ludum, die festo omittat Sacrum.

4 *Quidam Iure ciuili prohibiti.* Aduerte tamen Primò, Quosdam ludos Iure ciuili esse prohibitos, etiam laicis; vt sunt omnes ludi, qui magis fortunâ quàm arte reguntur, qui communiter nomine *alearum* significantur in Iure; vt patet L.1. & 3. C. de aleatoribus: vbi etiam quinque dumtaxat ludi permittuntur, *cursus, saltus, vibratio quintiana* (id est, hastiludium absque spiculo) *lucta* & *hippodromus*; & conceditur ditioribus vt in singulas commissiones, vnum solidum (nummus erat aureus) tantummodò possint deponere. *si in plus lusum fuerit*, inquit, *neque repetitio detur, & solutum repetatur.* Causa huius prohibitionis est triplex. Prima, quòd ex hoc genere ludi sæpè iræ & blasphemiæ in Deum (cui euentus fortuiti solent assignari) concitentur. Secunda, quòd inter ludentes sæpè oriantur lites & pugnæ. Tertia, quòd facilè tota substantia per illud exhauriatur: vnde fit vt ad furta & latrocinia se conferant. insinuantur hæc d. L. Alearum, suprà. Iure Digestorum etiam prohibitus erat aleæ lusus, præsertim si quis in pecuniam luderet; vt habetur L. Solent. 2. ff. de aleatoribus: vbi tamen permittuntur quinque illi ludi supradicti, virtutis exercendæ causâ. vetitum etiam erat commodare illis locum ad ludendum, L.1.ibidem. Ex quibus apparet, quantò meliores fuerint in hac causa mores illius æui quàm huius. *Causa vetandi.*

Aduerte Secundò, Iure Canonico Clericis esse prohibitum ludum alearum, vt patet can.41. Apostolico, *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus alea atque ebrietati vacans, aut desinat, aut deponatur.* & can.24. *Subdiaconus, aut cantor, aut lector similia faciens, aut desinat, aut separetur*; (id est communione priuetur) *similiter & laici.* Et c.Clerici 15. de vita & honestate Clericorum, ex Concilio magno Lateran. *Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.* Et cap. Inter dile-

5 *Clericis prohibetur.*

dilectos. 11. de excessibus Prælatorum, collatio beneficij facta cuidam Clerico irritatur, quia erat publicus aleator, & vsurarius. Denique Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. de reform. *Statuit sancta Synodus, vt quæ alias à Summis Pōtificibus, & à sacris Cōciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaq; retinēda; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, necnon sæcularibus negotijs fugiendis sancita fuerunt; eadem in posterum iisdem pœnis, vel maioribus, arbitrio Ordinary imponendis obseruentur*, &c. Ex quibus sequi videtur, esse peccatum mortiferum: non quidem si semel, bis, térve clericus sic luserit; sed si huic ludo vacauerit, id est, crebrò & per longum tempus luserit: his enim solis pœnæ imponuntur. Itaque si ad breue tempus recreationis causâ, etsi crebrò, sic luserit, non damnandus peccati mortiferi, si absit scandalum; præsertim cùm hoc tempore isti Canones non videantur recepti, (nisi quatenus prohibent id fieri cum periculo scandali) neque per
6 Superiores curentur executioni mandari. Laicis tamen non est peccatum mortiferum, nisi alicubi aliqua lex politica, sub graui pœna id prohibens, sit in vigore; quia Iure Canonico non est illis vetitum, nisi canone illo Apostolorum 42. cuius hac in parte obligatio per contrariam consuetudinem iam olim cessauit; sicut & obligatio illius Authent. Iustiniani. vnde id per se in illis non est modò vllum peccatum; quamuis ratione circumstantiarum plerumque cum peccato fiat.

DVBITATIO II.

Quæ conditiones requirantur ad iustitiam huius contractus.

7 *Prima conditio.* REspondeo, Tres potissimùm requiri. Prima est, Vt ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam in ludum deponunt: non enim possunt res alienas, vel quas alienare non possunt, periculo exponere.

Secunda. Secunda est, Vt alter alterum per iniuriam (vt minis, fraude, conuitiis) ad ludum non pertraxerit; quia si ille sic pertractus perdat, alter est ei causa damni per iniuriam, ac proinde tenetur ei ad restitutionem. Ita Caietan. 2. 2. q. 32. art. 7. ad secundum. Couarr. ad reg. Peccatum, p. 2. §. 4. num. 7. Sotus lib. 4. quæst. 5. art. 2. & alij; adeò vt hæc sententia ferè sit communis Doctorum: vt si simulet se parum peritum, vt alterum alliciat, qui alioquin ludere noluisset; si conuitiis lacessat, ad quæ vitanda alter consensit in ludum, aliàs non consensurus.

8 Aduerte tamen, quosdam putare, dum quis minis vel conuitiis coactus lusit & perdidit, victorem non teneri ad restitutionem. Ita Molina disput. 516. & Franciscus Garcia de contractibus p. 2. cap. 19. Probari potest Primò, Quia talis absolutè voluntariè lusit, & solùm secundùm quid inuoluntariè: atqui tale voluntarium est sufficiens ad transferendum dominium; præsertim contractu oneroso: vt patet cùm quis inuitus vendit domum suam iusto pretio: ergo, &c.

Si dicas, talem contractum posse rescindi, & alterum teneri ad restitutionem: Respondebo, id fieri posse, quando ea quæ commutata sunt, possunt restitui; non autem quando sunt aliquid transiens; sicut hîc, vbi proximè fit commutatio iuris lucrandi cum iure lucrandi; quæ non possunt restitui, quia ipso actu pereunt.

Secundò, Si ille sic inductus vincat, poterit retinere lucrum: ergo etiam inductor poterit, si lucretur: debet enim esse par vtriusque conditio.

Tertiò, Hoc ipso, quo intendis lucrari ab altero, censeris ei concedere liberè ius lucrandi à te: alioquin debebas habere animum restituendi in euentum luci; nam aliàs non esset æqualitas: ergo non tenetur.

Hæc sententia est probabilis: contraria tamen, 9 *Contrariū verius.* quæ est communis, videtur verior. Primò, quia est contractus per iniuriam extortus: ergo ratione iniuriæ tenetur ad restitutionem damni ex illo secuti. Confirmatur, qui abstulit illi libertatem & arbitrium animi per iniuriam: ergo tenetur illam ei restituere. Secundò, Si per vim cogam te ludere cum tertio, & periculo dare rem tuam, tenebor ad restitutionem, si inde damnum tibi proueniat: ergo etiam collusor tenebitur, si te cogat: nam vtrobique eadem est iniuria. Tertiò, Si cogam te mecum inire contractum societatis mercaturæ, tenebor ad restitutionem, si nauis pereat, vel si alia damna accidāt; quia fuit causa sine qua damnum non incurrisses: ergo similiter hîc. Quartò, Denique non est dubitandum quin collusor teneatur ad restitutionem, si tu non habebas animum lucrandi: atqui animus lucrandi ex contractu, supposita coactione iniusta, non admittit ius sarciendi damni, si quod fortè ex tali contractu secutum fuerit; nam in potestate ipsius est, contractum confirmare vel rescindere: ergo, &c.

Ad Primum, Etsi tale voluntarium mixtum 10 *Ad rationes. Voluntariū mixtiū.* absolutè sufficiens sit ad validum aliquatenus efficiendum contractum, & ad dominium secuta traditione transferendum; tamen si illud vi vel fraude fuit extortum; potes acta rescindere, & rem alienatam recuperare. nam ratione iniuriæ competit tibi actio in rem, & in personam, vt dictum est cap. 17. dubit. 6. Nec refert, quòd ea, quæ per se primò in contractu ludi commutantur, non possint restitui; id enim est per accidens, nempe quia non extant: satis est damnum inde secutum rependi posse; qui enim coactus lusit, non sponte sua, sed metu compulsus, alteri spem lucrandi concessit, & ludum executus est: vnde illi damnum obuenit.

Ad Secundum, Neganda est consequentia; tenetur enim inductor ratione iniuriæ, ex qua damnum alteri obuenit; quia debet esse par conditio ludentium, si præcisè contractum ludi spectes; secùs si intercedat iniuria. si enim mihi iniuriam facis in numero punctorum, vel calculorum, non potes lucrari: ego tamen possum. Item debet esse par conditio, nisi alter tacitè iure suo cedat: sicut cùm quis exponit præsentem pecuniam contra creditam: nam qui ludit creditò, ei à Iure datur potestas non soluendi, & solutum repetendi. Sic qui ludit cum eo, qui per iniuriam cogitur, sponte subit hoc onus: vnde sibi ipse imputare debet, si commodum non possit reportare ex ludo. *Quomodo debet esse par conditio ludentium.*

Ad Tertium, Qui compulsus ludit, non liberè, 11 sed coactè dat alteri ius lucrandi; sicut qui coactus init societatem, vel alium contractum: vnde potest reuocare. nec est necesse vt habeat animum restituendi, si ipsum lucrari contingerit; quia

quia quando quis coactus per iniuriam contractum fecit, est in potestate ipsius postea illum ratificare, vel in irritum reuocare, prout illi commodius fuerit, vt ostensum est cap.17. dub.6.

12 *Importunæ preces.* Importunæ preces, quibus aliquis te ad lusum attraxit, non sufficiunt vt teneatur ad restitutionem, nisi tanta sit importunitas, vt tu malis rem tuam periclitari, quàm tantis molestiis affici; quòd rarum est. Iuxta hæc intelligendum & limitandum quod habet D.Thomas 2.2.quæst.32. art.7.ad secundum, de trahente ad lusum ex lucri cupiditate.

13 *Ne fraudibus vtantur.* Tertia conditio est, Vt non vtantur fraudibus contra leges ludi; alioquin tenentur tum ad restitutionem eius quod sic lucrati sunt; tum etiam ad reparationem damni, quod incurrit qui alioquin lucraturus erat: qui enim fraude vicit, non tantùm tenetur restituere id quod ab altero accepit; sed etiam quod alter iustè lucraturus erat, nisi fraude impeditus fuisset: quia est huius damni causa iniustè. si tamen erat dubium an esset lucraturus, non tenetur ei rem suam, quam exposuerat, dare; quia in dubio melior est conditio possidentis. tenetur tamen rem, quam ab eo sic lucratus est, restituere, ob eam dem causam: quia in dubio non possum mihi rem alterius attribuere, eò quòd in dubio melior sit conditio prioris domini possidentis. Leges autem ludi sunt, quas

14 vel ipsi ludentes communi consensu inter se statuêre, vel si nihil hac de re egerint, quæ eo loco, vel apud eam gentem, cuius more ludete statuerunt, sunt receptæ: nam contractus, nisi aliud exprimatur, censentur celebrari secundùm consuetudines loci; quamuis fortè alter contrahentium, vel vterque aliquas earum ignoret. Fraudes tamen, seu astutiæ communi consuetudine receptæ,

15 *Astutiæ.* vel in quas expresè aut tacitè ludentes consentiunt, sunt licitæ; nec reddunt obnoxium restitutioni: vt si quis aduertens se certò lucraturum, roget aduersarium, velitne deponere duplum: aut si videat errantem in numerandis signis, & non moneat: quisque enim suas tantummodò partes agit, neque censetur ludenti prodesse, quod per negligentiam non aduerit. hoc tamen non est vniuersè verum, sed tantùm vbi consuetudine id est receptum.

Dvbitatio iii.

Vtrùm is qui ludo vetito aliquid est lucratus, teneatur ad illius restitutionem.

16 *Sententia DD. antiquorum.* Qvidam Doctores docent, acquisita ludo vetito, nullo modo retineri posse, eò quòd dominium per talem ludum non transferatur; sed esse restituenda vel pauperibus, si victus victorem induxit ad lusum; vel ipsi victo, si illum victor induxit. Ita D. Bonauentura in 4. d. 15. numer. 67. expresè docet de aleatoribus, idemque sentit de omnibus ludis illicitis: nam ratio ipsius ad omnes pertinet. Idem tenent D. Thomas eadem dist.qu.2.art. 4. quæstiuncula vlt. ad secundum. Richard. eadem distinct. in fine. Palud. eadem dist.q.3.art.5. & alij quidam.

17 *Nõ esse obnoxia restitutioni.* Resp & Dico Primò, Omnino verius esse, acquisita ludo vetito retineri posse, nec esse obnoxia restitutioni ante sententiam Iudicis iubentis restituere. est communis sententia DD. aliorum, Alexandri Halensis 4.p.q.86.memb.3.a.6.Adriani in 4. tractat. de restit. §. Quia in superioribus. Ioannis Medinæ C.de restit.qu. 22. Castro l. 2.de lege pœnali, cap. 2. Soti lib.4.de Iust.q.5.art.2. Couarr. suprà n.2.& 3.& aliorum. Idem tenent passim Canonistæ in cap. pænult. de vita & honest. Clericorum, teste Couarr. Probatur, quia contractus ludi Iure naturæ habet vim transferendi dominij: ex eo autem, quòd talis ludus est prohibitus, neque Iure naturæ, neque Iure positiuo impeditur dominij translatio: ergo acquisita tali ludo, non sunt obnoxia restitutioni. Maior patet ex dubit. prima. Minor probatur; non enim impeditur Iure naturæ; quia etsi contractus aliquis sit prohibitus, vel etiam Iure naturæ illicitus, non ideò naturalis ratio dictat esse irritum; vt patet in matrimonio contracto post votum castitatis, vel post sponsalia cum alio inita; in venditione rei, quam Deo vouisti: in promissione facta meretrici pro vsura corporis. aliud enim est, contractum esse illicitum, aliud esse irritum, seu carere vi obligandi; multa enim illicitè fiunt, quæ tamen facta, tenent. Sed neque Iure positiuo Cæ- 18
sareo, (de quo illi Doctores loquuntur) quia Ius *Ius Cæsareum.*
illud nusquam irritum reddit talis ludi contractum: sic enim habetur L. Alearum.2.C.de aleatoribus, de quibus maximè posset dubitari: *Nulli liceat in publicis vel priuatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie: & si contrà factum fuerit, nulla sequatur damnatio;* (id est, victus non cogatur soluere) *sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus, à patre; aut defensoribus illius ciuitatis, vel recipiat fiscus, non obstante quinquaginta annorum præscriptione.* In Græco textu sic habetur: *Victum in aleæ lusu non posse conueniri, & si soluerit, habere repetitionem tam ipsum quàm heredes eius, aduersus victorem & eius heredes: idque perpetuo, etiam post triginta annos.* Hæ leges non reddunt irritum ludi contractum, nec efficiunt ludentes inhabiles ad dominium transferendum; sed solùm concedunt perdenti repetitionem: quod Doctores passim intelligunt de repetitione in iudi- *Debet repeti in iudicio.*
cio, vt per sententiam Iudicis recuperetur amissum. vnde inferunt, non sufficere vt repetitio priuatim fiat, aut etiam vt fiat in iudicio, nisi se- 19
quatur condemnatio, qua victor iubeatur restituere; ante hanc enim, victorem non teneri. Ita Couarruuias suprà numero 8. Castro lib. 2. de potest. legis pœnal. cap. 2. corol. 3. Medina qu. 22. & alij. Ratio est, quia hæc lex, qua parte iubet solutum reddi, est pœnalis; ac proinde non obligat ad id præstandum, quod in pœnam statutum est, ante sententiam; vel si non est pœnalis, saltem est dispositiua modi, quo res perdita debet recuperari; sicut cùm concedit restitutionem in integrum contra præscriptionem, vel contractum vtrimque impletum; iuxta ea, quæ diximus suprà cap. 6. dubit. 18. & cap. 17. dubit. 9. quod etiam satis colligi potest ex illis verbis, *Competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint*, &c. vbi solùm conceditur ius repetendi per ministerium Iudicis. Adde, non esse consentaneum moribus hominum, vt victor obligetur ante sententiam: quia rari futuri sunt, qui sponte restituent; & ita conscientiæ hominum implicarentur absque fructu.

Deni-

Denique consuetudine receptum est, vt nemo putet se teneri hæc lucra reddere, nisi per sententiam Iudicis compellatur.

Dices, In Græca editione dicitur, *Data super aleæ lusu cautio sit irrita & condici possit:* ergo contractus ludi est irritus, ac proinde solutum debet restitui, etiam ante sententiam?

20 *Cautio interueniens.*

Resp. *Cautionem* distingui ab ipso contractu, ad cuius securitatem datur: vnde etsi cautio sit irrita, non ideò contractus ludi est irritus. dicitur autem irrita *cautio*, quia ex vi ipsius non potest victus cogi ad solutionem: & si quis ex ea coactus fuerit soluere, eò quòd non potuerit probare illam esse datam super aleæ lusu, potest vti occulta compensatione; quia coactus est soluere ex vi cautionis, quæ nullam vim habebat.

21 *Si victor impediat sententiã.*

Petes Primò, Quid si victor impediat ne Iudex illum condemnet ad restitutionem lucrorum, tenebitúrne adhuc restituere?

Respond. Si impediat per vim vel fraudem, tenebitur: quia per iniuriam impedit ne victus possit recuperare id, ad quod leges ei Ius tribuunt. si autem absque vi vel fraude impediat, non tenebitur; quia vtitur Iure suo, ne condemnetur. vt si neget se quidquam ludo lucratum, eò quòd res sit omnino occulta, nec victus habeat vllum testem quo id probet. cùm enim hic examinetur criminaliter, vt puniatur priuatione lucri in pœnam criminis; non tenetur fateri, etiamsi sub iuramento rogetur, antequam sit semiplenè probatum per vnum testem omni exceptione maiorem, vt docet Molina disputat. 514. Hæc sententia probabilis est. Contraria tamen videtur verior, ex contrario fundamento. non enim ista lex videtur esse pœnalis, sed dispositiua æqui & boni, ne homines rebus suis per ludum irrecuperabiliter priuentur, cum magno Reipubl. incommodo, vt dictum est dubit. 1. sicut illæ leges, quæ certis casibus concedunt in integrum restitutionem. Confirmatur, quia si victor in pœnam delicti condemnaretur ad restitutionem lucri, non deberet fieri restitutio victo, qui fuit particeps delicti, sed fisco; sicut cùm aliquid datum est pro adulterio, vel homicidio. Itaque victor non examinatur criminaliter, sed ciuiliter; sicut cùm petitur restitutio in integrum: ac proinde rogatus tenetur fateri veritatem, etiamsi res occulta sit.

22 *Si victus non audet repetere.*

Petes Secundò, Quid si victus non audeat repetere in iudicio, metu dedecoris, poteritne vti occulta compensatione aduersus victorem?

Respond. Non posse. Ita Castro & Medina suprà. Idem tenet Sotus, etsi dubitanter. in eadem sententia est Adrianus qu. de Ludo, §. Sed oritur ex his: etsi Sotus & Medina contrariam sententiam ei tribuant. Ratio est, quia victus non habet ius ad recuperandum amissum, nisi per Iudicis sententiam: aliud enim ei leges non concedunt. potest tamen minari accusationem & repetitionem in iudicio; & si victor, vt hoc declinet, restituat ei lucrum, poterit victus illud accipere; modò tamen verè animum haberet in iudicio repetendi; quia tunc tanti valet repetere, quanti est id,

23 quod accipit vt non repetat. Secùs si non habebat animum repetendi, sed solùm fingebat, iuxta Molinam loco cit. Quamuis etiam in hoc casu verius putem, posse accipere; quia habet Ius repetendi: quo Iure cedit. vide suprà cap. 17. dub.6.

Dvbitatio iv.

Vtrùm is, qui ludo vetito perdidit, teneatur soluere in foro conscientiæ.

Qvidam DD. dicunt teneri soluere, quamuis 24 solutum possit posteà in iudicio repetere. Ita Castro & Medina suprà. Ratio est, quia Iure naturali quisque tenetur implere promissa.

Non tenetur soluere, si velit.

Respond. tamen, Iure communi Cæsareo non teneri soluere quod sic amisit. Ita Adrianus suprà, Couarr. ad regul. Peccatum, p. 2. § 4. num. 8. Insinuat Nauarr. cap. 20 num. 17. videtur enim probare sententiam Adriani & Couarruiæ.

Probatur Primò. Quia Iure Cæsareo sancitur, *vt victus non cogatur soluere:* atqui parum est non cogi in foro externo, si interim cogitur in foro conscientiæ. deinde cur vult illum non cogi, nisi quia mens eius est, vt non soluat, & rebus suis se non exuat, & victor non fruatur lucro?

Secundò, Ibidem conceditur, vt victus & eius heredes possint solutum repetere: atqui hoc ipso videtur concedi, vt non teneatur soluere: cur enim non eximat illum obligatione soluendi, cui concedit Ius, si soluerit, repetendi? Confirmatur; quia *qui ad agendum admittitur, est multo magis ad excipiendum admittendus*, vt habetur cap. Qui ad agendum. de reg. Iuris in 6. ergo cùm victo detur actio ad recuperandum pretium solutum, conceditur eidem etiam Ius excipiendi contra victorem, vt ei non soluat. quorsum enim per inutiles ambages ducatur, vt rem suam recuperet, cùm ab initio possit non soluere?

Tertiò, in lege Græca redditur *irrita omnis cautio data super aleæ lusu.* vult ergo ex aleæ lusu non nasci obligationem soluendi. cur enim vellet cautionem, quæ contractum confirmet, esse irritam, si ex contractu vellet aliquam obligationem nasci? Nec obstat, quòd Iure naturæ teneamur promissa liberè facta implere: hoc enim verum est, nisi maior potestas reddat ea irrita & inualida; aut nisi faciat potestatem non implendi; quod ob iustam causam facere potest. Idem dicendum de quouis alio contractu. quamuis enim lex contractum ludi non reddat propriè irritum; (victor enim potest exigere à victo solutionem rei, quam lucratus est; & cùm ei tradita fuerit, acquirit eius dominium, nec tenetur eam restituere victo ante sententiam: quod est signum, contractum non fuisse irritum) tamen cõcedit victo potestatem liberandi se, & excutiendi obligationem per contractum inductam, si velit. Itaq; etsi victor possit solutionem exigere, tamen non potest eam extorquere, si victus beneficio legis vti volens, nolit soluere.

25 *Obiectio.*

Lex dat potestatem excutiendi onus soluendi.

Petes Primò, Quid si vterque renuntiarit beneficio legis, cesseritque Iure suo; poteritne victus adhuc denegare solutionem?

26 *Renuntiatio beneficij legis.*

Respondeo, Si solùm renuntiauit simplici verbo absque iuramento, poterit non soluere; & si soluerit, repetere: simplex enim cessio non priuat hominem Iure, quod lex ei tribuit, in fauorem boni communis. alioquin facillimè omnis vis legis redderetur inanis & frustratoria. Si verò renuntiauit cum iuramento, iurando se non vsurum beneficio legis, tenetur soluere, & solutum non potest repetere; si tamen de ea re liberè poterat disponere. quia iuramentum de re licita,

alteri

alteri factum, necessariò est seruandum, vt patet cap. Quamuis pactum, de pactis, in 6. Si iurauit tantùm se soluturum, tenetur quidem soluere, sed poterit solutum repetere; quia non iurauit se non repetiturum: nisi fortè mens eius fuerit etiam ad hoc se obligare; iuramentum enim secundùm mentem iurantis astringit.

27 *An hoc iuramentum possit relaxari.* Petes Secundò, Vtrùm iste in hoc euentu possit petere iuramenti relaxationem à Prælato, & tunc non soluere, vel si soluit, repetere? Molina putat tale iuramentum non posse relaxari absque consensu eius, cui factum est; quia factum est in illius commodum, absque vi & fraude: ac proinde per illud acquisitum est illi ius, quo non potest spoliari inuitus. Alij verò putant, absolutè relaxari posse, sicut iuramentum de soluendis vsuris. Verùm dicendum est, tale iuramentum posse relaxari, si solùm iurauit soluere, seu tradere rem, absque intentione non repetendi; quia tale iuramentum non confirmat contractum; cùm non excludat priuilegium legis, quo conceditur repetitio. Si autem iurauit soluere, & non repetere, vel saltem ea mens eius fuit, etsi non expresserit; non potest relaxari inuito eo, cui præstitum est, nisi vis aut fraus interuenerit.

Secùs est de iuramento soluendi vsuras: hoc enim est per iniuriam extortum, & vsurarius per hoc nullum ius acquirit; sed solùm est implendum, ne Deus videatur fuisse assumptus in testem falsi. vide cap.17.dub.7.

Dvbitatio v.

Vtrùm per ludum & sponsiones possit lucrari is qui non potest perdere.

28 *Si alter sit certus lucrandi.* NOtandum est, Esse potissimùm dubium in tribus casibus. Primus est, Si alter sit ita peritus ludi, vt moraliter certum sit ipsum lucraturum; aut si ita sit certus de re super qua fit sponsio, vt non possit amittere. Videri possit alicui, hos posse lucrari, si nihil simulatè aut fraudulenter agant, quò alios ad ludum vel sponsionem pertrahant, sed simpliciter se offerant: quod expressè docet Toletus l. 5. c. 27. de faciente sponsionem, quod etiam docuit Decius consil. 115. & Couarr. regula Peccatum, p. 2. §. 4. n. 6. Decij sentẽtiam approbans. eademq; videtur ratio ludentis; quia non tenetur ex iustitia suam peritiam declarare aduersario ne ille amittat: quisque enim hîc suas partes agit. ille verò suæ temeritati imputare debet, quòd ignotum prouocarit, aut prouocatus, periculo perdendi se exposuerit, non examinata eius qualitate.

29 Nec obstare videtur, quòd is, qui vendit rem aliquam, teneatur vitium eius occultum aperire, ac proinde pari ratione eum, qui ludit, teneri suam peritiam patefacere. Responderi enim potest: Primò, Venditorem ad hoc ex iustitia non teneri, si emptor id non postulet, sed suo iudicio rem explorare velit; iuxta ea quæ dicta sunt suprà c. 21. dub. 11. Secundò, Quidquid sit de venditore, aliam esse rationem in ludo; quia in venditione & emptione quæritur æqualitas rei & pretij: in ludo verò & sponsionibus quæritur victoria, vel fortunæ, vel industriæ, vel scientiæ. vnde etiamsi tua industria vel scientia sit maior, non teneris eam aduersario patefacere. satis est vt eam non tegas aliqua simulatione, qua alter decipiatur.

Verùm contraria sententia est communis, vnde & nobis amplectenda. Fundamentum huius est, non quod quidam ponunt, quia debet esse par conditio ludentium, (id enim verum non est de paritate industriæ, vel notitiæ; sed de paritate in legibus seruandis, & iure lucrandi vel perdendi; vnde ad rem non facit) sed quia error seu dolus dat causam contractui. si enim hic alterius peritiam nosset, nollet suam cum ea committere: at quando error dat causam contractui, hic vel irritus est, vel in irritum reuocari potest; vt ostensum est cap. 17. dubit. 5. num. 29. & seq. Vide, si placet, quæ ibi dicta: ex quibus rationi alterius sententiæ respondeti. 30

Nec obstat, quòd is cui in ludo felicior sors aut partitio accidit, ita vt certus sit de lucro, possit ea re dissimulata augere sponsionem, & offerre duplum aut quadruplum in ludum, etiamsi alter decipiatur; vt docent Couarr. & Decius suprà, & Ioannes Medina C. de restit. q. 22. & alij: quia ludi leges consuetudine receptæ id permittunt, vt iidem Auctores docent. Vnde si consuetudo simili modo permitteret excessum peritiæ in altero, non putarem cogendum ad restitutionem.

Secundus casus est, Cùm is, qui ludit, habet animum non soluendi, vel solutum repetendi. Talis non potest lucrari. Primò, Quia decipit aduersarium; (hoc ipso enim quo exponit rem suam, significat se esse paratum soluere & amittere, si ludo vincatur, cuius tamen contrarium mente gerit) quam deceptionem si aduersarius sciret, nollet ludere. Secundò, Quia debet esse par conditio ludentium; nempe vt vterque eodem modo paratus sit amittere rem depositam, si victus fuerit. qui tamen sincero animo lusit, non cogitans de non soluendo, vel de recuperando amisso, aut habens animum soluendi, & non recuperandi; potest peracto lusu mutare animum, & nolle soluere; vel si soluit, repetere solutum: quia hoc vtrique leges concedunt, & in eo sunt pares. idq; locum habet, siue vterque ludat creditò, siue vterque præsenti pecunia; siue alter creditò, alter præsenti pecunia. sicut enim qui ludit creditò, potest postea nolle soluere; ita etiam qui præsenti pecunia ludit, potest repetere solutum. vnde verum non est quod quidam docent, eum, qui ludit creditò, non posse lucrari ab eo, qui exponit præsentem pecuniam, nisi iuret se soluturum. satis enim est vt ludens creditò, bona fide intendat soluere, vtque aduersarius, eius fide sit contentus. 31 *Si habet animum non soluendi.*

Petes, Quid si ludens creditò non teneatur soluere, & ludenti pecuniâ numeratâ non detur repetitio; Vtrùm tunc is, qui creditò ludit, possit lucrari?

Respond. Posse, si cùm luderet animum habebat soluendi: quia alter censetur cedere iure suo, hoc ipso, quo sciens & volens cum tali ludit, præsentem pecuniam exponens. Talis lex lata est à Carolo V. in Hispania, de qua Couarr. reg. Peccatum, p. 2. §. 4. num. 8. & Castro lib. 2. de leg. pœn. cap. 2.

Tertius est, Cùm alter ludentium non potest rem depositam alienare; vt si sit Religiosus vel filiusfamilias. Religiosus absque consensu Superioris non potest quidquam ludo acquirere; quia sine eo non potest quidquam in ludum deponere. vnde si lucretur, tenetur ad restitutionem; sicut & ille tenetur, qui ab eo lucratus fuerit. 32 *Si nõ possit alienare. Religiosus.*

Cum

33 Cum consensu tamen Superioris potest lucrari & perdere, etiam notabilem summam; quia est contractus onerosus, qui potest Monasterio esse vtilis. quamuis peccet, res Monasterij sic exponendo: & quidem mortiferè, iuxta Nauarrum cap.20.num.9. Si tamen contigerit Monasterium grauiter lædi ex ludo, datur ei restitutio in integrum, sicut in aliis contractibus. De pupillo & minore habente curatorem, dictum est suprà cap. 17. dubit. 8. Filiusfamilias pubertatem in-
34 *Filiusfamilias.* gressus, si habet castrensia vel quasi castrensia, vel alia à parente concessa ad animi oblectationem, vel ad liberam administrationem, potest lucrari & perdere; & qui ab eo lucratus fuerit, non tenetur ad restitutionem. si autem solùm habet aduentitia, quorum vsusfructus sit apud parentem, non potest quidem ea exponere in ludum absque parentis consensu; si tamen fecerit, & perdiderit, probabile est, eum qui lucratus fuerit, non teneri ad restitutionem parenti aut filio, *Aduentitia filiorũ.* vt docet Molina disput. 519. Ratio est, quia etsi filius non potuerit dominium horum transferre in alterum, (eò quòd administratio pertineret ad parentem;) tamen quia ad ipsum pertinet dominium directum, poterit victor hæc retinere Iure retentionis, pro debito, quo filiusfamilias manet illi ex ludo, naturali Iure obstrictus. hoc tamen limitauerim ad eum euentum, quo parens censeri possit condonare filio vsumfructum, & cedere Iure administrandi illa bona: vel quando per fi-
35 lium alia ratione compensari potest. Alioquin si parens id, quod amissum est, repeteret, vel constaret ipsum velle sibi restitui, deberet reddi; sed filius teneretur de euictione ex rebus suis quamprimùm commodè posset. Nisi fortè ludo vetito amiserit; (tunc enim sicut non tenetur soluere, ita neque compensare si fuerit euictum) vel nisi se possit eximere beneficio restitutionis in integrum, quod minori, si læsus fuerit, competit vsque ad 29.annum completum; vt dictum est suprà cap.17.dub.8.

36 *Res aliena si deponatur in ludum.* Si filiusfamilias non habet quidquam proprij, sed tantùm aliena, quæ ipse non potest in alium transferre, & aduersarius id nouit, neuter potest lucrari: quia contractus est irritus, cùm vtrimque sit mala fides. Idem dicendum, si quis ludat cum eo, quem scit deponere rem furtiuam. colligitur ex L. Si in empt. 34. §. Item si emptor. ff. de contrahenda emptione. Si autem aduersarius bona fide putat esse rem ipsius, aut ipsi esse concessam liberam administrationem; tunc vterque potest lucrari, quia contractus est validus propter bonam fidem alterius contrahentium; vt colligi potest ex L. Rem alienam. 28. ff. de contrahenda emptione. vide dicta cap. 20. dubit. 18. vbi tamen victor sciuerit, rem, quam lucratus est, esse alienam, tenetur illam curare restitui; sed tunc filiusfamilias tenetur illi de euictione, manetque obligatus ad compensandum.

Duo tamen hìc sunt Notanda: Alterum est, fi- 37 *Dum versatur in aula vel studiis.* liumfamilias, qui à parente sustentatur in aula vel Vniuersitate, posse particulam aliquam summæ sustentationi destinatæ, ludo honesto insumere, nempe 4. vel 5. in centum, vt docet Sotus l.4.q.5. art.2.& Nauarr.cap.20.num.12. Ratio est, quia ad alimenta pertinet etiam honesta recreatio, ætati & statui conueniens, & æqualibus passim concessa, sine qua non posset decorè & liberè cum sociis versari. Idem sentit Nauarrus de Religioso, qui versatur in studiis, impensis sui Abbatis, vel in negotiis Monasterij foris; modò tamen id honestæ recreationis causa faciat.

Alterum est, Eum, qui solùm quatuor potest 38 *Potest quis plus lucrari quàm perdere, & contrà.* deponere in ludum, non posse singulis commissionibus ab vno eodemque lucrari plusquam quatuor; quia debet esse par conditio ludentium: nisi alter sciens conditionem socij, cedat Iure suo. potest tamen amplius lucrari, si plures sint in quos ludit; vt si quatuor ludant, & singuli deponant quatuor, poterit lucrari duodecim. diuersis etiam commissionibus poterit ab vno eodemque plus lucrari, quàm potest perdere. cùm enim non possit perdere nisi quatuor, potest lucrifacere centum. Ratio est, quia satis est ad singulorum ludorum lucra, vt possit alienare quod in quoque ludo deponit. Adde, posse etiam deponere quidquid lucratus fuerit; quia parens ad id tacitam facultatem dare censetur. vide Nauarrum suprà.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

De Deposito & Commodato.

Constat 6. Dubitationibus.

EXpositis contractibus, quibus transfertur dominium, dicendum est de quibusdam aliis, quibus non transfertur: inter quos primò occurrunt contractus Depositi & Commodati.

DVBITATIO I.

Quid sit depositum, quid commodatum.

1 RESPONDEO & Dico Primò, *Depositum* vocatur & res ipsa, quæ alicui custodienda traditur, & contractus, quo aliquid traditur custodiendum, vt integrum restituatur; vt colligitur ex L. 1. ff. Depositi.

Dico Secundò, Contractus hic re ipsa perfi- 2 *Perficitur reipsa.* citur: nempe dum res traditur à deponente, & suscipitur à depositario: tradere enim vel deponere in domo non sufficit, nisi alter significet se eius custodiam suscipere: nisi fortè ex officio teneatur eam custodire; vt sunt caupones, stabularij, nautæ, & aurigæ; sufficit enim illis videntibus rem in domo, vel naui, vel curru deponi, teste Gomezio tom.2.cap.7.num.2.

Dico Tertiò, Deponi ordinariè solent res mò- 3 *Quæ res deponantur.* biles aut se mouentes; non autem immobiles, nisi quando est de aliqua re immobili controuersia: tunc enim deponi solet apud sequestrum, vt custodiatur, & vt fructus eius seruetur ei, qui superior fuerit in lite. vide Siluestrum v. Depositum,

situm, num.1. Solet autem apud sequestrum fieri depositio, quando neuter litigantium est in possessione rei; aut alter contra Iuris ordinem possessionem est ingressus. Item quando timetur ne alter cum re fugiat, aut eam deuastet; & in aliis quibusdam casibus.

4 *Commodatum.* Dico Quartò, *Commodatum* vocatur tum res ipsa, cuius vsus alteri conceditur; tum contractus, qui nihil est aliud, quàm rei alicuius quoad solùm vsum gratuita concessio, vt colligitur §. Item is, Institut. quibus modis contrahatur oblig. hinc patet esse contractum, qui reipsa perficiatur.

Differt à mutuo. Dico Quintò, *Commodatum* differt à *mutuo*, quòd per illud non transferatur dominium, sitque idem numero restituendum, possitque esse tam rei immobilis, quàm mobilis: nam etiam domum nostram commodamus. mutuum verò, dominium transfert, & diuersum numero restituendum est, solumque in rebus mobilibus, quæ numero, pondere, vel mensura constant, cernitur.

A precario. A *precario* verò, quòd commodatum sit certi temporis, expressi, vel impliciti, ante quod non possit repeti. Expressi, vt si commodem tibi librum ad mensem. Impliciti, vt si commodem tibi librum, vt eum transscribas: tunc enim implicitè tantum temporis concedo, quantum necessarium est ad describendum commodè; L.3. & 4. π. commodati. vide Siluestrum v. Commodatum, numero 1. Si ante hoc tempus repetas, commodatarius non tenetur. si inuito extorqueas, teneris illi de damno secuto. *Precarium* verò est reuocabile ad nutum concedentis.

Dvbitatio II.

Vtrùm depositarius possit deposito vti.

5 Respondeo, Non posse, alioquin censetur furtum committere; & si vsus sit pretio æstimabilis, (vt est vsus equi, vestis, monilis) tenetur soluere pretium: si tamen putetur dominus illud velle. Ratio est, quia vsus rei non est ei concessus, sed tantùm res ipsa, vt eam custodiat. Idem dicendum de pignore, & de commodato, si quis eo aliter vtatur quàm concessum sit; vt docet Couarr. lib.3. variar.cap.15. num.vlt.

6 *Potest vti in tribus sequentibus.* Aduerte tamen, in tribus casibus posse depositō vti. Primò, Si id illi à deponente est concessum. per hanc enim concessionem depositum transit in mutuum, vel in commodatum, hoc ipso quo vti cœperit: in mutuum quidem, si est res vsu consumptibilis, vt pecunia, triticum, oleum: in commodatum, si non est vsu consumptibilis. vide Nauarr. cap.17.num.181. & colligitur ex L. Certi condictio.9.§.vlt. π. de rebus creditis.

7 Secundò, Si depositarius bona fide existimet domino id non displicere: tunc enim non peccaret vtendo, nec furti actione teneretur, quamuis postea constaret domino displicuisse, & deberet vsum, domino volente, compensare: quia fur censeri non potest, qui putat se domino non inuito rem contrectare. ita Couarruuias suprà.

8 *Si certus est se posse restituere.* Tertiò, Quando depositum est res vsu consumptibilis, v.g. pecunia, triticum, vinum; & depositarius certus est, se, quando depositum repetetur, paratum habiturum tantumdem eiusdem mensuræ & bonitatis; tunc non erit peccatum, saltem mortiferum, vti deposito, & illud alienare: quia nullum incommodum irrogatur deponenti. imò hoc cedit in eius commodum: quia etiamsi res casu, vel culpa leuissima depositarij periret, maneret deponenti salua; aliàs ipsi peritura. Ita Molina disput. 524. Idem docet Siluest. v. Depositum, num.10.

Dvbitatio III.

Ex qua culpa depositarius teneatur, si depositum perit, vel deterius effectum est.

9 *Si in commodum deponentis solùm.* Respondeo & Dico Primò, Si depositio tantùm cedit in commodum deponentis, depositarius solùm tenetur ex dolo & culpa lata, non autem ex leui vel leuissima.

Si in commodum vtriusque. Dico Secundò, Si verò cedit in commodum vtriusque, tenetur etiam ex culpa leui; vt si pretium pro custodia accipiat; vt patet L.1. π. depositi. hinc sartores, molitores, & similes artifices, quibus res aliqua traditur polienda, vel immutanda; item nautæ, aurigæ, caupones, & similes apud quos res deponitur, tenentur ex culpa leui: quia depositio etiam in ipsorum commodum cedit. Imò L.1. cit. nautæ, stabularij & caupones 10 dicuntur teneri ex culpa leuissima. quod sanè probabile est, non solùm in foro externo (vt vult Siluester v. Nauta, num.1. & Angelus, eodem in princip.) sed etiam in foro conscientiæ, præsertim si quis rem aliquam ipsis expressè tradiderit custodiendam: id enim leges, ad fraudes omnes, quæ à talibus committi solent, excludendas, meritò potuerunt constituere. secùs tamen, si quis rem suam, ipsis tantùm videntibus, in diuersorio vel naui deposuerit; (quamuis illa lege id significetur:) quia nisi illis specialis cura committatur, censentur cuique rerum suarum custodiam relinquere; idque ob multitudinem accedentium & recedentium, quorum fidem & factum ipsi præstare nolunt. ita ferè nunc est consuetudo.

11 *Si in commodum solius depositarij.* Dico Tertiò, Si depositio fiat in commodum solius depositarij, tenetur de culpa leuissima: vt si quis deponat apud aliquem pecuniam, eo fine vt possit illa vti si opus illi fuerit. colligitur ex L.4. π. de rebus creditis. sic intellige L.1.§. Sæpè. π. depositi. vbi dicitur: *Si se quis depositō obtulit, idem Iulianus scribit periculo se depositi aligasse; ita tamen vt non solùm dolum, sed etiam culpam & custodiam præstet; non tamen casus fortuitos.* Loquitur enim de eo, qui tantùm sui commodi causa se obtulit; non autem de illo, qui causa vtriusque, vel deponentis dumtaxat. hic enim non magis tenetur, quàm qui se non obtulit: nisi aliud expressè conuenerit; aut nisi diligentissimam custodiam promiserit. vide dicta suprà cap.7. dubit. 8. vbi etiam diximus, non esse improbabile, neminem teneri in foro conscientiæ, nisi ex culpa graui; nisi aliud expressè sit conuentum.

Notandum est, si quid depositum sit apud Abbatem, vel Religiosum cum consensu Abbatis; idque culpa eius perierit, Monasterium non teneri depositi: quia non tenetur ex delicto Prælati, aut Religiosi. Idem dicendum de deposito apud Episcopum, vel Canonicum. patet ex c. Delictum. de regul. Iuris, in 6. & cap. Episcopum.16. quæst.6. *quia delictum personæ, non est in*

damnum Eccleſiæ conuertendum, vt ibidem dicitur. Si tamen id totum vel ex parte verſum eſſet in commodum Eccleſiæ vel Monaſterij, teneretur quatenus inde commodum percepit.

Petes, Quid ſi dubium ſit, Vtrùm depoſitum vel commodatum culpa depoſitarij vel commodatarij perierit?

13 *Si dubium cuius culpâ perierit.* Reſpond. Si adhibita diligenti inquiſitione res dubia maneat, non tenetur; quia in dubio nemo præſumitur delictũ facturus. colligitur ex L. Meritò. 51. π. Pro ſocio. quod maximè verum eſt in dubio vtrimque æquali: nam ſi indicia in alteram partem magis inclinent, poteſt fieri præſumptio in contrarium: de quo Couarruuias Clement. Si furioſus. p. 2. §. 2. num. 1. vbi ex eodem principio colligit, conſultorem damno ſecuto teneri ad reſtitutionem; quando dubium eſt, vtrùm ex vi conſilij ſecutum ſit, an verò auctor ſuopte nutu facturus fuerit; quia in dubio non præſumitur quis commiſſurus delictum. Itaque auctor in illo caſu non præſumitur abſque conſilio malè facturus. Confirmatur, quia in dubio æquali cenſetur indeterminatus: ergo conſilium accedens determinauit illum ad alteram partem. ſecùs verò ſi dubium eſſet an conſilium datum ſit: vel ſi conſtaret ex ignorantia inculpata datum: quia tunc non teneretur, partim ob eamdem regulam, partim quia non interceſſit culpa; iuxta ea, quæ dicta ſuprà cap. 7. dub. 7.

Dvbitatio iv.

Quando depoſitori repetenti depoſitum poſſit non reddi.

14 Reſpondeo, Quatuor caſibus. Primò, Si petat vt ſibi vel alteri noceat; vt ſi furens repetat enſem.

Si depoſitum generatim confiſcatum. Secundò, Si bona eius fiſco ſint addicta: tunc enim fiſco tradenda. colligunt id DD. ex L. Bona fides. 31. π. depoſiti. Sed ex eo loco non colligitur id eſſe neceſſarium. Vnde niſi Iudex bona fiſco addicens, vetuerit, puto illi poſſe reſtitui, quia ille adhuc ius ad eam rem habet, cùm dominium nondum amiſerit. Ita quidam recentiores, & Emanuel Sà, v. Depoſitum. non tamen puto depoſitarium ad hoc obligari; ſed poſſe, ſi velit, ad fiſcum deferre, quia etiam fiſcus ius habet, vt eam rem ſibi vindicet.

15 Tertiò, Quando dominus & fur in repetitione rei concurrunt, non eſt reſtituenda furi, qui depoſuit. Idem dicendum, ſi conſtet rem furto eſſe ſublatam per deponentem: tunc enim ipſi non eſt reſtituenda, ſed domino; niſi putetur illam repetere vt reſtituat domino.

16 *Compẽſatio in depoſito.* Quartò, Causâ compenſationis: probabile enim eſt, etiam in depoſito locum habere compenſationem in foro conſcientiæ, quando nulla alia ratio ſuppetit rei ſibi debitæ obtinendæ. Idem dicendum de commodato: ita tenet Nauarr. c. 17. num. 113. Emanuel Sà, & multi recentiores. Iure enim naturæ & gentium poteſt quis ſibi ex qualibet re alterius ſatisfacere, quando aliter ſolutionem obtinere nequit. In foro tamen externo hæc compenſatio non admittitur, ſicut nec in commodato: imò neque in rebus diuerſæ ſpeciei: in quibus conſtat ex communi Doctorum ſententia, poſſe fieri compenſationem in foro conſcientiæ. Silueſter v. Compenſatio, num. 3. cum Panormitano admittit compenſationem indirectam in depoſito, commodato, & ceteris omnibus. Indirectam compenſationem vocant, qua res detinetur donec ſolutio fiat.

Dvbitatio v.

Vtrùm commodatũ poſſit repeti ante tempus, cum damno commodatarij, ſi commodanti ſimile damnum impendeat.

NAuarrus cap. 17. numero 182. negat, ratiõ ipſius eſt; quia commodans, ſua voluntate propriæ rei vſum conceſſit, & ſuam fidem ſeruare tenetur. Confirmatur ex cap. vnico, de commodato. & ex L. In commodato, 17. §. Sicut. π. Commodati. 17

Reſpondeo tamen, Verius eſſe, ob par incommodum vel damnum vitandum, poſſe repeti ante tempus. ita Angelus v. Commodatum, num. 4. Silueſter ibidem num. 4. Lopez lib. 2. de contractibus, cap. 34. Molina diſput. 294. & alij. Probatur Primò, Quia commodator non cenſetur talem euentum voluiſſe comprehendere: ſi enim de eo rogatus fuiſſet, expreſsè negaſſet. Secundò, Quia locator poteſt repetere rem locatam ante tempus, ſi ſuperuenerit euentus, quo res illa ipſi ſit neceſſaria, vt ſuprà cap. 24. dubit. 6. oſtenſum eſt: ergo multò magis poterit repeti commodatum, quod gratis conceſſum eſt. Hæ rationes probant non ſolùm tunc poſſe repeti, quando commodatarius non potuiſſet ſibi alia ratione proſpicere quàm per commodatum, vt volunt Angelus, Silueſt. & Lopez; ſed etiam quando potuiſſet ſibi alio modo conſulere; & quamuis ita affectus fuiſſet, vt ſi ſciuiſſet fore repetendum, non voluiſſet illud acceptare, ſed aliunde petere; vt rectè Molina: quia locator poteſt expellere conductorem, etiamſi conductor rem illam non fuiſſet conducturus, ſi id præſciuiſſet futurum. debet enim commodatarius ab initio, quando illud acceptat, cogitare, poſſe tale euentum ſuperuenire: ac proinde paratus eſſe tunc ea re priuari cum ſuo incommodo & damno: vel paciſci expreſsè; vt quidquid euenerit, non teneatur ante certum tempus reſtituere. 18 *Si vtrique par incommodum, poteſt repeti.* 19

Ad rationem Nauarri Reſpondeo: Etiamſi ſua voluntate rem conceſſerit, id tamen intelligendum cum hac tacita conditione, Niſi interim contigerit eam commodanti eſſe neceſſariam. Quiſque tenetur ſeruare fidem promiſſorum, quamdiu manet idem ſtatus rerum, qui erat tempore promiſſionis: ſi res notabiliter mutentur, non tenetur; vt docet D. Thomas q. 110. art. 3. ad 5. & alij Doctores: vt ſi quis promiſerit alteri alimenta, & poſteà ipſemet incidat in egeſtatem. ſi promiſiſti operam tuam, & interueniat morbus vxoris. ſi promiſiſti puellæ nuptias, quòd putares illam eſſe virginem, & poſteà deprehendis non fuiſſe. his & ſimilibus caſibus reuocatur promiſſio, eò quòd promiſſor non cenſeatur eos voluiſſe comprehendere. Idem potiori ratione dicendum, ſi quis alteri promiſerit aliquid commodandum, vel etiam commodauerit, & euentus ſuperuenerit, quem non intendebat complecti. 20 *Promiſſio deſinit obligare.*

Dices,

21 *Donatio.* Dices, Si tibi donem librum aut vestem, & posteà contingat eius vsum mihi esse necessarium, non possum reuocare donationem: ergo neque commodatum; nam in commodato alienatur vsus rei.

Respondeo negando consequent. quia commodator retinet dominium rei & ius ad repetendum vsum: donator verò non retinet dominium, sed rem omnino à se abdicat. vnde non est mirum si minus Iuris habeat, quàm commodator. deinde non censetur res donari sub hac tacita conditione, vt possit repeti, si donatori opus fuerit. Vbi tamen aliqua tacita conditio, vel ex mente donantis, vel ex dispositione Iuris interuenit, etiam donatio reuocari potest, vt patet ex cap.18. dubit.14.

Dvbitatio vi.

Vtrùm commodatarius & depositarius possint præferre res suas rebus commodatis & depositis, si vtrasque saluare nequeant.

22 QVidam sentiunt, deposita apud te, vel tibi commodata, causâ solius deponentis; in periculo posse postponi omnibus tuis; si causâ vtriusque, tuis æqualibus; si tuâ causâ solùm, tuis pretiosioribus. Ita Angelus v. Commodatum, num.10. Silvest.nu.9.Fumus nu.11.& quidam alij. Sed prima pars huius sententiæ non videtur vera. si enim quis in stabulo tuo deposuerit equum 200 aureorum, contra omnem rationem facis, si orto incendio relinquas equum tanti pretij, vt salues tuum vitulum, vel vnam ouem.

Respondeo igitur cum distinctione; vel enim res tua, quæ cum altera confertur, est pretiosior re commodata, deposita, conducta, &c. vel est minùs pretiosa, vel est æqualis pretij. Nunc

23 *Res pretiosior præferenda.* Dico Primò, Si tua res est pretiosior, potes eam in periculo incendij, naufragij, hostilis irruptionis, præferre rebus tibi commodatis, depositis, conductis, & oppigneratis, est communis Doctorum. ratio est, quia nemo tenetur subire damnum maius, vt auertat alterius damnum minus.

24 *Si in tuum solius commodum.* Aduerte tamen, si res aliena erat apud te, in tuum solius commodum; tunc teneris alteri interitum rei suæ compensare ex rebus tuis. Primò, Quia æquitas non patitur vt alter damnum sustineat, quod tua solius occasione obuenit, rebus tuis saluis. postulat enim gratitudo, vt ipsum etiam cum æquali rerum tuarum iactura serues indemnem: quæ ratio non solùm de commodato, sed etiam de precario concludit, vt rectè Molina ostendit disput.296. Secundò, Ad hoc videris te tacitus obligare, dum illam rem in tuum dumtaxat commodum petis; nam tacitus te obligas ad diligentissimam custodiam; ac proinde teneris eam seruare præ rebus tuis. quòd si res tuæ sint magis pretiosæ, poteris quidem eas præferre; sed cum animo compensandi.

Mihi tamen non est improbabile, te non teneri 25
ex iustitia compensare, quia res illa absque tua culpa periit, ac proinde periit domino. Ita Siluester, Angelus, Fumus, suprà, & alij: quamuis ex decentia & quadam gratitudine tenearis. Certum tamen est, si rem alterius, periculo eripuisti, te non teneri ad expensas, ad eam curandam vel reparandam necessarias, si fortè læsionem aliquam ex incendio vel hoste contraxit: quia hanc impedire non potuisti.

Si verò erat incommodum alterius tantùm, vel 26
etiam vtriusque, vt in deposito, pignore, & conducto; tunc non teneris compensare. si enim non in tuum, sed in alterius dumtaxat commodum concessa vel deposita sit, non teneris cum proprio damno illam conseruare: non enim tunc tuâ causâ est in periculo, sed alterius. vnde par non est, vt tu ex ipsius conseruatione damnum reportes. Idem dicendum, si in vtriusque commodum: non enim tunc est ratio, cur alteri potiùs quàm tibi consulere debeas: in communi enim periculo, ceteris paribus, quisque potest sibi consulere præ aliis. Itaque tunc quæque res domino suo perit. *Si in commodum alterius vel vtriusque.*

Dico Secundò, Si res alterius est pretiosior, 27
teneris eam præferre rebus tuis vilioribus, eamque saluare, tuis relictis. Ratio est, quia deposito, commodato, pignori, locato, ea debetur custodia, quam quisque prudens suis rebus adhiberet: quisque autem saluaret res suas pretiosiores, relictis vilioribus. *Si res alterius est pretiosior.*

Hic tamen Aduerte, si res illa erat apud te, tui 28
dumtaxat commodi causâ, non potes exigere compensationem pro rebus tuis: quia cum iactura rerum tuarum, quæ sint minoris vel æqualis pretij, teneris alterum præstare indemnem; cùm tantùm tui commodi occasione res eius in periculum istud inciderit. Si verò causâ solius alterius, vel vtriusque, apud te erat, potes exigere compensationem: quia tunc non teneris illam cum tuo damno præstare incolumem. vnde etsi tenearis saluare rem alterius pretiosiorem, id tamen facis cum animo exigendi compensationem in rebus tuis, quas siuisti idcircò perire.

Dico Tertiò, Quando res tua & alterius sunt 29
æquales; potes præferre rem tuam, si res alterius est apud te in commodum solius alterius, vel in commodum commune. Si verò est in commodum tui solius, teneris præferre rem alienam, eamque tua relicta saluare, nec ille tibi debet compensare. est communis sententia: patet ex dictis. Cetera, quæ hîc dici possent, vide suprà c.7.dub.8. *Si æquales.*

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

De Fideiussione, Assecuratione, Pignore, & Hypotheca.

Complectitur 7. Dubitationes.

HI contractus sunt veluti subsidiarij reliquorum. ineuntur enim ad alios contractus confirmandos, vel ad rem aliquam aut obligationem periclitantem saluandam: vnde meritò de his post ceteros agendum.

DVBITATIO I.

Quid sit fideiußio, & quas conditiones requirat.

1 *Fideiussio.* RESPONDEO & Dico Primò, *Fideiussio* est alienæ obligationis in se susceptio, qua se quis obligat ad eam implendam, si debitor principalis non soluerit. vide Gomezium tom.2.cap.13.num.11.

Perficitur hic contractus Iure ciuili verbis; quia sine formula stipulationis non parit actionem in foro externo, tamquam pactum nudum; vt colligitur ex L.Blanditus. 1.2. C. de fideiussoribus & mandatoribus. Iure tamen Canonico, & in foro conscientiæ non requiritur formula stipulationis; sed sufficit consensus verbis expressus, iuxta ea quæ dicta sunt cap.17.dub.4.

2 *Conditiones requisita.* Dico Secundò, Requiruntur in hoc contractu ordinariè quatuor conditiones, quibus natura eius continetur. Prima est, Vt hic contractus sit accessorius, supponens alium debitorem & aliam obligationem principalem præsentem vel futuram. Instit. de fideiussoribus, §.1.& 3. inde enim dicitur *fideiussor*, quòd alienum contractum, vel factum, vel debitum fide sua esse iubeat, hanc pro eo obstringens. Neque refert, vtrùm fideiussor præcedat, an sequatur principalem obligationem; potest enim quis fideiubere in contractus amici futuros. Similiter non refert vtrùm obligatio principalis orta sit ex contractu, an ex delicto, an ex sententia Iudicis: item vtrùm sit obligatio ciuilis & naturalis simul, an naturalis tantùm. his enim omnibus potest accedere fideiussor. Instit. suprà §.1. Gomezius cap.13. num.1.

Est obligatio accessoria.

3 Ex his sequitur, non esse propriè fideiussionem, cùm quis constituit se pro alio debitorem principalem: quia non se obligat accessoriè, seu in defectum alterius; sed æquè primò: vnde potest statim conueniri.

4 *Non in amplius obligari potest.* Secunda conditio est, vt fideiussor non possit in plus obligari (id est, vt amplius alio loco aut tempore soluat) quàm principalis debitor. Instit. suprà, §.6. Gomezius n.1. est communis DD.

Potest arctiùs obligari. Aduerte tamen, Posse fideiussorem arctiùs obligari, vt cum iuramento, vel cum hypotheca, vel cum instrumento publico, (quod Guarantigium vocant) quod habeat paratam executionem, etiamsi principalis debitor non sit ita obligatus; vt ostendit Gomezius num.2. estque per se satis manifestum.

5 Tertia est, Vt si obligatio principalis debitoris est omnino inualida, etiam fideiussoria inualida sit, L. Cùm Lex.46 π. de fideiussoribus: vt si quis fideiussit pro solutione vsurarum, vel pro solutione pretij promissi pro re sacra à laico vendita. *Si obligatio principalis sit nulla.*

Aduerte tamen, si ex contractu, vel facto aliquo 6 debitoris principalis nascebatur saltem obligatio naturalis, & accesserit fideiussor, tenebitur hic non solùm naturaliter, sicut principalis debitor, sed etiam ciuiliter: poteritque conueniri hoc ipso, quo principalis non potest, vel non vult soluere, vt docet Gomezius num.2. & colligitur Instit. suprà, §.1. Vt si quis fideiusserit pro seruo, vel pro minore contrahente sine auctoritate curatoris, vel pro Religioso contrahente sine auctoritate Superioris, vel pro muliere contrahente, sine auctoritate mariti. hi enim obligantur ad complendum contractum quantum in ipsis est: ac proinde si adhibeant fideiussorem, is obligatur; etiamsi ipsi obligationem, beneficio restitutionis in integrum, elidant, aut illi, à quibus pendet ratificatio, contractum irritum reddant. *Obligatio naturalis.*

Si tamen minor vendat rem immobilem, vel mo- 7 bilem pretiosam absque decreto Iudicis, & adhibeat fideiussorem; fideiussor non tenetur, quia ex hoc contractu nulla oritur obligatio, nec ciuilis, nec naturalis. L. 2. C. de fideiusso. mino. Idem dicendum, si minor emat aliquid absque auctoritate curatoris, supra dimidium iusti pretij, aut vendat infra dimidium: quia non obligatur naturaliter aut ciuiliter ad seruandum contractum, vt colligitur ex d.L.2.

Notandum tamen, quando nulla est in contractu iniustitia, si fideiussor adhibeatur ad securitatem contractus, ne rescindatur à Superiore, aut beneficio legis, tenebitur, etiamsi principalis non teneatur: quia obligauit se pro principali in euentum, quo ille nollet stare contractu. secùs verò, si adhibeatur solùm ad securitatem debiti soluendi. tunc enim non tenebitur, si contractus sit Iure irritus: quia tunc solùm se obligauit in euentum, si principalis deberet, & non solueret.

Quarta est, Vt fideiussor non possit conueniri, 8 nisi facta excussione principalis debitoris, constiterit ipsum non esse soluendo; Authent. Præsente. C. de fideiussoribus. Ante hanc Authenticam poterat conueniri ante excussionem principalis, vt docet Gomezius num.14. nisi esset fideiussor, qui dicitur *indemnitaris*. Sæpè enim fit, vt creditor accepto vno vel pluribus fideiussoribus, non putet se satis securum, eò quòd nesciat, an satis habeant in bonis: vnde petit, vt aliquis pro his spondeat. hic vocatur *fideiussor indemnitatis*, quia spondet creditorem fore indemnem fideiussoribus istis, & se obligat in euentum, quo ipsi deprehensi fuerint insufficientes. hæc fideiussio natura sua postulat excussionem omnium fideiussorum priorum. hoc tamen non postulat fideiussio communis; sed id habet ex dispositione d.Authent. Præsente. *Excussio principalis.*

Aduer-

9 *Euentus quidam, in quibus non requiritur præuia excussio.*

Aduerte tamen, esse aliquos casus, in quibus potest conueniri fideiussor communis, ante excussionem principalis. Primus est, si renuntiauit beneficio Authent. Præsente: quod facere potest; quia tantùm eius fauore est constitutum. Secundus, Si constet, principalem non esse soluendo, aut procul abesse, & non habere bona in eodem territorio. Tertius, si fideiussor conuentus, negauit se fideiussorem; quia per hoc perdit beneficium excussionis. L. Si dubitet. 10. §. 1. ff. de fideiuss.

Iuramentum.

Quidam addunt, etiam posse conueniri ante excussionem, si iuramento confirmauit suam fideiussionem. sed vt rectè Gomezius docet, hoc non est verum: nam iuramentum intelligendum est secundùm naturam contractus, neque plus se extendit, quàm ipsa simplex natura contractus, quem confirmat, ex intentione contrahentis vel Iuris dispositione extenditur. Itaque si communi modo intendit fideiubere, poterit opponere exceptionem præuiæ excussionis. Si tamen intendisset se obligare in euentum, quo principalis nollet soluere, & solutio ab ipso non posset impetrari via amicabili; (sicut fit, dum quis fideiubet pro aliquo valdè potente) tunc teneretur ante excussionem. sic intellige cap. Ex rescripto, de Iureiurando.

10 Si in aliquo horum casuum, in quibus requiritur excussio, fideiussor per ignorantiam non opposuit hanc exceptionem, ideoque fuit condemnatus soluere, vel iam soluit, valet solutio; nec creditor tenetur ei restituere; quia talis exceptio non inducitur à Iure contra substantiam actionis, & obligationem; sed solùm ratione ordinis procedendi. vnde oportet eam opponi ante litem contestatam, quia est exceptio dilatoria, vt docet Gomezius num. 14.

Dvbitatio II.

Qui possint validè fideiubere, qui non.

11 Respondeo, Omnes eos fideiubere posse, qui possunt principaliter obligari, nisi per legem aliquam id eis reperiatur prohibitum. Præcipua difficultas est de mulieribus & de minoribus.

12 *Si mulier fideiubeat.*

Dico Primò, si mulier fideiubeat pro marito, est irrita fideiussio. Authent. Si qua mulier. C. ad S.C. Velleianum. vnde sequitur, si causâ huius fideiussionis soluit pro marito, creditor tenetur ei ad restitutionem, quia soluit indebitum, ac proinde non transtulit dominium, cùm non subesset titulus. si tamen iuramento promisisset, teneretur; quia iuramentum seruandum est, si eius executio non est saluti noxia. cap. Quamuis pactum. de pactis, in 6.

13 Dico Secundò, Si fideiubeat pro aliquo absque Instrumento publico, vel per Instrumentum, absque tamen tribus testibus, est irritum, nec tenetur soluere. Ita habetur L. Antiquæ, 23. §. fin. C. ad S.C. Velleianum, estque communis sententia Doctorum. vnde creditor tenetur ei restituere quod sic ipsa soluit; nisi ipsa iuramento suam fideiussoriam obligationem confirmasset. In duobus casibus prædictis non opus habet beneficio S.C. Velleiani, quia contractus per se irritus est.

14 Dico Tertiò, Si ipsa pro aliquo fideiubeat Instrumento publico, adhibitis tribus testibus, tenetur ciuiliter & naturaliter; tamen competit ei exceptio S.C. Velleiani; per quam potest elidere hanc obligationem. Prior pars habetur expressè d. L. Antiquæ. §. fin. vbi etiam requiritur vt tres isti testes Instrumento subscribant. Sed nunc passim consuetudine receptum est, vt sufficiat Notarium publicum, præsentibus tribus testibus, subscribere. *Requiritur Instrumentum publ. & tres testes.*

Altera habetur L. 1. & multis sequentib. C. ad S.C. Velleianum, estque communis sententia DD. vt docet Gomezius num. 16. Vbi Aduerte, quando mulier priuilegio huius S.C. vti vult, ita elidere omnem obligationem, vt etiam in foro conscientiæ non teneatur soluere. quòd si per ignorantiam huius soluerit, valet quidem solutio, & creditor non tenetur sponte restituere: potest tamen ipsa postea, vbi suum priuilegium cognouerit, hanc exceptionem opponere, & solutum repetere per condictionem indebiti; quia hæc exceptio est fauorabilis, & minimè ad certum tempus limitata, vt idem docet: & tunc creditor tenebitur restituere. Potest autem hæc exceptio à muliere opponi, etiam post sententiam definitiuam, qua iubetur soluere: modò tamen id faciat ante executionem sententiæ. quod addo, quia post executionem sententiæ definitiuæ non datur repetitio, L. Iulianus. 59. ff. de condictione indebiti. vnde tunc creditor non tenetur ei restituere; non enim illa habet ampliùs ius repetendi, cùm nimis diu expectauerit. Potest tamen opponere post executionem factam, si hæc facta sit non virtute sententiæ definitiuæ, sed virtute Instrumenti Guarantigij, quod ipsa creditori concesserat; Gomezius suprà. 15 *Elidit omnem obligationem.*

Aduerte tamen, mulierem non posse beneficio Velleiani se iuuare. Primò, Si expressè huic priuilegio renuntiauit. quisque enim potest renuntiare iis, quæ in suum fauorem sunt inducta. Verùm non sufficit simplex renuntiatio in Instrumento; (eadem enim facilitate, qua mulier inducitur ad fideiubendum, induci potest ad renuntiandum huic priuilegio; & sic esset nullius momenti, vt benè ostendit Gomezius num. 17.) sed requiritur vt fiat coram Magistratu: quando enim ætas vel fragilitas personæ est causa priuilegij, non sufficit simplex renuntiatio, sed requiritur vt fiat coram Magistratu, vel cum iuramento, ne priuilegium reddatur vanum. Secundò, Si iuramento suam fideiussionem confirmauit; tunc enim tenetur implere, etiamsi suum priuilegium ignorauit dum iuraret. Couarr. tamen in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 3. num. 5. cum multis aliis putat eam hoc casu posse vti Velleiani S.C. beneficio, quia iuramentum non se extendit ad incognita. Sed contraria sententia est communis, vt ait Gomez. Ratio est, quia etiamsi sciuisset illud suum priuilegium, nihilominùs iurasset. ideò enim iurauit, vt sibi omnes vias præcluderet non implendi promissionem: vnde implicitè renuntiat etiam huic priuilegio. Fatendum tamen, etiam Couarr. sententiam esse probabilem & securam in praxi; vt docet Sanches lib. 4. de Matr. disput. 9. num. 15. quia altera non est ita communis, quin hæc quoque multos Auctores habeat. Tertiò, Si pretium pro fideiussione accepit. vide alios casus minoris momenti apud Silueitrum v. Fideiussor. num. 2. & Molinam disput. 540. 16 *Quando non possit vti beneficio Velleiani.* 17 *Si iuramento confirmauit.*

Quod ad minores attinet, Dico Primò, Si mi- 18

Minores. nor 25. annis pro aliquo fideiubeat, obligatur quidem naturaliter; tamen beneficio restitutionis in integrum potest obligationem elidere; quia semper præsumitur læsus. colligitur ex L. Ait prætor. 7. §. Non solùm. 3. ff. de minoribus; estque communis, teste Gomezio num. 19.

Dico Secundò, Si tamen minor fideiubeat pro patre incarcerato, efficaciter obligatur. Ratio est, quia tenetur hoc facere; imò si non faceret, posset exheredari, si sit masculus 18. annorum. colligunt DD. ex Authent. Si captiui. C. de Episcopis & Clericis, & ex aliis Iuribus.

19 *Clerici.* Quod ad Episcopos & Clericos attinet, etsi non possint fideiubere in præiudicium Ecclesiæ, possunt tamen in damnum proprium; ita enim habet consuetudo. Nec obstat cap. 1. de fideiussionibus, vbi dicitur, *Clericus fideiussionibus inseruiens abiiciatur*; agit enim de eo, qui huic rei vacat, idque fortè ob quæstum. Clericus tamen non tenetur ex fideiussione, nisi quantum ex patrimonio, vel fructibus beneficij potest; sic tamen vt non remaneat in egestate. cap. Odoardus. de solution.

20 *Religiosus.* Religiosus non potest fideiubere, aut mutuum accipere sine consensu Prælati & maioris partis Capituli: si aliter factum sit, Conuentus non tenetur, nisi quatenus versum in eius vtilitatem; cap. Quod quibusdam, de fideiussoribus. simi iter nec Prælatus, sine consensu maioris partis Capituli; nisi in re parua, de qua per se potest disponere; Siluester v. Fideiussor, num. 4.

Dvbitatio III.

Vtrùm singuli fideiussores teneantur in solidum.

21 *Exceptio, vt singuli pro sua rili conueniantur.* Respondeo & Dico Primò, Quando sunt plures fideiussores pro eodem debito, singuli tenentur in solidum; qui tamen in solidum conuenitur, potest excipere, vt quilibet conueniatur pro sua parte: v.g. tres fideiusserunt pro debitore 300. aureorum: si debitor non sit soluendo, & vnus fideiussorum conueniatur à creditore, non tenetur hic soluere nisi 100. aureos, sed potest illum remittere, vt reliquas partes à ceteris exigat. Ita habetur L. Inter fideiussores. 26. ff. de fideiussoribus. & L. Non rectè. 3. C. de fideiuss. Concessum est illis hoc beneficium rescripto Adriani Imp. vt ibidem dicitur; sine quo singuli tenerentur totum soluere ex vi contractus fideiussorij.

22 Dico Secundò, Hæc exceptio debet opponi ante sententiam definitiuam, qua iubeatur soluere; vt docet Gomezius num. 15. Post illam, (præsertim si executioni mandata sit, facta solutione) non potest opponi, iuxta supradicta de muliere. quòd si cogeretur soluere non virtute sententiæ definitiuæ, sed vi Instrumenti Guarantigij, posset adhuc opponi, vt ibidem Gomezius docet. similiter si post sententiam definitiuam fideiussor appellasset.

23 Dico Tertiò, Hæc tamen exceptio non competit fideiussori, si iam vel sponte, vel compulsus per sententiam definitiuam, soluit; vel si fideiubendo, huic priuilegio renuntiauit. Ita Gomezius suprà. vnde minus est hoc priuilegium quàm mulieris, quæ post solutionem factam per ignorantiam sui priuilegij, potest solutum repetere. ex S.C. Velleiano.

Aduerte tamen, fideiussorem, si totum soluerit, posse compellere creditorem, vt sibi cedat actione, quam habebat in reliquos fideiussores, exigendi ab illis partes viriles, quas à singulis ex rescripto Adriani poterat petere, v.g. 100. aureos ab vnoquoque in proposito exemplo. à debitore autem principali potest petere eam partem, quæ se propriè contingebat, v.g. 100. aureos; & sic recuperabit 300. aureos, quos soluit. reliqui verò fideiussores solùm possunt repetere suas partes à debitore principali. potest etiam fideiussor, qui soluit pro debitore principali, & inde damnum incurrit, repetere à debitore non solùm totum quod soluit, sed etiam compensationem damnorum, quæ incurrit ex culpa ipsius. *Si totum soluit.*

Dvbitatio IV.

Quid sit cõtractus assecurationis, & quidnam ad eius iustitiam requiratur.

Respondeo & Dico Primò, *Assecuratio* est periculi alieni præstatio: seu est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit: obligando se vel gratis vel certo pretio ad eam compensandam, si perierit. si gratis hanc obligationem suscipiat, est promissio gratuita; si pretio, est contractus similis emptioni & venditioni. qui enim pretio assecurat, videtur vendere suam obligationem, qua se obligat ad soluendam rei æstimationem, in euentum quo perierit, & alter hanc videtur emere. 24 *Assecuratio.* *Similis est contractui venditionis.*

Dico Secundò, Ad iustitiam huius contractus requiritur æqualitas inter pretium, quod assecuranti datur, & obligationem, quam in se suscipit; nempe vt tanti valeat iudicio viri intelligentis illa obligatio, quanti est pretium, quod pro ea datur. sicut enim in contractu emptionis & venditionis debet seruari æqualitas inter pretium & rem venalem; ita hîc inter pretium & illam obligationem, quæ alteri venditur.

Hinc sequitur Primò, Si assecurator certus sit, rem ante contractum peruenisse ad terminum, (v.g. in portum in quem illam assecurat) non posse pretium exigere: quia obligatio quam in se suscipit, nullius est pretij. conditio enim sub qua se obligat (nempe si pereat antè quàm peruenial in portum) est omnino impossibilis; idque ipse certò nouit. Confirmatur, Quia nulli periculo possibili se exponit: atqui obligatio illa non est æstimabilis pretio, nisi ratione alicuius periculi possibilis; ergo. quo fit, vt in hoc casu contractus sit nullus, tum quia venditur res nullius pretij & æstimationis; tum quia dolus dat causam contractui. vnde vlteriùs sequitur, assecuratorem teneri non solùm ad restitutionem pretij quod accepit, sed etiam ad expensas contractus & damna secuta. si tamen nesciret certò illa esse in termino, posset exigere, quanti periculum, cui se exponit, æstimatur. quò enim periculum putatur esse maius, eò plus potest exigere; quò minus, eò potest minus petere, etiamsi in re nullum periculum subsit: nam periculum censetur tale, quale bona fide æstimatur. *Si sciat rem esse saluam.*

Sequitur Secundò, Si mercator, qui rem suam 25

cupit

Si mercator sciat eam periisse.

cupit assecurari, certò sciat eam periisse, non posse paciſci de eius assecuratione: nec petere eius æstimationem sibi restitui. Ratio est, quia obligatio, quam petit, est ad id, quod ipse nouit esse impossibile; impossibile enim est præstare periculum rei, vbi iam res periit. præstatio enim periculi & assecuratio, supponit rem adhuc esse in periculo, vel certè esse posse: at si scitur periisse. scitur non posse in periculo esse; ac proinde scitur non posse assecurari. Deinde quia dolus dat causam contractui: decipit enim assecuratorem. quia dum rem, quam nouit periisse, petit assecurari, indicat eam non periisse, vel certè se putare nondum periisse. Itaque si assecurator soluit æstimationem rei quæ periit, tenetur mercator ipsi eam restituere; & præterea tenetur sarcire damna, si aliqua ex eo contractu sint secuta. assecurator autem tenetur ei refundere pretium acceptum; quia contractus fuit nullus. Si tamen non erat omnino certum rem periisse, videtur mercator aliquid posse exigere ab assecuratore,

26 vt notat Molina disput. 507. quia soluendo pretium, exponit se alicui periculo amittendi illius pretij absque incommodo assecuratoris. si enim fortè non perierit, assecurator absque vllo damno retinebit pretium: ergo si perierit, poterit ab illo aliquid repetere supra pretium: quia si assecurator potest lucrari, æquitas postulat vt etiam possit perdere: at non posset perdere, nisi aliquid amplius, quàm sit pretium acceptum, posset ab eo repeti. Tantum ergo poterit tunc repetere, quantum ipse oblaturus fuisset, si rei veritatem intellexisset; vel certè quantum prudens æstimabit in tali casu, spectatis omnibus circumstantiis, debuisse offerri.

27 Aduerte tamen, si ordinariè multum detur pro

Si sciat non fore periculum.

assecuratione, (v.g. tria in centum) ob magna pericula, quæ plerumque vel à tempestate, vel à piratis impendent, quamuis ego præsciam ex Astrologia vel aliunde, non fore tempestatem; aut ex litteris a mici, non fore piratas, aut fore securum comitatum, possum nihilominùs pretium ordinarium assecurationis accipere. quia illa obligatio passim tanti æstimatur, eò quòd pericula ordinariè occurrentia, sint magna. occultæ enim illæ causæ mihi dumtaxat notæ, quæ periculum minuunt, non minuunt communem æstimationem; quia sunt ignotæ. sicut merces possunt vendi pretio, quo passim à peritis æstimantur, etiamsi ea æstimatio pendeat ex raritate, quæ exteriùs appareat, & tamen in re non est; cùm sint adhuc multæ merces occultæ vel propinquæ. Ita etiam obligatio ista potest vendi pretio, quo communiter æstimatur à peritis, etiamsi ea æstimatio pendeat ex opinione communi periculorum, quæ hìc & nunc scis esse impedienda.

28 Petes Primò, Quidam nullas habens merces

Quid si nullæ subsint merces.

in naui, sed fingens se habere, easque valere decem millibus aureorum, petiit illas sibi assecurari Antuerpiâ Hispalim, datis quingentis aureis: Vtrùm tunc si nauis pereat, teneatur assecurator soluere 10000?

Respondeo breuiter, si assecurator sciebat vel suspicabatur nullas esse merces, vel non tanti valoris, tenetur soluere: quia censetur esse contractus sponsionis, vt rectè docet Sotus lib. 6. qu. 7. artic. 1. nempe, vt si nauis salua venerit, lucretur 500. si perierit, amittat 10000. Si autem bona fide putabat esse merces, vel esse tanti pretij, tunc est distinguendum. vel enim cum ea dispositione animi fecit contractum, vt etiamsi sciuisset nihil esse, nihilominùs voluisset contrahere; & hoc euentu tenetur soluere: quia tacita mens erat, etiam in eo euentu se obligare, & lucro damnoque exponere. Si autem ita erat affectus, vt si sciuisset, noluisset contrahere, ob metum fraudis, vel aliam causam; non tenetur soluere. sed etiam tenebitur (quamprimùm sciuerit illam fictionem) pretium restituere; quia non consensit in contractum. Verùm ordinariè qui assecu- 29

Aestimatio vt mercibus applicanda sit.

rant, parum curant an merces tanti valeant; sed solum curant æstimationem: hæc autem æstimatio mercibus illis, si quæ sint, secundùm proportionem applicari debet. vnde si tota mercium quantitas pereat, tota æstimatio soluenda est, etsi merces illæ longè supra iustum æstimatæ fuerint. Si media pars earum pereat, media pars illius æstimationis est soluenda: si tertia, tertia; & sic deinceps.

Petes Secundò, Quid si plures sint assecuratores, quorum singuli solùm pro parte aliqua spondeant, & dimidium mercium pereat?

Respondeo, Si partes singulorum designatæ 30 fuerint, illi tantum tenentur, quorum partes pereunt: si autem non fuerint designatæ, tunc omnes tenentur contribuere pro rata ad partem quæ periit. v.g. merces æstimentur 8000. aureorum, & quatuor sint assecuratores, quorum singuli quartam partem (nempe æstimationem 2000.) assecurent: si dimidium perierit, singuli tenentur conferre 1000. aureos: si quarta pars, 500. & sic deinceps.

Dvbitatio v.

Quid sit pignus & hypotheca.

NOtandum est, *Pignus* propriè dici rem, quæ 31 traditur creditori. Hypothecam verò, quæ sine traditione, nuda conuentione continetur, vt habetur Institut. de actionibus. §. Item Seruiana. dicitur enim *pignus* à pugno, quod manu tradatur, Græcè ἐνέχυρον. vnde *pignus* propriè est rei mobilis, *hypotheca* rei immobilis. hæc tamen distinctio non seruatur; nam hæc nomina passim in Iure idem valent; vt patet Instit. supra.

Vsurpantur tamen tripliciter. Primò, Pro re 32

Vsurpantur trifariam.

ipsa: & sic pignus seu hypotheca dicitur res aliqua mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis, de qua inter debitorem & creditorem conuenit vt sit pro debito obligata, ita vt si debitor non soluerit, possit creditor ex ea solutionem petere. Secundò, Pro contractu, seu conuentione illa, qua pignus constituitur. Tertiò, Pro obligatione, quæ ex contractu in re nascitur. Simili modo mutuum, commodatum, depositum vsurpantur pro re ipsa, pro contractu, & pro obligatione ex contractu orta.

Dvbitatio vi.

Quot modis contrahatur hypotheca.

REspondeo & Dico Primò, Generatim dupli- 33 citer contrahi. Primò, *Expresse*. Secundò, *Tacite. Expresse* autem contrahitur dupliciter.

Primò, Conuentione partium; hæc vocatur *hypotheca conuentionalis*. ad hanc solùm opus est partium consensu, nec requiritur præsentia rei, aut traditio, vt patet L. 1. ff. de pignore. de hac vide multa apud Negusantium in tract. de pign. part. 3. membro 1.

Secundò, Decreto Iudicis; hæc vocatur *pignus prætorium*. ad hoc autem requiritur, vt quis mittatur in possessionem, seu detentionem rei auctoritate Iudicis vel Magistratus; vt patet L. Non est mirum. 26. ff. de pignorat. act. Quidam distinguunt pignus iudiciale à prætorio; sed non esse opus hac distinctione, colligitur ex L. 1. & 2. C. de prætorio pignore, vbi omne pignus auctoritate Iudicis constitutum, vocatur prætorium, siue ante sententiam definitiuam, siue post eam sit constitutum. Idem colligitur ex d. L. Non est mirum, suprà: de hoc Negusantius part. 3. membro 2.

34 Dico Secundò, *Tacitè* contrahitur, quando legis dispositione constituta est. id autem Iure communi fit multis casibus, quos enumerat Siluester v. Pignus, q. 2. & Molina disp. 526. & fusissimè Antonius Negusantius parte 2. memb. 4. ex quo hæc maximè decerpta.

Primò, Qui ratione contractus, vel tributi nomine aliquid debet fisco, seu Principi, eius bona omnia sunt tacitè illi hypothecata. Negusantius num. 113. Excipitur minor, qui si à fisco aliquid emerit, sola res empta manet hypothecata pro pretio. quando autem ratione criminis bona ipso facto sunt confiscata, non censentur hypothecata, sed debita fisco, si posteà feratur sententia: de quo vide Negusantium num. 115.

35 Secundò, Bona omnia mariti sunt hypothecata vxori pro dote. Idem dicendum de bonis fideiussorum, si aliqui pro dote restituenda fideiussores à marito sint dati. hæc hypotheca, & fisci, habent priuilegium prælationis, vt aliis tacitis hypothecis tempore prioribus simili priuilegio non instructis præferantur: non tamen expressis prioribus; vt dictum est cap. 15. dubit. 4. Negusantius num. 108.

Tertiò, Qui dotem promisit, eius bona manent hypothecata donec soluerit.

Quartò, Bona tutoris & curatoris sunt hypothecata minori pro administratione. Negusantius num. 6.

Quintò, Bona Prælati & administratoris Ecclesiæ, pro administratione: quia Ecclesia fruitur priuilegio minoris & pupilli. Negusantius numero 120.

Sextò, Bona eorum, qui administrant res ciuitatum, pro administratione: quia ciuitas fruitur priuilegio pupilli. Negus. num. 119.

Septimò, Bona patris administrantis aduentitia filij, sunt tacitè hypothecata filio pro administratione, num. 13.

Octauò, Omnia bona defuncti sunt hypothecata pro legatis. Idem num. 157.

Nonò, Si vxori aliquid à marito, vel intuitu mariti donatum est, mortuo marito, id pertinet ad liberos communes: quòd si mulier illa transeat ad secundas nuptias, omnia eius bona quæ à tempore donationis accesserunt, manent liberis prioribus oppignerata pro illa re. Idem dicendum, si marito aliquid donatum sit ab vxore, vel vxoris intuitu. Idem num. 20. & 22.

Decimò, Emptum pecuniâ pupilli, manet ei 36
hypothecatum pro pretio; idque cum priuilegio prælationis ante omnes alios habentes in ea re hypothecam. Idem dicendum de empto pecuniâ militis. num. 163. 164.

Vndecimò, Fructus rei conductæ sunt hypothecati domino fundi pro pensione. num. 110.

Duodecimò, Inuecta in prædium conductum sunt obligata domino prædij pro pensione soluenda, & pro damnis rei conductæ illatis; siue prædium sit vrbanum, siue rusticum. si tamen prædium rusticum sit, debent esse illata domino sciente, si enim ipso ignorante illata sint, non sunt ipsi obligata. num. 128. & sequent.

Decimotertiò, Ædificium, ad quod restituendum vel reparandum pecunia mutuò data est, manet hypothecatum pro illa pecunia cum Iure prælationis ante alias hypothecas etiam expressas & priores, in eodem ædificio constitutas. excipe tamen hypothecam vxoris pro dote; quæ si prior fuerit, præfertur. num. 162.

Decimoquartò, Nauis, ad quam extruendam, emendam, ornandam, vel rebus necessariis instruendam, pecunia est mutuata, manet obligata pro ea pecunia, sicut de ædificio dictum est. num. 162.

Decimoquintò, Omnis res, ad cuius conser- 37
uationem pecunia mutuò data est, manet obligata pro ea pecunia, idque præ aliis habentibus in ea priorem hypothecam. vt si quis dedit pro reficienda naui vel ædificio, vel pro nautis necessariis ad illam saluandam. Item si soluit pretium vecturæ mercium; si mercedem comitatui eas deducenti, &c. vide plura apud Molinam disput. 438. & 536. & Antonium Negusantium tractatu de pignore. Quædam tamen ex his non sunt vbique recepta, & in diuersis prouinciis sunt diuersæ leges & consuetudines: nam in quibusdam locis, ex omni contractu venditionis, omnia bona contrahentium manent in perpetuum obligata iure specialis hypothecæ, ita vt nulla præscriptione possit hæc obligatio tolli; quæ consuetudo est valdè exorbitans à Iure communi.

Dico Tertiò, Vtraque hypotheca, id est, *tacita* 38
& *expressa*, est duplex; alia enim est vniuersalis, alia particularis. *Vniuersalis* est in qua omnia bona obligantur; quod intellige non solùm de præsentibus, sed de futuris, quæ pro tempore habuerit; vt patet L. fin. C. Quæ res pign. obligari possint. hæc tamen non impedit quin res possit liberè vendi; quia in locum eius succedit pretium. *Particularis* est, quando res certa obligatur. hæc semper afficit rem, ad quemcumque peruenit, donec debitum fuerit solutum, vel obligatio condonata, vel præscriptione extincta.

Dvbitatio vii.

Quæ possint vel non possint esse pignori.

Respondeo & Dico Primò, Ea non posse esse 39
pignori, quæ non possunt vendi; vt Ecclesia, cœmeterium, sepulchrum, L. 1. §. vltimo, ff. Quæ res pign. vel hypoth. Ius etiam patronatus non *Ius patronatus.*
potest oppignerari. cap. Bartoldus, de sententia & re iudicata. Ratio est, quia non est res, per quam debitum pecuniarium possit compensari. vnde etiamsi castrum, aut villa, cui hoc ius est anne-

annexum, oppigneretur, Ius tamen patronatus non censetur oppigneratum; & præsentatio manet apud priorem patronum. Si tamen res illa, cui hoc ius annexum, vendatur, simul etiam ius istud transfertur, & præsentatio incipit pertinere ad emptorem: quia accessorium sequitur principale. Mobilia pretiosa cultui diuino dicata, vt calices, casulæ, item immobilia, non possunt oppignerari, nisi ex causa necessaria, & cum debita solemnitate; vt si aliter vel debita solui nequeant. vel captiui Ecclesiæ liberari, vel fame oppressis subueniri: quia in his & similibus casibus etiam vendi possunt. vide suprà cap.24. dubit.10. Possunt tamen obligari titulo hypothecæ generalis, vt colligitur ex capite Nulli. de rebus Ecclesiæ alienandis vel non alienandis. vide Silueſtrum v.Pignus.num.3.

Bona Ecclesia.

40 Homo liber non potest oppignerari, vt patet cap.2. de pignor. si quis tamen sit captus, potest seipsum tradere in pignus pro pretio, quod alius nomine ipsius persoluit; idque donec pretium vel obsequio vel pecuniâ restituerit; potest tamen homo liber dari obses, præsertim in causa belli, vt stetur pactis. Quòd si Respublica vel Princeps, qui illum tradidit, violet pactum absque culpa obsidis; non potest idcirco interfici, (iuxta illud Exodi 23. *insontem & iustum non interficies*) nec mutilari, nec flagellis cædi; quia hæc sine culpa directè irrogari non possunt. potest tamen spoliari bonis, & detineri, & in seruitutem rapi, si Christianus non sit. sicut alij innocentes in bello. de quo plura 2.2.q.40.art.1.dub.7.

Homo liber.

Obses.

41 Pari modo, qui fideiussit pro reo, cui periculum capitis vel mutilationis impendebat, vt à carcere ad tempus liberetur; si reus absque culpa illius fugam capessat, non potest loca Rei pœna capitis, vel mutilationis, vel flagellorum plecti: quia hæc sunt supplicia criminum, non solutiones debitorum. Deinde quia non intendit se ad hoc obligare, sed solùm ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnaretur à Iudice. Imò nec potuit se ad illa obligare, cùm non sit dominus vitæ & membrorum. est communis sententia DD. teste Iulio Claro l.5. Sententiar.§.fin.q.46.n.18.

Fideiussor in causa criminali.

42 Dico Secundò, Ceteræ res oppignerari possunt ab iis qui earum liberam habent administrationem, siue sint immobiles, siue mobiles; siue incorporales, (vt census, debita, vectigalia, imò etiam iurisdictio, quia hæc etiam sæpè magno pretio æstimatur) siue corporales.

43 Notandum est Primò; Si agrum tuum vel aliam rem fructiferam oppigneraſti, etiam fructus à te satos, vel eo tempore conceptos, oppigneratos esse, & manere; etiamsi interim rem illam vendideris, & fructus sint ab emptore percepti, vt patet L.Quamuis 3. C. In quibus causis pignus vel hypoth. tacitè contrahatur. & L.Potiox.11. §. Si de futura. 7. Qui potior in pign. Fructus tamen, qui post alienationem vel elocationem sati vel concepti sunt, non sunt oppignerati, nisi quamdiu sunt pendentes, seu quamdiu solo cohærent. tunc enim quia vnum censetur cum solo, oppignerati sunt, possuntque à creditore vindicari, si opus sit; detractis tamen expensis, quas in re colenda conductor vel emptor fecit, L. Si fundus. 16. §. In vindicatione. 7. de pignor. postquam percepti sunt, desinunt esse oppignerati; nisi percepti sint ab herede, ad quem res illa iure hereditario deuenit. L. Paulus. 29. §. Si mancipia. 7. de pignoribus. vide Molin. disput. 529. & Silu.v. Pignus. num.2.& 3.

Fructus accessoriè oppignerati.

Notandum Secundò, Creditorem, qui pignus ab aliquo accepit, posse illud alteri oppignerare; vt patet L.1. & 2. C. Si pignus pignori datum sit. Ratio est, quia potest ius suum, quod in eo pignore habet, alteri in pignus dare: possunt enim iura & actiones oppignerari, simulatque tamen ipse solutionem acceperit, desinit secunda oppigneratio, quia desinit prima, in qua fundabatur secunda. 44

Pignus opignerari potest.

Notandum Tertiò, Quando pignus vel hypotheca transit in dominium creditoris cui erat obligata, perire actionem hypothecariam, quam habebat in priorem possessorem: quia ipsemet iam est possessor; nisi velis dicere, illum habere actionem in seipsum. Idem dicendum quando ipse destruit vel extinguit hypothecam. Sicut si census quem Titius habet super agro Caij, erat oppigneratus Caio, & Caius illum extinguat seu redimat, refusa sorte Titio, vel Sempronio cui Titius illum vendiderat, extinguitur actio hypothecaria, quia extinguitur hypotheca. Neque dici potest, sortem succedere loco hypothecæ, sicut pretium succedit loco rei. quia obligatio realis transit cum re, & cum eadem extinguitur, neque transfertur de vna re in alteram, nisi expressè ita sit conuentum. Vt patet cùm venditur domus hypothecata; etiamsi vendatur ad destruendum, pretium tamen non manet obligatum. Confirm. Quia obligationes hypothecariæ sunt onerosæ & odiosæ; ac proinde restringendæ ad sola expressa. Itaque cùm alicui redditus aliquis realis simpliciter est hypothecatus, non est id vllo modo extendendum ad pretium census.

Nec obstat, quod quando redditus subest fideicommisso, etiam pretium quo redimitur subsit; quia redditus ille nō pertinet absolutè ad heredem grauatum; vnde nec pretium: sed solùm habet veluti vsumfructum, & tenetur illa bona transmittere in fideicommissarium absque diminutione.

Plura de his dici possent, sed ea vel ex supradictis intelligi facilè possunt, vel ad forum externum pertinent; in quo magna in diuersis Prouinciis legum & consuetudinum est diuersitas. Itaque hæc de contractibus sufficiant.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

DE INIVRIIS IN IVDICIIS.

SEQVITVR *vt dicamus de iniuriis, quæ in Iudiciis committi solent. In quibus tres personæ spectantur, Iudex, Accusator, & Reus: accusatori iungitur testis, reo aduocatus. Itaque hanc sectionem diuidemus in tria capita: Primum erit de Iudice. Secundum, de accusatore & teste. Tertium, de reo & aduocato.*

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

De Iudice.

Constat Dubitationibus 18.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm Iudicium sit actus Iustitiæ. *D.Thomas q.60.art.1.*

Iudicium quid.

1 NOTANDVM est, nomen *Iudicij* potissimùm duobus modis accipi. Primò, Generatim, pro sententia animi vera vel falsa, de quacumque re ea sit. sic distinguitur contra *apprehensionem* nudam, in qua non est veritas vel falsitas. nec per se est actus virtutis, sed potentiæ intellectiuæ, componentis, vel diuidentis suos conceptus.

2 Secundò, Strictè, pro determinatione Iuris, facta per Iudicem, id est, pro sententia Iudicis exteriùs prolata, qua in controuersiis contractuum, delictorum, aliisve Iuris quæstionibus definit quid cui sit debitum; hoc enim propriè vocatur *Iudicium*, quasi *Iuris dictio*. Hinc extenditur ad significandum totum illum actum & causæ discussionem, quæ in tribunalibus fieri solet, per quam Iudex disponitur, vt iustam sententiam ferre possit.

Est actus scientiæ Iuris, & Iustitiæ, idq; dupliciter.

3 Hoc modo est quidem actus elicitus à scientia Iuris; tamen est etiam actus iustitiæ, idque duplici ratione. Primò, Tamquam causæ dispositiuæ; quia iustitiæ affectus inclinat Iudicem vt velit sententiam iustam ferre, ac proinde incitat eum, vt quàm diligentissimè causam examinet; deinde occulta quadam consensione facit, vt ea quæ iusta sunt, etiam iusta illi videantur. quisque enim iudicat secundùm suos affectus. affectus enim facit, vt res intellectui videatur conueniens & amplectenda. Itaque affectus iustitiæ facit, vt id quod iustum est, intellectui Iudicis appareat bonum & amplectendum. Simili modo affectus temperantiæ facit opera temperata videri pulchra, & conuenientia homini; & fortitudo, opera fortia, siue illa exteriùs cernantur, siue sola imaginatione comprehendantur. Iuxta hunc modum, rectum iudicium de obiecto vel opere cuiusque virtutis procedere dicitur ex eadem virtute. vide suprà lib.1.cap.1.dub.4.

Secundò, Est actus iustitiæ, tamquam causæ 4 præcipientis & obligantis; iustitia enim imperat actum iudicij, & Iudicem ad eum obligat, sicut debitorem obligat ad solutionem debiti: quia ex officio debet hoc partibus; ideò enim stipendia accipit. hoc modo iudicium propriè ad iustitiam pertinet, vt quoddam obiectum iustitiæ, & actus externus necessarius, sine quo iustitia in Iudice esse nequit; sicut reddere cuique suum, est actus iustitiæ in genere.

DVBITATIO II.

Vtrùm iudicium temerarium, sit peccatum mortiferum.

D.Thomas quæst.60.art.3.

NOtandum est Primò, *Iudicium temerarium* 5 dici, quod de alicuius peccato, alióve infami malo ex leuibus indiciis concipitur. quod enim ex iustis seu sufficientibus causis concipitur, non est temerarium, sed rationi consonum. vt si iudices aliquem impurum, quòd in tenebris sæpiùs eum videris loca impura frequentantem; si hæreticum, quòd Missæ sacrificium rideat; si iniustum, quòd vsuras exigat. Fit autem hoc iudicium vel de internis, vel de externis, quorum auctor est occultus; vel de futuris, vt hunc fore furem, vel numquam emendandum, vt colligitur ex D. Augustino l.2.de Sermone Domini in monte, cap.28.& S.Basilio in Regul. breuior. interrog.164.

Iudiciũ temerarium.

Notandum Secundò, D.Thomam distinguere 6 tres gradus suspicionis, vel iudicij temerarij.

Tres gradus suspicionis.

Primus est, *Cum homo ex leuibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipit.*

Secundus est, *Cum pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus indiciis.*

Tertius

Tertius est, *Cùm aliquis Iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum.* vbi rectè Caietanus sub primo gradu comprehendit etiam *opinionem*. quia D. Thomas ex Cicerone vult, *suspicionem esse opinionem mali, ex leuibus indicijs conceptam.* Propriè tamen *opinio* & *suspicio* differunt. *Possunt poni quinque gradus.* Vnde si quis hos gradus exactè distinguere velit, erunt quinque. Primus, In dubitando. 2. In suspicando. 3. In opinando. 4. In firmiter iudicando. 5. In ferenda sententia. *Dubitatio.* *Dubitatio* propriè est, cùm animus hæret in medio suspensus, neutram in partem inclinans. *Suspicio.* *Suspicio* est, quando in alteram partem inclinat; nondum tamen absolutè assentitur. non enim est assensus & determinatum iudicium, sed inclinatio vel concitatio animi ad assensum; quæ fit vel per motus quosdam assentiendi imperfectos & indeliberatos, vel quòd species aliqua veri subluceat in hac parte, quæ non in altera. vnde & verbum Latinum *suspicari*, & Græcum ὑποπτεύειν ductum videtur, quasi aliquid subtus latens appareat. *Opinio.* *Opinio* est assensus alterius partis, & iudicium determinatum, sed infirmum & vacillans, habens coniunctam formidinem de opposito. quamobrem opinantis animus quodammodò fluctuat, & dicitur adhuc dubitare; quia etsi non maneat suspensus quoad assensum in genere, cùm alteri paria aliqualem assensum accommodet; manet tamen suspensus quoad assensum firmum, cùm neutri parti assentiatur firmiter. *Quomodo dicatur dubitare.* Et hoc modo nomen dubitationis sæpè accipitur. vulgò enim dicimus, nos dubitare, quamdiu in neutram partem certi sumus: qua ratione tres priores gradus nomine dubitationis D. Thomas complecti videtur. *Iudicium firmum.* *Iudicium firmum* est assensus sine formidine veritatis oppositæ. *Sententia.* *Sententia* est iudicij interni patefactio exterior. Verùm ne sit discrepantia in vsu vocum, quæ sæpè rem obscurat, nomine *suspicionis* comprehendemus etiam *opinionem*, sicut D. Thomas, Caietanus, & alij, & nomen *dubitationis* sumemus propriè. Vide de his Nauarrum in cap. Si quis autem, de pœnit. dist. 6. num. 10. & sequent. & D. Antoninum 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 9. ex Alberto. vbi tamen suspicionem & scrupulum accipit pro eodem. nam in rebus agendis, scrupulus est tenuis suspicio mali circa rem bonam vel adiaphoram.

7 Porrò hi gradus ita se habent, vt maiora indicia requirantur ad suspicionem, quàm ad simplicem dubitationem; & maiora ad firmum iudicium quàm ad suspicionem; denique maiora ad sententiam quàm ad iudicium. vnde ex iisdem signis sententia seu iudicium externum sæpè est temerarium, ex quibus internum non est temerarium. vt enim possit ferri sententia condemnatoria exteriùs per Iudicem, requiruntur saltem duo testes, vel confessio Rei, vel euidentia facti; cùm ad iudicium internum sæpè vnus testis vel indicia abundè satis sint. His positis,

8 Dico Primò, Iudicium temerarium Iudicis prodiens in actum externum per sententiam, semper est peccatum mortiferum contra iustitiam. est communis sententia DD. Ratio est, quia grauem iniuriam & læsionē irrogat reo, id que contra obligationem sui officij, quo astringitur non iudicare, nisi ex iustis idoneitque probationibus, vel Rei confessione; vnde tenetur ei ad restitutionem famæ, & damnorum secutorum.

9 Dico Secundò, Iudicium temerarium in animo tuo residens, non est peccatum, priusquam aliquo modo aduertas, vel dubites, te ex signis insufficientibus iudicare: postquam autem cœperis id aduertere, erit saltem peccatum veniale, si in eo perseueres, numquam tamen erit mortiferum ante plenam animaduersionem. *Iudicium temer. interdum quale peccatum.*

Prior pars probatur; quia priusquam animaduertas, causas, ex quibus iudicas, non esse sufficientes, vel saltem priusquam de illis dubites, non est illud iudicium vllo modo voluntarium, saltem qua patte temerarium, sed censetur primus motus libertatem voluntatis præueniens, etiamsi longo tempore durasset. Idem dicendum de omnibus aliis motibus intellectus, voluntatis, imaginationis, & sensuum externorum: nisi enim aduertatur turpitudo, vel saltem de ea dubitetur, non potest in illis esse vlla culpa, ne venialis quidem: quia turpitudo illis annexa, non censetur vllo modo volita, cùm sit omnino ignorata. vnde ibi solùm est turpitudo obiectiua; non formalis, quæ est in libero consensu expressè vel interpretatiuè adhibito, quæ sola animam coinquinat. *Animaduersio mali.*

Altera pars probatur; Quia si quis, postquam 10 aduertit aliquo modo hoc iudicium esse temerarium, vel de eo dubitare incepit, adhuc pergat, nec conetur excutere, iam turpitudo eius incipit esse voluntaria. qui enim voluntariè admittit in se aliquem motum vel actum, cui suspicatur inesse turpitudinem moralem, etiam ipsam turpitudinem velle, & in se admittere censetur, ac proinde peccat. Verùm quia imperfecta est illa animaduersio malitiæ, neque pro eo tempore eius grauitas satis perspici potest, (eò quòd mens simul aliis rebus sit intenta, neque regulas morales possit tunc, nisi veluti per transennam, intueri) ideò est etiam imperfectus consensus in illam, ac proinde venialis tantùm. ad peccatum enim mortiferum requiritur perfectus consensus, qui ex perfecta grauitatis obiecti aduertentia procedit. perfecta autem aduertentia grauitatis est, quando mens sui compos, non abrepta aliis cogitationibus, reflectit se super suum actum, & considerat illum in materia notabili diuinæ legi esse contrarium, vel saltem de eo dubitat. Verùm de hoc plura 1.2.q.74. artic.8. Hinc patet tertia pars propositionis. *Imperfecta aduertentia.*

Dico Tertiò, Iudicium temerarium, quod 11 cum plena animaduersione de graui malo proximi concipitur, ordinariè est peccatum mortiferum contra iustitiam. Ita communiter Doctores, & D. Thomas artic. 3. Probari potest Primò, Ex Scripturis, Matth. 7. & Lucæ 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, vel *vt non iudicemini*; *nolite condemnare, & non condemnabimini.* Hic Dominus inter cetera prohibet iudicium temerarium, (quo quis ex leuibus signis de altero malè sentit, eumque prauum & supplicio dignum æstimat) & minatur iudicium & condemnationem. Ita Basilius in Reg. breuioribus, respons. 164. Ambrosius in hunc locum Lucæ, Augustinus lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 28. 29. & 30. & passim recentiores. etsi enim Dominus hanc sententiam maximè dicat propter eos, qui sua peccata grauiora dissimulant, & in minora aliorum sunt curiosi, temerarij & seueri Iudices; sententia tamen generalis est, & ad omnes pertinet, 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque*

veniat

veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. hîc apertè vetatur iudicium de occultis, non autem de iis quæ per sufficientia signa manifestantur. Iacobi 4. *Qui detrahit fratri suo, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem: si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex.* & infrà: *Tu autem quis es qui iudicas proximum?* Ad Roman.14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit,* &c. Dicitur *detrahere legi*, eamque *iudicare*; quia facto suo illam improbat, & condemnat, vt passim Doctores exponunt. & ita gerit se erga legem, non vt illi subditus, sed vt Superior & Iudex.

12 Secundò, Probatur ratione, Primò, Grauis iniuria irrogatur proximo, dum sine causa habetur improbus: hoc enim perinde est ac si falsum crimen ei impingeretur. longè enim acerbior & grauior est falsa infamia, quàm vera. Itaque, etsi vera infamia apud vnum contracta, quorumdam sententiâ non sit tantum malum, vt peccet mortiferè qui eam infert; (de quo, quid sentire conueniat, dictum est suprà cap.11. dub.11.) tamen infamia falsa omnium iudicio censetur graue malum, etsi apud vnum tantùm resideat. cuius signum est, quòd homines molestissimè ferant, talem de se haberi existimationem. Secundò, Ex huiusmodi iudiciis grauia mala sequi solent, præsertim si in actum externum prodeant: & quamuis in animo maneant, tamen extinguunt bonam opinionem, & bonum nomen proximi, inferunt prauam, pariunt magnum contemptum, & impediunt charitatem. Tertiò, Quia vsurpatur quodammodò iudicium Dei, cuius solius est de occultis iudicare. Hæc ratio tangitur ad Rom.14. 1.Cor.4. & Iacob.4.

13 Dixi *ordinariè*, quia interdum fieri potest vt iudicium temerarium non sit peccatum mortale; vt si indicia non sint quidem omnino sufficientia ad certum iudicium, tamen magnam habeant probabilitatem, ita vt efficiant eam valdè verisimilem & credibilem. tunc enim non erit peccatum mortale, etsi quis iudicet esse moraliter certum. nam non est tanta distantia inter moralem certitudinem & magnam probabilitatem, vt censeatur notabilis irrogari iniuria, si quod valdè probabile est, iudicetur esse certum, præsertim cùm hæc certitudo non excludat omnem formidinem de oppositio. Exemplum sit; si iuuenem inuenias solum cum puella in cubiculo, & inde iudices illos tractare turpia: si ex eo, quòd vides quempiam ebrium, iudices eum esse in malo statu.

Se indicia sint probabilia.

14 Dixi *de graui malo*; quia si quis temerè iudicet de altero in re leuis momenti, vel quam ille parui æstimet, non erit peccatum mortiferum; sicut suprà cap.11. dub.3. de detractione dictum est. Idem dicendum de defectibus, qui sunt inculpabiles; vt si iudices alterum esse spurium, vel filium Iudæi: quia hæc carent omni vituperio apud sapientes, cùm non sint in hominis potestate, vt rectè Petrus Nauarra lib.2.cap.4.num.450. Quod limitauerim, nisi fortè idcircò illum contemnas aut infames, aut ab aliquo officio alióve bono consequendo iniquè impedias.

Quale malum.

Dvbitatio iii.

Vtrùm dubitatio & suspicio temeraria sit peccatum mortiferum.

Svnt tres sententiæ. Prima est, Omnem suspicionem temerariam de graui malo proximi, si deliberata sit, esse peccatum mortiferum. Ita Bañes qu.60.artic.3. Michaël Salon. & Petrus Arragon. in hunc articulum. Secunda est, Nullam esse peccatum mortale. Ita Caietanus hoc loco, & Nauarrus in Rubric. de Iudiciis num.48. & Petrus Nauarra lib.2.cap.4.num.454. Tertia est, Suspicionem temerariam plerumque esse peccatum veniale; fieri tamen interdum ratione grauitatis materiæ, vt sit mortiferum; vt si suspiceris ex leui indicio virum Religiosum esse hæreticum, vel incestasse matrem. Ita Sotus lib.3. quæst.4. art.3. & multi recentiores. 15

Pro resolutione notandum est Primò, Dupliciter posse aliquem malè suspicari de proximo. Primò, Ex errore quodam intellectus, quo apprehendit illa signa tamquam sufficientia ad suspicandum, paratus suam suspicionem deponere, vbi rem meliùs considerarit. Secundò, Non tam ex errore intellectus, quàm ex prauo affectu & maleuolentia erga illum de quo suspicatur; qua fit vt etiamsi aduertat signa illa non esse sufficientia, velit nihilominùs pergere in sua suspicione. 16

Duplex suspicio.

Notandum Secundò, Suspicionem posse dici dupliciter voluntariam seu deliberatam. Primò, Secundùm se, vt cùm quis aduertit se malè suspicari de proximo, & etiam aliquo modo dubitat an causa sit sufficiens ad sic suspicandum, tamen neglecto eius examine non excludit suspicionem, paratus excludere, si aduerteret causam non esse sufficientem. Secundò, Potest dici voluntaria, qua parte est temeraria; vt cùm quis aduertens causam suspicandi non esse quidem sufficientem, tamen ex malitia vult sic de proximo sentire. his positis, 17

Suspicio dupliciter voluntaria.

Dico Primò, Si priore modo suspicetur malum de proximo, non erit peccatum mortiferum, sed tantùm veniale. Probatur Primò, ex D. Augustino tract.90. in Ioannem, vbi dicit, *Quòd de occultis hominum aliquando, imò assidue non vera sentimus, id pertinere ad tentationem humanam, sine qua duci ista non potest vita, ac proinde esse ignoscendum nobis, modo de rebus ipsis rectè sentiamus, & amemus quod amandum est, & detestemur quod detestandum est.* & infrà: *Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, id est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen, id est, definitiuas firmasque sententias continere debemus, neque ante tempus iudicare, donec veniat Dominus vt illuminet abscondita tenebrarum,* &c. 18

Si ex errore humano suspiceris.

Dices, D. Augustinus videtur loqui de suspicionibus non plenè deliberatis; has enim vitare non possumus, & ad humanam tentationem pertinent; deliberatæ enim facilè vitari possunt, nec pertinent ad tentationem humanam, quia consensum includunt.

Resp. D. Augustinum non loqui quidem de suspicionibus, quæ plenè voluntariæ sint secundùm rationem temeritatis, seu in quibus temeritas sit plenè voluntaria; (hæ enim ex malitia procedant 19

cedunt) sed tamen loquitur etiam de iis quæ plenè voluntariæ sint secundùm substantiam, (in quibus aduertit quis se malè suspicari) & non plenè secundùm rationem temeritatis. Duo enim sunt consideranda in tali suspicione, nempe ipsa substantia suspicionis; vt quòd sit opinio talis de malo proximi, & hæc est plenè voluntaria. Secundò, Quòd sit temeraria; (id est, quòd concipiatur ex signis non idoneis) & hoc non est plenè voluntarium, nisi quis aduertat signa non esse sufficientia Quòd autem D. Augustinus etiam de talibus loquatur, patet ex illis verbis: *Quando ergo non erratur in rebus, vt recta sit improbatio vitiorum, virtutumque probatio, profectò si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio.* vbi loquitur in genere de omni suspitione, quæ ex errore prouenit. Item ex hac suspicione dicit sæpè multa pio zelo fieri ab hominibus, quæ non fierent si veritas cognosceretur: atqui suspicio, ex qua multa fiunt, est voluntaria. dicit autem illas pertinere ad *humanam tentationem*, quia ex errore humano & fragilitate iudicij proueniunt, ita vt non possint omnino vitari. quis enim est qui non aliquando suspicetur malum, aduertens se ita suspicari; & dubitans an habeat iustam causam suspicandi, nihilominùs pergat in sua suspicione, absque examine causarum?

Quo modo pertinent ad tentationem humanam.

20 Secundò Ex D. Thoma, vbi ait *primum gradum suspicionis esse, cùm homo ex leuibus indiciis de bonitate alicuius incipit dubitare: & hoc esse veniale & leue peccatum*; idque probat ex D. Augustino. vnde patet, D. Thomam eodem modo esse intelligendum.

Non sit notabilis iniuria.

Tertiò Probatur ratione, quia tali modo suspicandi non censetur fieri notabilis iniuria proximo: tum quia non ex malitia, sed ex imbecillitate iudicij & humano errore sic suspicatur, paratus corrigere vbi melius aduerterit; vnde talis suspicio non est perfectè voluntaria, qua parte est temeraria: tum quia signa, ex quibus suspicatur, non carent omni veritimilitudine & proportione ad talem suspicionem. quando enim suspicio non est ex malevolentia, sed ex humano errore, indicia non carent omni ratione; longè enim pauciora indicia requiruntur ad suspicandum, quàm ad iudicandum pro certo: tum denique quia ipsa suspicio est iudicium imbecillum & vacillans, cui coniuncta est notabilis formido de oppositio. qui enim suspicatur, simul putat actu tacito vel expresso se posse facilè falli. quà in re multò minus iniuriæ infertur proximo, quàm per iudicium, quo quis iudicat rem vel omnino certam, vel ferè certam, ita vt vix falli possit.

21 Dico Secundò, Si secundo modo, nempe ex prauo affectu, & aduertens signa non esse sufficientia, suspicetur quis de proximo graue malum (id est, quod illi sit magnæ infamiæ) peccat mortiferè. Probatur Primò, Quia talis suspicio non procedit ex errore humano aut fragilitate aliqua, sed ex malitia, qua quis vult ita suspicari, vt eum contemnat, & pro vili habeat, aut ne cogatur illum in corde suo sibi præponere; qua in re grauis est iniuria: nam præterquam quòd suspicio talis proficiscitur ex prauo affectu erga illum, etiam est pertinax. etsi enim suspicator ille aduertat se iustam causam non habere, tamen vult in sua praua opinione persistere. Sic hæretici & politici solent malè suspicari de viris probis & Religiosis, eos esse impuros, auaros, quæstus & honoris causâ omnia facere, & similia; partim quia ipsi tales sunt, & ne cogantur eos sibi præponere, talia de ipsis pro sua libidine sibi confingunt; partim vt eos contemptui habeant. hinc libentissimè legunt & audiunt quæ ad illorum infamiam pertinent; quæ verò ad laudem, vel excusationem & defensionem, audire nolunt.

Si ex prauo affectu.

Probatur Secundò, Quia si illi merentur iudicium & condemnationem, qui neglectis suis vitiis grauioribus, minora fratrum suorum vitia acriter insectantur & condemnant, vt ipsi sanctiores videantur; (contra quos expresse Matth. 7. & Luc. 6. agit Dominus) quantò magis merentur, qui ex odio & malignitate imaginantur, quæ non sunt? cùm enim non possint illos tales efficere, quales vellent eos haberi, imaginantur illos tales esse, vt possint eos pro talibus, affectu & interna æstimatione ducere. Nec refert, quòd fortasse non firmiter iudicent, putentque se posse falli: quia non minor iniuria est, pertinaciter suspicari malum grauius, quàm iudicare minus. deinde, etsi non firmiter iudicent ex parte obiecti, dum putant fieri posse vt res aliter habeat; tamen ex parte subiecti, iudicium est firmum, quia pertinaciter in eo volunt persistere; qua in re non minor est iniuria, quàm si absque tali pertinacia iudicarent. 22

Petes, Vtrùm suspicio temeraria ex genere suo sit dicenda peccatum mortale, an veniale? 23

Quale peccatum sit ex genere suo.

Respondeo, Posse dici ex genere mortale: quia si sit plenè voluntaria, & de graui malo proximi, est peccatum mortale; solumque est veniale, vel quia non est de graui malo, vel quia aliquo modo procedit ex errore humani intellectus, qui error si non esset, homo nullo modo vellet ita suspicari: vnde etiam paratus est deponere suspicionem, si aduertat causam non esse sufficientem. potest etiam quodam sensu dici ex genere suo veniale, quia secundùm se & conditionem naturæ suæ habet, vt nascatur ex errore intellectus, & non sit planè voluntaria: cuius signum est, quòd sublato errore euanescat, quasi error, illius causa extiterit. hinc fit vt per se non censeatur grauis iniuria, sed solùm vt procedit ex maleuolentia. vnde etiam numquam est peccatum mortale, nisi ex hac procedat.

Dices, Actus ex genere suo venialis, non potest fieri mortalis per hoc quòd fiat omnino voluntariè, & cum plenissima animaduersione: atqui suspicio ex veniali potest fieri mortifera, ex eo quòd accedat plena animaduersio, ipsaque fiat omnino voluntariè, vt dictum est; ergo non est venialis ex genere. 24

Actus venialis ex genere.

Respondeo, Dupliciter potest actus dici venialis ex genere. Primò, Ratione materiæ, quæ toto genere suo in moralibus censetur leuis. & hic propriè dicitur talis ex genere; nam ex materia, seu obiecto sumitur genus actus. & qui tali modo dicitur ex genere suo venialis, non potest vmquam fieri mortalis, ratione solius animaduersionis. Tale est mendacium officiosum, verbum otiosum, &c. Suspicio autem non dicitur eo modo venialis ex genere.

Secundò, Ratione alicuius naturalis conditionis; vt si connotet errorem aliquem inuoluntarium, ex quo procedat. & hic non propriè dicitur venialis ex genere. vnde non est mirum, si accedente pertinacia voluntatis, possit fieri mortalis.

hæc autem pertinacia accedit, quando homo aduertens fundamento carere suam suspicionem, nihilominùs vult in ea perstare.

25 *De dubitatione.* Dico Tertiò, De dubitatione ita ferè sentiendum sicut de suspicione. si enim quis etiam aduertens non esse iustam causam, velit tamen pertinaciter dubitare de probitate proximi, erit peccatum mortiferum: si autem solùm ex errore humano dubitet, erit tantùm peccatum veniale. Prior pars probatur, quia talis dubitatio procedit ex maleuolentia & contemptu alterius, ac proinde censetur grauis iniuria in materia graui. maior enim est iniuria, dubitare pertinaciter de viro probo an sit proditor an Iudæus, quàm iudicare esse concubinarium. vnde indignissimè homines ferunt ita de se dubitari. Altera pars satis patet ex supradictis; dubitare enim minus est quàm suspicari: qui enim suspicatur, iam propendet in alteram partem, vel etiam assentitur, & determinatè opinatur esse improbum, etsi assensu imbecillo & ancipiti; qui autem tantùm dubitat, sustinet assensum veluti in æquilibrio, in neutram partem magis inclinando, & vtramque æquè ancipitem iudicando.

26 Dices Primò, Non tenemur positiuè opinari proximum esse probum; possumus enim mentem ad alia conuertere, & nolle circa res illas occupari: ergo nulla est iniuria in actu dubitandi.

Dubitans facit iniuriam. Respondeo negando consequentiam; qui enim dubitat, non eo præcisè facit iniuriam quòd assensum sustineat seu suspendat; sed ex eo, quòd absque iusta causa iudicet huius probitatem esse ambiguam, & eum non posse prudenter iudicari probum, aut pro tali reputari.

27 *Quæ restitutio facienda.* Dices Secundò, Si timerè iudicare, suspicari, & dubitare de proximo, est contra iustitiam, ergo obligat ad restitutionem: at cui, vel quomodo het ista restitutio, cùm nihil sit ablatum?

Respondeo, Si loquamur de restitutione propriè, vel compensatione alicuius damni exteriùs illati, sic non obligat ad restitutionem, nisi processerit in opus externum per sententiam, detractionem, vel contumeliam; quia nullum damnum externum illatum est: & hoc vult D. Thomas in respons. ad 3. Si verò loquamur de restitutione generatim, sic verum est obligare ad restitutionem: nam hæ prauæ opiniones de proximo, sunt damna quædam famæ proximo illata in mente iudicantis, vbi vel bonam famam possidebat, vel saltem infamiæ malo non laborabat. itaque ex iustitia tenemur has opiniones, tamquam iniusta quædam damna famæ, depellere.

Nec obstat, quòd Iustitia dicatur versari circa actus externos; id enim pro maxima parte verum est, non vniuersè: nam actu interno, nempe temerario iudicio, iniuria inferri potest, etiamsi nullo modo in actum externum prodeat. Adde, posse dici, illam versari circa actus externos, vt hoc nomen tribuitur omnibus actibus non elicitis à voluntate, sed ab aliis potentiis.

28 *Varij gradus iudicij temerarij.* Ex dictis patet, quando censendus sit quispiam iudicio temerario interno peccasse mortiferè, quãdo venialiter tantùm. Primò, Si non fuit graue malum, quod proximo temerè in mente sua inpegit, non est peccatum mortale. Secundò, Si fuit graue malum, sed non perfectè aduertit se malè iudicare. Tertiò, Si aduertit quidem se malè iudicare, tamen non aduertit signa esse insufficientia, nec occurrit ei dubium de eo. Quartò, Si signa erant sufficientia ad probabilem opinionem; tunc enim etsi quasi certò crediderit, non erit peccatum, nisi veniale. Quintò, Si tantùm suspicatus est, non erit peccatum mortiferum, nisi suspicio fuerit pertinax; vt cùm prouenit ex contemptu vel ex maleuolentia, non ex humano errore, sitque de graui malo. Vt autem sciatur vtrùm fuerit suspicio, an iudicium firmum, præsertim quando formido de opposito non est expressè coniuncta, Notanda est hæc regula, Dum 29 quis ita iudicat, vt rogatus an habeat pro certo, responsurus sit, sibi certum, aut ferè certum videri; tunc est iudicium firmum. si verò ita iudicet, vt responsurus sit se non esse moraliter certum, sed facilè posse ea in re falli; tunc solùm est suspicio. Ita ferè Caietanus art. 3.

DVBITATIO IV.

Vtrùm dubia in partem meliorem sint interpretanda.

D. Thom. art. 4.

NOtandum est Primò, vel esse *dubium* de re- 30
bus, v.g. sitne talis contractus licitus, an illicitus; vel de personis, nempe de probitate vel improbitate earum; aut quis hoc vel illud crimen commiserit. Rursus, si sit dubium de personis, possumus nos habere quadrupliciter. Primò, Interpretando in partem peiorem. Secundò, In partem potiorem. Tertiò, Habendo rem in ancipiti, seu dubitando. Quartò, Suspendendo iudicium, seu nolendo applicare mentem ad alteram partem iudicandam. aliud enim est dubitare de alicuius probitate; aliud, iudicium suspendere tamquam de re ad se non pertinente. *Quadruplex interpretatio de personis.*

Notandum Secundò, Dupliciter nos posse aliquid in peiorem partem interpretari; speculatiuè, & practicè. *Speculatiuè* quidem, vt quando opinamur partem deteriorem esse veriorem, non tamen ideò nos aliter erga ipsum hominem gerere debere, cùm res sit incerta. *Practicè* verò, quando censemus illum habendum interno affectu & æstimatione pro improbo. His positis, *Speculatiuè & practicè interpretari.*

Dico Primò, Dubia de rebus non sunt in melio- 31
rem partem interpretanda, sed suis æstimanda momentis. ratio est, quia in iudicio rerum tantùm agitur id vnum vt attingatur veritas; nec timetur, ne cuiquam iniuria inferatur. In iudicio personarum ita quæritur veritas, vt maximè cauendum sit ne proximo iniuria irrogetur, & de possessione bonæ famæ in re dubia depellatur. *Dubia de rebus.*

Dico Secundò, Dubia de personis, ad bonam 32
vel malam existimationem pertinentia, sunt in meliorem partem interpretanda. Ita diuus Thomas artic. 4. & communiter DD. colligit hoc D. Augustinus, de Serm. Domini in monte lib. 2. cap. 18. ex illis verbis Domini, *Nolite iudicare: Hoc loco*, inquit, *nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Idem docet Bernardus Ser. 40. in Cantica, sub finem: *Etiamsi*, inquit, *perperam quid factum deprehendas, nec sic iudices proximum; magis autem excusa. excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum*, &c. Idem docet Seneca lib. 2. de Ira cap. 24. *Simplicitate opus est, & benigna rerum æstimatione,* *Dubia de personis.*

vt

vt nihil, nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit, credamus. Confirmatur ex communi illo DD. dicto, *In dubio non esse præsumendum delictum*; quod colligitur ex L. Meritò. π. Pro socio. de quo vide Couarruuiam, Clem. Si furiosus, p. 2. §. 2. numero 1.

Sed difficultas est, quomodo sint in potiorem partem interpretanda, vtrùm negatiuè tantùm, id est, vt in dubio non putemus proximum improbum, vel auctorem criminis, vel peccasse mortiferè; an etiam positiuè, id est, actu positiuo credendo illum esse probum, non peccasse, habuisse bonam intentionem, aut ex ignorantia fecisse. Respondeo, &

33 *Non tenemur in dubio speculatiuè iudicare esse probum, vel non improbum.*

Dico Tertiò, Certum videtur, in dubio nos non teneri ad iudicandum actu positiuo & speculatiuè, proximum re ipsa esse innocentem, non peccasse mortiferè, habuisse bonam intentionem, & similia. Ita Caietanus quæstione 60. artic. 4. & alij recentiores, nec puto Sotum id negaturum, etsi lib. 3. quæstione 4. artic. 4. generatim contra Caietanum doceat, dubia positiuè in bonam partem interpretanda. Probatur, quia nemo tenetur ad assensum, aut ad modum assentiendi, in quo exponit se notabili periculo errandi: talis enim assensus non est actus virtutis, neque ad actum virtutis necessarius; sed est quiddam errori obnoxium, quod perfecta prudentia deuitat, ex imperfectione nostri intellectus proueniens: vnde non fuisset in statu innocentiæ, neque fuit in beatissima Virgine. Confirmatur Primò, Quia omnis modus assentiendi subiectus errori, & omnis error pertinet ad aliquale malum intellectus; quod sapienti est vitandum, quantum commodè fieri potest, etiamsi non magni sit momenti. Confirmatur Secundò, Quia nulla est necessitas talis iudicij. vt enim erga proximum me geram sicut oportet, sufficit, vt iudicem probabile aut verisimile, esse probum, non peccasse; aut vt suspendam iudicium speculatiuum, nolendo in alterutram partem definire qualis ille in re sit, & hoc totum committendo Deo: cum hac enim suspensione iudicij stare potest, vt habeam illum pro viro probo, & pro tali habendum sentiam.

34 *Nec semper practicè, & actu positiuo.*

Dico Quartò, Non tenemur etiam semper occurrente dubio, actu positiuo practicè iudicare probum; (id est, hic & nunc habendum & tractandum tamquam probum) sed possumus etiam hoc iudicium suspendere. Probatur, quia non semper, quando occurrit aliquod dubium de proximi probitate, tenemur positiuè statuere, illum habendum pro viro probo, puro à tali vel tali crimine; sed sufficit illud iudicare, quando ratione affectus & actionis ipsum concernentis fuerit operæ pretium; vt quando cum illo tractandum, vel prauus in illum animi motus vincendus. quod maximè patet, dum de illis agitur, de quibus neutram in partem habemus positiuam opinionem, eò quòd res illorum nobis penitus sint ignotæ. hos enim in dubio facilè est Deo permittere, neutram in partem aliquid statuendo. Maior difficultas est, dum dubium occurrit de iis, de quibus habemus bonam opinionem: difficile enim videtur eam non minui per hanc iudicij suspensionem. sed absolutè fieri potest vt non minuatur; vt quando quis non vult causas dubij expendere, tamquam nihil ad se pertinentes, & mentem aliò deflectit.

35 Aduerte tamen, valdè esse consentaneum charitati, vt semper hoc pacto dubia in bonam partem interpretemur, iudicando illum loco viri probi habendum, eò quòd de contrario non constet. nec ideò me expono periculo erroris; quia non iudico illum in re esse probum & innocentem; (hoc enim Deo permitto, tamquam mihi incertum) sed esse pro tali habẽdum & æstimandum; (id est, ita affectu interno, & externo modo agendi à nobis tractandum, ac si re ipsa probus esset) quod iudicium est verum. Adde, si velimus hîc & nunc statuere apud nos, quo loco habendus sit apud animum nostrum, etiam tenemur actu positiuo dubium in potiorem partem interpretari, iudicando illum loco viri probi habendum.

Dico Quintò, Tenemur tamen lege iustitiæ dubia interpretari in potiorem partem negatiuè & practicè, ita vt propter dubium non habeamus proximum pro improbo vel auctore criminis. sic potissimùm intellige testimonia suprà allata. (quãuis etiam insinuent, illum positiuè habendum loco probi; præsertim si iudicare velimus.) ratio est, quia iustitia postulat, vt in dubio nemo condemnetur criminis, non solùm exteriùs, sed etiam ne interiùs quidem in animo: quisque enim ius habet vt sibi non irrogetur certa infamia, pro incerto crimine. Confirmatur, quia censeri pro improbo, est notabile malum proximi, & veluti pœna quædam criminis: ergo non potest inferri sine iusta causa, de qua constet: sicut pœna irrogari non potest nisi constet de crimine.

36 *Tenemur semper negatiuè & practicè interpretari.*

Dico Sextò, Non tenemur tamen lege iustitiæ, ea negatiuè & speculatiuè interpretari in meliorem partem, ita vt non opinemur seu suspicemur ipsum in re esse improbum, quando dubium est positiuũ. Probatur, quia quando dubium est positiuum, tunc vtrimque suppetunt argumenta ad probabiliter opinandum vtramuis partem, cum formidine de oppositio: (hoc enim vocatur dubium positiuũ) ergo si tunc assentiaris parti deteriori, opinando esse improbum, non ei facis iniuriam; quia cùm argumenta ad talem opinionem ancipitem animo ingenerandam sufficiant, non habet ius vt sic de ipso non suspiceris.

37 *Negatiuè & speculatiuè non tenemur ex iustitia.*

Aduerte tamen, videri aliquo modo contra charitatem sic suspicari. ratio est, quia ex charitate tenemur vitare omnem malam opinionem de proximo, etiam speculatiuam, quantum possumus, cùm sit aliquod malum eius: ergo cùm possimus talem opinionem vitare, dum res est dubia, tenemur. Quòd si possimus vitare, patet Primò, Quia nunquam cogimur ad aliquem assensum, nisi quando res est euidens. Secundò, Non magis cogimur assentiri huic parti quàm alteri, cùm vtraque sit dubia. Tertiò, Quia perfectissima prudentia postulat, vt in dubiis non assentiamur absolutè alteri parti, ne fortè erremus: talis enim assentiendi modus est fallax. vnde non fuisset in statu innocentiæ, nec est in Angelis, vt suprà diximus. expedit igitur in dubiis sustinere assensum, vel solùm iudicare rem esse probabilem, veriquè similem.

38 *Tenemur aliquo modo ex charitate.*

Dices, Si non est contra iustitiam eo casu suspicari improbum; ergo etiam non est contra charitatem; nam in hac materia, si est peccatum, est contra Iustitiam.

Respondeo negando consequentiam. Ad confirmationem: Sæpè fit vt in materia Iustitiæ peccetur in proximum non violata lege Iustitiæ, vt cùm ille nullum ius strictum habet vt aliquid fiat, aut

non fiat : & res alioquin ipsi est incommoda. vt si infames eum, cuius delictum alibi est notorium iuridicè : si occidas inuasorem inculpata defensione, quando aliter te poteras subtrahere, & aliis modis. Idem dicendum in exemplo proposito, vt mihi quidem ratio allata probare videtur. quamuis putem non esse nisi veniale.

39 *Si dubium sit negatiuum.* Dixi, *Quando dubium est positiuum* : quia si sit negatiuum, vbi in neutram partem suppetunt rationes, est contra iustitiam, malè opinari. quisque enim ius habet, vt non habeatur de se mala opinio, nisi indicia aliud suadeant.

40 Dices, Si non est contra iustitiam opinari deteriorem partem speculatiuè, dum dubium est positiuum ; ergo etiam non est contra iustitiam opinari practicè; quia iudicium practicum sequitur ex speculatiuo.

Iudicium practicum non sequitur necessariò ex speculatiuo. Respondeo negando sequelam ; quia iudicium practicum non sequitur necessariò ex speculatiuo, præsertim quando speculatiuum est incertum. Iudicium enim practicum in proposito est, quo iudico aliquem habendum pro improbo ; quod longè aliud est, quàm putare in re esse improbum. habere enim aliquem quo improbo, est æstimatione, affectu, & contemptu interno se gerere erga alterum ac si improbus esset. vnde fieri potest vt speculatiuè opiner Petrum esse improbum, vel furem ; & practicè iudicem esse probum : quia etsi verisimile mihi sit, & opiner ipsum in re & coram Deo esse improbum ; tamen quia mihi id certum non est, nolo hac opinione meum affectum & æstimationem internam erga illum regere ; sed ea sepositа quasi non esset vera, iudico illum habendum loco & gradu viri probi.

41 *Minor æstimatio ex dubio.* His addo, non videri contra iustitiam, si quis propter dubium non tanti æstimet hominẽ, quanti anteà ; quia non tanti debet æstimari cuius incerta seu dubia est virtus, quàm cuius certa. non tamen ideò potes æstimare improbum. charitas tamen suadet, vt propter dubium nihil de æstimatione & interna reuerentia detrahamus.

42 *Suspicio ad cautelam.* Dico Septimò, Quando agitur de vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio; dubia sunt in deteriorem partem accipienda, non quidem iudicando proximum esse furem vel improbum, vel habendum pro tali ; sed iudicando ita exteriùs cauendum, & sibi illique consulendum ac si dubia esset eius probitas. Ita D. Thomas hoc loco ad 3. & alij DD. qui dicunt, tunc dubia in deterius interpretanda, non definitiuè iudicando, sed per quamdam suppositionem concipiendo malum de proximo. Hoc modo, dum accipimus ignotum in ædes, ita cauemus rebus nostris, ac si dubia esset eius probitas, nullo tamen modo habentes illum

43 *Superiores.* pro improbo. Sic Superiores ob indicia quædam dubia interdum obiurgant suos subditos, pœnitentias imponunt, aliaque remedia illis corrigendis adhibẽt, tamquam si ipsos malos putent; quamuis eos pro malis non habeant ; & eorum facta vel intentionem apud animum suum excusent. nam Superiores quoque hanc regulam de dubiis in meliorem partem interpretandis, quo ad internam affectionem & æstimationem seruare debent: quamuis in ordine ad emendationem vel cautelam mali, exteriùs ita se gerere possint erga subditos, ac si mali aliquid perpetrassent, & meritò; non enim solùm ab omni malo, sed etiam ab omni mali specie abstinendum. Hîc tamen cauere debent, ne vel modum excedant, vel illos aliis suspectos reddant, vel de illorum virtute diffidere videantur. Simili ferè modo dubia sunt in potiorem partem interpretanda, quando non agitur de vitando incommodo, sed solùm de interna æstimatione & reuerentia erga proximum. tunc enim etsi definitiuè non iudicemus ipsum in re bonum esse ; tamen id iudicandum per quamdam suppositionem, supponendo esse probum, & iudicando ita illum æstimandum, & cum illo agendum interiùs & exteriùs, ac si reuerà probus sit.

44 *Dubia interpretãda in potiorem partem, per quamdam suppositionem.*

Dvbitatio v.

Vtrùm liceat aliquando iudicare non secundùm leges scriptas.

D. Thom. art. 5.

45 Respondeo & Dico Primò, Si leges illæ scriptæ contineant Ius naturale, semper secundùm eas iudicandum est. ratio est, quia numquam licitum est à Iure naturali recedere, cùm contrarium huius Iuris semper sit iniquum.

46 Dico Secundò, Si leges scriptæ contineant Ius positiuum, ordinariè secundùm eas iudicandum, præsertim Iudici inferiori. Ita diuus Thomas & alij.

Dixi, *Præsertim inferiori*, quia supremus Princeps potest interdum dispensare in lege positiua, legisque rigorem, vel pœnam relaxare, vel mitigare, quando ita putat expedire Reipubl. hoc autem non potest inferior, nisi ex tacita vel expressa Superioris concessione.

47 *Quãdo inferior contra verba legis facere possit.* Dixi *ordinariè*; quia interdum potest Iudex inferior recedere à lege scripta, iudicando contra verba legis. Primò, Quando constat mentem legislatoris esse aliam, nec voluisse hunc casum verbis legis esse comprehensum ; tunc enim vtendum ὀπιεικείᾳ : magis enim tenetur sequi mentem legislatoris, quæ legis est anima, quàm corticem verborum. alioquin summum Ius, summa iniuria. Neque in hoc casu tenetur legislatorem vel Superiorem cõsulere, vt quidam volunt; quia non opus est inquirere de mente, quando de ea constat. Confirmatur ex L. Nulla ratio. π. de legibus, & L. Non dubium. C. de legibus.

Secundò, Quando non quidem constat, sed probabilius est aliam legislatoris esse mentem, & res non patitur moram vt Superior consulatur. tunc quoque esset contra rectam rationem verba sequi: nam semper intentio legislatoris præferenda est verbis legis. Quòd si Superior facilè consuli possit, consulendus est: quia lex infringi non debet, ne quidem quoad verba, nisi constet aliam esse mentem legislatoris, si tamen de ea constare potest : quòd si de ea constare non potest, tunc sequendum id quod probabilius videtur.

Tertiò, Si vtrimque æquale sit dubium, & Princeps consuli nequeat, tenetur inferior Iudex secundùm verba legis iudicare. Ita communiter Doctores. ratio est, quia lex est veluti in possessione suæ auctoritatis: vnde in pari dubio non potest Iudex, cùm ex officio sit custos legis, eam sua auctoritate priuare.

DVBITATIO VI.

Quinam peccent vsurpatione Iudicij.

D.Thomas quæst.60. art.6.

48 NOtandum est, tria requiri ad iustum iudicium, vt colligitur ex D.Thoma quæst.60.artic.2. Primò, Certitudinem in cognitione causæ: & defectu huius,iudicium dicitur *temerarium*,de quo dubit.2.

Secundò,Iustitiam in ipso actu iudicij, id est, vt seruetur æqualitas in iure suo cuique reddendo. ad hoc requiritur, tum vt iudicetur secundùm leges, (de quo dub.5.)tum vt seruetur ordo Iuris, (id est, ordinata ratio procedendi à Iure Iudicibus præscripta) de quo infrà.huius defectu iudicium dicitur *peruersum* & iniquum.

Tertiò,Auctoritatem in iudicante: qui enim auctoritate caret, siue in personas iudicandas, siue in causam,vt(si sit exempta)iniuriam facit,tum partibus, causæ illarum se ingerendo; tum legitimo Iudici, cuius potestatem & officium sibi assumit. huius defectu iudicium dicitur *vsurpatum*, vel præsumptum. His positis

49 Respondeo & Dico Primò, Omnes eos peccare vsurpatione iudicij,qui iudicant eum,qui vel absolutè non est ipsis subditus, vel non in iis causis, in quibus eum iudicant; ac proinde sententia illorum est irrita, ratio est; quia in his iudiciis deest potestas in eum qui iudicatur, quæ ante omnia requiritur: quia Iudex debet habere auctoritatem & obligandi conscientiam, (sententia enim est veluti lex quædam particularis imposita alteri, quam ille tenetur subire) & cogendi ad executionem eius, ad quod obligauit; alioquin sententia esset inefficax.

Vsurpatione Iudicij peccant.

50 Vbi Notandum est, Quinq; modis posse quempiam esse alteri subiectũ,ita vt ab eo iudicari queat. Primò, Ratione potestatis ordinariæ: sic fideles Pontifici, & Episcopis suis; & ciues suo Regi sunt subiecti. Secundò,Ratione potestatis delegatæ: sic Legato Apostolico subsunt Prouinciæ, ad quas ipsius delegatio pertinet; & ciues Proregi vel Gubernatori. Sic Daniel iudicauit senes potestate sibi à Deo delegata, cap.13. & iuxta probabiliorem sententiam, Moyses Ægyptium, Exod.2. vt testatur D.Augustin. lib.quæstionum in Exod. quæst.2.& aperte colligi videtur Actor.7. vbi Stephanus ait, *Fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio. existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.* Tertiò, Ex consensu partium, vt quando partes ex compromisso se alicui subiiciunt, siue vt Iudici,(vt si ille aliàs auctoritatem iudicandi habebat,etsi non in illos) siue vt arbitro, de quo vide Siluest. v.Arbiter. Quartò, Ratione delicti in alieno loco perpetrati: nam ratione delicti sortitur quis forum. cap.Postulasti.13. & cap.fin. de foro compet. vbi Glossa v. Ratione delicti. Simili modo sortitur quis forum ratione contractus, domicilij, & rei,de qua contra possessorem causa mouetur, vt eodem cap.dicitur. Quintò,Ratione iniuriæ,subdito alterius Principis illatæ. si enim Superior eius,qui iniuriam fecit, interpellatus, nolit illam vindicare, poterit id facere Princeps eius, qui iniuriam accepit. Quicumque igitur iudicat aliquem, qui non est aliquo horum quinque modorum ei subiectus, peccat vsurpatione iudicij;quia vsurpat sibi auctoritatem iudiciariam in eum,in quem non habet. Sic Pilatus iudicando Christum peccauit vsurpatione iudicij; (etsi contrà sentiat Caietan.quæst.67.art.1. & Sotus lib.5.quæst.4.artic.1.) quia Christus non erat ei aut Cæsari reuerà subditus, cùm esset Filius Dei & omnium Dominus; (quam ob causam neque tributum debebat Cæsari, vt colligitur Matth.17.ex illis verbis, *Ergo filij liberi sunt.*) idque facilè poterat Pilato constare. Neque subiecit se Pilato dando auctoritatem,sed solùm permisit se iudicari. Simili modo peccant Iudices sæculares iudicantes Clericos; quia sunt exempti ab eorum iurisdictione, tam in ciuilibus quàm in criminalibus,vt patet tota distinct.96.& 11.quæst.1.per totam. & in Decretalibus de immunitate Ecclesiarũ, & in Concil. Trident. sess.23. ca.20. de reform. vbi renouantur omnes Canones, qui hac de re agunt.Idem patet Iure ciuili,Authentica, Vt Clerici proprios Iudices conueniant,collatione 6. Adde, nec posse Clericos huic exemptioni renuntiare,vt à Iudice sæculari validè possint iudicari, etiam in ciuilibus; vt patet cap.41.Inolita.11.quæst.1. & cap. Placuit. 42.ibidem,& cap.Si diligenti.12.extra.de foro competenti: vbi etiam redditur hæc ratio, *quia non est beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè indultum,cui priuatorum pactio derogare non potest.* Possunt tamen in ciuilibus se subiicere Iudici sæculari vt arbitro; qui tamen nolentem stare sententia, non potest per se cogere. Item potest Clericus vt actor,laicum pertrahere ad Iudicem sæcularem, non autem vt reus pertrahi. in casu tamen reconuentionis potest à Iudice sæculari iudicari: vt si dum laicum pertrahit ad iudicem, laicus viciſſim illum in causa ciuili reconueniat; vt expressè docet Glossa communiter recepta, in cap.2. de mutuis petitionibus. & colligitur tum ex illo cap.tum ex 3. quæst.8.cap.1.

Iudicium Pilati vsurpatum.

Iudicium sæcularium in Clericos.

52 *Non possunt renuntiare exemptioni.*

Reconuentio.

Simili modo censetur vsurpatio iudicij, & irrita est sententia,si eum,qui ad Ecclesiam tamquam ad asylum confugit, vi vel fraude extrahat,& ad mortem vel mutilationem condemnet:quia talis exemptus est à Iudicis potestate, saltem quoad hanc pœnam irrogandam, & Iudex tenetur eum Ecclesiæ restituere. vt colligitur ex cap.Inter alia,de immunit.Eccles.& ex multis Canon.17.q.4. de quo vide Clarum pract. criminal. q.30. & Salonium q.60. art.4. controuersia 2.

Confugiens ad Ecclesiam.

Dici etiam potest vsurpatio iudicij, si Iudex Iudicium exerceat, vel sententiam ferat in Ecclesia: nam eo loco id faciendi potestatem non habet,cùm quidquid ibi actum fuerit, sit irritum, vt statuitur cap.Decet. §.Ordinarij, de immunit. Eccles.in 6. vbi dicitur: *Processus iudicum sæcularium,ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis,* (Ecclesiis) *omni careant robore firmitatis.*

Sententia lata in Ecclesia.

Denique vsurpatione iudicij peccant Ordinarij, dum exemptorum causas discutere præsumunt, in quibus Concilium Tridentinum eos non subiecit.

Exemptorum causa.

Dico Secundò, Hoc peccatum vsurpationis iudicij ex genere suo est mortiferum. ratio est, quia fit iniuria, tum partibus, in quas ille potestatem non habet, tum etiam Superiori, cuius auctoritatem sibi assumit. censetur autem hæc iniuria grauis, vt ex communi hominum sensu constat: nam auctoritas publica violatur.

53 *Est peccatum mortale.*

Danielis iudicium.

Moysis in Ægyptium.

51

DVBITATIO VII.

Vtrùm Iudex excommunicatus peccet vsurpatione iudicij, si iudicia exerceat.

54 *Sententia occultè excomm. est valida.*

REspondeo & Dico Primò, Si excommunicatio est occulta, non peccat vsurpatione iudicij, & sententia, ceteraque eius acta publica, sunt valida. Ita Glossa in cap. Ad probandum. §. Innodatus, de sententia & re iudicata, & est communis sententia DD. Richardi in 4. d. 18. principali 7. q. 1. Palud. eadem dist. q. 4. & dist. 17. q. 6. a. 2. Siluest. Excomm. 3. n. 3. & n. 5. vbi dicit hanc esse communem opinionem: licet ipse contrariam v. Excommunicatio 2. nu. 1. putet veriorem. Couarr. in cap. Alma 1. p. §. 7. nu. 9. Soti d. 22. q. 2. a. 1. & 4. Probatur Primò, Quia non est priuatus, nec suspensus ab officio: soli enim publicè excõmunicati suspenduntur per Canones, vt colligunt DD. d. cap. Ad probandum, ex illis verbis, *Si pro eo, quòd vnus ex delegatis Iudicibus excommunicationis vinculo esset publicè innodatus.* vbi à contrario sensu insinuatur, secùs esse si occultè. Secundò, Quia cùm eius excommuuicatio ignoretur, sequerentur grauissima incommoda, tum in Ecclesia, tum in Republ. quæ nullo modo possent vitari: innumeræ enim sententiæ, præsentationes, electiones & collationes beneficiorum & officiorũ deberent rescindi, cum magno damno & perturbatione innocentum. Tertiò,

55 Quando excommunicatio Iudicis est occulta, ipse non est publicè vitandus, sed solùm occultè; vt colligitur cap. Cùm non ab homine, de sent. excomm. imò fieret ei iniuria, si quis in publico detrectaret eius communionem, propter infamiam, quæ inde sequeretur. ergo cùm partes non possint ipsius iudicium propter excommunicationem occultam recusare, (nisi fortè velint suscipere onus probandi ipsum esse excommunicatum, ad quod non tenentur) oportet vt ipsius quoque sententia valida sit. absurdum enim est vt partes teneantur sese sistere tribunali Iudicis, à quo nisi irritam sententiam referre non possunt. denique idem probari potest ex L. 3. Barbarius, de officio Prætorum, & 3. q. 7. cap. Infamis. vide infrà n. 66.

Quæ diximus, intellige non solùm in sententiis & actis fori externi, sed etiam interni & sacramentalis, vt infrà magis patebit: quia DD. generatim loquuntur, & rationes eædem vtrobique locum habent.

56 *Excommunicatus publicè.*

Dico Secundò, Si excommunicatio Iudicis sit publica seu notoria, ante quidem Concilium Constantiense peccabat vsurpatione iudicij, iudicando, & sententia erat irrita: post tamen illud Concilium, verius est non sic peccare, nec sententiam reliquaque eius acta publica esse irrita, nisi sit denuntiatus nominatim, vel notorius percussor Clerici.

Prior pars est cõmunis Doctorum. & colligitur apertè ex cap. Ad probandum. 24. de sententia & re iudicata, vbi iubetur *cassari* (id est, cassa & irrita declarari, vt exponit Glossa) *sententia lata à pluribus Iudicibus delegatis, eò quòd ex illis vnus erat vinculo excommunicationis publicè innodatus*, vt ibidem dicitur. Hoc tamen intellige, quando certus numerus Iudicum ad causæ definitionem requiritur; tunc enim vnius excommunicatio sententiam reddit inualidam: quia Iudex excommunicatus est inhabilis; ac proinde numerus Iudicum necessariorum non est completus. secùs si certus numerus ad sententiam non requiritur, sed solùm maior pars: tunc enim sententia erit valida, si maior pars Iudicum habilium consenserit. Idem probari potest ex cap. Audiuimus. 24. q. 1. vbi dicitur, excommunicatum excommunicare non posse: quod de publicè excommunicato intelligendum est, vt ibidem Glossa v. Non potuit, annotat: vbi illud, *non potuit*, significat carentiam potestatis: ac proinde sententia talis Iudicis est irrita. vide Glossam ibidem v. Absoluendo. Idem confirmari potest ex cap. Decernimus. 8. de sententia excommunicat. in 6. iuncta Glossa. ratio est, quia tales, etsi non sint priuati officio, (retinẽt enim illud in habitu;) sunt tamen priuati eius vsu, seu suspensi ab eius executione, ex dispositione Canonũ. potestas autem suspensa & à functione sua impedita, perinde est ac si non esset: vnde non plus possunt, quàm si Iudices non essent. dum ergo iudicant, peccant vsurpatione iudicij, assumentes sibi potestatem iudicandi, quam non habent. etsi enim habeant potestatem in habitu, hæc tamen ita est impedita, vt in actum exire non valeat. Vnde actus ille iudicij non ex hac procedere censetur; sed ex alia, quam temerè vsurpant. quare meritò peccatum mortiferum iudicatur.

Si vnus ex Iudicibus excommunicatus.

Alteram partem, scilicet *post Concilium Constantiense, acta talis excommunicati esse valida, quamdiu toleratur ab Ecclesia*, docet Nauarrus cap. 27. nu. 7. Sotus in 4. d. 22. quæst. 2. art. 1. Henriquez de excommunicatione c. 7. & passim recentiores. estque probabilior, etiamsi altera quoque probabilis sit, & multorum DD. Probatur, quia Concilium Constantiense statuit, tantùm vitandos esse nominatim excommunicatos & notorios Clericorum percussores; & concessit vt fideles possint cum aliis in omnibus rebus tam diuinis quàm humanis, tam publicis quàm priuatis habere communicationem; vt refert diuus Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Sotus d. 22. quæst. 1. art. 4. & alij: ergo etiam tacitè vult eorum actus esse validos. nisi enim id vellet, non deberet concedere in omnibus. quorsum enim concederet vt ab illis possimus Ius & alios actus legitimos exigere, præsentationes, electiones, collationes, & confirmationes petere, si tales illorum actus sunt inualidi? sanè illusoria & noxia videretur talis concessio: nam plurimi per eam deciperentur, & cum magno multorum damno omnia hæc deberent rescindi vel retractari. videtur itaque Ecclesia, dum rigorem antiquorum Canonum circa communionem cum excommunicatis temperauit, tacitè etiam sustulisse illam suspensionem iurisdictionis, quam olim excommunicatio continebat: quod sanè erat expediens hoc statu rerum, quo sæpè Iudices diu in excommunicatione, vel ob hæresim, vel ob violatam libertatem Ecclesiasticam, vel ob alias causas, manent.

57 *Acta excommunicati valida esse.*

Aduerte tamen, neminem teneri admittere 58
Iudicem excommunicatum; potest enim contra illum excipere, quòd sit excommunicatus; vt patet cap. Exceptionem, in fine, de exceptionibus. quod verum est, etiamsi eius excommunicatio hoc loco non sit manifesta; modò tamen alibi sit publica, vt colligitur ex eodem cap. iuncta Glossa v. Publicè, vel ipse possit illam probare. Ratio est, quia

quia etsi Concilium concedat vt possis cum Iudice excommunicato habere communionem, & Ius ab illo petere, non tamen cogit. itaque sicut olim poterat recusari, ita & nunc. Si tamen partes in illum consenserint, & sententia debito modo lata fuerit, non potest propter excommunicationem rescindi; quia legitima potestate, cui partes se submiserunt, lata est: sicut cùm sponte se alieno Iudici permittente Iure subiiciunt, sententia rescindi non potest.

Nec obstat, quòd quidam Patres affirment, hæreticos & schismaticos nullam habere potestatem, nec posse soluere & ligare, quia sunt extra Ecclesiam, & excommunicati: (ita Cyprianus epist. 76. ad Magnum, de Nouatiano. Ambros. lib. 1. de pœnitentia cap. 2. Nicolaus I. epist. ad Michaëlem Imper. & alij, vt videre est 24. quæstione 1.) ad hoc enim responderi potest, Primò, In his esse peculiarem rationem, quia ita ab Ecclesia se segregant, vt nullam amplius cum ea communionem retineant: alij verò excommunicati retinent fidem & fidei confessionem, & solùm ex parte sunt extra Ecclesiam. Secundò, Hæc procedere Iure antiquo, quo omnes hæretici publici ita erant excommunicati, vt non amplius essent tolerati ab Ecclesia.

Petes, An talis peccet mortiferè ex alio capite, ratione videlicet excommunicationis, iudicando?

59 *An sit peccatum mortiferum.*

Quidam recentiores putant esse solùm peccatum veniale. ratio est, quia cùm Concilium non suspendat illum ab officio, nec priuet vsu istius potestatis, solùm videtur illum actum prohibere, quatenus est communicatio quædam humana; non autem præcisè quatenus est actus iurisdictionis & potestatis iudiciariæ. cui sententiæ fauet Caietanus v. Excommunicato vetita: vbi docet, actus iudiciales excõmunicati, si absit iniustitia, non esse nisi peccata venialia; quia solùm prohibentur secundariò. quæ sententia est probabilis, eamque sequitur Barthol. à Ledesma, dub. 9. de excommunicatione. Henriquez de excommunicatione c. 7. & quidam alij.

Esse mortiferum.

Verius tamen videtur, esse peccatum mortiferum, nisi ignorantia vel inconsideratio, aut functionis breuitas excuset. Est communior sententia DD. Ratio est, quia Ecclesia prohibet illam, non solùm generali ratione communicationis humanæ; sed etiam vt est vsus iurisdictionis & potestatis, dignitatem quamdam continens. vnde cùm illa sit res grauis, & magni momenti, non video cur præceptum non obliget sub peccato mortali.

Nec obstat, quòd Concilium non suspendat Iudices ab officio; quia id fit propter bonum aliorũ: non tamen idcircò intendit ipsos Iudices in aliquo releuare, vt expressè idem Concilium testatur. Si tamen partes iustitiam exigant, vel ratio postulet, vt in aliquo casu ex officio procedat, non peccabit; quia Concilium concedit, vt in commodum aliorum, suo munere fungi possit.

60 *Denuntiati, & percussores Clericorum.*

Tertia pars, scilicet *Iudicem nominatim denuntiatum, & manifestum Clerici percussorem peccare vsurpatione iudicij, contra iustitiam, & omnia eius acta esse irrita*, est communis sententia Doctorũ, & apertè colligitur ex cap. Ad probandum, suprà cap. Audiuimus, & cap. Miramur. 24. quæstione 1. hos enim excipit Concilium Constantiense. vnde manent suspensi ab officio, sicut erant ante Concilium.

Petes, Vtrùm hoc etiam locum habeat in Iudicibus sæcularibus.

Respondeo habere; ita enim tenent passim DD. & probatur Primò, cap. Exceptionem. 12. de exceptionibus. vbi in fine dicitur, *Excommunicatus autem publicè, etsi huiusmodi exceptio non opponitur, nihilominus est officio Iudicis repellendus:* vbi loquitur in genere de cuiusuis Iudicis officio; sicut in verbis prioribus de officio actoris & aduocati. 61 *Locum habet etiam in sæcularibus.*

Secundò, Quia omnes excommunicati sunt priuati vsu iurisdictionis in suos subditos, vt colligitur cap. Nos Sanctorum. 15. quæst. 6. vbi dicitur, *Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & no sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus; quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Si subditi non tenentur eis obedire; ergo suspensa est eorum iurisdictio. ac proinde sententia non obligabit, sed erit irrita. Idem confirmatur cap. fin. ibidem.

Tertiò, Cap. Decernimus. 8. de sentent. excommun. in 6. excluditur excommunicatus à munere actoris, patroni & testis: ergo multò magis censetur exclusus à functione Iudicis. absurdum enim esset, Iudicis excommunicati acta valere, actoris verò, aduocati, & testis non valere.

Quartò, Quia non poterat commodè & efficaciter prohiberi communicatio cum tali Iudice, nisi priuando eum vsu iurisdictionis, & reddendo irrita eius acta. alioquin si acta eius vtilia fuissent, subditi ad ipsum in suis causis recurrissent vt anteà. Denique quia non poterat alia ratione commodiùs frangi talis hominis contumacia.

Idem peculiariter statuitur de hæreticis, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus eorum; si intra annum satisfacere contempserint, cap. Excommunicamus. 1. §. Credentes, ex Concilio magno Lateranensi; vbi & alia quædam expressè in eosdem statuuntur, quæ tamen etiam aliis excommunicatis sunt communia: vt quòd non possint esse aduocati, nec tabelliones, quòd sint repellendi à Sacramentis, & ab Ecclesiastica sepultura, & eorum oblationes non admittendæ. Idem statuit Concilium illud, *aduersus Consules & Rectores ciuitatum, & alios, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros talliis, seu collectis & exactionibus aliis, grauare nituntur:* quos primùm excommunicat. Deinde subiicit: *Quia verò nec sic quorumdam malitia contra Dei Ecclesiam conquieuit; adiicimus vt constitutiones & sententiæ, quæ a talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo vmquam tempore valituræ.* vbi Glossa, *Sententia vel constitutio per excommunicatum prolata, est nulla; nec tractu temporis conualescit.* & quamuis hic effectus sit communis excommunicatis, tamen specialiter in his criminibus exprimitur, tum ad maiorem terrorem, tum quia propriè Iudices attingunt. *Iudex hæreticus vel defensor aut fautor hæretici.* *Iudex grauans Clerum exactionibus.*

Aduerte tamen, si aliquis sic excommunicatus conferret se in aliam vrbem vel Prouinciam, vbi eius censura sit ignota, fieretque Iudex; vel si in loco suæ Iurisdictionis non haberetur pro denuntiato, vel publico Clerici percussore, acta eius fore valida. Ratio est, quia eo loco verè est excommunicatus occultè, & ab Ecclesia censetur toleratus, eademque incommoda sequerentur, si eius acta essent irrita, quæ ex actis alterius, 62 *Si alibi sit vbi ignoratur.*

qui vbique occultus : vnde eodem modo de illo sentiendum : & iisdem rationibus probari potest.

Hic tamen grauiùs peccat, quàm alij occulti vel publici non denuntiati, actus iudiciarios & alios similes obeundo; quia reuerà est suspensus, & quantum est ex parte sua, vsurpat sibi potestatem, quam non habet.

Dices, Si est suspensus, quomodo eius acta non sunt irrita?

Respondeo, Quia Ecclesia ob communem vtilitatem vel tacitè hanc suspensionē ad singulos actus in hoc casu ei relaxat, etsi velit ipsum secundùm se manere suspensum : vel certè nouam ei potestatem ad singulos actus extraordinariè tribuit, supplendo defectum, qui ex parte ipsius erat, ne cum damno aliorum, actus sit irritus : qui duo modi parum in re differunt.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm Iudex, qui propter crimen ipso Iure est priuatus titulo, vel solùm habet titulum putatiuum, peccet vsurpatione Iudicij iudicando, ita vt sententia eius sit irrita.

63 PRior pars huius Dubitationis pendet ex alia, quæ 1.2.quæst.96. art.4. dub.6. tractanda est, Vtrùm leges humanæ, quæ statuunt priuationem beneficij, vel officij, aut bonorum confiscationem, eam vim habeant, vt commisso crimine, beneficium vel officium statim vacet, & bona ad fiscum pertineant; ita vt reus ipse teneatur ea dimittere ante sententiam.

Non vacat beneficium, aut officium.

Ad quam nunc breuiter Respondeo, propriè loquendo non vacare, nec teneri dimittere ante sententiam : etiamsi in lege dicatur, *ipso facto sit priuatus*; nisi apertè constet illam fuisse legislatoris mentem: vt si addat, *teneri in conscientia dimittere*, vel *non posse absolui, nisi dimittat*, vel *beneficium eo ipso vacare, ita vt alteri liberè possit conferri.* vt in casu cap. Dudum. 2. de electione; cùm quis accipit secundū beneficium incompatibile. colligitur apertè ex D. Thoma 2.2.quæst.62.art.3. & Caietano ibidem, Soto lib.1.de Iust. quæst.6.artic.7. Adriano quodlib.6.art.1. Couarru. de matrim. p.2.cap.6. §.8.num.9.& 13. & passim recentioribus. Vtrùm autem vacet quando dicitur in lege, *sit priuatus ipso facto absque alia declaratione*, dubium est. Couarruuias & Dominicus Soto suprà, & Henriquez de excōmm. cap.56. multique alij recentiores tenent non vacare, sed requiri sententiam declaratoriam criminis; illam autem clausulam *absque alia declaratione*, intelligendam de declaratione, qua declaretur pœnam esse incursam, non autem qua declaretur crimen commissum. quæ expositio etsi nonnihil videatur violenta, tamen vsus ipse eam confirmat. ita enim sunt vsu receptæ leges huiusmodi, vt ante declarationem criminis, possessores non teneantur resignare. imò vsus habet, vt nisi executio fiat per sententiam, ita vt per eam non solùm declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur beneficio vel officio, non censeatur omnino priuatus, vt patet ex Couarruuia suprà. vnde & leges illæ, quæ statuunt vt beneficium *ipso Iure vacet*, vt in Extrauagan. Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis, non videntur receptæ in illo rigore, vt sponte teneatur se reus spoliare.

Petes, Quam ergo vim habent huiusmodi constitutiones, quibus aliquis ipso Iure priuatur officio vel beneficio, siue propter crimen, siue propter adeptionem alterius incompatibilis? 64 *Quam vim habeant.*

Respondeo, Hoc efficere, vt statim amittat titulum ipsum, ita vt non sit ampliùs dominus beneficij, retinet tamen possessionem, qua priuari non potest, nisi causa cognita, vt docet Glossa cap. Licet Episcopus. 28. de præbendis, in 6. Et quāmuis illud caput solùm loquatur in casu adeptionis beneficij incompatibilis; tamen Glossa & DD. quos ibi citat, volunt esse eamdem rationem in ceteris, vbi quis ipso Iure priuatur. id enim ad publicam tranquillitatem est valdè expediens. *Titulum* voco ius illud firmum, quod accepit per collationem, quo aliàs non poterat inuitus priuari: quo amisso, adhuc retinet possessionem beneficij, & totius iurisdictionis, quam antè habebat. & quidem si Iure permittente illam retineat, ita vt Ius non obliget ipsum ad eam deserendam, vocatur *possessio iuris*: si verò Ius resistat illi possessioni, obstringens reum ad illam deserendam, dicitur *possessio facti.* *Priuant titulo, non possessione.*

Simili modo, quando bona ipso Iure confiscantur, vt in crimine hæresis, iuxta cap. Cùm secundùm leges. 19. de hæret. in 6. vel propter incestas nuptias, iuxta idem caput, & Authentic. Incestas, C. de incestis nuptiis; vel propter specierum illicitarum transuectionem, aut rerum vectarum omissam professionem; vt dict. cap. & aliis Iuribus habetur: in his inquam & similibus casibus statim amittitur ipsa rerum, quæ dicuntur confiscari, vel in commissum cadere, proprietas, & illarum proprietas fisco acquiritur, vt expresè d. cap. habetur. permittitur tamen possessio & vsus, donec secuta sententia declaratoria, hæc quoque auferantur. *Confiscatio priuat dominio.*

Hinc fit, vt executio retrotrahatur vsque ad tempus commissi criminis. nam ex illo tempore, dominium seu proprietas in fiscum translata est, & consequenter omnes fructus ex illo tempore percepti ad ipsum spectant. Sed de his plura 1.2. quæstione 96.art.4.

Ex his sequitur, sententiam, aliaque acta talis Iudicis non esse irrita, neque iudicium vsurpatum, cùm reuerà adhuc iurisdictionem suam retineat, neque ab ea sit suspensus: etsi enim ius illud prius, quo illam Iurisdictionem obtinebat, amiserit; habet tamen adhuc ius possidendi, & vtendi eadem, donec per sententiam auferatur. Confirmatur, quia cùm crimen sit occultum, vel certè non constet eum per legem esse priuatum, si acta essent irrita, idem Reipubl. obueniret incommodum, quod sequeretur, si acta occultè excommunicati essent irrita: quod ex iis, quæ nunc dicturi sumus, magis constabit. Quod ad alteram partem dubitationis attinet, omissis opinionibus, quas recenset Paludanus in 4.d.17.q.6.art.2. *Sententia non sunt irrita.*

Respondeo, Si habet titulum coloratum, & communi errore putetur legitimus Superior, eius sententiæ & alij actus iurisdictionis sunt validi. Ita passim Doctores in cap. Nihil 44. de elect. & in L. Barbarius. π. de officio Prætoris. Idem fusè docet Paludanus suprà, Caietanus v. Absolutionis im pedimenta, Nauarr. in cap. Placuit, de pœniten- 65 *Habentia titulum putatitium acta valent.*

nitentia,d.6.numero 180.Medina C.de confessione, quæstione 22. Arragon.quæstione 60. artic.6. & alij multi recentiores,qui id docent non solùm de sententia & actis fori externi, sed etiam fori sacramentalis, de quo tamen longè magis dubitari poterat. Probatur ex L.Barbarius Philippus. 7. de officio Prætorum; vbi expressè casus huius assertionis ponitur. cùm enim iste Barbarius esset alibi conditione seruus, Romæ, vbi latebat eius conditio, & liber habebatur, promotus est ad præturam, cuius tamen ob illud occultum impedimentum erat incapax, nihilominùs approbantur eius acta, quæ gessit quamdiu latuit; idque ob vtilitatem eorum qui apud ipsum egerant: & ratio additur, quia *populus Romanus*, cuius auctoritate hæc dignitas collata fuerat, *potuisset etiam seruo hanc potestatem decernere.* Idem probatur ex Gratiano 3. quæstione 7. cap. 1. vbi dicitur: *Si seruus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret; quamuis postea in seruitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei iudicatæ firmitatem tenet.* Ratio est; quia nisi huiusmodi acta essent valida, magna sequeretur in Republ. & populo Christiano perturbatio; omnes enim sententiæ, collationes officiorum & beneficiorum, præsentationes, electiones, & alia huiusmodi, deberent rescindi tamquam inualida.

Duæ conditiones concurrere debent. Titulus & communis error.

Notandum est ex Panormitano in dict. cap. Nihil, Caietano suprà, & aliis Doctoribus, duas conditiones debere concurrere, vt Iudicis putatiuè acta valeant. Alteram ex parte ipsius iudicis, nimirum vt habeat titulum. Alteram ex parte populi, vt communi errore putetur legitimus Superior. vtrumque colligitur ex Iuribus citatis. quibus concurrentibus, ius ipsum confert iurisdictionem extraordinariè ad singulos actus, propter bonum commune. Debet autem hunc *titulum* habere à vero Superiore, vel saltem ab eo qui aliàs poterat illum dare, vt insinuatur dict. L.Barbarius. nam approbantur acta illius; quia populus, à quo habebat officium, potuisset ei hanc potestatem decernere. & confirmatur; quia si non accepit ab eo qui poterat dare, iam non habet titulus ille colorem, quo verus videri possit; imò non est titulus, cùm hic non nisi à Superiore dari possit. omnis enim iurisdictio à Superiore descendit. vnde Caietanus collationem Superioris titulum vocat.

Titulus est collatio Superioris.

Hinc fit, vt si beneficium habeas ab eo qui non poterat dare; vel si solùm sis electus, aut præsentatus; non autem acceperis institutionem, aut confirmationem, (quæ sunt collatio potestatis) nihil agas, vt qui sis intrusus; vt Panormitanus, Nauarrus, & alij docent. sufficit tamen in collatore titulus coloratus communi errori coniunctus, vt eius collatio sit valida. sicut enim alia eius acta valida sunt, ita etiam collatio iurisdictionis.

66 *Accipiens Prælaturam in excommunicatione.*

Ex his sequitur Primò, Valida esse acta Prælati, qui accepit prælaturam in excommunicatione, irregularitate, vel alio impedimento occulto, ratione cuius collatio sit irrita; vel interuentu simoniæ realis completæ, aut confidentiæ; si communi errore facti habeatur pro vero Prælato. Itaque valida erit sententia excommunicationis ab eo lata, & absolutionis, & collatio beneficij, & delegatio iurisdictionis, &c.

Secundò, idem dicendum non solùm de eo, cui collata est potestas ordinaria, sed etiam cui delegata; præsertim si ad vniuersitatem aliquarum causarum, vt benè ostendit Paludanus suprà; vt sunt Commissarij, Vicarij foranei, Pœnitentiarij, &c. quia horum iurisdictio non minùs spectat communem vtilitatem, quàm Ordinariorum: imò plures ad ipsos causæ deferuntur. Vtrùm verò idem sit in Delegato ad causam particularem, dubium est. Quidam negant; quia non agitur de bono communi. Sed contrarium est verius; quod tenet Paludanus suprà, circa primam opinionem, & alij DD. Idem docent etiam de sacerdote delegato ad confessiones. Confirmatur, quia dicto cap. Infamis, apertè agitur de Delegato; & quidem, vt videtur, ad causam particularem. Et quamuis singuli tales non deputentur nisi ad causas certas, nec de quorumlibet quæstionibus cognoscere possint; tamen maximi interest publicæ vtilitatis, vt horum acta valeant, cùm sæpè & variis casibus deputentur.

Accipiens delegationem ad vniuersitatem causarum.

Delegatio ad causam particularem.

Nec obstat quod habetur L.fin. C.Si à non competente Iudice iudicatum esse dicatur; vbi dicitur, *Et in priuatorum causis huiusmodi forma seruetur, ne quemquam litigatorum sententia, non à suo Judice dicta, constringat.* quia intelligitur, quando non est occultum, non esse verum Iudicem: quod generaliter in omnibus causis, etiam publicis, verum est.

Tertiò, Eadem locum habere, etiamsi Superior conferens officium vel iurisdictionem, sciat impedimentum alterius, aut collationem esse inualidã: modò ipse conferat quantum in se est, saltem actu externo, & communi errore populi putetur esse validum: quia si ipsius ignorãtia non impedit iurisdictionem, multò minùs impediet scientia, quæ tollit inuoluntarium. Nec opus est vt ipse possit impedimentum auferre, vt rectè Paludanus suprà: vt patet cùm Episcopus confert illegitimo, vel occulto homicidæ beneficium parochiale. requiritur tamen vt supremus Princeps possit illud tollere, & personam efficere capacem. Vnde si sit impedimentum Iuris diuini, vel naturalis, nihil fiet: vt si sit femina, vel non sit Sacerdos, cui potestas absoluendi commissa est, communis error nihil iuuabit; quia potestas humana hunc defectum supplere nequit, nec vllo modo talibus hanc potestatem concedere.

Non refert an Superior sciat impedimentum.

Si impedimentum non possit auferri ab homine.

Quartò sequitur, Idem procedere, etiamsi litigatores, vel quorum causa agitur, impedimentum sciant: quia hæc iurisdictio concessa est generatim, propter errorem communem: vnde priuata scientia illam non impedit. Hinc absolutio data à Parocho, quem scis occultè simoniacum, valet, vt passim Doctores fatentur, nisi fortè tu alterius copiam haberes, vel extra necessitatem illum induxeris; & ita illi confitendo pecces mortiferè: quia tunc, etsi non sit irrita defectu iurisdictionis, est tamen ratione indispositionis pœnitentis.

Non refert an litigatores sciãt.

Quintò, Idem dicendum esse, quando alicui iurisdictio occultè est ablata, & ille nihilominùs se pro Superiore gerit, & communi errore talis habetur. Potest autem hoc quatuor modis contingere. Primò, Si ipso Iure beneficium vacet. Secundò, Si per sententiam ei sit abrogatum, vel si potestas Delegati reuocata. Tertiò, Si Delegans mortuus sit. Quartò, Si iurisdictionem Delegantis contingat suspendi.

67 *Si iurisdictio occultè ablata.*

Quod

Si beneficium ipso iure vacet.

Quod ad primum modum attinet, ita tenet expresè Panormitanus in dict. cap. Nihil. Nauar. in cap. Placuit. numero 118. Aragon. quæstione 60. artic. 6. Paludanus suprà, Siluester v. Confessor, 1. quæstione 19. & passim Canonistæ. Ratio est, quia hîc duo illa concurrunt, titulus publici officij, (vt quia ab Episcopo institutus) & error facti. Nec refert, quòd titulus & possessio iuris ei sint adempta; quia id omnino occultum est; & non ita sunt adempta, quin adhuc aliquæ reliquiæ maneant. retinet enim possessionem facti, vt Nauarrus ait.

Resp. ad cap. Dudum.

Nec obstat cap. Dudum. 22. de electione, vbi insinuatur, absolutiones datas ab eo, qui simul plures parochiales Ecclesias retinebat absque dispensatione, fuisse irritas, eò quòd obtenta secunda, vacet prior, iuxta dispositionem Concilij general. cap. De multa, de præbendis: quia publicè notum erat, illas vacare. Si id occultum ratione communis ignorantiæ fuisset, non fuissent irritæ; vt ibidem notat Panormitanus & alij. Nec refert, quòd id proueniat ex errore iuris: modò sit probabilis, & causet errorem facti.

Si per sententiam abrogatū, vel expresè reuocatum.

De secundo modo, etsi multi aliter sentiant, est tamen probabile valere. ita enim tenet Paludanus suprà, circa primam opinionem; vbi id affirmat in eo, cuius commissio est occultè reuocata. & Henriquez libro 3. de pœnitentia cap. 6. vbi dicit valere absolutionem, si habet titulum coloratum, & non scitur de reuocatione. & lib. 2. cap. 4. valere confessiones factas virtute Bullæ, vel facultatis, quæ nescitur esse reuocata. Idem tenet noster Sancius libro 3. de Matrimonio, disputatione 20. nu. 58. citans pro ea Baldum, Iasonem, Corneum, Mascardum, Henriquez & Manuelem, qui primo tomo Summæ cap. 60. numero 3. dicit valere confessiones Religiosis semel approbatis factas, quamuis occultè facultate audiendi sint priuati. Ratio est, quia duo illa supradicta hîc etiam concurrunt, titulus & error communis: institutus enim fuit ab habente potestatem, & ideò habetur adhuc verus Iudex, cùm ignoretur reuocatio.

Si morte Delegantis.

De tertio, Verius etiam est valere; quia etsi morte vel priuatione officij Delegantis expiret potestas Delegati, re adhuc integra, vt patet L. More. 5. ff. de Iurisdictione omnium Iudicum, & cap. Licet. 30. cap. Gratum. 20. cap. Relatum. 19. de officio Delegati: tamen quamdiu hoc communiter ignoratur, & ille se adhuc gerit pro Delegato; est eadem ratio, quæ in supradictis. non enim hîc magis est priuatus, quàm in primo & secundo casu; & tamen ibi valent acta, ob communem errorem: ergo & hîc valebunt. Ita tenet Thomas Sancius, & multos pro ea citat Doctores. Et confirmatur, quia potestas Vicarij generalis magis dependet à iurisdictione Episcopi, quàm potestas Delegati à Delegante: nam à Vicario ad Episcopum non est appellatio, eò quòd sit vnum eorum tribunal, vna iurisdictio, & veluti vna persona, vt apertè colligitur ex cap. 2. de consuetud. in Sexto. Vbi per Officialem Episcopi intelligitur Officialis generalis, vt Glossa communiter recepta exponit, quem vocamus Vicarium generalem. At à Delegato ad Delegantem est appellatio, vt ibidem Glossa affirmat: quia diuersum tribunal habent, & diuersi Iudices habentur. Hinc mortuo Episcopo expirat potestas Vicarij etiam causâ integrâ, vt docent Ioannes Andreas, Dominicus, & Hostiensis in cap. 1. de officio Vicarij, in Sexto. & tamen valent acta Vicarij, & litteræ dimissoriæ ab eo datæ, si communiter mors Episcopi ignoretur, vt docet Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 13. neque desinunt istæ litteræ valere, etiamsi posteà, re integra, sciatur mortem fuisse priorem, vt idem docet de Ordine cap. 22. & consentit Sancius suprà.

Si Delegans suspendatur.

De quarto non est difficultas. si enim suspensio primaria, quæ est in ipso Delegante, non inualidat actum ipsius, dum communiter ignoratur; multò minùs inualidabit acta Delegati, qui solùm secundariò suspensus est. quod intellige vt antè, si res vulgò ignoratur.

Sextò sequitur, Supradicta locum habere non solùm in foro contentioso, sed etiam in sacramentali, vt docet Paludanus circa quartam opinionem, Nauarrus suprà, & alij passim. quia eadem ratio boni communis id postulat: & Ecclesia defectum iurisdictionis non minùs hîc quàm in foro externo supplere potest, & vult, concurrente titulo colorato, & communi errore. Nec obstat, quòd expressum Ius hac de re non habeatur; quia quod Iura disposuerunt in vno casu, id etiam intelligendum in aliis, vbi est par vel maior ratio, vt est in proposito. quod confirmatur, quia suppositâ potestate Ordinis, in reliquis, vtriusque fori est paritas: nec plus requirit hoc forum quàm illud: sufficit enim vtrique eadem iurisdictio. vnde suppositâ ordinis potestate, quicumque potest soluere & ligare in foro externo, potest etiam in interno, vt rectè Paludanus dixit.

Septimò, Supradicta procedere etiam in iis, quæ geruntur ex officio publico, quamuis non sint actus iurisdictionis; vt in Instrumento tabellionis: in electione & præsentatione ad beneficia & officia: in actu Parochi, assistentis contractui matrimonij. hic enim actus non est iurisdictionis, sed exhibitionis præsentiæ sui, tamquam testis Iure requisiti.

68 *Probabilius opinio DD.*

Adde, non solùm errorem communem, sed etiam probabilem DD. opinionem efficere vt Ecclesia det iurisdictionem; etiamsi fortè opinio illa sit falsa, vt docet Henriquez lib. 2. de pœnit. c. 14. num. 3. & 4. & optimè Sancius suprà numero 65. vt si probabile sit talem posse absoluere à reseruatis, vel censuris, assistere matrimonio, excommunicare, eligere confessorem, priuilegium non esse reuocatum, & similia: & ille ex hac opinione operetur, validum erit, Ecclesia supplente defectum, si fortè subsit. cùm enim licitum sit operari ex opinione probabili; si omnia illa essent irrita, grauissima incommoda sequerentur. Imò vt ait Panorm. in cap. Nihil 44. de electione, quem refert & sequitur Rosella v. Confessor, 3. in fine, & Siluester v. Confessor, 1. quæst. 19. Sancius num. 56. & sæpè indicat Henricus, valent acta, etiamsi populus dubitet, an Superior sit officio priuatus. Et ratio est, quia cùm antè fuerit habitus Superior, non debent propter dubium superueniens eum reiicere, cùm in officio perseueret. in dubio enim nemo est suo iure spoliandus; quia melior est conditio possidentis.

Ex his patet, Etsi illi, qui solùm habent titulum coloratum, possint generatim dici peccare vsurpatione Iudicij, quia quantum in ipsis est, vsur-

vsurpant potestatem, quam non habent; non tamen sententia illorum est irrita; quia dum hoc attentant, Ecclesia iurisdictionem extraordinariè propter bonum commune, in ipso actu suppeditat.

Dvbitatio IX.

Vtrùm tyrannus peccet vsurpatione iudicij, eiusque sententiæ sint irritæ.

69 *Tyrannus duplex.* NOtandum est, alium esse *tyrannum vsurpatione potestatis*, (qualis est, qui absque vllo iure Rempubl. inuasit & oppressam tenet) alium *vsu regiminis*, cùm aliàs sit verus Princeps, legitimam potestatem obtinens. Nos hìc loquimur de eo, qui vsurpatione potestatis tyrannus est, & iam in pace imperat, Republ. non ampliùs ei resistente, virium defectu. nam de vero Principe constat eum non peccare vsurpatione iudicij, modò secundùm leges iudicet, etiamsi aliàs tyrannicè gubernet.

Sotus lib.3 quæst.4.art.6. docet, tyrannum, qui Rempub. inuasit, non posse ferre vllam legem, nec Ius dicere, quod obliget in conscientia; ac proinde sententias eius esse irritas. Contrarium docet Franciscus Victoria, relectione de potestate ciuili, n.23. Pro solutione

70 *Peccat vsurpatione Iudicij.* Respondeo & Dico Primò, Tyrannus huiusmodi peccat vsurpatione iudicij Ius dicendo; sententiæ tamen ipsius sunt validæ, & tenentur ciues illis obtemperare, donec irritentur.

Prior pars probatur, quia iudicando vsurpat sibi potestatem Principis, & gerit se vt verus Princeps, cùm tamen reuerà non sit: ergo peccat vsurpatione iudicij: qui enim vsurpat sibi potestatem alienam, & intendit ea vti in iudicando, peccat vsurpatione iudicij.

Dices, Ille quidem peccauit inuadendo principatum, & illam auctoritatem sibi vsurpando; non tamen peccat posteà, si ea debito modo, & vt Reipublic. expedit, vtatur: quia ea censetur esse mens Reipublic. Imò si omitteret Ius dicere, peccaret.

Respondeo negando secundam partem assumpti; quia non solùm peccauit Rempubl. inuadendo, sed etiam posteà assiduè peccat tum ipse, tum eius heres, eam oppressam sibique subiectam seruando; donec tandem vel sponte à regno suscipiatur, (quod fieri potest, si illud sit sui iuris, nulli alteri Principi obnoxium) vel longo temporum interuallo tandem nascatur præscriptio. ratio est, quia assiduè iniuriam infert, & opprimit; sicut qui per iniuriam compingit aliquem in carcerem, non tantùm peccat in principio, sed etiam posteà, idque assiduè, quamdiu voluntariè hanc calamitatem continuat. vt patet ex dictis cap.12. dubit.3. & 4. Cùm igitur tyrannus continenter peccet Rempub. oppressam tenendo, & sibi vsurpando principatum, etiam peccat iudicando; quia in hoc actu sibi assumit auctoritatem principalem, seque loco Principis gerit.

71 *Non est nouum peccatum.* Aduerte tamen, hoc non esse nouum peccatum, sed continuationem quamdam peccati antiqui; neque addere aliquam nouam malitiam mortiferam supra vsurpationem tituli principatus; quia per hoc non fit noua iniuria, sed continuatur prior. imò magis peccaret, si quando res postulat, Ius non diceret, retento principatu; quia magis ciuibus noceret, & maiorem iniuriam irrogaret. sicut qui rem alienam detinet & ea vtitur, peccat vtendo; tamen si iste vsus est rei vtilis vel necessarius, non addit nouam malitiam supra rei detentionem; & non vtendo magis peccaret.

Dices, Si peccat iudicando, ergo ciues non possunt ab eo Ius petere: non enim licet petere ab aliquo, quod ipse sine peccato præstare non potest.

Respondeo negando consequentiam; quia non petunt absolutè, sed sub tacita quadam conditione, Nempe si velit se gerere loco Principis; qua conditione posita, (sicut manifestum est eam poni) petitur id, ad quod ipse tenetur. quamuis enim peccet iudicando, magis tamen peccaret iudicium negligendo. Itaque non petitur nisi ex suppositione, & tamquam minus malum, quod eo modo petere est licitum. ita Caietanus in Summa v. Tyrannus, & alij. 72 *Licitum est ab eo Ius petere.*

Altera pars, *Sententias eius esse validas*, probatur; quia eius sententiæ & iusta mandata, etsi non habeant vim à tyrannica potestate, habẽt tamen aliunde; primò & inchoatè à Iure naturali, quod, supposito tali rerum statu, dictat esse obtemperandum, propter bonum commune; alioquin omnia essent plena furtis & latrociniis: secundò & completè à Republic. idque vel quia durante illo statu, tacito quodam consensu dat ei auctoritatem, dum vult vt ille iustitiam administret, & officio vsurpato, debito modo fungatur; vel potiùs quia tacitè approbat eius mandata & acta, legibus & vtilitati communi consentanea, & vult sententias iustas, quibus lites ciuium dirimuntur, & sontes plectuntur, esse validas, & subditos obligari. nisi enim validæ essent & obligarent, nemo nisi in speciem obtemperaret; sed quisque occultè faceret contrarium, cum magno Reipublic. incommodo. Potest autem Respubl. hanc vim sententiis & actis tyranni dare, quia est singulorum Superior, etiamsi tyrannide sit oppressa, & iustas tyranni sententias pro suis habere. 73 *Sententias esse validas.*

Secundò, Probant quidam; quia Romani oppresserant Iudæos per tyrannidem, & tamen Dominus Matth. 22. insinuat, Cæsari reddendum tributum. Verùm credo neminem in conscientia teneri tyranno tributum soluere, nisi fortè causâ scandali, vel maioris mali vitandi: neque enim ratio naturalis id dictat, neque Respublica censetur id velle; quia expedit illum non abundare, vt faciliùs eius iugum possit excuti. Sententia Domini est generalis, solùm significans, Principi reddendum quod ei debetur. non enim conueniebat, vt alterutram partem distinctè definiret. 74

Dico Secundò, Inferiores tamen Iudices à tyranno constituti, si eius tyrannidem non sustentent, aut iuuent, non peccant Ius dicendo, modò alioquin omnia Iure agant. ratio est, quia nullam Reipubl. faciunt iniuriam, & ipsa Respubl. posito hoc rerum statu, tacitè in illos consentit, cùm illorum administratio in bonum commune cedat. Verùm rarò fit vt Iudices inferiores non cogantur multa iniqua mandata & sententias dare & exequi: vnde non facilè excusantur, qui huiusmodi officia suscipiunt. Hinc patet quid dicendum 75 *Inferiores iudices.*

de

de iis qui in Hollandia tyrannidem occupant.

76 *An homicida.* Petes, Vtrùm tyrannus peccet peccato homicidij, & teneatur ad restitutionem, si, fontes secundùm ordinem Iuris interficiat, aut bonis spoliet?

Respondeo negatiuè; quia Respub. tacitè ad hoc tribuit illi auctoritatem, dum consentit & cupit vt ita faciat. Itaque solùm peccat in hoc actu, quatenus in eo se gerit vt Princeps, continuans auctoritatem anteà assumptam.

Dices, Etiamsi Respublica concedat illi tacitè ad hoc auctoritatem, tamen hac non intendit vti, sed ea tantùm, quam sibi assumpsit, quàm reuerà non habet: ergo occidit illum auctoritate priuata; ac proinde est homicida, & tenetur ad restitutionem, sicut quiuis alius priuatus, fontem occidens.

Respondeo, Tyrannus non excludit eam auctoritatem, quam Respublica ad huiusmodi actus illi concedit; sed intendit vti omni sua auctoritate, quam habet: & ita occidit illum auctoritate publica. vnde non est homicida, nec tenetur ad restitutionem.

Dvbitatio X.

Vtrùm Iudex possit condemnare reum, qui per testes legitimè est probatus criminosus, v.g. homicida; quem tamen certò nouit innocentem.

D. Thomas quæst. 67. art. 2.

77 SVppono, in tali casu teneri Iudicem omnes vias & rationes inire, quibus possit eum liberare; vt impediendo accusationem, si potest, sæpè & per interualla examinando testes, an nihil varient; extrahendo iudicium, aperiendo carcerem, si commodè & sine scandalo fieri potest. Si his rationibus non potest eum iuuare, debet Iudex inferior causam remittere ad Superiorem, & deposita Iudicis persona assumere officium testis apud Superiorē, si putet eum hac ratione liberari posse, vt docet Caietanus quæst. 67. artic. 2. & indicat D. Thomas quæst. 64. art. 6. ad tertium. Sed difficultas est, si his modis non possit illum liberare, & pars aduersa vrgeat condemnationem. Multi Doctores docent, Iudicem tunc posse illum condemnare secundùm allegata & probata. Ita D. Thomas quæstione 67. artic. 2. & eius discipuli, & plerique Theologi, & Couarruuias lib. 1. variar. cap. 1. numero 6. & alij multi, quos ipse citat. Fundamentum præcipuum est, quia Iudex non iudicat vt persona priuata, sed vt publica; ergo non debet sequi priuatam, sed publicam scientiam.

Dico Primò, Hæc sententia est probabilis, quia plurimos Auctores, eosq; doctissimos habet, quorum auctoritas sententiam probabilem & securam reddit.

78 *Innocentem non posse condemnari.* Dico Secundò, Contraria nihilominùs videtur verior, nempe Iudicem nullo modo posse talem innocentem ad mortem condemnare, sed potiùs debere officium dimittere, etiamsi hoc modo nihil esset reo profuturus. Tenet hoc Nicolaus Liranus in cap. 23. Exodi, explicans illud, *Innocentem & iustum*. Adrianus quodlib. 6. artic. 3. Angelus v. Iudicare, num. 7. Petrus Nauarra cap. 3. num. 161. Item, Hostiensis, Calderinus, & Panormitanus in cap. Pastorali, 28. de officio Delegati. & multi alij, quos citat Couarruuias suprà numero 3.

Probatur, quia humana auctoritate directè & ex proposito occidere innocentem, est intrinsecè malum, sicut cognoscere non suam: ergo sicut non potes reddere debitum huic mulieri, quam certo nosti non esse tuam coniugem, etiamsi milliès probetur esse tua vxor; ita non potes hunc morte damnare, quem nosti vacare culpa. Nec obstat, quòd probetur esse in culpa; hoc enim nihil detrahit eius innocentiæ, nec facit eum digniorem pœna: ergo ob id non potest puniri.

Quòd autem sit intrinsecè malum, probatur Primò, Quia per se malum est adimere alicui vitam sine auctoritate; atqui Iudex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis, cùm hæc soli Deo sit subiecta: ergo Iudicem eam adimere, per se malum est. Secundò, Si Iudex habet hanc auctoritatem condemnandi innocentem, id ei concessum est propter bonum Reipublicæ: atqui ob nullum Reipub. bonum, etsi in proximo periculo versetur, licet directè innocentem occidere; vt ostensum est suprà cap. 9. dub. 7. ergo multò minùs licebit ob hoc periculum remotum, & cui alia ratione potest obuiari.

Dices, Licitum est indirectè occidere innocentem; vt cùm in oppugnatione vrbis dirigitur tormentum in locum, vbi multi sunt innocentes: atqui hìc innocens occiditur indirectè; quia non intendit illum occidere, sed procurare bonum publicum, seruando legum præscriptum. Ita quidam. 79

Respondeo, Esse valdè disparem rationem: qui enim vrbem oppugnat, ius habet dirigēdi tormenta in quamuis partem vrbis, quæ ei vita fuerit; quo iure non potest priuari per hoc, quòd aliqui innocentes ibi constituantur. Deinde datur hìc actus distinctus ab occisione innocentis, quem actum ille directè intendit; cui solùm indirectè & per accidens coniuncta est occisio innocentis. qui autem condemnat innocentem, non habet ius ferendi sententiam in hunc hominem, cùm hoc ipsum sit directè occidere hominem innocentem. neque intendit aliquem actum distinctum ab occisione innocentis, cui ipsa per accidens sit coniuncta, sed ipsammet occisionem. *Discrimen.* *Occisio innocentis per se intenditur.*

Dices, Intendit seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum, cui per accidens coniuncta est occisio innocentis: sicut qui occidit alterum causâ defensionis sui, intendit conseruationem sui, cui per accidens & indirectè coniungitur occisio inuasoris. Ita Caietanus.

Respondeo, Seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum in hoc casu, non est quid distinctum ab occisione huius hominis. nam directè per huius occisionem intenditur hæc conseruatio; imò condemnatio & occisio huius hominis putatur esse conseruatio ordinis iudiciorum, & consequenter boni publici. Illud autem exemplum ex parte nobis fauet; qui enim seipsum defendit, directè intendit saltem læsionem alterius grauem (si aliter non possit se expedire) tamquam medium necessarium ad sui conseruationem. vnde si Iudex eodem modo intendit mortem vel mutilationem innocentis, non est dicendus eam solùm per accidens & indirectè intendere. Adde, minorem esse coniunctionem inter occisionem inuasoris & conserua-

seruationem vitæ defendentis, quàm inter occisionem innocentis, & conseruationem ordinis iudiciarij; quia condemnatio & occisio innocentis putatur formaliter esse conseruatio boni publici. His adde, quando Iudex interficit sontem ex allegatis & probatis, de quo nescit contrarium, directè intendit illum priuare vita, eò quòd tale crimen de illo probatum est: ergo similiter quando insontem interficit, intendit illum directè priuare vita, quia crimen de illo probatum est. Sanè non video, quo modo possit quis imaginari, Iudicem, qui eum ad mortem condemnat, & iubet interfici, non intendere eius mortem, aut eum non interficere nisi per accidens. non enim refert, quòd inuitus & dolens id faciat; quia omnibus consideratis, absolutè vult & facit.

80 *Cur sequenda notitia publica.* Tertiò probatur, quia ratio naturalis ideò dictat Iudicem debere sequi notitiam publicam per allegata & probata acceptam, ne facilè aberret aut discedat à veritate & iustitia in iudicando: hæc enim est ratio illius legis & obligationis: ergo quando ei est omnino euidens, iudicium fore iniustum si sequatur probata & allegata, non debet nec potest ex illis iudicare: nulla enim lex seruari debet, quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est intentioni & fini legis contrarium.

Quartò, Si Iudex certò sciret se non habere auctoritatem in reum, non posset eum iudicare, etiamsi multi testarentur illum habere, & ei mortem minarentur nisi faceret. similiter si sciret factum non mereri pœnam iuxta legem: ergo neque etiam poterit, quando certò scit reum esse penitus innocentem. Patet consequentia, quia ad condemnandum aliquem morte, non minùs requiritur veritas criminis in reo, quàm vera potestas in Iudice, & vera æquitas in lege, secundùm quam debet iudicari.

81 Quintò, Fieri potest vt multorum conspiratione integrum Monasterium accusetur, & testibus conuincatur de proditione Reipubl. de idololatria, de sodomia, & similibus grauissimis criminibus; & Iudex certò sciat illorum innocentiam: quis non horreat dicere, illum tunc posse & teneri viros innocentissimos equis discerpere, vel flammis tradere, ob calumnias & minas perditorum?

Sextò, Fieri potest vt ipse Iudex accusatorem & falsos testes apposuerit, & posteà non possit illorum impetitionem impedire; poteritne etiam tunc illum condemnare?

Septimò, Si lex aliqua statueret, vt qui per calumniam oppressus est, condemnetur, etiamsi Iudex sciat illum innocentem esse, talis lex esset iniqua, & æquas aures offenderet: ergo illud ipsum opere exequi est iniquum.

Octauò, Denique hæc sententia probari potest ex illo Exodi 23. *Insontem & iustum non occides, quia auersor impium.* Respondent quidam, Illum, qui conuictus est per testes, non esse insontem; quia publica opinione habetur sons & improbus. Sed contrà, Opinio & calumniæ aliorum non possunt me facere sontem aut dignum pœna; alioquin Susanna fuisset dicenda sons, quam tamen Scriptura Danielis 13. vocat innocentem.

82 *Consectaria.* Ex his sequitur Primò, Iudicem non posse innocentem illum condemnare ad mortem, etiamsi officium suum deberet amittere: imò etiamsi ipse alioquin occidendus à populo foret: quia est intrinsecè malum. Idem videtur dicendum de pœna mutilationis, vt præter alios (teste Siluestro v. Iudex 2. quæst. 5.) etiam docet Raymundus in sua Glossa, dicens, *debere Iudicem potius omnia mala tolerare, quàm condemnare talem ad mortem aut mutilationem, etiam ad præceptum Superioris, vel exponere condemnandum.* quia etiam in hac pœna homo non est subiectus dispositioni Reipublicæ, ita vt Respubl. possit eam innocenti inferre, nisi ob veram culpam.

Sequitur Secundò, Etiam ministrum iustitiæ 83 non posse mandare executioni sententiam mortis *Executor sententiæ.* vel mutilationis, quam certò nouit esse iniquam. sicut enim intrinsecè malum est, te iubere occidi eum, quem scis innocentem; ita malum est, te hæc iussa exequi. Confirmatur, quia subditus, qui certò nouit bellum esse iniquum, non potest inscribi, & militare, (quod est sententiam Principis contra hostes exequi) etiamsi Princeps iubeat: ergo similiter si sciat certò hunc iniquè damnatum, non potest sententiam exequi. Secùs tamen si non esset moraliter certus de innocentia, vel iniqua damnatione: tunc enim debet credere potiùs Superiori, quàm sibi. Caietanus tamen q. 67. a. 2. in fine, & Couarr. l. 1. variar. c. 1. n. 10. putant ministrum posse exequi, si aliàs deberet officium suum amittere, nisi sententia sit notoriè iniqua: & probant ex c. Pastoralis, ad quod infrà respondebimus.

Sed difficultas est, Vtrùm hæc etiam locum ha- 84 beant in causis ciuilibus & in criminalibus, vbi non agitur nisi de pœna pecuniaria, vel exilij, vel priuationis officij aut beneficij? Liranus, Angelus, Panorm. & quidam Canonistæ putant idem in his causis dicendum. Sed contrarium est verius. vnde

Dico Tertiò, In causis ciuilibus & criminalibus *De causis ciuilibus.* minoribus, quando Iudex certò scit alteram partem falsis probationibus niti, tenetur quidem omni industria curare vt falsitas detegatur, vel vt processus impediatur; tamen si id non potest efficere, potest ex illis probationibus sententiam ferre. Ita ferè sentiunt ceteri DD.

Probatur Primò, Quia Respublica habet auctoritatem disponendi de fortunis suorum ciuium, easque de vno in alium transferendi, prout bono publico expediens fuerit; vt patet ex legibus vsucapionum: atqui hîc videtur esse iusta causa; tum ne forma publicorum iudiciorũ cum populi scandalo peruertatur; tum quia non suppetit ratio, incommodum huius hominis auertendi: ergo potest statuere, vt Iudex in tali casu formam publicam iudiciorum sequatur; etiamsi inde fiat, vt fortunis eum spoliare debeat, quem priuatim innocentem, vel bonam causam habere nouit.

Secundò, Quia nemo ciuium id meritò potest ægrè ferre, aut queri sibi iniuriam esse factam à Iudice per talem sententiam, cùm videat se ab illo iuuari non posse; neque par esse vt Iudex officium potiùs deserat, quàm sententiam ferat.

Tertiò, Quia hæc bona possunt recuperari: nec ita per sententiã illis priuatur vt eorum dominium amittat, vt rectè docet Arragon. quæst. 60. artic. 5. in fine, & Sotus l. 3. de Iustit. q. 4. art. 5. & alij DD. non enim ea est mens Reipublicæ, nec esse iustè potest, cùm sententia falsis probationibus nititur: id enim esset absque necessitate calumniatoribus fauere. Itaque potest ea occultis modis recuperare ab eo, cui sunt adiudicata. Hoc tamen intellige de re pecuniaria, non autem de officiis & beneficiis. cùm enim aliquis per sententiam legitimo Iuris

ordine datam,his priuatur,verè amittit dominium, & possunt alteri validè conferri, vt docet Sotus suprà de beneficiis. Panorm.in cap.1.de concessione præbendæ,Innocentius in cap.Quia plerique.8.de immunit. Eccles. & alij etiam de officiis. nam eadem quoad hoc est ratio officiorum ac beneficiorum; hæc enim sunt bona publica, de quibus Ecclesia vel Respublica potest liberiùs disponere, quàm de bonis priuatorum. Itaque quando causa subest,potest non solùm eorum possessione,sed etiam dominio priuare. hìc autem iusta causa suppetit; tum ne dominia & iurisdictiones sint incerta, quæ res sæpè perturbat hominum cœtus;tum quia is qui spoliatus est, non potest ea recuperare clanculùm,sicut alia bona, sed debet à collatore accipere; qui nihil faciet, nisi publicè de eius innocentia constiterit. quòd si contingat de ea posteà constare,potest Ecclesia ei aliter compensare,aliud beneficium ei conferendo. In bonis autem fortunæ sufficit vt spoliet possessione.vide infrà c.31.dub.41.

85 Ex his patet Primò, Immeritò Couatruuiam suprà numero 7. §. Secundùm,dicere, Non posse dari congruam distinctionem in præsenti negotio inter causas ciuiles & criminales : cùm enim Respublica possit disponere de rebus, de quibus sunt causæ ciuiles, non autem de vita & membris, de quibus sunt potissimùm causæ criminales; mirum non est, si possit statuere in illis, vt seruetur forma iudiciorum contra priuatam scientiam; non autem id possit in his. Secundò, Si quis in iudicio peteret hereditatem ex testamento, quod Iudex priuatim nouit esse supposititium, tamen id nullis indiciis probari potest, Iudicem posse illam hereditatem ei adiudicare:imò ad hoc cogetur à Principe. Tertiò,Posse quem condemnari ad pœnam infamiæ,si illa crimini statuta sit. nam hoc ipso, quo probatus est criminosus,nec vlla patet ampliùs ratio effugij, possessionem famæ amisit, & causam infamiæ contraxit. vnde Iudex proferendo sententiâ, quam declinare non potest, non videtur aliquid noui irrogare, quod in causa non extiterit: nam potiùs est declaratio eius quod probatum est, quàm nouæ pœnæ inflictio.

86 Sed contra propositionem Obiicitur Primò,
Obiectio. Deut.17. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur.* & Matth.18. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.*

Respondeo, Tantùm vult dicere, non sufficere vnum testem, sed requiri vt minimùm duos, vt quis possit interfici.non tamen mens Domini est, vt quandocumque adsunt duo testes, possit quis occidi, etiamsi Iudici constet illos calumniari, & reum esse innocentem; sed solùm vult declarare, quid regulariter fieri possit, nempe quando Iudex non nouit contrarium.

Obijcitur Secundò, Ex D.Ambrosio Serm.20. in Psalm.118.*Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges & Jura pronuntiat, statutis Juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert; sed sicut audit ita iudicat, & sicut se habet negotij natura decernit; obsequitur legibus,non aduersatur, examinat merita causæ, non mutat.*

87 Respondeo, Verba ista non habere difficultatem. *Nihil facit ex arbitrio suo*, non quòd non debeat vti magna industria, testes examinando seorsim, minando, promittendo, differendo iudicium, mittendo ad Superiorem, quæ omnia ex priuata scientia facit; sed quia debet pronuntiare sententiam ex legum præscripto,non contrà: vt si lex irritat contractum, debet pronuntiare irritum, si iubet esse ratum,debet pronuntiare esse ratum; si constituit crimini certam pœnam,non potest eam mutare, præsertim in grauiorem. *Judicat sicut audit*, nempe regulariter, quando non constat ei de contrario.Item,quia numquam iudicat contra id quod probatum est. *Nihil meditatum adfert*, quia non statuit de sententia,nisi omnibus auditis. nimis profectò rigidè interpretatur, qui hæc verba ita accipit, quasi Iudex in omni prorsus euentu nihil debeat agere,quàm iudicare secundùm audita. Patres enim loquuntur de officio Iudicis, prout regulariter exerceri debet, sepositis extrinsecis circumstantiis, quæ rarissimè incidunt.

Obijcitur Tertiò, Iudex non iudicat vt persona 88
priuata,sed vt publica:ergo non potest sequi priuatam scientiam, sed tenetur sequi publicam.

Respondeo,Hinc benè sequi,Iudicem ex priuata sententia non posse auctoritate iudiciaria condemnare & absoluere; (nisi fortè in casu aliquo,de quo dub.sequenti) non tamen hinc consequens est,eum teneri sequi publicam scientiam in condemnando, quando certò nouit illam scientiam nihil esse aliud quàm iniquum errorem & calumniam : cum hac enim rationabili exceptione intelligendæ sunt huiusmodi generales sententiæ, ne id quod pro iustitia seruanda introductum est, detorqueatur ad iniuriam.

Obijcitur Quartò, Si nostra sententia vera est, 89
facilè poterunt Iudices corrumpi pecunia, vt dicant se certò scire reum esse innocentem,& ita eum absoluant,vel certè non puniant:quod cedet in magnum Reipublicæ damnum.

Resp. Rarissimè,vel numquam accidet vt Iudices velint subire magnum illud discrimen,quod illis impendet, si verè criminosum,qui iuridicè probatus est talis,liberauerint. difficile enim est sustinere tam apertum mendacium, quod honorem accusatoris & testium tantopere attingit : quòd si id aliquando contingeret,non esset sanè tanti momenti, vt ad illud euitandum, etiam innocentes sint damnandi. melius enim est decem nocentes absolui,quàm vnum innocentem damnari.

Adde,Iudicem,præsertim inferiorem,ex priuata 90
scientia nõ posse absoluere vel damnare, vt dictum *Non potest absoluere.*
est.quamuis enim debeat non damnare,non tamen potest ex auctoritate absoluere; sed potest illum detinere in carcere, donec habeat opportunitatem emittendi,aut certè remittere ad Superiorẽ. Quòd *Cautio scandali.*
autem quidã obijciunt de scandalo populi, parum vrget; nam facilè caueri potest, vel certè curari, vt careat iusta ratione,si reus vel detineatur ad tempus in carcere,vel remittatur ad Superiorem; vel si Iudex sit supremus Princeps, poterit interposito iureiurando apud populum,eius innocentiam testari. ferinum enim esset post tanta testimonia & innocentiæ signa,vitam miseri hominis persequi.

Obijcitur Quintò,Cap.Pastoralis.§.Quia verò, 91
de officio & potestate Iudicis delegati,Innoc.III. *Executio sententiæ, quam scit iniustam.*
ait, *Attendentes, quod non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem, respondemus, quòd cùm Ordinarius teneatur obsequi Delegato, etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominùs tenetur eamdem.*

Respondeo, Pontifex ibi loquitur de eo,qui merus est executor, & nullam habet causæ cognitionem.

nem. hic tenetur exequi sententiam Delegati, quam scit esse iniustam, id est, contra ius litigatoris; quia cùm litigator non appellet, videtur cedere iure suo; vel agnoscere crimen. si enim putet sibi iniuriam fieri per sententiam Delegati, debet ab eo appellare ad Papam. Non tamen potest eam exequi, si sciat esse nullam; vt si esset lata auctoritate falsarũ litterarum, vel per falsa Instrumenta, vel per dolum aduersarij: tunc enim debet supersedere executioni. Ita Glossa. quæ expositio tauet nostræ sententiæ. Adde, Pontificem hìc loqui de causis Ecclesiasticis, in quibus agitur de iis rebus quæ subsunt Ecclesiæ dispositioni: vt de priuatione beneficij, officij fructuũ, &c. non de supplicio capitis vel mutilationis.

DVBITATIO XI.

Vtrùm Iudex possit aliquem ex priuata scientia, aut certè non citatum & auditum condemnare.

92 *Inferior non potest.* SVppono, inferiorem Iudicem nullo modo id posse: quia non potest dispensare in legibus ad ordinem Iuris pertinentibus, quarũ duæ sunt præcipuæ. Prior, Vt nemo condemnetur inauditus. Altera, Vt nemo condemnetur sine testibus; iuxta illud Deut. 17. *In ore duorũ vel trium testium peribit, qui interficietur.* Imò nec in aliis minoribus, etsi merè sint Iuris positiui, dispẽsare potest, v.g. vt accusatio non fiat in scriptis, vt non detur certus terminus reo ad respondendum. Ratio est, quia inferior non potest dispensare in legibus Superioris. Itaque tota difficultas est de supremo Principe. *Principem ex priuata scientia posse, quidam putant.* Quidam sentiunt, hunc posse ex priuata scientia, etiam contra fidem actorum, sententiam proferre tam condemnatoriam, quàm absolutoriam. Ita Couarru. lib. 1. variar. cap. 1. num. 7. Idem docent Cynus, Bartolus, & alij in L. 1. C. Vt quæ desunt aduocatis partium, Iudex suppleat. Albericus in L. Illicitas. §. Veritas. π. de officio Præsidis, & Felinus in cap. Pastoralis. §. Quia verò. Probatur Primò, Quia supremus Princeps potest dispensare in illo Iure, quo statuitur, vt ex allegatis & probatis sententia feratur, cùm non sit naturale, sed positiuũ. Secundò, Quia Principi supremo non minùs credendum est, quàm duobus vel tribus testibus; ac proinde ipsius iudicium & scientia equiualet scientiæ publicæ, quæ censetur esse in duobus vel tribus testibus.

93 Sed contrarium est verius, vnde

94 *Contrarium verius est.* Respondeo & Dico Primò, Probabilius & verius est, supremum Principem non posse aliquem reum condemnare ex sola scientia sua priuata. Ita Caietan. v. Homicidium, in principio. Nauarrus cap. 25. num. 9. Sotus lib. 5. de Iustitia q. 1. art. 3. & colligitur ex D. Thoma q. 67. art. 3. ad 3. vbi dicit, *eumdem hominem non posse esse simul Iudicem, accusatorem, & testem.* Probatur Primò, Quia quod solus Iudex vidit, censetur adhuc occultum in iudiciis humanis; vnde reus potest negare, (in sensu tamen vero) si de tali crimine rogetur: ad hoc enim ius habet, vt omnes passim fatentur: non enim tenetur ad mentem Iudicis respondere, nisi quando iuridicè interrogatur. Itaque grauis ei fieret iniuria si de tali crimine puniretur. Confirmatur, quia tollitur ei iusta sui defensio: potest enim se defendere, quamdiu crimen non est probatum; & maximè si probari nequeat. Deinde, quia vsurpatur in illum potestas iudicandi, cùm solùs Deus sit occultorum Iudex, vt passim Canones tradunt; cap. Erubescant. d. 32. cap. Consuluisti. 2. q. 4. & cap. Tua nos, de simonia: quibus locis est sermo de occulto quod testibus probari nequit, etsi in opus externum prodijt.

Secundò, Quia Iudex, sicut ex potestate publica, ita etiam ex publica scientia iudicare debet: actus enim publicus debet à potestate, voluntate & notitia publica, tamquam à causa sibi commensurata procedere, vt rectè Caiet. suprà.

Tertiò, Princeps non habet maiorem potestatem quàm sit ea, quam Respubl. in illum transtulit: nam omnis potestas Principis est à Repub. atqui Respublica nusquam gentium, vbi non est regimen tyrannicum, hanc potestatem Principi dedit, vt pro suo iudicio reos posset absoluere tamquam innocentes, vel damnare tamquam nocentes, contra publicas probationes: id enim esset ei licentiam exercendæ tyrannidis, & omnia pro sua libidine exercendi, dare. *Potestas Principis à Repub.*

Quartò, Vt sententia feratur ex publicis probationibus, non est merè Iuris positiui, in quo Princeps possit dispensare; sed est Iuris gentium, quod apud omnes est receptum, & sub cuius onere & obligatione Respublica censetur suam potestatem in Principem transtulisse; ita vt si Princeps non obseruet, iam manifestè videatur declinare in tyrannidem. nihil enim videtur magis tyrãnicum, quàm condemnare & absoluere contra publicas probationes iudiciorum. Hinc patet responsio ad priorem rationem.

Ad alteram Respondeo, Etsi Principis assertio in testamentis & contractibus possit æquiualere pluribus testibus; non tamen in causis criminalibus, quando agitur de aliquo condemnando; maximè si probationes sunt in contrarium. & quamuis minus incommodi sit, posse absoluere ex scientia priuata, quàm posse condemnare; tamen verius puto, nec absoluere posse auctoritate publica; tum quia hæc potestas non est ei necessaria ad liberationem innocentis: (sufficit enim impedire progressum iudicij, vel testari apud populum sub iureiurando innocentiam accusati, eò quòd tali tempore illum viderit tali loco, cum talibus, &c.) tum quia absolutio iudiciaria ex publica notitia procedere debet, secundùm formam Iuris apud omnes receptam. Potest tamen dici, absoluere reum auctoritate priuata, quia iudicat & testatur non esse condemnandum; & habenda est ei fides, vt qui fide sit dignissimus. sed hoc nihil est aliud, quàm priuata auctoritate defendere innocentem; vnde etiam cuiuis priuato, qui id posset, liceret. 95 *Principis assertio æquiualet pluribus testibus in contractibus, & testamentis.*

Aduerte tamen, sententiam contrariam non esse improbabilem, maximè si crimen sit atrox, ita vt valdè expediat auctorem puniri, & tamen non conueniat rem vulgari ob infamiam coniunctam: vt si aliquis vim Reginæ vel filiæ Regis intulerit, soluſque Rex id sciat; tali enim casu videri possit Respublica consentire. quod vt meliùs intelligatur, 96

Dico Secundò, Respublica posset Principi concedere auctoritatem, vt ex priuata scientia absoluere & condemnare possit. Probatur, quia potest cedere iure suo, quod habet ad famam circa occulta: item iure, quod habet vt de occultis non possit ab homine puniri, & hoc totum ius conferre in Principem: ergo tunc Princeps absque vlla iniuria poterit de occultis, de quibus ipsi certò 97 *Potest Respubl. hanc potestatem dare.*

constiterit,punire.& quamuis hæc cessio Iuris esset contra rectam gubernationem, eò quòd Princeps vel malitiâ vel ignorantiâ facilè posset peruersè iudicare, & hoc iure cum magno Reipubl. damno abuti;tamen non esset contra iusti tiam; nam quiuis iure suo cedere potest. Vnde nec Princeps peccaret sic puniendo ex priuata scientia,quando causa subesset digna tali pœna. Confirmatur, quia in quibusdam Religionibus ita iure suo cessere subditi,vt à Superioribus suis ex priuata scientia puniri possint,saltem pœnis modicis: cur non idem fieri possit in Republica, absolutum ius suo Principi concedente, etiam in magnis? imò si Princeps esset eius sanctitatis & sapientiæ, vt neque fallere neque falli facilè posset; prudenter id ei à Republica concedi posset, vt si talis esset, qualis erat Moyses vel Apostoli.

98 *Si malum auertendum.* Dico Tertiò, Quando non agitur de puniendo crimine, sed de auertendo in posterum malo,quod Reipub.vel innocenti intentatur,potest Princeps ex priuata scientia, si alia ratio non suppetit,iubere interfici auctorem. Patet, quia hîc non agit vt Iudex auctoritate publica puniens,sed vt quiuis priuatus, se aut rem sibi commissam defendens.

99 *Condemnare non potest non auditum.* Dico Quartò, Princeps quantumuis sit certus de crimine, non potest ordinariè condemnare,nisi citatum & auditum.est communis DD.ratio est,quia contrà facere,esset auferre arma reo, quibus se Iure potest defendere,negando crimen,si est occultum: vel certè excusando eo modo, quo poterit. vnde Iure gentium hoc receptum est. imò videtur esse Iuris naturalis, nam Clement.Pastoralis,versus finem dicitur; *De crimine graui delato, facultas defensionis, quæ à Iure naturali prouenit, adimi non valet, cùm illa tollere Imperatori non licuerit, quæ Iuris naturalis existunt.* Sed sæpè in vtroque Iure, id quod propriè est Iuris gentium, dicitur Iuris naturalis, vt ostensum est cap.5.dub. 3.

100 *Quando possit condemnari reus non auditus.* Dixi *ordinariè*, quia in quibusdam casibus id non est necesse seruare. Primò,Si crimen est publicum,vt rectè Nauar. c.25.n. 10. sic latrones reperti in crimine, interdum è vestigio suspenduntur,sine vlla defensione aut processu. ratio est,quia factum notorium seu publicum, est loco accusatoris & testium, nec relinquit illi ius vllum defendendi sui in iudicio.

Secundò, Quando esset periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis, si iuridicè procederetur; vt idem Nauarrus docet, & Siluester v.Homicidium.1.q.2.ex Archidiacono; vt si esset valdè potens. tunc tamen debet eius causa priuatim discuti; nisi sit omnino euidens.

Tertiò, Quando quis machinatur Reipubl. vel priuatis perniciem,quæ aliter auerti nequit,vt antè dictum est. Sed hoc non tam est punire crimen commissum,quàm impedire malum impendens.

101 Quartò, Si crimen soli Principi & tribus aliis notum sit,ita vt iuridicè probari possit : tunc enim posset occultè interfici reus, sine citatione & probationibus, si publicè absque graui aliquo incommodo puniri non possit. ratio est, quia quando crimen sic est probabile; manifestum est, reum non habere iustam vllam defensionem in iudicio. Ita Petrus Nauarra num.192. & Arragon q.67. art.2. qui pro eadem sententia citat Gregorium Lopez. Idem sentit Couar.lib.1.variar.c.2.n.7.& Iurisperiti suprà citati.

102 Notandum est, ea quæ diximus de non condemnando ex priuata scientia, vel non auditum, potissimùm intelligenda de condemnatione ad mortem vel mutilationem; tamen videntur etiam habere locum in priuatione bonorum, officiorum perpetuorum, carcere, exilio, vt notauit Nauarrus suprà : nam eædem ferè rationes accommodari possunt.

Dvbitatio xii.

Quot modis Iudex iuridicè procedat aduersus crimina.

103 *Triplex via procedendi in Iudiciis.* Respondeo,Communiter poni à DD.tres modos: vel enim procedit via *accusationis*,vel *denuntiationis*, vel *inquisitionis*. habetur expressè cap. Qualiter & quando.2.de accusationibus. *Via accusationis* procedit,quando est aliquis actor,qui spondet se obiecta probaturum. *Denuntiationis* verò, quando aliquis detulit crimen, qui non vult suscipere onus probandi. hoc enim differunt accusator & simplex denuntiator, quòd accusatori incumbat onus probandi; denuntiatori minimè. Est autem duplex *denuntiatio*. quædam dicitur *Euangelica*, quæ tendit ad emendationem fratris, & fit Superiori tamquam patri:de qua 2.2.q.32.de correptione fraterna. Alia *Iudicialis*, quæ spectat vel punitionem criminum, ob bonum commune, vel certè mali damnique impeditionem, & fit Superiori tamquam Iudici.

104 Via *inquisitionis* proceditur, quando Iudex seu Superior ex officio procedit ad purgandum Prouinciam, vel ad locum aliquem suæ iurisdictioni subiectum reformandum, vel ad inuestigandum criminis commissi auctorem.

Dicòs, Iudex non potest aliquem condemnare sine accusatore,vt docet D.Thomas q.67.art.3. ex D.Ambrosio : ergo tantùm potest via accusationis procedere.

Vicem accusatoris supplentia. Resp. Iudicem non posse condemnare sine accusatore generatim accepto:nam semper requiritur accusator formalis vel virtualis. Virtualis dicitur id quod vices accusatoris supplet. vicem eius supplet in criminibus contra bonum publicum, simplex denuntiatio; in priuatis si sint notoria, ipsa facti euidentia. Imò hæc in omnibus delictis supplet vicem accusatoris,testis, & totius processus iuridici, si etiam Iudici cum hac, ipsa persona sit notoria; vt docet Caietanus q.67.art.3. Si autem non sint notoria, & per denuntiationem Euangelicam procedatur, tunc ante contumaciam reus puniri non potest: vnde non opus est accusatore. post contumaciam potest iuridicè contra illum procedi; & tunc ipsa contumacia Iudici & aliis quibusdam nota, est loco accusatoris. Si autem procedatur per inquisitionem, tunc infamia,vel indicia locum illius supplent. Ita Sotus de secreto, membr.2. quæst.6.

105 *Commodiùs ponitur duplex via.* Aduertendum tamen est, commodiùs poni tantùm duos modos procedendi contra criminosos; alterum *ex officio*, alterum *ad instantiam partis*. denuntiatio enim non est per se aliqua distincta via procedendi, sed est quiddam præuium vt Iudex procedat ex officio; vt rectè docet Iulius Clarus lib.5.§. Practica criminalis.q.3.

Ex officio procedit, quando præcedente aliqua infamia, vel denuntiatione, capit informationes, &

& format inquisitionem contra auctorem, vt sic ad plenam probationem & sententiam perueniat.

Ad instantiam partis, quando pars offensa, vel alius, ad quem id iure spectare potest, accusationem porrigit, & Iudex ea admissa, secundùm eius probationes procedit. quando igitur Iudex agit ex officio, procedit per inquisitionem: dum ad instantiam partis, per accusationem.

106 *In quibus procedatur ex officio.* Modus procedendi ex officio, seu per inquisitionem, extendit se ex dispositione Iuris Canonici ad omnia crimina, secundùm Archidiaconum in cap. Felicis. 5 §. vlt. de pœnis, in 6. In omni enim genere criminum possunt Iudices per inquisitionem procedere. Idem ex consuetudine seruatur in foro ciuili. vnde in quibusdam Regnis via inquisitionis adeò est ordinaria, vt altera, nempe accusationis, non admittatur, nisi in paucis causis. In regno enim Neapolitano nemo admittitur ad accusandum, nisi suam vel suorum iniuriam exequatur. Et in regno Franciæ prohibita est accusatio omnis ad vindictam publicam tendens; & solùm permittitur pro interesse ciuili. vnde in omnibus causis criminalibus proceditur per viam inquisitionis, vt docet Clarus suprà n. 6. ex Guilielmo de Bened. & Practica Millæi.

Dvbitatio XIII.

Quando procedit Iudex via inquisitionis generalis, vtrùm debeat præcedere infamia personæ vel delicti.

107 *Triplex inquisitio.* NOtandum, esse triplicem inquisitionem.

Prima est *Omnino generalis*, qua in genere inquiritur, an subditi seruent leges, an non committantur crimina, an de nullo sit fama vel suspicio alicuius criminis. hac vtuntur Prælati & Superiores in visitatione Prouinciæ & locorum subiectorum.

Secunda est *Omnino specialis*, qua de certa persona & de certo crimine quæritur, v. g. an Petrus commiserit simoniam, furtum, &c.

Tertia est *Mixta*, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona: vt, quis fecerit istud homicidium, an Petrus seruet statuta vel ordinationes synodales. His positis,

108 *Inquisitio generalis.* Respondeo & Dico Primò, Vt Iudex faciat inquisitionem omnino generalem, non est necesse vt aliqua infamia præcesserit. est communis DD. sententia. Probatur Primò, Quia in Iure præcipitur Prælatis Ecclesiasticis, & Superioribus, vt suo tépore faciant visitationes & inquisitiones generales, vt patet cap. Pernicioſa. 1. de officio Iudicis ordinarij: *Habeant Episcopi singularum vrbium, in suis diœcesibus liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, vlcisci & iudicare.* Glossa tamen putat hîc agi de inquisitione speciali, quæ fit præcedente infamia: sed potest etiam intelligi de generali. Item cap. Romana. 1. §. Sanè, de censibus, in 6. *Proposito verbo Dei quærat de vita & conuersatione ministrantium in Ecclesiis.* vbi apertè agitur de inquisitione generali. Probatur Secundò, Quia talis inquisitio est necessaria ad purgandam Rempub. mores q; in cœtibus hominum reformandos. Tertiò, Per eam nulli fit iniuria, cùm de nemine in particulari fiat inquisitio. Nec refert, quòd hac ratione detegantur occulti peccatores; quia id per accidens & præter intentionem inquirentis contingit: & alias bonum commune huic incommodo anteponendum est. Denique nisi talis inquisitio fieret, multa crimina manerent impunita; (quæ tamen puniri omnino expedit, ne criminosi inualescant) nemo enim ea sponte deferret.

Dico Secundò, In hoc tamen casu interrogati 109
subditi, non debent patefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant. est communis sententia DD. D. Thomæ q. 69. a. 2. & Caietani in illum art. Soti, de tegendo & retegendo secreto, membro 2. q. 6. Nauarri, cap. Inter verba, conclus. 6. n. 21. & in Rubr. de iudiciis, n. 87. & colligitur ex cap. Qualiter & quando, suprà. Ratio *Occulta non debent pandi.* est, quia id, de quo nulla adhuc est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur: atqui Iudicis potestas non se extendit ad elicienda occulta; maxima enim inde incommoda in Republ. sequerentur. Itaque etiamsi sub iuramento, vel sub pœna excommunicationis præcipiat vt dicas veritatem de eo quod nosti; tamen non teneris: sed potes cum restrictione mentali dicere; te nescire quidquam: intelligendo tacitè, te nescire eo modo vt tenearis patefacere. de quo suprà c. 11. dub. 20. & infrà cap. 30. dub. 6.

Sed difficultas est, Vtrùm etiam obligentur non 110
manifestare, ita vt peccent contra iustitiam, si in hoc casu crimina occulta aperuerint. Videri possit alicui, saltem quando crimen probari potest in iudicio, non peccare contra iustitiam eos, qui illud *Si potest probari.* in huiusmodi inquisitione patefaciunt Superiori: nam eo euentu ius habent accusandi vel denuntiandi auctorem. Quicumque enim vel testibus vel aliis indiciis crimen probare potest, non peccat contra iustitiam, si illud Iudici denuntiet: expedit enim bono publico, vt omnibus hæc potestas detur. generatim enim loquendo, infamia & punitio, quæ priuato infertur, abundè compensari videtur exemplo publico & timore, qui aliis injicitur, per quem sibi à peccando cauent. Idem cõfirmari videtur ex praxi totius orbis; vbique enim consueuerunt tales deferri, non solùm quando generalis inquisitio instituitur, & subditi interrogantur, sed etiam sponte à non rogatis; vt docet Clarus q. 7. Nihilominùs communis ferè DD. sen- 111
tentia est, id illicitum est, quando ad solam punitionem tenditur: tunc enim debere præcedere infamiam, vt colligitur ex cap. Qualiter. suprà. Nec obstat praxis orbis contraria: nam multi hac in re peccant per ignorantiam. Multi etiam non tam punitionem spectant criminosi, quàm emendationem, vel mali impeditionem & auersionem; quo casu denuntiatio est licita, etiamsi non præcesserit infamia, vt passim DD. tradunt.

His addo, Quando crimen nullo modo probari potest, apertè contra iustitiam peccari, si illud aperias; quia nullum ius habes illius patefaciendi. cùm enim non possit probari, non potest quoque puniri, ac proinde non potest ex eius reuelatione aliud sequi quàm infamia.

Excipe tamen duos casus, quibus potest Supe- 112
riori patefieri, etsi omnino occultum sit. Prior *Occultum potest aperiri duobus euentis.* est, quando id putatur esse necessarium ad ipsius emendationem: tunc enim aperiendum Superiori, non vt Iudici, sed vt patri; vt sua prudentia & auctoritate illum emendet. Alter est, dum aliquod malum spiritale vel temporale impendet ab ali-

quo, quod commodè auerti non potest, nisi Superioris opera : tunc enim non est habenda ratio famæ ; vt dictum est suprà cap.11.dub.9.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm quando crimen est publicum, sed auctor ignoratur, Iudex possit inquirere quis fecerit.

113 *Sententia Caiet. & Soti.*

MVlti docent id non esse licitum : Caietanus q.69.art.1 & 2. & Sotus de secreto, membro 2.quæst.6. dub.4.& quidam alij. Primò, Quia Canones vetant ne procedatur per inquisitionem, nisi de auctore sit fama, vel certè indicia, cap. Cùm oporteat.19.de accusat. *Nisi super præditis famam ipsius læsam esse noueritis, ad inquisitionem illorum non subitò procedatis.* Idem habetur cap. Inquisitionis. 21. & cap. Qualiter & quando 24. eodem tit. Secundò, Si liceret in genere inquirere malefactorem, sequeretur quòd ipse malefactor, si fortè interrogaretur, teneretur seipsum prodere ; quod nemo concedat. Sed contrarium videtur verius, vnde

114 *Si crimen sit publicum.*

Respondeo & Dico Primò, Quando manifestum est crimen, Ius est Iudici quærere in genere quis fecerit, non tamen in particulari an Petrus fecerit, nisi de eo sit aliqua fama vel indicia. Ita Siluester v. Correptio, n.6. Nauar in cap. Inter verba, conclus. 6. num. 15. in Enchir. cap. 13. numero 40. Innocent. in cap. Bonæ. 1. de electio. n. 5. *Item nota,* inquit, *quòd sic seruat totus mundus, quod contingente maleficio notorio, statim inquirit Iudex generaliter, non contra certam personam : & facta inquisitione, vocat nominatos in inquisitione de maleficio, vt se defendant : & quod longam interpretationem recipit ex iteratione factorum, mutari non debet.* Idem tenent Panormitanus & Imola ibid. & alij. Probatur Primò Ex praxi communi Iudicum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, quam durum est condemnare. Secundò, Nisi tales inquisitiones fierent, duo grauissima mala in Repub. sequerentur : nam & populus grauiter offenderetur, videns Iudicem non inquirere auctorem aperti criminis, putaretque eum maleficio fauere ; & malefici spe impunitatis inualescerent. Tertiò, Quia nemo potest queri sibi factam iniuriam per hanc generalem inquisitionem, imò tota Respub. illam desiderat.

115 Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo, In illis Canonibus agi de inquisitione speciali, qua inquiritur de Petro vel Paulo ; non autem de ea, qua in genere quæritur, quis fecerit ; vt patet ex ipso textu.

Dices, Inquisitio illa, qua Iudex quærit in genere quis fecerit, non minùs præbet occasionem reuelandi crimina occulta, contra ordinem charitatis & iustitiæ, quàm inquisitio specialis, qua quæritur an Petrus fecerit : ergo est iniqua.

Non refert quòd occultum detegatur.

Respondeo, Quòd occulta crimina detegantur, id non prouenit ex ipsa conditione interrogationis ; sed ex imperitia eorum qui interrogantur ; qui nescientes Iura, putant se teneri occulta patefacere. Verùm propter tale incommodum per accidens prouenions, non debet omitti inquisitio, tantopere bono publico necessaria ; cùm hæc secundùm se talis sit vt nemini iniuriam irroget. Neque Iudex Inquisitionem faciens tenetur instruere rudiores ne auctorem detegãt, si fortè nulla infamia laboret ; id enim redderet eum suspectum corruptelæ, vel fauoris in criminosum ; sed potest simpliciter inquirere sicut videt bono publico expedire. quòd si occultus auctor detegatur, poterit contra eum procedere, nec damnum secutum ei imputabitur, vt rectè Nauarrus in Rubric. de Iudiciis n.87. quia Iure suo vtitur. hoc ipso enim, quo criminis auctor est publicè detectus, (etiamsi id ab altero iniquè factum sit) potest contra eum informationes accipere, & particularem inquisitionem facere, & conuictum punire : modò tamen ipse per iniuriam non sit causa illius detectionis. atqui hic non est causa detectionis per iniuriam ; nam propter bonum commune potest talem inquisitionem instituere : nec tenetur cum offensione populi cauere, ne interrogati occultos auctores patefaciant ; sed potest illud permittere : nam bonum commune præponderat priuato, præsertim hominis noxij, & supplicio digni. Itaque illa iniusta detectio nec directè nec indirectè censetur illi voluntaria ; ac proinde contra talem criminosum ita iniustè detectum potest procedere. Simili modo potest inquirere in eum, cuius crimen cùm anteà esset occultum, iniustè per aliquem in sermones publicos est deductum : nisi fortè per reuelationem confessionis id factum esset, tunc enim nullo modo posset procedere. vide Sotum de secreto, membr. 3. q. 1. 116

Ad secundùm argum. Respondeo, Etsi Iudex possit interrogare, non tamen inde sequitur, reum, si fortè interrogetur, teneri seipsum patefacere ; certum enim est, Iudicem in crimine læsæ Maiestatis posse interrogare seu inquirere, reum tamen ante infamiam vel semiplenam probationem non teneri seipsum prodere. Nec obstat, quòd D. Thomas in Capitulo generali Parisijs, dicitur respondisse, occultum auctorem teneri se prodere ad præceptum Prælati, quando notorium est crimen, v.g. furtum esse commissum : quia tunc solùm erat Baccalaureus, & ceteri Magistri ei contradixerunt, vt refert Siluester v. Correctio, num.6. vnde 117

Dico Secundo, Etsi Superior in hoc casu, vt officio suo satisfaciat, possit sub iuramento generatim inquirere à subditis quis fecerit ; subditi tamen non tenentur patefacere auctorem, si nulla laboret infamia, & nihil mali in posterum timeatur. Prior pars patet ex dictis. Altera est communis sententia DD. & colligitur ex Canonibus supradictis. Ratio est ; quia Superior non potest obligare subditos vt reuelent occultos peccatores, sed solùm vt eos qui infamia aliqua laborant. multò minùs occultus peccator tenetur se ipse prodere. Nec obstat factum D. Gregorij epist. 30. lib. 5. qui sacra communione interdixit cuidam, qui libellum famosum sparserat, nisi se proderet. & excommunicat eumdem, si se non prodens accedat sacram Communionem, vt habetur 5. q. 1. c. Quidam maligni : nam infamator ille tenebatur alterius famam reparare, vel certè probare quæ in libello habebantur, quorum neutrum sine sui patefactione fieri poterat. potest enim quis obligari ad se prodendum, quando id necessarium est ad falsæ infamiæ iniquè irrogatæ abstersionem ; quamuis non sit necesse illam detectionem fieri coram Iudice. 118 *Subditi non tenentur patefacere, si est occultum.*

Notandum tamen, si crimen adhuc esset perpetrandum, vel continuandum, vel si ex eo graue dam- 119

damnum alicui impenderet, quod alia ratione non posset commodè auerti; interrogatus posset, & etiam deberet auctorem patefacere, etsi omnino occultum & nulla infamia laborantem, & Iudex posset opportuna remedia adhibere, vt dictum est dubit. superiore.

120 Petes, Quid si Superior sub iuramento interroget, & absque vlla restrictione iuraueris te patefacturum quidquid nosti de facto & auctore?

Resp. Eo casu non teneris patefacere, nisi quod absque iuramento licitè posses. vnde non teneris, si auctor penitus est occultus, & per occultam monitionem corrigi potest. Secùs si de illo est rumor, vel si aliter non putatur emendandus. Pari modo, etsi sub pœna excommunicationis præceperit, non teneris; nisi de illo sit aliqua fama, vel nisi damnũ alicui inde impendeat. de tali enim est huiusmodi præceptum intelligendum. Ita Siluester suprà & passim alij DD. Cui addiderim, vel nisi alia ratione non speretur emendandus; quia tunc tenetur etiam absque præcepto Superioris: ergo poterit ei præcipi sub pœna excommunicationis.

Dvbitatio xv.

Vtrùm ad inquisitionem specialem necesse sit infamiam præcedere.

121 *Inquisitio specialis.*

Respondeo, Communis sententia DD. est, Vt Iudex possit contra aliquem instituere inquisitionem specialem tendentem ad punitionem criminum, debere præcedere aliquam infamiam auctoris. Dico *Tendentem ad punitionem*: quia ad malum impediendum, vt quando agitur de beneficiorum & officiorum collatione, vel de matrimonio contrahendo, licitum est inquirere de impedimentis, vel delictis personarum particularium, etsi nullus de illis sit rumor. omnia enim alioquin erũt plena incestis, sacrilegis vel nefariis coniugiis, & prauis rerum sacrarum & ciuilium ministris. debent tamen tunc crimina Superioribus aperiri secretò, & quàm minima fieri potest famæ læsione. Similiter, quando inquisitio fit ad maleficia impedienda & eorum occasiones tollendas, non requiritur infamia; vt ad auertenda homicidia, sacrilegia, furta, hæreses, & similia. vide Nauarrum in Rubr. de Iudiciis n. 92.

122 *Infamia laborare debet.*

Probatur hæc sententia ex cap. Inquisitionis, §. Tertiæ, de accusation. vbi dicitur, *Ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laboret infamia, seu clamosa insinuatio non processerit, puniendum. quinimò super hoc depositiones contra eum recipi non debere: cùm inquisitio fieri debeat solummodò super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.* & cap. Qualiter. 2. eodem titulo; *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem charitatiua monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire.* idque probatur ibidem exemplo villici Euangelici Luc. 16. qui primò infamatus est apud dominum suum; deinde dicitur ei, *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* & exemplo Sodomorum Genes. 18. de quibus Dominus ait, *Descendam & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Ratio est, quia Iudex, quando ad punitionem criminum procedit, debet ex scientia publica procedere: scientia autem publica est, quæ habetur per accusationem vel confessionem rei in iudicio, vel per infamiam, aut per facti euidentiam in conspectu Iudicis & aliorum. Confir. quia meritò quilibet posset queri sibi fieri iniuriam, si in vitam eius iuridicè inquireretur, cuius fama alioqui in est integra: nam per talem inquisitionem redditur suspectus.

Scientia publica.

123 *Quanta infamia.*

Petes, Quanta debeat esse ista infamia?

Respondeo, Non sufficere vt duo vel plures etiam iurati affirment se vidisse illum crimen committentem, vt expressè habetur cap. Inquisitionis; quia adhuc res est occulta, ac proinde minimè per publicam inquisitionem prodenda: sed requiritur vt rumor de eo sparsus sit per maiorem partem viciniæ, vel Collegij, vel Vniuersitatis in qua commoratur, vt dicatur ibidem infamia laborare, vt rectè docet Sotus de secreto, membro 2. q. 6. §. Tertium dubium, ex Bartolo. Idem ferè Caiet. q. 69. articul. 2. vbi requirit vt sit vox publica & frequens, per quam apud viros probos & prudentes meritò reddatur suspectus. quòd si constaret à maleuolis & maledicis ortam esse infamiam, non sufficeret; vt patet ex d. cap. In dubio tamen quibus auctoribus orta sit, indicenda est purgatio, saltem propter scandalum; vt notat Glossa in d. cap. Inquisitionis.

124 *Quãdo non requiritur infamia. Si confessus in iudicio.*

Notandum tamen est, excipi aliquot casus à DD. quibus non requiritur ad specialem inquisitionem infamia præuia de illo crimine.

Primus est, Si quis confessus sit crimen occultum in iudicio, etiam coram paucis; vt coram solo Iudice & Notario; vt colligitur ex cap. 1. de accusat. in 6. nam talis confessio inducit notorium Iuris. Idem dicendum, etiamsi solùm incidenter illud confessus sit, vt communiter tradunt Iurisperiti cum Bartolo in L. 2. §. Si publica. ff. ad L. Iuliam, de adulteriis. Neque refert, vtrùm illud, quod sic confessus est, sit circumstantia delicti, de quo agitur, an distinctum delictum: nam etiamsi sit omnino distinctum, Iudex contra illud procedere potest, vt rectè docet Nauarrus in Rubr. de Iudiciis num. 86. contra Sotum. Non tamen sufficit confessio extra iudicium, etiamsi coram multis facta sit, nisi ex ea orta sit infamia, vt vult Nauarrus suprà: etsi putem contrarium seruari in praxi, vt infrà patebit dub. 17. nu. 157. Neque ea, quæ facta est metu tormentorum, si posteà tamquam metu facta reuocetur. Neque ea, quæ facta est coram Prælato incogitanter, aut in aliqua epistola secreta, quam Prælatus aperuit, vt vult Sotus de secreto, membro 2. q. 6. & consentit Nauarrus suprà.

125 *Si patefactum in generali inquisitione.*

Secundus est, Quando Iudici per generalem inquisitionem procedenti, patefactus est auctor: tunc enim potest contra eum procedere, vt docet Nauarrus suprà n. 87. contra Sotum: estque communis sententia Iurisperitorum in L. 2. §. Si publico. ff. de adulter. Nec refert, quòd testis fortè peccauerit reuelando, eò quòd nulla esset infamia: quia ex quo crimen deductum est in publicam Iudicis notitiã, siue benè, siue malè, ille tenetur contra illud procedere per particularem inquisitionem, & punire, vt idem contra Sotum docet, & patet ex dictis suprà. Confir. quia si priuatus quispiam extorsisset crimen alterius per iniuriam, & deduceret illud in publicum, vel in Iudicium, Iudex deberet contra illud procedere, vt idem Sotus fatetur, membro 3. q. 1. cur non etiam dum per iniuriam detegitur à priuato in iudicio?

126

Aduerte tamen, casus supradictos non esse propriè excipiendos à regula illa generali, qua dicitur,

Absque infamia non esse speciatim inquirendum; quia notorium Iuris vel facti plus est quàm infamia. vnde si præcedente infamia licet, etiam licet cùm res est notoria.

Si commissum in iudicio.

127 Tertius est, Quando delictum commissum est in iudicio: vt si testis falsum deponat in iudicio, si accusator calumnietur, aut præuaricetur, aut tergiuersetur. Ita Nauar.n.88.ex Specul. Bart.& aliis. ratio est, quia hæc crimina censentur valdè noxia bono publico, eò quòd iustitiam iudiciorum publicorum vel euertant vel impediant. vnde meritò ex indiciis & vehementi suspicione contra ea procedi potest.

Si contra bonum publicum.

128 Quartus est, In crimine hæresis & apostasiæ; in his enim sine accusatore vero vel ficto, (id est, qui vicem accusatoris suppleat) etiam sine infamia, inquiri potest, vt docet Nauarrus nu.93.& colligitur ex cap. Excommunicamus. §. Adijcimus, de hæreticis, & L. Apostatarum. 4. C. de Apostatis. Ratio est, quia hæc crimina sunt maxtmè noxia Reipubl. ab his enim semper impendet aliis periculum euersionis. requiritur tamen aliqua suspicio orta ex indiciis non leuibus.

Crimen læsæ maiestatis.

129 Quintus est, In omni crimine læsæ maiestatis humanæ, vt constat per Extrauag. Frederici Imperatoris, quæ incipit, Ad reprimendum, & habetur post librum feudorum. In hoc crimine ante illam Extrauag. non poterat procedi sine infamia vel notorietate; post eam potest, vt ait Bartolus in dictam Extrauag. v. Inquisitionis, quod Nauarr. nu.94. sic intelligit, ante illam non potuisse procedi ad inquisitionem illius criminis iam perpetrati, nisi quis de eo esset infamatus, vel manifestus: post illam, posse procedi etiam ex suspicione: vt si vnus vel plures suspicentur de aliquo, & id Iudici nuntient. tunc enim Iudicem posse procedere ad inquisitionem, seu informationem secretam, tendentem ad punitionem.

Suspicio communis.

130 Sextus est, Quando inquiritur in morte domini contra seruos: vt si dominus inueniatur occisus, & nesciatur auctor; iuxta L.1.ff.ad S.C. Silanianú, & contra nautas nauis submersæ, iuxta L. Quoties. 3. C. de naufrag. quia etsi nulla aliquorú hominum fama sit contra illos seruos vel nautas, tamen est quædam populi de illis suspicio. Idem dicendum quandocumque est suspicio populi vel communitatis contra aliquem; hæc enim supplet vicem infamiæ. vt docet Nauarrus ex Antonio de Butrio, Abbate, & Aretino num.95.

Præcipua difficultas de praxi Iudicum sæcularium.

131 Sed præcipua difficultas est, Vtrùm in aliis casibus licitum sit Iudici ad inquisitionem specialem procedere; & consequenter, Vtrùm probanda sit praxis Iudicum sæcularium, qui ex denuntiatione publici officialis ad id muneris deputati, vel alicuius priuati, aut ad querelam partis offensæ, quæ tamen onus probandi in se suscipere non vult, procedunt ad capiendas informationes & indicia; quibus habitis formant libellum inquisitionis. Ex doctrina enim communi Theologorum & Canonistarum, videri possit alicui hæc praxis damnanda; qui docent sine præuia infamia, vel æquipollenti, non posse procedi ad inquisitionem. quod probatur Primò, Ex Canonibus citatis. Secundò, Probat Nauarrus, quia lege diuina & naturali prohibemur inordinatè detrahere proximo, aut dare causam detrahendi. Tertiò, Quia eadem lege prohibemur scandalizare proximú: at publicatio peccati occulti est proximi scandalizatio. Quartò, Quia licet regulariter vtilis sit Reipubl. criminum punitio, id tamen verùm non est, quando crimina sunt occulta, & non est accusator verus vel fictus. tunc enim vtilior est Reipubl. quieta conseruatio famæ & honoris subditorum, quàm punitio, qua turbatur Respubl. & illi priuantur maximis suis bonis, honore & fama. Hinc infert, legem de non damnando sine infamia, vel alio æquipollenti, esse naturalem & diuinam, ac proinde nulla contraria consuetudine posse abrogari.

Eam esse damnandam, argumenta.

Verius tamen existimo, illam praxim non esse damnandam, si circumspectè & secundùm leges vel consuetudines in Prouinciis receptas fiat; idq; in grauibus causis; (vt in furtis, homicidiis, sacrilegiis, incestibus, aliisve criminibus Rempub. turbantibus) & non ad nudam punitionem, sed quia censetur necessarium bono Reipubl. 132 *Non esse damnandam.*

Hæc sententia sic limitata & explicata probari potest Primò, Quia est praxis Iudicum sęcularium Deum timentium in omnibus pænè Prouinciis, & maximè per Italiam recepta, vt testatur Iulius Clarus quæst. 3. neque tamen à Summo Pontifice vel Episcopis idcircò reprehenduntur, aut censentur in malo statu.

Secundò, Quia ita sentiunt doctissimi Iurisconsulti cum Bartolo in L.2.§. Si publico. ff. ad L. Iuliam, de adult. Cardin. Alciatus in cap.1. de officio Iudicis ordinarij, Angelus in L. Si vacantia. C. De bonis vacant. & alij.

Vt infamia præcedat, est Iuris positiui.

Tertiò, Vt non fiat inquisitio sine infamia auctoris præuia, non est Iuris diuini aut naturalis, sed est Iuris positiui humani, vt fatetur Sotus, de secreto, memb.2.q.6.dub.2. vnde infert, *Papam in Ecclesia, & Principem in suo foro posse ex causa rationabili in eo dispensare:* atqui Ius humanum potest contraria consuetudine legitimè præscripta, (vel etiam absque præscriptione, Principe sciente & non contradicente) aboleri: ergo hoc Ius meritò potest videri abolitum in sæcularibus tribunalibus, si tamen vmquam fuit ibi receptum.

133 Quartò, Si essent frequētissimi criminosi, à quibus Respubl. grauiter perturbaretur, posset fieri lex, vt quotiescumque fuerint duo vel tres testes contra aliquem, infligeretur ei pœna legis, absque alio accusatore vero vel ficto, vt docet Sotus suprà, & Nauarr. in Rubri. de Iudiciis, num.89. cùm ait, *Papam & Imperatorem ex iusta causa posse inducere nouos casus, in quibus possit specialiter inquiri sine accusatore vero vel ficto:* ergo similiter potest lege vel consuetudine statui, vt Iudex possit inquirere testes, etiamsi non sit præuia infamia, & instituere fiscalem, qui accuset. nulla enim videtur ratio, cur si illud fieri potest, non possit etiam hoc, cùm vtrobique absque infamia procedatur.

134 Quintò, Etiamsi esset Iuris naturalis, vt non fiat inquisitio absque præuia infamia; id tamen esset intelligendum, nisi Respubl. vel ipse inquirendus cesserit iure suo. quòd enim illud sit illicitum, id prouenit ex Iure, quod quisque habet ad famam suam; quo iure si cesserit, non erit illicitum: atqui Resp. videtur cessisse iure suo, dum probat tales inquisitiones, easq; cupit fieri: ergo non sunt illicitæ.

Est necessarium ad bonum publicum.

135 Sextò, Hic modus videtur necessarius ad plurimas iniurias maleficiaque prohibenda, & ad innocentiam illæsam præstandam. cùm enim pauci sint qui velint accusare, & sæpè ex maleficio non sequatur infamia; sine metu, improbi viris probis, simplicibus & Religiosis, iniurias & damna infe-

inferent: quam ob causam multis locis constituuntur publici officiales, qui denuntient Iudicibus ea quæ viderunt vel audiuerunt, & indicent à quibus pleniorem informationem habere possint: quæ res mirificè maleficos coërcet. etsi enim sibi persuadeant, eos qui iniuria affecti sunt, aut alios qui interfuerunt, non accusaturos, tamen valdè metuunt, ne per hunc officialem ad Iudicem res deferatur; qui deinde pleniorem informationem à testibus oculatis accipiet.

136 *Iudex non potest ex se incipere.* Aduerte tamen Primò, Iudicem non posse vmquam de seipso incipere inquisitionem, sed semper debere aliquid præcedere, quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem cogat vt ex officio procedat: vt notitia publica, infamia, suspicio communis, querela partis, denuntiatio officialis, vel alterius, aut simile quiddam; alioquin totus processus est Iure nullus, vt docet Clarus q.5.num.4. Vnde non potest procedere ex delatione facta ei non vt Iudici, sed vt priuato; vel incerto auctore, vel suppresso nomine, etiamsi in schedula nominarentur testes, qui nossent factum, vt idem docet, & exemplis declarat. quod ideò statutum est, ne Iudices possint pro arbitrio impetere quos volent; & quia illis casibus idem est accusator & Iudex, quod iure gentium reprobatur.

137 *Confessio sponte facta.* Nec obstat cap. Postquam. 1. de accusat. in 6. vbi dicitur, puniendum reum ex confessione coram Delegato facta, etiamsi dicat se diffamatum non fuisse; quia ille Delegatus non processerat ad causam ex seipso, sed ad eam fuerat deputatus. vnde necesse est vt ibi præcesserint indicia. Deinde ille liberè censebatur cõfessus coram suo Iudice; nihil enim erat quod illũ cogeret, cùm posset excipere; ex libera autem confessione damnari quis potest.

138 *1. Debet constare delictum.* Secundò, Antequam Iudex inquirat de persona, priuatas informationes capiendo, debere aliquo modo ei constare de crimine, an sit commissum. vnde si crimen relinquat vestigium, vt incendium, homicidium, perfossio domus, debet ea priùs inspicere, vel curare inspici, prout fert rei conditio. si autem non relinquant, sufficit denuntiatio vel querela, ad capiendam informationem de auctore.

139 Tertio, Vbi iam constat de delicto commisso, si nihil sciatur de auctore, potest de eo generatim inquirere; & habito aliquo indicio, vocare illum ad se defendendum, instituturus contra illum inquisitionem particularem. vt docet Clarus q.5. ex Innocentio, & aliis. Neque prædictis obstat communis doctrina Theologorum & Canonistarum, (à qua in re tanti momenti non facilè recedendum) qui docent, non esse procedendum ad inquisitionem specialem, nisi præuia infamia: quia id intelligendum est quando solùm intenditur punitio criminis, neque inquisitio putatur necessaria ad bonum Reipub. & mali compressionem: hoc autem prædicta sententia non negat. & hoc modo istæ sententiæ videntur posse conciliari.

Ad argumenta. Ad primum argumentum, qua parte prædictis aduersari videtur, Responderi potest Primò, Canones illos loqui de Iudice Ecclesiastico: hic enim non debet procedere ad inquisitionem absq; præuia infamia & clamosa insinuatione, qua sæpiùs ad aures ipsius res deferatur. In cap. enim Cùm oporteat, instruit Pontifex Archiepiscopum Tarraconensem, quo modo debeat procedere contra Episcopum Vicent. In cap. Inquisitionis, instruit Episcopum Gebennensem, quomodo in causa Episcopi & Canonicorum Valentinensium. Denique in cap. Qualiter, Concilium generale instruit Prælatos, quomodo ad subditorum excessus inquirendos & puniendos debeant procedere: vbi etiam Concilium requirit, vt non semel tantùm, sed sæpè clamor Iudici rem insinuet. vnde videri queant hæc ad Iudices sæculares non extendenda. Ideò 140 enim absque præuia infamia Prælati non debent inquisitionem instituere, præsertim contra personas Ecclesiasticas: tum quia harum infamia plus scandalizat sæculares, quàm castigatio ædificet: tum quia faciliùs correptione fraterna emendari solent: tum denique quia Prælatorum potiùs est in spiritu lenitatis subditos quosuis, etiam sæculares, corripere, quàm asperitate pœnarum sæuire. vnde Canones iubent vt non ad primam famæ insinuationem inquirant; sed tum demum, quando sæpiùs eorum aures pulsauerit: quod tamen minimè necessarium videtur in Iudicibus sæcularibus. Rursum iubent, vt depositiones contra eum, qui infamia non laborat, minimè recipiantur, etiamsi tres vel plures iurati affirment se vidisse illum crimen committentem; vt patet cap. Inquisitionis: quod etiam minimè locum habet in Iudice sæculari. hic etiam statim per suum fiscalem debet causam prosequi, etiamsi tantùm sint duo testes iurati; alioquin à Principe punietur. Denique iubent vt accusationem præcedat legitima inscriptio, & inquisitionem clamosa insinuatio: at si hoc in foro externo seruaretur, rarò possent delicta puniri: rarissimi enim sunt, qui se velint inscribere; id est, sub pœna talionis suscipere onus probandi. Imò in multis regnis nõ permittitur, nisi in suis & suorũ iniuriis; vel in causa ciuili, vt suprà dictum est. *Modus Prælatorum.*

Respondeo Secundò, Canones illos etiam ad Iudices sæculares extendi posse, quando inquisitio solùm tendit ad punitionem delicti: tunc enim etiam præuia infamia requiritur. Quidam tamen putant illos in iudiciis sæcularibus, vel nunquam moribus fuisse receptos, vel contraria consuetudine abrogatos.

Ad Secundum, Prohibemur quidem Iure naturæ inordinatè aliquem infamare, aut dare causam infamandi; sed negamus illos Iudices inordinatè id facere. sicut enim qui accusat aliquem de crimine occulto, quod testibus vel sufficientibus indiciis probare potest, non infamat illum inordinatè: sic neque Iudex, qui ex denuntiatione informationes capit: nam habet iustam causam id faciendi, nempe vt criminosi non inualescant, vt innocentia in Republ. sit tuta, vt omnes securè & tranquillè degant. debet tamen Iudex vti magna prudentia, & habere rationem personarum, & donec videat an res probari possit, eo modo capere informationes, vt quàm minimùm fama lædatur. vnde si videt eam probari non posse, debet desistere. Idem dicendum de fiscali, qui grauiter peccat, si accusationem suscipiat, cuius probationem putat se defecturam. 141

Ad Tertium, Publicatio peccati alterius, maximè sæcularis, non est scandalizatio, quando sequitur punitio: sed cedit in exemplum toti populo. ideò crimina loco celeberrimo solent publicari, & castigari.

Ad Quartum, Patet ex dictis: neque deest hîc 142 accusator fictus, nam denuntiator iuridicè denuntians, habet vicem accusatoris, vel illud, quod Iudici viam ad inquisitionem aperit.

Dvbitatio xvi.

Quibus modis aperiatur via Iudici, præsertim sæculari, ad inquisitionem.

143 *Modi quibus via inquisit. aperitur.*

Respondeo, Multis modis, de quibus iam ex parte dictum est suprà.

Primus est, Si delictum sit notorium, & auctor occultus. sed tunc solùm potest inquirere generatim quis fecerit, vt suprà dictum est.

Secundus, Si auctor sit notorius. Probatur autem aliquid esse notorium, per duos testes, vt docet Glossa in cap. Deus omnipotens. 2. q. 1.

Tertius, Si sit fama de auctore. In hoc tamen & secundo casu Iudex primò debet capere informationes, an sit reuerà notorius auctor, vel an sit fama de illo. Ad probandum famam sufficiunt duo

144 *Quomodo probetur fama.*

testes, vt omnes fatentur. hi tamen non debent testari se audiuisse à maiori parte populi, (vt vult Glossa in L. 3. §. Eiusdem. ff. de probationibus, quam plerique Iurisperitorum sequuntur) sic enim vix vmquam posset fama probari, ac proinde modus iste procedendi esset inutilis: quis enim est, qui cum maiore parte oppidi aut viciniæ loquatur, aut aduertat se locutum? sed satis est vt testentur se ita publicè audiuisse, vel ita passim dici, vt docet Baldus in cap. Litteras. 14. num. 2. de præsumptionibus, & alij, sicque passim seruatur, teste Claro quæstione 6. debent tamen nominare à quibus audiuerint; vt sciatur famam habuisse originem ab honestis & probis, & testes non fingere. vnde si non nominarent eos, non probarent famam in criminalibus.

Habita informatione de infamia, si infamatus est præsens, debet illum Iudex interrogare de veritate criminis, vt si fateatur, illum puniat: sin minùs, vt inquisitionem contra eum formet. si est absens, debet illum citare, & significare se intendere contra illum de tali crimine, de quo est infamatus, inquisitionem facere.

145 Aduerte tamen, si Iudex absque informatione de infamia, processerit ad inquisitionem specialem, nihilominùs valet processus, & potest reus condemnari: si tamen reus præsens non exceperit; vt colligitur ex cap. 1. & 2. de accusat. in 6. & docet Nauarrus n. 91. in Rubr. de Iudiciis. quòd si statim exceperit, & Iudice volente prosequi, appellauerit, non valet processus: quia per appellationem, Iudicis potestas suspenditur.

Quartus est, Si sit communis suspicio de auctore, de quo suprà num. 130.

Quintus, Quando de aliquo sunt indicia iudicialiter probata. hæc enim cùm pariant quamdam Iuris notorietatem; possunt pro infamia & ficto accusatore haberi; vt ait Nauarr. suprà num. 78. & 96.

146 *Semiplena probatio.*

Sextus, Quando est semiplena probatio: vt si crimen ipsum sit notorium, & accedat vnus testis omni exceptione maior, de auctore. non enim minùs hæc semiplena probatio inducit auctorem in publicam notitiam, quàm indicia probata, aut infamia. est enim plus quàm infamia, cùm fama non probet, vt dici solet, sed tantùm accuset. vnde mirum est, Sotum & Nauarrum concedere de indiciis, & negare de semiplena probatione. Confirmatur, quia nisi Iudices habita semiplena probatione possint inquirere testes, bona pars malefi-

ciorum manebit impunita, cùm testes non se sponte offerant.

Septimus, Si pars offensa querelam offerat, & 147 *Querela partis offensæ.*

indicia vel testes, à quibus informari possit, Iudici insinuet: tunc enim Iudex potest ab illis informationes de plano, vt dicitur, & absque strepitu accipere; quibus vbi satis instructus fuerit, poterit citare criminosum, & contra eum inquisitionis libellum formare. Ita Clarus q. 10.

Octauus, Si publicus officialis, vel alius denuntiet iudicialiter, & testes vel indicia significet. de quo vide Clarum q. 7.

Aduerte tamen, nihil debere denuntiare, nisi quod bona fide putat legitimè per testes vel indicia posse probari; vt suprà dictum est.

Nonus, Quando pars impingit crimen testi, vt contra illum excipiat, & illud probat, etsi non omnino plenè; tunc enim Iudex de eo inquirere potest, si ad eius iurisdictionem pertinet, vt docet Clarus q. 19. hoc enim est necessarium ad causæ progressum: & aliàs illa probatio efficit illum publicè suspectum; vnde est instar infamiæ.

Decimus, Dum quis intentat actionem ciuilem, vt sibi damnum sarciatur ex delicto: vt, ex incendio, homicidio, vel furto illarum: tunc enim potest Iudex etiam contra illud delictum procedere; quia iam factum quasi notorium. Idem Clarus quæst. 19.

Vndecimus, Si delictum sit commissum in iudicio, vt suprà dictum est.

Duodecimus, Si reus vel testis incidenter confessus sit in iudicio; Clarus q. 19.

Duo tamen Notanda. Primum est, In omnibus 148 *Fiscalis.*

casibus, quibus potest Iudex procedere ex officio, posse constituere fiscalem, qui partes accusatoris accipiat; vt docet Gomezius to. 3. c. 1. n. 10. quod intellige, si aduocatus fiscalis ordinarius non sit constitutus.

Alterum est, Non posse formari libellum inquisitionis contra reum, nisi legitima indicia præcedat, quæ sufficerent ad ipsum iuridicè interrogandum, si præsens esset; & è conuerso, dum præsens est, non potest iuridicè interrogari, nisi adsint indicia, quæ sufficiant ad faciendam inquisitionem contra absentem. non enim procedendum est ad inquisitionem formandam, nisi quando reus citatus vt respondeat, vel negat, vel non comparet, vt docet Clarus quæst. 20. num. 3.

Dvbitatio xvii.

Ex quibus indiciis possit Iudex reum subiicere torturæ.

149 NOtandum Primò, *Indicia* à Iurisperitis generatim vocari omnia ea, ex quibus potest aliquo modo colligi quis sit auctor criminis; vt fama, suspicio publica, testimonium vnius vel plurium, confessio Rei, & similia.

Indiciorum sunt quinque gradus.

Notandum Secundò, Distingui quinque gradus indiciorum. In primo gradu sunt leuia, probabilia tamen, quæ probabilem suspicionem de auctore criminis commouent. In secundo sunt leuia probabiliora, quæ faciunt præsumptionem, id est, valdè probabilem suspicionem. In tertio sunt indicia grauia, quæ & legitima & indicia Iuris vocantur. In quarto est probatio semiplena.

hæc

hæc enim amplius quid est, quàm indicium legitimum. In quinto sunt indicia grauissima, quæ & indubitata dicuntur.

150 *Captura.* Indicia primi & secundi generis sufficiunt ad capiendas informationes, & etiam ad capturam, spectata conditione personæ & causæ, & ceteris circumstantiis. huiusmodi sunt, assertio vulnerati morientis, vt si dicat se à Petro vulneratum; grauis inimicitia præcedens; assertio socij, qua socium criminis detegit. hæc autem indicia non sufficiunt ad formandum libellum inquisitionis cõtra aliquem, neque ad torturam, quia ad hæc requiruntur indicia grauia; & maximè ad torturam, quæ est graue malum, quod sine graui causa irrogari non potest.

151 *Tortura seu quæstio.* Notandum Tertiò, Torturam esse introductam non in pœnam criminis commissi; (hoc enim cùm nondum sit plenè probatum, non potest puniri) sed in subsidium probationis; vt quia sufficiens & plena probatio deest, ipse reus confitendo veritatem, suppleat quod ad plenam probationem requiritur: vt docet Couarru. practic. quæst. quæstione 23. ex communi sententia DD. & Clarus quæstione 64. num. 6. Vnde sequitur, torturam adhiberi non posse, nisi quando crimen est semiprobatũ, vel quando vehementia indicia vrgent, ita vt ferè moraliter certum sit, ipsum auctorem esse. *Esse licitam.* In hoc autem casu eam adhiberi posse ad confessionem, est consentaneum rationi naturali. si enim non posset, improbi audacter & impunè peccarent, damna & iniurias aliis inferrent, quando putarent se testibus, vel externis indiciis non conuincendos. cùm verò vident ex indiciis vel vno teste tormentis subiiciendos, se continent. Accedit, quòd pleraque maleficia grauissima non possent puniri; quia paucis vel nullis conscijs committuntur, cùm tamen id ad bonum Reipublicæ sit necessarium: alioquin omnia sceleribus & sceleratis essent plena. Nec obstat, interdum fieri vt innocens torqueatur; quia in rebus humanis non omnia incommoda vitari possunt. etiam interdum fit vt innocens damnetur: non ideò omne iudicium tollendum. satis est ea media, easque cautiones adhiberi, quibus maiora vitentur, etsi ijsdem interdum minora præter intentionem eueniant.

Notandum Quartò, Torturam tantummodò adhibendam in criminibus grauioribus, quæ pœna corporali, vt mortis, mutilationis, triremium castiganda sunt, non autem in iis quæ exilio vel pecunia, vt docet Gomez. to. 3. c. 13. num. 2. Ratio est, quia reo nondum conuicto non potest irrogari pœna, quæ sit maior quàm illa ad quam est condemnandus.

152 *Reus conuictus non torquetur.* Notandum Quintò, Iudicem non posse reum subiicere torturæ ad extorquendam criminis confessionem, quando legitimè est cõuictus per testes, etiamsi nolit fateri crimen; vt rectè docet Nauarrus cap. 18. num. 59. & Clarus quæst. 64. num. 8. ratio est, quia cùm tortura adhibenda sit in subsidium, ob defectum plenæ probationis, frustrà inferretur reo conuicto: quia confessio non est necessaria ad condemnandum.

Excipe duos casus. Excipe tamen duos casus. Prior est, quando reus malitiosè appellat ad superius tribunal, vt executionem iustæ sententiæ impediat: quod in Italia & regno Castellæ permittitur, si non sint confessi crimen; vt testatur Nauar. tunc enim si crimen esset atrox, vt latrocinium, sacrilegium, &c. & expediret reum ibi puniri, posset torqueri ad eliciendam confessionem, vt iniqua appellatio impediatur.

Alter est, quando putatur habuisse socios, vel cõmisisse alia crimina; tunc enim etiam per torturam potest de his interrogari, moderatè tamen, pro ratione causæ & indiciorum. Ita seruat tota Italia & Francia, teste Claro q. 64. nu. 8. debet tamen de illis esse semiplena probatio, vel indicia æquipollentia, vt ex supradictis colligitur. His positis

153 *Sufficit probatio semiplena.* Dico Primò, Ad torturam sufficere semiplenam probationem, si tamen persona talis sit, vt torqueri possit. est communis sententia DD. teste Claro l. 5. q. 21. n. 2. & Gomezio cap. 13. nu. 7. tunc autem est *semiplena probatio*, quando vnus testis, contra quem nulla est exceptio, deponit se vidisse hunc tali loco & tempore occidentem, v.g. Petrum; auferentem hoc vel illud è tali domo. quòd si non viderit, sed audiuerit à fide dignis, aut si contra illum sit aliqua exceptio, vt si sit mulier, aut minor viginti annis, aut infamis, excommunicatus, inimicus, eius depositio non facit indicium sufficiens ad torturam. Vnde grauiter reprehendendi Iudices, qui ex tali indicio absq; vllo alio probationis adminiculo torquent; quia Ius id illis non permittit: vnde iniuriam reo faciunt, & ad restitutionem damni secuti tenentur. sufficit tamen tale indicium ad capiendas informationes de auctore criminis, vt habet praxis passim recepta.

154 *Quidam prohibentur torqueri.* Dixi, *Si reus possit torqueri*: quia quidam Iure prohibentur torqueri, idque vel ob ætatem, vt impubes: (id est, qui nondum impleuit quatuordecim annos) vel ob debilitatem, vt senes; possunt tamen hi terreri & leuiter torqueri: vel ob periculum abortus, vt mulier prægnans; quæ etiam post puerperium differenda est, donec vires confirmatæ; vel ob priuilegium, vt vir illustris: aut in dignitate constitutus, eiusque filij: & Doctor, eiusque liberi: & miles; de quibus Gomezius cap. 13. numero 3. & Clarus quæstione 64. hi ne leuiter quidem torqueri possunt, etiamsi sit semiplena probatio contra eos: nisi in hæresi vel proditione, vel simili crimine læsæ Maiestatis. Si in aliis torti fuerint & confessi, 15
quamuis postridie confessionem suam ratificent, non possunt tamen condemnari; quia confessio fuit irrita, vtpote per iniuriam extorta, & consequenter ratificatio, quæ ex illa sequitur. colligitur ex L. pænultim. ff. de quæst. à paritate rationis, vbi dicitur, *confessionem factam in tormentis, non præcedentibus indiciis, esse nullam, etiamsi sequatur ratificatio.* & ex L. Non dubium. 5. C. de Legibus; & ex aliis Iuribus, quæ citat Gomezius numero 4. Adde, neque ex huiusmodi confessione posse inquisitionem institui, vt docet Nauarrus rubr. de iudiciis, nu. 86. possunt tamen secundùm Gomezium & alios Iurisperitos, terreri verbis; & si confessi fuerint, valet, tamquam confessio spontanea. Colligitur ex L. Item apud Labeonem 15. §. Quæstionem. 41. ff. de iniuriis; *Quæstionem*, inquit, *intelligere debemus, & tormenta & corporis dolorem ad eruendam veritatem. nuda ergo interrogatio vel leuis territio non pertinet ad hoc edictum.* vbi Glossa & communiter Doctores ita tradunt.

Nec obstat, Iure paria censeri torturam, & eius terrorem seu comminationem, argumento L. Nouissimè. ff. Quod falso tutore auctore: ac proinde talem confessionem huiusmodi comminatione elicitam, non esse validam censendam: illud enim de

de terrore propinquo intelligendum est; vt cùm quis spoliatur & ligatur, vt patet ex d.L. Item apud Labeonem: non autem de remoto, qui in solis verbis & nuda machinæ ostensione sistit, vlteriùs nihil adhibens; quo casu Iura præsumunt illam fuisse spontaneam, vt colligitur ex L L. allatis. Si tamen ex circumstantiis moraliter constet non fuisse reuerà talem, sed extortam per metum, ita vt metus fuerit causa confessionis illius, non est sufficiens ad condemnandum, nisi secuta fuerit libera ratificatio.

156 *Alia indicia ad torturam.* Dico Secundò, Præter semiplenam probationem, etiam alia quædam indicia minora quàm semiplena probatio, sufficiunt ad torturam: quorum præcipua sunt hæc.

Fama publica. Primum est, Fama publica de auctore criminis; præsertim si aliquibus aliis adminiculis iuncta sit; vt si ei accedat aliquis testis minùs idoneus: vt assertio socij, vel minoris, vel si appareat vestigium facinoris in veste, armis, &c. Quidam putant solam famam sufficere, per duos testes probatam. Ita Gomez. num. 10. Sed verius est, regulariter famam non sufficere absque aliis indiciis, vt docet Clarus q. 21. nu. 1. ratio est, quia fama in criminalibus non probat, sed se habet instar accusatoris: estque indicium remotum & fallax. deinde suppeditat Iudici aliam rationem cognoscendæ veritatis, nempe per inquisitionem.

Duplex fama sufficit. Aduerte tamen, si quis iam esset malæ famæ de similibus delictis antè commissis, & etiam publica fama grauaretur in præsenti delicto, hic posset torqueri, quia fama prior adiuncta posteriori, facit vehementem præsumptionem, vt ibidem Clarus docet.

157 *Confessio Rei extraiudicialis.* Secundum est, Confessio Rei extra iudicium. vt si apud aliquos (saltem apud duos) se iactauerit de crimine, vel dixerit se auctorem. est communis sententia DD. vt docet Felinus in cap. Olim. 25. de rescriptis. num. 5. & Gomezius suprà, nu. 8. debet hoc tamen probari per duos testes omni exceptione maiores, si neget se dixisse: quia debet omnino de tali indicio constare, vt docet idem Gomezius num. 18. & 19. cùm enim crimen ipsum non certò concludatur ex tali indicio, etsi de indicio constet; si ipsum quoque indicium dubium est, ita vt non constet an existat; æquitas non patitur vt quis propter illud torqueatur ad criminis eliciendam confessionem.

158 *Coram Iudice alieno.* Idem dicendum de confessione facta coram Iudice incompetente: id est, qui non habet potestatem cognoscendi in causa, eò quòd vel reus non sit ipsi subditus, vel causa sit exempta: etsi enim ex tali confessione reus non possit condemnari à proprio Iudice; (vt patet ex cap. At si Clerici, de Iudiciis) potest tamen torqueri, tamquam ex indicio, quod maximam præsumptionem criminis ingerit. debet tamen illa confessio non esse extorta metu tormentorum, sed metu probationum, vel omnino esse spontanea.

159 *Confessio extraiud. iterata in tortura.* Quòd autem multi Iurisperiti cum Bartolo in L. 1. §. Diuus Seuerus. ff. de quæstionibus, docent confessionem extraiudicialem ita valere ad torturam, vt si reus in tortura idem confiteatur, possit condemnari, etiamsi posteà non ratificet confessionem; verum non est, si de condemnatione ad pœnam ordinariam criminis intelligatur; quia confessio in tormentis, præcedentibus indiciis facta, semper requirit perseuerantiam & ratificationem: alioquin est nullius momenti, cùm vi tormentorum censeatur expressa: quod confirmatur, quia confessio illa non est efficacior, quàm semiplena probatio: atqui si quis torqueatur post semiplenā probationem, & in tortura confiteatur, adhuc requiritur ratificatio post torturam: ergo etiam in hoc casu. posset tamen ob huiusmodi confessionem extraiudicialem imponi aliqua pœna extraordinaria, quia in iniuriam alterius visus est se de crimine iactasse, vt notat Abbas, & communiter DD. in cap. Quàm sit graue. 9. de excessibus Prælatorum.

160 *Confessio facta sacerdoti.* Aduerte tamen, confessionem factam sacerdoti, tamquam locum Dei tenenti, ad obtinendam remissionem, nullum effectum operari ad torturam aut inquisitionem, aut ad vllam informationem, etiamsi iniquus sacerdos eam patefaciat, & crimen deducatur in publicum, ita vt omnibus de eo constet, vt communiter docent omnes Theologi & Canonistæ, argumento cap. Si Sacerdos. 2. de Officio Ordinarij, & Baldus in L. Archigerontes. C. de Episcopali audient. ratio est, quia quod pœnitens confitetur, non dicit vt homini, sed tamquam Deo ipsi, & iudicium planè diuinum exercenti. vnde ita secretum manere par est, nec magis nocere debet, quàm si soli Deo dictum esset. patet consequentia, quia reuelatio eius, & quidquid ex vi istius reuelationis agitur, cedit in iniuriam Dei, cui tale secretum commissum est. Adde, quòd alioqui tantum Sacramentum, omnibus qui crimen occultum commiserint, suspectum redderetur, cum magna Dei iniuria, (qui illud securum esse voluit tamquam suum tribunal) & animarum pernicie. vide Sotum de secreto, membro 3. q. 1. concluſ. 5.

161 *Assertio sociorum.* Tertium indicium est, Assertio duorum vel trium sociorum. quando enim duo vel tres capti fatentur crimen, & produnt aliquem socium criminis, potest hic capi & torturæ subiici. Ita Clarus q. 21. num. 10. dicitque ita seruari in regno Neapolitano & Gallia. Debent tamen tunc cum iuramento deponere; quia agunt vt testes. hoc autem intelligi debet, quando non est iusta suspicio id ex maleuolentia proficisci. Dictum vnius socij, etiamsi iuramento confirmetur, non facit indicium sufficiens ad torturam, nisi alter simul infamia vel graui suspicione illius criminis laboret; quia per se est testis minùs idoneus; qui tamen cum fama potest vehementem præsumptionem parere. Ita Clarus numero 4.

162 *Quæstio exercita vt socij reuelentur.* Porrò de sociis reus interrogari potest etiam per tormenta, quando constat vel fama est socios habuisse, aut quando crimen est tale, vt regulariter sine sociis non committatur. tunc enim ob famam sociorum Iudici fas est de sociis exquirere. postulat hoc etiam bonum publicum, vt sic crimina compescantur. est communis sententia, teste Gomezio cap. 12. nu. 16. In hoc tamen casu consultissimum *Consilium.* esset, vt reus antè condemnetur, & post sententiam disponatur per confessarium, vt reuelet sponte omnes socios, quos putat à maleficiis non abstenturos. sic enim ad socios eliciendos non erit magnis tormentis opus.

163 *Affirmatio læsi.* Assertio vulnerati persistentis in ea vsq; ad mortem, non facit indicium ad torturam, vt expressè habetur L. Si quis in graui. 3. ff. ad S.C. Silanianum. & ratio est, tum quia non dixit iuratus, sicut debet testis dicere; tum quia præsumitur ex offensione aliqua vel errore dixisse. sufficit tamen ad captu-

capturam & ad informationes capiendas, idque non tam Iure scripto, quàm consuetudine, teste Gomezio cap.13.num.16.

164 *Fuga.* Quartum indicium est, Fuga statim patrato delicto inita. habetur expressè L.Lege Cornelia. 25. ff.ad S.C.Silanianum.si tamen citatus compareat, abstergit omnem suspicionem. Crediderim tamen cum fuga coniungendam famam & communem suspicionem, vt ordinariè fit: alioquin fugam solam non sufficere. quod notatur in Additionibus ad Clarum qu.21.num.18. quòd si quis fugiat, cùm videt de se capi informationes, vel dum citatur; talis fuga non est sufficiens ad torturam, vt tenet communis opinio, teste Claro n.23. quia habet causam timendi, cùm se peti videt, etiamsi sit innocens.

Inimicitia. Quintum indicium est, Inimicitia grauis, non sola, sed cum aliis indiciis ex ea pendentibus, vt si antè minatus est, & minas suas solitus sit exequi; si parauit arma, & visus est circa illum locum eo tempore, quo homicidium putatur commissum. tenet Bartol. in L.final. ff. de quæstionibus, & alij Doctores passim.

Inconstantia Rei. Sextum est, Inconstantia & titubatio Rei, dum examinatur circa principalia causæ, iuncta aliis indiciis; vt docet Clarus num.30. sola tamen titubatio, vt solum mendacium, non sufficit. Spectanda etiam est conditio personæ, & causæ: quidam enim ita perturbantur in illo examine, vt vix sciant quid dicant.

Septimum indicium est, Si quis visus sit exire ex aliqua domo vel loco cum ense stricto, & ibi reperiatur aliquis interfectus. Ita Gomezius n.11. & multi Iurisperiti, quos citat.

165 *Si res apud reum reperta sit.* Octauum indicium ad torturam est, Si res sublata, reperiatur apud reum; nisi docere possit, vnde eam habeat. Ita communiter DD. teste Gomezio num.12. & Claro nu.41. hoc tamen limitant DD. Si est persona vilis, & de qua non sit bona opinio. secùs si sit bonæ famæ: nam interdum fieri potest vt res aliena sit apud nos, nescientibus nobis, & sine nostra culpa.

166 *Repentina diuitia.* Nonum, Si commisso aliquo magno furto, cuius nescitur auctor, aliqua vilis persona, quæ ibi crebrò versari solet, apparet repentè diues: illis enim circumstantiis concurrentibus nascitur maxima præsumptio contra eam, quæ sit sufficiens ad torturam, vt ex communi sententia DD. docet Gomezius num.13. Hæc ferè sunt præcipua indicia à Doctoribus explicata, ex quibus cetera prudenter æstimari poterunt. nam tota ferè hæc res prudentiæ Iudicis relinquitur, qui in re tanta magna circumspectione procedere debet, ne proximo contra Ius & fas torturam inferat, aut maiorem quàm par sit.

167 *Emissio sanguinis è corpore occisi.* Petes Primò, Vtrùm sit sufficiens indicium ad capturam & torturā, quòd recens occisus emittat sanguinem per vulnus ad præsentiam huius, & nō ad præsentiam aliorum. Quidam affirmant: vnde etiam aliqui Iudices eo indicio vtuntur, & deprehendunt eos culpabiles, quibus id contigit.

Sed contrarium tenendum est cum Gom. n.15. quia hoc indicium est nobis incertum, vtpote ex causis nobis ignotis. non enim constat an id fiat operatione diuina in detestationem homicidij, & vt sic homicida occultus patefiat; an ex aliqua causa naturali, vt ex impressione aliqua affectuum animæ in sanguinem & spiritum, quæ ad præsentiam rei inimicæ veluti ad repugnandum concitetur; an fraude aliqua diaboli.

Idem dicendum sentio de probatione illa per aquam, qua Iudices aliqui feminas sortilegij suspectas, solent in aquam certo modo ligatas inicere: quæ si mergantur, absoluuntur; si mergi nequeant, adiudicantur torturæ, quasi hoc sit indicium sufficiens ad torturam: incertum enim est illud signum. nam si id opera dæmonis agitur, vti omnino agi videtur, incertum est an ille non permittatur aliquando hanc calumniam struere innocentibus. Itaque visitatis, & iam olim probatis indiciis vtendum est, ne in re proximo tam detrimentosa erretur. *Immersio veneficarū in aquam.*

Petes Secundò, Vtrùm reus possit sæpiùs torqueri. 168 *An sæpiùs quæstioni subdendus.*

Respondeo Primò, Si nihil confessus est, non potest sæpiùs torqueri, nisi indicia sint grauissima: quia per illam constantiam videntur indicia elisa. Secundò, Si tamen noua indicia superueniant, repeti quæstio potest, vt habetur L. Vnius, 18. ff. de quæstionibus, in principio. Tertiò, Si quæ confessus in quæstione est, postridie reuocet, verius est rursus subiici posse, etiamsi noua indicia non superuenerint: quia per talem reuocationem indicia non sunt elisa; imò illa variatio nouum indicium videtur fecisse. Adde, si non posset repeti, totum hoc remedium esset sine vllo effectu. nam nemo ratificaret suam confessionem, si putaret in se non posse ampliùs quæstionem exerceri.

Aduerte tamen, ne in actu tam odioso procedatur absque termino, in hoc casu reum non debere subiici quæstionibus plusquam ter. Itaque si tertiò tortus, & in tormentis confessus, tertiò etiam ductus ad ratificandum, reuocauit, non potest condemnari, imò debet absolui, vt docet Gomezius num.27.

Petes Tertiò, Vtrùm reus aliquando ex indicio possit condemnari?

Respondeo, Verius est non posse condemnari ad pœnam ordinariam criminis; quia etsi violentissima inde capiatur præsumptio seu suspicio; (vt quando est indicium, quod Doctores vocant indubitatum) tamen nō habetur certitudo; vt si quis visus sit facie pallida cum gladio cruento egredi è domo habente vnū tantùm aditum, & ibi reperiatur aliquis recèns interfectus. fieri enim potest, vt alius fecerit: vel vt ipse quidem fecerit, sed causa defensionis. Item si constet aliquem decubuisse eodem lecto, & alia huiusmodi. In criminalibus enim debent esse probationes luce meridiana clariores, vt dici solet, & colligitur ex L. Absentem. 5. ff. de pœnis. & docet Bartolus & alij in illam Legem. Posset tamen in eiusmodi euentu condemnari ad pœnam extraordinariam minorem, prout Iudici videbitur, & causa postulabit: quod receptum esse testatur Clarus suprà lib.5.q.21.nu.40. vbi etiam dicit, in arbitrio Iudicis positum esse, talem vel graui quæstioni subiicere, vel pœna extraordinaria punire. 169 *An ex indicio possit cōdemnari.*

Quod probari potest Primò, Quia Iure naturæ ad puniendum reum non requiritur nisi certitudo moralis publica. atqui sæpè ex indiciis vel semiplena probatione, præsertim quibusdam aliis adminiculis suffulta, potest haberi certitudo moralis; imò tanta quanta ex testimonio duorum: ergo poterit aliqua pœna infligi, etsi non ordinaria, eò quòd desit illa probatio quam Ius

positiuum ad pœnam ordinariam requirit.

Secundò, Quando quis laborat infamia criminis, & desunt aliæ probationes, nec expedit adhiberi inquisitionem propter scandalum, vt si persona sit Ecclesiastica vel grauis, potest ei indici purgatio canonica, assignatis ei certis compurgatoribus, in qua ipse iuret se tale crimen non commisisse, & compurgatores iurent se credere illum verum dicere; vt habetur variis capp. tit. de purgat. canon. Et si non plenè se potuerit purgare, potest ei infligi pœna, sed minor quàm sit ordinaria, pro arbitrio Iudicis; vt docet Panorm. c. Accedens. 23. nu. 5. de accusatione. sed inde non habetur maior certitudo quàm ex vehementissimis indiciis, vel probatione semiplena, præsertim quibusdam indiciis adiuta. ergo poterit similis pœna irrogari.

Tertiò, Sæpè ipsa indicia culpam secum trahunt; quia non solùm ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali abstinendum, iuxta Apostolum. ergo vel ob culpam huiusmodi indiciorum, pœna aliqua poterit irrogari.

Atque hæc sententia non solùm apud regulares, vbi modus iuridicus non est tam strictè obseruandus, (vt cap. Qualiter & quando, sub finem insinuatur) & crimina de quibus moraliter constat, non debent relinqui omnino impunita; sed etiam in foro sæculari & Ecclesiastico locum habet, vt Clarus & Panormit. suprà, & alij qui ab his citantur, docent. quia æquitate naturali nititur, nec Iuri scripto repugnat, & consuetudini plerisque locis receptæ est conformis.

170 *Cõdemnatio ex indiciis ad pœnam ordinar. in 4. casibus.*

Excipiuntur tamen à DD. aliqui casus à legibus approbati, quos refert Gomezius cap. 12. num. 25. in quibus Iudex potest aliquem ex indiciis pœna ordinaria plectere.

Primus est, Si alicui ter denuntiasti, ne tuam vxorem alloquatur, & posteà reperiatur aliquo loco cum illa colloquens; puniri potest pœna ordinaria adulterij, vt habetur in Nouel. constitut. 117. Iustiniani, cap. 15.

Secundus est, Si Officialis fugit tempora syndicatus: habetur enim pro confesso. L. Consiliarios. C. de assessoribus.

Tertius est, Si quis sit infamatus de simonia, & non possit se purgare, debet condemnari perinde ac si crimen esset probatum. cap. De hoc. 11. de simonia.

Quartus est, Quando aliquis Clericus deficit in purgatione hæresis, punitur vt conuictus, & depositus ab officio & beneficio, detruditur in Monasterium ad pœnitentiam. cap. Inter solicitudines. 10. de purgat. canonica, in fine.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm Iudex teneatur ad restitutionem heredibus Rei, si, postquam præter ordinem Iuris crimen vel extorsit, vel deprehendit, reum condemnet.

171 *Condẽnans non subditum, vel in crimine exempto.*

REspondeo & Dico Primò, Certum est, Iudicem teneri ad restitutionem, si condemnet non subditum, aut in crimine exempto. Probatur, quia facit ei manifestam iniuriam: etsi enim iste dignus erat morte, Iudex tamen ille non habebat auctoritatem illum puniendi: atqui ex iniuria nascitur obligatio restituendi, si ex ea damnum secutum sit: ergo, &c.

Notandum tamen, si proprius Iudex, qui legitimè poterat reum condemnare, ratum habeat seu approbet factum alterius, illum liberari obligatione restituendi. Ratio est, quia hoc ipso, quo Iudex proprius ratum habet alterius iudicium, vult illud ex hoc tempore censeri tamquam à se factum; ac proinde liberat illum obligatione restitutionis. sicut enim Iudex poterat reum per se condemnare, si ad eum missus fuisset; ita poterat etiam alteri cognitionem causæ permittere, & factum alterius ratum habere, & approbare, quod ad substantiam operis attinet; & consequenter condonare obligationem restituendi, ortam ex defectu debitæ potestatis. Confirmatur; quia qui habet potestatem confiscandi & auferendi omnia bona tua ob crimen à te commissum, potest liberare obligatione restituendi eum, qui bona illa per iniuriam vastauerit: ergo similiter qui habet potestatem auferendi vitam propter crimen commissum, potest condonare obligationem restitutionis ei, qui per iniuriam illam abstulerit. hæc tamen intellige eo casu, quo Iudex proprius erat satis instructus ad illum condemnandum, & poterat alteri cognitionem committere. si enim ipse illum condemnare non poterat, non potest etiam condonare obligationem damni sarciendi, quod ab altero per iniquam damnationem est illatum. *Proprius Iudex potest ratificare.*

Dico Secundò, Etiam Iudex proprius, qui condemnat reum vel ex priuata scientia, vel ex cognitione per iniuriam extorta, ad restitutionem tenetur. Ita Sotus de secreto, membro 3. qu. 1. concl. 5. Nauarr. cap. 18. n. 59. & alij. Ratio est, quia quando ex priuata scientia condemnat, facit iniuriam reo, tamquam Iudex minimè competens: nam non est ei concessa talis auctoritas, nisi fortè rarissimo casu, vt dictum est suprà dub. 11. Quando autem per iniuriam extorquet crimen, dat iniustè causam damni; vnde tenetur ad reparationem damni, quod ex illa cognitione iniustè parta sequitur. Sicut si quis occultum crimen alterius patefaceret, vnde contingeret illum condemnari, teneretur ad restitutionem, quia causam damni iniustè dedit. 172 *Condemnãs ex priuata scientia, vel per iniuriam extorta.*

Potest autem multis modis fieri vt per iniuriam crimen à Iudice extorqueatur, & consequenter vt confessio sit nulla, nec possit sequi condemnatio. 173 *Crimen per iniuriam multis modis extorquetur.*

Primò, Si Iudex à seipso inquisitionem inchoet nulla præcedente infamia, aut denuntiatione iuridica, quæ viam inquisitioni aperiat, vt dictum est dubit. 15.

Secundò, Si tormentis vel propinquo metu tormentorum elicuit confessionem, cùm tamen non essent indicia idonea ad torquendum. Nec refert quòd confessio fuerit postridie ratificata, quia hæc ratificatio est ex causa iniuriosa, ac proinde est nulla, L. Non dubium. 5. C. de legibus, & L. pænult. ff. de quæstion.

Tertiò, Si erant quidem indicia ad torturam, tamen persona non poterat torqueri, ob dignitatem, vel ætatem. Ratio est eadem, quia extorquet crimen occultum per iniuriam, de quo Gomez. cap. 13. num. 4.

Quartò, Si dolo induxit ad confitendum, v. g. promittendo impunitatem. paria enim sunt, confessionem esse factam dolo, & metu: vtraque enim

enim per iniuriam elicita; vt probat Gomez. c.12. n.6. & Clarus q.55. v.Circa secundum.

Quintò, Si confugientem ad locum sacrum abstraxit contra Ius, tunc enim tenetur illum restituere in illum locum, nec potest vlteriùs progredi, nisi legitimè in eius potestatem deueniat. hoc tamen priuilegio non fruuntur latrones publici, agrorum nocturni populatores, & qui in loco sacro enormia committunt, fiduciâ immunitatis. vide Siluestrum, v.Immunitas. 3.quæst.2.

174 *Si alia ratione poterat reum damnare, non tenetur ad restitut.* In his tamen & similibus casibus, Aduertendum est Primò, Si Iudici suppetebant aliæ rationes, ex quibus reum iuridicè damnaturus erat, vel damnare poterat, non teneri ad restitutionem: quia solùm in modo inferendi damni, iniuria commissa est, cùm idem damnum alia ratione iustè posset inferre. Itaque cùm ad ipsam substantiam damni inferendi ius habeat, non censetur iniuriam fecisse, nisi quoad modum; & consequenter non tenetur ad restitutionem damni quoad substantiam. Confirmatur, quia etiamsi restitueret illi vitam ademptam, posset tamen illam alia ratione auferre, & sic restitutio esset nullius momenti.

Secundò, Quando error à Iudice contra Iuris ordinem commissus est in aliquo puncto, in quo Princeps supremus poterat dispensare, ita vt ipsemet Princeps posset sic procedere, si de causa illa cognouisset: (vt si tortus est miles, vel vir in dignitate constitutus) tunc potest Iudici remittere restitutionem; quia potest eius factum approbare, vt suprà dictum est.

Tertiò, Quando Iudex contra Iuris ordinem procedendo, reum fecit crimen confiteri, omni modo curare debet, ne ei inde damnum sequatur; alioquin tenebitur ad restitutionem; nisi ratione supradicta excusetur.

175 *Si Princeps iubeat reũ plecti.* Dices, Quid si Princeps patefacto iam crimine, omnino iubeat illum condemnari, poteritne Iudex inferior obedire?

Respondeo, Posse obedire; ratio est, quia hoc ipso, quo crimen patefactum est in iudicio absque iniuria, quæ à Principe processerit, & excepto casu reuelatæ confessionis, habet Princeps ius procedendi iuridicè contra criminosum confessum, maximè, si bonum publicum id postulet; vt si crimen sit atrox. etsi enim ex tali confessione non posset reus immediatè condemnari, eò quòd non videatur satis constare de delicto: tamen est indicium ad inquirendum, si Princeps velit. quod confirmatur, quia si priuatus extorsisset ab aliquo confessionem criminis occulti, & illud patefacere, posset Iudex contra talem procedere: etsi enim per iniuriam patefactum sit, non tamen id factum est per ipsum Iudicem, neque ipsius consensu: ergo similiter, si Iudex inferior extorsisset contra Iuris ordinem confessionem criminis atrocis in iudicio, posset Princeps, qui in hanc iniuriam non consensit, contra talem procedere. Si potest ipse procedere, potest etiam alteri causæ cognitionem committere: ac proinde etiam illi ipsi Iudici, per quem est patefactum. In hoc tamen casu, Iudex, *Tenetur ad restitut.* qui illud iniquè extorsit, tenebitur ad restitutionem, nisi vel alia ratione potuisset iustè contra illum procedere absque fundamento illius extortæ confessionis, vel Iudex supremus possit condonare, & condonet. quando autem condonare possit, antè explicatum est.

Dices, Quomodo Iudex tenetur ad restitutionem, si potest illũ condemnare mandato Principis? 176

Respondeo, Quia huic necessitati damnandi, causam dedit per iniuriam: sicut si ipse solus crimen sciens euulgaret, peccaret contra iustitiam infamando occultum peccatorem: crimine tamen euulgato, posset ex officio vt Iudex contra illum procedere. nihilominùs teneretur de damno inde secuto, cui per iniuriam dedit causam.

CAPVT TRIGESIMVM.

De Accusatore & Teste.

Constat Dubitationibus 8. *D.Thomas q.68. & 70.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit accusatio, & quas requirat solemnitates.

1 RESPONDEO & Dico Primò, *Accusatio* propriè est delatio Rei de crimine, ad vindictam publicam, libello facta. Ita Siluester, ex Azone. Finis accusationis est vindicta publica ad exemplum populi, vt omnes ab huiusmodi criminibus sibi caueant.

2 *Requisita ad accusat.* Dico Secundò, Ad eam Iure communi requiruntur sex Primò, vt fiat in scriptis. Secundò, Vt exprimatur dies & annus, quo intentatur. Tertiò, Nomen accusatoris & accusati. Quartò, Species delicti. Quintò, Locus & etiam tempus, nempe annus, & mensis, quo delictum commissum est. Sextò, Inscriptio accusantis. colligitur ex L. Libellorum, 3. §. 1. ff. de accusationibus, vbi in formula hæc omnia ponuntur, & deinde additur, *Quòd si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint, Rei nomen aboletur, & ex integro repetendi reum potestas erit.* quibus verbis vult hæc ita pertinere ad formam accusationis, vt si omissa fuerint, totus processus sit irritus, & accusator damnandus sit in expensas: quamuis ius habeat rursus de nouo suam accusationem instituendi.

Primum requiritur; tum vt constet quid præcisè accusatori sit probandum; tum vt in eo non possit quidquam mutare, si fortè viderit se probare non posse. consuetudine tamen receptum est, vt possit fieri verbaliter, modo Notarius eam statim in scriptum redigat; vt notat Clarus qu.12. nu.7. *Ratio cur singula requirantur.*

Secundum modò non est necessarium, vt testantur Doctores: parum enim ad rem facere videtur.

Tertium est necessarium, quia debet constare quis sit accusator & quis accusatus. si accusati nomen ignoretur, potest ex habitu, officio, vel aliis circumstantiis adscribi.

Quartum est etiam omnino necessarium, quia super hoc fundatur intentio accusantis.

3 Quintum etiam est necessarium, adeò vt si in accusatione criminali omittatur, ipsa sit nulla, vt colligitur ex d. L. Libellorum. & docent communiter DD. in L. Edita. 3. C. de edendo. Ratio est, quia alioquin accusatio redderetur incerta & lubrica, & reo eriperetur facultas se defendendi, probando negatiuam, & testes conuincendo falsi.

4 *Non debet exprimi dies.* Aduerte tamen, non teneri exprimere in Libello diem commissi delicti, sed solùm mensem; vt expressè habetur d. L. Libellorum, quia alioquin potestas accusandi & probandi nimis restringeretur. facilè enim fieri potest, vt quis diei vel etiam hebdomadæ sit oblitus: quia non ita cadit sub sensum, vt locus.

Petes, Quid si reus petat exprimi diem & horam delicti, vt probet se eo die fuisse absentem, cogendúsne erit accusator vt exprimat? Gomezius cap. 11. n. 4. negat. Primò, Quia d. L. Libellorum, dicitur, *Nec diem autem nec horam inuitus comprehendet.* Secundò, Quia alioquin reus facile eluderet accusationem, subornando testes, qui deponerent, illum eo die & ea hora alibi fuisse.

5 *Si velit reus, tenetur exprimere.* Sed communis sententia est, cogendum esse, vt fatetur ipse Gomezius. Idem tenet Clarus suprà num. 13. & Emanuel Soarez in Annot. in Gomezium. Ratio est, quia hoc esset defensionem reo intercludere; cùm non aliter probare possit se non fecisse, quàm ostendendo se eo tempore non potuisse facere, eò quòd esset alibi, vel infirmus.

Ad primum Respondeo; Tantùm ibi significatur, non esse per se necessarium vt ponatur dies & hora, sicut necessarium est vt ponatur mensis. hinc tamen non sequitur non esse necessarium, si reus velit.

Ad secundum: Non est præsumendum tam facilè testes subornari, cùm id magno illorum periculo futurum sit. Si tamen accusator non meminit diei & horæ, potest iurando se non recordari, defungi, vt Clarus notat. quòd si meminit, & edat diem; non tamen tenetur probare, quia ad hoc se non obstrinxit.

6 *Etsi nō possit probare diem & horam, non refert.* Petes, Quid si sponte posuit diem & horam, & non possit probare illo tempore esse commissum, sed alio; poteritne sequi condemnatio? Communis fere DD. sententia est, non posse: quia non est probatum id quod est positum in libello.

Sed hæc sententia non seruatur in praxi, vt docet Clarus nu. 14. & Gomezius nu. 6. neq; est consentanea Iuri aut rationi: si enim apertè probatum est per testes omni exceptione maiores, delictum, v.g. sacrilegium vel furtum talis rei à te verè esse commissum tali tẽpore vel loco, quid refert quòd erratum sit in die, hora, vel loco particulari? non enim puniendum delictum, quia hoc vel illo loco, hoc vel illo die commissum est; sed quia commissum est, & commissum esse constat. Nisi fortè ratio delicti ex circumstantia loci vel temporis pendeat; vt si quis loco vel tempore prohibito piscatus, venatus, vel pastus fuerit: tunc enim locus & tempus eatenus exprimendum in libello, & probandum in progressu, quatenus ad delicti substantiam opus est. Pari modo, si qualitas aliqua vel conditio delicti sit proposita in libello, 7 *Sufficit probari substantiam delicti.* rantùm aggrauans delictum & pœnam eius, (vt si accusetur, quòd occiderit proditoriè, vel quòd furatus sit bis térve) etiamsi qualitas illa non possit probari; si tamen ipsum delictum simpliciter probatum fuerit, potest, & debet sequi condemnatio; quia interest boni publici, vt tale delictum etiam semel, vel absque tali conditione commissum puniatur, quando plenè in iudicio probatum fuerit. Ita docet Gomezius num. 7. parum enim refert, quòd accusator non potuerit conditionem illam delicti probare, quando probauit delicti substantiam. Accedit quòd in libellis apponi solet clausula, qua accusator testatur se non velle obligari, nisi ad probandum id quod est necessarium & principale.

Sextum, Nempe inscriptio accusantis, qua ac- 8 *Inscriptio non est in vsu in foro seculari.* cusator se obligat ad pœnam talionis, modò non est necessaria in foro sæculari; imò nec in vsu: tum quia id retraheret homines ab accusando; rari enim reperientur, qui velint suscipere onus probandi sub tanto periculo: tum quia hoc tempore Iudex ex officio procedere potest, si accusator defecerit. In foro tamen Ecclesiastico, vbi seruatur 9 Ius Canonicum, necessaria est, vt colligitur ex cap. Qualiter & quando. 2. de accusationibus. Verùm etiamsi in foro sæculari non addatur, tamen tacitè intelligitur ex legis dispositione, præsertim si deprehensus fuerit accusator per calumniam accusasse. Patet ex L. Mulier. 4. & L. seq. Quæsitum. 7. ad S. C. Turpilian. Consuetudo tamen habet, vt non puniatur pari pœna, sed minore, pro arbitrio Iudicis; ne homines ab hoc actu omnino deterreantur, vt docet Couarruuias lib. 2. variar. cap. 9. num. 1.

Dvbitatio II.

Vtrùm accusationem debeat præcedere secreta monitio.

Respondeo & Dico Primò, Quandocumque 10 crimen est probabile in iudicio, non tenetur ac- *Si crimen est probabile.* cusator ex iustitia præmittere secretam monitionem, v.g. vt reus desistat, vt satisfaciat; sed potest sine iniuria accusationem instituere. Ratio est; quia tunc propter bonum publicum concessa est accusatio, vel saltem denuntiatio, vt crimina in exemplum aliorum puniantur, sicque omnes à malo absterreantur. vnde reus non potest queri de iniuria sibi facta, quòd antè monitus non fuerit.

Dices, qui denuntiaturus est denuntiatione 11 euangelica, tenetur priùs monere peccatorem, si *Denuntiationem euangelicam præcedit monitio.* putet eum emendatum iri, idque ex iustitia, vt multi volunt: ergo etiam qui iudicialiter denuntiat vel accusat.

Respondeo, Esse disparem rationem; quia qui vtitur denuntiatione euangelica, nullam habet causam denuntiandi, si proximus putetur priuatim emendandus; nam hæc non instituitur ad punitionem, seu ad exemplum publicum, cùm ex ea nemo puniri possit; sed solùm ad fratris emendationem; quæ cùm sine eius infamatione possit obtineri, nullum ius habere videris ad eius famam

vio-

violandam. qui autem accusat vel iuridicè denuntiat, spectat punitionem ob bonum publicum. itaque etiamsi esset priuatim emendandus, tamen subest iusta ratio illum deferendi, nempe vt eius punitione alij terreantur.

12 *Interdum est contra charitatẽ.* Dico Secundò, Fieri tamen sæpè potest, vt priusquam accuses vel denunties iuridicè, tenearis lege charitatis proximum monere, vt desistat à crimine: vt si delictum sit occultum, & speretur priuatis monitis esse emendandus, & ad debitam satisfactionem inducendus; maximè si persona habeatur honesta; tunc enim contra charitatem esset, tantum malum illi irrogare.

13 *Si crimen contra bonum publicum.* Aduerte tamen, quando crimen est contra bonum publicum, & adhuc pendet, vel continuandum putatur in futurum, charitatem ordinariè non postulare vt monitio secreta accusationem vel denuntiationem præcedat; sed debere statim deferri Iudici vt malo occurrat: vt si occultè hæreticus aliquis in vrbem irrepserit, si quis cum hoste occultè tractet, vel consilia Principis significet, si quis falsam monetam cudat. Ratio est, quia periculum, quod impẽdet, est maioris momenti, quàm infamia & damnum omne, quod iste ex accusatione incurret. Neque hîc scrupulosè examinandum an fortè emendabitur priuata monitione; quia in re tanti momenti eligendum est id, quod tutius est. facilè enim posset talis priuatim monitus simulare emendationem & pœnitentiam, ac intereà occultè exequi quæ destinauerat. Itaque in huiusmodi, nisi certò constet, periculum caueri posse priuata monitione, non est adhibenda. Secùs est in aliis delictis, ex quibus non impendet incommodum, nisi ipsi peccatori, vel alteri priuato, vt dictum est cap.11.dubitat.9. vide D. Thomam qu.68.art.1.

Dvbitatio iii.

Vtrùm accusator possit desistere ab accusatione incepta, & quas ob causas.

14 Respondeo & Dico Primò, Certum est posse, & etiam debere desistere, si deprehendit se errasse, cùm putauit hunc esse auctorem criminis; vel si res incipit ei esse dubia, perseuerante dubio post diligentem inquisitionem; vel denique si videt se probare non posse. tunc enim pergere in accusatione, esset calumniari.

15 *Iudex accusationem rescindit, seu abolet in tribus euentis.* Dico Secundò, Certum est posse desistere, si Iudex accusationem refutet, nolendo eam admittere, vel si rescindat admissam: hoc autem Iudex facere potest, Primò, Si videt libellum habere aliquem defectum substantialem. Secundò, Si accusatur aliqua persona, quæ non potest sine magna Reipub. perturbatione puniri: tunc enim supremus Iudex seu princeps potest accusationem inchoatam abolere, etiamsi accusator priuatà causâ, vt suas iniurias persequatur, accuset; vt docet Caiet. quæst.68.art.3. Ratio est, quia Principis est, primariò gerere curam boni communis, ad quod refertur bonum priuatorum: ac proinde ipsius est cauere damnum publicum, etiam cum incommodo priuatorum. Iudex autem inferior ob eamdem causam potest accusationem ab initio non admittere, & repellere, idque non ordinario Iure & potestate, sed ex tacita quadam Principis voluntate, seu ex ὑποκρίσει, vt ait Caietanus: admissam tamen non potest ex auctoritate abolere; sed potest suspendere & dissimulare, & interim totum negotium Principi exponere. Tertiò, Si persona illa 16 bono publico censetur necessaria, vel valdè conducibilis: tunc enim supremus Princeps potest accusationem abolere. Inferior autem Iudex potest eam non admittere, & admissam impedire, ἐξ ὑποκρίσεως, si non agitur de iniuria partis. Si autem agitur de iniuria partis, non potest; non enim ad ipsum spectat principaliter boni publici promotio, sed officij iniuncti administratio. Itaque tenetur parti ius dicere, nec potest se prætextu maioris boni publici eximere. alioqui sæpè hac arte Iudices liberarent quos vellent. potest tamen Principi scribere, quid iudicet expedire, & interim sententiam sustinere.

Dico Tertiò, In causa ciuili potest actor à lite 17 recedere, siue per gratiam, siue per transactionem. *In causa ciuili.* Si tamen actio sit famosa, qualis est actio furti, non potest in ea transigere post litis contestationem, sine Iudicis auctoritate: alioquin notatur infamia, vt patet L. Furti. 6. §. Pactus. π. de his qui notantur infamia. vide Glossam in cap.1.de collusione detegenda.

Dico Quartò, in causa criminali, ante litem in- 18 choatam licitum est desistere per gratiam; (quod *In causa criminali.* intellige in euentu, quo non tenetur accusare vel denuntiare) post litem inchoatam, non est licitum sine Iudicis auctoritate; neque etiam sine consensu Rei, si fuit subiectus tormentis, vel ex accusatione infamatus; quòd si aliter desiterit, incurrit pœnam S.C. Turpiliani, quo (si quidem erat crimen publicum, quod accusauerat) punitur infamia & quinq; libris auri, vt patet L.11.C. ad Turpilianum. Si autem erat priuatum, punitur pœna extraordinaria arbitrio Iudicis. L. Si quis.7. π. eodem. vide Glossam suprà, & Siluestrum v. Accusatio, num.8.

Petes, Quod crimen dicatur publicum, quod 19 priuatum.

Respondeo, *Publicum* crimen dicitur, cuius ac- *Publicum crimen.* cusatio cuilibet concessa est, quia ad publicam vtilitatem maximè pertinet illud puniri. vt patet ex L. 1. & sequent. π. de public. Iudic. Tale est Primò, Omne illud, quod directè fit contra Deum vel res diuinas: hoc enim in omnium iniuriam fieri censetur: vnde meritò quiuis illud accusare potest: vt hæresis, blasphemia, euersio templorum & imaginum, & similia sacrilegia. Colligitur ex L. 4. C. de hæreticis. Secundò, Tale etiam est, quod fit contra maiestatem Principis vel Reipub. vt omnia crimina læsæ maiestatis. Tertiò, Quod fit contra priuatam personam, ita demum censetur publicum, si lege statutum sit vt publicum habeatur; vt crimen homicidij, parricidij, adulterij, peculatus, falsi, vis publicæ vel priuatæ, ambitus, repetundarum, annonæ: vt patet dicta L.1. π. de publicis Iudiciis.

Priuatum dicitur, cuius accusatio solùm con- *Priuatum crimen.* cessa est ei, qui iniuriam vel damnum passus est, vt crimen furti, iniuriarum, stellionatus. vt patet ex d.L. Si quis.7. π. ad Turpilian. & L. final. π. de priuatis delictis.

Dico Quintò, Licitum est transigere in crimine 20 publico capitali, (id est, quod pœna capitis punitur) præterquam in crimine adulterij; quia hîc *Transactio.* transactio est turpis. si autem est crimen publicum

non capitale, non est licitum transigere, nisi in crimine falsi. vtrumque habetur L. Transigere. 18.
21 C. de transactionib. In criminibus priuatis, generatim transactio est licita. Ita Glossa in c.1. de collus. insinuat. hæc tamen intelligenda sunt ante accusationem; nam post accusationem non potest fieri sine auctoritate Iudicis. Verùm in his videndæ sunt leges & consuetudines Prouinciarum: nam hæc, quæ ex Iure communi allata sunt, supponunt accusationem fieri cum inscriptione; vt patet π. & C. ad Turpilianum: quæ tamen iam vix est in vsu. Adde, si accusator aliter quàm par est
22 desistat, posse Iudicem procedere per inquisitionem, vt communiter Doctores docent.

DVBITATIO IV.

Quot testes in causis criminalibus requirantur, & quomodo plenè probent.

23 NOtandum est, neminem condemnari posse, nisi per publicam scientiam constet Iudici de crimine & criminis auctore: quia cùm ex potestate publica, iudicia exerceat, sententia, præsertim condemnatoria, ex publica scientia proficisci debet. Tribus autem modis crimen per publicam scientiam constare potest. Primò, Si ipse Iudex cum tribus vel quatuor aliis deprehendat illum in flagranti delicto. Secundò, Si reus in iudicio confiteatur crimen. Tertiò, Si testibus conuincatur. hic tertius modus est ferè ordinarius. itaque inquirendum est, quot & quales testes requirantur.

Tribus modis delictũ patere potest.

24 Dico Primò, Quando per testes veritas inquiritur in causis criminalibus, requiruntur & sufficiunt duo testes legitimi, fide digni, & omni exceptione maiores. est communis sententia DD. vtriusque Iuris, & Theologorum. & colligitur ex L. Vbi numerus. 12. π. de testibus. & cap. Licet vniuersis. 23. de testibus. & cap. Cùm esses. 10. de testamentis.

Duos testes requiri.

Duos requiri, ita vt vnus non sufficiat ad condemnandum, Iure gentium receptum est: facilè enim vnus peruerti posset. duos autem peruertere & efficere vt conformiter loquantur, nec vsquam
25 se falsitas prodat, est valdè difficile. Nec obstat, quòd quidam dicant id esse Iuris naturæ; quia Ius gentium passim vocatur Ius naturale, eò quòd ratio naturalis omnes gentes id docuit. propriè tamen loquendo, non est vniuersim Iuris naturæ. posset enim Respub. Principi sapienti & iusto dare potestatem condemnandi ex propria scientiâ cum vno teste, vel etiam sine teste: imò probabile est Principem in quibusdam casibus hanc potestatem habere, vt dictum est cap. 29. dub. 11. Credo tamen Rempub. non posse dare potestatem Principi, vt etiam quando ipse alia ratione de crimine non est certus, ex dicto vnius testis condemnare possit: quia non habetur sufficiens certitudo ex vno teste, ad pœnam mortis, vel mutilationis inferendam; nisi fortè testis sit summæ auctoritatis & fidei. & hac ratione est propriè Iuris naturæ vt sint duo testes, id est, non pauciores, quàm duo.

Quadam ratione est Iuris naturalis, quadam gentium.

26 *Duos* sufficere, similiter est Iuris gentium; non quòd Ius gentium præcipiat vt duo sufficiant; sed quia non plures requirit, sed permittit reum ex duobus testibus condemnari. Huic tamen non

Duos sufficere.

obstat, quin Ius ciuile vel Canonicum in aliqua causa possit plures requirere. sic Iure Canonico ad condemnandum Episcopum Cardinalem requiruntur 72. testes: ad Presbyterum Cardinalem 64. ad Diaconum Cardinalem 27. ad reliquos Clericos 7. vt patet cap. 3. Præsul. 2. qu. 5. ex Siluestro Papa. Ratio est, tũ quia isti apud multos sæpè sunt in magna inuidia, eò quòd alios corripere debeãt: tum quia ex eorum damnatione multùm detrahitur existimationi & reuerentiæ, quæ debetur ministris Ecclesiæ. Notat tamen Clarus qu. 66. hunc numerum testium in praxi non seruari. Sic etiam Iure ciuili in testamentis clausis requiruntur 7. testes, in apertis quinque, in codicillis quinque, in criminalibus tamen hoc Iure sufficiunt duo: quia in testamentis plures sunt insidiatores, & testator mortuus non potest suam mentem interpretari.

27 *Plures requiruntur ad condemnandos Ecclesiasticos.*

Petes Primò, Vtrùm etiam Iure diuino positiuo hic numerus testium sit definitus.

28 *Nõ est modò Iuris diuini positiui.*

Respondeo, In Lege veteri ita definitum fuisse, vt patet Deut. 17. *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.* & cap. 19. *Non stabit vnus testis contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit; sed in ore duorum aut trium testiũ stabit omne verbum.* In noua tamen Lege hoc Ius nõ obligat, nisi quatenus continet id quod est Iuris naturæ; quia omnia præcepta Legis veteris, qua parte continent Ius positiuum, cessarunt per mortem Christi. Nec obstat illud Matth. 18. vbi Dominus iubet fratrem peccantem corripi coram vno vel duobus testibus, *vt*, inquit, *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Solùm enim vult ostendere id esse consentaneum Legi veteri, & rationi naturali: optimè enim poterit per duos vel tres testes conuinci, si neget se malè fecisse.

Petes Secundò, Vtrùm duo testes requirantur præter accusatorem?

Respondeo, Iure ciuili & Canonico duos testes
29 requiri præter accusatorem, vel id quod vicem accusatoris supplet, vt patet ex dictis c. 29. dubit. 12. quia Iudex non potest procedere sine accusatore vero vel ficto. Puto tamen id neque Iure naturali, neque Iure diuino positiuo, neque Iure gentium esse necessarium. *Non iure naturali aut gentium*, quia accusator non requiritur vt ipse ex se adferat vllam probationem vel confirmationem delicti; sed solum vt excitet & quodammodò cogat Iudicem ad causam cognoscendam, quam ipse illi probat tantummodò per testes; itaque tota cognitio & certitudo criminis commissi est ex testibus: atqui Iure naturæ non requiritur, vt Iudex aliunde excitetur ad causæ cognitionem; sed hoc constitutum est Iure positiuo ad coërcendum malignitatem, qua alioquin Iudices vti possent, si sponte sua, vel relatione alicuius priuati extraiudicialiter facta, possent causas inchoare, nulla infamia præcedente. Deinde quando crimen est manifestum, &
30 auctor omnino occultus, si accedant duo testes, potest condemnari, & tamen nullus hîc est, qui hunc in particulari accuset: (nisi fortè fiscalis, qui tamen non scit aliunde quàm ex illis duobus testibus) quòd enim crimen notorium dicatur vicem accusatoris supplere, eatenus tantùm verum est, quòd instar accusatoris excitet Iudicẽ, vt procedat ex officio. *Non etiam Iure diuino* requiritur accusator à teste distinctus, quia Deut. 17. & 19. solùm requiruntur duo testes, vt quis possit condem-

Accusator solo Iure positiuo requiritur præter duos testes.

demnari ad mortem. & Matth. 18. is qui corripit fratrem,& posteà illum denuntiat Ecclesiæ, vocatur testis; vt patet ex verbis Domini,cùm ait,*Corripe eum inter te & ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecũ adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* si enim vnum adhibes, iam estis duo testes: si duos, estis tres. ipse ergo, qui accusat vel denuntiat, testis est, si deponat eo modo quo testis debet: & satis vnum huic accedere. vnde patet Iure diuino non fuisse necessarios duos testes, præter accusatorem vel denuntiatorem; sed vnum fuisse satis, si ipse vt testis poterat deponere.

31 Dices,Qui furantur fructus ex hortis, vel ligna ex siluis, puniri solent ex solius custodis testimonio: ergo non requiruntur duo testes; imò vnus sufficit,qui sit accusator pariter & testis.

Respondeo, Custodis testimonium non sufficere ad condemnationem absque alijs indicijs, si reus neget; sed tantùm ad inquirendum, examinandum,& minandum. Adde,ad leuem aliquam castigationem, quæ sit absque infamia, irrogandam,posse interdum vnum testem, si simul sit accusator, sufficere; vt solet fieri in scholis inter studiosos: ad grauem autem pœnam, cui coniuncta infamia, requiruntur duo testes, præter id quod supplet vicem accusatoris.

32 *Vt testes plenè probent.* Dico Secundò, Vt duo testes plenè probent, requiritur Primò, Vt deponant iurati. Secundò, De eodem facto. Tertiò, Quòd sensu externo illud perceperint, (v.g. quòd viderint occidentem, furantem, audiuerint blasphemantem.) Quartò, Vt sint omni exceptione maiores.

Primùm, Vt sint iurati, patet cap. Nuper. 51. de testibus, vbi Honorius III. ait, *Nullius testimonio, quantumuis religiosus existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium debet credi.* Idem patet cap. Tuis. quæst. 39. eodem titulo, vbi Panorm. ait, *Ne Episcopo quidem, vt testi credi in alterius præiudicium, nisi iurato.* Ratio est, quia absq; iuramento facilius est mentiri quàm cum iuramento; diuini enim Numinis reuerentia prohibet mentiri iuratum. debet autem veritas in iudicijs certissimo modo inuestigari. Porrò iurare debet se dicturum totam veritatem, quam in causa præsenti nouit, nulla falsitate adiecta, vt patet cap. 20. Hortamur. 3. quæst. 9.

33 Secundò, Vt de eodem facto, patet; quia alioquin non erunt contestes, sed testes singulares, quorum alter alterius dictum non confirmat, sed vterque suum tantùm: & sic erit tantùm probatio per vnum testem. vnde debent conuenire in tempore, loco,& delicti specie: nam ex diuerso tempore & loco colligitur non esse idem factum, de quo deponunt. si tamen alter exprimat certum diem, alter dicat se non meminisse diei, valet. Secùs tamen si alium diem exprimeret; tunc enim putaretur aliud factum: nisi ipsum sit tale vt non possit bis fieri. Vnde sequitur, si vnus testis deponat de vna propositione hæretica asserta à reo, & alius de alia, non plenè probari hunc esse hæreticum; quia neutra hæresis est plenè probata. sicut enim nemo potest probari esse homicida, aut adulter, aut fur, aut sacrilegus, nisi vnum idemque factum externum per duos testes probetur; ita etiam nemo potest probari hæreticus, nisi vna eademque hæresis asserta, per duos testes probetur. Quare fallitur Gomezius, & Iurisperiti quos ipse citat cap. 12. nu. 12. contrarium absque firma ratione vel textu tenentes. nam quòd ipsi dicunt hæresim continere multas species, ac proinde si vnus testis deponat de vna hæresi & alius de alia, plenè probari delictum in genere, quod ex speciebus resultat; idem dici potest de furto, & reliquis delictis; continent enim multas species seu facta, ex quibus resultat aliquem esse furem. Fatendum tamen est, huiusmodi probationem esse plus quàm semiplenam: nam vtraque est semiplena; sed quia sunt de factis diuersis, non possunt vnam plenam conficere. Altera tamen alteri addit nouum indicium, seu suspicionem. Quòd si duo de eadem hæresi asserta deponant, & solùm in tempore discrepent, plenè probant; quia in substantia delicti conueniunt: & quamuis non sit idem numero actus, tamen quia est idem numero significatum, habetur pro eodem actu: imò discrepantia temporis interdum facit ad maiorem fidem.

Vna eadẽq; hæresis per duos probanda.

Tertium est,Vt sensu externo perceperint, L. Sola. 4. C. de testibus, vbi Glossa & communiter Doctores, & cap. Si testes. 4. §. Solam. 4. q. 3. Ratio est, quia non possunt esse certi de facto externo, nisi per aliquem sensum. vnde si solùm ab alijs audiuerint, non probant plenè, sed solùm faciunt indicium ad inquirendum ab illis. 34

Quartum est, Vt sit omni exceptione maior, de quo dubitatione sequenti.

Dvbitatio v.

Quinam sint testes idonei, qui minùs idonei.

NOtandum est, quosdam dici *testes idoneos*, seu omni exceptione maiores, eos nimirum contra quos nihil potest Iure opponi, cur minùs fit illis fides adhibenda, seu cur non sint ad testificandum admittendi. Minùs idonei sunt, quibus aliquid opponi potest, vel ex natura rei, vel ex Iuris dispositione. & quia omnes habentes perfectum vsum rationis sunt idonei, nisi aliquid in illis sit, ob quod Ius velit eos censeri minùs idoneos, videndum est quinam Iure repellantur: sic enim intelligetur quinam sint omni exceptione maiores. 35

Primùm igitur in causis criminalibus Iure Canonico repellitur mulier, ob fragilitatem sexus & ingenij mutabilitatem. Ita habetur cap. Forum. 10. sub finem, de verb. significat. & cap. 16. Mulierem. 33. qu. 5. Iure tamen ciuili in omni causa admittitur, L. Ex eo. 18. ff. de testibus. præterquam in testamento, L. Qui testamento. 20. §. Mulier. ff. Qui testam. fac. poss. Ita communiter tradunt DD. vt docet Gomezius cap. 12. num. 13. 36 *Qui Iure repellãtur. Mulier.*

Secundò, Repellitur minor viginti annis, L. In testimonium. 10. ff. de testibus. dictum tamen eius facit indicium sufficiens ad capiendam informationem; non tamen ad torturam, vt ibidem docet Gomezius. vnde non est verum, quod ait Silues. v. Testis, qu. 1. dictum impuberis facere indicium ad torturam. Si tamen sit puber, (id est, quatuordecim annorum in masculo, duodecim in femina) admittitur in ciuilibus. 37 *Minor.*

Tertiò, Inimicus eius contra quem testimoniũ dicitur. hic repellitur etiam in criminibus exceptis, in quibus alij testes minùs idonei admittuntur, vt in probanda simonia, hæresi, & simili- *Inimicus.*

bus, vt patet cap. Per tuas. 32. de simonia. debet tamen esse inimicitia grauis; vt si præcessit inter eos iniuria, vel lis super causa capitali, vel magna parte bonorum, sed hoc relinquitur arbitrio Iudicis definiendum.

Sanguine iuncti. Quartò, Ascendentes & descendentes accusatoris; item collaterales: sed hi tantùm vsque ad quartum gradum, vt docet Gomezius n.15. Idem dicendum de affinibus.

38 Aduerte tamen, Consanguineos & affines Rei interdum admitti posse ad reum defendendum, eiusque innocentiam probandam: sic enim habet vsus, teste Claro q.24. num.12.

Domesticus. Quintò, Domesticus ipsius producentis.

Infamis. Sextò, Infamis infamia iuris; qualis est omnis, qui de aliquo crimine est damnatus. Infamis autem facto, etiam regulariter repellitur. potest tamen interdum admitti in subsidium, quando aliter veritas cognosci nequit; sed cum tortura, vt docet Clarus num.13.

Periurus. Septimò, Periurus, qui in aliqua causa falsum cum iuramento deposuit: qui enim semel peieranit, putatur facilè secundò peieraturus.

39 *Socius criminis.* Octauo, Socius criminis, L.finali, C. de accusationibus, & cap. Veniens. 10. de testibus. Ratio est: hic enim facilè alium nominabit, vel quia illius priuilegio veniam sperat, vel quia odio cupit illum eodem supplicio perire, vt habetur d. L. finali. In criminibus tamen exceptis, admittitur socius vt idoneus testis; vt in hæresi, crimine maiestatis, falsæ monetæ, maleficio seu sortilegio, sodomia, & furto famoso. Addit Gomezius nu. 16. idem dicendum in delictis quæ non possunt sine socio committi. Itaque in huiusmodi, depositio socij non solùm erit sufficiens indicium ad torturam, sed etiam erit semiplena probatio; & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio. & poterit reus condemnari, vt docet Cynus in d.L.vlt. C.de accusat. & Panorm. in cap. 1. de confessis. debet tamen hæc depositio fieri tamquam à teste, nempe cum iuramento, & citata parte: cui etiam danda est copia depositionis, vt possit se defendere.

Inops. Nonò, Persona vilis, & inops, de qua suspicio est facilè posse pecunia corrumpi: secus si sit honesta. vide L. 3. & 4. ff. de testibus, vbi ferè hæc omnia habentur, & Silueſt. v. Testis, q. 1.

40 *Testis minùs idoneus sæpè facit indicium.* Circa hæc Notandum Primò, Etsi testis minùs idoneus non probet semiplenè; facit tamen aliquod indicium, quod cum aliis coniunctum sufficiat ad torturam: nisi repellatur ob subiectionem vel reuerentiam, quam debet accusatori; vt si sit seruus, vel libertus, vel filius: tunc enim nullum facit indicium; similiter si ob inimicitiam. Denique si repellatur, eò quòd sit receptus ante litem contestatam, vel parte non citata: hoc enim casu attestationes non valent; (vt habetur cap. Quoniam. 5. vt lite non contest. non procedatur) præterquam in casibus ibidem & in Glossa exceptis. Quidam tamen dicunt, testes minùs idoneos non facere vllum indicium, si tempore depositionis pars opposuit exceptionem inhabilitatis; idque approbat Gomezius num. 20. sed non puto receptum in praxi.

41 *Aliquando admittuntur.* Notandum Secundò, Testes minùs idoneos admitti tamquam idoneos, quando delictū est commissum eo loco vel tempore, vbi copia testium haberi nequit; vt in campo, silua, cubiculo, monte, vel nocturno tempore, vt patet capite finali, de testibus. Item si alter testium sit valdè dignus fide, potest supplere defectum, qui est in altero minùs idoneo, ita vt simul efficiant plenam probationem, vt tenet Baldus in L. Si quis ex argentarijs. 6. §. 1. ff. de edendo, & alij Doctores ibidem. 42 *Si alter valdè dignus fide.*

Dvbitatio vi.

Vtrùm semper teneatur quis testari vel denuntiare, Iudice præcipiente, vel iuramentum deferente.

Respondeo & Dico Primò, Subditus tenetur denùtiare & testari, posito præcepto Iudicis. 43 *Tenetur testari posito præcepto, certis casibus.*

Primò, Si auctor laboret infamia delicti.

Secundò, Si nulla quidem laboret infamia, tamen ab eo impendet damnum bono publico in futurum, quod alia ratione quàm per Iudicem auerti nequit. hoc casu etiam absque præcepto Iudicis obligatur.

Tertiò, Si graue malum impendeat alicui priuato, quod aliter nequeat impediri. nam tunc etiam charitas obligat ad denuntiandum vel testandum. In his tribus euentis Iudex habet auctoritatem præcipiendi denuntiationem & testificationem: vnde si præceperit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; qui non obedierit, incurret censuram, quia tenebatur obedire, vt rectè docet Nauarr.cap.17.n.34.& 35.& cap.25.n.46.& 47.

Quartò, Si de auctore delicti est semiplenè probatum. si enim vmquam testem cogere potest, certè tunc potest; vnde delato iuramento, tenetur testis iurare de veritate dicenda. Confirmatur, quia delictum iam incipit esse publicum, non minùs quàm per infamiam: ergo si posità infamiâ Rei tenetur testari, etiam tenetur posita semiplena probatione. cessat enim ratio cur possit excusari, nempe infamatio rei de crimine occulto.

Quintò, Si procedatur viâ accusationis, & delictum plenè probari possit, testis citatus tenetur testari. colligitur ex L.Inuiti. 8.& 19.ff. de testibus, vbi dicitur, quinam non possint compelli ad testandum inuiti: vnde à contrario sensu intelligitur, ceteros posse inuitos compelli, inter quos etiam est iste. Probatur; Nisi hoc casu testis possit cogi, nemo auderet accusare; quia non posset probare nolente teste; & sic videretur calumniator: hoc autem redundaret in damnum publicum. Adde, quando quis accusauit vel denuntiauit, eò quòd in conscientia ad hoc obligaretur; tunc teſtis tenetur sponte se offerre in testem, vt docet Nauarr.cap.25.n.47. quod intellige, si videt suum testimonium esse necessarium. 44 *Sponte se offeret.*

Dico Secundò, Multis tamen casibus non teneris denuntiare vel testari. 45 *Quando nō teneatur.*

Primò, Si nosti ex confessione sacramentali: imò tunc nulla ratione potes; etiamsi inde Reipub. salus penderet, vt communiter Doctores tradunt. *1. casus.*

Secundò, Si tibi sub secreto patefactum est, consilij vel auxilij petendi causâ, ad salutem animi vel corporis miseri delinquentis: vt si iis medicus, aduocatus, obstetrix; tunc enim non potes denuntiare, nec testimonio tuo confirmare, etiamsi de auctore esset infamia, vel semiplena probatio. Ita Corduba lib.1.qq. qu.43.dub.2. Nauarr.cap.25. num.46. Petrus Nauarra lib.2. cap.4.nu.222. qui *2. casus. Si causa consilij vel auxilij.*

multos

multos citat pro hac sententia: qui tamen id non docent in euentu infamiæ & semiplenæ probationis. Ratio est, quia non debet misero homini obesse, quòd consilij vel auxilij petendi causâ se alteri bona fide patefecerit. alioquin peccatores à consilio petendo auerterentur: vnde multa mala sequi possent.

46 Dices, Iudex habet ius inquirendi, dum est infamia vel semiplena probatio: ergo qui nouit, tenetur patefacere, etiamsi sub iuramento promiserit seruare secretum; tua enim promissio & tuum iuramentum non potest iuri Iudicis præiudicare.

Ob hoc argumentum Sotus de secreto, membro 2.qu.7.concl.4. contrarium tenet. Sed negandа est consequentia; etsi enim Iudex legitimè inquirat, vt officio suo & Reipubl. satisfaciat; ego tamen, qui sic cognoui, nec teneor, nec possum aperire, ob rationem dictam. multò enim magis cedit in bonum publicum vt huiusmodi sileantur, quàm vt detegantur.

47 Aduerte tamen, si denuntiatio vel testificatio sit necessaria ad damnũ aliquod publicum vel priuatum auertendum, promissionem secreti, etiam iuramento confirmatam, non obligare; quia nullum iuramentum promissorium cedens in damnum iniustum tertij obligat: ac proinde talis tenetur illud aperire, non secùs ac si non promisisset.

3. Tertiò, Si auctor non laborat infamia, nec timetur damnum in futurum, (vt si speretur emendandus priuatis monitis) non teneris denuntiare, neque testari contra eum, quando proceditur per inquisitionem; etiamsi tu cum duobus vel tribus aliis scias. est ferè communis sententia DD. qui docent, Iudicem non posse tunc inquirere; vel si potest inquirere, id non esse ex eo, quòd iurisdictionem habeat in auctorem occultum criminis; sed vt satisfaciat Reipubl. quæ postulat vt fiat diligens inquisitio, vt malefactores timeant & compescantur: non tamen postulat vt in hoc casu reuelentur. Ita Silu. v. Inquisitio. 1.num.7.& v. Correptio.num.6. Fumus v. Inquisitio.num. 10. Petrus Nauarra lib. 2. cap.4. num. 168. vnde hîc datur species quædam belli vtrimque iusti, dum Iudex iustè testem vrget, & testis iustè negat.

48 *Si possit probari, nõ est contra iustitiam denuntiatio.* Putant tamen quidã, in huiusmodi euentu non esse cõtra iustitiam, si denunties aut testeris; modò crimen non sit adeò occultum, quin aliquo modo probari possit. quia qui potest probare, ei concessum est propter bonum publicum, ius accusandi vel denuntiandi: hoc enim expediebat ad malefactores coërcendos. verùm quousque id licitum sit, ostensum est suprà cap.29. num. 111.& 112.

Neque cùm solus nosti auctorem. Addo, non esse contra iustitiam, dum crimen est publicum & auctor occultus, si contra eum deponas cum iureiurando tamquam testis, etiamsi solus videris; quia efficies semiplenam probationem: quâ positâ, Iudex potest procedere ex officio etiam ad torturam.

4. Quartò, Quando proceditur via accusationis,
49 *Aliquando potest testari, sed nõ tenetur.* si testis videt rem probari non posse, eò quòd ipse solus & accusator sciant, non tenetur testari, quia accusator non potest tunc accusare, nisi forte id necessarium fuerit ad malum impediendum. potest tamen testari si velit; & efficiet semiplenam probationem; poteritque Iudex ex officio procedere contra reũm, eum subiiciendo quæstionibus. nam generali consuetudine receptum est, vt nec accusatio impediat inquisitionem, nec inquisitio accusationem, & vt hæc duo remedia possint simul concurrere in principio, medio, & fine totius causæ, & alterum alteri possit succedere, esseque adminiculo; vt docet Clarus lib.5.§.Pract.criminal.qu.3.& Gomezius to.3.cap.13.

Quintò, Quando Iudex quærit quis acceperit, 5.
non tenetur subditus patefacere eum, qui quòd 50
non posset aliter obtinere solutionem; accepit causâ iustæ compensationis; vt rectè Nauarrus cap.17.num.115. Ratio est, quia præceptum Superioris procedit ex præsumptione alicuius iniustitiæ, quam subditus putat hîc non subesse.

Sextò, Si ex denuntiatione vel testificatione ali- 6.
quod notabile damnum mihi meíve immineret, non teneor. non enim hæc officia præstare tenemur cum nostro damno, nisi bonum publicum illud necessariò postulet. Ita Nauarr. cap.25.n.50. & Couarruuias qq.pract.cap.18.

Septimò, Si cognoui ab iis qui fide non sunt 7.
digni; hoc enim perinde est ac si nescirem: vnde non teneor testari aut denuntiare, vt rectè Nauarr. cap. 25. num. 46. neque expedit reuelare eos qui dixerunt, si fide digni non sunt; quia reus exponeretur periculo iniustæ infamiæ & pœnæ. Iudex enim, qui nescit fidem eorum suspectam, fortasse eis credet, & ex eorum testimonio pœnam inferet. Si non possum probare, (vt si solus nouì) non teneor denuntiare, etiamsi Superior præcipiat; ita Nauarr.cap.17.nu.136. quod intellige de denuntiatione, quæ fit tamquam Iudici, & in ordine ad punitionem. Si tamen agatur de testando, satis est me scire; quia testis non tenetur probare.

Notandum autem est, in omnibus casibus, in 51
quibus non tenetur reuelare iniuratus, non teneri *Iuramenti testium.*
etiam iuratum: modò iuramentum suum conuenienti modo intellexerit; nempe cum interna restrictione, quæ casum præsentem excludat: vt si dum præcepto Iudicis iuras te dicturum veritatem, quam nosti, restringas mente, *quatenus Iure teneor*: quando enim non tenetur testari Iudice *Iuramenti interna limitatio.* præcipiente, non potest Iudex ei imponere obligationem vt secundùm mentem suam iuret: quare potest iurare alio sensu sibi commodo; neq; vllum in eo cõmittitur mendacium, vt multis exemplis ostendi potest. vide suprà cap.11.dub.20. Cauere tamen debet, ne deprehensa veritate, à Iudice putetur periurus, & pœna falsi plectatur. quòd si quis absque huiusmodi restrictione iurauerit, tenetur reuelare omnia quæ absque peccato reuelare potest, vt iuramento satisfaciat.

DVBITATIO VII.

Vtrùm testis ratione falsi testimonij teneatur ad restitutionem.

REspondeo & Dico Primò, Si vel sciens vel 52
ex crassa ignorantia dixit falsum testimo- *Si ex grauì culpa dixit falsum testimonium.*
nium, ratione cuius alter iniustè damnum acceperit, tenetur ad restitutionem damnorum in solidum. Ratio est, quia per iniuriam est causa efficax totius damni.

Aduerte tamen Primò, Si reus iam erat per alios testes conuictus; & tuum testimonium accedens nihil effecit, eò quòd pœna propter illud non est aucta, nec Iudex firmior redditus est ad eam irrogandam; te non teneri ad restitutionem: quia etsi *Si reus antè erat conuictus, non restituet.*

iniu-

iniuriam ei facias, non tamen es causa efficax damni, quod ex prioribus testimoniis iam censetur illatum. vide suprà cap.13.dub.2.& 3.

53 *Tenetur reuocare, vt malum auertatur.* Secundò, Qui hoc modo falsum testimonium dixit, ratione cuius mors vel mutilatio est inferenda, tenetur sua dicta retractare, si id profuturum putet, quamuis ipsi similis pœnæ periculum crearetur, vt communiter docent DD. quisque enim tenetur damnum, quod alteri iniquè parauit, auertere, etiam cum pari damno suo; vt patet in restitutione famæ, pecuniæ, & honoris: nam in pari damno melior censeri debet conditio innocentis. vide suprà cap.11.dub.20.& 22.

Dices, Quisque magis tenetur consulere vitæ suæ quàm alienæ: ergo non tenetur succurrere vitæ alienæ cum periculo suæ.

54 Resp. Antecedens solùm est verum in pari causa innocentiæ; vt si vita tua sine mea culpa sit in periculo, non teneor tibi consulere cum periculo meæ. secùs est, si meâ culpâ & iniuriâ periclitetur. Hinc fit, vt si alios ad falsum testimonium dicendum induxeris, ex iustitia tenearis eos monere vt retractent. quòd si noluerint, debes Iudici totam tuam machinationem aperire, vt innocens liberetur; quamuis inde tibi certa mors impenderet; vt rectè docet Petrus Nauarra lib.2. cap.3. n.253. quod intellige, modò spes sit reuocationem illam profuturam.

55 *Si absque graui culpa dixit.* Dico Secundò, Qui falsum testimonium dixit ex ignorantia vel inaduertentia non damnabili, vel ex oblitione, saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non tenetur ad restitutionem. Ita Caiet.q.70.art.4.& Petrus Nauarra suprà. Probatur, Quia neque ratione rei acceptæ, (cùm nihil inde habeat:) neque ratione iniustæ damnificationis; quia non peccauit, saltem mortifere, vti supponimus: atqui probabile est non teneri ad restitutionem ex damno illato, eum, qui non peccauit mortiferè, vt ostensum est suprà cap.7. dub.6 censetur enim huiusmodi damnum quasi fortuitò illatum. Hinc etiam sequitur, illum non teneri cum vitæ periculo suum testimonium retractare; vt ibidem Caietanus.

DVBITATIO VIII.

Vtrùm testis teneatur ad restitutionem, si nolit testari, vel si veritatem occultet.

56 *Tenetur aliquando se offerre.* SVppono Primò, Non teneri ad restitutionem ex eo, quòd se non obtulit; quia non tenetur ex iustitia se offerre: quamuis interdum teneatur ad hoc ex charitate; vt si suum testimonium videt esse necessarium ad liberandum innocentem, vel ad accusatorem, (qui propter bonum publicum tenebatur accusare) eripiendum periculo pœnæ talionis; vt docet Nauarrus cap.15.num.17.

Nō tenetur cum graui damno. Secundò, Etiam non teneri ad restitutionem, si nolit testari, quando graue damnum ei inde impenderet; quia non tenetur tunc testari: nec Superior potest eum ad hoc obligare, nisi ratio boni publici id postulet. vnde potest vel citatus non comparere, vel si compareat, aliquo artificio se eximere; vt docet Sotus de secreto, memb.2 q.7. dub.3.& Nauarr.cap.25.num.50.& alij.

57 Sed difficultas est, si nullum damnū immineat, & à Iudice citetur, vel iussus sit citari. Multi Doctores docent, si hoc casu fugiat vel se occultet, vel aliqua arte Iudicis interrogationem eludat, teneri ad restitutionem. Ita Nauarrus cap.25. num. 41. Sotus lib.5. de Iustitia, qu.7.art.1. Michaël Salon q.70.art.1.dub.3.& alij. Probatur Primò, Quia hoc ipso, quo citatus est, vel iussus citari, misso ad eum publico nuntio, tenetur ex iustitia testimonium dicere; sicut quando alicui munus tutoris imponitur. Secundò, Si Iudex præciperet tibi vt proferas scripturam quamdam, ad causam pertinentem, & tu eam occultares vel lacerares, teneteris ad restitutionem damni inde secuti: ergo similiter si præcipiat vt proferas tuum testimonium. *Si nullum impendeat damnum.*

Resp. & Dico Primò, Verius omnino videri, 58 eum, qui se occultat vel fugit priusquam Iudicis præceptum aut citatio ei legitimè denuntietur, non teneri ad restitutionem damni, defectu testificationis secuti: quamuis potuerit grauiter contra charitatē proximi peccasse. Ita tenet Salon, adducens pro hac sententia Petrum Soto & Ioan.à Penna. Probatur, quia nemo obligatur præcepto Superioris, priusquam id ei debito modo imponatur; sicut si inferior vitet conspectum Superioris, ne ab eo mandatum aliquod accipiat; non obligatur mandato, etsi malè faciat tali vtens artificio. Simili modo qui fugit vel se occultat, ne instituatur à Magistratu tutor vel curator pupilli, non peccat contra iustitiam, etiamsi norit se ad hoc quæri. *Occultans se vel fugiens non tenetur re- stit.*

Dico Secundò, Non videri quoque improbabile, 59 si postquam citatio Iudicis per ministrum publicum ei est insinuata, fuga vel fraude aliqua, testificandi actum declinauerit: vt si dicat reum sibi esse inimicum. Tenet Molina disput.83. promittens se probaturum tract.5. & multi viri docti huius Vniuersitatis à me consulti. Idem apertè indicat Siluest.v.Testis, nu.8. vbi dicit eum qui falsum testatur peccare contra iustitiam; eum verò qui iubente Superiore non vult testari, peccare eò quòd agat contra obedientiam & charitatem proximi, non iuuando proximum vel bonum commune quando debet. Similiter alij DD. etsi testem falsum dicant peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem, id tum non dicunt de eo qui iussus recusat testari; sed solùm dicunt eum peccare mortiferè. ita Tabiena v.Testis, num.10. Fumus eodem num.10. Caiet.v.Testimonium. *Si iussio ei insinuata.*

Probatur Primò; Quia citatio illa & præceptum non imponit illi obligationem iustitiæ ad se sistendum & ad testandum, sed solùm obedientiæ. non enim censetur iniustus si non compareat, sed inobediens vel contumax: sicut si quis iussus à Magistratu capessere tutelam, nollet obedire, vel fallis prætextibus se excusaret, nō esset iniurius in Magistratum aut in pupillum; sed esset tantùm inobediens Magistratui, & in pupillum parum pius. Secundò, Quia obligatio, qua quis lege iustitiæ tenetur in gratiam proximi aliquam functionem obire, non nascitur præcisè ex præcepto Superioris; sed ex acceptatione eius, qui illam obit. hic enim acceptando officium vel functionem, implicitè promittit; & ita se ad illam obligat, & alteri ius tribuit ad illam exigendam. Nemo enim potest alteri dare ius ad functiones liberas alterius, nisi qui illarum est dominus. quare cùm nemo sit dominus mearum functionum præter me, nemo absque meo consensu alteri ius ad illas dare potest. Vnde vlteriùs sequi videtur, testem, etiamsi à Iudice præsente interrogetur, non teneri ex iustitia respon- *Obligatio iustitiæ vnde oriatur.*

respondere aut iurare de dicenda veritate; sed solùm ex obedientia: quia Iudex præcepto suo non potest imponere illi obligationem iustitiæ ad iurandum, vel ad respondendum. Quare si nolit iurare aut respondere, puniri quidem potest tamquam inobediens, sed non tenetur ad restitutionem damni secuti reo vel accusatori. Secùs est si agatur de scripto proferendo in lucem; quia est res externa, de qua Respub. potest disponere; sicut de aliis bonis, quando causa subest.

60 Petes, Quid si iurauerit se dicturum veritatem; nónne tunc tenebitur ex iustitia dicere veritatem? *Si iurauit.*

Resp. Probabile esse non teneri ex iustitia, sed solùm ex obedientia & virtute religionis; quia per hoc iuramentum non intendit vllum ius iustitiæ conferre in eum, cuius causâ iurat; non enim intendit ei aliquid promittere, sed solùm iurare hoc futurum, nempe quòd sit dicturus veritatem, quam nouit. secùs si promiserit. Hæc dixerim non omnino asserendo, sed disputando, vt res ista à viris doctis magis examinetur. alioquin mihi sententia magis recepta est cordi.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

De Reo & Aduocato.

Continet Dubitationes 9. *D.Thomas q. 69. & 71.*

DVBITATIO PRIMA.

Vtrùm licitum sit reo & aduocato, occulta crimina testium detegere ad labefactandum eorum testimonium.

1 *Non est contra iustitiam.*

RESPONDEO & Dico Primò, Si illa crimina valeant ad infirmandum testimonium, non est contra iustitiam ea aperire, maximè si alius modus illius repellendi sit incommodus. est communis Doctorum. vide Sotum lib. 5. de Iustitia, qu. 7. art. 3. Ratio est, quia quisque potest seipsum tueri cum iusto moderamine, eodem genere armorum, quo oppugnatur: nec alter potest queri de iniuria, cùm sit inuasor, & sponte se huic periculo exponat, hoc ipso, quo testatur vel accusat. Talia crimina sunt, periurium, crimen falsi; & omnia, ob quæ incurritur ipso facto excommunicatio, si nondum est absolutus: denique omnia, ob quæ incurritur infamia Iuris vel facti, vt si alibi infamis de aliquo crimine. vide Clarum quæst. 24.

2 *Potest tamen esse contra charitatē.*

Dico Secundò, Fieri tamen potest vt sit contra charitatem talia crimina patefacere. Primò, Si testis non se sponte ingessit, sed coactus à Iudice; & crimen, quod ei obiicitur, esset graue, ob quod capite sit plectendus; causa verò Rei non sit magni momenti. quòd si sponte se obtulisset ad testificandum, non esset tanta ratio habenda istius incommodi; sibi enim imputare debet illud detrimentum, quod per alterius exceptionem incurrit. Secundò, Si alia ratione minùs noxia possis eum repellere; vt si sit consanguineus vel affinis actoris, vel de eius familia; si testis tibi inimicus, si pauper, si mente non firma, si impuber; & in causa criminali, si nondum est viginti annorum, de quibus suprà cap. 30. dub. 5.

3 Dices, Quando reus testem aliter repellere potest, videtur esse contra iustitiam, si occulta eius crimina pandat; quia si ratione minùs noxia se possit tueri, non habet ius vtendi defensione nocentiore; sicut qui inuasorem minore incommodo potest repellere, non potest ei grauem læsionem irrogare.

4 Respondeo, Reum habere ius repellendi testem quouis modo magis idoneo; cùm testis hoc ipso, quo vult testari, videatur cedere iure suo, & permittere reo, vt omni modo, qui ipsi erit commodior, se tueatur. In illo tamen modo tenetur non excedere debitam moderationem. sicut is, qui inuaditur armis, non tenetur ex iustitia fugere, aut terrere inuasorem clamoribus; præsertim quando hæc decorè facere non potest; sed potest se armis tueri, faciendo id, quod necessarium est ad euasionem; quamuis aliquando ex charitate possit obligari vt alio modo vtatur. *Habet ius repellendi testem omni modo magis idoneo.*

DVBITATIO II.

Vtrùm reus, si impingat accusatori crimen mendacij seu calumniæ, peccet, & teneatur ad restitutionem.

D. Thom. quæst. 69. art. 2.

5 *Debet quàm minimùm ladere.*

RESpondeo & Dico Primò, Reus saltem ex charitate ita tenetur respondere & se defendere, vt quàm minimùm accusatorem lædat: vt si de occulto accusetur, sufficit vt simpliciter neget. quare abstinendum est ab illa verborum asperitate, qua calumniæ vel mendacij crimen accusatori ingeritur: nam contra charitatem est, si proximo maius malum inferas, quàm ad tui defensionem sit necessarium.

Dico Secundò, Reus accusatus de crimine, quod iuridicè probari nequit, non peccat contra iustitiam, etiamsi neget crimen, imò etiamsi dicat accusatorē mentiri & calumniari. Ita Siluest. v. Restit. 3. q. 4. Nauar. cap. 18. num. 49 Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. n. 348. Colligitur ex D. Thoma q. 69. art. 2. vbi dicit, *reum se posse tueri quacumque via, modo non dicat mendacium:* atqui dum dicit talem accusatorem mentiri & calumniari, non dicit mendacium. Nam qui accusat de eo quod probare nō potest, calumniator præsumitur, vt docet Glossa in cap. 2. de calumniatoribus: ac proinde etiam censē- *Calumniator.*

censetur mentiri; tum quia contra mentem, seu contra dictamen conscientiæ suæ loquitur; tum quia falsum præsumitur in iudicio, quòd probari nequit. Idem dicendum esse docent DD. de omni eo, qui etiam extra iudicium negat se dixisse aut

7 *Illicitè patefactum, negari quadam ratione potest.*

feciſse quidpiam, quod alius illicitè patefacit, vnde infamia vel offensio nasceretur: vt si sub secreto commisi quidpiam, vel tamquam amico ex confidentia tibi patefeci, & tu id alteri referas, qui inde grauiter offendetur. tunc enim si ille mecum de eo expostulet, possum negare me dixisse, conuenienti modo intelligendo, vt mendacium vitetur: negando enim vtor iure meo; quisque enim ius habet sua occulta dicta & facta, vnde nasceretur offensio, tegendi quantum potest. quòd si iniquo delatori inde aliquid obueniat incommodi, id ipse sibi imputet, vt rectè Petrus Nauarr. cap.4 num.348. Secùs quando alter poterat licitè patefacere; tunc enim ei fieret iniuria, si negaretur: nam sine sua culpa infamaretur vt mendax.

DVBITATIO III.

Vtrùm reus à Iudice interrogatus teneatur fateri veritatem.

D. Thom. quæst. 69. art. 4.

8 *Iurare de calumnia.*

RESpondeo & Dico Primò, Reum non teneri veritatem fateri, aut iurare de calumnia, (id est, se in omni parte litis veritatem dicturum) si Iudex non interroget iuridicè, seu Iuris ordine seruato: colligitur ex cap. Qualiter & quando. 17. & cap. Cùm oporteat. 19. & cap. Inquisitionis. 21. de accusationibus; estq; communis sententia DD. vide Henricum. Quodlib. 1. q. 34. Siluest. & Angelum v. Confessio delicti, q. 1. Petrum Nauarr. lib. 2. cap. 4. nu. 136. Idem expressè docet T. Thomas q. 69. a. 2. *Non tenetur*, inquit, *aliquis omnem veritatem fateri, sed illam solùm quam ab eo potest & debet requirere Iudex secundum ordinem Iuris.* Ratio est, quia quando non procedit iuridicè, non potest reo vllam obligationem imponere ad crimen aperiendum, aut ad iurandum, cùm Ius ei hanc potestatem non concedat. Vnde sequitur, reum non teneri ad eius mentem respondere, aut iurare; sed artificio posse eludere.

Notandum est, iuramentum de calumnia hæc quinque continere, iuxta Glossam in cap. 1. de iuramento calumniæ. Primò, Putare se bonam causam tueri. Secundò, Se interrogatum à Iudice veritatem non celaturum. Tertiò, Scienter falsas probationes se non adhibiturum. Quartò, Se litem fraudulenter non prorogaturum. Quintò, Se nihil promisisse, vel deinceps promissurum alicui causâ litis, nisi quod Iura permittunt. Sed non sunt hæc omnia semper iuranda, maximè reo, in criminalibus.

Petes, Quando Iudex dicitur interrogare reum, seruato ordine Iuris, & quando non?

Tribus euentibus ritè inquirit.

Resp. D. Thomas suprà, quem passim sequuntur Theologi, ponit tres euentus, quibus Iudex potest inquirere secúdùm ordinem Iuris, & etiam debet. Primùs est, cùm præcessit infamia. Secundus, cùm suppetunt indicia expressa. Tertius, cùm habetur probatio semiplena. Sub *infamia* intellige etiam *notorium*; cùm videlicet delictum cùm suo auctore est publicè notum. Debet autem hæc fama esse legitimè probata per duos testes omni exceptione maiores; nimirum vt iuridicè constet esse talem famam, eamque ortam non à maleuolis, vt suprà cap. 29. dubit. 16. dictum est. Itaque si reus potest excipere contra testes, vel ostendere famam à maleuolis sparsam, vel ex errore aliquo natam, non tenebitur fateri, vt rectè notat Salonius q. 69. art. 2. controuersia 2. Similiter indicia debent esse legitimè probata. Semiprobatio criminis fit per vnum testem iuratum omni exceptione maiorem. hæc non sufficit ad interrogandum iuridicè, nisi sit coniuncta cum formali accusatione, vel cum eo quod vicem accusatoris supplet: vt sunt notorium delicti, fama de auctore, & denuntiatio iuridica; quia Iudex ex se iudicium inchoare non potest, sed aliquo horum modorum ad id debet prouocari. Itaque si nihil horum præcessit, non potest reum obligare in conscientia ad respondendum; vt docet Caiet. q. 69. a. 2. Sotus de secreto, memb. 2. q. 6. & alij. Ex his constat, quando Iudex interroget non iuridicè siue reum, siue testem; nimirum id tunc facit, quando de crimine occulto interrogat, de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena. vt enim reo possit imponi obligatio à Iudice ad fatendum crimen, requiritur vt iam aliquo horum modorum deductum sit ad notitiam publicam, ita vt reo non suppetat probabilis ratio celandi, seq; defendendi. quamdiu enim delictum est ita occultum, vel incertum, vt ipse possit se probabiliter tueri & depellere obiecta; cõtra omnem rationem, atque adeò contra ius naturæ est, vt ipsi imponatur obligatio in foro conscientiæ ad illud in suam perniciem pandendum; tale enim præceptum est nimis durum, & minùs consentaneum conditioni hominum; cùm nemo, vel nisi paucissimi illud sint seruaturi. Confirmatur, quia nemo spoliandus est armis, quibus videtur iustè se suaque tueri.

Semiprobatio.

9 *Quãdo non seruetur ordo iure præscriptus in reo interrogãdo.*

Aduerte tamen, quando interrogatio Iudicis vel Superioris non tendit ad punitionem, sed ad impediendum peccatum, teneri subditum fateri veritatem etiam de occultis, etsi nulla præcessit infamia, aut semiprobatio, aut indicia; vel certè debere abstinere ab eo in quo est peccati periculum. vt cùm promouendus ad Ordines rogatur de natalibus, de censuris, de irregularitate: cùm inituri matrimonium interrogantur de impedimentis, &c. Superior enim causa impediendi peccati ius habet interrogandi; & subditus non habet iustam causam celandi, cùm non possit sine graui peccato cum talibus impedimentis illa suscipere, aut illis vti; & aliàs liberè possit abstinere.

Si non tenedat ad pœnam.

Dico Secundò, Non tenetur etiam crimen fateri, quando dubitat vtrùm Iudex iuridicè, (id est, ordine Iuris seruato) interroget. Idem dicendum de teste. Ita Caietan. q. 69. art. 1. Sotus de secreto, memb. 3. q. 2. concl. 2. Adrianus quodlib. 2. Probatur Primò, Quia nemo tenetur parère Superiori cum graui suo vel alterius incommodo, nisi cõstet eũ legitimè præcipere, & habere auctoritatem obligandi. cur enim tantum onus teneatur suscipere ab eo, de quo dubitat an possit imponere? Secundò, In dubio fauendum est reo. secùs est, quando nullum inde notabile incommodum metuitur.

10 *Si dubitet an legitimè interroget.*

Hinc sequitur, Iudicem teneri aperire reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, vt videat iuridicè contra se procedi, seque interrogari posse;

& vt

& vt si quid contrà habeat, possit opponere & excipere; vt docet Caietanus q.69. art.1.& alij.

11 *Si iuridicè procedatur.* Sed difficultas superest, si iuridicè procedatur, idque reo satis constet. Sunt duæ sententiæ. Prior est, neque tunc reum teneri suum crimen fateri; si inde pœna temporali plectendus foret: secùs verò si pœna spiritali; vt excommunicatione; tunc enim teneretur fateri. Ita Panorm. in cap. Cùm super, de confessis, col. pænult. Siluester v. Confessio delicti, qu.1.Angelus eodem, nu.1. Fumus eodem, nu.8. & alij quidam recentiores. Altera tenet contrarium. Pro resolutione

12 *Cõmunior sententia DD.est, illum teneri fateri.* Dico Tertiò, Si Iudex iuridicè interroget, idque reo notum sit, tenetur veritatem fateri, etiamsi capite plectendus esset: est communior sententia DD.D. Tho.qu.69. art.1.& Caiet. ibid. Henrici quodlib.1. qu.33. Palud. d.19.q.4.versus finem, Gab.d.15.q.6.art.2.concluſ.6. Soti de secreto, memb.2.q.7. Nauar.cap.25.nu.53. Couar.qq. pract q.23. Anton. Gomezij to.3. cap.12. n.3. Hi Auctores generatim loquuntur, nec distinguunt inter pœnas. Probatur, quia quisque tenetur obedire Superiori legitimè præcipienti: atqui Superior legitimè præcipit, quando secundùm ordinem Iuris interrogat reum, aut iuramentum ei defert: ergo reus tenetur parère, dicendo veritatem. Secundò, In hoc casu Iudex habet ius eliciendi veritatem ob bonum publicum: ergo si reus eam occultet, facit contra ius & auctoritatem Superioris. Hinc colligunt Sotus & alij, reum non solùm teneri quando iurauit, sed etiam absque iuramento ex vi solius præcepti Superioris.

13 Aduerte tamen Primò, in re parui momenti occultare veritatem, aut mentiri in iudicio, non esse peccatum mortiferum, si absit iuramentum: vt si mentiatur circa aliquam circumstantiam facti, vnde status causæ non pendet; quia materiæ tenuitas in præceptis excusat à mortali.

14 *Si factum absque culpa commissum.* Secundò, Si Iudex quærat de facto, quod absq; culpa, saltem letali patratum est, testem & reum non teneri respondere ad mentem Iudicis, v.g. occidisti Petrum te inuadentem, cum iusto moderamine, vel absque notabili excessu; non teneris fateri te occidisse, etiamsi de te sparsa sit infamia: nec testis tenetur illud testari: quia Iudex quærit de occisione criminosa: & si fatereris, nec posses probare te causâ necessariæ defensionis fecisse, condemnaret te homicidij, ex falsa præsumptione. pari modo si tu non es auctor criminis, non teneris fateri aliquas circumstantias, ex quibus oriretur vehemens suspicio te esse auctorem, v.g. hunc esse tuum pugionem, te eo loco fuisse, &c. quia ipsius interrogatio etsi iuridica sit, tamen ex falsa præsumptione procedit, vt docet Salon. q.69.a.2. & Sotus de secreto, m 2.qu 7.dub.2. In his igitur euentis negare potest quod sibi detrimentosum foret, adhibita conuenienti restrictione mentis; de qua vide Nauarr. in cap. Humanæ aures. 22. qu.5. vide infrà cap.42.dub.10.

Si ex falsa præsumptione procedatur.

15 *Quando possit reo iuramentũ deferri.* Notandum autem est, vt reo possit iuramentum deferri in causa criminali, requiri ea indicia seu probationes, quæ sufficiant ad torturam; vt docet Couarr. & alij DD. quia iuramentum est spiritualis quædam tortura, cùm non pessimam mentem non minùs vrgeat ad veritatem dicendam, quàm tortura. Idem dicendum videtur de obligatione confitendi criminis. nam non minus est imponere hanc obligationem, quàm imponere necessitatem iurandi. vnde ex simplici infamia, si nullum aliud adsit indicium, non puto posse imponi obligationem fatendi: & meritò, quia infamia non facit semiplenam probationem; sed solùm supplet vicem accusatoris, vt supra cap.29. dub.15. dictum est.

16 *Sententia probabilis.* Dico Quartò, Non est tamen improbabile, reum nõ peccare mortiferè negando crimen, præsertim in causa capitali, quamdiu est spes euadendi, etiamsi iuridicè interrogetur: colligitur ex Auctoribus prioris sententiæ. Idem tenet Petrus Nauarra suprà, Emanuel Sà v. Reus, & quidam alij recentiores. Probatur Primò, Quia quamdiu est spes euadendi, eò quòd nondum sit plenè probatum, præceptum illud fatẽdi criminis videtur nimis difficile, neq; satis accommodatum humanæ imbecillitati. vix enim è centum vnus reperietur, qui si speret hac ratione se posse euadere mortem, non sit crimen negaturus: atqui præcepta vt obligent, debent esse consentanea conditioni humanæ, sicut & leges. Secundò Lex humana non potest obligare cum periculo mortis, nisi magnitudo negotij aliud postulet, vt verior sententia tenet, & plerique Doctores docent. ergo nec præceptũ humanum: eadem enim est vtriusq; ratio, si cetera sint paria. atqui ex confessione criminis incurrit certissimum periculũ mortis; non confitendo autem est ei spes euadendi: ergo non tenetur confiteri. Tertiò, Nemo potest cogi ad testificandum contra sanguine iunctum; vt patet ex L.4.ff. de testibus. nemo etiam tenetur testari, quando inde sibi graue damnum metuit, vt suprà cap.30.dub.6. ostensum est. atqui nemo cuiquam magis est sanguine iunctus, quàm ipse sibi; nec maius potest esse damnum quàm vitæ: ergo non tenetur cõtra se fateri. Quartò, L. Nimis graue.7. C. de testibus, dicitur, *Neminem teneri contra se exhibere id, per quod sibi negotium fiat.* ergo, &c. Confirmatur, durum enim nimis est, vt cogatur Iudici subministrare arma, quibus iuguletur, cùm aliàs spes sit euasionis.

17 *Consectaria.* Ex dictis sequitur Primò, Non teneri iurare ad mentem Iudicis, sed posse vti amphibologia, vel mentali restrictione. Secundò, Eamdem sentẽtiam non videri improbabilem, etiam in causis non capitalibus, in quibus valdè grauis pœna imponitur; vt damnatio ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, vel confiscatio bonorum. secùs si solùm pœna excommunicationis, quia facilè tollitur.

18 *Ad rationem cõtrariæ sententiæ.* Ad rationem adductam in contrarium respondeti potest, fieri posse, vt Iudex habeat ius interrogandi causâ boni publici, vt officio suo fungatur; & tamen alter non teneatur respondere ad eius mentem; idque ad summum ius vitæ suæ tuendæ, per quod licitum est ei contegere & abscondere ea, per quæ vita ipsa eripietur. sicut qui est in periculo vitæ, potest fugere è carcere, etiamsi Iudex & leges præcipiant ne fugiat, & fugientem puniant: & citatus potest non comparere, quamuis Iudex præceperit vt compareat: & seruus bello captus potest fugere, quamuis dominus præceperit ne fugiat. nihil enim repugnant, Iudicem habere ius inquirendi veritatem à reo, & reum habere ius celandi. quo casu, etsi possit præcipere, præceptum tamen eius non obligat; neque fit ad obligandum, sed ad inducendum vel terrendum reum, vt veritatem fateatur. Ex his patet, sententiam supradictam non esse improbabilem: ac proinde sacerdotem non debere cogere pœnitentem vt veritatem

fateatur, quamdiu est spes euadendi. quod etiam notat Emmanuel Sà, suprà. Quando tamen non est spes euadendi, (vt si videt crimen facilè plenè probari posse) tunc tenetur veritatem fateri, quia cessat ratio celandi, & aliàs tenetur Superiori legitimè præcipienti obtemperare.

19 *Si non est spes euadendi.*

20 *Obiectio. Iuramentũ Rei de calumnia.* Dices, L.2. C.de Iureiurando propter calumniam dando, dicitur *partes debere iurare de calumnia*.hoc autem iuramentũ quatenus attingit reum, duo continet principalia; alterum est, quòd putet se bonam fouere causam: alterum, quòd non negabit id quod credit esse verum; seu quòd interrogatus dicet id, quod putat esse verum. vide Glossam in cap.1.de iuramento calumniæ.

21 *Responsio prima.* Resp. Primò, Quòd valdè expediret, si Summus Pontifex præciperet, vel Principes supremi legem conderent, Ne Iudex in causis ingerentibus pœnam sanguinis, posset à reo exigere iuramentum de dicenda veritate, propter euidentem occasionem periurij, vt inquit Gomezius suprà. sicut in cap.Clericos.3. de cohabit.Clericorum & mulierũ dicitur; *Clericos, qui tenent concubinas, non esse cõpellendos ad eas abiurãdas, propter periculũ periurij, sed censuris cogendos.* maius periculũ est in reis.

Expediret hoc iuramentum tolli.

22 *Secunda.* Resp. Secundò, Per *iuramentum calumniæ* eo loco non intelligi iuramentum de dicenda veritate, sed de non agendo calumniosè; seu quòd non committet calumniam in causa. si quis enim benè aduertat, in nullo paragrapho illius Legis requiritur vt reus iuret se in omni parte litis veritatem dicturum, sed tantùm, quòd *putans se bona instantia vti, ad retinendũ venerit; & quod causã patrocinij Iudicibus nihil dederit vel promiserit.*

23 Nec obstat L. Marcellus. 11. §. 3. ff. de act. rerum amotarum. vbi in actione rerum amotarum facto diuortio, cogitur coniunx contra quem actio instituitur, iurare; quia id intelligitur de iuramento, quod parti à parte defertur ad litem terminandã, & ad recuperandum suum, vel sibi debitum, quod pars ex iniustitia debet restituere. Simili modo intelligendæ quædã aliæ Leges, quas adducit Gomezius suprà. nos autem hic agimus de iuramento, quod à Iudice defertur reo in causa criminali.

Dvbitatio iv.

Vtrùm reus condemnatus secundùm allegata & probata, teneatur obtemperare sententiæ.

24 *Sententia nitens falsa præsũptione vel falsis probationibus.* Respondeo & Dico Primò, Quando sententia re ipsa est iniqua, vt quia nititur falsa præsumptione, aut fallis probationibus, non obligat in conscientia, quamuis secundùm ordinem Iuris sit lata. Est communior sententia DD. Ratio est, quia sententia est veluti lex quædam alicui priuatim imposita. at lex non obligat, quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est contrarium fini legis. quare cùm finis sententiæ sit vt cuique tribuatur quod suum est, si ex eius obseruatione contrarium eueniret, non obligat.

25 *Nõ tenetur soluere.* Vnde sequitur Primò, Eum, qui per talem sententiam aliqua re priuatus est, vt legato, vel hereditate, vel mulctatus pecunia, non teneri in conscientia ad solutionem; nisi non parendo sententiæ, maius malum aut scandalum timeretur.

26 Sequitur Secundò, Eum, cui res talis est applicata, si sciat sententiam falso fundamento niti, non posse eam retinere, sed obligari restituere; quia illa res est alterius. Ita Sotus l.3. qu.4. art.5. & Innoc. in cap. Quia plerique.8. de immunitate Eccles. & alij. *Cui res applicata, tenetur restituere.*

Nec obstat quòd Respub. & Princeps possit ex causa de bonis subditorum disponere, eaque alijs tribuere, vt patet in præscriptione; hic autem videatur esse sufficiens causa, nempe vt publica iudiciorum forma seruetur: quia etsi hæc causa fortè sit sufficiens vt Iudici tribuat auctoritatem iudicandi secundùm allegata & probata contra priuatam scientiã suam, & exequendi iudicatum; tamen non est sufficiens, vt iste amittat reuerà rem suam, ita vt in foro conscientiæ teneatur ea alteri cedere, aut vt alter, cui applicata est, non teneatur eam restituere, si possit, & sciat sententiam falsa præsumptione niti: hoc enim ad bonum publicum non est vllo modo necessarium, aut expediens. quis enim dicat expedire Reipub. vt si per calumniam probatum sit me esse heredem à Petro institutum, possim hanc hereditatem mihi arrogare, etsi certò sciam me heredem non esse? aut vt fiscus possit sibi vindicare bona eius, de quo illi certò constat, per falsos testes conuictum de hæresi vel incestis nuptiis? sanè nulla æquitas hæc patitur.

27 *Instítutus in beneficio quo alius iniustè priuatus.* Aduerte tamen, si quis esset priuatus beneficio vel officio per sententiam secundùm allegata & probata latam, & illud tibi à legitimo collatore esset collatum; probabile esse te non teneri ad restitutionem, etiamsi scires sententiam falsis probationibus niti: id enim docet Innoc. in cap. Quia plerique. 8. de immunitate Eccles. & Panorm. in cap.1.de concessione præbendæ, Glossa ibidem, & communiter Canonistæ. probant, quia hoc ipso, quo condemnatus non appellauit, acquieuit sententiæ, & ita transiuit in rem iudicatam, iuxta cap. Quòd ad consultat.15. de sententia & re iudicata. & cap. Cùm dilectus.32.de electione.

28 Verùm hæc ratio non satisfacit: solùm enim probat, præsumendũ in foro externo sententiam fuisse iustam, eò quòd non appellauerit; & ideò posteà illum non esse admittendum in iudicio, si repetat beneficium: non tamen probat beneficium iustè retineri, si sciatur illum iniustè priuatum.

Vnde aliter probatur hæc sententia, quia Ecclesia & Respub. eo casu priuant reum absolutè beneficio vel officio, & applicant ei cui posteà confertur: id enim facere possunt, cùm hæc sint bona communia, in quibus multò maiorem habent potestatem, quàm in fortunis priuatorum, & aliàs subest iusta causa sic faciendi: tum ne iurisdictiones sint incertæ, quæ res multò maioris est momenti, quàm vt nemo sine culpa iure suo priuetur: tum quia cùm constiterit de innocentia Rei, facilè poterit ei alia ratione consuli, conferendo ei aliud officium vel beneficium: tum quia quamdiu non constat publicè fuisse innocentem, restitutio est impossibilis: nam beneficium non potest restitui, nisi per collatorem: collator autem nollet restituere, vel quia de Rei innocentia illi non constat, vel quia nollet videri fecisse contra Iudicis sententiam, vel quia ipsemet est Iudex, qui reum priuauit. quare is, cui tale beneficium est collatum, poterit illud retinere, cùm resignando non possit alteri prodesse. neque etiam tenetur illi restituere fructus: si enim titulum retinere potest, & præstare officium, etiam fructus potest seruare, cùm hi sequan-

sequantur titulum, & debiti sint propter officium neque tenetur alia ratione compensare; quia causa non est, cur alter sit priuatus. vnde hic queri non potest, sibi ab illo iniuriam fieri. Idem dicendum de officijs sæcularibus.

29 *Non potest seper vim tueri.* Dico Secundò, Reus tamen in hoc casu non potest per vim se defendere contra Iudicem aut ministros, ne sententiam talem exequantur. Ita D.Thomas qu.69.ar.4.Sotus l.5.q 6.ar.4.estque ferè communis sententia DD. Probatur Primò, Quia Iudex habet ius exequēdi talem sententiam, imò auctoritate Principis & Reip.ad hoc compellitur; ergo reus non potest ei resistere: alioquin daretur bellum vtrimque iustum, absque ignorantia. Secundò, Quia nascereturinde graue scandalum & perturbatio in Repub. nam omnes iudicarent illum committere crimen maiestatis,& concurrerent ad eum opprimendum;& si benè illi cederet, nefarij homines imitarentur. Suppono, Iudicem seruato Iuris ordine processisse.

30 *Sententia quorumdam.* Aduerte tamen, quosdam sentire, in hoc casu non esse illicitum vti mera defensione, si scandalum absit, & alioquin innocens plectendus esset morte. Ita etiam dicitur tenuisse Franciscus Victoria, & docent quidam Iurisperiti, quos citat Couar. l.1. variar. c.2.n.13. nempe Paris à Puteo, Lucas Peña, & Hippolytus. quæ sententia probari potest, quia Iudex & ministri in eo casu non habent verum ius inuadendi, cùm iste non sit dignus pœna; sed solùm præsumptum, seu in opinione: ergo potest aduersus eos vti defensione: sicut qui inuaditur ab innocente furioso, potest se contra illum tueri,etiam cū ipsius læsione & morte, si aliter eius vim declinare nequit; eò quòd ille ius inuadendi non habeat. similiter quando erratur in persona malefactoris Idem & potiori ratione dicendum, si Iudici de iniquitate causæ constaret. Verùm ego istam sententiam in vsum non facilè admiserim,maximè propter scandalum,quod vix abesse potest. Quòd si Iudex non processisset Iuris ordine seruato, tunc omnino posset reus se defendere, vt etiam D.Thomas fatetur.

Dvbitatio v.

Vtrùm reus possit fugere ex carcere, & vincula carceremque effringere.

31 *Ante sententiam potest fugere.* Respondeo & Dico Primò, Ante sententiam fugere posse, nisi fortè iurauerit se permansurum. est communis sententia DD.(vide Couar. l.1.var.cap.2.nu.11)quam vsus omnium gētium confirmat. Ratio est,quia non conijcitur in carcerem vt ibi sponte maneat, (hoc enim nemo, vel certè perpauci facturi sunt) sed vt ibi detineatur interim dum causa eius excutitur. Nec refert, quòd ex fuga illa commentariensi damnum obueniat; quia iure suo vtitur, & ille suæ negligentiæ id assignet, vt qui non meliùs illum custodiuit. hic

32 tamen reus considerare debet, vtrùm tanti sua interfit fugam capessere, vt damnum illud proximi secundùm charitatis legem non sit curandum.

33 *Etiam post sententiam potest.* Dico Secundò, Etiam post sententiam fugere potest, si damnatus sit ad pœnam mortis vel mutilationis; D.Thomas qu.69.art.4.& Caietan.ibidem. Sotus lib.5. qu. 6. art.4. Couar. suprà. Ratio est, quia non potest ei præcipi cum obligatione vt cum tanto damno suo ibi maneat: hoc enim præceptum esset nimis difficile, inhumanum, & quodammodò superans humanam conditionem. confirmatur ex D. Thoma suprà, quia nemo potest cōdemnari ad faciendum aliquid, vnde ei mors sequetur; adde, vel aliquod graue corporis damnum. atqui sponte manere in carcere in hoc casu,est aliquid facere, vnde mors vel graue damnum sequetur,vt inquit D.Thomas: ergo, &c.

Vbi Nota, etsi possit quis aliquid facere, ex quo 34 per accidens seu ab alio mors inferetur, vt manere *Ius vitæ conseruandæ,quantum.* in carcere, ascendere scalas, præbere iugulum, & similia; nemo tamen potest ad hæc facienda ita condemnari, vt quouis euentu ad hæc obligetur. nam si ostenderetur spes euasionis, posset reus etiam sub patibulo vel ictu gladij fugam capere: tantum enim cuique iuris est ad vitæ conseruationem, vt nulla potestas humana obligare possit ad eam non conseruandam, si eius conseruandæ spes & copia ostendatur: nisi bonum publicum aliud postulet; vt si vrbs in periculo verteretur; nam pars pro toto exponenda est. vbi autem talis causa non subest,nimis durum & inhumanum esset tale præceptum. Vnde patet,non posse lege humana statui vt damnatus ad mortem vel mutilationem, vel etiam aliam grauem pœnam corporalem, non possit fugere:quod est contra Caietanum,qui existimat, etsi reipsa nulla talis lex sit, posse tamen statui; & tunc reum obligatum iri vt maneat in carcere, quamuis esset capite plectendus. sed nobiscum sentit Sotus & alij, ob rationem allatam.

Sed difficultas est, vtrùm possit tunc vincula 35 rumpere & carcerem effringere. Quidam Doc- *Effringere carcerem.* tores negant, Henricus quodlib.9.q.25. Couar.l.1. var.c.2.num.14.fauet Silvest.v.Accusatio,nu.12. Probatur Primò, quia carceris effractores grauissimè à legibus puniuntur, nempe pœna capitali, vt probat Couar. ex quatuor legib. ciuilibus: ergo peccant sic fugiendo vel fugam moliendo: si enim non peccarent,tā grauis punitio esset iniusta.

Secundò, Si licuisset carcerem effringere, non tenerentur de damno inde secuto; atqui tenentur, vt etiam Caiet. & Sotus docent: ergo,&c.

Tertiò,Quia effringere carcerem,est vim inferre publicæ potestati. Hæc sententia est probabilis. Contraria tamen est verior & probabilior, vnde

Dico Tertiò,Eum,qui licitè potest fugere,posse 36 etiam vincula rumpere &carcerem pertundere.Ita *Potest effringere.* Caiet.& Sotus suprà, Nauar.c.17.nu.102.& passim recentiores. Probatur Primò, Quia cui licitus est finis, licita etiam sunt media: ergo cui licita est fuga,licitum etiam se ad eam expeditum reddere, eiusq; impedimenta remouere. Neq; hoc est vim inferre potestati publicæ: quia hæc non est in vinculis & lapidibus, sed in Iudice & ministris, quibus nō licet vim inferre,quando iusta est condemnatio, secùs est de vinculis & carcere; sicut si quis obijceretur leoni deuorandus,posset se pro viribus contra eum tueri. Secundò, Reus non tenetur ibi manere, sed Iudicis est curare, vt vi maiore detineatur,ideò enim catenæ,compedes, numellæ sunt ferrea, & carceres firmissimi. alioquin si vinculis stupeis constrictus esset, non posset ea disrumpere, quod est ridiculum. Tertiò, Illud præceptum, oblata occasione euadendi, nimis esset durum, & humanis moribus minimè accommodum.

Vnde ad primum Respondeo, Legislatores il- 37 los fortè secutos fuisse alteram sententiam, quæ *Ad rationes.*

etiam est probabilis; vel certè illos procedere ex præsumptione, quòd effractores vim custodibus intulerint, quod ipsa verba legis insinuant; præsertim lex pænult. ff. de custodia & exhibit. & L. 1. ff. de effractoribus. Vel denique, etsi culpa in tali fuga non sit, tamen ob bonum Reipub. vt faciliùs Rei possent detineri, pœnam aliquam statui potuisse, non quidem capitis, (nisi fortè vis illata esset custodibus) sed mitiorem, pro arbitrio Iudicis. non enim pœna effractura est supplicium capitis, sed longè clementior, & arbitraria, vt docet Gomezius tom. 3. cap. 9. num. 11.

Ad secundum: Quòd teneantur ad reparationem carceris, id prouenit non ratione iniuriæ illatæ, sed ratione taciti contractus. cùm enim iustè detineantur, videntur tacitè consentire in compensationem damni, si quod fugiendo inferant directè: idque meritò Respub. potest ab illis exigere. non enim par est vt per fugam suam damnum Reipub. inferant. Puto tamen hanc restitutionem vix esse in vsu.

38 *Si alij quoque fugerint.* Notandum tamen, si occasione fugæ tuæ, carcere pertuso, etiam alij captiui fugiant, non ideò teneberis de damno, quod inde actoribus vel Reip. euenit; quia illorum fuga per accidens sequitur ex tuo facto, nec tenebaris illam impedire, aut propter illam vitandam iure tuo non vti, vt rectè Michaël Salon qu. 69. art. 4. Non tamen videtur verum, quod ibidem docet, iniustè condemnatum, si carcerem perfregerit, etiam ad reparationem eius teneri; quia cùm per iniuriam detineatur à Repub. seu Reipub. ministro, potest vti iure suo, & erumpere absque animo compensandi incommodi, quod Respub. ex illa eruptione incurret, eò quòd ipsa non haberet ius illum sic detinendi: sicut si detinear à priuato, possum pertundere murum; nec teneor illud damnum rependere.

Ad tertium patet ex dictis.

39 *Damnatus ad carcerē.* Dico Quartò, Damnatus ad pœnam carceris temporariam non potest fugere. Probabile tamen est, damnatum ad carcerem perpetuum, grauem præsertim; item damnatum ad triremes, fugam capere posse.

Prior pars est communis, quia hæc pœna non est ita grauis, quin reus, qui ob sua crimina iustè ad eam est damnatus, debeat eam sponte subire, sicut soluere mulctam pecuniariam, concedere in exilium, seruire ad tempus in hospitali, manere ad tempus conclusus intra Monasterium, & similia.

Altera pars, *de carcere perpetuo*, præsertim graui, est contra Caietan. q. 69. ar. 4. Sotum suprà, & Couar. num. 14. hi enim putant eum non posse fugere: quæ sententia etiam probabilis est. Crediderim tamen cum Michaële Salon, eum posse fugere, si carcer valdè grauis esset: tum quia non tam condemnatur vt ibi sponte maneat, quàm vt detineatur; tum quia nimis graue esset, obligare in conscientia ad sponte manendum, quando esset euidens spes euadendi. secùs si carcer esset laxus & commodus.

Triremes. Idem, & potiori ratione dicendum de damnatis ad *triremes*: non enim damnantur vt sponte ibi maneant, sed vt detineantur.

Exilium. De *exilio* alia est ratio; nam illa pœna non potest executioni mandari, nisi spontanea actione Rei. si tamen exilium esset grauissimum, fortè non esset illicitum fugere.

Seruitus. De pœna *seruitutis* videtur eadem ratio atque de carcere perpetuo. Itaque si seruitus esset valdè dura, posset fugere. secùs si esset tolerabilis. Salonius tamen generatim tenet, damnatum ad seruitutem, absolutè posse fugere, sicut seruos bello captos; quod non videtur improbabile; præsertim cùm seruitus sit mors ciuilis.

Dvbitatio vi.

Vtrùm alij possint reo fugam è carcere consulere, & auxilium ad eam præbere.

40 *Possunt qui non ministri iustitiæ.* Respondeo & Dico Primò, Cuicumque fas est fugere, ei possunt alij fugam & vinculorum diruptionem consulere, modò non sint potestatis publicæ ministri. Ita Caietan. & Sotus suprà, & alij passim. Ratio est, quia quod tibi licitum est facere, id possum tibi esse suasor & auctor vt facias, nisi ratione officij prohibear: quo modo prohibentur ministri iustitiæ; qui cùm ex officio teneantur curare vt reus detineatur, contra iustitiam Reipub. debitam facerent, si fugam suaderent.

41 *Præbere instrumēta captiuo.* Dico Secundò, Probabile etiam est, licitum esse eidem captiuo porrigere instrumenta, quibus vincula incidat, & carcerem effringat. est contra Sotum lib. 5. qu. 6. art. 4. sed ita expressè docent Caietanus & Michaël Salon suprà. Probatur Primò, Quia si potest alicui consulere finem, cur non etiam porrigere media necessaria ad illum consequendum, præsertim cùm consilium non videatur aliud esse quàm spiritale quoddam instrumentum? Secundò, licitum est ostendere illi viam & modum, quo possit elabi, vt etiam Sotus fatetur; (hoc enim ad consilium pertinet) atqui hoc non est minùs opitulari, quàm præbere instrumenta. Tertiò, Nulla est ratio, cur non possim præbere instrumentum ei, qui licitè vtetur, nisi ob aliquam peculiarem causam id mihi sit prohibitum. Neque id est violare publicam custodiam, quia non iuuo effringere, neque porrigo instrumenta ei, qui iniustè vsurus sit.

42 Dices, Si quis probaretur instrumenta præbuisse, grauiter puniretur: ergo est peccatum.

Resp. Etiam consultor effractionis & fugæ, & ipse reus fugiens punirentur, & tamen hæc consulere licet, & fugere, etiam sententiâ Soti.

43 Aduerte tamen, quamuis reo non possit prohiberi ne fugiat, ita vt obligetur in conscientia; tamen alijs potest prohiberi ne aut fugam suadeant aut instrumenta præbeant. non enim alij tantum iuris ad hæc habent, quantum ipse reus; neque illis hoc præceptum ita est durum, sicut reo.

44 *Nō possunt iuuare effringendo.* Dico Tertiò, Non tamen possumus iuuare reum effringendo exteriùs carceres, & rumpendo vincula. est communis Doctorum. Probatur Primò, Quia solus reus ad id ius habet, propter maximum incommodum quod ipsi imminet. Secundò, Alioquin nihil posset Iudicibus satis esse firmum & tutum ad custodiam reorum; quod cederet in maximum Reipub. damnum.

Dvbitatio vii.

Vtrùm aduocati teneantur pauperibus patrocinari gratis.

D. Thom. q. 71. art. 1.

45 *In extrema necessitate tenetur.* Respondeo & Dico Primò, In extrema necessitate pauperis, quando putatur nemo alius illi

illi patrocinium præstiturus, quiuis aduocatus tenetur ei succurrere, etiam gratis. Ita D. Thomas q.71.art.1.& alij DD. Dicitur autem esse in *extrema necessitate*, v.g. cùm imponitur illi crimen, ob quod plectendus sit capite, vel spoliandus omnibus bonis, & in extremam conijciendus inopiam, nisi defendatur. ratio est, quia quisque tenetur extremè egenti illud impendere quo ipse instructus est, si ipse similiter non eget; vt si pauper extremè eget cibo, tenetur succurrere qui habet cibum; qui autem non habet cibum, sed pecuniam, non tenetur, nisi in defectum alterius; vt si aliter cibus obtineri non possit. si extremè eget pecuniâ, tenentur succurrere qui pecuniam habent; si opera medici vel chirurgi, tenentur hi gratis operam suam præstare; neque diuites tenentur pro eo soluere, nisi fortè illi ex sua malitia nollent aliter opitulari; tunc enim pecunia illi esset necessaria ad vitæ conseruationem. Idem dicendum de aduocato, cuius patrocinio pauper extremè eget. vide D.Gregorium Homil. 9. in Euangelia, sub finem: *Habens*, inquit, *intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, à misericordiæ largitate non torpescat: habens artem, qua regitur, vsum illius cum proximo partiatur: habens loquēdi vsum, apud diuitem pro pauperibus intercedat. talentum quippe ab vnoquoque nostrûm venturus Iudex exiget, quantum dedit.*

46 *Vtrùm etiam in graui.* Sed difficultas est, vtrùm idem dicendum sit de graui necessitate? Nauarrus cap. 25. num. 20. putat non teneri nisi in extrema necessitate pauperis, quando ex patrocinio vita ipsius vel ipsi coniunctorum, vt patris, matris, vxoris, prolis, pendet: quod intellige, non teneri sub peccato mortali: nam intolerabile esset, dicere, sub nullo peccato teneri. Idem sentit Caietanus in hunc artic. dicens, tunc solùm obligari sub veniali. Sed contrarium longè verius, vnde

Etiam in graui tenetur. Dico Secundò, In graui necessitate pauperis (vt si iniustè damnandus putaretur ad triremes, ad publicam flagellationem, ad durum carcerem, vel amissa lite iusta grauem morbum contracturus) tenetur aduocatus sub peccato mortali suum patrocinium exhibere, modò ipse aliquo modo superfluum suo statui habeat; id est, modò præter illam operam, quæ illi necessaria est ad statū suum sustentandum, aliquid temporis vel industriæ ei supersit. Ita Siluest. v. Aduocatus, n. 11. Sotus l. 5. q. 8. ar. 1. & alij. ratio patet ex dictis de eleëmosyna, q. 32. ar. 5. dub. 5. vbi ostensum est, eos, qui quoquomodo superfluum habent, teneri in graui necessitate proximi sub peccato mortali; quod ibidem sensit Caietanus. vnde parum sibi constat, dum hîc contrarium tradit. Communis necessitas vix locum habet in ista materia; quia causæ iudiciales sunt ordinariè magni momenti respectu pauperum, vel certè pauperes non sunt. vide suprà cap. 12. dub. 12. & cap. 16. dub. 1.

Dvbitatio viii.

Quando aduocatus teneatur ad restitutionem parti.

47 *Negligetia imperitia aduocati.* Respondeo & Dico Primò, Quando ex negligentia vel imperitia ipsius, cliens iustâ causâ excidit, tenetur de damno, quod ipsi inde obuenit. ratio est quia lege iustitiæ tenetur suo clienti pro causæ conditione diligentiam præstare: vt si sit difficilis, si magni momenti, tenetur magis laborare, quàm si facilis vel parui momenti. similiter ex officio tenetur esse instructus conuenienti peritia, cùm pro idoneo aduocato se gerat, & vt talis stipendia exigat. vide suprà cap. 7. dub. 7.

Dico Secundò, Quando tuetur causam, quam 48 aduertit esse iniquam, tenetur ad restitutionem *Si aduertit causam esse iniquam.* omnium damnorum, quæ parti obueniunt ratione illius patrocinij; vt expensarum factarum, & eorum omnium quæ per litem amisit: tenetur etiam suo clienti, si eum bona fide procedentem non monuit de causæ iniustitia; horum enim omnium est causa vel committendo, vel omittendo contra debitum officij.

Vbi Aduerte Primò, Si cliens monitus de causæ 49 iniustitia, nolit desistere, aduocatum debere illum *Cliens monendus.* deserere; non tamen secreta causæ prodere parti, nisi id foret necessarium ad graue aliquod damnum proximi impediendum: tunc enim deberet Iudici aperire, vt occurrat. quiuis enim Iure charitatis tenetur proximi damna impedire, quantum sine suo damno potest. Neque tunc potest indu- *Transactio non suadenda.* cere partem ad transactionem, si ea cum damno eius futura esset; quia solùm in causa dubia, transactio locum habet. vide D. Thomam qu. 71. art. 3. ad 2. Siluest. v. Aduocatus, num. 16. & Nauarr. cap. 25. num. 28. vnde grauiter peccant aduocati & consiliarij, qui dum in successu litis aduertunt partem alteram tueri causam iniquam, inducunt alteram ad compositionem.

Aduerte Secundò, Aduocatum Rei, qui ipsum 50 fraudibus defendit contra fiscum, non teneri ad *Fraudibus contra fiscum defendens.* compensandum emolumentum, quod fisco ex damnatione prouenisset, si illum non defendisset; sicut nec ipse reus tenetur. quia pœna non debetur, nisi secutâ sententiâ; ac proinde nec compensatio. & quamuis fraudibus istis faciat iniuriam Reipub. quatenus peruertit iudicium publicum; hæc tamen iniuria non obligat ad restitutionem: quia non est contra Iustitiam particularem, sed legalem: qualis etiam est iniuria Rei falsum testem subornantis, vt pœnam euadat.

De aduocato fisci est maior dubitatio. multi 51 enim Doctores, inter quos est Michaël Salon. put- *Aduocatus fisci.* tant hunc teneri ad compensandum fisco emolumentum talis pœnæ, si causam eius negligenter aut non fideliter egit: nam ex officio tenetur fisci commodis consulere. Sed contrarium videtur verius ex contrario fundamento: quia officium eius non est curare vt fiscus mulctis & confiscationibus diteſcat, sed vt leges seruentur, & legum violatores puniantur. Itaque cùm ipse ex iustitia non teneatur causam prosequi vt fiscus bona Rei acquirat, non tenetur ad restitutionem, etiamsi causæ prosecutionem omittat; præsertim cùm fiscus ius propinquum ad bona illa non habeat, nisi secuta damnatione vel criminis declaratione. vide suprà cap. 13. dub. 10.

Aduerte Tertiò, Si clienti intententur actiò cri- *Si accusator deficiat in probatione.* minalis, & aduocatus eum ita defendat, vt accusator non potuerit conuincere, & ideò damnatus sit ad pœnam talionis, non teneri aduocatum ad restitutionem illius damni, nec effici irregularem: quod est contra Nauarrum cap. 27. num. 209. sed ita docet Couarruuias in Clement. Si furiosus p. 2. §. 5. num. 5. & Salonius quæst. 71. artic. 3.

controu. 1. Ratio est, quia hoc damnum per accidens & præter ipsius intentionem accusatori obuenit, cuius ipse causam non tenebatur iuuare. Idem dicendum de reo, ex cuius negatione sequitur accusatori pœna.

DVBITATIO IX.

Vtrùm aduocatus possit causam dubiam tueri.

52 *Si causa dubia.* REspondeo Primò, Si vtraque pars est quasi æquè probabilis, potest suscipere vtriusuis, id est, siue Rei, siue actoris patrocinium: tunc enim vterque ius habet iudicio experiundi.

Dico Secundò, Si causa Rei minùs quidem sit probabilis quàm actoris, absolutè tamen sit probabilis, potest aduocatus eam tueri. Ita Sotus l. 5. quæst. 8. artic. 3. Patet; quia reus tunc se potest tueri: ergo, &c.

53 *Si causa actoris sit minùs probabilis.* Sed difficultas est, si causa actoris sit minùs probabilis, quàm Rei. Sotus existimat aduocatum tũc non posse causam actoris suscipere, si inde graue damnum Reo immineret; id enim fore contra charitatem. quod interdum locum habere potest, quando causa potiri, parum interest actoris. ordinariè tamen quando causa est verè probabilis, suscipi potest, siue sit actoris, siue Rei: quia non semper id, quod videtur probabilius, est verius. imò sæpè id, quod minùs videtur, verius est. vnde etiamsi aduocato videatur causa Rei probabilior; potest tamen bona fide suscipere causam actoris, quæ etiam probabilis sit, & subijcere se Iudicis determinationi, allatis ijs quæ pro illa faciunt.

Dices Primò, Ea pars est Iure potior, cuius causa est probabilior: atqui iniquum est agere contra eum qui maius ius habet: ergo, &c. 54 *Obiectio 1.*

Respondeo, ille, cuius causa est probabilior, videtur quidem Iure potior, non tamen semper est reipsa: vnde is, cuius causa est probabilis, non tenetur eam deserere, quòd aduersæ partis videatur probabilior; sed potest adferre quæ pro sua faciunt; & totam determinationem Iudici relinquere, cui fortè aliter videbitur.

Dices Secundò, Cuius causa est minùs probabilis, non potest alteri bellum inferre; vt patet ex dictis qu. 40. art. 1. dubit. 4. ergo nec litem aduersus eum suscipere. *Obiectio 2.*

Respondeo negando consequentiam. Ratio est, quia per litem fit inquisitio veritatis, vtri reipsa plus iuris conueniat, & decisio relinquitur Iudici, cuius est vtriusq; partis momenta expendere. sed belli illatio est sententiæ executio: vnde supponit sententiam esse latam, vel debere ferri in fauorem eius qui bellum infert. cuius autem ius est minùs probabile, non debet sententia pro illo sed potiùs contra illum ferri; ac proinde non potest bellum mouere. *Alia est ratio litis, alia belli.*

Vtrùm autem Iudex teneatur sequi sententiam probabiliorem in Iudicijs, dictum est 1. 2. qu. 19. art. 6. dub. 7.

SECTIO QVINTA.

DE OFFICIIS IVSTITIAE DISTRIBVTIVAE.

HACTENVS dictum est de officijs Iustitiæ commutatiuæ, quæ potissimùm cernuntur in tribus, nempe in restitutione ob varias causas facta; in commutationibus contractuum; & in publicis Iudicijs, quibus puniuntur Rei, & absoluuntur innocentes. Sequitur vt breuiter agamus de functionibus Iustitiæ distributiuæ, & iniurijs quæ ibi committuntur. Hæ autem functiones maximè consistunt in distributione onerum & officiorum publicorum. Hæc onera publica potissimùm sunt vectigalia & tributa: officia autem publica sunt vel sæcularia vel ecclesiastica, quæ dicuntur beneficia, in quibus maximè committi solet simonia. Iniuria autem, quæ propriè Iustitiæ distributiuæ repugnat, vocari solet Acceptio personarum. quamuis hæc etiam contra Iustitiam commutatiuam interdum admittatur. Quare hæc Sectio constabit quatuor capitibus. Primum erit, De acceptione personarum generatim, & speciatim in officiorum distributione. Secundum, De vectigalibus. Tertium, De beneficijs. Quartum, De simonia. etsi enim simonia propriè sit contra virtutem religionis; tamen quia maximè in beneficijs locum habet, de ea proximè post beneficia disputabimus.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

De acceptione personarum.

Habet 4. Dubitationes. *D.Thomas q.63.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit acceptio personarum, & quale peccatum.

1 DIco Primò, *Acceptio personarum* (Græcè προσωπολημψια, quod nomen non minùs rectè potuisset verti *acceptio vultus* vel *facies*, vt passim ex Hebræo cõstat נְשִׂיאַ פָּנִים) generatim iuxta modum loquendi Scripturæ dicitur, quando in aliqua distributione non respicitur causa, sed persona; id est, aliqua personæ conditio nihil ad prædictam distributionem faciens, ob quam is, qui minùs dignus est, præfertur digniori: vt si quis Prælatus beneficia, officia, vel ordines sacros, omissis dignioribus, conferat indignis, vel minùs dignis, quia amici, consanguinei, diuites. si Iudex sententiam ferat pro amico, non pro eo qui ius habet. Itaque duo propriè ad hoc vitium requiruntur. Primò, Vt bona, quæ distribuuntur, sint aliquo modo communia, saltem destinatione eius qui illa distribuit: vt si quis ludos institueret propositis præmijs, & ea distribueret posteà non victoribus, sed amicis suis, diceretur acceptor personarum. Secundò, Vt in distribuendo spectetur aliqua conditio personæ, nihil ad distributionem faciens, ob quam indignior præfertur digniori. Hinc patet, apud Deum non esse acceptionem personarum, etsi dona sua neque omnibus, neque æqualiter inter homines distribuat. Primò, Quia acceptio personarum locum non habet, dum quis bona sua propria, ad quæ illi, quibus fit distributio, nullum ius habent, distribuit. Secundò, Deus in hac distributione non præfert indignum digno, ob aliquam conditionem in homine existentem, quæ nihil ad distributionem faciat. etsi enim interdum minùs dignos maioribus auxilijs præueniat, id facit ob iustissimas causas, nempe vt ostendat se gratis dare, & nemini se esse debitorem horum donorum. Tertiò, Quia omnibus auxilia prima salutis impertit prout fert conditio cuiusque, & quemque iuuat ad vlteriora, saltem quatenus se ille per priora auxilia disponit & idoneum reddit. Hinc Actor. 10. cùm Petrus cognouisset, Cornelium gentilem cum familia ad fidem Christi vocari, dixit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* vbi insinuat, potuisse videri acceptionem personarum apud Deum, si solis Iudæis, non etiam Gentibus eum timentibus & iustitiam operantibus, fidem in Christum contulisset. cùm enim Cornelius se per priora auxilia idoneum & dignum fecisset hoc dono, & Iudæi plerique essent indigni, debebat etiam ipsi conferri: alioquin visus fuisset Deus acceptor personarum: nam visus fuisset Iudæos minùs dignos præferre Gentibus dignis, idcircò tantùm quòd Iudæi essent; & pluris valuisset apud Deum in dono fidei conferendo, esse Iudæum, quàm Deum timere, & mandata eius obseruare, in Gentibus. hæc tamen acceptio personarum non fuisset contra iustitiam: quia Gentes ad Christi fidem ius non habebãt, vt probat Apostolus ad Rom. 15. Simili modo Apostolus ad Rom. 2. dicit, *apud Deũ non esse acceptionem personarum*, eò quòd cuique, siue Iudæo siue Græco, reddet secundùm opera sua. vnde insinuat, si Iudæis malè operantibus parceret, quia Iudæi; Gentibus autem malè operantibus non parceret; vel si Iudæos benè operantes remuneraret, Gentes non remuneraret, fore acceptionem personarum: etsi in parcendo his, non illis, non esset iniustitia.

Duo requiruntur. 2

In Deo non est acceptio personarũ. 3

Dico Secundò, Acceptio personarum ex genere suo est peccatum mortiferum, quia fit cum iniuria proximi: ratione tamen exiguitatis materiæ potest esse peccatum veniale: vt si in re parui momenti (v.g. in loco accumbendi ad mensam) præferatur minùs dignus digniori; vel si non sit magnum discrimen inter minùs dignum & digniorem. 4 *Quale peccatum.*

DVBITATIO II.

In quorum bonorum distributione potissimùm locum habeat acceptio personarum.

REspondeo, Primò In distributione Iuris, quam facit Iudex, dum partibus Ius dicit; vt docet D. Thomas qu. 63. art. 4. etsi enim Ius dicere sit actus Iustitiæ commutatiuæ, quatenus ex officio est debitum; tamen quatenus fit inter duos, habet modum Iustitiæ distributiuæ. Ius enim suo modo est quoddam bonum commune distribuendum partibus. In huius igitur distributione, si Iudex aliquid respiciat præter causarum merita, cõmittit hoc vitium acceptionis personarum: quod sæpè ei prohibetur in Scripturis; Leuit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iuste iudica proximo tuo.* Item Prouerb. 18. *Accipere personam in iudicio non est bonum*, id est, nihil habet boni, valdè est malum. 5 1. *In Iure dicendo.*

Vbi Aduerte, non tantùm esse vitium acceptionis personarum, quando Iudex in ferenda sententia considerat personam potiùs quàm æquitatem causæ; sed etiam quando causas pauperum differt & extrahit, causas autem diuitum expedit. Similiter quando vni parti concedit longiorem termi-

num ad probandum vel informandum quàm alteri, cùm tamen par sit vtriusque ratio.

6 *Obiectio.* Dices, Iudicis arbitrio relinquitur vt terminos probationum constituat; ergo non facit iniuriam parti, si amico concedat longiorem.

Respondeo, Relinquitur arbitrio eius vt constituat terminos longiores vel breuiores, prout expediens visum fuerit, & causa postulauerit: non autem vt pro sua libidine & gratificandi studio vni possit concedere terminum longiorem quàm alteri, maximè cum notabili incommodo partis: nam hoc concessum est Iudicibus in gratiam vtriusque partis.

7 *2. In conferendis beneficijs.* Secundò, Locum habet in collatione beneficiorum, & in electione & præsentatione ad illa. beneficia enim Iure naturali & positiuo debent conferri dignioribus, id est, qui optimè putantur officio functuri. vnde si consanguinitas, amicitia, vel simile quiddam nihil ad officium pertinens, in electione, præsentatione vel collatione spectetur, omissis dignioribus, committitur vitium acceptionis personarum. Vide D. Thomam art. 2. Sed de hoc plura infrà cap. 34. dub. 13.

3. In officijs secularibus. Tertiò, In conferendis officijs sæcularibus, vt in officio Consulis, Prætoris, Senatoris, Consiliarij, Quæstoris, & similibus: hæc enim sunt bona quædam communia Reipubl. instituta ad ipsius commodum, quorum distributio pertinet ad Principem. vnde tenetur Iure naturæ ea maximè idoneis & Reipub. vtilibus conferre.

4. In vectigalibus. Quartò, Locum habet in oneribus distribuendis: hæc enim iusta proportione distribui debent, ne pauperes magis grauentur quàm diuites; vt cap. 33. dicetur de vectigalibus.

8 *5. In honore.* Quintò, In exhibendo honore seu reuerentia: vt si quis in publico conseßu aut in mensa alicui non assignet locum, qui ei ratione eruditionis vel gradus debetur. debet tamen id fieri dolo vel lata culpa: alioquin non censetur iniuria.

9 *Cur honor debitus.* Notandum est, Titulum, ob quem alicui debetur honor, esse excellentiam naturæ rationali congruentem; quæ consistit in sapientia, virtute, & potentia: nullæ enim aliæ perfectiones reddunt naturam rationalem excellentem & honore dignam.

Vnde maximè honorandi, Primò, Homines sapientia & sanctitate præditi.

Secundò, Qui potentia præstant; vt Principes, quia diuinæ potentiæ sunt participes; & parentes, quia post Deum sunt nobis principium naturæ.

Tertiò, Senes, quia senium est signum prudentiæ & virtutis.

Quartò, Diuites, quatenus diuitiæ sunt instrumentum virtutis, dum ad multa bona opera facultatem præbent. Quòd si diuitiæ per se considerentur, nullo honore dignæ sunt; quia per se nullam excellentiam habent, qua naturam rationalem ornent, cùm ex rebus infimis constent. vnde si quis diuiti propter illas (quasi illæ per se aliquid magni sint) honorem, præ alijs virtute aut scientia claris, exhibeat, committet vitium acceptionis personarum: nam in honore distribuendo non spectabitur causa, sed persona, cum iniuria quadam probitatis & sapientiæ.

10 *Dupliciter diuites honorantur.* Aduerte tamen, dupliciter posse diuites ob diuitias præcisè consideratas honorari. Primò, Si solùm exteriùs honorentur ob receptam consuetudinem, sine tamen interiori æstimatione & reuerentia erga diuitias; & hoc modo non est peccatum, si fiat sine cuiusquam iniuria: quia externa illa consuetudo non est per se mala. Secundò, Si fiat ex interiori quadam æstimatione, qua diuitiæ secundùm se præferantur, vel exæquentur virtuti; & sic est peccatum acceptionis personarum, quod reprehendit D. Iacobus cap. 2. suæ Epistolæ, cùm ait: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri* IESV *Christi gloriæ. etenim si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens, in veste candida*, &c. vbi docet esse peccatum acceptionis, talem præferre fideli pauperi ob nudas diuitias, & fieri potest vt sit mortale; vt si fiat cum notabili alterius contemptu vel iniuria; alioquin est solùm veniale.

11 *Obiectio 1.* Dices, Videtur semper esse mortale; quia præferre diuitias virtuti, easque pluris æstimare, videtur esse peccatum mortale; tum quia est magnus contemptus virtutis, tum quia talis videtur esse paratus deserere virtutem propter diuitias.

Respondeo, Si expressè & cum plena animaduersione diuitiæ præferantur vel exæquentur virtuti, sine dubio erit peccatum mortale, ob rationem allatam; sed regulariter non ita fit: nam hæc comparatio non fit expressè & formaliter, seu vt dici solet, in actu signato; sed solùm implicitè seu interpretatiuè, ipso exercitio. solæ enim diuitiæ versantur ob oculos, & magni æstimantur, & relicta virtutis consideratione honorantur.

12 *Obiectio 2.* Dices Secundò, Honoris exhibitio pertinet ad obseruantiam, non ad Iustitiam distributiuam: ergo acceptio personarum in ea locum non habet.

Respondeo Negando consequentiam; quia vbicumque est aliqua distributio rerum aliquo modo debitarum inter plures, ibi suo modo locum habet acceptio personarum, etiamsi talis distributio non sit propriè actus Iustitiæ distributiuæ; vt patet in Iure dicundo.

Dici etiam potest, Exhibitionem honoris, quatenus respicit debitum singulorum virtuti seorsim, absque comparatione ad virtutem aliorum, pertinere ad obseruantiam: quatenus verò immediatè respicit debitum proportioni, nimirum vt honor exhibitus respondeat proportioni, quæ est inter virtutem multorum, sic pertinere ad Iustitiam distributiuam: quia Iustitiæ distributiuæ seruat formam.

DVBITATIO III.

Vtrùm illi qui conferunt officia sæcularia, peccent mortiferè peccato acceptionis personarum, si non eligant dignissimos quosque.

13 *Assumens indignum, tenetur.* RESpondeo & Dico Primò, Eos, qui assumunt ad officia sæcularia (v.g. ad officium Gubernatoris oppidi vel arcis, Prætoris, Iudicis, Capitanei, Secretarij, Commissarij, Quæstoris, & similia) ineptos, aut qui malè putantur administraturi, peccare mortiferè, & teneri Reipub. ad sarcienda damna inde secuta. est communis sententia DD. Probatur Primò, Quia qui hæc officia conferunt, vel conferunt ea ex debito sui officij, vt Principes & Gubernatores; vel ex horum commissione. Si conferunt ex officij debito, tenentur lege iustitiæ procu-

procurare Reipub. ministros idoneos: nam officium ipsorũ obligat ipsos lege iustitiæ erga Rempub. cùm propter illud stipendia & tributa accipiant. sicut œconomus, cui gubernatio domus commissa est, tenetur ex officio (ac proinde ex iustitia) conducere famulos & operarios idoneos. Si ex commissione, tenentur similiter ex iustitia: quia qui ex cõmissione facit, non minùs tenetur, quàm is qui commissionem dedit: nam hoc ipso, quo commissionem seu mandatum acceptat, seipsum obligat ad ritè exequendum. Secundò, Principes & Gubernatores tenentur ex iustitia Rempub. rectè administrare, & quantum commodè possunt eius damna impedire: atqui hoc facere non possunt, nisi idoneis ministris & officialibus vtantur: nam pleraque per hos exequenda sunt: ergo si ineptos adhibeant, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem damni secuti. qui enim causam damni dat, damnum dedisse videtur.

14 Dices, Etsi modò non sint idonei, speratur tamen aliquando valdè idoneos fore: ergo saltem poterunt talibus conferri.

Resp. Id posse interdum locum habere tranquillâ Republicâ, dum officium per Vicarium administrari commodè potest, & aliæ iustæ causæ, cur ita fiat, adsunt. Secùs est quando Respub. est turbata, & præsentem opem virorum aptissimorum, tum in politia, tum in militia flagitat.

Hinc patet, eos, qui constituunt Quæstores seu Receptores, quos sciunt malignè soluere, & tergiuersando munera extorquere à creditoribus, teneri rependere damna, quæ creditores per tales Quæstores incurrunt; si ipsimet Quæstores (qui proxima causa sunt) non restituant.

15 *Assumens minùs idoneum.* Dico Secundò, Qui omissis aptioribus assumit minùs idoneos, peccat quidem & sæpe mortiferè, non tamen tenetur ad restitutionem, si isti verè idonei erant. Colligitur ex Soto l.3.de Iustitia q.6. art.4.& apertè docet Michaël Salon.qu.63.art.2. Petrus Arragonius eodem loco, qui pro eadem sententia citat Didacum Perezium.

Quòd peccet, Probatur Primò, Quia iniuriam quamdam facit digniori, præferendo ei minùs dignum: maius enim ius habet, qui est aptior. hæc tamen iniuria non est contra Iustitiam commutatiuam, ac proinde non obligat ad restitutionem; sed tantùm contra Iustitiam distributiuam, cuius ius consistit solùm in maiore aptitudine & proportione ad bonum distribuendum.

Secundò, Quia plerumque nascuntur graues offensiones & alienationes subditorum à Superioribus, ob huiusmodi collationes. quæ interdum sunt causa multorum malorum: vt cùm videnr negligi eos, qui in fide & obsequio Principis perstiterunt, & exilia sunt perpessi; promoueri autem, qui partis aduersæ fautores fuerunt.

Tertiò, Quia constituendo ministros minùs idoneos, quando aptiores non desunt, facit contra fidelitatem, quam debet Reip. tenetur enim saltem ex fidelitate, procurare ministros quàm maximè idoneos, si potest: sicuti œconomus, si fideliter officium suum præstare velit, tenetur cõducere operarios & ministros domino suo quàm maximè idoneos, quantum commodè potest. vnde sicut œconomus grauiter peccaret contra fidem ex officio debitam domino suo, si in conducendis operarijs solùm spectaret vt suos amicos promoueret, reiectis alijs, qui longè plus prodessent domino; ita illi, qui officia Reip. conferunt, grauiter peccant, si promoueant eos tantùm, qui sanguine vel amicitia ipsis iuncti sunt, vel munera obtulerunt, vel priuatis ipsorũ intentionibus meliùs seruient; præteritis alijs longè aptioribus: quia peccant in Rempub. præferentes commoda priuata vtilitati communi, contra fidem Reip. datam.

Vbi Aduerte, eum, qui aliquam administrationem 16 *In officio duplex obligatio.* suscepit, videri se tacitè ad duo obligare. Primò, Ad curãdum vt suâ negligentiâ nullum damnum detur; & ad hoc se obligat lege iustitiæ, ita vt teneatur ad restitutionem, si non præstiterit. Secundò, Quòd promouebit commoda eius, cui per officium seruit, in omnibus, quantum commodè poterit: seu quòd officium quàm optimè administrabit. etsi enim qui officium instituit, non obliget alterum ad diligentiam extraordinariam, sed solùm ad communem; (qualem alij eiusdem conditionis præstare solent) tamen mens eius est, vt officium, quantum commodè fieri poterit, quàm optimè administretur. & hoc ipsum censetur aliquo modo promittere qui officium acceptat. nemo enim vellet conducere operarium vel famulum, quem alia mente esse putaret. Verùm hæc obligatio, qua parte se extendit ad optimum modum, non censetur esse ex iustitia, ita vt inducat necessitatẽ restitutionis, si non omnia optimè præstita fuerint; (modò damnum datum non sit, nec aliquid, quod ex officio erat necessariò faciendum, prætermissum) sed solùm ex fidelitate, absque obligatione restitutionis. Non enim satis fideliter dicitur officium peregisse, qui aliqua domini sui commoda, quæ facili negotio potuisset curare, prætermisit; sicut exemplo œconomi, qui prætermissis optimis operarijs, conducit mediocres, sibi amicitia deuinctos, ostensum est. Principes igitur 17 *Tenentur ex fidelitate conferre dignissimis; ex iustitia, dignis.* & alij, qui vel ex officio vel ex commissione conferunt minora officia Reipublicæ, tenentur ex fidelitate, quam Reipub. debent, conferre ea maximè idoneis, quantum commodè poterunt: alioquin erunt infideles Reipublicæ; quæ infidelitas in re magni momenti potest esse peccatum mortale, & meretur puniri in subditis priuatione officij & mulctâ pecuniariâ.

Confirmatur, Quia mens Reip. & ipsius Principis est, vt officia conferantur dignissimis; & cùm tali onere permittit quædam conferri à supremis suis officialibus, vel à Gubernatoribus oppidorum, vel à præfectis militum in militia: ergo hi omnes tenentur conferre maximè idoneis; id est, ijs, qui optimè putantur functuri: alioquin peccant in re graui contra fidem, quam Principi & 18 Reip. debent; & merentur puniri, quia grauissima mala consequuntur, ex eo quòd non detur opera, vt officijs publicis applicentur aptissimi: dum enim satis est collatori, illum, cui vult conferre, videri vtcumque idoneum, sæpè fit vt fallatur, sitque ineptus, vel certè prauus & malè administraturus: quo fit vt peruertatur iustitia, & omnia per munera & extorsiones gerantur. Itaque in re tanti momenti & periculi, tenentur Superiores dare operam sub peccato mortali, vt quàm maximè idoneis conferantur.

Denique nisi in officijs conferendis summa cura adhibeatur, sensim Respub. impletur ministris atheis, politicis, ambitiosis, auaris; qui sua, & suos dumtaxat curent & promoueant, commune bonum negligant, omnia ad priuatas quasdam suas inten-

intentiones dirigant; qui ius & fas, iustitiam & religionem auro venalem habeant; ex quibus nihil aliud quàm euersio religionis & iustitiæ expectari possit.

19 Quales autem esse debeant, qui constituuntur officiales in Rep. breuiter insinuat Iethro socer Moysis Exod. 18. *Prouide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Vbi notantur quatuor conditiones, quas Principes in cõferendis officijs debent habere præ oculis, teste Caiet. Prima est, Vt sint *potentes*, id est sapientia, industria, & strenuitate idonei, vt rectè Caiet. explicans illum locum. Secunda, *timentes Deum.* nihil enim ita compellit hominem iustè agere, vt timor Dei, vbique præsentis & omnia intuentis. vnde alibi Scriptura ait, *Qui timet Deum, faciet bona.* &, *Qui sine timore est, non poterit iustificari*, quare nec iustè agere. Tertia, in quibus sit *veritas*, id est, qui neminem decipiant, sed faciant quod promiserunt, & quod legibus præscriptum est. Quarta, *odientes auaritiam*, id est, qui non studeant opibus accumulandis; & multò minùs munera accipiant. hic est enim maximus iustitiæ scopulus.

Quatuor conditiones requisitæ in ijs qui præsunt.

20 Ex his patet, præcipuum munus Principis esse, curare vt quàm maximè idoneos ministros habeat: hinc enim totum Reipub. bonum dependet, cùm per hos omnia administrentur. Itaq; peccatum mortiferum erit si id negligat. Non tamen tenebitur ad restitutionem, nisi in particulari constet aliquem ineptum adhibitum: quia aliàs non censetur causam damni contra obligationem iustitiæ dedisse.

Præcipuum munus Principis.

21 Notandum tamen Primò, quando Princeps aduertit, sensim multos abusus irrepere, teneri lege iustitiæ obuiàm ire; ac proinde eos adhibere, qui talibus incommodis possint mederi. Itaque cùm ij, qui aliàs possent videri idonei, hoc statu rerum non sint idonei, non potest eos applicare: debent enim esse idonei pro statu præsenti.

Debent esse idonei pro statu præsenti.

22 Notandum Secundò, Ea, quæ diximus, maximè intelligenda esse de officijs maioris momenti, vt sunt omnia, quæ coniũctam habent iurisdictionem, vel à quibus multùm pendet in Repub. vt officium Præsidis, Secretarij, Consiliarij, Thesaurarij, & similia. Si autem officium non sit tale, non erit peccatum mortale, saltem in supremo Principe, conferre minùs digno; modò tamen verè sit idoneus. Idem dicendum, si non sit inter eos magnum discrimen aptitudinis, ita vt hic non putetur notabiliter minùs benè functurus munere, quàm ille, cui præfertur. vnde diximus in propositione, *sæpe* peccare mortiferè, non *semper*. Verùm de his plura infrà cap. 34. De beneficijs.

Officia maiora & minora.

23 Notandum Tertiò, Caietanum v. Electio officialis, putare non esse peccatum mortale, prætermittere digniorem: quia, inquit, non video hîc acceptionem personarum, nec video hîc habere locum Iusticiam distributiuam; cùm officium hoc non detur ciui, vt parti communitatis. Sed hæc ratio nullius est momenti. etsi enim non peccetur mortiferè ob iniuriam factam digniori; (quia nullum ius strictum ad illud officium habet, sicut is qui electus est aut præsentatus) peccatur tamen ob iniuriam vel infidelitatem in Rempub. Deinde falsum est, Iustitiam distributiuam hîc locum non habere: quia pleraque officia non possunt dari nisi subditis. Denique etsi possint interdum dari extraneo; tamen si velit dare subito, debet dare maximè idoneo: is enim maius ius habet in distributione; quamuis violatio huius iuris non sit semper peccatum mortale, vt suprà diximus.

Sententia Caietani.

Refutatur.

DVBITATIO IV.

Vtrùm officia sæcularia possint vendi.

NOtandum, in officio sæculari quinque considerari posse. Primum est, Obligatio ad certas functiones, quæ propriè vocatur officium, & est fundamentum ceterorum. Secundum, Iustum stipendium, vel ius ad tale stipendium, quod ius oritur ex officio. Tertium est, Dignitas quædam & eminentia, ob quam in Republica honoratur. Quartum, Occasio lucrandi. Quintum, Excessus stipendij supra debitum. Nunc 24

Quinque in officio considerãda.

Respondeo & Dico Primò, Officia sæcularia ratione primi & secundi vendi non possunt; ratione tamen reliquorum trium vendi possunt; ac proinde non est per se illicitum talia officia vendere. Prior pars patet; quia nemo potest mihi vendere onus, quod mihi ipsi subeundum est: hoc enim quisque potiùs optat redimere & excutere, quàm emere & accersere. neque etiam potest mihi vendere iustum stipendium illi oneri annexum; quia hoc ex iustitia debitum est ei qui onus subit. Confirmatur vtrumque; quia nemo potest operario vendere obligationem laborandi in horto suo, aut iustum stipendium labori illius debitum. 25

Quæ ratione possint vendi, quæ non.

Altera pars probatur Primò, Nam eminentia illa magni æstimatur apud homines, & pecuniâ comparari solet. longè enim pluris veneunt dominia, quæ habent annexos maiores titulos dignitatum. similiter occasio & commoditas lucrandi, magni æstimatur. qualis est in officijs, quibus cõpetit pars confiscationis vel iustæ prædæ, vt in quibusdam officijs Curiæ Romanæ. Denique si stipendium excedat operam & industriam officij, ille excessus æstimari potest, maximè ab ipso Principe, qui potest eum ab officio separare: si ergo relinquatur, potest exigi compensatio. 26

Eminentia seu dignitas, & occasio lucrandi, præmagni æstimatur. tio sunt æstimabiles.

Probatur Secundò, Quia hæc omnia sunt res humanæ, non spiritales, & pretio æstimari solent: ergo nihil obstat quin per se vendi possint. secùs est de beneficijs, quæ sunt res spiritales. 27

Tertiò, Quia Barones, Comites, Marchiones & Duces possunt vendere suos titulos & status; vt recepta consuetudo probat: ergo officiorum sæcularium venditio per se non est illicita.

Dico Secundò, Etsi per se non sit illicitum hæc officia vendere, tamen ob multa incommoda, quæ inde sequi solent, plerumque est illicitum & etiam pernicioſum, maximè si aliquam iustitiæ administrationem habeant. est communis Doctorum. vide Caietanum v. Officiorum venalitas. Sotum lib. 3. quæst. 6. art. 4. Nauarr. cap. 25. num. 7. Probatur, quia hinc plerumque solent sequi hæc incommoda. Primò, Quòd non conferantur dignioribus, imò neque dignis; sed indignis, qui pecunijs supplent quod meritis deest. digni enim vel tantis pecunijs carent, vel certè censent indecorum hac via ad officia irrepere. Secundò, Quòd hoc modo magis prouocentur homines ad studium pecuniarum, quibus vident digni- 28

Plerumque est illicitũ.

Incõmoda subsequa.

dignitates parari, quàm ad studium probitatis & bonarum disciplinarum, quibus in Repub. vident parum loci relictum. Tertiò, Quòd ij, qui hæc officia sunt consecuti, non administrent ea prout Reipub. bonum postulat, sed pro suo compendio, vt & pretium recuperent, quod soluerunt, & præterea ditescant. vnde fit vt multa iniustè extorqueant, iustitiam venalem habeant, diuitibus & potentioribus faueant, causas pauperum negligant. Quare meritò hæc venditio censenda est pestis Rerum public. vnde rectè etiam in Iure prohibetur, collatione 2. titulo, vt Iudices sine quoquo suffragio fiant, cap. 1. vbi præcipitur, vt personæ, quibus conferuntur officia publica, pro ijs nihil soluant; & apud Sinenses omnia officia conferuntur gratis, & non nisi maximè idoneis per longum examen iudicatis.

Petes, Quibus circumstantijs licitè fieri possit hæc venditio?

29 *Conditiones requisitæ vt possint vendi.*

Respondeo & Dico Tertiò, Vt licitè fiat, requiruntur hæ conditiones. Primò, Vt vendens habeat auctoritatem. Secundò, Vt vendantur quantum fieri potest digniori. Tertiò, Vt pretio moderato. Quartò, Vt id censeatur necessarium, vel vtile bono publico. Quod ad primam attinet, auctoritas vendendi est in solo Principe supremo, vel in Republica libera. Ratio est, quia hæc sunt bona Reipublicæ, ac proinde eorum dispensatio est supremi Principis, aut ipsius Reipubl. si sit sui iuris. Inferiores itaque, etsi Magnates sint, non possunt, nisi vel Principis concessu, vel legitima præscriptione seu vsucapione.

30 *2. conditio. Si venditum inepto.*

De secunda conditione ratio est, quia omnia officia dignioribus conferenda sunt. quare si Princeps vendiderit alicui inepto, debet rescindere contractum, & officium venditum resumere; & consequenter pretium pro eo acceptum restituere. Damnum secutum primo loco sarcire tenetur emptor, secundo loco Princeps. Si tamen particularis persona ex facultate Principis vendiderit, non tenetur restituere pretium, etiamsi emptor ob dignitatem suam priuetur; quia venditor non rescindit contractum, nec priuat emptorem re vendita; sed emptor, qui suæ conditionis conscius ausus fuit emere, sibi imputet si officium amittat. neque venditor tenetur ei de euictione, quia conditionem rei non ignorauit.

De tertia, Nisi pretium sit moderatum, datur occasio emptori vt multa iniquè extorqueat; vt quotidiana docet experientia. *3. conditio.*

Petes, Vtrùm is, qui immodico pretio dedit occasionem emptori præter ius & fas exigendi à subditis, teneatur ad restitutionem damni Reip. si ille non restituerit? 31 *Sarcire damnum secutum.*

Respondeo, Non teneri, nisi talis sit, vt ex officio teneretur illud damnum impedire, vt Princeps, Gubernator, Præses, &c. Ratio est, quia illa venditione solùm est causa remota illius damni. non enim si tibi aliquid vendidi immodico pretio, & tu vt soluas, furtum committas; ego censeor causa furti. si tamen Princeps vendidit, tenetur illud damnum sarcire, non præcisè quia occasionem dedit, sed quia cùm teneretur impedire ex officio, non impediuit.

Quod ad quartam attinet, nempe hanc venditionem non posse licitè fieri nisi ob Reipubl. necessitatem, vel vtilitatem; probatur, quia hæc officia non sunt bona Principis propria, vt tributa, sed Reipub. communia, quorum administrationem & collationem commisit Principi, communis vtilitatis causâ: atqui Reipub. mens non est vt hæc officia vendantur, nisi id videatur expediens bono communi: vt si summa esset conflanda, quæ aliter commodè haberi nequiret. Nec potest alia esse iusta ratio ea vendendi; quia venditio est contra naturalem institutionem talium officiorum. Si tamen Princeps extra hunc casum venderet, non esset venditio irrita; peccaret tamen, præsertim si hoc officium haberet vllam iustitiæ administrationem. Ita Sotus & Caiet. suprà, & alij DD. passim. 32 *4. conditio.*

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

De Tributis & Vectigalibus.

Constat Dubitationibus 11.

1 NOTANDVM est, nomine *Tributi* generatim significari id, quod Principi vel Reipublicæ à priuatis solui solet, ad onera communia sustentanda: quod varijs nominibus appellari consueuit. vt videre est apud Siluest. v. Gabella primò. Duo tamen sunt præcipua nomina Latina huic rei accommodata, *tributum* & *vectigal*, quæ habentur ad Roman. 13. *Reddite*, inquit Apostolus, *omnibus debita, cui tributum*, (Græcè φόρον) *tributum; cui vectigal*, (Græcè τέλος) *vectigal*. vbi *tributum* (φόρος) accipitur strictè, vt distinguatur contra *vectigal*, (τέλος:) & hoc modo *tributum* nihil est aliud quàm pensio, quæ subditis soluenda imponitur iuxta cuiusque facultates, præsertim prædiales, ad Principis dignitatem vel communia impendia sustinenda. Sed passim à Doctoribus accipitur generaliùs. *Tributum.*

Vectigal autem propriè significat, Primò, Pensionem, quæ soluitur pro rebus quæ exportantur vel importantur in ciuitatem vel prouinciam; vt ea quæ soluuntur in portubus & regnorum confinijs. & olim quidem octaua pars debita erat, vt docet Couarruuias ad regul. Peccatum, par. 2. §. 5. nu. 1. & patet L. Ex præstatione. 7. C. de vectigalibus. Sed hoc tempore istud vectigal varium est pro diuersitate regnorum, ex quibus deferuntur, vel in quæ importantur. 2 *Vectigal varium.*

Secundò, Id, quod soluitur pro transuectione mercium per pontes & flumina, quod solet vocari portorium; quamuis hoc nomen etiam generaliter vsurpetur pro quouis vectigali. *Portorium.*

Tertiò, Quod soluitur à transeuntibus per aliquam viam seu locum, pro custodia viarum; quod pedagium seu guidagium dici solet. *Pedagium.*

Quartò, Quod soluitur ex rebus venditis aut permutatis; quod Hispani vocant *Alcauala*, teste 3

Medina

Ex venditione vel permutatione.

Medina qu. 13. vt si vendas domum 1000. aureis, quibusdam locis soluendi Principi 100. aurei, id est, decima pars pretij. ita fit in Hispania, teste Couarr. & Medina suprà; sed dimidiu soluit emptor & dimidium venditor. si autem domum permutes cum alia domo, vel cum agro, ex vtraque resoluitur decima pars, quasi duplex sit venditio.

4 Aliquando vectigal accipitur amplè, vt etiam tributum complectatur, & sic agri dicuntur vectigales, ex quibus penditur tributum: vt notat Couarruuias.

Munera triplicia.

Præter hæc debita, sunt quædam onera subditorum, quæ à Iurisperitis *Munera* vocantur. ea autem sunt triplicia, realia, personalia, mixta. *Munera realia* sunt obsequia, quæ Principi præstantur rebus subditorum, vt iumentis, plaustris, canibus. *Personalia*, quæ per ipsas personas exhibentur: vt seruire certis temporibus Principi in aula vel foris, illum ad hæc vel illa loca, aut etiam ad bellum comitari. *Mixta* sunt quæ vtroque exhibentur; vt cùm quis suis sumptibus teneatur illum ad bellum comitari. His positis, sit

Dvbitatio I.

Quæ conditiones requirantur vt vectigal seu tributum generatim acceptum censeatur iustum.

5 *Quinque conditiones iusti vectigalis, iuxta Caiet.*

Caietanus in Summa v. Vectigalia iniqua, requirit quinque conditiones; nempe vt sit iustum ex agente, ex fine, ex forma, ex materia, & ex vsu.

Ex agente iustum est, quando imponitur ab eo, qui habet legitimam auctoritatem; & consequenter illis, qui non sunt exempti.

Ex fine, quando est iusta causa imponendi. hæc duplex est; Prima, Sustentatio dignitatis Principis: cùm enim Princeps pro Republica laboret, eam regendo, in pace conseruando, & defendendo; iustitia postulat vt vicissim Respublica eum pro dignitate sustentet: dignus enim est operarius mercede sua. Hac ratione tributum est iustum Principis stipendium. Secunda, Necessitas, vel certè magna vtilitas boni publici, cui alia ratione subueniri nequit; vt si miles necessarius pro defensione patriæ, pro securitate viarum; si instauranda opera publica, &c.

6 *Ex forma*, quando debita proportione imponitur, nempe pro ratione facultatum cuiusque, & contractuum, quos quisque facit; ne pauperes grauentur præ diuitibus, & non-mercatores præ mercatoribus: iniquum enim est si pauperiores amplius ad Principis statum vel communia impendia conferre cogantur quàm ditiores; aut non mercatores, quàm mercatores; aut si alij præ alijs immodicè grauentur.

Ex materia, quando imponuntur illis rebus, quæ negotiationis causa deferuntur, & non illis quæ ad vsus necessarios & inopiæ solatium emuntur & venduntur; vt sunt panis, potus communis ciuium, caro, & similia.

Ex vsu, quando insumuntur in causam publicam, ob quam sunt imposita, & non prorogantur vltra necessitatem.

7 Hæ omnes conditiones debent concurrere iuxta Caietanum, vt vectigal iustum censeatur: vnde etiam quinque modis fieri potest vt sit iniquum. *Quinque modis potest esse iniquum.* Primò, *Ex auctore*: vt si non habeat auctoritatem Principis, aut imponat exemptis. Secundò, *Ex fine*: vt si non imponatur ob publicam necessitatem, aut magnam vtilitatem. Tertiò, *Ex forma*: vt si subditi onerentur absque proportione debita; vel si grauamen sit immodicum: vt si alicui speciei (v.g. cereuisiæ vel farinæ) tantū imponatur, vt qui illam faciunt & vendunt, non possint ex lucro se sustentare: respectu enim horum est immodicum. Quartò, *Ex materia*: vt si imponatur rebus ad vitam omnino necessarijs. Quintò, *Ex vsu*: vt si non impendatur ad publicam vtilitatem.

Aduerte, illud de materia, non esse omnino necessarium, vt infrà dicemus. vnde Medina C. de restitutione qu. 13. solùm requirit tres conditiones ad iustitiam vectigalis. Prima est, Vt sit *auctoritas* in imponente. Secunda, Vt sit *iusta causa* ob quam imponitur. Tertia, Vt *conuenienti forma* seu proportione imponatur. proportio enim est veluti forma vectigalium, cùm debeant imponi secundùm rationem Iustitiæ distributiuæ. His conditionibus concurrentibus vectigal iustum erit, & iustè exigetur. quòd si posteà non impendatur vt oportet, tunc cessat causa exigendi: non enim est iusta causa exigendi, nisi curetur vt in eam impendatur. 8 *Medina requirit tres tantummodò.*

Dvbitatio II.

In quibus existit hæc potestas legitima vectigalis imponendi.

Respondeo, Existere tantùm in ijs Principibus & Rebuspublicis, quæ in sua administratione Superiorem non agnoscunt. Primùm igitur hæc potestas est in *Summo Pontifice*, qui in locis, quæ ipsi in temporalibus subsunt, potest tributa imponere, & ea alijs concedere. in alijs autem locis directè non potest; quia tributa debita sunt Principibus sæcularibus pro regimine ciuili seu temporali; pro spiritali autem non dantur tributa, vel vectigalia, seu gabellæ; sed decimæ. 9 *1. In Summo Pontifice.*

Si tamen id esset necessarium ad bonum Ecclesiæ, (vt si Turcæ infinito numero se infunderent in orbem Christianum, vel hæretici supra modum inualescerēt, & Principes Christiani essent negligentes, nec alia suppeteret ratio succurrendi) possetPapa extra ditionem suam temporalem, aliquod vectigal imponere, & subsidia necessaria imperare; quia habet plenam potestatem in temporalibus, prout necesse est ad defensionem Ecclesiæ & bonorum spiritualium. & omnes Christiani non minùs tenentur obtemperare & succurrere Pontifici ad defensionem Reipublicæ spiritalis, quàm Principi sæculari ad defensionem Reipub. ciuilis, cùm ipsi ad vtramque Rempub pertineant. Posset etiam in tali casu Principem Christianum, qui nollet opitulari, deponere, & alium sufficere, qui tributa necessaria ad huiusmodi sumptus imponat, & Ecclesiam defendat. Denique posset ciuitati seu Reipubl. dare ius absolutum & independens se administrandi, & non agnoscendi Superiorem in temporalibus, priuando priorem Principem suo regno in pœnam illius criminis: horum enim omnium est eadem ratio: quia supremam potestatem habet in temporalibus in ordine 10 *Potest vbique indirectè.*

ad

ad spiritalia, vt communiter Theologi tradunt, de quo plura 2.2.q.1.art.10.dicenda sunt.

11 *Secundò, In Concilio generali.* Secundò, Hæc potestas est in *Concilio generali*, vt patet ex cap. Super quibusdam. §. Præterea, de verborum significat. vbi Innocent. III. sic ait: *Duximus declarandum, illa esse pedagia, guidagia, salinaria interdicta, quæ non apparet Imperatorum, vel Regum, vel Concilij Lateranensis largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, a tempore, cuius non extat memoria, introducta.* Ex quibus verbis colligitur Primò, Hanc potestatem concedendi vectigalia, esse in quouis Concilio generali; quia omne Concilium generale parem auctoritatem habet Secundò, Eam potestatem esse etiam in Pontifice; (vt rectè notat Caietanus v. Vectigalia) quia tota Potestas, quæ est in Concilio, est in Pontifice, cùm totum Concilium non maiorem habeat iurisdictionem quàm Pontifex solus, vt passim Theologi tradunt. Porrò quando hæc potestas dicitur esse in Concilio, accipiendum est Concilium cum suo capite; quale fuit Concilium Lateranense: non enim est vlla ratio, cur hæc potestas debeat concedi Concilio acephalo, cùm hoc dici vix possit Concilium, & Iure diuino teneatur caput, si desit, eligere.

12 Aduerte tamen, hîc non dici, Concilium posse imponere; sed solùm insinuari, posse concedere: quod potest fieri dupliciter. Primò, Concedendo tributa ex locis Ecclesiæ subiectis; quo modo Regna & Ducatus, Ecclesiæ temporaliter subiecta, Principibus sæcularibus conceduntur in feudum: & hæc sicut Concilium potest concedere, ita & imponere. Secundò, Tribuendo alicui domino vel communitati ius supremi dominij, seu Imperij, quo ab alio in sua administratione non dependeat, & consequenter ius exigendi vectigalia, quod ex illo sequitur. hæc tamen non potest ipsum Concilium immediatè & directè imponere: potest tamen indirectè, sicut dictum est de Pontifice.

Tertiò, In Imperatore. Tertiò, Hæc potestas est in *Imperatore*, qui potest tributa imponere omnibus locis Imperio subiectis, si Principes inferiores, vel Respub. legitima vsurpatione hoc ius contra ipsum non præscripserunt; quatenus enim præscripserunt, eatenus ipse non potest; de quo vide sup. cap. 6. dub. 12.

Quartò, In Regibus. Quartò, Est in omnibus *Regibus* & in alijs potestatem quasi regalem habentibus, eò quòd in sua administratione Superiorem non recognoscant. qualis est Dux Florentinus, Mediolanensis, Brabantinus, & similes: Comes Flandriæ, Hannoniæ, Artesiæ, & similes; & multæ Respub. vt Veneta, Genuensis.

13 *Cur in solis Supremis.* Petes, Quare hæc auctoritas solùm est in illis, qui in suo regimine Superiorem non agnoscunt? Respondeo, Quia qui Superiorem non agnoscunt, immediatè habent auctoritatem à populo: vnde à populo accipere debent tum quæ necessaria ad sustentationem status & dignitatis; (id enim est iustum stipendium functionis, quam subeunt boni publici causâ) tum quæ necessaria ad rectam administrationem. multis enim opus habent, partim vt officialibus stipendia soluant, partim vt fines tueantur, hostes repellant, & iniurias vindicent. Itaque sicut operario Iure naturæ debetur merces, & omne id quod necessarium est ad perficiendum opus prout expressè vel tacitè conuentum fuerit; ita Principi Iure naturæ debentur à populo, tum iusta stipendia ad sustentandam dignitatem, tum necessaria subsidia ad rectam administrationem. qui verò in sua administratione ab alio Superiore dependet; non à populo, sed ab eo, à quo constitutus est, & officium accepit, stipendia & necessarios sumptus accipere debet; nec vllum ius habet quidquam exigendi à populo, nisi quod ei à suo Superiore concessum fuerit. ab eodem enim debetur stipendium, à quo imponitur administratio. Vnde patet, Proreges, Gubernatores, & quosuis alios Principum Vicarios non posse tributa exigere. Idem dico de Ducibus, Comitibus, Marchionibus, qui à Principibus absolutis constituti, acceperunt dominium aliquorum oppidorum vel pagorum cum parte aliqua vectigalium, qua statum suum sustentent: cùm enim in sua administratione Superiorem agnoscere debeant, non habent potestatem noua vectigalia imponendi.

14 *Quintò, In his, qui præscriptione acquisiuerunt.* Quintò, Hæc potestas est in omnibus dominis locorum, & Reb. sp. quæ legitima præscriptione ius illud quasi regium, seu liberæ administrationis obtinent: etsi enim ius exigendi vectigalia, quæ à Rege imposita & concessa fuerint, præscribi seu vsucapi possit contra alium, qui prætenderet ea à Rege sibi concessa, idque sine iure illo quasi regio; tamen ius imponendi & suo nomine exigendi vectigalia non potest vsucapi, nisi simul ius illud liberæ iurisdictionis vsucapiatur: ex hoc enim illud dependet. Sicut ius decimarum non potest à laico nomine proprio vsucapi; quia essentialiter dependet ex titulo Ecclesiastico. Itaque cùm hoc ius liberæ & independentis administrationis, quod vocatur Ius meri & mixti Imperij, possit vsucapi absque titulo, tempore immemorabili; & cum titulo, tempore quadraginta annorũ, vt sup. c. 6. dub. 12. ostensum est, cum Couatruuia ad reg. Possessor, p. 2. §. 3. num. 3. etiam ius imponendi vectigalia, quod ex illo sequitur, eodem tempore vsucapi potest. Vnde non rectè id negauit Alphonsus Castro l. 1. de lege pœnali, cap. 11.

15 *Collectæ.* Notandum Primò, Ciuitates, etiam subiectas, posse suis ciuibus ob publicum bonum imponere quædam onera, quæ vocantur *collectæ*, vt docet Caietan. v. Vectigalia iniqua; vt ad reparationem mœnium, pontium, viarum, modò non imponantur peregrinis, & id fiat per comitia, ad quæ omnes ciues, vel decani à ciuibus deputati, possint conuenire. ratio est, quia hæ collectæ non debent esse coactæ, sed Respub. debet in eas libere consentire, vel suffragijs maioris partis, vel duarum tertiarum, vel aliter pro consuetudine locorum. Imò

16 *Episcopus potest collectam indicere.* posset Episcopus cum consensu Capituli, in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis, aliquam collectam imponere ad reparationem Ecclesiarũ & necessaria ministrorum alimenta, quando aliter his prouidere nequit: quia cùm sit Princeps sacrorum in sua diœcesi, sicut Pontifex in tota Ecclesia, habet in temporalibus eam potestatem, quæ necessaria est ad bonum spirituale in sua Ecclesia conseruandum, & promouendum, nisi à Pontifice limitetur.

17 *Imponens sine potestate, vel sic imposita exigens.* Notandum Secundò, Eos qui sine legitima potestate in suis terris noua pedagia seu gabellas imponunt, vel veteres augent, vel eas, quæ prohibitæ sunt imponi vel augeri, exigunt, teneri ad restitutionem; quia rapinam committunt, extorquentes alienum sine legitima potestate; & insuper esse excommunicatos in Bulla Cœnæ Domini, vt patet ex verbis Bullæ; in quam vide Nauarrum cap. 27.

num.61. vbi docet, per *exigentes* intelligi etiam heredem imponentis, qui eas continuat; & publicanum seu conductorem, & famulos, qui iussu dominorum exigunt.

DVBITATIO III.

An Ecclesiastici à vectigalibus sint exempti.

18 *Ecclesiastici exempti.* RESpondeo & Dico Primò, Certum est, Ecclesias & Ecclesiasticas personas & res illarum à vectigalibus soluendis exemptas esse. Probatur Primò, Ex Iure Canonico, cap. Quamquam 4. de censibus in 6. vbi Bonifacius VIII. inter cetera ait: *Cum igitur Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solùm Iure humano, quinimo & diuino, a sæcularium personarum exactionibus sint immunes*, &c. & infrà: *Excommunicat personas priuatas ipso facto, quæ talia ab Ecclesiasticis exigunt, & communitates subijcit interdicto, à quibus pœnis non possint absolui, nisi facta restitutione.* Ibidem cõtrariam consuetudinẽ dicit esse corruptelã. Vnde sequitur, hoc ius nõ posse contra Ecclesiasticos vsucapi. Idẽ sanxit Clemens V. in Concilio Viennensi, Clement. Presenti, de censibus, vbi præcipitur Episcopis vt eiusmodi censuram excommunicationis & interdicti, quam incurrunt ij qui portoria vel vectigalia ab Ecclesiasticis exigunt, publicent, & à suis publicari faciant. Idem antè statutum fuerat in Concilio magno Lateranensi, sub Innocentio III. vide cap. Aduersus. 7. & cap. Non minùs. 4 de immun. Eccles. vbi statuitur, vt post admonitionem, nisi destiterint, ipso Iure sint excommunicati.

Exigentes excommunicati.

Secundò, Probari potest ex Iure ciuili. Nouella Frederici Imp. quæ incipit, Item nulla, de Episcopis & Clericis, vbi sic dicitur: *Item nulla communitas vel persona publica vel priuata collectas vel exactiones, angarias vel parangarias Ecclesijs vel aliis pijs locis aut Ecclesiasticis personis imponere præsumat*, &c. & L. Sancimus 22. C. de sacrosanctis Ecclesijs, omnibus pijs locis immunitas ista conceditur.

Petes, Vtrùm etiam bona patrimonialia & alia sæcularia, quæ ad Ecclesiasticos vel ad Ecclesias, aut ad Monasteria deueniunt, sint immunia.

19 *Etiam patrimonialia ipsorum sunt exempta, &c.* Resp. & Dico Secundò, Hæc esse immunia à nouis tributis imponendis. est communis sententia DD. vide Siluestrum v. Immunitas 1. num. 6. Probatur ex constitut. Bonifacij suprà, vbi dicitur, *personas Ecclesiasticas, & res ipsarum exemptas esse*, vbi de omnibus ipsorum rebus loquitur: quas intellige esse exemptas à nouis exactionibus imponendis, quamdiu sunt Ecclesiasticorum. Dico *à nouis*, quia si antequam ad illos venirent, onus aliquod certum & inuariabile annexum habebant, v.g. aliquem censum vel seruitutem Principi debitam, vel onus reparandæ viæ publicæ adiacentis, hoc etiam ab Ecclesiastica persona præstãdum est; quia res quæque cum suo onere transit. cap. Cùm non sit. 34. & cap. Pastoralis. 28. de decimis; vide Siluestrum v. Immunitas 1. num. 19. Secundò, Probatur ex Bulla Cœnæ Domini, vbi *excommunicantur omnes, qui absque speciali & expressa Summi Pontificis licentia imponunt collectas, decimas, talias, præstantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut eorum bonis, siue Ecclesiarum aut Monasteriorum ipsorum; aut imposita exigunt, aut à sponte dantibus recipiunt, aut his actibus quoquomodò cooperantur.* Vbi distinguit Pontifex *bona Clericorum* à *bonis Ecclesiarum*; ac proinde loquitur non tantùm de bonis Ecclesiasticis, quæ dicuntur bona Ecclesiarum, sed de quibuslibet bonis Ecclesiasticorum. quod est notandum contra Nauar. c. 27. num. 128. qui tamen c. 17. n. 202. nobiscum sentit. nam expressè affirmat, eos qui pedagia à Clericis exigunt, aut exigi iubent, incurrere censuram Bullæ Cœnæ: etsi id, quod vehunt, important, vel asportant, sit de eorum patrimonijs vel Ecclesiasticis prouentibus. Quod autem dicitur de *sponte dantibus*, intelligitur quando exactor recipit ab eo, qui ideò sponte dat, quia Ecclesiasticis sunt imposita, siue ab eo qui dat antequam exigatur. *Sponte dantes.*

Dices, Princeps habebat ius imponendi vectigal huic prædio antequam peruenisset ad Ecclesiam; hoc autem iure non debet spoliari ex eo quòd fiat Ecclesiæ: ergo tale prædium non est immune. Secundò, Si ista res ad Ecclesiam non peruenisset, sæpè venderetur vel commutaretur cum alia re, & tunc Principi debitum esset certum vectigal, v.g. decima pars pretij. dum autem transit ad Ecclesiam vel pium locum, numquam amplius venditur; vnde Princeps nihil amplius inde commodi percipit; ac proinde meritò potest legibus suis cauere ne res immobiles ad Ecclesias vel Monasteria transferantur. Hæc argumenta valdè mouent eos qui rem politicè considerant; ideoque Principibus consilium sanciendi tales leges suggesserunt. *Obiectio.* 20 *An cedat in damnum Principis.*

Respondeo tamen ad Primum, Principem non habere ius imponendi vectigal prædio, nisi quamdiu illud pertinet ad personam carentem priuilegio immunitatis. vnde hoc ipso, quo transit ad Monasterium, vel ad Ecclesiam fruentem immunitate, amittit hoc ius. neque hoc mirum videri debet, cùm Principes Christiani iam à mille & ampliùs annis in hoc consenserint, (vt patet ex L. Sancimus, quæ est Iustiniani) & tot sæculis seruauerint. neque vlla causa est, cur possint hoc priuilegium semel Ecclesiæ ad honorem Dei donatum auferre. hoc enim perinde esset atque si quis agrum, domum vel reditum Ecclesiæ semel donatum auferret. quod est manifestum sacrilegium. Simile omnino contingit, quando huiusmodi prædia transferuntur in Magnates à vectigalibus immunes: tunc enim Principes amittunt ius imponendi vectigalis, quod antè habebant. 21 *Resp.*

Ad Secundum Respondeo, Numquam Principem vllum esse factum pauperiorem ex eo quòd ipse vel subditi eius fuerint liberales in Ecclesiam; vt patet in Constantino & Carolo, vtroque verè magno, & alijs plurimis. Deus enim, cuius protectione & directione regnorum administratio maximè nititur, infinitis modis exiguum illud detrimentum vectigalium, quod ipsi seruis eius condonant, compensare potest; vel calamitates & seditiones auertendo, vel prosperos successus bellorum, noua regna, vbertatem terræ, & alia huiusmodi largiendo. Sæpè fit vt ob aliquam seditionem vel bellum, (quod fortasse pietas ista & religio Principis auertisset) vno anno plus ipse amittat, quàm mille annis ex huiusmodi vectigalibus percipi posset. quid tunc prodest illi politicorum istorum consilium? 22

Aduerte tamen, in quibusdam casibus Clericos non esse exemptos. Primò, Si negotiationem exerceant. tunc enim licitè ex eo quod emunt, vendunt, 23 *Quibus casibus Clerici nõ sint exempti.*

vendunt, aut deferunt negotiationis causâ, possunt vectigalia exigi. patet ex cap. Quamquam, suprà: quod Ecclesia concessit in odium negotiationis, quæ maximè Ecclesiasticos dedecet: vnde etiam seuerè ipsis interdicitur. vide suprà cap. 21. dub. 1. & si ter moniti à Superiore nolint desistere à negotiatione, perdunt priuilegium clericale, quoad bona; vt patet ex cap. Ex litteris. 16. de vita & honestate Clericorum: ex quo colligit Glossa, Clericos ante trinam monitionem non teneri in conscientia soluere vectigal; quia gaudent priuilegio clericali vsque ad tertiam monitionem.

Secundò, Si possessio aliqua habebat aliquod onus perpetuum & inuariabile annexum antequam veniret ad ius Ecclesiæ, vel Ecclesiastici, vt suprà dictum est.

24 Tertiò, Quando contributio facienda est æquè primariò in vtilitatem Clericorum ac laicorum, v. g. pro reparatione aggerum, ne flumen vicinos agros Clericorum & laicorum inundet. Non potest tamen potestas laica hoc casu Clericos recusantes compellere per se, sed per Superiorem Ecclesiasticum. Quod si id commodè fieri non posset, putant quidam non esse omnino improbandam realem executionem; quia in tali casu præsumi potest ratihabitio, seu tacita licentia Summi Pontificis. sed tutius censeo vt hæc expressè ad tales casus per Principes petatur.

25 Ad reparationem autem pontium, viarum publicarum, murorum vrbis, & similium, quæ primò & principaliter spectant ad communitatem, non tenentur Clerici contribuere, vt communiter Canonistæ docent; quia non tangit illos principaliter, sed solùm secundariò, vt sunt membra communitatis. alioquin nimis angustum & propè nullum esset in oneribus publicis priuilegiu Clericorum.

Neque obstat L. Ad institutiones. 7. C. de sacrosanctis Ecclesijs, *Ad institutiones itinerum, pontiumque, etiam diuinas domos & venerabiles Ecclesias, libenter adscribimus*, &c. quia cùm sit contra immunitatem Ecclesiasticam, vim non habet, nisi speciatim ab Ecclesia approbetur; vt communiter Doctores Canonum & Theologi docent. vide Siluestrum v. Immunitas, 1. num. 20. Multi tamen Doctores, præsertim Iuris ciuilis, ob legem citatam contrarium tenent. Item Innocentius, Hostiensis, Glossa, Cardinal. Anchara. in cap. Non minùs, de Eccles. immunitate. Sed prior sententia est verior, propter Iura supradicta.

Contraria sententia multis placet.

26 Quartò, Quando laicorum facultates non sufficiunt ad succurrendum publicæ necessitati, potest etiam aliqua contributio imponi Ecclesiasticis. Ad hoc tamen olim requirebatur consensus Episcopi & Cleri, vt patet ex cap. Non minùs, de immun. Ecclesiarum, ex Concilio Lateran. nunc verò Summi Pontificis, vt patet ex Bulla Cœnæ Domini: quem consensum etiam requirit Innocentius III. in Concilio Lateran. cap. Aduersus, de immun. Ecclesiarum: nisi fortè periculum esset in mora; tunc enim non deberet Papæ consensus exspectari; sed sufficeret consensus Episcopi cum Clero; vt notat Siluest. suprà. Consensus tamen Episcopi non potest obligare exemptos. Vnde necesse est vt hi quoque consentiant. posito autem consensu Prælatorum, quorum est consentire, tributum non exigitur auctoritate laica, sed Ecclesiastica; & ita omnes inferiores illorum tenentur.

Si laicorũ facultates non sufficiant.

27 *Exempti debent consentire.*

DVBITATIO IV.

Quo Jure Ecclesiastici sint exempti à vectigalibus.

28 REspondeo & Dico Primò, Non ita sunt exempti Iure diuino, vt absq; vlla alia exemptione non sint subditi Principibus sæcularibus, sic vt Principes peccent contra iustitiam, si de causis eorum temporalibus cognoscant, aut tributa ab illis exigant. est communis sententia Theologorum, præsertim recentiorum, Caietani v. Excommunicatio, cap. 31. & 37. Franciſci Victoriæ relect. de potestate Ecclesiæ sub finem, Ioannis Medinæ, C de Restitut. q. 15. Soti in 4. d. 25. qu. 2. art. 2. Couarr. qq. practic. cap. 31. num. 2. Nauarri cap. 27. num. 119. & aliorum.

Iure diuino non sunt propriè exempti.

Probatur Primò, Quia neque ex Sacris litteris, neque ex traditione, neque ex naturali ratione, neque PP. testimonio talis exemptio probari potest.

Secundò, Initio nascentis Ecclesiæ erant subiecti Principibus sæcularibus, vt videtur colligi ex Apostolo ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* vbi etiam comprehẽduntur Clerici; nam vt Glossa ait, cùm dicitur, *omnis anima*, nullus excipitur. & Chrysostomus in illum locum, *Ostendens*, inquit, *ista omnibus imperari & sacerdotibus & monachis, non solũ sæcularibus: quod declarat cùm dicit, Omnis anima: etiãsi Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis tandem fuerit.* Theodoretus: *Siue est sacerdos quispiam, siue antistes, siue monachus, ijs cedat, quibus sunt mandati Magistratus.* Theophylactus: *Instituens omnẽ animam, siue sacerdos sit, vel Monachus, vel Apostolus, subijci principatibus.* D. Thomas in illum locum, dicit, exemptionem Ecclesiasticorum à tributis, habere æquitatem, non tamen esse ex necessitate, quasi sit de Iure diuino. Neque dici potest id solùm scandali vitandi causâ præceptum esse: nam Apostolus causam refert in ordinationem diuinam: *Quia*, inquit, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* additque *eos esse Dei ministros; & idcirco eis deberi tributa.* vnde colligitur etiam, Clericos tributa debituros, nisi essent exempti.

Verùm si quis rectè consideret, locus iste Apostoli non vrget; solùm enim in genere proponit Ius diuinum naturale, quo tenetur quisque obtemperare suo legitimo Superiori. huius enim potestatem in subditum esse à Deo; & qui huic resistit, Dei ordinationi resistere, &c. quæ omnia generalia sunt, & respectiuè intelligenda; nimirum de quouis homine respectu sui Superioris. Simili modo etiam nunc post exemptionem loqui possemus. omnis enim potestas superiorum est à Deo, & omnis superior minister est Dei, & vindex in iram malè agenti. Vnde hinc probari non potest, Ecclesiasticos subesse Principi sæculari quoad vim coactiuam; etsi quoad vim directiuam in quibusdam subsint; v. g. in pretio rerum venalium, & huiusmodi.

Tertiò, Quia olim Ecclesia ex agris suis tributa 29
soluit, etiam Imperatoribus Christianis, vt constat ex testimono Ambrosij, quod habetur cap. 26. Si tributum. 11. q. 1. *Si tributum petit Imperator, non ei negamus: agri Ecclesiæ soluant tributum.* & ex Vrbano Papa, cap. 22. Tributum. 23. q. 8. *Quod in ore piscis inuentum, pro Petro & Domino dare iubetur;*

tur; quia de exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete, qua nos defensare debent, Imperatoribus persoluendum est. hoc autem Ecclesia non fecisset, si putasset se Iure diuino exemptam: sicut numquam passa est se subijci Imperatoribus in Ecclesiarum administratione; quòd sciret se Iure diuino exemptam, vt patet ex testimonio Ambrosij & Vrbani: vide cap. Conuenior. 21. & cap. 22. Tributum. 23. quæst. 8. vbi agnoscunt subiectionem in temporalibus, non autem in spiritualibus.

30 *Quadam ratione sunt Iure diuino exempti.*

Dico secundò, Rectè tamen quadam ratione dici possunt Iure diuino exempti, quadam Iure Canonico & Ciuili. Prior pars probatur Primò, Quia Ius diuinum naturale etsi non efficiat illam exemptionem; (non enim Deus immediatè hanc exemptionē concedit) tamen dictat eam à Principibus esse concedendam, & à Pontifice fieri posse; idque ob tres causas. Primò, Ob dignitatem

Tres causæ. 1. Quia rebus diuinis mancipati.

status, per quem Ecclesiastici peculiari modo sunt diuinis rebus mancipati & consecrati; atqui contra reuerentiam Deo debitam est, si id quod semel Deo consecratum est, tractetur tamquam profanum. Hinc Dauid ne defensionis quidem causâ vmquam fuit ausus lædere Saulem, quia vnctus erat Domini; quæ tamen vnctio solùm erat vmbra vnctionis & sanctificationis Ecclesiasticorum.

2. Quia patres & Iudices sæcularium.

Secundò, Ecclesiastici sunt Pastores & Patres sæcularium, & Iudices eorumdem loco Dei in causis summis, quæ salutem æternam contingunt, constituti: atqui contra decorum & reuerentiam debitam est, vt ouis iudicet suum pastorem, & filius patrem; & qui antè fuit reus, suum Iudicem, qui illum auctoritate diuina iudicauit & absoluit;

3. Quia maiora beneficia rependunt.

maximè si alia commoda ratio iniri potest. Tertiò, Etsi Principes Clericos ab iniuria defendant, & curent vt tranquillitati temporali fruantur; tamen Clerici vicissim Principibus longè maius & diuinius beneficium conferunt: ipsorum enim ministerio fiunt Christiani, accipiunt doctrinam salutis, remissionem peccatorum, animæ sanitatem, panem cælestem, & vitam æternam; ipsorum orationibus & sacrificijs fulcitur regnum, auertuntur calamitates, conciliatur pax, tranquillitas & felix status rerum. Vnde Constantinus & Constans concedentes Clericis perpetuam securitatem, nempe ab oneribus personalibus, addunt, *Scientes, magis religionibus, quàm officijs ex labore corporis vel sudore nostram Rempub. contineri.* vt refertur cap. 23. In qualibet. 23. q. 8. Itaque suis muneribus Ecclesiasticis abundè compensant Principi & Reipublicæ: vt omnis æquitas postulet, eos ad alia tributa adstringi non debere.

31

Ex his patet, Principes lege religionis, obseruantiæ & gratitudinis obligari, vt Ecclesiasticos exemptos habeant seu eximant: non autem ipsam exemptionem immediatè à Deo factam.

Exemplis Scripturæ probatur.

Secundò, Probatur exemplis Scripturæ sacræ; nam Ioseph Gen. 47. totam terram Ægypti subiecit Regi, fecitque tributariam, vt penderet quintam partem fructuum, præter terram Sacerdotum; quibus etiam ex publico cibaria dabantur. vnde colligit Vrbanus Papa cap. 22. Tributum. 23. q. 8. *agros Ecclesiæ nō esse Imperatorū exactionibus subijciendos.* & 1. Esdræ 7. Artaxerxes vult Sacerdotes, Leuitas, & alios templi ministros à vectigalibus esse immunes. Quòd si naturale lumen rationis dictabat illos Sacerdotes eximendos esse: quantò magis dictat vt Sacerdotes & ministri noui Testamenti eximantur; quorum & dignitas & functio est incomparabiliter sublimior, & Reipublicæ fructuosior?

In hunc sensum accipiendi videntur Canones, 32
dum dicunt, Clericos & eorum res *non solum Iure humano, sed etiam diuino exemptos* esse: quod expressè habetur cap. Quamquam. 4. de censibus, in 6. & insinuatur cap. Non minùs. 4 de immunit. Eccles. cap. 12. Si Imperator. d. 96. & Concil. Trident. sess. 25. de refor. cap. 20. vbi dicit, *Personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam esse.* *Explicatio Canonum.*
quamuis dici possit, in hoc vltimo testimonio, illud *Dei ordinatione* referendum esse ad immunitatem in spiritualibus. sed verius est, intelligendum esse generatim de integra immunitate, iuxta modum supradictum: vt colligitur ex sequentibus verbis Concilij. hoc modo videntur Canonistæ posse cum Theologis conciliari.

Altera pars, *Quod Iure Canonico & Ciuili exempti sint reipsa*, probatur, Quia quod Ius diuinum naturale dictabat esse faciendum, id Iure Canonico & Ciuili præstitum est, vt patet ex Canonibus citatis. Item ex cap. In qualibet. 23. & duobus seqq. 23. qu. 8. & 11. qu. 1. per multa capita. Item cap. Et si Clerici. 4. c. Clerici. 8. cap. Qualiter. 7. de Iudicijs. 33

Vbi Aduerte, toto tempore, quo Imperatores 34
fuerunt ethnici, Clericos in temporalibus fuisse illis subiectos sicut laicos: quia neque Principes eos eximebant, cùm eorum dignitatem non agnoscerent; neque etiam Pontifex Summus, eò quòd vel non posset, vel non expediret. Postquam autem cœperunt esse Christiani, sensim eos cœperūt eximere. Primùm quidem Constantinus lege lata exemit eos ab oneribus personalibus; vt patet d. cap. 23. In qualibet. 23. qu. 8. & à solutione publici census, vt testatur Sozom. lib. 1. cap. 8. hist. in ceteris tamen manserunt subiecti. Deinde à Iustiniano fuerunt exempti in causis ciuilibus pro prima instantia solùm: in criminalibus tamen reliquit eos sub Iudice sæculari, vt patet ex Nouella 83. & 123. multa tamen vsurparunt sibi isti Imperatores in causis Ecclesiasticis, quæ Iure diuino sunt omnino exemptæ. Idem concessit immunitatem à quibusdā tributis, L. Sancimus. 21. C. de sacrosanctis Ecclesijs. Deniq; à posterioribus Principibus omnino exempti fuere; eaq; exemptione multis sæculis consensu totius orbis sunt potiti. *Quomodo Clerici sensim exempti.*

Vnde sequitur, eam à successoribus reuocari 35
non posse. Primò, Quia fuit absoluta & perpetua ex mente concedentium: omnis autem donatio vel exemptio facta communitati, in perpetuum est irreuocabilis. Secundò, Fuit facta ad remuneranda beneficia spiritualia, quæ regna percipiunt ab Ecclesia. Tertiò, Quia principaliter ad Dei honorem facta fuit: sicut donatio agrorum aut villarum, quę offeruntur Ecclesiæ eiusque ministris. vnde sicut sacrilegium esset repetere agros Ecclesiæ donatos; ita sacrilegium erit, infringere Clericorum immunitatem. Quartò, Orbis Christianus, à quo Principes habent auctoritatem, consensit in hāc exemptionem. vnde non est in Principis potestate eam reuocare: sicut quod semel consensu regni est alienatum, non potest repeti. Quintò, Quia Concilia & Pontifices, qui sunt supra ipsos Principes, eam confirmarunt. Denique, Quia Iure diuino naturali *Non potest hæc exēptio reuocari.*

Princi-

Principes tenentur eam facere, & factam ratam habere, vt ostensum est.

36 *Pontifex potest hanc exemptionem facere.*

His adde, etiamsi Principes noluissent in hanc exemptionem consentire, Summi tamen Pontifices & Concilia œcumenica habebant auctoritatem eam inducendi; vt communiter docent Doctores, & probat Couarruuias in pract. c. 31. n. 3. & 4. ratio est, quia habent potestatem à Christo, statuendi id, quod ad bonum spiritale Ecclesiæ & Dei honorem videtur necessarium, aut valdè expediens: atqui exemptio Clericorum à Iurisdictione sæcularium, est necessaria ad bonum spirituale Ecclesiæ & Dei honorem: ergo. Minor patet tum ex causis suprà allatis; tum quia valdè vilesceret status Ecclesiasticus, & res diuinæ quas tractant, si instar laicorum ad Iudices sæculares traherentur: tum quia valdè distraherentur à rebus diuinis; nam facilè à laicis possent vexari: tum quia periret libertas illa sacerdotalis, qua in laicis instruendis & corripiendis vti debent: tum denique, quia laici facilè etiam causas Ecclesiasticas ad se pertraherent. Accedit quòd Principes sint subditi Pontifici sicut oues pastori: atqui Superior potest aliquem eximere à iurisdictione sui subditi, præsertim quando recta gubernatio & honor Dei id postulat. Quòd si Pontifex potuit Clericos eximere à iurisdictione sæcularium Principum; consequens est vt etiam potuerit eximere à tributis; quia tributa ob iurisdictionem penduntur; vt constat ex Apostolo ad Rom. 13. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis.*

Dvbitatio v.

Quinam Clerici sint exempti.

37 *Sacris initiati, Beneficiarij, Religiosi.*

Respondeo Primò, Omnes Clericos sacrorum ordinum, & beneficiarios & Religiosos & Religiosas exemptos esse; idque præcipuo quodam Iure. est communis sententia Doctorum, teste Couarru. in pract. cap. 31. num. 5. nam hi omnes vel firmiter Ecclesiastico statui sunt addicti, vel actu Ecclesiæ deseruiunt.

38 *Clerici minores.*

Secundò, Clerici minorum ordinum, & primæ tonsuræ, si non sint coniugati, secundùm Canones sunt etiam à tributis liberi; etsi neque beneficiarij sint, neque in aliqua Ecclesia deseruiant. colligitur ex cap. finali, de vita & honest. Clericorum. cap. Quamquam, suprà, & ex L. Presbyteros, 6 C. de Episcopis & Clericis.

Qui priuilegio fori fruantur.

Nec obstat Concilium Trident sess. 23. c. 6. de reformat. quia loquitur solùm de priuilegio fori, quo non possint ad tribunal sæculare pertrahi: quod priuilegium Concilium non concedit, nisi illis Clericis primæ tonsuræ vel minorum ordinum, qui aut beneficium Ecclesiasticum habent, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiunt, aut in Seminario Clericorum, vel in aliqua schola, vel Vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines, versantur.

Consuetudo eos subijcit.

Tertiò, Longa tamen consuetudine contraria, Clerici primæ tonsuræ & minorum ordinum, qui nec beneficium habent, nec vlli Ecclesiæ deseruiunt, videntur hâc exemptionem amisisse, etiamsi coniugati non sint; quia iam à multo tempore vectigal soluunt sicuti laici. Ita Couarruuias n. 9. vbi in fine ait se vidisse litteras regias in hoc decretas, vt Clerici primæ tonsuræ etiam non coniugati, cogantur soluere decimam partem rei venditæ: quod tamen videtur esse contra Ius Pontificium, in cap. Quamquam, de censibus, in Sexto.

Dices, Non potest vmquam valere præscriptio aut consuetudo contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticã, vt expressè habetur in Nouella Friderici Imperatoris, quæ incipit, Cassa & irrita. & colligitur ex cap. Causam, de præscriptionibus, & cap. Clerici, de Iudicijs: ergo consuetudine non potuit hoc introduci. 39 *Præscriptio an contrà valeat.*

Respondeo, Non posse quidem eam valere inuito Pontifice, seu non accedente libero eius consensu; sed præsumi posse hunc consensum propter commoda Principum interuenisse. nam hæc consuetudo non erat omnino à ratione aliena; præsertim ob multitudinem talium Clericorum; quorum plerique ideò dumtaxat Clerici fiebant, vt à tributis eximerentur, absque vllo animo ad Ecclesiasticum statum conscendendi.

Quod ad priuilegium fori attinet, talibus Clericis iuxta Canones antiquos & Concilij Tridentini formam competens, si in Seminario vel studijs versentur, non est credibile Ecclesiam consentire aut consensisse vt possint eo per contrariam consuetudinem priuari: quia magis per hoc dignitas status Ecclesiastici læderetur, & Principibus nihil commodi accederet.

Quartò, Clerici coniugati non sunt exempti à vectigalibus, neque Iure Canonico neque consuetudine; vt rectè Couarruuias; quia duo tantùm priuilegia hisce conceduntur, nempe fori & canonis. vt patet cap. vnico, de Clericis coniugatis in 6. Ad quæ tamen duo requiruntur. Primò, Vt duxerint virginem, & quidem vnicam. Secundò, Vt deferant tonsuram & vestes clericales: quibus addit Concilium Tridentinum, *vt priuilegio fori non gaudeant, nisi ab Episcopo alicuius Ecclesiæ ministerio sint deputati.* 40 *Clerici coniugati.*

Dvbitatio vi.

Quæ sit legitima causa imponẽdi vectigalis.

Respondeo, Causa iusta duplex est; Prior *necessitas publica*, cui aliter commodè succurri nequit; vt si necessarium sit ad stipendia militaria, ad reparationes vrbium, vel aliter ad bonum publicum valdè expediens. huc etiam pertinet status principalis sustentatio; nam & hæc ad bonum publicum pertinet: ratio est, quia sicut Principis est populum regere, ius dicere, hostes arcere, denique tranquillitatem & prosperitatem temporalem totis viribus procurare; ita vicissim populus tenetur sumptus necessarios ad hæc præbere. vnde etiam potest à Principe, si opus sit, ad hoc cogi. Sed quatuor hîc sunt requisitæ conditiones. Prima, Vt constet causam esse iustam; vel si de ea sint diuersæ opiniones, vt habeat probabiles rationes, ob quas possit prudenter statuere se hîc & nunc posse ob talem causam tributum imponere. si tales rationes non habeat, vel certè non consideret sítne iustum, quod agit, an non; sed cæco more progrediatur, non potest exigere; quia nescit an ius exigendi habeat. vnde exigendo, iniuriam populo irrogat, & ad restitutionem tenetur, nisi postea 41 *Causa vectigalis duæ. Primò, Necessitas publica.* 42 *Quatuor conditiones.*

constet causam iustam fuisse; quia mala fide acquisitum est restituendum.

Secunda, Vt causa sit vectigali proportionata; seu, vt vectigal non sit maius, quàm causa postulet: qua parte enim excedit, est iniquum.

Tertia, Ne insumatur in alienos vsus; vt in prodigas largitiones, & alias expensas inutiles, publicas vel priuatas, ad quas populus non tenetur contribuere: teste Caietano v. Vectigalia, & Petro Nauarra lib.3.cap.1.num.255.

43 Quarta, Ne diutiùs quàm causa postulat, continuetur: nisi fortè noua causa superuenerit, ob quam de nouo imponi potuisset; tunc enim licebit continuare; quia causa continuatur in simili, dum in locum prioris causæ, alia æquè iusta succedit.

Si causa sit permanens. Vbi tamen Aduerte ex Alphonso Castro l. 1. de lege pœna. cap. 11. si causa immediata tributi non sit negotium aliquod transitorium, sed obligatio quædam permanens, (v.g. ad vindicandum perpetuò mare à piratis, itinera à latronibus) non statim cessare tributum, si aliquo anno piratæ vel latrones non grassentur: quia pro ipsa obligatione exigitur, quæ continua est, semperque manet; tenetur enim Princeps semper esse paratus, & habere naues & milites expeditos. secùs est quando immediatè pro aliqua necessitate transitoria indicitur, illa enim cessante tributum cessat.

Quòd si hæ conditiones seruatæ non fuerint,
44 tenetur Princeps ad restitutionem, & ipso non restituente, tenetur exactor: est enim fraus & rapina; vt docet Caietanus v. Vectigalia iniqua; & consentiunt ceteri Doctores.

45 Circa tamen exactorem Notandum est ex Caietano, §. Occurrunt, si dubium sit an vectigal sit
Exactor, seu redemptor in dubio. iustum, an iniustum, alijs affirmantibus, alijs negantibus; exactor, qui est subditus Principis, & obedientiâ compulsus exigit, non peccat, nec tenetur restituere; quia obedientia in dubio excusat. sicuti subditus qui compellitur ire ad bellum, quod non constat ei esse iniustum, excusatur, etiamsi posteà iniustum fuisse deprehendatur. ratio est, quia in dubio melior est conditio Superioris, qui ius imperandi possidet: meritò enim inferior in dubio iudicium suum Superiori debet submittere, & obsequium debitum non subtrahere. Secùs tamen esset, si sciret Superiorem suum dubitare, & dubitanter imperare; quia sciret tunc illum
46 non habere ius imperandi. Si verò non est subditus, aut si non compellitur, non potest se sponte ad talia dubia vectigalia exigenda offerre; nisi tantam sciat esse Principis probitatem & prudentiam, vt meritò in eius iudicio possit acquiescere. alioqui mortiferè peccat, exponens se periculo cooperandi iniustitiæ, & tenetur ad restitutionem; nisi posteà deprehensum fuerit iusta fuisse. ratio est, quia mala fide exegit, & latâ culpâ damnum intulit, sicut is, qui à suo debitore exigit aliquid, de quo ambigit an debeatur.

47 Vtrùm autem talis exactor sit excommunicatus, quando dubitatio de iustitia vectigalis oritur
An sit excommunicatus. ex dubitatione de potestate imponentis, quæri potest. Sed dicendum est, non esse excommunicatum, nisi ex parte rei, is qui imposuit, deprehendatur potestate caruisse. si enim ille verè caruit potestate, exactor cum tali dubio exigens, ab initio excommunicatus censeri debet: quia mala fide exigit quæ imponi non poterant, & ita accommodantur ei verba Bullæ Cœnæ. & cap. Quamquam, de censibus. in 6. vide Nauarrum cap. 27. num. 61. & 70.

Petes, Quid si Rex sua culpa ærarium exhauserit, v.g. ludis, conuiuijs, profusis largitionibus, bellis inconsultis, poteritne vrgente necessitate, noua tributa imponere? 48 *Si culpâ Principis exhaustum ærarium.*

Respondeo, Posse, si alia ratione non possit publicum malum auertere; quia subditi in publica necessitate tenentur opem ferre. sed hoc casu deberet Princeps omnes sumptus parum necessarios accidere; & posteà cùm res meliori loco fuerint, illud extraordinarium damnum, culpa sua conflatum, populo sarcire, vt rectè docet Medina quæst. 13.

Altera causa iusta imponendi vectigalis est com- 49 *Secundò, Compensatio sumptuum.*
pensatio sumptuum & damnorum acceptorum, & iusta vindicta. Tale tributum solet imponi tum subditis, qui iniquè rebellarunt contra suum Principem, eique causa multorum sumptuum & damnorum fuerunt; idque partim titulo iustæ punitionis, partim iure sarciendorum damnorum: tum etiam hostibus externis iam deuictis, qui vel damnum intulerunt, vel iniquum bellum mouerunt; vt docet Victoria relect. 4. de Iure belli, num. 57. & probat ex c. 20. Deuteron. ratio ferè est eadem, quæ in subditis rebellibus. fit enim partim iure vindictæ, quòd iniuriam irrogarint; partim iure compensationis damnorum & sumptuum, quorum causa extiterunt.

Dvbitatio vii.

Vtrùm vectigalia constituta super eis rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur, sint iusta.

CAietanus v. Vectigal, circa principium. §. Ex 50 *Sententia Caietani.*
forma, & circa finem §. Quintum est, condemnat huiusmodi vectigalia, & solùm admittit ea, quæ imponuntur rebus causâ negotiationis aduectis. eiusdem ferè sententiæ est Driedo quoad pauperiores, lib. 2. de libert. Christiana c. 5. Probatur Primò, Quia in illis non seruatur iusta forma tributorum, quæ postulat vt pauperiores non magis onerentur quàm diuites; sed quisque pro portione suarum facultatum & lucrorum. In hoc autem genere magis grauantur pauperes, quibus paruæ facultates & nihil lucri ex negotiatione: quod sanè videtur iniquum. Minor probatur, quia quò quis est pauperior, pluribusque liberis oppressus, eò plura de rebus suis debet vendere, & de rebus alienis emere ad necessarium vsum: diuites autem non coguntur sua vendere, & possunt ipsi alere pecora, & reliqua necessaria è suis villis parare; possunt etiam obseruare tempus, quo res sunt viliores, & tùc magno commodo coëmere: ergo hoc vectigali multò magis grauantur pauperes, quàm diuites. Confirmatur ex Driedone suprà, vbi dicit, *iniusta esse vectigalia, si sic imponatur vt plus grauentur qui iusta ratione minus sunt grauandi; vtpote si magis indigentes grauentur plus aut æqualiter cum ditioribus, minusque egẽtibus. Iniquum est, pauperẽ pro rebus, quas vsu suo consumendas defert, tantùdem ad supportandum Reipub. onera soluere, quantum diues soluit pro similibus rebus æqualis ponderis, ad vsum suum delatis*, &c. & infrà dicit,

dicit, *non esse ingerendum scrupulum, huiusmodi vectigalia fraudantibus, præsertim pauperibus: quia non tenentur æqualiter diuitibus ad onera Reipubl. contribuere, sed solùm secundùm proportionem suarum facultatum.*

Secundò, Probatur ex Iure ciuili, nam L. Vniuersi, C. de vectigalib. sub pœna capitis prohibetur, ne ex rebus, quæ ad vsum proprium inuehuntur, vectigalia exigantur.

Tertiò, Ex capite Quamquam, de censibus, in 6. vbi dicitur, *Pedagiorum exactiones, tam Iure Canonico, quam Ciuili, regulariter meritò esse damnatas*, quod intellige de *pedagijs*, quæ imponuntur rebus, quas ad suum quisque vsum defert. Eamdem sententiam tenet Toletus lib. 5. Instruct. sacerd. c. 73. vbi dicit, non solùm peccare exactores huiusmodi vectigalium, sed etiam esse excommunicatos in Bulla Cœnæ. nam ibi excommunicantur, qui prohibita pedagia exigunt: hæc autem sunt prohibita; vnde non minùs sunt excommunicati qui exigunt ea à laicis, quàm qui à Clericis. Idem tenet Angelus v. Pedagium, num. 3. & quidam recentiores.

51 *Quatuor casus, quibus possunt imponi.*

Respondeo, Hanc sententiam ordinariè veram esse: sunt tamen quatuor casus, in quibus talia vectigalia possunt imponi. Primò, Si publica necessitas vrgeat; & vectigalia, quæ aliunde colligi possunt, non sufficiant: tunc enim hisce rebus imponi possunt, ita tamen vt non sint maiora quàm illa grauis Reipub. necessitas postulet. Ita diuus Antoninus 2. p. tit. 1. c. 13. §. 9. Medina q. 15. Siluest. v. Gabella, 3. q. 5. Nauar. c. 17. num. 202. Ratio est Primò, Quia membra Reipub. tenentur pro bono communi omnes fortunas & etiam vitam exponere, si necesse sit: ergo multò magis ex rebus ad victum necessarijs aliquid soluere; si aliter communi bono prouideri nequit. Secundò, Vectigal illud, quod soluunt mercatores pro suis mercibus, tandem recumbit in pauperes, & eos, qui sibi necessaria parant; & tamen hæc censentur iusta: ergo illa alia non sunt condemnanda, quando alia ratio commodior non suppetit.

Quòd autem non debeant hæc vectigalia esse maiora, quàm necessitas præcisè requirat, ex eo constat, quòd à iusta forma nonnihil exorbitent, à qua, quàm minimùm fieri potest, recedendum est: quam ob causam Iure Canonico & Ciuili regulariter sunt prohibita. Addo, multò æquiora esse quæ rebus non ita necessarijs, vt ad delicias, elegantiam, vel luxum spectantibus imponuntur, v.g. panno pretioso, serico, holoserico, vndulato, tapetibus, vasis argenteis, pretiosis vinis & edulijs, & similibus, sine quibus homines viuere possunt: tunc enim potissimùm onerantur ditiores, & qui commodè ferre possunt.

Secundò, Si ob aliquam causam publicam ex consensu totius populi statuatur; vt inquit Medina. ratio est, quia quisque potest sibi onus imponere eo modo, quo lubet. hic tamen consensus debet esse liber, & solùm consentientes constringere. quare qui non consenserunt, vel coactè consenserunt, non obligabuntur.

Tertiò, Si pro securitate viarum, nempe personarum & rerum deuectarum imponatur, quando alia ratione consuli earum securitati nequit. satius enim est hoc onus sustinere, quàm omnia amittere vel periculo exponere: tunc tamen ratio pauperum haberi debet.

Quartò, Si sit consuetudo, quæ memoriam hominum excedat: hæc enim potest talia tributa excusare; modò tamen ratio pauperum habeatur. Adde, & modò non constet causam ob quam imposita fuerunt, cessasse: tunc enim putarentur non bona fide continuata, ac proinde non legitimè prescripta. 52 *Si consuetudo memoriam hominum vincat.*

Crediderim tamen hanc limitationem non habere locum, quando illa consuetudo tanto tempore absque murmure & oppositione plebis fuisset seruata: quia tunc potiùs præsumendum esset aliam causam legitimam in locum prioris successisse, quàm illa tributa iniquè tam longo tempore fuisse extorta. Vsus enim temporis immemorabilis vincit omnem iniustitiæ præsumptionem, iuxta ea quæ dicta sunt suprà c. 6 dub. 10. 12.

Dvbitatio viii.

Vtrùm qui vectigal, quod rebus venditis, vel in proprium vsum comparatis, impositum est, fraudant, peccent mortiferè, & teneantur ad restitutionem. Item, An possit res illas vendere pretio currente.

Qvidam Doctores docent hos non peccare mortaliter, ac proinde non teneri ad restitutionem. Ita Angelus v. Pedagium, num. 6. Nauar. c. 23. num. 55. & 60. Beja in suo libello casuum, casu 1. secundo Aprilis. Probari potest hæc sententia Primò, Quia hæc vectigalia ordinariè imponuntur per statutum, nullum continens verbum præceptiuum, sed tantùm verbum *statuimus* vel *ordinamus* vt quilibet soluat tale quid sub pœna cadendi in commissum; quia forma non significatur obligatio sub peccato mortali, sed tantùm rem posse à fisco vindicari post sententiam, si vectigal solutum non fuerit. Confirmatur, Quia lex purè pœnalis (qualis est ista) non obligat nisi ad pœnam, idque post sententiam, vt docet Henricus à Gandauo quodlib. 3. q. 22. Ita Angelus suprà, & v. Inobedientia, num. 1. vbi addit, *statutum purè pœnale, ex forma statuti solùm obligare ad pœnam*, (nempe post sententiam) *ex intentione autem statuentis obligare ad culpam, si passim temerariè aut causa leui violetur.* Vnde sequitur, non fore peccatum, si quis semel, bis, aut ter fraudet. secùs verò si passim vel crebrò. Secundò, Leges ciuiles, etiamsi verbo præceptiuo vtantur, non obligant ad peccatum mortale, præsertim quando apponunt pœnam in bonis temporalibus: tunc enim videntur satis habere, si illa pœna ijs, qui deprehensi fuerint, irrogetur. Probatur fusè Nauarrus, citatque pro ea sententia Matthæum Matthisium virum doctissimum, & alios. Tertiò, Quia leges & statuta, quibus vetatur ne quis aurum, argentum, vel similem speciem è regno efferat sub pœna commissi, (id est, sub pœna amissionis rei) non obligant sub peccato, vt multi Doctores sentiunt; (pauci enim sunt, qui sibi inde scrupulum faciant, præsertim in efferendo auro & argento) sed solùm tribuunt ius Principi ad rem, si deprehensi fuerint, fisco vindicandam. quare idem dici non poterit de statutis vectigalium? 53 *Sententia multorum Doctorum, non esse peccatum mortale, fraudare.* 54

Ob has rationes videri possit alicui hæc sen- 55

tentia non improbabilis, præsertim in vectigalibus nouis & multùm onerosis: etsi enim per tales fraudationes aliquid Principi vel redemptori decedat; mulctæ tamen & confiscationes in deprehensos facilè compensant. Accedit quòd redemptores sciant talia fieri consueuisse, & ideò minoris conducant.

56 *Contrariũ verius.* Respondeo tamen & Dico Primò, Verius esse, quando constat huiusmodi vectigal iustè impositum esse & vtiliter expendi, eos, qui fraudant in summa notabili, mortiferè peccare, & teneri ad restitutionem. Siluester Gabella tertiò, num. 21. & 22. vbi dicit omnes Summistas ita sentire, præter Angelum; Caietan. v. Vectigalia, Fumus v. Vectigal, num. 6. Ioannes Medina quæst. 13. Couarruuias ad regul. Peccatum, p. 2. §. 5. num. 5. & alij recentiores.

Probatur. Probatur Primò, Ad Roman. 13. *Ideò & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* vbi apertè Apostolus docet, vectigal esse debitum Principi propter administrationem Reip. & Matth. 22. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* vbi satis indicatur, vectigalia iusta esse soluenda.

57 Secundò Probatur, Quia Respublica lege iustitiæ debet Principi iustum stipendium administrationis, & subsidium necessarium ad conseruationem publicæ tranquillitatis: hoc enim tacitè promisit, dum eum sibi præposuit: ergo quando hæc obligatio est in singulas Reipublicæ partes distributa, assignata cuique sua portione, & determinatis rebus, ex quibus soluenda sit; singuli ex iustitia tenentur illam soluere. Eadem enim obligatione, qua Respublica tenetur in genere ad sumptus necessarios, singuli in particulari tenentur ad suam partem ipsis debito modo assignatam: quare cùm singulis assignetur sua pars per tale vectigal, tenentur singuli lege iustitiæ tale vectigal soluere.

58 *Decima.* Tertiò, Facta determinatione decimæ partis soluendæ ministris Ecclesiæ in stipendium sustentationis, singuli ex iustitia tenentur decimam illam soluere: ergo similiter, facta determinatione vectigalis, quantum, & ex quibus rebus sit soluendum Principi, singuli lege iustitiæ tenentur illud soluere. est enim par vtrobique ratio: sicut enim decimæ debentur Prælatis Ecclesiæ ob gubernationem spiritalem, ita vectigalia Principibus sæcularibus ob gubernationem temporalem.

59 *Leges tributorum & vectigalium.* Ex his solui possunt argumenta sententiæ aduersæ. Nam leges tributorum non tantùm statuunt vel præcipiunt quid sit agendum; sed etiam determinant iustum stipẽdium Principis, vel subsidium ob onera publica ferenda necessarium. quare sicut aliæ leges, quibus pretia rerum determinantur, obligant in conscientia: etiamsi nullum verbum præceptiuum habeant; ita etiam leges & statuta vectigalium. Adde, fundamentum illud Angeli & Nauarri de lege pœnali, non esse solidum: de quo prima secundæ qu. 96. art. 4.

60 Dices, has rationes solùm probare de vectigalibus antiquis; quæ iam olim statuta sunt Principi in stipendium, pro administratione Reipublicæ: non autem de ijs, quæ recèns instituuntur ob aliquam publicam necessitatem: quia Respublica non tenetur ex iustitia talia admittere; sed solùm ex obedientia & amore boni communis: ac proinde non censentur singuli ciues in particulari obligari ex iustitia, sed solùm ex obedientia Principis, & sub pœna pecuniaria, quam ille statuerit: hoc enim sufficit ad finem propositum.

Respondeo, Cùm Respub. totam suam potestatem in Principem transtulerit, non apparet ratio cur Princeps non possit obligarè singulos, non solùm lege obedientiæ, sed etiam iustitiæ, ad vectigal soluendum: quia Respub. potuisset eos sic obstringere: quòd si potest, cur non censeatur facere, cùm hæc ratio sit efficacior ad finem consequendum?

Notandum tamen est, Primò, Multos viros doctos sentire, vectigal pro rebus de loco in locum transuectis, (præsertim quando est graue) non debere solui, nisi exigatur; modò nihil fraude actum sit: vt si non absconderis, custodes non deceperis: non enim teneris ipse exactorem quærere. Ita Tabiena v. Pedagium §. 8. Sotus l. 3. de Iustitia, qu. 6. art. 7. in fine. Henriquez de Indulgentijs cap. 36. Probabilius tamen est, seruandam esse consuetudinem: hæc enim est optima legum & voluntatis Principis interpres. 61 *Vtrùm debeat exigi.*

Notandum Secundò, Æquitati consentaneam esse multorum Doctorum sententiam, Eum, qui rem aliquam defert, emit, aut vendit ad solatium suæ extremæ vel magnæ necessitatis, non debere in conscientia vectigal. Ita docet Pet. Nauarra l. 3. cap. 1. num. 236. ex Caietano, Pedraza, Nauarro, D. Antonino, Soto, Fumo, Siluestro, Angelo. ratio est, quia respectu talis personæ censetur immodicum, ac proinde carens debita forma iusti vectigalis. vnde infert Petrus Nauarra, pauperes, qui aliquid vendunt ex proprijs fructibus, vel ex supellectili, nihil debere; cùm id faciant ad supplenda necessaria vitæ, vltra quæ nihil vel parum habent. Puto tamen hîc etiam esse considerandam consuetudinem: si enim consuetudo habet, vt tales etiam partem aliquam soluant, ea meritò, seruari potest; præsertim si Princeps aliunde necessaria habere nequeat. Si tamen aliunde sibi posset consulere, consuetudo illa, corruptela censenda esset, teste Angelo, Caietano, Gabriele & Siluestro, vt docet Petrus Nauarra num. 237. 62 *Si ob extremam vel grauem necessitatem aliquid emitur aut vendatur.*

Sed difficultas superest, Vtrùm coram Deo sit obligatio soluendi, quando sunt probabiles rationes dubitandi de iustitia vectigalis. Multi DD. affirmant, omnia noua vectigalia, & veterum vectigalium noua incrementa, (id est, quæ ab hominum memoria sunt instituta) nisi cõstet de eorum iustitia, præsumi iniusta, ac proinde in conscientia non deberi, si scandalum absit. Ita Angelus v. Pedagium, num. 6. Gabr. in 4. dist. 15 qu. 5. concl. 7. Caietanus suprà, Siluester Gabella 3. qu. 3. versu secundò, & qu. 14 Fumus Gabella num. 18. Arragon. q. 62. art. 3. Driedo lib. 2. de libert. Christiana cap. 5. §. Ceterùm. 63 *Quid si dubia sit iustitia vectigalis. Sententia multorum Doctorum est, debere constare de iustitia nouorum.*

Fundamentum horum DD. est duplex. Primò, Quia præsumptio Iuris his vectigalibus obstat. dicitur enim cap. Quamquã de Censibus in 6. *Pedagiorum exactiones tã Iure Canonico quàm Ciuili, regulariter merito sunt dãnatæ.* cuius causa est, *quia tot conditiones requiruntur ad iustitiam vectigalis, vt difficile fortè sit iusta inuenire,* inquit Caietanus. Debent enim esse iusta ex causa efficiente, ex fine, ex forma, ex materia, & ex vsu, vt dictum dub. 1. ergo nisi moraliter certum sit esse iusta, populus non tenetur. Secundò, Quia in dubio melior est condi-

conditio possidentis. atqui populus possidet suam pecuniam & immunitatem; ergo, &c.

64 *Cõtrarium verius.* Respondeo tamen & Dico Secundò, Verius esse, vt subditi teneantur ad solutionẽ vectigalis noui, non esse necessarium vt ipsis constet esse iustum; sed satis est, vt non habeant probabiles rationes ob quas probabiliter possint iudicare esse iniustũ. si tamen tales rationes habuerint, non tenebuntur in conscientia soluere. Ita Petrus Nauarra l.3.c.1. n.263. Prior pars probatur Primò, Quia subditus in dubio negatiuo, (id est, quando dubitat ex ignorantia, quòd in neutram partem rationes habeat) tenetur se conformare iudicio Superioris; nullam enim habet causam, cur contrà sentiat. Secundò, Quia Princeps vt possit imponere vectigal, non necessariò debet esse certus speculatiuè de iustitia vectigalis; sufficit vt de ea rationes probabiles habeat. quiuis enim in actionibus suis sententiam probabilem sequi potest, adeò, vt etiam in bello inferendo Princeps probabili sententiæ dictanti licitum esse inferre, se possit conformare: ergo subditus vt obligetur soluere, non debet esse certus, sed sufficit vt non habeat probabilem rationem credendi esse iniqua.

65 *Non debet esse certus speculatiuè.*

66 *Cõtra qua sit præsumptio Iuris.* Ad primum fundamentum sententiæ contrariæ Respondeo, Præsumptionem Iuris non obstare vectigalibus nouis, quæ à supremis Principibus constat esse imposita: nusquam enim in Iure Canonico vel Ciuili hæc damnantur: imò apertè approbantur cap. Super quibusdam. 26. de verbor. signif. & L. Non solent. C. Vectigalia noua instituì non posse. ad quas tamen duas sanctiones respicit Pontifex, cùm ait, *Iure Canonico & Ciuili esse damnata:* vt notat Glossa. loquitur ergo de vectigalibus, de quibus non constat esse legitima auctoritate instituta vel concessa; vt ab Imperatore, Rege vel Concilio generali; aut antiqua consuetudine, quæ memoriam hominum superet, introducta. & quia tempore Bonifacij pleraque, quæ per Italiam vigebant, erant talia, dicit ea *regulariter* esse damnata, id est, ea quę regulariter sunt in vsu per Italiam; quia absque legitima auctoritate introducta. Ad secundum patet ex prima probatione. In eo casu, vt summum, habet ius differendi solutionem, donec diligenter de tota re inquisiuerit.

67 *Si subditus probabiles rationes habeat.* Altera pars, *Subditum non teneri quando sunt probabiles rationes esse iniquum*, est communis Doctorum. D. Antoninus 2.par.tit.1.c.14.§.8. Petrus Nauarr. suprà nu.263. & ceteri DD. suprà citati. quod intellige, si rationes illæ, non solùm speculatiuè faciant rem probabilem, sed etiam practicè; vt cùm viri sapientes, qui norunt statum Reip. iudicant esse iniquum, vel publicus rumor accedit. Ratio est; quia subditi possunt se conformare opinioni quæ practicè sit probabilis.

Nec obstat quòd Princeps iustè possit exigere, quia vtraque pars suo iure vtitur, dum probabiles rationes vel sententias sequitur; quo modo sæpè fit vt bellum vtrimque sit iustum.

Hìc tamen cauendum scandalum & maior Reip. perturbatio. Quòd si rationes istæ iniquitatem vectigalis solùm faciant speculatiuè probabilem, & ex altera parte etiam Princeps putetur habere rationes probabiles pro illius iustitia, tenentur subditi soluere, quia in tali dubio parendum Superiori. Ratio est; quia cùm sit legitimus Superior & in possessione iuris imperandi, non potest ea in dubio spoliari. Nec refert quòd subditi sint in possessione suæ pecuniæ, quia ius Superioris, vtpote nobilius, est præferendum.

Quod ad secundum attinet in ipsa dubitatione propositum, quidam putant, eos qui non soluerunt vectigal ratione rei vendendæ debitum, non posse rem illam vendere pretio ordinario, sed minore. Ratio est; quia illud pretium est taxatum ratione oneris soluendi vectigalis, quod iste fraudator non subiit. Vnde debet detrahere de pretio, quantum ei ratione illius oneris accreuerat. Sed contrarium est multò probabilius, vt ex iis; quæ c.21.de emp. & vendit. dub.5. dicta sunt, colligitur. Ratio est, quia pretium constitutum est communi æstimatione vel lege Magistratus ratione oneris, quod communiter omnes vendentes subire iussi sunt, quod pretium nõ mutatur ex eo quòd hic vel iste oneri isti non satisfaciat: nam qui id fecit, manet obnoxius punitioni & mulctæ Magistratus si deregatur: imò tenetur restituere redemptori vectigalis, vel Principi, si tale est, vt cum eo rigore censeatur obligare. Quòd si non putetur habere tam rigidam obligationẽ, nihil refert: non enim idcircò venditio fuit iniusta. Si enim non est iniusta, cùm obligatio restituendi est strictissima; cur sit iniusta, cùm non est stricta, sed persona solùm manet obnoxia punitioni si deprehendatur? Deinde si Princeps alicui condonaret hoc vectigal, ille posset rem vendere pretio currente; alioquin nullum esset istud Principis beneficium: ergo etiam is qui illud fraude non soluit. Quia sicuti condonatio Principis non mutat rei æstimationem communem: ita nec illa fraudatio. Tertiò, quando pretium auctum est ratione sumptuum, vel periculorum, quibus passim aduectio mercium est subiecta; si aliqui sint qui absque huiusmodi sumptibus vel periculis eas merces compararunt, siue Iure, siue iniuria, hi possunt eas vendere pretio communi, etiamsi causa, ob quam illud pretium est constitutum, in ipsis locum non habeat; vt omnes fatentur: ergo similiter in præsenti casu. Denique res est æquè bona, æquè commoda emptori; nec emptor expositus est, ratione fraudis quam fecit venditor, illi periculo aut damno, vt suppono; sicut ferè accidit in rebus quæ vsu ipso consumuntur. Secùs tamen foret, quando ipse ignarus fraudis exponeretur probabili periculo damni, vt si res ipsa caderet in commissum, vel ex ea deberet fieri solutio, &c. tunc enim venditor peccaret contra iustitiam, exponendo emptorem huic periculo, & secuto damno teneretur compensare.

68. *Ad alteram partem dubit. proposita.*

An res possit vendi pretio curr. rente.

Dvbitatio IX.

Vtrùm is, qui emit à mercatore, quem nouit vectigal debitum fraudare, teneatur ex mercibus emptis illud soluere, principali non soluente.

69 Respondeo, Hoc vectigal posse esse vel partem aliquotam mercium, v.g. quintam, decimam, decimam quintam, vel vigesimam, vel pecuniam aliquam: & quidem si non est certa pars mercium, sed pecunia per venditorem soluenda, certum est non teneri emptorem in conscientia illud soluere, quamuis norit venditorem fraudasse, modò tamen illi causa non fuerit. Ratio est, quia illud tributum non est onus affixum rei, quod simul cum re transeat in emptorem; sed est onus per-

personale mercatoris, permanens in ipso, quamuis ex mercis deportatione contractum.

70 *Res est hypothecata.* Notandum tamen, cùm mercator ante venditionem dum adhuc res erat ipsius, vectigal deberet, rem illam contraxisse obligationē hypothecæ: quia omnia bona eius qui tributum debet, sunt tacitè instar pignorum pro tributis obligata, vt expressè habetur L. 1. C. Quibus causis pignus vel hypotheca tacitè contrahatur. quo fit vt cum hac obligatione ad emptorem transeat; ac proinde si fraudator vectigalis non sit soluendo, vel effugerit, potest super ea fieri executio: alioquin si ab ipso recuperari debitum potest, executio super re illa, postquam in alterius dominium cessit, fieri non potest, vt colligitur ex Authent. Hoc si debitor. C. de pignoribus & hypothecis. vbi dicitur, *Si alius quam debitor rem hypothecatā possideat, inhibetur hypothecaria actio, donec personaliter actum sit cum reo & intercessore*, id est, cum debitore & fideiussore. Putarem tamen hæc intelligenda, quando emptor nesciebat has res esse hypothecatas: si enim sciebat, videtur omnino liberum creditori vt vel actione personali agat contra debitorem, vel hypothecaria contra possessorem. vt habemus L. Distractis. 14. C. de pignoribus & hypothecis.

71 *Si vectigal est pars mercium.* Sed maior difficultas est, Si vectigal ex ipsis mercibus debitum, erat certa aliqua mercium portio: videtur enim tunc emptor in conscientia teneri, si sciat venditorem non soluisse. Primò, Quia illud debitum seu onus est reale & inhærens ipsis mercibus immediatè: atqui res transit cum suo onere, ad quemcumque perueniat possessorem. Secundò, Ex cap. Cùm non sit in homine 33. tit. de decimis, vbi dicitur, *Fructus nondum decimatos*, (id est, ex quibus decimæ nondum sunt extractæ) *non posse alienari absque onere decimarum.* & ratio additur, *quia res transit cum suo onere*: ergo idem censendum est de tributo, quando est aliquota pars ipsius mercis. Hæc sententia est probabilis: quam indicat Siluester Gabella 3. num. 18.

72 *Contrariū verius.* Contraria tamen videtur verior, quam aduerto placuisse nostro Molinæ disputat. 675. Probatur Primò, Quia onus soluendi illius vectigalis non pertinet ad emptorem, sed ad venditorem, qui tales res adducit & vendit: hic enim iubetur quintam vel decimam partem mercium soluere, non emptor: ergo emptor non tenetur.

Est onus venditoris. Secundò, Illa pars mercium antequam sit separata & tradita, non magis pertinet ad Principem cui vectigal soluendum est, quàm res vendita & nondum tradita pertinet ad emptorem. at si talis res secundo emptori vendatur & tradatur, hic acquirit eius dominiū, & non tenetur priori emptori ad restitutionem, vt patet ex L. Quoties. 15. C. de rei vindicatione. & L. Traditionibus. 20. C. de pactis: estque communis sententia Doctorum, vt suprà c. 21. dubit. 19. ostensum est: ergo similiter si merces illæ, in quibus continetur hæc pars soluenda nomine vectigalis, vendantur, non tenebitur emptor ad illius restitutionē in foro conscientiæ. 73 Maior patet, quia princeps non habet dominium illarum mercium, aut alicuius partis earum, antequam ea sit separata ac tradita; sed solùm habet ius ad aliquam partem indeterminatè, vt venditor eam ipsi soluat; & præterea habet ius hypothecæ in totas merces, vt vbicumque fuerint, possit ex illis partem suam decerpere; & in cetera omnia bona venditoris, vt ex dictis constat.

Tertiò, Emptor neque tenetur ratione acceptionis, quia emit à vero domino; & non fuit causa cur ille non solueret, vt suppono: neque ratione rei acceptæ, quia iam acquisiuit dominium rei per emptionem & apprehensionem. neque ratione oneris impositi illi rei; quia hoc onus pertinet ad venditorem, non ad emptorem, vt dictum est: ergo non tenetur.

Respondetur ad argumenta. Ad primam rationem alterius sententiæ Respondeo, Illud onus soluendi tributi non esse propriè reale, sed personale, solam personam venden-tis afficiens. secundariò tamen potest dici reale; quatenus solutio non pecuniâ, sed ex rebus ipsis per venditorem fieri debet.

74 *Alia est ratio decimarum.* Ad secundam dici potest, Aliam esse rationem decimarum: has enim iubetur soluere non solùm is qui fructus colligit, sed quiuis ad quem fructus indecimati peruenerunt: vt colligitur ex d. cap. Cùm non sit, de decimis; vbi sic habetur: *Statuimus, vt in prærogatiuam dominij generalis, exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum: vel saltem hi ad quos census vel tributa indecimata peruenerint, (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuras Ecclesiasticas decimare cogātur Ecclesijs, quibus de Iure debetur.* Idem insinuat D. Thomas q. 87. art. 2. ad 4. Imò valdè probabile est, hoc ipso quo fructus exstant, decimam partem indeterminatè ad Ecclesiam pertinere, in eiusque dominium cedere, vt infrà cap. 39. dub. 3. dicemus. Et quamuis Ecclesia dominium non haberet; tamen facilè statuere potest, vt ad quemcumque dominium rei non decimatæ peruenerit, is hoc ipso obligationem soluendi contrahat. sicut enim hypotheca, etsi non sit vel tota vel ex parte in dominio creditoris, tamen hoc habet onus, vt apud quemcumque reperta fuerit, possit ex ea petere solutionem, si opus sit; ita etiam res non decimata potest immediatè habere hoc onus, vt in cuiuscumque dominio fuerit, ille teneatur ex ea decimam partem Ecclesiæ dare. Simile statui potuisset in illis tributis, vbi pars rei loco tributi soluitur; sed reipsa non videtur ita statutum: ac propterea non eadem in vtrisque ratio.

DVBITATIO X.

Vtrùm is, cui Princeps debet, nec potest solutionem impetrare, possit fraudatione vectigalium sibi compensare.

SVppono, non esse dubium, si vectigal non sit venditum vel locatum alteri, sed Princeps ipse per suos Quæstores illud immediatè recipiat: tunc enim manifestum est, compensationem licitam esse.

Sed difficultas est, si alteri sit elocatum, qui certam summam Principi pendat, vt totum vectigalis emolumentum in se transferat.

75 *Licita est compensatio.* Respondeo, Etiam in hoc casu licitam esse compensationem, vt rectè docet Siluester, Gabella 3. q. 9. & Petrus Nauarra l. 3. cap. 1. num. 247. Primò, Quia redemptores verè damnum non accipiunt, cùm ob plurimas subditorum fraudes (quas ipsi norunt interuenire) longè minoris redimant, quàm valeant: vnde & in ipso contractu censentur esse parati talia incommoda subire. Secundò, Totum ius, quod acquirit conductor, assiduè dependet à iure Principis: nihil enim est aliud

quàm

quàm facultas quædam exequendi illud ius, quod ipse Princeps decursu totius anni habet; ac proinde non potest esse maius, quàm ius illud, quod Princeps singulis momentis per annum habet: effectus enim assiduè ab aliqua causa dependens non potest vllo temporis momento habere maiorem vim, quàm ipsa causa illo momento habeat: ergo conductor non potest habere maius ius ad exigendum à me vectigal, quàm ipse Princeps eo tempore in me habeat. quare cùm ratione iuris, quod ego vicissim habeo in Principem, ius Principis elidatur compensatione; consequens est, vt in conductorem ius vllum exigendi à me vectigal transferre non possit.

76 Idem vsu venit in censibus, decimis, & similibus iuribus, quæ locari possunt: conductor enim cùm ius habeat assiduè pendens à iure domini locantis, non plus potest, quàm ipse dominus posset, si ipsemet suo iure exigeret. quare si is, cui ego debeo decimas vel pensionem annui census, mihi vicissim alio nomine sit debitor, nec possim obtinere solutionem, licitum mihi est vti cõpensatione, non soluendo decimas vel pensionem. Quòd si conductor damnum incurrat, repetat à locatore: non enim potest creditor elocare ius quod habet in debitorem, cum damno debitoris.

Si totum ius translatum fuit, aut contractum debitum.

Secùs tamen esset, si totum ius vectigalis seu decimarum, vel census in alterum transferretur, non retento dominio directo: tunc enim si prior dominus mihi ex aliqua causa fieret debitor post illam alienationem, non possem vti compensatione, non soluendo; quia solutio census nullo modo esset debita priori domino, & ille nullum ius ad
77 illã haberet. Si tamen ante alienationem mihi debitor fuisset, possem vti compensatione, alia via non suppetente; quia non potuit transferre alteri ius in me, si ipsemet erat mihi debitor: hoc enim esset vendere rem meam; vt rectè Siluester ait: nam ius quod ille habet in me, per compensationem fit quasi meum: ita enim extinguitur in Principe ratione debiti, quod ipse mihi debet; seu ratione iuris, quod ego in ipsum vicissim habeo, ac
78 si meum fieret. Pari modo, si ego debeam tibi census annuum 100. aureorum, & tu mihi intuleris damnum iniustum pluris vel minoris æstimatum, non potes illum censum ita vendere vt ego compensatione vti non possim, si aliter mihi debitum à te nequeam redipisci: hoc enim iniquum foret: nam ratione iuris quod in te habeo, possum ius tuum quod habes in me, secundùm iustam pro-
79 portionem extinguere. Sicut enim debitor non potest debitum transferre in alium sine consensu creditoris; ita creditor ius suum quod habet in debitorem, non potest in alium transferre, quando ipse vicissim est debitor: quia id fieret cum alterius iniuria.

Obiectio. Dices, Si tu mihi sis debitor, & gratis vel pretio concedas vsum fructum agri tui Petro, non possum ex eo clàm mihi compensationem facere: ergo neque ex censu, quem ego tibi debeo, si eius vsum alteri concesseris.

80 *Resp.* Respondeo neg. consequentiam; quia concesso vsufructu agri tui, fructus enati eo ipso pertinent ad vsufructuarium vel conductorem: sed si concedas vsum fructum census, quem ego tibi debeo, fructus illius census non efficiuntur vsufructuarij, sicut nec tui, antequam consignentur; sed manent in meo dominio: vnde retinendo illos non vsurpo alienum, sed retineo meum, in quod tu quidem ius habebas, sed i lud ius pari iure compensatur & extinguitur.

DVBITATIO XI.

Vtrùm actores mercatorum teneantur ad restitutionem suis dominis, si cum Gabellarijs transigant, & sibi vectigalia retineant.

FRequenter id fieri in Hispania ab ijs, qui ibi- 81
dem negotijs mercatorum alibi habitantium præsunt, narrant mercatores Antuerpienses.

Respondeo itaque breuiter, id fieri posse quatuor modis: vel enim actor mandatum habet à domino vt transigat cum Gabellario pro mercibus quas inuecturus est, vel non habet: si habet mandatum, tenetur illud exequi si potest; alioquin tenebitur de damno, siue sibi retineat vectigal, siue non retineat: quia hoc ipso, quo mandatum acceptauit, se obligauit ad illud implendum; imò hoc ipso, quo suam operam ad negotia alterius gerenda locauit, tacitè se obligauit ad eius mandata implenda, quæ ad negotia illa pertinerent; & proinde si omisit, tenetur.

Secundò, Si autem non habet mandatum, vt 82
quia dominus non cogitauit: tunc vel vnà cum Gabellario conducit gabellas; & sic potest accipere partem sibi obuenientem per societatem conductionis, tam ex mercibus sui domini, quàm ex alienis, quia est socius Gabellarij: sicut enim alius poterat hanc societatem cum Gabellario inire, ita etiam ipse. Nec refert quòd sit actor mercatoris, quia ideò non est factus inhabilis ad alios contractus suo nomine ineundos.

Tertiò, Vel non inita societate emit sibi totum ius Gabellarij, quod Gabellarius in merces domini certo temporis spatio habiturus erat; & hoc modo non peccabit etiam contra iustitiam, etiamsi totum illud vectigal sibi retineat; quia non tenebatur ex Iustitia illud ius in vtilitatem sui domini redimere; cùm ad hoc mandatum non haberet: neque inhabilis erat ad illud sibi emendum. sicut enim quiuis alius potuisset illud à Gabellario emere, ita etiam iste actor.

Quartò, Vel denique intendit absolutè redimere vel extinguere obligationem vectigalis; & tunc non potest sibi illud vectigal retinere, quia non transtulit in se ius Gabellarij, sed illud extinxit, dominumque suum illa obligatione liberauit, hoc enim ipso quo quis intendit redimere aliquam obligationem, intendit eam extinguere, vt desinat esse obligatus, qui antè erat. Vnde longè aliud est transferre in se ius Gabellarij, aliud redimere obligationem sui domini; nam potest ius Gabellarij in actorem transferri, manente obligatione in domino: non tamen potest hæc obligatio redimi, aut ius Gabellarij extingui, nisi dominus liberetur. Itaque in hoc casu tenetur domino ad gabellarum redemptarum & acceptarum restitutionem.

CA-

CAPVT XXXIV.

De Beneficijs. *Complectitur Dubitationes 38.*

IN hoc capite Primò dicendum quid beneficium, & quibus modis acquiratur. Secundò, De conditionibus requisitis in beneficiarijs. Tertiò, De ijs ad quæ obligantur. Quartò, De amissione beneficiorum. Quintò, De pensionibus, quæ beneficijs imponuntur.

DVBITATIO I.

Quid sit Beneficium.

1 OMISSIS varijs definitionibus, Respondeo, Beneficium esse *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spiritale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.* colligitur ex Innocentio, & Hostiensi in cap. Relatum. 9. de præbend. Ioanne de Silua, de Beneficijs, qu. 1. & alijs.

Tria in beneficio. Vbi Notandum Primò, Tria posse distingui in beneficio. Primum est, *ipsum officium* seu obligationem, qua quis tenetur aliquam functionem spiritalem obire; vt legere preces Canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta, prædicare verbum Dei. hoc est omnino spiritale, non tamen est beneficium, sed fundamentum & causa beneficij.

2 Secundum est, *Ius percipiendi certos reditus* ex bonis Ecclesiasticis, & hoc ius est propriè beneficium, nasciturque ex officio tamquam ex sua causa, dicique solet præbenda, peculiariter in canonicatibus. Vnde patet beneficium esse quid spirituale; quia oritur ex re spiritali, nempe ex spiritali officio, in quo fundatur, & cui inseparabiliter est annexum; vt docent Hostiensis, & Ioannes à Silua, suprà.

Tertium, sunt *ipsi fructus*, qui sunt quid temporale. hi percipiendi sunt ex bonis Ecclesiasticis, id est, ex bonis Deo dicatis & Ecclesiæ donatis; de quibus suprà c. 4. dub. 6. dictum est, ea fuisse olim in quatuor portiones diuisa, & ex illis auctoritate Ecclesiæ postea fuisse beneficia erecta, singulis titulis certa portione fructuum assignata.

3 Notandum Secundò, Hoc ius debere esse *perpetuum*; quia si sit temporale tantùm, non est beneficium. Vnde Vicaria temporalis non est beneficium de quo loquuntur Canones, vt rectè docet Nauarrus lib. 3. consil. 6. de præbendis. Secùs est de Vicaria & cappellania perpetua.

Quomodo debeat esse perpetuum.

Dices, Ergo Prioratus non est beneficium; quia pro arbitrio Abbatis tolli potest. Similiter Abbatiæ quibusdam locis non obtinentur nisi triennio. Denique beneficia regularia, & omnia quæ manualia vocantur, quæ ad nutum Superioris auferri possunt.

Respondeo negando consequentiam, quia etsi tolli possint, id non habent ex sua institutione, sed ex eo, quòd is qui ea obtinet, subiectus sit Superiori quoad officia, habitationem, totamque vitæ directionem. Simili modo dicunt quidam, Pontificem ex plenitudine potestatis posse etiam sæculares priuare suis beneficijs pro arbitrio, & alijs conferre: quod etsi non putem esse verum, nisi causa iusta subsit; (quia non est dominus beneficiorum, sed solùm supremus dispensator ad Ecclesiæ vtilitatem; & sæculares non ita ei subsunt, vt Monachi suo Abbati) tamen etiamsi verum esset, rectè tamen beneficia dicerentur perpetua, quia ex sua institutione talia sunt, nec possunt per alium quàm per Superiorem auferri. Adde, beneficia dici perpetua, non quia non possunt auferri, sed quia instituta sunt vt semper durent, vtque dum vni auferuntur, alij tribuantur. Secùs de pensionibus, quæ morte pensionarij extinguuntur. & ideò nomine beneficij non veniunt, etsi sint clericales, & ad Officium B. Virginis obligent, vt docet Nauar. in Enchir. cap. 23. n. 111. & plerique Doctores.

Notandum Tertiò, Hoc ius auctoritate Ecclesiastica debere esse erectum vel confirmatum; alioquin non censebitur beneficium Ecclesiasticum, vt colligunt DD. ex cap. Nemo 7. de consecrat. dist. 1. vt si quis institueret aliquem capellanum perpetuum, vt daret prouentus Ecclesiæ pro instituendo canonicatu; nisi auctoritas Prælati accedat, non erit beneficium. Ratio est, quia solius Prælati est officia in Ecclesia instituere, eisque prouentus Ecclesiasticos annectere; ipsius est dispicere quot & qualibus ministris Ecclesia opus habeat; & proinde nouos admittere vel excludere: alioquin magna sequeretur confusio. 4 *Auctoritate Eccles. institutum.*

DVBITATIO II.

Quotuplex sit Beneficium.

RESpondeo, Beneficium aliud est sæculare, aliud regulare. Item aliud est simplex, aliud duplex. Ita Rebuffus in praxi, pag. 5. & 6. & alij. 5

Sæculare est omne illud, quod nō est pro Regularibus institutum, aut illis peculiariter annexum. Hæc regularibus sine dispensatione Papæ conferri non possunt; quia est regula generalis, *Beneficia sæcularia sæcularibus; regularia Regularibus conferenda esse*: quæ colligitur ex cap. Possessiones. 10. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & cap. Cùm de beneficio. 5. de præbendis in 6. *Sæculare beneficium.*

Excipe tamen beneficia curata: hæc enim etsi sæcularia sint, possunt Regularibus conferri absq; speciali dispensatione: nam vt habetur cap. Quòd Dei timorem. 5. de statu Monachorum, *per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari*, estque communis sententia DD. teste Panormitano in d. cap. Quòd Dei timorem. 6

Regulare beneficium est, quod pro Regularibus est institutum, vt Abbatia, Prioratus, Canonicatus Regularis; vel ita annexum, vt per eos debeat administrari, vt sunt quædam parœciæ: hoc genus etiam non potest conferri sęcularibus sine dispensatione, exceptis curatis, quæ cum consensu Monasterij possunt sæcularibus conferri, hæc enim incommodum populi instituta sunt: vnde sufficit vt dentur maximè idoneo. 7 *Regulare.*

Notan-

8 *Præsumitur sæculare.*

Notandum autem, omne beneficium præsumi sæculare, nisi probetur esse regulare. Regulare autem esse probatur vel ex prima institutione, vel quia 40. annis possessum fuit à Regularibus absque dispensatione. nam per possessionem tanti temporis pacificam, ex regulari fit sæculare, & contrà, ratione præscriptionis; vt docet Glossa in cap. Cùm de beneficio, de præbend. in 6. & colligitur apertè ex illo cap. & ex cap. De quarta, de præscriptione: tanto enim tempore completur legitima præscriptio contra Ecclesiam & Monasterium, vt patet ex dicto cap. De quarta. vide suprà cap.6.dub.8.

9 *Duplicia.*

Beneficia duplicia vocantur omnia, quæ sunt cum administratione: inter quæ maximum est Papatus, cui nomen beneficij tribuitur c. 1. de maledicis. Deinde Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Cardinalatus; cap.2.Cleros d.21. & cap. Felicis. 5. de pœnis, in 6. Item beneficia, quæ dicuntur *Dignitates*, vt Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia sæcularis, quæ est in quibusdam Ecclesijs instar Decanatus, Abbatia regularis, Prioratus conuentualis, & claustralis. Dignitas.

Est autem *Dignitas* præeminentia cum iurisdictione in foro externo, secundùm Panormitan. in cap. De multa, de præbendis. vnde etiam Episcopatus & Papatus interdum dignitates dicuntur, quamuis hoc nomen presse accipiatur pro beneficijs infra Episcopatum eminentiam habentibus. Præter hæc sunt beneficia, quæ dicuntur *Personatus*: hæc habent eminentiam in Ecclesia sine iurisdictione, vt honorificum locum in choro, in processionibus, in suffragijs dandis: vt Cantoriæ, & similes. Personatus

Aduerte tamen, spectandum esse vsum locorum; nam quibusdam locis Dignitates & beneficia curata vocantur Personatus; vt notat Siluester v. Beneficium, 1.num.2.

Huc etiam pertinent beneficia, quæ vocantur *Officia*, vt beneficium Sacristæ, seu Thesaurarij Ecclesiæ. hęc habent administrationem rerum Ecclesiasticarum sine iurisdictione.

Denique beneficia parochialia, seu curata. hæc omnia dicuntur duplicia; quia præter recitationem precum, quæ communis est omnibus, habent etiam administrationem, vel certè aliquam eminentiam.

10 *Simplicia.*

Beneficia simplicia dicuntur reliqua omnia, quæ neque administrationem, neque eminentiam singularem habent, sed tantùm instituta sunt ad preces Deo persoluendas, aliaque diuina officia obeunda: tales sunt Canonicatus, etiam Ecclesiæ cathedralis, vt docet Nauarr. lib. 3. consil. 45. de præbend. Item Canonicatus regulares, cappellæ, sacella, altaria. Denique præstimonia, quæ sunt beneficia instituta vel pro studiosis, vt sua studia prosequi possint, habentque sæpè exiguum onus, verbi gratia, quinquies Pater & Aue Maria quotidie; vel in subsidium Terræ sanctæ, vt ait Rebuffus, in praxi benefic. pag. 6. de quibus infrà num. 166.

DVBITATIO III.

Quibus modis beneficia acquirantur.

11 *Sex modi acquirendi beneficia.*

OMissis modis illicitis, Respondeo, acquiri sex modis. Primò, Præsentatione patroni præuia, & institutione subsequa. Secundò, Electione & confirmatione. Tertiò, Postulatione & confirmatione. Quartò, Collatione libera. Quintò, Permutatione. Sextò, Resignatione in fauorem, cum secuta collatione. Verùm quia his duobus postremis modis beneficium priùs amittitur quàm acquiratur, ideò de illis dicendum infrà sub finem capitis.

Præsentatio secundùm Panormitanum in cap. Ea nosci tur, de his quæ fiunt à Prælatis, est persona per patronum Episcopo, vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta exhibitio. *Institutio* autem est beneficij & iuris in re in beneficio, collatio & attributio: vnde institutio solùm fieri potest per Ecclesiasticos; horum enim est beneficia Ecclesiastica conferre, non laicorum. Præsentatio etiam per laicos fieri potest; (si ius patronatus habeant) quia per eam non datur ius in re; datur tamen ex dispositione Canonum ius ad rem, ita vt beneficium alteri conferri non possit. 12 *Præsentatio.* *Institutio.*

Differt *præsentatio* ab *electione*, quòd electio fiat à pluribus, vt à Capitulo, & à solis Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimùm in Prælaturis locũ habeat; præsentatio verò etiam ab vna persona, etsi laica, & in quouis beneficij genere. 13 *Electio.*

Similiter institutio & confirmatio differunt, quòd *institutio* sit eius, qui præsentatus est à patrono; *confirmatio*, eius, qui electus vel postulatus: vtrumque tamen est vera collatio beneficij, seu iuris in re, & dominij; sed solùm connotant diuersum modum conferendi, & diuersam personæ, cui beneficium datur, præsentationem. *Postulatur* autem is, qui eligi non poterat, vel quia non erat de Capitulo, vel quia Iure non erat capax. Habet tantùm locum in Prælaturis. debent in postulatum consentire saltem duæ partes Capituli. vide plura apud Rochum, tractatu de Iure patron. in princ. quæst. 4. & 5. & Siluestrum v. Electio, & v. Postulatio. *Confirmatio.* *Postulatio.*

Collatio dicitur, quando beneficium solo Iure Prælati datur, nec subest Iuri patronatus. 14

Notandum est, omni beneficio commune esse, vt sine institutione canonica liberè obtineri nequeat, vt habetur regula prima de regul. Iuris in 6. vbi nomen *institutionis* accipitur latè, vt comprehendat etiam collationem & confirmationem. Dicitur *Canonica*, quæ facta est secundùm Canones, seu dispositionem Iuris Canonici; vt si facta sit à Prælato habente potestatem, absque simonia, &c. sic electio canonica dicitur, quæ secundùm Canones facta est. *Institutio Canonica.*

Tam autem canonica institutio est necessaria, vt si quis absque ea possessionem capiat, vel administrationi bonorum se immiscеat, censeatur intrusus, & amittat ius, quod per electionem canonicam erat consecutus; vt patet cap. Auaritiæ. 5. de electione in 6. vnde confirmatio secuta non valebit, nisi Pontifex ius amissum ei restituat; vt docet Rebuffus, 5. De missione in possessionem, n.8. 9.10. & colligitur ex cap. citato. Ratio est manifesta, quia confirmatio nititur electione vt fundamento, & ex virtute illius procedit. Illud tamen non habet locum in eo, qui post præsentationem patroni, ante institutionem administrat; quia lex pœnalis non est extendenda vltra suum casum. vnde cùm loquatur solùm de electione, non est extendenda ad præsentationem. vide plura infrà, num. 123. 15 *Intrusus.*

Circa prædicta notandum est, præsentationem, 16

electionem, & collationem validam esse, etiamsi patronus, electo, vel collator reuerà ius non habebat, sed illud competebat alteri, modò tempore illius actus fuerit in pacifica possessione iuris illius; ita vt præsumeretur talis. ita expressè habemus: de præsentatione quidem, cap. Consultationi, tit. de Iure patronatus; de electione verò, cap. Querelam, de electione & electi potest. de collatione, cap. Cùm olim, de causa possess. & propriet. Hoc ipso enim quo est in pacifica possessione illius iuris, & passim habetur talis, voluerunt Iura actum valere. argumento in L. Barbarius. ff. de officio prætoris.

Sufficit possessio conferendi.

Dvbitatio iv.

Quid & quotuplex est Ius patronatus.

17 *Ius patronatus.* NOtandum est, *Ius patronatus* dupliciter accipi in Iure. Primò, Pro iure, quod habent patroni in libertos ex manumissione: & sic accipitur lib. 37. ff. de Iure patronatus; nec pertinet ad nostrum institutum. Secundò, Accipitur pro Iure præsentandi ad beneficium, competens patronis beneficiorum & Ecclesiarum, quod etiam vocatur Ius aduocationis; vt patet cap. Quia Clerici, de Iure patronatus. hoc modo accipitur in proposito, & à DD. communiter sic definitur: *Ius patronatus* est potestas præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans. Dico *vacans*; quia si non vacet, est irrita præsentatio; vt docent omnes DD & meritò; quia est contra bonos mores, vtpote præbens occasionem captandæ mortis; cap. Nulla, de concess. præbendæ.

Quid Ius patron.

18 *Patron. Ecclesiasticus.* Est autem hoc Ius duplex; Aliud enim est Ius patronatus Ecclesiastici, aliud laici. *Ius patronatus Ecclesiastici* iuxta Couarruuiam in qq. pract. c. 36. n. 2. dicitur, non quod Ecclesiasticus possideat; (is enim etiam laicum patronatum possidere potest) sed quod competit alicui ex eo, quòd ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit, vel quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiæ, aut dignitatis Ecclesiasticæ; vt si fundasti Ecclesiam, id est, si tribuisti fundum in quo ædificata est; si eam extruxisti, vel dotasti, si beneficium pecunia ex bonis Ecclesiasticis percepta erexisti, habes Ius patronatus Ecclesiastici, seu patronatum Ecclesiasticum. Item si habes ius præsentandi, quia Decanus, Præpositus, Abbas, vel Episcopus, &c. hoc Ius est patronatus Ecclesiastici; ita Glossa in Clement. 2. de Iure patron. & alij.

19 *Patronatus laicus.* *Ius patronatus laici* dicitur, quod competit alicui, quia ex bonis patrimonialibus, seu sæcularibus Ecclesiam fundauit, vel construxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo horum causam habuit.

20 Notandum Primò, Si patronatus laicus donatione vel testamento, vel alia ratione transferatur in Ecclesiam, Capitulum, vel Monasterium, vel annectatur alicui beneficio, v. g. Decanatui, Præposituræ, &c. tunc fieri patronatum Ecclesiasticum, & de illo tamquam de Ecclesiastico iudicandum; vt notauit Couarruuias suprà, & colligitur ex cap. vnico. §. vltimo, de Iure patronatus, in 6.

21 Secundò, Ius illud præsentandi, quod competit confraternitatibus vel sodalitatibus, quæ aliquam cappellam vel beneficium collatis symbolis vel aliter instituerunt, esse patronatus laici; quia ipsi laici sunt, & ex bonis sæcularibus instituerunt: vnde de illo tamquam de laicorum patronatu iudicandum; quamuis ipsi in quibusdam locis Ecclesia vocentur. vide Couarruuiam suprà, & Glossam in d. cap. vnicum.

Dvbitatio v.

Quibus modis acquiritur Ius patronatus, respectu Ecclesiæ vel Beneficij.

REspondeo, Primò acquiritur, si quis Ecclesiæ construendæ fundum concedat. cap. Nobis, de Iure patrona. & cap. Quicumque, cap. De cernimus. 16. qu. 7. Secundò, Si eam cum consensu Episcopi construat. Tertiò, Si eam dotet vel beneficium aliquod erigat; colligitur ex ijsdem Canonibus, & ex Concilio Trident. sess. 25. de reform. cap. 9. Quartò, Multiplicatis præsentationibus per tempus, quod memoriam hominum excedat. Ita Concilium Trident. suprà. Quintò, Concessione Pontificis, vt si Ecclesia ab initio fuerit libera, nulli patronatui subiecta, & vt meliùs defendatur ab aliorum iniurijs, Pontifex adoptet illi patronum. hoc modo plerumque Principes sæculares videntur consecuti ius patronatus in Ecclesijs cathedralibus & dignitatibus: non enim ipsi vel eorum maiores, omnes illas Ecclesias vel dignitates fundauerunt aut dotarunt: sed pleræq; fundatæ & dotatæ sunt vel ex bonis Ecclesiasticis, vt ex decimis & fructibus bonorum iam antè Ecclesiæ donatorum, vel ex symbolis & eleemosynis fidelium, vel ex opulentorum hominum patrimonijs, qui se suaque omnia Ecclesiæ vel Monasterio consecrabant. vnde illæ Ecclesiæ dignitates ab initio erant liberæ, nulli patrono subiectæ. Similiter beneficia pleraque libera erant; nam ex bonis communibus Ecclesiæ erecta sunt. Itaque tunc Prælati non nominabantur à Principibus, sed eligebantur, vel à clero simul & populo, vt primis sæculis fieri consueuerat; vel à clero solo, vt medijs sæculis factitatum fuit. Tandem posterioribus sæculis, partim vsurpatione, partim Pontificum concessione hoc ius nominandi plerisque locis obtentum est à Principibus, politicæ administrationis intuitu; qua in re concedenda vel permittenda Pontifices se faciliores præbuerunt; quòd sperarent Ecclesias per eos diligentiùs fore defendendas.

22 *Quinque modi acquirendi patronatũ.*

23 *Ius patronatus Principum.*

Notandum Primò, Concilium Trident. circa huius iuris acquisitionem, possessionem & alienationem, multa constituisse: sessione enim 14. cap. 12. statuit, *vt nemo cuiuscuis dignitatis, Ecclesiastica vel sæcularis, quacũque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut cappellam de nouo fundauerit & construxerit; seu iam erectam, (quæ tamen sine sufficienti dote fuerit) de suis proprijs & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, Ius patronatus impetrare aut obtinere possit, & vt institutio reseruetur Episcopo.* hæc tamen intelligenda sunt in futurum: similiter & caput sequens. sess. verò 25. cap. 9 de reformatione, dat Episcopis *potestatem examinandi patronorum titulos*, & abrogat multorum Iura, quæ iuxta formam ibi præscriptam probata non fuerint. Item dat eisdem *potestatem examinandi præsentatos*, siue ab ipsis instituendi sint in beneficijs, siue ab inferiore. Denique vetat Ius patronatus

24 *Conc. Trident. de Iure patronorum.*

Examinãdi præsentati omnes.

natus vendi, sub pœna excommunicationis & interdicti ferenda; & sub pœna amissionis illius iuris ipso facto incurrenda. puto tamẽ in hac amissione expectandam esse sententiam iudicis, neque ante hanc teneri quemquam se hoc iure spoliare, iuxta ea quæ dicta sunt suprà cap.29 dubit. 8.de quo plura 1.2. q. 96. art.4. Est tamen simonia, vendere illud ius per se; aut propter illud vendere pluris bona, quibus annexum est; quia est res spiritalis, vt infrà dicetur c.35.dub.2.

25 Notandum est, quando plures concurrunt ad donationem fundi, vel dotationem Ecclesiæ vel beneficij, omnes fore patronos, ac proinde omnes debere præsentationem facere; vt colligitur ex Canonibus suprà. quomodo autem id fieri debeat, dicetur dubit.8.

Dvbitatio vi.

Intra quantum temporis teneatur patronus præsentare, beneficio vacante.

26 *Quatuor menses.* *Sex menses.* Respondeo Primò, Si patronatus sit laicus, patronus intra quatuor menses à vacatione beneficij vel Ecclesiæ tenetur præsentationem facere: si autem sit Ecclesiasticus, intra sex. Ita habetur cap. vnico, de Iure patronatus, in 6. spectanda enim est conditio patronatus, sitne Ecclesiasticus an laicus. porrò etiam Ecclesiasticus est censendus, quando à laicis Ecclesiæ est datus, vt suprà n.20. dictum est.

Secundò, Si patronatus partim sit laicus, (id est, laico iure competens) partim Ecclesiasticus (vt sæpè fit, quando duo sunt patroni, quorum alter est laicus, alter Capitulum, Decanus, vel Pastor) tunc laicus propter societatem Ecclesiastici, habebit sex menses, vt docent Ioannes Andreas & Archidiac. in d. cap. vnicum; hoc enim priuilegium ei conceditur ob communionem cum Ecclesiastico; sicut qui habet rem communem cum pupillo, particeps est priuilegij pupilli, quo res illa non potest præscribi. L. Si communem. ff. Quemadmodum seruitus amittatur.

27 Tertiò, Si intra tempus constitutum scientes non præsentauerint, in Episcopi potestate est conferre beneficium cui voluerit, cap. Quoniam, de Iure patronatus; vbi Panormitanus & alij; quamuis id contingat ex eo quòd patroni de iure patronatus inter se contendant, vt ibidem notat Panorm. nam cap. illud generatim loquitur. quod ideò constitutum est, ne Ecclesia diu ministris careat; quod propter patronorum lites fieri par non est. Secùs est quando electio extrahitur propter contentionem super iure eligendi: quia electio est maioris momenti & magis necessaria ad bonam collationem. vide Siluestrum v. Ius patronatus, q.5. patronis tamen vacationem beneficij ignorantibus non currit hoc tempus, sed incipit à tempore scientiæ. cap. Quia, in fine, de concess. præbendæ.

Dvbitatio vii.

Qualem teneatur patronus præsentare.

Respondeo Primò, Non potest seipsum præ- 28
sentare, vt colligitur ex cap. Per nostras, de Iure Patronatus: Episcopus tamen posset ipsi motu proprio conferre beneficium; modò ipse consentiat, vt patet ex c. citato. potest etiam pater præsentare filium, si idoneus sit. Secundò, Tene- 29
tur præsentare idoneum. quòd si ineptum præsentet, si quidem sit patronus laicus, iubendus est alium præsentare, qui beneficio sit dignus: si autem sit Ecclesiasticus, vel Monasterium, vel Capitulum, priuatus est ea vice iure præsentandi, & collator liberè potest conferre, vt docet Glossa in cap. Cùm vos, v. Minùs idoneæ, de officio ordin. citans cap. Cùm in cunctis 7. de elect. Sed cõtrarium est valdè probabile. quia cap. Cùm in cunctis, solùm loquitur de electoribus, & quidem Episcopi. vnde cùm sit constitutio pœnalis, non debet extendi ad patronos, maximè in alijs beneficiis. qua parte autem punit Episcopum facientem contra dispositionem illius cap. continet pœnam ferendam. vnde puto patronum non esse ipso Iure priuatum ea vice, sed priuandum. quod etiam insinuat Glossa suprà, quando patronus est persona aliqua singularis, non Collegium. sed quidquid sit de patrono Ecclesiastico, laicus tamen non priuatur, quia laici non tenentur ita cognoscere qui sint digni & idonei, sicut Ecclesiastici. Tertiò, Præsentato digno, Episcopus tenetur conferre, & potest compelli, cap. Pastoralia. 29. de Iure patronatus. 30 *Episcopus tenetur instituere præsentatũ si est dignus.*

Dvbitatio viii.

Si multi præsententur, quisnam ex illis sit instituendus.

Respondeo Primò, Si patronus, qui antè præ- 31
sentauit Petrum, poste à præsentet Ioannem, *Vter præferendus.*
velitque hunc præferri; tunc, si quidem patronatus sit laicus, in arbitrio Prælati erit instituere vtrum maluerit. patet ex cap. Cùm autem 24. de Iure patronatus: quando enim patronatus est laicus, præsentatio secunda non reddit irritam primam, nec contrà. Quòd si patronatus sit Ecclesiasticus, tunc qui prior est tempore, potior est Iure; vt habetur dicto cap. vnde prior præsentatus, est instituendus.

Secundò, Si vnus idemque sit præsentatus à 32
patrono laico & Ecclesiastico, non potest laicus *An secundus possit præsentari.*
præsentare secundũ, sed collatio debet fieri priori; quia hic à duobus est præsentatus. Panorm. in d. cap. Cùm autem. Nec refert quòd secundus sit magis idoneus, quia sufficit priorem esse verè idoneum; modò beneficium non habeat curam animarum, vt docet Panorm. suprà. Crediderim tamen, si secundus sit notabiliter magis idoneus, posse huic conferri, omisso priore: quod tenet Ioannes Andreas in d. cap. Cùm autem. Prælatus enim huic fauere potest, tum ob præsentationem laici, qui mutare potest; tum ob maiorem aptitudinem, quæ maximè in beneficiorum collatione est spectanda.

33 *Si patroni dissentiant.* Tertiò, Si duo sint patroni, & alter præsentet Petrum, alter Ioannem, in arbitrio collatoris est conferre vtrí maluerit. Addo, probabile esse, Episcopum tunc posse conferre alicui tertio: quia dum patroni inter se non conueniunt, Ius nõ cogit illum instituere alterutrum ex præsentatis. Ita Silu. suprà q.8. ex Panormitano.

Quartò, Quando multi sunt patroni, & non sunt inter se concordes, is instituendus est, in quem plures consentiunt, siue illi præsentent per modum vnius corporis, siue seorsim.

34 Vbi Aduerte, quando plures præsentant per modum Collegij, vel Capituli, debere omnes conuocari, qui commodè conuocari possunt: alioquin qui vocatus non fuerit, potest curare illam præsentationem per Iudicem irritari, etiamsi ceteri omnes in eam consenserint. argumento cap. Cùm in Ecclesiis. 33. de præbendis, in 6. vbi ita disponitur de electione & collatione, quæ à multis est facienda. Quando autem plures præsentant seorsim, non est necesse conuocare; sed satis est vt plures seorsim in aliquem consentiant. In his tamen habenda est ratio consuetudinis receptæ. vide Siluestrum quæst. 11. & 12.

Dvbitatio IX.

Vtrùm Pontifex possit derogare Iuri patronatus, conferendo beneficia non præsentatis.

35 *Potest derogare.* Respondeo & Dico Primò, Pontificem posse derogare, siue patronatus sit Ecclesiasticus, siue laicus. est communis sententia DD. in cap. Cùm dilectus. 28. de Iure patronatus; vt docet Couarr. in pract. cap. 36. n. 1. Ratio est, quia hoc Ius concessũ est à Pontificibus principaliter propter bonum Ecclesiæ, vt Ecclesia haberet defensores: secundariò in honorem ipsorum fundatorum. ergo quando Summus Pontifex iudicat Ecclesiæ expedire vt non expectet patronorum præsentationem, vel vt alteri conferat, poterit liberè conferre; quia semper maior debet haberi ratio finis principalis, quàm secũdarij. Secundò, Quia ex eo quòd aliis hoc ius præsentandi concesserit, non censetur seipsum in omni euentu voluisse spoliare sua conferendi potestate; sed sufficit vt regulariter præsentationes aliorum admittat: quod maximè verum censuerim in Iure patronatus, quod ex nuda concessione absque fundatione ab aliquo obtinetur.

36 *Debet apponi clausula derogatoria, si patronatus est laicus.* Notandum tamen ex Couarr. suprà, num. 2. si patronatus sit laicus, non censeri ei derogatum, etiamsi Pontifex de facto conferat alteri beneficium, nisi id disertè in litteris per clausulam derogatoriam exprimatur. Ita communiter DD. in c. 2. de præbendis, in 6. & colligitur ex cap. Super eo. 15. de officio Delegati. Neque sufficit vt in litteris collationis dicatur, Conferimus Petro hoc beneficium, ad cuiuscumque præsentationem vel collationẽ pertineat; sed expressè debet derogare patronatui laico, vt habet Decisio Rotæ 331. teste Couarruuia, n. 2. Quòd si ad Regem, Ducem vel Marchionẽ pertineat, debet idipsum exprimi, vt habetur in regul. Cancell. 43. Si autẽ patronatus sit Ecclesiasticus, potest ei Pontifex derogare per simplicem beneficij collationem, etiamsi nulla mentio eius derogationis in litteris prouisionis fiat. vt iidem Doctores in dictum cap. 2 de præbendis, docent.

Ex quibus infertur, reseruationes Apostolicas 37 beneficiorum, quæ fiunt propter crimen, vel quia contingit beneficia vacare apud Sedem Apostolicam, vel ob aliam rationem, ex Iuris communis, vel regularum Cancellariæ dispositione, nõ comprehendere beneficia Iuris patronatus laicorum, quoad eorũ præsentationem tollendam; benè tamen quoad institutionem, quæ Prælatis competit: hæc enim tunc petenda est à Summo Pontifice; vt docet Glossa in reg. 40. Cancell. sub finẽ. hoc tamen Couar. suprà num. 5. intelligit de Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, Decanatibus, & aliis dignitatibus, quæ Summo Pontifici per regulam 2. & 3. Cancellariæ reseruantur; non autem de beneficiis minoribus, quorum præsentatio ad laicos pertinet: hæc enim eò quòd sint Iuris patronatus laicorum, ab omnibus reseruationibus esse exempta, etiam quoad institutionem à Prælatis faciendam. *Reseruationes beneficiorum quo modo intelligẽda.*

Dico Secundò, Legatum à latere, & conse- 38 quenter Nuntium Apostolicum cum potestate Legati de latere, posse derogare patronatui Ecclesiasticorum, non tamen laicorum. Est communis sententia DD in c. Dilectus. 6. de officio Delegati. & in cap. Cùm dilectus. 28. de Iure patronatus, vbi vtrumque habetur. *Legatus.*

Dico Tertiò, Episcopus tamen nec patroni Ec- 39 clesiastici, nec laici iuri derogare potest: si tamen præueniendo præsentationem patroni conferat beneficium, collatio non est irrita: verùm secuta præsentatione patroni intra tempus Iure præscriptum, collatio illa resoluetur & euanescet, vt patet cap. 32. Decernimus. 16. q. 7. Si autem intra illud tempus patronus neminem præsentauerit, vel se non opposuerit, collatio manebit valida; quia iam ad Episcopum est deuoluta; & prior collatio non fuit irrita nisi secuta præsentatione patroni intra tempus Iure definitum: vbi ergo hæc non sequitur, confirmabitur, & manebit valida. *Episcopus.*

Petes, Quid si Ius patronatus partim sit laici, 40 partim Ecclesiæ?

Respondeo, Tunc non censebitur ei facta dero- *Si patronatus sit diuersorum, an valeat derogatio.* gatio absque expressa clausula, perinde ac si tantùm esset patronatus laicorum. Ita communiter DD. teste Couar. c. 36. qq. pract. n. 4. ratio est, quia par non est, vt laicus ratione socij Ecclesiastici incommodum in re indiuidua sentiat. Et quamuis laicus gaudeat Iure Clerici, quoad tempus præsentationis sex mensiũ; non tamen debet pati incommodum derogationis ratione socij Clerici; ne fortè laici à fundatione & dotatione Ecclesiarum & beneficiorũ huiusmodi offensiunculis auocentur: vnde etiam eorum patronatui maiora sunt cõcessa priuilegia, quàm patronatui Clericorum, vt rectè docet Cou. suprà. Simili modo si duo patroni sint laici & totidem Ecclesiastici, censebitur patronatus laicus quoad derogationem. Secùs ta- 41 men si Ecclesiastici sint plures, v. g. tres, & laici duo; tunc enim censebitur in derogatione Ecclesiasticum: nam Ecclesiastici, quorum consensus sufficit, cùm sint maior pars, tenentur admittere derogationem quòd si omnes sint laici, v. g. quinque, non erit rata derogatio, nisi maior pars consentiat, nempe tres vt minimum; horum enim consensus sufficit, etiam in præsentando.

Dico

42 *Si priuilegio acquisitum, valet derogatio.*

Dico Quartò, Si Ius patronatus solùm priuilegio vel præscriptione acquisitum sit, potest Pontifex ei derogare, sine expressa clausula derogatoria, etiamsi sit laicorum; modò tamen non constet à laico esse fundatum; imò etiam Legatus poterit tale beneficium sine præsentatione conferre. est communis sententia DD. vt ostendit Couarr. suprà n. 5. ratio est, quia talis patronatus censeri potiùs debet Ecclesiasticorum, cùm originem ex Ecclesiasticis trahat. vide hac de re plura apud Cou. pertinent enim hæc ad forum externum.

Dvbitatio x.

Quibus competat Ius collationis beneficiorum.

43 *Proprie & per se Episcopus est collator.*

Respondeo & Dico Primò, In quaque diœcesi Episcopum esse proprium collatorem omnium beneficiorum: hic enim in sua diœcesi est Princeps & moderator sactorum; ac proinde ad ipsum pertinet omnes Ecclesiæ ministros constituere, & officia sacra conferre. quod intellige, Nisi ex fundatione beneficij vel legitima præscriptione hos Ius alteri competat, v. g. Capitulo, Decano, Præposito, Abbati, vel alteri Ecclesiastico.

44 *Pontifex per totum orbem confert.*

Dico Secundò, Summus Pontifex est generalis collator, habens generalem potestatem conferendi omnia beneficia in quauis diœcesi. ratio est, quia est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, & Superior omnium Episcoporum & Ecclesiasticorum, atque adeò Ordinarius Ordinariorum totius orbis; vt ait Glossa in cap. Felicis. §. fin. de pœnis, in 6. & cap. vlt. Per principalem. 9. q. 3. vnde non minùs quàm particularis Episcopus potest Ecclesijs ministros dare, & Ecclesiastica officia conferre, sicut vbique potest sacros ordines administrare. Porrò tribus

45 *Tribus modis potest beneficia conferre.*

modis potest beneficia conferre, vt docet Rebuffus in sua praxi §. de deuolutionibus, num. 66. Primò, Iure præuentionis, vt quando alicui confert gratiam expectatiuam ad beneficium primò vacaturum; vt patet cap. Dudum. 14. de præbendis, in 6. Secundò, Concurrendo cum aliis collatoribus, cap. Quia. 1. de concessione præbendæ, & Panorm. ibidem num. 5. quo modo semper potest conferre, quia concurrit cum quolibet Ordinario in potestate & iurisdictione. Necesse tamen est vt in hoc casu reseruet vel conferat beneficium ante Ordinarium; alioquin collatio Ordinarij erit valida. argumento cap. Si eo tempore. 44. de electione, in 6. Hac ratione etiam Legatis à latere concedi solet vt beneficia conferant, cap. Si à sede, 31. de præbendis, in 6. & DD. ibidem. Tertiò, Confert Iure deuoluto; vt quando ratione criminis, (v. g. ob simoniam confidentiæ) vel ratione negligentiæ collatoris, ius conferendi deuoluitur ad Pontificem ex depositione Canonum. eodem Iure semper confert Episcopus, quando inferiores collatores sunt negligentes.

Quando fiat deuolutio.

Vbi Notandum est Primò, Dignitates infra Episcopatum & Abbatiam, & alia beneficia, regulariter conferri debere intra sex menses; alioquin

46 deuoluuntur ad Superiorem; cap. Nulla. 2. de concessio. præbend. & alibi. Simili modo si patronus laicus non præsentet intra quatuor menses, & Ecclesiasticus intra sex; beneficium efficitur liberum, eiusque dispositio deuoluitur ad eum, cuius est instituere præsentatum. vt patet ex dictis dubitat. 6.

Notandum Secundò, Quod ad Episcopatum & Abbatiam attinet, si electores per tres menses absque legitimo impedimento neglexerint eligere, deuoluitur electio ad proximum Superiorem, qui cum consilio Capituli sui Ecclesiæ prouidebit. Quòd si hic etiam per totidem menses neglexerit, puniendus est secundùm Canones, & Summus Pontifex prouidebit, cap. Ne pro defectu. 41. de electione. In inferioribus beneficijs, si ad Episcopum vel Capitulum spectet collatio, siue coniunctim siue diuisim; tunc negligente Episcopo per sex menses, deuoluitur ad Capitulum, & contrà. singuli autem ad quos fit deuolutio, habent sex menses in inferioribus beneficijs. vide plura apud Rebuffum, §. De deuolutionibus.

47 *Quo modo & ordine.*

Notandum Tertiò, Pontificem rariùs vti Iure

48 *Cur Pontifices fecerint reseruationes mensium, &c.*

præuentionis & concursus, vt confusio & lites vitentur, & ideò in multis Ecclesijs reseruasse sibi certos menses, quibus confert, reliquis relictis Ordinario. Porrò causa cur sibi aliqua beneficia reseruauerit, suoque Iure interdum in conferendo vtatur, est, vt Ecclesiasticorum & Ecclesiarum, quæ sunt per orbem, maior sit communicatio & coniunctio cum Ecclesia Romana matre sua, dum non solùm in spiritualibus; (quæ sæpè parum curantur,) sed etiam in temporalibus & prouentibus Ecclesiasticis ab ea dependent. quò enim in pluribus ab ea dependent & ad eam confugere debent, eò magis eam reuerentur, amant, & in ijs, quæ ad fidem, mores, & sacra ministeria pertinent, se illi submittunt. Quòd si in nullo ab ea dependerent, facilè vnio Ecclesiæ per schismata dissolueretur.

49 *Episcopi non conferunt in Curia.*

Notandum Quartò ex Couarr. l. 3. variarum cap. 20. nu. 9 consuetudine receptum esse vt Episcopi existentes in Curia Romana, non possint vlla beneficia conferre, etiam si vacent in propria diœcesi; sed necessum esse vt Curiam exeant ad ea conferenda: possunt tamen in aliena diœcesi. Quæ autem in Curia vacauerint, ea pertinent ad Pontificis dispositionem. Talia sunt eorum, qui sunt de Curia Romana, & eorum qui Romæ moriuntur, aut prope Romam ad duas dietas; id est, 40. milliaria Italica. denique eorum, qui ibi resignant aut permutant; vt patet ex regulis Cancellariæ.

50 *Capitulum sede vacante.*

Petes, Vtrùm sede Episcopali vacante, vel Episcopo suspenso, Capitulum possit conferre beneficia, quæ ad liberam Episcopi collationem pertinebant.

Respondeo, Non posse conferre. cap. Illa. 2. Ne sede vacante; nec ad ea præsentare; vt docet Ioannes Andreas in cap. vnicum, Ne sede vacante, in 6. potest tamen Capitulum tunc instituere præsentatos à patronis, quorum institutio ad Episcopum pertinebat, cap. primo de institut. in 6. Item potest conferre ea, quorum collatio communiter erat Episcopi & Capituli. cap. Si ad Episcopum, Ne sede vacante, in 6. Secùs tamen si collatio erat solius Episcopi, etsi ex consilio Capituli. vide Rebuffum suprà, § De deuolutionibus, num. 70. & seqq.

Dvbitatio xi.

Si Episcopus conferat beneficium absenti per litteras aut nuntium, vtrùm possit reuocare collationem, & alteri conferre antequam iste acceptauerit.

51 *Beneficium collatum absenti.*

Respondeo, Non posse, vt expresè habetur c. Si tibi absenti, de præbendis, in 6. Imò si alteri conferat antequam ille recusauerit acceptare, collatio viribus non subsistet, vt ibidem dicitur. quod ideò constitutum est, non quòd per talem collationem acquisitum sit dominium ante acceptationem; sed quia non decet Episcopum variare. secùs est de donatione rei suæ, quæ non valet ante acceptationem: vnde liberè potest reuocari. imò quamdiu res tradita non est, si alteri donetur aut vendatur, valet secunda dispositio, vt suprà cap. 18. dub. 6. & c. 21. dub. 19. dictum est. Potest tamen Episcopus illi præscribere tempus, intra quod teneatur acceptare. quo elapso, si non acceptauit, poterit alteri conferri. si tamen acceptes antequam alteri conferatur, tuum erit beneficium, quamuis terminus iam sit elapsus. patent hæc omnia ex d. cap. Si tibi absenti. 17. de præbendis, in 6. & apud Couarruuiam lib. 3. variar. c. 16. num. 4.

Sequitur nunc vt dicamus de conditione & qualitate eorum, quibus beneficia conferenda.

Dvbitatio xii.

Vtrùm aliquando liceat conferre beneficium indigni.

52 *Indignus.*

Notandum, *Indignum* dici, qui ad officium præstandum est ineptus ratione infamiæ, pravæ vitæ, ignorātiæ, morbi, vel similis impedimenti: vel putatur non futurus vtilis, nec satisfacturus officio. Potest enim quis censeri indignus vel ratione conditionis præsentis, quæ non tolletur; vel futuræ. Dignissimus autem censetur, non qui doctissimus est aut sanctissimus; sed qui omnibus consideratis putatur optimè officio satisfacturus, Ecclesiæque futurus vtilissimus. His positis

53 *Tria requisita vt quis sit dignus beneficio.*

Respondeo & Dico Primò, Numquam licere beneficium Ecclesiasticum conferre indignis, modò aliqui reperiantur digni, quibus conferri possit. Probatur ex cap. Cùm in cunctis. 7. de electione, vbi tria requiruntur vt quis censeatur dignus beneficio habente curam animarum, ætas conueniens, probitas morum, & scientia debita: & Clerici, qui aliquem contra prædictam formam elegerint, eo ipso priuati sunt potestate eligendi pro illa vice, & triennio à suis beneficijs suspensi. Episcopus autem si contrà fecerit aut consenserit fieri, amittit similiter potestatem conferendi. vide tamen aliquas limitationes & explicationes huius cap. in cap. Si compromissarius. §. Si verò, de elect. in 6. & cap. Graue nimis, 29. de præbendis. vbi præcipitur vt beneficia non conferantur indignis; qui contrà post secundam correptionem fecerit, iubetur suspendi à beneficijs conferendis. ratio est, quia beneficium datur propter officium: ergo qui ineptus est ad officium præstandum, Iure naturæ est arcendus à beneficio. Confirmatur, quia omnes ferè hæreses & mala Ecclesiæ hinc orta sunt, quòd indignis beneficia fuerint collata: dum enim Episcopatus conferuntur hominibus indoctis vel improbis, qui nihil minùs quàm de munere Episcopali sunt solliciti, necesse est vt etiam Parochi similes instituantur. tales enim Episcopi parum curant quales habeant Parochos. Quòd si Parochi indocti, vel etiam improbi sint, necesse est Christianam plebem in fide & moribus non rectè instrui: hæc autem non rectè instructa, & malâ vitâ suorum Superiorum scandalizata, facilis est ad nouos Doctores, reformationem & purum verbum Dei promittentes, excipiendos; maximè cùm videat illos eloquentia, doctrina, & externæ vitæ probitate suis Parochis & Episcopis præstantiores. Sanè si nascente hæresi Lutheri tales fuissent vbiq; Episcopi & Parochi quales esse debuissent, facilè illam in semine oppressissent. Hoc optimè significatur in parabola Domini Matth. 13. *Dum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania*; vt explicat D. Augustt. lib. qq. in Matth. cap. 11. & Chrysost. Hom. 47. in Matth. Ex quo patet, quanti momenti sit vt Principes quàm maximè idoneos ad Prælaturas promoueant.

54 *Omnia pænè Ecclesiæ mala ex promotione indignorũ ministrorũ.*

Dixi, *Modo aliqui reperiantur digni*; quia si nullus talis inueniatur, vel si inueniatur & non admittatur, (sicut interdum fit in locis Septemtrionalibus) poterit conferri indigno ad maiora mala impedienda; nempe ne deueniat ad hæreticos, vel alios magis indignos: hic enim etsi absolutè non sit dignus, tamen respectu aliorum, qui haberi possunt, dignus censetur. Vbi tamen ei beneficium collatum est, tenetur se præstare dignum, & satisfacere officio, tum per se, tum per alios, quantum commodè potest: alioquin tenebitur ad fructuum restitutionem. ratio est, quia lege iustitiæ obligatur ad præstandum munus sui officij, & consequenter ad se reddendum idoneum officio quantum potest.

55 *Quando possit conferri indigne.*

Dico Secundò, Vt collator sit securus, non solùm requiritur vt nesciat illum, cui confert, esse indignum, sed debet etiam positiuè scire esse dignum; vt rectè Adrianus in 4. tract. de restit. q. de dispensatione beneficiorum. ratio est, quia ex officio tenetur quantum in se est curare vt conferantur dignis. ergo debet positiuè iudicare esse dignum. quod intellige non de certa scientia, sed de probabili iudicio, quod pro rei magnitudine, magis vel minùs certum esse debet. Idem dicendũ de patronis qui habent ius præsentandi; grauiter enim peccant si aliquem præsentent, de cuius vita, moribus & doctrina non sint satis informati per viros probos & idoneos, ita vt meritò possint confidere esse idoneum; vt colligitur ex cap. Graue nimis, de præbendis. Tales enim patroni sunt causa cur beneficia conferantur indignis, cum maximo Ecclesiæ damno: nam Prælatus Ecclesiasticus, qui instituit, non potest præsentatum repellere, nisi ferè sit euidens esse indignum, cap. 32. Decernimus. 16. q. 7. & alibi. hoc autem vt euidens fiat, valdè est difficile. deinde vix audet rem exactiùs discutere, præsertim quando patronus est Princeps sæcularis.

56 *Debet scire esse dignũ.*

Pœna in eligentes indignum ad curam animarum.

Idem dicendum de patronis.

Dico Tertiò; Etsi omnis conditio, quæ reddit hominem indignum beneficio, sufficiat ad irritandam 57

tandam collationem vel electionem indigni, non tamen omnis reddit ipso facto collationem irritam, vt infrà dicetur. vide Nauar.in cap.Si quando.5.de rescriptis,exceptione 16.& 17.

Dvbitatio xiii.

Vtrùm prætermissis dignioribus, liceat interdum conferre dignis.

58 *Dignior potest prætermitti quinque casibus.*

Respondeo; In quibusdam casibus licitum esse. Primò, si patronus præsentet dignum; huic enim debet conferri, etsi sint alij magis idonei. 16.q.7.cap. Monasterium. & c.Decernimus. quod limita, nisi sit beneficium cum cura animarum: hoc enim dandum est dignissimo; si patronus est Ecclesiasticus, vt patet ex Concil. Trident. sess.24.c.18. Si tamen patronus sit laicus, & præsentet dignum, hic ab Episcopo instituendus est, alijs omnibus prætermissis, vt ex eodem loco Concilij constat. Pari modo, si fundator constituisset, vt si quis ex sua familia idoneus repertus fuerit, ei detur; seruandum esset, etiam in cura animarum, alijs dignioribus præteritis. vt docet Couarr. reg. Peccatum, p.2.§.7.

59 Secundò, Si beneficium ex sua institutione dandum sit alicui ex certa familia, vel oppido; (vt sunt ea, quæ dicuntur patrimonialia) vel si decreto Canonum eligendus sit aliquis ex Clericis eiusdem Ecclesiæ; tunc aptissimo inter eos dandum est, non alijs, etsi aptioribus. vide cap. Nullus. 13. & c.16. Obitum.d.61.& cap.19. Metropolitano.d.63. ex quibus constat, olim ministros eligi debuisse ex Clericis eiusdem Ecclesiæ, si aliquis erat idoneus. Simili modo Pontifex eligendus est ex Collegio Cardinalium, modò aliquis inter eos sit idoneus. cap. Oportebat. 3. cum sequenti, dist. 79. ex Concilio sub Stephano Papa III.

Tertiò, Si aptiores reseruandi sint beneficijs parochialibus, eò quòd pauci benè idonei ibidem reperiantur; tunc enim illis prætermissis beneficia sine cura, quamuis opima, debent conferri minùs dignis, vt rectè notauit Adrian. suprà. ratio est, quia in dispensatione beneficiorum magis spectanda est spiritualis vtilitas Ecclesiæ, quàm commodum temporale ministri.

60 *Si suffragium non esset profuturum digniori.*

Quartò, Si plures sint electores, & paucorum suffragia inclinent in dignissimum; tunc si meum suffragium nihil esset profuturum dignissimo, prodesset tamen ad vitandam electionem indigni, vel minùs digni, teneor, omisso dignissimo, conferre illud in dignum vel digniorem. ratio est, quia in hoc casu si dem suffragium in dignissimum, ipsi non prodero, & Ecclesiæ obero: quod Ecclesiæ incommodum vitare possum, si faueam digno. Neque hîc cum alijs ad opus malum concurro; quia eligere minùs dignum, non est malum, nisi quando spes est posse obtineri digniorem.

61 *Resignans.*

Quintò, Si quis resignet beneficium suum in fauorem alterius, non est necesse vt quærat dignissimum. Ita Caietanus v. Beneficium, & alij: sic enim recepta consuetudo habet. ratio est, quia non incumbit illi ex officio præficere Ecclesiæ ministrum; & aliàs confert id quod suum est, & propter quod, cùm possideret, non tenebatur plus facere, quàm mediocriter idoneus faceret: vnde non facit iniuriam Ecclesiæ, talem sibi substituendo. quamuis si multò dignior se offerat vel in promptu sit, charitas boni communis obliget vt hic præferatur.

Dvbitatio xiv.

Vtrùm extra hos casus beneficia semper sint conferenda dignissimis.

Respondeo & Dico Primò, Electores, Præsentatores, & Collatores semper tenentur, quantum in ipsis est, curare vt dignissimis beneficia conferantur. 62 *Dignissimi præficiendi.* Est communis sententia DD. D.Thom.q.63.art.2.ad 3. *Vt electio non possit impugnari in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* Ibidem ad 1.docet, *Prælatum posse eligere consanguineos suos, si æquè digni sint; non autem si alij sint digniores.* Idem docet infrà quæst.185.art.3. Ioannes Maior in 4.d.24.q.3. Nicolaus Lyranus in illud Ioannis 21. *Simon Ioannis diligis me plus his?* D.Anton.2.p.tit.1.cap.20.§.1. Angelus v. Electio, n.20. & 21. Caiet. v. Acceptio personarum, & in locum D.Thomæ citatum. Adrian.in 4. qu.citata, Siluester v.Electio, & v. Acceptio personarum; Nauarr. in cap. Si quando. 5.de rescriptis,except.16.num.10. Sotus l.3. de Iustit.q.6.art.2. & alij Theologi passim. Et quamuis Alexan. Halensis p.2.q.136.§.2.putet solùm in Episcopatibus esse peccatum, prætermittere digniorem, non autem in minoribus beneficijs: alij tamen Theologi id generatim de omnibus habentibus curam animarum docent. Accedunt multi Iurisperiti, quos refert & sequitur Couarruuias ad regul. Peccatum, p.2.§.7. num.4. vt Panorm. Rochus, Ludouicus Gomezius, Cæsar Lambertinus, & alij, & addit Couarruuias, eam esse communem. *Alex. Halensis opinio.* Probatur Primò Exemplis sacræ Scripturæ, vt electione Aaronis Leuit.8. vbi Dominus indicauit se velle præstantissimum eligi, dum omnibus Principibus ad ostium tabernaculi adductis, eius solius virgam florere fecit. in quem locum Origenes Hom.6. (habetur Can. Licet. 8. quæst. 1.) sic ait: *Requiritur ergo in ordinando Sacerdote etiam populi præsentia, vt sciant omnes, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.* Item electione Saülis 1.Regū 10. vbi eligitur *qui ceteris eminebat, & quo non erat melior in Israel.* quod explicans Gregorius lib.4.c.4. in lib. 1. Regum, fusè docet, *dignissimum eligendum.* Idem docet cap.5. vbi multa pulchrè in hanc sententiam. Idem cernitur in electione Dauidis, & in electione Petri: cùm enim Dominus Ioan.21. Petrum Ecclesiæ vellet præficere, non solùm rogat an ipsum diligeret, sed an plus ceteris diligeret, & ter rogat. Apostoli etiam Actor. 1. conati sunt optimum eligere. *1.Exemplis Scriptura probatur.*

Probatur Secundò Ex Iure Canonico; nam cap.vnico, tit.Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, Innocentius III. inter cetera sic ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensare.* 63 *2.Ex Iure Canonico.*

Tertiò Probatur ex Patribus; vide Origenem suprà. *3.Ex Patribus.*

suprà. Hieronymus in cap.1. epist. ad Titum: *At nunc*, inquit, *cernimus plurimos hanc rem*, (id est, electionem) *beneficium facere, vt non quærant eos qui possint plus Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs delinniti.* Chrysost. l.3. de sacerdotio, parum ante medium: *Equidem non opinor aliunde tam multas in Ecclesia turbas nasci, quam ex Episcoporũ & Antistitum electionibus, casu potius ac temere, quàm diligenter & accurate factis: nam caput valentissimum esse oportet,* &c. Augustinus epist.29. ad Hieronymum, non procul à fine: *Quis ferat eligi diuitem ad sedẽ honoris Ecclesiæ, cõtempto paupere instructiore ac sanctiore?* Idem docet Leo epist.84.c.6. & Bernard. lib.4. de considerat. ad Eugenium, & in Declamatione, *Ecce nos reliquimus omnia.*

Idem confirmatur ex quadam pragmatica sanctione Cõcilij Basil. sess.12. vbi decernitur, *vt electores iurent Deo & sancto Ecclesiæ patrono in qua est præbenda, se electuros quem nouerint digniorem.*

Quartò, Ratione. Probatur Quartò ratione; Quia beneficia primariò sunt instituta ad cultum Dei & Ecclesiæ vtilitatem; secundariò vt sint præmia virtutum, quibus digniores in Ecclesia honorentur & iuuentur: atqui contra vtrumque finem est, si digniores & Ecclesiæ vtiliores omittantur, & in iis conferendis spectetur consanguinitas, aut priuata amicitia, aut commendatio potentium.

64 *Est peccatũ mortale omittere digniorem in maioribus beneficijs.* Dico Secundò, Ad beneficia habentia curam animarum vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia, eligere, postulare, aut præsentare dignum, omisso digniore qui in promptu est, est peccatum mortale. Idem dico de conferente, qui liberè confert. *Digniorem* voco, qui notabiliter dignior & aptior videtur, sperarurque multò melius functurus officio: nam si paruus vel dubius sit excessus, non erit peccatum mortale. Colligitur ex DD. suprà allatis, probaturque ijsdem testimonijs; nam ea maximè agunt de talibus beneficijs. Idem colligitur ex Concil. Trident. sess.24. c.1. de reformat. vbi dicitur: *Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorũ quomodocumque ius habent, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidẽ precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus; sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Et quamuis ibi loquatur de Episcopatibus, tamen idem sentire de parœcijs, patet manifestè ex cap.18. de quo infrà dub.16. Eadem ratio locum habet in aliis omnibus magni momenti beneficijs. Talia sunt præter Cardinalatum, Episcopatum, Archidiaconatum & Parœciam; Decanatus, Præpositura cum iurisdictione, Canonicatus affectus onere docendi vel concionandi, aut pœnitentiariæ. Denique Abbatia, Prioratus, & similia. Ratio est, quia qui omittit digniorem, facit contra fidelitatem, quam Ecclesiæ ex officio debet, (iuxta illud Matth.24. *Quis putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*) idque in re grauis momenti; nam inde contingit eam priuari ingenti bono, quod ipse tenebatur ei procurare eligendo dignissimum ministrum: atqui in re graui fidem debitam violare, est peccatum mortiferum, vt suprà c.32.n.16. & 17. in simili diximus: ergo qui præsentant, vel eligunt, vel beneficia liberè conferunt, grauiter peccant, si digniores prætermittant, siue sit Papa, siue Episcopus, siue Princeps sæcularis: non enim sunt domini beneficiorum, sed œconomi: vnde tamquam œconomi tenentur rem domini sui, quantum commodè possunt, promouere. Confirmatur, quia in beneficijs est peculiaris ratio, quæ 65 non in aliis. nam totum ferè Ecclesiæ bonum in fide, moribus, & ritibus sacris, pendet ex bona ministrorum electione: sicut è contrario totum ferè malum ex mala prouisione: atqui nisi quàm maximè idoneos eligere conemur, periculum est ne sæpè parum apti præficiantur; quia tam multa requiruntur, vt non rarò qui valdè apti videntur, reipsa parum aptos esse, experientia & successus rerum demonstret: ergo ne in tales impingamus, tenemur in re tanta sub peccato mortali eligere aptissimos. quod non solùm verum est de electore & collatore libero; sed etiam de patrono, vt rectè Couarr. suprà, contra Cæsarem Lambertinum, qui sine iusta ratione id negat.

Dico Tertiò, In ceteris beneficijs, vt in Canonicatibus, Cappellis, &c. nõ videtur peccatum mortiferum semel vel bis prætermittere digniorem, modò conferantur ei, qui verè dignus sit: videtur tamen esse mortiferum si quis id passim faciat, aut si rarò curet vt digniores præferantur. Prior pars est Alex. Halensis, & Soti suprà, Gabrielis in 4.d. 15.7.a.3. vbi pro eadem citat Antoninum, & alios. Idem docet Angelus suprà, & sentire videtur D. Thom. quodlib.6.a.9. licet obscurè, citantque illum Angelus & Gabriel. Denique multi recentiores, vt Petr. Nau. l.2.c.2.n.148. Emmanuel Sà, verbo Beneficium, Petrus Arrag. in qu. 63. art. 2. Ratio est, quia quòd semel vel iterùm dignior prætermittatur in huiusmodi beneficijs, non censetur notabile incommodum, aut notabilis iniuria in Ecclesiam: paucorum enim mediocritas, aliorum virtute facilè compensatur. 66 *In quibus non sit peccatum mortale.*

Obiectio. Dices, Fit iniuria digniori, qui postponitur; nam ei lege Iustitiæ distributiuæ debetur. deinde est contra Ecclesiæ & ipsorum fundatorum intentionem, quorum mens est vt dignissimis conferantur.

Ob hæc argumenta multi DD. tenent esse peccatum mortale, præsertim si dignior sese offerat. Ita Couarr. ad regulam Peccatum, p.2. §.7. nu.4. Caiet. q.63. art.2. Salonius ibidem. in eadem sententia videtur esse D. Antoninus suprà: quia violationem Iustitiæ distributiuæ putat esse peccatum mortale, & Nauarr. de oratione miscella.38.

Sed respondeti potest ad Primum, Non fieri 67 *Resp. Non fit propriè iniuria digniori.* propriè iniuriam digniori, quia non est ei debitum stricto Iure, sicuti debetur præsentato vel electo: sed solùm largo, quod constitit in maiore aptitudine & proportione: hoc autem Ius violare, non est per se peccatum mortiferum, neque violatio Iustitiæ distributiuæ, semper est peccatum mortiferum. nisi redundet in violationem Iustitiæ commutatiuæ; vt rectè Sotus ait.

Ad Secundum, Est quidem contra Ecclesiæ & fundatorum intentionem; sed in re, quæ ad bonum Ecclesiæ nõ est tanti momenti. Fateor tamen, rationes istas facere illam sententiam valdè probabilem; & ex illis confirmatur altera pars nostræ propositionis: qui enim sæpè hoc faceret, vel non curaret præponere digniores, censeretur graui- 68 *Si sæpè fieret, esset p.m.* ter peccare contra fidelitatem Ecclesiæ debitam, eiusque magnum bonum negligere: magni enim interest ad bonum Ecclesiæ vt diuina officia quàm decentissimè & deuotissimè celebrentur, vt Canoni-

nonici & alij sacrorum administri doctrina & probitate populo præluceant. Denique vt spe beneficij obtinendi plurimi ad probitatem vitæ & studia litterarum incitentur; sunt enim beneficia ex Ecclesiæ & fundatorum destinatione non solùm stipendia ministeriorum, sed etiam præmia virtutum: atqui hic stimulus tolletur, si dignioribus prætermissis, fauore & affectu carnali dispensentur.

Ex his patet, semper esse peccatum, saltem veniale, *digniorem & aptiorem* prætermittere. si autem id sæpè fiat, esse peccatum mortiferum. quòd si ex sua institutione habeat vt debeat dari digniori vel per oppositionem, tunc semper est peccatum mortale.

69 *Obiectiones contra secundum dictum.*

Contra secundam propositionem obijcitur Primò, Iura antiqua & noua solùm requirunt vt beneficia conferantur *dignis*, nam Concil. Trident. sess.7.cap.3.de reformat. solùm requirit, vt etiam beneficia curata *dignis* conferantur, & citat constitutionem Alexandri III. & Gregorij X. in quibus idipsum statuitur.

Respond. Concilium hoc solùm requirit, non vt collatio sit sine peccato, sed vt non sit irritanda in foro externo, vt patet ex verbis sequentibus, *aliter facta collatio omnino irritetur*. Eodem modo intelligi possunt quidam Canonistæ, dum dicunt sufficere vt eligatur idoneus, vt notat Couarruias suprà. Quòd autem Concilium velit ad parœcias eligi dignissimos, patet sess.24. cap.18.de reformatione.

Obiicitur Secundò, Iuxta antiquos Canones non solent beneficia conferri nisi presbyteris & Clericis eiusdem Ecclesiæ, vt patet ex cap. Nullus, & cap. Obitum. d.61. ergo non sunt quærendi dignissimi.

Respond. Idcircò hoc solet fieri, & in multis locis adhuc seruatur, quia plerumque hi solent esse vtiliores & fideliores suæ Ecclesiæ quàm extranei: magis enim ei afficiuntur, magisque omnia norunt, cùm sint in ea educati: firmiùs quoque residen.

Obiicitur Tertiò, Apost. ad Tim. 3. & ad Titum 1. enumerans conditiones Episcopi, solùm requirit vt sit *sobrius, pudicus, doctor, hospitalis, irreprehensibilis*, &c. non autem requirit vt sit ceteris omnibus dignior.

70 Respond. Tot conditiones requirit Apost. vt rarissimi sint qui eas omnes habeant. vnde etiam qui dignissimus visus fuerit, vix implebit Apostoli formulam.

Minùs idoneus potest se offerre.

Quartò, Si collator teneretur conferre digniori: ergo is qui se putat minùs dignum, non poterit se offerre, nec acceptare collationem; quia alioqui consentiret peccato alterius: petere enim aliquid sibi præstari, quod alter non potest sine peccato præstare, est peccatum. similiter in illud consentire.

Respond. negando conseq. Etsi enim alius videatur aptior, potest tamen iudicium totum relinquere electori vel collatori. cuius est vtriusque merita & dotes examinare. hoc enim iudicium non est eius cui fit collatio, sed eius qui confert aut eligit: vnde bona fide potes te illi offerre, non quidem desiderando & petendo absolutè vt tibi conferat, etiamsi alterum iudicet fore vtiliorem; (hoc enim peccatum esset) sed sub conditione, si bona fide iudicauerit te non minùs vtilem fore. & quamuis tu putes alterum esse magis idoneum, potes tamen tecum statuere diligentiâ compensare quantum aliis dotibus videris superari. Quòd si certò existimes collatorem non iudicio sed fauore te prætulisse, hoc tibi non imputabitur, si hoc neque petisti, neque animo desiderasti, sed bona fide sollicitasti, vel non sollicitanti tibi est oblatum.

DVBITATIO XV.

Vtrùm is, qui sibi vel alteri minùs digno procurat beneficium, omisso digniore, teneatur digniori aliquid restituere.

PAludanus in 4.dub.15.q.2.ar.2.& Caietanus q.62.ar.2.dub.3. affirmant. ratio est, quia beneficium illud secùndùm Iustitiam distributiuam debitum est digniori. addit tamen Caietanus, eum nõ teneri qui sibi procurat, non intendens impedire digniorem: secùs verò de eo, qui ita procurat sibi, vt non curet de impedimento dignioris. 71

Respondeo & Dico Primò, Probabilius est talem beneficiarium non teneri ad restitutionem, modò sit verè idoneus, & beneficium non fuerit per oppositionem conferendum. est sententia Scoti & Richardi in 4.d.15. vt fatetur Caietanus. Idem tenet Adrianus in 4.9. Quia iam determinatum. Sotus lib.4.qu.6.art.3.ad 6. Couar. ad regul. Peccatum, p.2.§.7.nu.7. Nauar. c.17.num.72.& multi alij. Probatur, quia neque Ecclesiæ, neque digniori tenetur: ergo non tenetur. *Non digniori*, quia ille non habet Ius strictum ad illud beneficium; sed largum dumtaxat, consistens solùm in maiori aptitudine, vt antè dictum est: vnde non fit ei propriè dicta iniuria. 72 *Nõ tenetur digniori.*

Dices, Si distributor ex bonis communibus mihi debeat centum, & non det nisi quinquaginta, tenetur ad restitutionem quinquaginta; quia in illis violauit Iustitiam commutatiuam; vt colligitur ex D. Thoma q.62.ar.1.ad 3. ergo cùm beneficia sint bona communia debita dignioribus, & ego sim dignior, si mihi non contulerit, tenebitur ad restitutionem. Hoc argumento potissimùm commoti sunt Paludanus & Caietanus. *Obiectio. Distributio communium.*

Resp. Hoc tantùm esse verum in communibus, quæ præcipuè ideò data sunt communitati, vt pro dignitate cuiusque, vel inopia, vel eruditione, vel meritis distribuantur; vt rectè Sotus & Couarr. respondent: at beneficia non sunt talia bona communia; non enim sunt principaliter præmia meritorum & dignitatis cuiusque, vt Paludanus & Caietanus velle videntur; sed stipendia ministrorum Ecclesiæ: quia potissimùm & ferè ob vnicam hanc causam sunt instituta, vt sint stipendia eorum, qui Ecclesiæ deseruiunt: vnde dignissimi eligendi, non quòd ipsis hæc propriè sint debita, sed quia Ecclesiæ debitum est, vt quàm optimi ministri, qui pro istis quasi stipendiis haberi commodè possint, adsciscantur. Itaque si qua esset obligatio restitutionis, ea esset erga Ecclesiam, non erga digniorem prætermissum. 73 *Resp.*

Sed quòd *neque Ecclesiæ* obligentur restituere, probatur; quia Ecclesia non intendit collatores & patronos sub onere restitutionis obligare ad procurandum semper maius bonum, & digniores ministros; modò procurent eos, qui verè sint digni 74 *Non obligari Ecclesia.*

digni & vtiles: neque collatores censent se sub tali onere obligari; idque tum ob multas perplexitates; quæ inde quotidie orirentur; tum quia Ecclesia non videtur damno affecta, quamuis maius bonum non sit procuratum. Idem dico de œconomo Principis, qui non conduxit optimos operarios, sed mediocres.

Si non sit idoneus.

Dixi, *Modò beneficiarius sit idoneus*; si enim non sit idoneus, tenebitur is qui procurauit, ad restitutionem, nō quidem digno vel digniori, sed Ecclesiæ, quæ debito ministerio caruit, vel etiam damnum accepit, vt rectè Couar. suprà, nu. 3. & Sotus l. 4. q. 6. ar. 3. ad 6. vel certè pauperibus, vt quidam volunt, argumento c. 1. sess. 23. Conc. Trid. §. Si quis autem. de quo infrà n. 157. & sess. 9. Conc. Lateran. de quo n. 175. & 177. quod intellige, nisi beneficiarius, qui primo loco tenebatur, restituat.

Si officium per alios præstitum.

Si Ecclesia nullum damnum passa est, & officium per alios præstitum, ad nihil tenebitur auctor.

75 *Si dandum per oppositionem.*

Dixi, *Modo beneficium non fuerit dandum per oppositionem*: quando enim per oppositionem datur, tunc dignior ius strictum habet ex lege, vt rectè Nauarrus c. 17. n. 74. Itaque si non admittitur ad examen, vel examinatus & manifestè dignior aliis repertus reijcitur, fit ei propriè iniuria: vnde collator ei tenetur ad damnum sarciendum iudicio prudentis; si tamen manifestè & notabiliter dignior sit; nam si paruus tantummodò sit excessus, non tenebitur.

76 *Si putet se idoneum.*

Dicò Secundò, Qui institutus est, si verè se putet idoneum, non tenetur resignare, etiamsi alterum iudicet magis idoneum. ratio est, quia ipsi non incumbit Ecclesiæ ministros dare, sed satis est vt pro sua virili satisfaciat officio.

Obiectio.

Dices, Hinc tantùm sequi, illum non teneri ex officio, seu lege iustitiæ: poterit tamen ex charitate teneri.

Resp. Quādo teneatur ex charitate.

Respondeo, Id quidem fieri posse, sed rarò fieri: vt si quis certò sibi persuaderet alterum Ecclesiæ longè fore vtiliorem, & ipse sine notabili incommodo suo posset illo beneficio carere. Sed valdè rarum est vt constet alterum longè vtiliorem fore. In dubio autem non tenetur se tanto commodo suo priuare.

77 *Si induxit collatorem.*

Dices, Quid si collatorem induxerit vt sibi conferret, cùm sciret se minùs idoneum altero?

Resp. Tunc quidem peccauit illum inducendo vt faceret contra fidelitatem; non tamen tenetur ad resignationem, modò sit verè idoneus: quia collatio fuit valida. vnde cùm ipsi non incumbat optimorum ministrorum procuratio, non tenetur beneficium deserere: tenetur tamen tunc (saltem ex decentia) quàm optimè muneri suo satisfacere & diligentiâ supplere defectus, ratione quorum ab altero superatur.

DVBITATIO XVI.

Quæ formula seruanda in conferendis Ecclesijs parochialibus.

RESpondeo, Hæc describitur à Concilio Trident. sess. 24. cap. 18. vbi Notandum est, Ecclesiam parochialem vacare posse ratione obitus, vel resignationis simplicis, vel permutationis, vel delicti. Item ius patronatus esse Ecclesiasticorum vel laicorum. Nunc

Dico Primò, Si parœcia vacet per obitum vel crimen, & ius patronatus sit Ecclesiasticorum, Episcopus, & patronus, intra certum tempus ab Episcopo præscribendum, debent aliquot Clericos, qui videantur idonei ad Ecclesiam illam regendam, nominare. Ita Concilium. vbi Nota, posse Episcopum etiam per publicum edictum conuocare omnes, qui volent se offerre; & quemuis posse suggerere si quos nouit idoneos: & hi omnes sunt describendi, vt ibidem dicitur. 78 *1. Conuocandi multi.*

Dico Secundò, Transacto tempore constituto, hi omnes (nempe qui voluerint & comparuerint) debent examinari ab Episcopo, vel eius generali Vicario, & tribus saltem examinatoribus à Synodo diœcesana approbatis. 79 *2. Examinandi.*

Vbi Notandum, Quotannis in Synodo diœcesana ab Episcopo vel eius Vicario sex debere proponi examinatores, qui à Synodo probentur, & ex his ad quodque examen tres minimùm pro arbitrio Episcopi debent assumi.

Secundò, Hi debent iurare se omni affectione humana postposita, fideliter munus suum executuros.

Tertiò, Nihil ratione hnius examinis possunt accipere: alioquin simoniæ vitium tam ipsi quàm danies incurrent, à quo absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, etiam antè obtentis, & ad alia reddentur inhabiles. vbi Nota, simoniam Iuris humani pœna exorbitante puniri: quam tamen puto non esse receptam in beneficijs antè obtentis, ante sententiam Iudicis. *Nihil pro examine accipiendū.* *Simonia Iuris humani.*

Dico Tertiò, Peracto examine, examinatores debent renuntiare quoscumque ex his idoneos iudicauerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam regendam opportunis.

Dico Quartò, Ex his Episcopus eum eligere debet, quem ceteris magis idoneum iudicauerit, & huic, non alteri, collatio fiet ab eo, cuius est cōferre. Si verò Iuris patronatus Ecclesiastici erit, tunc patronus debet ex his eligere quem dignio-rem iudicabit, & hic ab Episcopo debet institui, si institutio ad eum pertineat. alioquin si ad alium pertinet, Episcopus solus eliget digniorem suo iudicio, & patronus hunc præsentabit ei ad quem pertinet instituere. vt si institutor vel collator sit Capitulum, Decanus, Archidiaconus: Episcopi enim non est solùm conuocare & habere ius examinandi cum alijs examinatoribus, sed etiam eligendi digniorem, qui à patrono præsentetur instituendus. 80 *Episcopus eligit.* *Si patronatus Ecclesiastici.*

Dico Quintò, Si ius patronatus est laici, non est necesse vt fiat examen per concursum: præsentatus tamen à patrono, debet examinari à deputatis examinatoribus, & si fuerit idoneus repertus, admitti. 81 *Si patronatus est laici.*

Dico Sextò, Omnis collatio seu institutio facta præter supradictam formam, censetur subreptitia & nulla; & collatio si pertinebat ad Episcopum, deuoluitur ad Sedem Apostolicam. hoc postremū statuit Pius V. qui etiam clariùs explicuit mentem Concilij in Bulla, quæ incipit, In conferendis Ecclesijs, edita anno 1567. Kal. Aprilis. *Collatio alioquin irrita.*

Vbi Notandum Primò, Hoc examen adeò esse necessarium, vt etiam in Doctore Theologiæ aspirante ad parochialem Ecclesiam sit seruādum, vt respondit Congregatio Cardinalium. non tamen est necessarium in Dignitate vel Canonicatu, 82 *Examen quando necessarium.*

tu, qui parochialem Ecclesiam accessoriè, etiam perpetuò annexam habet; vt eadem Congregatio censuit.

83 *Appellare potest aptior.* Notandum Secundò, Si Episcopus minùs habilem, postpositis magis idoneis post examen elegerit, possunt ij, qui reiecti fuerint, à mala electione huiusmodi ad Metropolitanum; vel si elector Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, vt Apostolicæ Sedis Delegatum; aut aliàs ad Sedem Apostolicam appellare, & electum ad nouum examen coram appellationis Iudice prouocare, vt digniori detur. Interea tamen electio prior executioni mandanda est, & prouisus non potest amoueri, nisi alteri debito modo collatum fuerit. Ita Pius V. suprà.

84 *Si vacet ratione resignationis.* Dico Septimò, Si Ecclesia vacet ratione resignationis factæ in manibus Papæ, in fauorē certæ personæ, & à Papa fuerit admissa resignatio, non debet fieri examen per concursum; sed sufficit eum examinari à deputatis examinatoribus cum Episcopo, & dignum iudicari. Ita respondit Congregat. Cardinalium. Ratio est, quia tunc Papa censetur in hoc decreto dispensare. Secùs verò si collator sit inferior Papa, vt Metropolitanus, vel Episcopus, vel Capitulum; tunc enim resignatione in manibus eius facta, debet fieri examen per concursum, & nisi resignatarius iudicatus fuerit post examen aptior ceteris, vel certè non minùs aptus, non potest ei fieri collatio; vt colligitur ex Concilio. ratio est, quia inferior non potest in decretis Concilij œcumenici dispensare.

85 *Si causâ permutationis.* Dico Octauò, Si vacet permutationis causâ, debet nihilominùs fieri examen, & quidem per concursum, nisi permutatio fiat cum alia parochiali ferè paris conditionis: tunc enim non est opus nouo examine, vt declarauit Congregatio: quia per examen antiquum vterque censetur idoneus. Quòd si fiat permutatio cum simplici, vel cùm alia parochiali, vbi maior requiritur industria, debet fieri examen per concursum, vt colligitur ex Concilio.

Vbi hæc non recepta. Aduerte tamen, multa ex his passim non esse recepta; quamuis meritò omnia recipi deberent. vnde ibi non sunt irritæ collationes, quæ secundùm hanc formam non sunt factæ.

DVBITATIO XVII.

Quæ conditiones requirantur in particulari, vt quis censeatur idoneus ad beneficium.

REspondeo, Posse numerari decem. Prima, Legitimus torus. Secunda, Clericatus vel Ordo. Tertia, Ætas conueniens. Quarta, Cælibatus. Quinta, Non esse irretitum censura vel irregularitate. Sexta, Morum probitas. Septima, Scientia debita. Octaua, Habilitas ex parte corporis. Nona, Intentio status Ecclesiastici. Decima, Vt non habeat aliud beneficium incompatibile.

DVBITATIO XVIII.

Quomodo requiratur legitimus torus.

86 REspondeo & Dico Primò, Qui est ex toro illegitimo, est incapax Episcopatus, & cuiuis alterius beneficij habentis curam animarum, nisi per Pontificem cum eo dispensetur. Est etiam incapax simplicis beneficij: potest tamen ad hoc ei per Episcopum dispensatio dari, etiamsi sit ex incestu, vel sacrilego complexu natus. Ita habemus c. 1. de filijs presbyterorum, in Sexto. *Episcopus dispensat cum illegitimo ad beneficium simplex.*

Vbi Notandum Primò, Episcopum posse cum tali dispensare ad Canonicatum etiam Ecclesię cathedralis, vt ibidem docet Glossa ex Archidiacono. Rebuffus tamen in praxi beneficiorum, §. De dispensatione super defectu natalium, pag. 269. tenet, Episcopum non posse dispensare in præbenda Ecclesiæ cathedralis cum illegitimo; dicitque stylum Curiæ Romanæ ita seruare: cuius sententia videtur tenenda post Concil. Tridentinum, in quo statuitur, vt omnibus Canonicatibus Ecclesię cathedralis sit annexus Ordo sacer, ad quem Episcopus non potest illegitimum habilitare, vt d. cap. 1. habetur. Iuri tamen conformius videtur, Episcopum posse ad talem Canonicatum habilitare eum, qui antè à Sede Apostolica ad Ordines sacros admissus esset.

Notandum Secundò, Episcopum non posse dispensare cum illegitimo ad Dignitatem vel Personatum etiam sine cura, secundùm Glossam: quia quando Papa concedit vt alicui prouideatur de beneficio, intelligitur beneficium simplex, neque extendi debet ad Dignitatem; cap. vlt. de præbendis: ergo neque hic per beneficium sine cura intelligi poterit Dignitas sine cura, aut Personatus. Confirmatur, quia non est credibile, Pontificem velle illegitimum talibus honorari, cùm illum ab omni Ordine sacro excludat. Glossam sequuntur passim DD. *Non ad Dignitatem.*

Dices, Quid si Canonicatus habeat annexum accessoriè beneficium parochiale, poteritne Episcopus dispensare? 87

Respondeo, Posse, vt docet Siluester v. Beneficium, q. 8. ex Archidiacono, quod limita cum Lapo & Siluest. modò parœcia per Vicarium administrari soleat; aliàs non. Ratio est, quia accessorium sequitur suum principale. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, nisi obstet aliquod particulare alicuius Ecclesiæ statutum iuratum, vel per Papam confirmatum, quo caueatur ne quis illegitimus ad beneficia illius Ecclesiæ promoueatur.

Dico Secundò, Illegitimus etiam cum dispensatione Episcopi, non potest habere vllum beneficium vbi pater est Præfectus; (v. g. Episcopus, Præpositus, Decanus, Parochus) aut etiam vbi Canonicus. habetur c. Ad præsentiam. 2. c. Cùm decorem. 15. c Ad abolendam. 16. de filijs presbyterorum. Hoc autem idcircò Canones statuerunt, tum quia alioquin pleraque beneficia ad huiusmodi sobolem industriâ parentum peruenirent; tum quia fœdum est in eadem Ecclesia parentem & filium nothum residere, totique mundo exemplum incontinentiæ paternæ, veluti cum præmio & dignitate in prole assiduè ostentari. 88

Notandum est, Concil. Trid. sess. 25. c. 15. de reformat. hisce canonibus aliquid noui Iuris adiecisse, Vt illegitimi beneficium habere nequeant, non solùm in Ecclesijs vbi parentes actu obtinent, sed etiam vbi aliquando habuerunt, qualecumque illud sit, siue paruum, siue magnum. Nec possint habere pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes obtinent vel aliquando obtinuerunt: 89

runt: nec reciprocæ resignationes in illorum fauorem à parentibus factæ, illis prosint.

90 *Filij legitimi presbyt.* Dico Tertio, Quod ad legitimos presbyterorum filios attinet, hi possunt habere beneficia in Ecclesijs vbi eorum parentes præsident, non tamen illud ipsum, quòd proximè parens habuit. Prima pars habetur cap. Ad hæc 12. de filijs presbyt. Altera verò cap. Ex transmissa. 7. & cap. Conquerente. 4. eodem. Ratio est, *Ne beneficia successione hereditaria transmitti videantur: quam speciem hereditariæ successionis Canones semper in beneficijs valdè exosam habuerunt*, vt ait Concil. Trid. sess. 25. c. 7. de reformatione.

91 *Si alius interceſſit, filius eſt capax.* Aduerte tamen, Si inter patrem & filium alius interceſſit, censebitur species illa successionis hereditariæ absterſa; & ita filius legitimus poterit illud obtinere sine dispensatione. c. Ex transmissa. 7. de filijs presbyterorum. Adde, patrem posse habere beneficium filij, quia hîc non est illa imago hereditariæ successionis: similiter nepotem beneficium aui: quod intellige, si adhuc pater viuit; secùs autem si pater obierit: tunc enim nepos non poterit aui beneficio frui. ratio est, quia si pater viuit, nepos non potest succedere auo: vnde cessat imago hereditariæ successionis. Verùm si mortuus sit pater, nepos tunc succedit auo, vt notat Siluester Beneficium, 3. ex Hostiensi.

Beneficium aui.

Dvbitatio xix.

Quomodo requiratur clericatus seu ordo in singulis beneficijs.

92 *Clericatus neceſſarius.* Respondeo & Dico Primò, Ante omne beneficium requiritur præuius clericatus, seu prima tonsura, ita vt sine hac sis inhabilis; colligitur ex cap. Cùm adeò. 17. de rescriptis, & cap. Ex litteris. 6. de transactionibus. estque communis sententia.

Prima tonſura. Vbi Notandum Primò, Primam tonsuram & ordines debere conferri à proprio Episcopo. *Proprius* autem *Episcopus* hoc loco est triplex, originis, domicilij, & beneficij, vt apertè habetur cap. Cùm nullus. 3. de tempor. ordin. in 6. Episcopus domicilij dicitur Episcopus loci, vbi quis habet domicilium. Dicitur autem habere *domicilium, vbi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, vnde rursus non sit discessurus, si nihil auocet; vnde cùm profectus est, peregrinari videtur; quod si rediit, peregrinari iam destitit:* vt habetur L. Ciues. 7. C. de incolis. Vnde patet, vt quis dicatur habere alicubi domicilium, requiri vt ibidem sedem fixerit, animo perpetuò manendi, nisi quid auocet. Itaque studiosi non habent domicilium in Vniuersitatibus, etiam si ibi ad 8. vel 10. annos manere statuerint, si retinent animum in patriam redeundi. qui verò alicubi incipiunt habitare animo perpetuò manendi, statim ibidem domicilium contrahunt; nec opus est vt multos annos habitauerint, vt patet ex dicta descriptione domicilij. Porrò domicilium semel acquisitum, solo animo migrandi non amittitur; sed opus est reali migratione, vt apertè colligitur ex L. Domicilium. 20. 7. ad municipalem; vbi dicitur, *Domicilium re & facto transfertur, non nuda contestatione:* sicut enim solo animo non acquiritur, ita nec amittitur. vide Panormitanum in cap. vlt. de parœcijs, & Silues. v. Domicilium, num. 2.

Proprius Epiſcopus.

Epiſcopus domicilij

Episcopus originis est Episcopus loci, cuius quis ratione originis dicitur ciuis, vel originarius. dicitur autem ciuis ratione originis, non vbi fortuitò natus est, si parentes alibi habebant domicilium, sed vbi erat illorum domicilium; vt docet Panormitanus in cap. Rodolphus. 35. de rescriptis. & Bartolus in L. Filios. 3. C. de municipibus. & apertè ex eadem L. colligitur, & ex d. L. Ciues. C. de incolis. Iure enim fingitur natus, vbi parentes habent domicilium tempore natiuitatis. Ratio est, quia etsi ad tempus alicuius negotij causâ aliò recesserint, tamen censentur ibi semper mansisse; vt patet L. Retrò, de captiuis, vbi dicitur, *Retrò creditur in ciuitate fuisse, qui ab hostibus aduenit.* vide Silu. v. Ciuitas, quæst. 4. & Panormitanum suprà. *Epiſcopus originis.*

Episcopus beneficij est Episcopus loci, vbi quis habet beneficiũ requirens residentiam: tale enim beneficium constituit domicilium. secùs si non requirat residentiam, vel si cum eo dispensatum vt non teneatur residere; vt notant DD. in cap. Quia in tantum. 5. de præbendis. *Epiſcopus beneficij.*

Ex his patet, quis dicatur proprius Episcopus in tonsuræ & ordinum collatione. Quòd si quis tonsuram ab alieno Episcopo sine litteris dimissorijs, vel dispensatione Pontificis acceperit, non est capax beneficij: vt docet Rebuffus, §. Formula dimissoriarum. colligitur ex cap. Illud. 1. & cap. 3. Si quis ausus. d. 71. vbi dicitur, *vt si quis alienum sine consensu proprij Episcopi ordinauerit, irrita sit ordinatio.* intellige quoad vsum & priuilegium ordinis seu gradus accepti, quia caret priuilegio & vsu illius.

Sed difficultas est, quid tali sit faciendum vt 93
capax fiat. Glossa in dictum cap. Illud, putat sufficere vt proprius Episcopus posteà ratum habeat, quod etiam tenet Decius & alij in cap. 1. de tempor. ordinand. in 6. probat Glossa ex cap. 24. Salonitanæ, d. 63. vbi Gregorius I. cùm Episcopus Salonitanus esset ordinatus ipso nesciente, scribit *se id ei ita ex animo relaxare, ac si ipso auctore ordinatus fuisset.* vbi notat Glossa, *Episcopum posse remittere quæ ad ipsum spectant:* quam sententiam puto veram, etsi Rebuffus §. Formula dimissoriarum, n. 12. & 29. contrarium teneat, velitque necessariò opus esse dispensatione Pontificis, & litteris, quæ vocantur *perinde valere.* Nec obstat, quòd ordinatio talis dicatur *irrita*; & quod ab initio est vitiosum, non possit tractu temporis conualescere; item quòd *nemo potest ratũ habere, quod suo nomine non est gestum.* dicitur enim *irrita* non quasi nihil sit actum, sed quia suspenditur, quoad vsum & priuilegium: quam suspensionem Episcopus tollere potest, cùm nusquam Summo Pontifici reseruetur. Dicitur *habere ratam* talem collationem, quia consentit in illam, volendo illam valere ac si à se facta esset. *Probabile eſt Epiſcopum poſſe habilitare.*

Fortè quispiam putauerit talem non esse bene- 94
ficij incapacem: nam Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 10. de reform. cùm ademisset Capitulis potestatem concedendi dimissorias intra primum annum sedis vacantis, subdit, *Capitulum contraueniens, Ecclesiastico subiaceat interdicto; & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant.* vbi nihil illis adimit, nisi priuilegium fori in criminalibus. Sed verius est, istum casum esse specialem, nec esse extendendum ad eum,

eum, qui ordinatus est ab alieno, sede non vacante, aut absque vllis dimissoriis.

95 Notandum Secundò, Si quis acceperit tonsuram aut ordines minores in excommunicatione, suspensione, interdicto, non ideò esse incapacem beneficij post absolutionem illius censuræ obtinendi, vt rectè docet Nauarrus contra quosdam l.5.consil.28.n.14 pag.608.quia accipiendo tonsuram vel ordines minores in censura, non incurritur alia censura vel irregularitas, aut alia inhabilitas ad beneficia: vnde sublata priore censura, manet omnino habilis per ordinem susceptum. Secùs est si quis ordinem sacrum in censura accipiat; quia incurrit suspensionem, cap. Cùm illorum.32. de sententia excommunicationis.

96 *Beneficium requirens certum ordinem.* Dico Secundò, Si beneficium ex institutione requirit certum ordinem, qui illo ordine caret, est inhabilis ad illud beneficium. Ita Panorm. & alij in cap. Dudum. 1. de elect. talia sunt beneficia illa, quæ ex litteris suæ institutionis debent dari sacerdotibus, vel diaconis. ratio est, quia fundator potuit fundationi talem modum apponere, cùm rationi & Canonibus sit conformis.

97 *Consuetudo.* Aduerte tamen, longam consuetudinem potuisse illum rigorem mitigare: sicut enim potest derogare legi, ita etiam dispositioni fundatoris, quæ est instar legis. vnde si talia beneficia alicubi consueuerunt dari iis, qui nondum sunt sacerdotes, puto valere; præsertim si intra annum fiant sacerdotes, vel certè subdiaconi; vt absolutis studiis sacerdotium capessant: iuxta eam moderationem, quam ius concessit Parochis, qui tamen maximè deberent esse sacerdotes, dum parœciam acceptant. vnde eadem conuenienter applicatur huiusmodi beneficiis. Vide Emanuelem Sà v. Beneficium, numero 27. vbi pro eadem sententia citat Nauarrum.

98 Dico Tertiò, In ceteris beneficiis non requiritur certus ordo præuius; sed sufficit prima tonsura, & habilitas ad suscipiendum intra annum ordinem beneficio conuenientem. patet ex Clement. Vt ij, de ætate, qualitate, & ordine præfic. excipio tamen Episcoparum, ad quem requiritur saltem subdiaconatus. cap. A multis. 9. extr. eodem. Hæc vera sunt Iure antiquo. Sed quia Concilium Tri- *Dispositio Conc. Tridentini.* dent. quædam nouo Iure de his disposuit, explicandum breuiter, qui ordines & intra quantum tempus ad singula beneficia requirantur.

99 *Adeptus Episcopatum.* Dico Quartò, Adeptus Episcopatum, si munus consecrationis intra tres menses non susceperit, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur. si totidem postea menses idem neglexerit, Episcopatu ipso Iure est priuatus. Ita Tridentinum sessione.23.cap.2.de reformatione.

100 *Adeptus parœciam.* Dico Quintò, Adeptus Ecclesiam parochialem, tenetur ordinari ad sacerdotium intra annum; quòd si intra hoc tempus promotus non fuerit, ipso Iure, nulla etiam monitione præuia, suo beneficio est priuatus. habetur cap. Licet Canon. 14. & cap. Commissa. 35. de electione in 6.

Vbi notandum Primò, Tempus, à quo incipit fluere prædictus annus, esse illud, ex quo pacificã possessionem habere cœpit, cap. Commissa, suprà.

Secundò, Hanc obligationem intelligendam cessante iusto impedimento: si enim illo tempore ægrotauit, vel in irregularitatem lapsus dispensationem obtinere nequiuit, vel Episcopus absens fuit, non censebitur priuatus, etiamsi intra tempus annuum non fuerit ordinatus; vt colligitur ex cap. Commissa, suprà. Ratio est, quia hæc priuatio constituta est in pœnam negligentiæ: pœna autem locum non habet vbi non est culpa. Item intelligenda est de Ecclesia parochiali cum cura in actu, id est, quam ipse beneficiarius per se obire debeat: secùs verò si solùm habeat curam in habitu; id est, si per Vicarium perpetuum vel temporalem sit administranda: hæc enim non necessariò requirit primo anno sacerdotium; vt docet Nauarrus l.3.consil.4.de præbendis.

Tertiò, Si promotus intra annum non fuerit, mox eo elapso esse priuatum, ita vt in conscientia teneatur beneficium dimittere. nam in cap. Licet Canon, dicitur, *Nulla etiam præmissa monitione sit priuatus.*

Dices, Pœna temporalis non debetur in foro 101 conscientiæ ante sententiam; atqui hæc est pœna *Obiectio.* temporalis: ergo.

Resp. Maiorem esse veram, quando est pœna *Resp.* propriè dicta, qua quis priuatur re aliqua, quæ omnino & absolutè sua erat; secùs quando pœna se habet vt priuatio rei, quæ nondum absolutè erat sua, sed solùm sub certa conditione; tunc enim eâ non impletâ, tenebitur rem illam restituere: quia solùm conditione impleta, absolutè erat futura sua. Sic officia, beneficia, & fructus eorum possunt à legitima potestate sub hac conditione concedi, vt si hoc vel illud factum aut omissum fuerit, teneamur in conscientia restituere: ita Nauarrus cap. 25. nu. 128. Lopez parte 2. Instructo. pag. 698. qui dicit hanc esse communem DD. sententiam. Fortasse meliùs diceretur illud beneficium fuisse absolutè ipsius, cùm fructus eius absolutè suos fecerit, nec teneatur eos restituere conditione non impleta: esse tamen priuatum ipso facto, si promotus non fuerit; quia resoluitur contractus seu collatio ex vi conditionis, quæ censetur fuisse apposita à principio, ex Iuris dispositione. potest enim quis rem suam transferre in alium, ita vt absolutè fiat ipsius, apposita tamen conditione, vt resoluatur contractus, si hæc vel illa conditio euenerit: vt patet ex dictis cap. 21. dub. 14. 15. & hoc credo velle Nauarrum. *Resoluitur collatio ex vi cõditionis quæ Iure censetur apposita.*

Quartò, Eamdem Ecclesiam non posse eidem 102 ea vice iteratò conferri, cap. Commissa, suprà; alioquin frustrà videretur disponi vt sit priuatus. vide plura infrà dub.26.

Petes Primò, Vtrùm pœna imposita Episcopis, intra tres vel sex menses non consecratis, eodem modo sit intelligenda?

Respondeo; Probabile est similiter esse intelli- 103 gendam, quia Concilium eodem modo loquitur. *Non tenentur titulũ dimittere ante sententiam.* *Ad restitutionem*, inquit, *fructuum perceptorum teneantur, & ipso Iure sint priuati.* Verius tamen videtur, Episcopum in conscientia non esse priuatum titulo ex dilatione consecrationis, nisi post sententiam: non enim Concilium addit, *vt nulla præmissa monitione sit priuatus*, aut *vt teneatur deserere Episcopatum*; sed solùm ait, *Ipso Iure sit Episcopatu priuatus:* quam formam loquendi ita passim in Iure consuetudo recepta interpretatur & mitigat, vt nemo teneatur officium vel beneficium, quo sic priuatus dicitur, dimittere ante sententiam: nisi alia clausula, quæ hanc benignam interpretationem excludat, apponatur. Satis enim censetur priuatus, si Iure illo perfecto, & quasi dominio, quo Episcopatum anteà obtinebat, pri-

uatus sit, retenta tamen eiusdem possessione; vt suprà cap.29. dub.8. ostensum est.

104 Petes Secundò, Vtrùm Episcopus non possit dispensare vt Parochus differat sacerdotium vltra annum?

Episcopus potest Parocho concedere 7. annos studiorum.

Respondeo, Posse, idque ob vnicam causam studiorum, & quidem ad septennium; modò tamen intra annum, quo debebat fieri Sacerdos, ordinetur subdiaconus; scilicet ne à statu Ecclesiastico possit resilire. quòd si intra annum non fuerit factus subdiaconus, ipso facto est priuatus Ecclesia: similiter si expleto septennio studiorum non fuerit intra annum factus Sacerdos. Ita habemus cap. Cùm ex eo, de electione, in Sexto. vbi Nota, hanc facultatem dispensandi videri Episcopis ademptam per Concil. Trident. sess. 22. c.4. de reformat. vbi sic dicitur, *Nec aliys in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatem & ceteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit prouisio.* vnde videtur requirere præsentem eruditionem. Sed contrarium est probabile: ita tenent Nauarrus & Lopez suprà, & quidã alij: quia quod ad scientiam attinet, non videtur velle inducere correctionem Iuris antiqui, (alioquin id clariùs explicare debuisset) sed solùm renouare id, quod Iure antiquo erat decretum, addita clausula irritante, in qua tacitè subintelligi potest exceptio Iure antiquo concessa, nempe *Nisi Episcopus causâ studiorum dispensauerit.* Itaque non est cur dicamus illis hanc potestatem ademptam.

Dico Sextò, Qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbendas, Portiones, ac quælibet alia beneficia in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis vel regularibus obtinent, quibus varia onera sunt annexa, (v.g. vt alij Missas, alij Euangelium, alij Epistolam dicant) tenentur intra annum, iusto impedimento cessante, ordines suo officio conuenientes suscipere. Ita Conc. Trident. sess. 22. c.4.

105

Qui negligunt ordinem suscipere.

Vbi Notandum Primò, Qui negligunt ordinem debitum intra annum suscipere, non ideò priuati sunt ipsis beneficiis; alia tamen incommoda incurrunt. Primò, Amittunt vocem in Capitulo non solùm passiuam, sed etiam actiuam; vnde electiones per tales factæ possunt irritari. Secundò, Potest & debet illis subtrahi dimidia pars distributionum chori. Tertiò, Peccant mortiferè, vbi Concilium est receptum; quia violant præceptum Ecclesiæ, vt patet ex verbo *Teneantur*; idque in re graui, ad quam etiam Iure naturæ obligantur, supposito tali beneficio; quia sine tali ordine non possunt præstare id, ad quod ex officio obligantur. per alios autem non possunt sine dispensatione; quia sunt onera personalia. Vnde patet, non esse paruum abusum, quòd passim altaria & cappellaniæ dentur pueris vel aliis, qui non sunt Sacerdotes: neque enim hoc Ius cum suis pœnis est nouum; nam idem constitutum fuit in Concil. Viennensi, vt patet Clement. Vt ij, de ætate & qualitate ordinandorum, & Concilium Trident. illius Concilij decretum innouat.

106

Præbenda Eccl. cathedralis.

Notandum Secundò, in Ecclesiis cathedralibus omnes Canonicatus habere annexum ordinem sacrum presbyterij, diaconatus, vel subdiaconatus, vt statuit Conc. Trid. sess. 24. c.12. de refor. Permittitur tamen Episcopis cum Capituli consilio, vt designent quibus canonicatibus quis ordo annexus esse debeat; ita tamen vt saltem dimidia pars sint presbyteri. Ex quo sequi videtur, omnes tales Canonicos, etiamsi eorum Canonicatus ex primæua institutione sacrum ordinem annexum non haberent; tamen vbi Concilium seruatur, teneri sub peccato mortali, & priuatione vocis in Capitulo, intra annum ad ordinem sacrum, saltem subdiaconatus, promoueri; quamuis fortè ex negligentia Episcopi non esset facta distributio & designatio, quæ præbendæ quem ordinem habere debeant: nam ipsum Concilium sua auctoritate annectit omnibus ordinem sacrum in genere; etsi velit ab Episcopo, cum consilio Capituli designari in particulari, quis cui connecti debeat.

Notandum Tertiò, Eos, qui post monitionem ordines debitos sumere recusant, ab Ordinario priuari debere suis beneficiis, vt Congregatio Cardinalium respondit.

His adde, Quando Ius aut statutum requirit aliquem gradum in eo qui eligendus vel præficiendus est, sufficere, vt tempore electionis sit habilis ad eum statum comparandum; vt si dicatur non esse conferendum nisi Doctori vel Licentiato. qui enim iam proximè habilis est ad aliquid, ita vt possit illud statim obtinere, perinde censetur, ac si iam obtineret. Confirm. Primò, Quia sacerdotium magis requiritur ad beneficium parochiale & cappellaniam, quàm gradus ad Episcopatum, archidiaconatum, vel præbendam Theologicam; cùm illud sit necessarium essentialiter ad illorum beneficiorum functionem. atqui Iura explicant, satis esse ad acceptandam Parochiam, vt intra annum possis fieri Sacerdos. Idem suprà dictum de cappellania: nec requiritur vt actu sis Sacerdos tempore collationis. ergo, &c. Confirm. Secundò, quia gradus non faciunt aptum functioni beneficij, sed solùm sunt testimonium publicum aptitudinis: atqui perinde est siue iam actu testimonium habeas, siue mox habere possis. Denique non est credibile, conditores talium Iurium & statutorum ita voluisse inhærere illi conditioni, vt eum qui actu eam non habet, velint censeri inhabilem: quia id non solùm videtur à ratione alienum, sed etiam bono Ecclesiæ noxium. Nam sæpè multi carentes gradu, doctiores & aptiores sunt gradu insignitis; qui omnes excluderẽtur, eò quòd actu gradum non habeant; cùm tum facilè possint illum capessere. idem praxis quotidiana declarat, cùm plurimi, facta electione, gradum suscipiant.

DVBITATIO XX.

Quænam ætas ad singula beneficia sit necessaria.

RESpondeo & Dico Primò, Ad Episcopatum requiritur ætas 30. annorum exactorum. habetur cap. Cùm in cunctis. 7. de elect. ex Concil. Lateran. sub Alexandro III. 107

Dico Secundò, Ad dignitatem Ecclesiasticam inferiorem Episcopatu, habentem tamen curam animarum, requiritur ætas 25. annorum saltem inchoatorum. habetur expressè d.c. Cùm in cunctis. §. Inferiora, & in Concilio Trident. sess. 24. cap. 12. vbi etiam d. cap. dispositio renouatur. Vnde patet, ad Abbatias, ad Prioratus conuentuales, ad Decanatus, ad Præposituras, ad Archidiaconatus, & similes dignitates, quibus cura animarum connexa, requiri & sufficere ex rigore Iuris annos 25. inchoatos.

Abbatia, Prioratus, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus.

Aduerto

Officium Abbatissæ.

Aduerte tamen, hîc non esse sermonem de officio Abbatissæ, Priorissæ, vel Præfectæ Monialium; quia hæc non sunt beneficia Ecclesiastica, de quibus hîc agimus; sed officia quædam cum iurisdictione. Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de Regularib. in omnibus huiusmodi Præfecturis requirit vt præficienda non sit minor 40. annis, & vt octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi posse. Si hoc incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex ijs, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligendam.

108 Dico Tertiò, Ad alias Dignitates vel Personatus, quibus non subest cura animarum, requiritur vt quis non sit minor annis 22. Ita Concilium Trid. sess. 24. cap. 12.

Vbi notandum Primò, Illâ formulâ, *Vt non sit minor 22. annis*, insinuari, annos 22. debere esse completos: qui enim nondum compleuit, est eis minor ætate. Secundò, Episcopum olim potuisse dispensare, vt hæ Dignitates, quibus animarum cura non incumbit, conferrentur anno 20. completo, vt habetur cap. Permittimus, de ætate & qualitate præficiendorum, in 6. Quod Siluester v. Beneficium, 3. n. 3. sub finem ex Paludano intelligit etiam de Archidiaconatu, quia non habet curam animarum in foro interiori, vt oporteat esse Sacerdotem. Verùm post Concilium, certum est non posse dispensare pro anno 20. quia apertè inducit nouum Ius, requirens vt minimùm 22. annos expletos. Addo, Archidiaconatum videri computandum inter Dignitates, quibus animarum cura connexa est; nam cap. Cùm in cunctis, §. Inferiora, apertè numeratur inter illas cum Decanatu, & requiruntur 25 anni. Idem insinuat Concilium Trid. suprà: vnde sententia Siluestri & Paludani non videtur vera.

Archidiaconatus.

Dico Quartò, Ad beneficium parochiale requiruntur 25. anni inchoati. cap. Licet Canon, de electio. in 6. Nec Episcopus in hoc dispensare potest, vt colligitur ex cap. Permittimus, de ætate & qualitate præficiendorum, in 6.

109 Dico Quintò, Ad alia beneficia, qualiacumque ea sint, requiritur vt minimùm ætas 14. annorum inchoatorum. Ita statuit Concil. Tridentinum sess. 23. c. 6. *Nemo ante 14. annum beneficium possit obtinere.* Itaque etiamsi olim poterant quædam beneficia post annum ætatis septimum pueris dari, vt docet Siluester v. Ætas §. 2. nunc tamen non possunt, sed irrita est collatio.

Quatuordecim anni in ceteris.

110 Aduerte tamen, Canonicatus, & similia quæ maturitatem concilij requirunt, numquam pueris dari potuisse sine dispensatione, vt ibidem Siluester. Imò Caietanus v. Beneficium, dicit esse intolerabile vt pueris Ecclesiastica beneficia dentur. Potest tamen Pontifex circa filios Principum, & quandocumque iudicat Ecclesiæ expedire, dispensare. Dixi *Vt minimùm*, quia ætas hæc 14. annorum etsi per se sufficiat, tamen ratione Ordinis, & habilitatis ad Ordines, quam Concilium Trident. requirit, sæpè exigitur maior ætas, vt patet ex dictis. Vnde sequitur, eum, qui accipit beneficium, quod requirit subdiaconatum, (vt sunt omnes Canonicatus Ecclesiæ cathedralis) debere inchoasse annum 21. nam debet esse habilis vt intra annum fiat subdiaconus; subdiaconus autem fieri nequit ante 22. inchoatum. Quòd si beneficium requirat diaconatum, debebit saltem inchoasse annum 22. vt in principio anni sequentis possit fieri diaconus. Si sacerdotium, debebit inchoasse annum 24. alioqui irrita erit collatio, vt colligitur sess. 22. c. 4. & sess. 24. c. 12.

Canonicatus nō dantur pueris.

Ætas in beneficijs Ordinē requirētibus.

In his tamen & similibus Iure nouo inductis, multi poterunt excusari, vel quia Ius illud non est receptum, vel quia bona fide per triennium fuerunt in possessione, absque simonia & intrusione: quæ possessio parit veluti vsucapionem & dominium, iuxta Nauarrum l. 3. consil. 42. de præbendis, de quo dictum suprà cap. 6. dub. 10.

Excusatio.

Dvbitatio xxi.

Quomodo requiratur cælibatus ad beneficium.

Respondeo & Dico Primò, Omnis collatio beneficij facta ei, qui matrimonio est iunctus, irrita est. colligitur hoc ex cap. 1. 2. & 8. de Clericis coniugatis, & ex Concilio Trid. sess. 22. cap. 4. Aduerte tamen, eum qui duxit virginem, si consentiente vxore castitatem voueret, posse ad beneficium admitti, vt habetur cap. 2. de Cleric. coniug. tunc tamen si vxor esset iuuenis, deberet antè Religionem ingredi; si prouectior, deberet saltem vouere castitatem in sæculo, vt notat Glossa ibid. ex cap Cùm sis. 4. & c. Ad Apostolicam. 15. de conuersione coniugat. 111

Beneficij collatio in coniugatū irrita.

Dico Secundò, Si clericus minorum Ordinum, habens beneficium, contrahat matrimonium, ipso Iure illud amittit. Ita communiter DD. in cap. 1. de Clericis coniugatis; & docet Nauarrus c. 25. n. 120. Ratio est, quia suscipit statum incompatibilem, imò sub hac conditione tacita censetur ei collatum. 112

Clericus minorum Ordinum.

Dices, Capite illo primo solùm dicitur, *esse compellendos vt beneficia relinquant*; & cap. 3. *debere beneficio spoliari*; & infrà, *esse beneficijs priuandos.* Idem dicitur cap. 5. Respondet Glossa, Canones istos loqui non de priuatione Iuris, sed facti seu possessionis. Nec obstat quòd cap. 5. dicitur, coniugatum non posse spoliari beneficio per eum qui illud ipsi contulit, sed solùm per Superiorem: quia loquuntur de coniugato, cui Episcopus in coniugio existenti contulit, quem iubet priuari, non per Episcopum, (vt consulat eius honori, ne ille proprium factum rescindere cogatur) sed per Superiorem.

Obiectio.

Resp.

Petes Primò, Quid si Clericus minorum Ordinum contraxerit matrimonium inualidè, ob aliquod impedimentum, vacabitne beneficium? Panormit. putat vacare, modò non defuerit consensus: hunc sequuntur multi alij DD. 113

Si matrimonium sit inualidè contractū.

Verius tamen puto contrarium; quia Canones apertè loquuntur de matrimonio valido, vt patet cap. 1. 3. 5. quia fundant se in eo, quòd non possit vxori & voluptatibus carnis dare operam, & diuinis obsequijs vacare; quæ ratio cessat, si matrimonium sit irritum: idem sentiunt multi docti viri in hac Vniuersitate à me consulti. Confirm. Si enim vacaret, vel id esset in pœnam delicti, vel ob tacitam renuntiationem, vel quia capessit statum incompossibilem. Non primum, tum quia

absque culpa potuit contrahere; tum quia pœna non debetur ante sententiam. Non secundum, quia etiamsi expresse renuntiasset, non vacaret: requiritur enim renuntiationis acceptatio facta per Superiorem. atqui tacitum non plus operatur quàm expressum. Non tertium, quia reuerà non assumpsit statum repugnantem, cùm actus sit inualidus. Confirm. Secundò ex reg. 52. de reg. Iuris, *Non præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.*

Si vxor ingrediatur Relig.

Petes Secundò, Quid si vxor ante consummationem ingrediatur Religionem?

Respondeo, DD. plerique existimant, beneficium nihilominùs vacare, ita vt retineri non possit, idque ex d.c.1 probant. Contrarium tamen alicui verius videri possit ob rationem allatam; tunc enim cessat ratio cur debeat relinquere: vnde nisi per Iudicem priuetur, non tenetur in conscientia. & confirmatur, quia id magis consentaneum verbis illius Canonis & sequentium, si rectè ponderentur. Nihilominùs non recesserim facilè à sententia communi DD. quæ in huiusmodi vim magnam obtinet.

114 *Sponsalia.*

Dico Tertiò, Si contrahat solùm sponsalia, non amittit ipso Iure, quamuis mereatur priuari. est communis DD. Primum patet; tum quia sponsalia solui possunt; tum quia Iura nihil de hoc statuerunt. Secundum patet; tum quia non potest retinere beneficium, si velit promissioni sponsalium satisfacere; tum quia dedecorat statum Ecclesiasticum, contrahendo sponsalia retento beneficio.

115 *Clericus sacrorum Ordinum.*

Dico Quartò, Si Clericus sacrorum Ordinum contrahat matrimonium, non amittit ipso facto beneficium, sed est priuandus. colligitur ex dicto cap.1. & ita docet ibidem Glossa communiter recepta. Ratio est, quia matrimonium est irritum, & compellendus est manere in Ordine susceptо, vnde non conueniebat vt ipso facto esset priuatus, ne fortè cogeretur mendicare.

Præbendæ laicorum.

Notandum est, hæc esse intelligenda de beneficio propriè dicto, quod competit alicui ratione spiritualis tituli: nam præbendas quasdam temporales ratione paupertatis, vel temporalis administrationis, laici coniugati habere possunt, quales dicuntur esse in Ecclesia Carnotensi S. Martini; vt refert Siluester, v. Beneficium. 3.q.4.

Dvbitatio xxii.

Vtrùm requiratur vt non sit vlla censura irretitus, aut alia inhabilitate affectus.

116 *Excommunicatus inhabilis.*

Respondeo & Dico Primò, Hoc adeò requiri, vt collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione maiore, aut suspenso, aut interdicto, sit nulla, iuxta communem D. sententiam. De *excommunicato* habetur c. Postulastis. 7. de Clerico excommunicato. De *suspenso* probant ex cap. Cùm dilectus. 8. de consuetudine. c. Cùm inter R. seniorem. 16. de elect. & c. Cùm bonæ. 8. de ætate & qualit. De *interdicto* colligunt ex cap. 1. de postulatione Prælatorum: quamuis ibi non dicatur inhabilis, qui est interdictus, sed qui interdictum violauit. videtur tamen consonum Canonibus, vt etiam ij, qui sua culpa interdictum personale incurrerunt, inhabiles sint: quia qui non possunt præstare officium publicè, vt in Ecclesia fieri solet, par est vt non sint capaces beneficiorum; vt colligitur ex Canonibus citatis. Dixi, *Excommunicato excommunicatione maiore*; quia si minore tantùm erat excommunicatus, collatio non est ipso facto irrita, sed irritanda; vt patet ex cap. Si celebrat. 10. de Clerico excommunicato. quamuis Glossa & multi alij illud *irritanda* exponant *irrita declaranda*. sed in pœnis mitior interpretatio facienda: & odia restringenda, vt habet regula Iuris. vnde hæc sententia videtur verior.

Omnis prouisio beneficiaria tali facta, est irrita.

Notandum Primò, Non solùm *collationem*, sed etiam *electionem, præsentationem & postulationem*, excommunicati, suspensi, & interdicti, & resignationem in eius fauorem esse irritam; vt colligunt ex iisdem locis, & aliis multis: & docent communiter DD. Rebuffus, §. Formula dimissoriarum, num. 24. Couarr. in cap. Alma. 1. p. §. 7. nu. 1. & 2. Glossa in cap. Postquam. 3. de elect. & alij.

Episcopatus.

Notandum Secundò, Hæc esse intelligenda in omnibus bnneficiis, quę potestate humana conferuntur, etiam in Episcopatu; quia Canones generatim de beneficiis loquuntur; nec vllus DD. aliquam exceptionem facit: & meritò; quia qui minorum capax non est, quomodo maiorum capax erit? Dico, quæ *potestate humana conferuntur*, vt excludam Papatum, qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo Domino confertur ei, qui secundùm formam in Ecclesia receptam à Cardinalibus electus fuerit: etiamsi ille excommunicatus, suspensus, aut irregularis sit; vt colligitur ex cap. Licet, vbi dicitur: *Ille absque vlla exceptione, ab vniuersali Ecclesia pro Romano Pontifice habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit & receptus.* vnde apertè sequitur, non obesse illi vllam censuram priorem, neque suam, neque eligentium. Idem de eligentibus statuitur Clement. Ne Romani. §. Ceterùm. causa statuendi fuit vt vitentur occasiones schismatum, quæ maximè sunt Ecclesiæ pernicioſa. cessat autem illo casu excommunicatio per seipsam: quia euectus in illam dignitatem non potest ampliùs lege excommunicationis, vtpote à pari constituta, constringi.

Papatus.

Probabilis sententia.

Notandum Tertiò, supradicta procedere iuxta communiorem DD. sententiam. Nihilominùs satis est probabile, etsi suspensio siue ab officio, siue à beneficio faciat hominem indignum collatione noui beneficij, & Canones velint eum priuari, & hac ratione possit dici inhabilis; non tamen ita esse inhabilem, vt collatio sit ipso Iure irrita, & ille teneatur beneficium, etiam post ablatam suspensionem, sponte dimittere. Id enim ex Canonibus non satis potest probari. Solùm enim ex illis colligitur, collationem esse irritandam, ipsumque esse priuandum, vt patet singulos expendenti: quæ formulæ loquendi indicant requiri sententiam Iudicis. Vnde in re tam dura & difficili non videntur extendendæ ad priuationem latæ sententiæ, & inhabilitatem absolutam. Quam sententiam veriorem esse docet doctissimus Suarez tomo de censuris, partim disput. 26. sect. 3. nu. 7. partim disp. 27. sect. 5. num. 25. Nec obstat cap. Cùm bonę, de ætate & qualit. quod maximè videtur vrgere; vbi de quibusdam suspensis Clericis dicitur, quòd non licet eis beneficium in suspensione obtentum aliquatenus retinere. Facilis est responsio. Non enim ibi tam ponderat Pontifex quòd absolutè in suspensione beneficium obtinuissent, quàm quòd in tali suspensione, nempe trien-

triennali.in qua per triennium contumaces perstiterant; quod indicant verba illa extrema: *Vnde Archiepiscopo dedimus in mandatis,vt eos pro tanta pertinacia & contemptu Apostolico, beneficijs quæ habent, non differat spoliare.* Quod confirmatur; quia non solùm de beneficiis in suspensione obtentis dicit Pontifex eos non posse illa retinere;sed idem omnino dicit de illis,quę ipsi ante suspensionem habebant.ac certum videtur,quòd non tenebantur hæc sponte dimittere.Tantùm ergo dicere voluit, fore turpe & scandalosum, si post tantam contumaciam permitterentur suis beneficiis frui, ac proinde à Superiore priuandos.Addo,credibile esse,tanto tempore aliquando officio Ordinum functos, ac proinde factos irregulares, & hac ratione ad noua beneficia factos inhabiles.

Quod diximus de suspensione, idem videtur probabile de interdicto: quia à Canonibus hîc minus præsidij. Nam c.1. de postulat.prælat. quo maximè nituntur, loquitur expressè de violante interdictum, non de eo qui solùm interdictus, vt suprà insinuatum. Quia tamen cui prohibita est functio aliqua, ei quoque prohibita censetur susceptio eius quod ordinatur ad illam functionem: ideò omnis collatio beneficij suspensis & interdictis facta, meritò est irritanda,& ipsi spoliandi; vt colligitur ex cap.fin.de Clerico exc. ministrante. Cùm enim non sint habiles ad officij functionem, non debent admitti ad beneficia, quæ propter officij functionem dantur.

117 *Si ignoret censuram.* Petes Primò, Quid si prouisus ignoret se excommunicatum, ignorantia probabili,eritne tunc electio & collatio beneficij irrita? Nauarrus in cap. Fratres,de pœnit.dist.5.n.45.absque hæsitatione docet validam esse: pro qua sententia citat Glossam secundam in c.Apostolicæ 9. de Clerico excommunicato ministrante, Felinum, & Cardinalem. Idem potiori ratione dici potest de suspenso & interdicto. Hæc sententia probabilis est.

Contrariam tamen puto veriorem cum Glossa communi,Abbate,& aliis in dictum cap.Apostolicæ; & ita seruatur in praxi: nam Papa ad cautelam solet absoluere à censuris, dum alicui de beneficio prouidet; scilicet ad effectum dumtaxat præsentis collationis consequendum. Ratio est, quia etsi ignorantia excommunicationis valeat ad non incurrendam irregularitatem & alias pœnas, ijs, qui aliquid prohibitum in eo statu fecerint, statutas;non tamen ad habilitandum hominem ad ea, ad quæ per illam est inhabilis. vide Couarruuiam in cap.Alma mater.p.1.§.7.n.3.

118 *Acceptatio in excommunicat. est valida pro tempore absolut.* Petes Secundò, Quid si alicui facta sit collatio ante excommunicationem, qui posteà in excommunicatione acceptet,eritne valida acceptatio?

Respondeo, Communior sententia DD.est, illam acceptationem in excommunicatione factam valere:quam refert Couarr.l.3.variarum cap.16. n.4.& in c.Alma,suprà n 4. eique fauet praxis,vt ibidem ait.ratio est,quia iam ante excommunicationem censetur illi ius quæsitum per collationem: acceptatio enim,seu consensus non tribuit nouum ius,cùm fiat priuata auctoritate; sed solùm declarat consensum beneficiarij cupientis collatum sibi ius retinere.Sed hæc ratio non videtur firma; quia etsi per talem collationem acquirat ius ad rem, non tamen in re,nec facit illud suum;ad hoc enim requiritur acceptatio,vt ostensum c.18.dub.6. de promissione & donatione: & apertè colligitur ex cap. Si tibi absenti. 17. de præbendis,in 6. Itaque cùm illo tempore sit incapax noui iuris acquirendi, non videtur acceptatio pro illo tempore esse valida, sed pro tempore, quo desinit esse excommunicatus: tunc enim acceptatio prior, quæ adhuc censetur manere, cùm non sit reuocata,habebit effectum; nec opus erit noua acceptatione. Ita Couarruuias suprà. Simile est cùm quis electionem,postulationem,confirmationem,vel gratiam expectatiuam factam sibi ante excommunicationem acceptat in excommunicatione, vel cùm Canonicus senior optat præbendam lautiorem in tali censura. Valet enim talis acceptatio, etsi effectus eius quod est ius liberum, suspendatur vsque ad absolutionem: qua posita,statim sequitur ille effectus absque nouo consensu.

119 *Si electio, præsent.vel collatio facta sit excommunic. & post absolut. acceptetur.* Petes Tertiò, Vtrùm è contrario, si is qui in excommunicatione est electus aut præsentatus, fiat capax per absolutionem, priusquam accepter electionem vel præsentationem,acceptatio sit valida? Similiter si collatio facta sit existenti in censura; vtrùm valida sit acceptatio facta post absolutionem. Multi DD. putant huiusmodi acceptationem validam esse; imò etiamsi acceptaueris electionem, præsentationem, collationem, aut institutionem cum impedimento excommunicationis vel irregularitatis, nihilominùs sublato eo impedimento per dispensationem vel absolutionem, illum actum conualescere, & ius tribuere in foro conscientiæ, ita vt noua electione, præsentatione, aut collatione opus non sit. Ita docent Speculator, Innoc. Hostiensis,Ioannes And. Butrio, Anchar.Sapia,Calderinus,Milis,Felinus, Nauarrus, & Borgasius:quos refert Sancius lib.8 de dispensationibus disput.7. nu.12. eorumque sententiam dicit probabilem ac tutam cum his limitationibus.Primò,Vt impedimentum sit occultum,alioquin actus nullum haberet colorem,sed esset planè irritus in foro externo. Secundò,Vt id in nullius cedat præiudicium. Si enim duo electi essent, præferendus esset qui caret impedimento; quia hic solus absolutè ius habet. Tertiò, Vt si sciens suum impedimentum, acceptaret collationem beneficij, non solùm impetret dispensationem illius impedimenti prioris, sed etiam illius quod incurrit per talem acceptationem. ita enim acceptando beneficij collationem, incurrit vitium intrusionis, per quod fit inhabilis ad idem beneficium (etsi non ad alia, vt infrà dicetur) vnde etiam eget dispensatione huius impedimenti; qua obtenta poterit beneficium retinere. Quæ sententia sic probari potest. Nam electio illa fuit valida & efficax ex parte eligentium, vt supponitur, (idem dicendum de præsentatione & collatione) sed solùm requiritur capacitas in electo. ergo simulatque fuerit capax factus sublato impedimento, ex vi prioris actus ius acquiret: sicut cùm quis acceptat in excommunicatione collationem sibi factam ante excomunicationem, sublato illo impedimento ius acquirit absolutum ex vi illius acceptationis, vt ante dictum est. Deinde, quia electores in priore voluntate manere censentur, cùm illam non reuocarint; ergo vis electionis manet: ac proinde poterit eam sublato impedimento validè acceptare. Denique, is cuius professio fuit irrita ob aliquod impedimentum, vt ob defectum ætatis, vel quia nondum completus annus probationis, sublato impedimento potest manere in religione,

& ratificare suam professionem absque noua admissione Prælati, vt infrà c.41.dub.7.n.64. dicetur. ergo similiter in nostro casu sufficit vt impedimento sublato, acceptet apud se electionem vel collationem præteritam. Eamdem sententiam tenet Henriquez de excommunicatione cap.13.

Verius est non esse validam.

Sed contrarium est probabilius, & tenet Nauarrus cap.27.n.194.Panorm.cap.Innotuit.n.11. de electione, & alij passim. Probatur Primò, quia Canones sacri absolutè irritam reddunt electionem habentis tale impedimentum, nec meminerunt acceptationis. Deinde, electi, præsentati, vel prouisi in excommunicatione, vel alio impedimento, facilè possent differre acceptationem, & interim curare se absolui;& ita nihil illis illud impedimentum obesset: quod videtur contra mentem Canonum. Tertiò, quando contractus vel consensus alicuius est irritus ob impedimentum occultum alterius partis, non satis est tolli illud impedimentum,sed opus est,secundùm veriorem sententiam, nouo consensu alterius; vt patet in contractu matrimonij. ergo similiter hîc opus est nouo consensu electorum, quo confirment priorem actum,aut velint in eo perstare. Quòd si impedimentum eis fuerit notum, non opus est nouo consensu, sed sufficit eos sublato impedimento in priore consensu perseuerare, vt docet Panorm. in d.cap. Innotuit. 20. num.11. de electione. Ex his vtcumque soluas rationes sententiæ diuersæ. Ad Primum dici potest, id habere locum quando electores sciunt impedimentum. (quando enim crimen illorum est occultum, non sunt omnino priuati iure eligendi ante sententiam, vt multi probabiliter docent.) secùs quando nesciunt: tunc enim error censetur causa consensus, qui proinde illum reddit inualidum ex parte eligentium. Neque est simile quod affertur de acceptatione electionis factæ ante impedimentum.

Ad Secundum,patet ex dictis. Ad Tertium, dicendum infrà cap.41.dub.7.n.64.

Præter censuras propriè dictas sunt alia quædam impedimenta acquirendi beneficij, vt Irregularitas, Inhabilitas prouenies ex eo quòd quis sit filius hæretici, vel quòd ad preces hæretici obtinuerit beneficium; vel quòd in beneficio commiserit simoniam, vel quòd sit intrusus. Non enim omnis inhabilitas ad beneficia est propriè censura, vel etiam irregularitas, sed sunt quædam inhabilitates ab illis distinctæ,vt patebit ex dicendis.

120 *Irregularis.*

Dico igitur Secundò, Etiam requiritur vt non sit irregularis; alioquin collatio erit nulla. Est communis sententia, quam tenet & probat Nauarrus cap.27.n.251. & Panor.in cap.Tanta. 18. de excessibus Prælatorum. Ratio est,quia inhabilis ad vnum, est inhabilis ad ei annexum: at irregularis est inhabilis ad Ordines & eorum vsum, ergo etiam ad beneficium Ordini annexũ. Deinde irregularis in Iure dicitur egere dispensatione, etiam ad beneficiũ simplex,vt patet Can.Studeat. d.50.& c.2 de Clerico pugnante in duello. Confirmatur, quia collator non intendit conferre, nisi secundùm Canones; ergo cùm subest irregularitas, deest ei intentio conferendi, ac proinde collatio est irrita:sicut impetratio gratię est irrita,quando celatur illud quod impediret concessionem.

Dices, has rationes non conuincere. Nam irregularis non est inhabilis ad recitandum priuatim Officium diuinum: at multa beneficia non requirunt amplius; vel si quid amplius oneris habeant, (v.g. aliquot Sacra) id potest præstari per alium; ergo saltem talium beneficiorum nõ erit incapax. Deinde etsi irregularis sit inhabilis ad Ordines, non tamen collatio Ordinum ipsi facta est irrita; ergo similiter etsi dicatur inhabilis ad beneficiũ, collatio beneficij non erit irrita. Vt enim dicatur quis inhabilis, sufficit vt habeat tale impedimentum, cum quo non possit sine peccato obtinere. Nec refert quòd istis Canonibus dicatur egere dispensatione; tum quia ibi agitur de clerico homicida, (homicidium autem peculiari ratione impedit collationem & retentionem beneficij, non solùm ob irregularitatem,sed quia Canones iubẽt illum priuari, vt patet cap.1. de homicidio, in 6.) tum quia sine dispensatione nullus irregularis potest licitè beneficium obtinere aut retinere. Nec obstat quòd Canones vetent talibus dari beneficia: quia inde tantùm sequitur id esse illicitum, non autẽ esse irritum. Imò non est censenda irrita collatio ex vi alicuius prohibitionis, nisi expressè addatur, vt si contrà factum sit, censeatur irritum & inane, vt expressè habetur cap. Si soli 6. de præbendis,lib.6. Atqui nullus est Canon, qui habeat clausulam irritantem: ergò. Denique non vrget confirmatio. quia error, qui non est circa causam principalem donationis vel contractus, non reddit illum irritum,vt ostensum est c.17. dub.5. Itaque non desunt graues DD. qui doceant hanc collationem non esse irritam,sed irritandam à Superiore. Ita expressè Innoc. in cap. Cum nostris, de concess. præbendæ: vbi dicit,*quòd homicida & alij irregulares sine dispensatione iuste tenent dignitates suas, quousque renuntient, vel deponantur, etiamsi tales essent tempore collationis vel electionis*.Et Petrus de Ancharana in reg. Peccati venia. in 1.Opp.lib.6.*Illud autem certum est,quòd si homicida promoueatur ad beneficium, recipit titulum.* Quod confirmat ex Innoc. suprà. Idem docet Felinus in cap. Inquisitionis,n.6.7.8. de accusat.vbi præter prædictos citat pro hac sententia Rotæ Decisiones & Calderinum. Eamdem sententiam expressè docet Glossa Raimundi,& Siluester v. Excommunicatio, 4. n.4. illam Glossam adducens. Sequuntur aliqui recentiores:& quidam expressè dicunt, in rigore Iuris hanc sententiam esse probabilem. Et iuxta illam peccaret quidem irregularis beneficium acceptando, vel retinendo, solùm tamen egeret dispensatione irregularitatis ad illud licitè retinendum.

Nihilominùs in praxi sentio adhærendum nostræ assertioni tamquam securiori, etsi rationes supradictæ illius non omnino conuincant. Primò quia est communis, à qua non facilè recedendum in praxi. Secundò,quia videtur omnino consentanea praxi & stylo curiæ Romanæ: stylus autem seu consuetudo curiæ in iudiciis, Ius facit. Tertiò, quia Canones facilè ita possunt intelligi, & plerique DD. ita eos intellexerunt. Non enim antiquiora illa Iura ita distinctè & diserte omnia exprimunt; sed satis est vt dicant,talem non posse beneficium obtinere. Ex communi autem sententia DD. facilè nascitur consuetudo, quæ instar Iuris habeat.

Notandum tamen Primò, Eum, qui sacro Ordine diaconatus vel subdiaconatus est initiatus, posse fieri irregularem ad suscipiendum sacerdotium; *Irregularis secundùm quid.*

tium; ita tamen vt non sit irregularis ad functionem Ordinis susceptj, v.g. ad canendum Euangelium vel Epistolam: & Sacerdotem amissis aliquot digitis fieri posse inhabilem ad celebrandum; ita tamen vt maneat idoneus ad audiendas confessiones; quo euentu poterit ei conferri beneficium, quod non requirit aliud ministerium, quàm illud ad quod ille aptus remansit, vt rectè Nauarr. sup.

Reualidatio tituli. Notandum Secundò, Quando titulus inualidè collatus fuit ob censuram, irregularitatem vel inhabilitatem, quæ per Episcopum tolli poterat, Episcopum, sublata illa inhabilitate, non posse titulum reualidare, si prima collatio ad Pontificem pertinebat: hæc enim reualidatio fieri debet per eum, cuius est beneficium primò conferre. Si tamen iusta causa subsit, vt si esset vir benè meritus, & pro ratione sui status indigens, & cui sine scandalo vix liceret beneficium deserere, quique ob paupertatem non posset commodè Romam confugere, posset Episcopus ei titulum reualidare ex tacito quodam S. Sanctitatis consensu, vt multi recentiores tenent, teste Henriquez cap. 14. de excommunicatione. Idem dicendum putant aliqui, & potiori ratione, si iusta causa subsit, & collatio ad alium pertineat, apud quem iste infamaretur si se aperiret; id enim suadere æquitatem, (præsertim cùm prior quantum in se est, suam collationem iam antè in illum fecerit) & meritò posse præsumi hanc esse S. Sanctitatis mentem, quæ in hoc casu titulum reualidare potest. quare si ille non potest Romam confugere, concedi Episcopo, sicut in casu priore.

121 *Hæretici & filij eorum.* Dico Tertiò, Omnes hæretici, credentes, receptatores, defensores, & fautores, ipsorumque filij & nepotes per lineam masculam, sunt inhabiles ad omne beneficium Ecclesiasticum & officium publicum: item qui ad preces talium Ecclesiasticum beneficium scientes obtinuerunt, sunt inhabiles ad illud & ad alia omnia. Prior pars habetur c. Quicumque. 2. §. Hæretici, & c. Statutum. 15. de hæreticis, in 6. Altera habetur d. cap. Quicumque. §. Ad hæc, eodem.

Quorum hæreticorum filij. Notandum Primò, Quod hîc de filiis & nepotibus hæreticorum, credentium, fautorum, &c. dicitur, esse intelligendum de filiis eorum, quos tales adhuc esse, vel in tali statu decessisse constat; non autem eorum, quos constat esse emendatos; vt expressè habetur cap. Statutum. Imò quidam recentiores requirunt vt parentes sint damnati de illo crimine; quia cap. Statutum, dicitur, *Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur.* vbi videtur requiri vt id *probatum sit in iudicio.* quæ sententia non displicet quibusdam in iis locis, vbi ob multitudinem hæreticorum non censetur infamia esse filium vel nepotem hæretici, secùs verò in aliis. Sed reuerà non est ea mens Canonis: si enim ageretur de probatione in iudicio, dicendum erat non qui tales esse vel decessisse *probantur*, sed *probati legitimè fuerint*; debuisset enim probatio præcessisse: idque non in solis defunctis, sed etiam in viuentibus. Vnde nec filij hæreticorum viuentium essent incapaces, nisi in iudicio probatum sit parentes iam esse hæreticos, & fuisse tales ante filiorum procreationem. *probantur* ergo idem est quod *noscuntur*, ita vt publicè de eorum hæresi constet. quæ forma loquendi valdè frequens est B. Gregorio, quem alij Pontifices libenter sequuntur. Itaque comprehenduntur omnes illi, quos passim constat vel adhuc tales esse, vel tales decessisse. Prætereà illud intelligendum de filiis post hæresim natis, vt docet Simanchas in Enchir. c. 36. & alij. hi enim soli labem, sui ortu à tali parente contrahere videntur. Qui autem antè nati sunt, non censentur per hæresim parentis superuenientem inquinari. Denique de iis, quos constat filios esse talium; si enim res sit occulta, non adfert illis infamiam. Addunt tamen quidam, etsi supradicti filij sint inhabiles ad beneficia, posse tamen ordinari; quia Iure non prohibentur. Sed credo stylum Curiæ obstare, qui seruari debet. Imò si quis benè aduertat, deprehendet ipsum Ius obstare. Nam d. §. *Hæretici*, dicitur: *Ad nullum beneficium seu officium publicum admittantur. quod si secùs factum fuerit, decernimus irritum & inane.* At nomine officij publici, etiam Ordines continentur. Vnde suspensus generatim ab Officio, est suspensus ab Ordinibus, etsi non sit suspensus à beneficio. Addo nullam esse rationem admittendi ad Ordines, præsertim sacros, eos qui ab omni officio publico, vt Iudicis, Notarij, Aduocati, &c. excluduntur. vide Glossam ibidem. *Posse ordinari.*

Notandum Secundò, Si mater sit hæretica, pater autem non sit, tunc nepotes non sunt inhabiles, sed filij soli. cap. Statuimus, suprà.

Notandum Tertiò, Hanc pœnam extendi ad eos, qui hostiliter insecuti sunt Cardinales vel Episcopos, & ad filios nepotesque illorum, c. Felicis, de pœnis, in 6. & Clement. 1. de pœnis.

Dico Quartò, Triplex simonia inducit inhabilitatem ad omnia beneficia; nimirum simonia confidentiæ, simonia in electione Papæ, & in examine ad parœcias. de quibus infrà c. 35. nu. 147. & 148. alia autem simonia realis in beneficiis inducit inhabilitatem solùm ad idem beneficium in quo admissa est, non ad alia; de quo vide infrà cap. 35. nu. 139. 122 *Inhabilitas ad omnia.*

Dico Quintò, Intrusio in beneficium adfert etiam inhabilitatem ad idem beneficium; non tamen ad alia. Colligunt id DD. ex variis textibus Iuris Canonici, vt videre est apud Felinum cap. In nostra. 32. n. 11. de rescriptis. & cap. Veniens. 15. notab. 2. de accusationibus. Est autem *Intrusio* in beneficium, (vnde quis dicitur intrusus) cùm quis sciens absque canonico titulo beneficium accipit aut retinet: vel cùm quis accipit aut retinet beneficium sciens nullum ius (saltem perfectum) sibi in eo competere, vt ex multis probat Couarr. l. 3. variarum, c. 16. n. 7. Hoc autem fit multis modis, vt refert Felinus locis citatis, Rebuffus in Praxi beneficiorum, Regula de subrogandis, Glossa 4. Ludouicus Gomez. in Regulam de triennali possessore, 47. 123 *Intrusio.*

Primus est, cùm quis non Superioris, sed sua vel parentum auctoritate occupat beneficium: vt sunt illi, qui nullum habent titulum, iuxta Innoc. in cap. Nihil, de electione. Hos enim esse inhabiles ad illud, colligunt ex cap. Ad aures. 3. de excessibus Prælatorum, vbi tales per censuras dicuntur cogendi dimittere beneficium sic occupatum. & cap. Quia diuersitatem. 5. de concess. præbendæ. dicitur, cum qui sine collatoris auctoritate se intruserit, cogendum dimittere, etiamsi à Sede Apostolica confirmationem obtinuisset; scilicet non facta mentione intrusionis, vt notat Glossa.

Secundus est, cùm is, contra quem est lata sententia depositionis, à qua non est appellatum, reti-

net beneficij possessionem. Ita Innoc. in cap. Qualiter, 24. de accusationibus. Hic enim propria auctoritate beneficium retinet.

Tertius modus locum habet in tribus casibus. Primus est, cùm quis electus dumtaxat, ingerit se ante confirmationem electionis, administrationi, tamquam verus possessor. Secundus est, cùm quis est confirmatus, sed illa confirmatione à Superiore cassata, retinet adhuc administrationem. Tertius casus est, cùm præsentatus seu nominatus ingerit se administrationi ante institutionem.

In primo casu est priuatus ipso facto omni iure quod per electionem habebat; vt patet per cap. Auaritiæ 5. de electione, in 6. quod Glossa v. Priuatos, cum Ioanne Andrea & Ioanne Monacho intelligit de eo, qui quæsito aliquo colore administrationi se ingerit. v. g. sub ficto titulo œconomi aut procuratoris. secùs de eo, qui absque huiusmodi colore id facit. hunc enim tantùm esse per sententiam priuandum suo iure per electionem obtento.

In secundo & tertio casu solùm videtur priuandus per sententiam. id enim apertè insinuat Glossa & Auctores citati: cùm dicunt, etiam electum administrationi se ingerentem ante confirmationem, Iure antiquo non fuisse priuatum, sed solùm priuandum per sententiam. ergo cùm Ius nouum in cap. Auaritiæ, solùm disponat de electo, non autem de præsentato vel confirmato, cuius confirmatio est cassata, non erit pœna electi ad hos extendenda, sed solùm pœna Iuris antiqui, quod iubet tales priuari per sententiam, iuxta Glossam. Confir. Quia cap. Cùm iamdudum. 17. de præbend. & dignit. & cap. Bonæ. 1. de electione, quæ maximè huc pertinent, solùm iubent tales priuari. Rebuffus tamen supra nu. 8. dicit, intrusum in prædictis tribus casibus esse ipso Iure priuatum omni iure quod habebat; idem tenet Ancharanus consil. 51. Sed fortè solùm volunt, talem non posse beneficium illud obtinere, nisi cum eo dispensetur ob quamdam inhabilitatem illa sui intrusione contractam. Aliud enim est fieri inhabilem, aliud ius acquisitum amittere, vt etiam docet Couarr. suprà n. 7.

Quartus modus est, cùm quis accipit titulum & possessionem à non habente potestatem; vt si alius erat collator: vel si iste à quo accepit, erat nominatim denuntiatus de excommunicatione aut suspensione ab officio. Colligitur ex cap. Quia diuersitatem. 5. de concess. præbend. & cap. fin. de excessibus Prælatorum.

Quintus est, cùm quis accipit beneficium, quo alter iniustè & præter ordinem Iuris est priuatus, cap. fin. de excessibus Prælatorum.

124 Sextus est, cùm quis vi occupat possessionem beneficij, cap. Eum qui. 18. de præbend. in 6. Hic perdit omne ius quod in beneficium illud per electionem, præsentationem, aut collationem habebat, vt ibidem dicitur. Aduerte tamen, hunc non dici propriè intrusum, si anteà collationem habebat, sed violentum, vt notat Dominicus in cap. Eum qui. & Ioannes Milis in Repertorio, v. Intrusus videtur: si tamen beneficium sic occupatum retinuerit, dicetur intrusus secundùm eosdem, quia ius omne amisit. Sed hoc benè refutat Couarr. de sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 8. quia non tenetur dimittere beneficium ante sententiam, sicuti nec in aliis casibus, vbi priuatio beneficij obtenti ipso facto ob crimen statuitur. Vide suprà cap. 29. dub. 8. num. 63. Quòd si beneficium à nemine possidebatur, & is cui collatio facta est, possessionem vacuam propria auctoritate apprehendat, non incurret pœnam cap. Eum qui; nec amittet ius suum. quia hoc cap. in illo casu non loquitur, sed tantùm cùm alter è possessione est deiiciendus, vt ex communi sententia DD. tradit Couarr. lib. 3. variarum, cap. 16. nu. 7. Simili modo legatarius propria auctoritate occupans rem sibi legatam, etiam post aditam hereditatem, priùs tamen quam possessio ab herede fuerit apprehensa, non amittit ius quod in ea re habebat, vt docet Glossa in L. Non est dubium. C. de legatis. secùs si possessione iam apprehensa, vt patet ex dicta L. Non est dubium. An autem qui ita beneficij possessionem accipit, possit puniri, & an ea possessio habeat effectus veræ possessionis, vide Couarr. n. 8. suprà.

Si habebat collationē.

Septimus est, cùm quis sine canonico & legitimo titulo scienter beneficij collationem & possessionem accipit. ita Rebuffus suprà n. 5. & Nauar. cap. 27. n. 194. vt si quis in excommunicatione vel irregularitate sciens beneficium accipiat. Hunc Nauarr. dicit fieri inhabilem ad idem beneficium impetrandum: vnde non solùm egere dispensatione ratione censuræ, sed etiam rehabilitatione ratione illius intrusionis contracta. non ramen efficitur quis intrusus, si electionem vel præsentationem in excommunicatione sciens accepet: hoc enim non est accipere beneficium.

Octauus est, cùm quis electioni per abusum laicorum de se factæ consentit. Hic fit inhabilis non solùm ad idem beneficium, sed etiam ad alia omnia; etiamsi nec collationem nec possessionem acceperit. ita habetur cap. Quisquis. 43. de electione. Hic tamen propriè non est intrusus; quia nondum occupat beneficium.

Notandum est, Etsi in prædictis modis non semper incurritur priuatio Iuris acquisiti ipso facto, sed solùm vbi id à sacris Canonibus inuenitur statutum: tamen incurritur inhabilitas ad idem beneficium obtinendum; ita vt in impetratione talis beneficij debeat fieri mentio intrusionis, vel certè ante impetrationem curanda rehabilitatio: alioquin gratia seu collatio erit irrita; vt docet Nauarr. cap. 27. num. 194. Rebuffus suprà, n. 26. & probat Felinus in cap. Postulasti. 27. nu. 14. 15. 16. de Rescriptis: quem sequuntur alij.

DVBITATIO XXIII.

Vtrùm requiratur morum probitas.

125 *Probitas requisita.*

RESpondeo & Dico Primò, Iure naturæ requiri morum probitatem, scilicet vt non sit deditus grauibus peccatis, nec infamis. Ratio enim dictat, ministros Dei & Ecclesiæ maximè debere virtutibus esse ornatos, cùm monitis, exemplis, & piis precibus alios debeant in pietate promouere. Dominus quoque Matth. 24. requirit vt sint *prudentes* & *fideles*: fidelitas autem in munere Ecclesiastico, potissimùm in charitate fundatur; vnde c. 7. Cùm in cunctis. de electione, ex Concil. Lateran. *In cunctis sacris ordinibus & Ecclesiasticis ministeriis, ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum scientia sunt inquirenda.* & Conc. Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. morum,

morum, hanc probitatem strictè requirit. Et sanè huius conditionis in electionibus, præsentationibus, & collationibus potissima ratio est habenda; nam ex huius neglectu ferè pernicies Ecclesiæ manauit, vt sæpè queritur Rebuffus. Sicuti enim is qui improbis est moribus, maximè Ecclesiæ obest, etiamsi alioqui sit eruditus; ita valdè probus, etsi aliquid scientiæ vel habilitatis defuerit, plurimùm proderit: quod enim per se non poterit, curabit suppleri per alios. Ipse quoque cùm suo exemplo plus proderit doctrinâ & concionandi gratia mediocri, quàm alij magnâ, bonis exemplis destitutâ.

126 *Criminosus.* Dico Secundò, Collatio tamen facta criminoso, non est ipso Iure irrita, nisi illud crimen annexam habeat censuram, vel aliquam irregularitatem. Ita Nauarrus cap.27. num. 251. & in cap. Si quando. exceptione 16. & 17. Est tamen irritanda ab eo qui potestatem habet; vt patet ex cap. Inter dilectos, de excessibus Prælatorum.

Dvbitatio xxiv.

Quænam scientia sit necessaria.

127 Respondeo, Eam scientiam ad quodque beneficium requiri, quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum est necessaria, vt patet ex Concil. Lateranensi. cap. Cùm in cunctis, de elect. estque ratione naturali per se euidens. Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. requirit, vt is qui futurus est Episcopus, *sit Doctor aut Licentiatus in Theologia, vel Iure Canonico; aut saltem publico alicuius Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur.* *Episcopus.*

Vbi aduerte, ea omnia & singula, quæ Concilium Trident. constituit de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & ceteris qualitatibus, seruanda esse in creandis Cardinalibus; vt eadem Synodus sess. 24. cap. 1. de reform. decernit. vnde pari eruditione instructi esse debent; & meritò, cùm sint Summi Pontificis in causis fidei & morum intimi Consiliarij, & summus orbis terrarum Senatus. Eamdem conditionem cap. 12. requirit in Archidiaconis; quia, inquit, oculi Episcoporum dicuntur. In ceteris nihil certi præscribitur; sed quisque debet esse instructus scientia muneri suo necessaria, quæ vtrùm adsit, iudicabit Episcopus & examinatores. quia nemo sine examine ad quodcumque demum beneficium admitti debet, vt statuit idem Concilium sess. 7. c. 13. & sess. 25. c. 9. vbi etiam reddit irritam institutionem factam ab eo, qui inferior est Episcopo, nisi institutus, fuerit antea ab Episcopo examinatus. *Cardinalis.* *Archidiaconus.*

128 *Examen necessariũ vt benefic. possit obtineri.* *Qui eximantur.* Excipiuntur tamen præsentati & nominati ab Vniuersitatibus ad beneficia non parochialia: hi enim non sunt examinandi; vt patet sess. 7. cap. 13.

Petes, Vtrùm collatio, facta ei qui non habet scientiam requisitam, sit irrita?

129 *Omnino illitteratus.* Respondeo, Si omnino est illitteratus, est irrita, vt docent plerique DD. cum Panorm. in cap. Dudum. 1. de electione, & Innoc. in c. 7. Cùm in cunctis, eodem titulo. quod fusè probatur à Nauarro in cap. Si quando. exceptione 16. & confirmatur ex Trident. Concil. sess. 22. cap. 4. vbi *irrita decernitur omnis prouisio facta ei, qui ætatem & ceteras habilitates integre non habuerit.* ratio est, quia planè illitteratus nullo modo officium præstare potest: de quo vide plura apud Nauarr. in dictum cap. Si quando. Si autem aliquam scientiam habeat, ita vt aliquo modo possit satisfacere officio, non est quidem irrita, posset tamen & omnino deberet irritari; nisi breuî putaretur habiturus sufficientem. colligitur ex cap. Nisi. 10. de renuntiatione: tenet Innocent. in cap. Cùm in cunctis, de electione, quem ceteri sequuntur. *Mediocris.*

Dvbitatio xxv.

Quæ aptitudo ex parte corporis sit necessaria.

130 *Aptitudo corporis.* Respondeo, Eam aptitudinem requiri, quæ necessaria est ad decenter præstandum officium: hæc enim Iure naturæ necessaria est; (vt colligitur ex cap. Nisi, de renuntiatione) ita vt collatio facta ei, qui hac aptitudine caret, sit irrita; vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. Hinc cæcus est incapax; quia preces Canonicas recitare nequit. *Cæcus.*

Notandum tamen, si debilitas aliqua superueniat, per quam reddatur ineptus ad officium; non ideò priuari beneficio antè obtento, sed posse eo liberè frui. si tamen habeat curam animarum, prouidere debet vt per Vicarium benè administretur.

Dvbitatio xxvi.

Quæ & qualis intentio sit necessaria.

131 *Intentio status Ecclesiastici.* Respondeo & Dico Primò, Ad omne beneficium requiri determinatam intentionem status Ecclesiastici, & ordinis muneri suo necessarij. Est communis DD. non enim par est vt Ecclesiastica beneficia dentur iis, qui nondum statuerunt se ministerio Ecclesiæ mancipare.

Sed dubium est, vtrùm quis ita absolutè debeat sibi statum Ecclesiasticum præfigere, vt non possit habere propositum deserendi, si lautior conditio in sæculo se obtulerit? Respondeo, &

Intentio determinata esse debet. Dico Secundò, Satis esse, si sincerè & bona fide proponat statum Ecclesiasticum, nec velit ab eo proposito resilire, nisi causa aliqua iusta inciderit, v. g. nisi frater primogenitus moriatur; vel nisi opimum matrimonium, ad conseruandam magnam familiam vel ad lites extinguendas necessarium, oblatum fuerit. Ita Nauarrus cap. 25. num. 118. ratio est, quia non est mens Ecclesiæ, per beneficium ita firmiter ad statum Ecclesiasticum obligare, vt nullam ob causam possis deserere; hoc enim nimis durum esset, & sæpè rationi non satis consentaneum; nam maiora bona impedirentur.

132 Dico Tertiò, Qui accipit beneficium eo tantùm animo vt eius fructibus alatur donec studia absoluerit, vel opulentam vxorem inuenerit, cum animo tunc deserendi; peccat mortiferè, nec potest illud beneficium retinere. Est communis sententia DD. Vide Nauarrum de orat. miscell. 44. & l. 3. consilio 16. de præbendis.

Non tenetur fructus restituere. Aduerte tamen, hunc non teneri ad restitutionem fructuum, si muneri suo satisfecit; quod est contra Gabrielem d. 15. q. 8. a. 3. & Siluestrum v. Beneficium. 3. q. 5. nec esse ipso Iure priuatum, nisi

nisi sit beneficium parochiale, vt docet Nauarrus suprà,& Sotus l.10.de Iustit.q.5.art.6.quia nusquam id Iure statutum. Imò Sancius noster l.7.de matrimonio, disp.45.nu.29. putat in supradicto casu, si beneficium non haberet annexum Ordinem sacrum (vt quando illius functio huiusmodi Ordinem non requirit)non esse peccatum mortiferum, modò suo muneri, quamdiu illud retinet, satisfaciat; quia nullum Ius requirit in eo animum perseuerandi in statu clericali. Imò Canones relinquunt illi liberum transitum ad nuptias, cap.Diuersis.5.& cap.Ioannes.7.de clericis coniugatis.Est tamen culpa venialis; quia aliquo modo decipit Ecclesiam, quæ putat eum bona fide statum Ecclesiasticum proposuisse. Hæc tamen deceptio non videtur grauis; alioqui Iure alicubi statuisset, vt tale propositum adsit; nec relinqueret postea tantam libertatem. Quæ sententia mihi non improbatur; præsertim si causa studiorum, vel simili fine honesto id fiat. secùs si vt splendidè viuat: quia Ecclesia tunc magis inuita,& deceptio est grauior.

133 *Beneficium parochiale accipiens sine animo sacerdotij.* Dico Quartò, Qui accepit beneficium parochiale sine animo suscipiendi intra annum sacerdotij,vt fructus per annum ex eò percipiat, postea dimissurus, tenetur fructus perceptos restituere: nisi voluntate mutata,intra annum promotus fuerit; ita expressè habetur cap.Commissa.35.§. Ceterùm,de electione,in 6.

Vbi Notandum Primò, Sufficere intentionem sinceram & seriam,quamuis iustam aliquam conditionem annexam habeat, vt rectè Nauarrus suprà. nam conditionalis intentio est vera intentio.

Secundò, Si voluntate mutata promotus fuerit ante finem anni, potest retinere fructus, non solùm post mutatam voluntatem, sed etiam ante illam perceptos: quod est contra Sotum suprà concluſ.1. Ita docet Glossa in dictum caput,& ipse textus indeterminatè loquens satis indicat. ratio est, quia collatio in hoc casu ab initio valida fuit, sed pendens à conditione: quæ si non fuerit secuta, resoluitur ab initio; sicut cùm res venditur ea lege, vt si melior conditio obtigerit, sit inempta; si autem secuta fuerit, manet valida, & omnino irresolubilis. Idem dicendum de perceptione fructuum.

Tertiò, Si intra præscriptum tempus promotus non fuerit,amittit ipso Iure beneficium & fructus simul, resoluto contractu,& efficitur inhabilis ad illud, vt habetur eodem capitulo. vnde non sufficit mutatio prioris voluntatis prauæ, nisi secunda voluntas habeat effectum.

134 *Accipiens cum animo sacerdotij.* Dico Quintò, Qui tale beneficium cum debita intentione suscipiendi sacerdotij acceperit, si postea mutata voluntate promotus non fuerit intra tempus statutum, non tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum ante voluntatem mutatam; sed neque etiam post illam, modò per idoneum Vicarium muneri suo satisfecerit; ita docet Glossa in cap.Commissa,Nauarrus cap.25. num.118.& Lopez part.2.cap.105. contra Sotum. ratio est, quia per illam mutationem animi non amittit beneficium antè legitimè acceptatum; nec vllum Ius statuit vt etiam fructus amittat: ergo cùm muneri suo satisfecerit, non est cur dicamus eum fructus amisisse: non enim Iure naturæ amisit, cùm muneri satisfecerit; nec Iure positiuo, cùm hoc non sit expressum. *Non amittit fructus.*

Dices, Qui accipit curam sine intentione sacerdotij; tenetur ad restitutionem, si promotus non fuerit: ergo etiam is,qui accipit quidem cum intentione, sed postea eam bonam intentionem mutauit. Ita Sotus. 135

Respondeo negando consequentiam: tum quia multò plus peccauit qui ab initio intentione caruit; hic enim fraudulenter ad beneficium irrepsit: vnde potiori Iure puniri debuit: tum quia lex illa pœnalis est, ac proinde non extendenda extra suum casum, etiamsi ibi esset par ratio, vt benè Nauarrus lib.3.consil.26. de præbendis. expleto tamen anno, si promotus non fuit, statim amittit beneficium, & in posterum fructus suos non facit.

Dico Sextò, Qui beneficium parochiale accipit animo non residendi, sed tantummodò permutandi vel renuntiandi, peccat quidem, non tamen est ipso facto priuatus, nec tenetur ad fructuum perceptorum restitutionem. *Quod peccet*, probatur; quia decipit Ecclesiam, quæ in talibus requirit animum seruiendi; & nisi putaret illum talem animum habere, nullo modo vellet ei conferre. Nauarrus tamen suprà, consilio 24.insinuat non esse peccatum mortiferum: quia non infertur notabile detrimentum. quod puto esse verum, nisi fortè resignet in fauorem eius, qui parum est idoneus; cui Prælatus aliàs nullo modo voluisset conferre. *Quod non teneatur ad restitutionem fructuum*, patet;quia nullo Iure hoc est statutum. modò interim officio curet satisfieri, & cetera adsint. 136 *Accipiens parœciam animo permutandi.*

Dvbitatio xxvii.

Vtrùm licitum sit habere plura beneficia, & qualia.

Respondeo & Dico Primò,Habere plura beneficia non est intrinsecè malum, nec omnino indifferens, sed speciem mali præseferens. ita tamen vt adhibitis debitis circumstantiis honestari possit. Docet hoc D.Thomas quodlib.9.ar.15.quem alij sequuntur.ratio est,quia solitariè consideratum inordinationem quamdam inuoluit. Primò, Quia minuitur cultus diuinus. vnus enim habens tria beneficia, non recitat ter preces Canonicas, nec tria facit Sacra. Secundò, Ecclesia destituitur suis operariis: vnus enim non potest in pluribus locis residere, nec plurium ministeria obire. Tertiò, Fundatores frustrantur sua pia intentione. Quartò, Quia frustrantur multi pauperes fortè magis idonei, magisque vtiles Ecclesiæ futuri. Denique multa incommoda inuehit hæc pluralitas; vt nimiam sollicitudinem temporalium,ambitionem,luxum,incontinentiam,concubinatum, lites, scandala pusillorum, & similia, vt meritò Concilium Trid. sess. 24. ca. 17. dixerit, *hanc pluralitatē esse peruersionem totius ordinis Ecclesiastici*,& Alexander III.cap. Quia in tantum. 7.de præbendis, *pluralitatem beneficiorum certum continere animarum periculum*. vide Extrauagan. Ioan. XXII. quæ incipit, Execrabilis, vbi decem incommoda recensentur ex hac pluralitate promanantia. Cum certis tamē circumstantiis honestari 137 *Habere plura beneficia,* *Speciem mali habet.* *Mala pluralitatis beneficiorum.*

nestari poterit; quarum præcipua est, si id Ecclesiæ profuturum putetur.

138 *Plures Episcopatus.* Dico Secundò, Nemo quacumque dignitate præfulgens, potest recipere & simul retinere plures Episcopatus in titulum aut commendam, aut alio quouis nomine. Ita Concil. Trident. sess. 7 c. 2. de reform. Quod intellige, sine iusta dispensatione Papæ. huius enim potestati, decretum Concilij, etiam generalis, non potest præiudicare: & interdum potest iusta causa incidere.

Petes, Vtrùm obtento secundo Episcopatu, vacet ipso Iure prior, si absit dispensatio?

Vacat prior Respondeo, Vacare, cap. De multa. 28. de præbendis: quia Episcopatus est dignitas habens curam animarum. Sed de hæc re non oportet nos esse multùm sollicitos; quia Pontificis est Episcopos confirmare. qui censebitur dispensare, si habenti vnum confirmet secundum.

139 *Episcoparũ consecutus amittit priora.* Dico Tertiò, Electus ad Episcopatum, obtenta bonorum administratione & consecratione, vel saltem elapso tempore consecrationi præfixo, amittit ipso Iure omnia beneficia, quæ antè obtinebat. Ita habetur c. Cùm in cunctis. 7. §. Cùm verò, de electione.

Vbi notandum Primò, Hunc Canonem non loqui de Episcopo titulari, non habente vllam administrationem bonorum Ecclesiasticorum, quales sunt quidam Suffraganei.

Episcopo pauperi. Secundò, Si Episcopus est pauper, probabile est, ei beneficium simplex posse conferri, quo iuuetur: quia etsi amittat priora, non tamen extat Ius, quo efficiatur inhabilis ad futura simplicia, vt docet Nauarrus lib. 3. consil. 3. de concessione præbendæ.

140 Dico Quartò, Habens beneficium cum cura animarum, vel Dignitatem, vel Personatum, vel Officium, si secundum huius generis acceperit, obtenta pacifica possessione secundi, vacat prius. Ita habetur c. De multa, de præbendis. & multò distinctiùs Extrauag. Execrabilis, eodem.

Beneficia incompatibilia primi generis. Vbi Notandum Primò, Hæc beneficia vocari *incompatibilia primi generis*, quia ipso Iure alterum excludit alterum, posterius prius. Eiusdem etiam generis sunt præbendæ vniformes sub eodem tecto, vt patet c. Litteras 9. de concessione præbendæ, vt duo Canonicatus, vel duæ sacellaniæ ad eamdem functionem concurrentes in eadem Ecclesia. Vnde si habens vnam, obtineat alteram in eadem Ecclesia, vacabit prior, vbi secundæ pacificam possessionem nactus fuerit.

Secundi generis. *Incompatibilia secundi generis* sunt, quæ simul quidem licitè retineri non possunt absque dispensatione, tamen non ita pugnant vt alterum vacet obtento altero.

141 *Si secundum sit litigiosum.* Notandum Secundò, Si beneficium secundum sit litigiosum, non vacabit prius, donec pacificus secundi possessor fueris. si autem secundum pacificè possederis, vacabit prius; etiamsi sit litigiosum. quòd si obtento titulo vnius talis beneficij absque possessione, accipias secundum litigiosum, & posteà antequam incipias esse pacificus possessor secundi, accipias pacificam possessionem primi, non ideò amittis secundum litigiosum, vt quidam putarunt, quia id Iure statutum non est; vt docet Nauarrus lib. 3. consil. 31. de præbendis. Denique non satis est habere possessionem tituli secundi beneficij, sed requiritur vt etiam fructus percipere incipias. vnde si alteri reseruati sint, non amittis prius: quia inutilis est & sine effectu talis possessio. Ita expressè habetur cap. Si tibi concesso 26. de præbendis, in 6.

Tertiò, Eos, qui retinent plura beneficia, de quibus Extrauag. Execrabilis, & cap. De multa, 142 *Retinens simul plura incompatibilia.* videlicet Dignitates, Personatus, Officia, & non solùm resignant primum, esse ipso Iure priuatos etiam secundo, & inhabiles ad sacros ordines, & ad quodcumque beneficium Ecclesiasticum, & ipso Iure beneficia illa esse dispositioni Sedis Apostolicæ reseruata; vt apertè habetur dicta Extragrauante.

Quartò, Eum, qui vtrumque retinuerit, non 143 ita esse priuatum secundo, vt teneatur illud sponte dimittere; sed per sententiam Iudicis esse priuandum; vnde si nulla sententia sequatur, poterit illud retinere, iuxta ea, quæ dicta sunt suprà cap. 29. dubit. 8. hoc enim ita constitutum est in pœnam retentionis vtriusque. Primùm verò obtento secundo ita amittitur, vt non opus sit sententia; nam expressè dicit Extrauagans, *quod vacet, & possit statum alteri conferri, sine vlla sententia.* non ita loquitur de secundo. ratio est, quia eius priuatio non est pœna, sed resolutio primæ collationis. Vnde puto ipsum non facere fructus suos, quos in posterum ex illo recipiet; etsi aliqui contrà sentiant.

Dico Quintò, Reliqua beneficia residentiam 144 postulantia, non sunt incompatibilia primi generis, ita vt habito secundo vacet prius, tamen videntur incompatibilia secundi generis, ita vt sine graui peccato simul retineri nequeant. Prior pars est Nauarri l. 3. consil. 29. de præbendis; vbi docet, Dignitatem & Canonicatum in diuersis Ecclesiis non esse etiam post Concilium Trident. incompatibilia primi generis, sed secundi; si requirunt residentiam. Quòd si alicubi ex consuetudine non requirunt, non esse incompatibilia, ne secundi quidem. In eadem autem Ecclesia dicit non esse vllo modo incompatibilia, eò quòd sint beneficia difformia, & vtrique simul seruiri possit: atqui difformia eiusdem Ecclesiæ sibi non repugnantia semper fuere compatibilia, vt idem affirmat. Et consilio 26. multis rationibus nititur probare, *nullum beneficium simplex esse incompatibile primi generis cum altero, nisi sint vniformia sub eodem tecto.* Idem docet consilio 24. Confirmantur hæc omnia, quia nullus est Canon, quo statuatur vacare prius obtento secundo; aut ipso facto induci priuationem vtriusque, si simul retineantur, præterquam de beneficiis cum cura animarum, Dignitatibus, Personatibus & Officiis: ergo hoc non est ad alia beneficia extendendum. *Incompatibilia secundi generis retinens.*

Nec obstat Concilium Trident. sess. 7. cap. 4. de reformatione, vbi priuatur ipso facto, qui plura curata vel aliàs incompatibilia beneficia recipere & retinere præsumpserit; quia loquitur expressè de illis, de quibus cap. De multa, quod non agit nisi de curatis, Dignitatibus & Personatibus.

Dices, Congregatio Illustriss. Cardinalium pro 145 Concil. Trident. deputatorum, declarauit, vacare beneficium simplex eius, qui obtinuit parœciam; eò quòd hæc duo beneficia sint incompatibilia, si vtrumque residentiam postulet. vnde sequi videtur, quandocumque duo beneficia sunt incompatibilia, eò quòd alterum sit sufficiens,

vel

vel vtrumque residentiam poscat; semper adeptione secundi vacare primum.

Respondet Nauarrus l.3. consilio 42. de præbendis, si constaret Congregationem declarasse Concilium Trid. sess.7.c.4. ita esse intelligendum, eaque declaratio à S. Sanctitate confirmata esset, ita fore tenendum; sed quia id non constat, & aliàs ex verbis Concilij id non videtur efficaciter probari posse, (quod ipse conatur ostendere) non est quòd ad hanc sententiam nos adstringat. Equidem hanc declarationem numquam vidi. Si tamen facta est, iudico tenendam; & omnia huiusmodi beneficia in eo conuenire cum incompatibilibus primi generis.

146 *Omnia quæ requirunt residentiã sunt incompatib. secundi generis.*

Altera pars, *Quòd sint incompatibilia saltẽ secundi generis*, patet ex Conc. Trid. nam sess.24.c.17. sic habetur: *Statuit sancta Synodus, vt in posterum vnum tantum beneficium Ecclesiasticũ singulis conferatur; quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. hæcque non modò ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad omnia alia beneficia tam sæcularia quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cuiuscumque tituli ac qualitatis existant.* Vnde manifestè sequitur, omnia beneficia simplicia, quę residentiam postulant, esse aliquo modo incompatibilia, nec absque dispensatione Pontificis posse huiusmodi plura obtineri, nec Episcopum posse in hoc dispensare: quia non potest dispensare in statuto Concilij generalis. si tamen absque dispensatione alicui conferantur, collatio erit valida; poterit tamen eo priuari, nisi quòd antè habebat, dimiserit.

147 Dico Sextò, Sunt tamen aliquot casus, in quibus etiam post Concilium licet habere plura beneficia, etiam sine dispensatione.

Qualia possint haberi plura, absque dispensatione.

Primus est, Quando sunt beneficia simplicia, etiam Canonicatus, quorum neutrum sufficit ad honestum vitæ cultum, & alterum non requirit residentiam; siue ex sui institutione, siue ex præscripta consuetudine.

Secundus, Si Ecclesia cathedralis vel parochialis vel Dignitas sit insufficiens sustentationi, poterit simul cum ea obtineri beneficium simplex non requirens residentiam. vterque casus satis colligitur ex verbis Concilij Tridentini sess.24. cap.13.& 17.

Cu nue

Vbi Aduerte, ante Concilium potuisse etiam plura curata possideri; si ita erant tenuia, vt non possent proprios Sacerdotes alere, vt patet c. Eam te, in fine, de ætate & qualit. Nunc verò id minimè licet absque dispensatione Pontificis, vt patet sess.24. cap.17. vbi habens plures parœcias cogitur sub graui pœna alteram resignare, etiamsi neutra per se sufficiat.

148 Crediderim tamen, si essent valdè vicinæ, ita vt vnus possit vtrique satisfacere, & non possent facilè inueniri qui vni soli velint deseruire, posse duas eidem committi, iuxta cap. 1. Clericus. 21. quæst.1.

Parochialis annexa Canonicatui.

Tertius, Si Dignitati vel Canonicatui accessoriè annexa sit Parochialis, quæ per Vicarium administrari solet. ratio est, quia beneficium alteri perpetuò vnitum, censetur vnum cum illo, & illius naturam induit. vnde parochiale annexum simplici, induit conditionem simplicis: quod etiam post Concil. Tridentinum locum habet, vt docet Nauarrus.

Quartus, Si vnum beneficium detur in titulum; alterum in commendam ad sex menses, etiamsi esset parochiale, vt patet ex cap. Nemo, de electione, in 6. saltem cum Ordinarij dispensatione. non tamen potest dari vnum in titulum, & alterum in commendam perpetuam, sine iusta causa & dispensatione Pontificis; quia commenda perpetua æquialet titulo, vt probat Nauarrus c.25. num. 126.

Dvbitatio xxviii.

Vtrùm per dispensationem Pontificis licitum sit habere plura beneficia requirentia residentiam.

149 Respondeo & Dico Primò, Id licitum esse, modò adsint iustæ causæ dispensandi. ratio est, quia Concilium nec potuit nec voluit impedire quin ob legitimas causas Pontifex possit dispensare; nam Pontifex est supra Concilium: & SS. Pontifices olim dispensarunt; inter quos est Gregorius I. vt patet l.2. epistolarum cap.52. qui quemdam Episcopum Agnellum nomine ob certam Ecclesiæ necessitatem duos Episcopatus habere voluit.

Causa dispensandi in pluralit. benefic.

Causæ iustæ dispensandi præcipuæ sunt duæ, ad quas reuocantur ceteræ. Prima est, Ecclesiæ necessitas vel magna vtilitas; vt si desint alij vel idonei, vel satis potentes. sic filiis Principum dantur interdum Episcopatus, etiam ante ætatem, vt Ecclesiæ aduersus hæreticos defendantur. Item si quis putetur magis profuturus absens, quàm alius præsens.

Secunda, Si alicui viro præclaro vnum non sufficiat ad honestè viuendum iuxta suum statum, & alterum possit ei sine Ecclesiæ incommodo dari. hæc tamen causa reducitur ad primam. nam quòd personæ sublimes & litteratæ pluribus beneficiis honorandæ sint quando vnum non est sufficiens, iuxta Conc. Lateran. cap. De multa; id non debet fieri nisi propter Ecclesiæ vtilitatem. Quod confirmatur ex D. Bernardo epist. 271. ad Comitem Theobaldum: *Honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè & secundum Deum administrare & velint & possint; porrò eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis vel vestris, nec vobis iustum, nec mihi tutum esse noueritis: nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatoriè quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum vtilitatem.* hæc ille.

150 *Cur requiratur dispensatio.*

Petes, Cur requiritur dispensatio Pontificis, si Episcopus videat Ecclesiæ suæ profuturum vt eidem plura beneficia dentur?

Respond. Primò, Quia lex obligat inferiorem, quamdiu ex eius custodia nihil euidenter sequitur contra legislatoris intentionem: atqui numquam aut rarissimè euenit aliquid contra intentionem Concilij ex eo quòd vni non dentur duo beneficia. numquam enim euidens est id esse contra maius Ecclesiæ bonum & proximorum ædificationem; quæ duo Concilium per huiusce præcepti custodiam intendit.

Secun-

Secundò, Quia potissimùm Summi Pontificis est procurare bonum Ecclesiæ,& iudicare quid ad illud expediat.

151 *Si desit iusta causa, dispensatio non sufficit.* Dico Secundò, Si non putetur subesse legitima causa dispensandi, is qui obtinuit plura beneficia per dispensationem, non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare. Est ferè communis Theologorum: D. Thomæ quodlib. 9. art. 15. Maioris in 4. distinct. 24. quæst. 4. Adriani in 4. quæst. de pluralitate præbendarum, quæ incipit, Quia in præmissis. Caietani v. Beneficiorum multiplicatio, Soti lib. 3. de Iustit. quæst. 6. art. 3. Toleti l. 5. cap. 71. Eamdem docent multi Iurisperiti, & Canonistæ. Ratio est Primò, Quia Papa non est dominus beneficiorum, sed dispensator: atqui dispensator non potest pro suo arbitrio distribuere bona dispensanda, sed iuxta rationabilem voluntatem eorum, qui ea dispensanda reliquerunt, & eorum, in quorum vtilitatem relicta sunt, quæ in proposito est Ecclesia vniuersalis. Secundò, Quia est contra Ius diuinum naturale vt vnus habeat plura beneficia; nisi aliqua iusta ratio id excusset, vt docet Caietanus suprà: atqui Pontifex non potest dispensare in ijs quæ sunt Iuris diuini naturalis, nisi interueniat iusta causa, quæ turpitudinem tollat; vt patet in votis, iuramentis, & indulgentiis. de quo vide Bernardum epist. ad Robertum nepotem, & epist. 7. ad Adam monachum.

152 *Collatio tamen est valida.* Aduerte tamen, collationem secundi beneficij, tertij, & ceterorum esse validam, & conferre verum titulum, vt patet ex multis Canonibus: nam ad nullum eorum Iure naturæ est inhabilis. tenetur tamen resignare aliqua ex illis, quę vel non sunt illi secundùm suum statum necessaria, vel in quibus legitima causa non intercessit: fructus tamen interim perceptos non tenetur restituere, si muneri suo saltem per Vicarium satisfecit. si non satisfecit, tenetur ad fructuum restitutionem, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas. vide infrà numero 159.

Sequitur nunc vt dicamus ad quæ beneficiarij obligentur.

Dvbitatio XXIX.

Vtrùm teneantur beneficiarij ad residentiam, & non residentes amittant fructus.

153 *Iure diuino tenentur.* Respondeo & Dico Primò, Omnes qui habent beneficia, quibus incumbit cura animarum, tenentur Iure diuino residere, & per se suum officium administrare. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform. *Cùm*, inquit, *præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera omnia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, & assistunt, sed mercenariorum more deserunt*, &c. Ex quibus verbis patet, Episcopos, & alios habentes curam animarum Iure diuino teneri ad personalem residentiam, ex Concilij Tridentini sententia. Ratio est, quia Iure diuino naturali tenentur ad præstandum ea quæ sunt sui officij.

Dices, Sufficit vt faciant per alios.

Respondeo, Non sufficere, nisi causa maioris momenti cogat eos ad tempus abesse; nam contra rectam rationem est vt tu officium cum emolumentis habeas, & alius præstet onus; nisi maior aliqua ratio cogat te abesse. Confirmatur, quia quicumque accipit aliquod officium, obligat suam personam ad proprias illius officij functiones, taciteque promittit se illas obiturum quantum res feret; & nisi putaretur id facturus, non ei daretur. Numquam enim Princeps constituet Gubernatores vrbium, Præfectos arcium, Ductores militum, qui putantur crebrò futuri absentes, & per alios administraturi. 154 *Non sufficit vt regant per alios.*

Dico Secundò, Episcopi possunt quotannis siue continuè siue interruptè, à suis Ecclesiis ex iusta causa ad summum tres menses abesse, sine alia Superioris approbatione. non tamen ampliùs; habetur dicto cap. 1. sess. 23. 155 *Episcopi tres menses abesse possunt.*

Vbi Nota, debere iustam causam subesse, & totum sine vllo detrimento gregis fieri; alioquin grauiter peccant, vt colligitur ex verbis Concilij: onerat enim Concilium eorum conscientias ea in re, proposito Dei timore.

Dico Tertiò, Si præter hos tres menses oporteat ob aliquas causas ampliùs abesse, (vt si Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, euidens Ecclesiæ vel Reipubl. vtilitas ampliùs abesse postulent) debebunt hæ causæ approbari à Pontifice, vel à Metropolitano, vel eo absente, ab antiquiore Suffraganeo, (qui etiam Metropolitani absentiam approbare debebit) *idque in scriptis*. Ita Concilium ibidem. Vbi Nota, excipi debere vnum casum, nempe quando Episcopus abest ob munus vel officium Reipub. quod Episcopatui est annexum; ad hoc enim obligatur ex officio: sicut quando in Belgio & in Germania debent interesse comitiis Ordinum, in quibus ipsi primum locum obtinent. 156 *Si ampliùs; causa approbanda à Superiore, &c.*

Dico Quarto, Si præter tres menses supradictos aliquamdiu abfuerint sine dicta approbatione; fructus pro rata temporis absentiæ non faciunt suos, sed tenentur in conscientia eos vel fabricę Ecclesiæ vel pauperibus loci erogare. Ita decernitur eodem cap. & additur, *Prohibita quacumque conuentione vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur.* Quibus verbis prohibet omnibus Pontifice inferioribus, & hortatur ipsum Pontificem ne vllo modo eis hæc restitutio condonetur. His adde, si Episcopus aliquis ampliùs annum continuè à sua Ecclesia sine dicta approbatione abfuerit, Metropolitanus tenetur eum, sub pœna interdicti ingressus Ecclesię eo ipso incurrenda, intra tres menses Romano Pontifici denuntiare. Ipsum autem Metropolitanum absentem, Suffraganeus antiquior residens denuntiare debet. Ita habetur sess. 6. c. 1. de refor. quòd autem illo cap. dicitur de quarta parte fructuum vnius anni amittenda per absentiam sex mensium, actum est sess. 23. c. 1. vbi statuitur vt fructus omnes pro rata absentiæ amittat. 157 *Alioquin fructus non faciunt suos. Applicandi fabricæ vel pauperibus. Si ampliùs annum abfuerit.*

Petes, Vtrùm si causæ sint approbatæ, sed non in scriptis, ista pœna incurratur? 158 *Si non in scriptis approbata.*

Respondeo, Si causæ legitimæ fuerunt, & approbatæ sunt ab eo à quo debebant, probabile est ob illam solemnitatem omissam, in foro conscientiæ fructus non amitti. insinuat Nauarrus lib. 3. consil. de præbendis. consil. 13. num. 11. Ratio est, quia concessio Iure gentium & naturæ valida fuit. In foro tamen exteriori posset condemnari. vide suprà cap. 19. dub. 3. Applicantur hi fructus fabricæ, vel pauperibus loci, vt patet ex Concilio suprà.

Vbi Aduerte, non adstringi fabricæ aut Ecclesiæ: fortasse idcircò, quia nullum damnum in temporalibus Ecclesiæ per illam absentiam datum est; & aliàs illi fructus censentur quasi superflui, cùm Episcopus illorum sit incapax. Itaque permittitur vt in pauperes sicut alia superflua Ecclesiasticorum dentur; vt qui olim suam quartam in bonis Ecclesiasticis habere solent.

159 *Si parochi vltra duos menses absint.*

Dico Quintò, Parochi si vltra duos menses absque legitima causa per Episcopum cognita & approbata absint, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore absentiæ amittunt. colligitur ex eodem Concilio, d. cap. 1.

Vbi Notandum Primò, Dubium esse, vtrùm sine tali approbatione possint abesse continuè vel diuisim vt Episcopi, saltem ad duos menses. Nauarr. c. 25. n. 121. probabiliter existimat posse, si iustam causam habeant. Ratio est, quia ante Concilium licebat, & Concilium hoc expressè non reuocauit. si tamen sine iusta causa absint, peccabunt mortiferè contra præceptum Concilij, & contra Ius naturale diuinum, de residendo.

Nec obstat, quòd Concilium dicat, vt non obtineant licentiam ab Ordinario nisi ad bimestre, & ex graui causa; quia intelligendum est de alio bimestri. Interim tamen idoneus Vicarius cum debita mercede est substituendus. Verius tamen puto, mentem Concilij esse vt non absint primo bimestri absque facultate Episcopi; quia dicit, *quandocumque eos abesse contigerit, debere causam esse prius cognitam & probatam per Episcopum*. quod facilè fieri potest, cùm Episcopus non procul absit. Credo tamen non esse receptum.

160 *Extenditur ad omnes habentes curam animarum.*

Notandum Secundò, Quod de Parochis dictum est, censendum esse de alijs, qui aliquod beneficium curam animarum habens obtinent, vt inquit Concilium. vnde etiam de perpetuis Coadiutoribus est intelligendum, vt Congregatio Cardinalium dicitur explicuisse, & meritò; quia talis Coadiutoria est beneficium cum cura.

161 *Non tamen ad Abbates vel Priores.*

Petes, Vtrùm prædictæ pœnæ pertineant ad Abbates & Priores habentes curam animarum suorum Religiosorum?

Respondeo, Non pertinere, nisi habeant curam animarum sæcularium, per ipsosmet administrandam; de tali enim cura loquitur Concilium, vt Congregatio respondit. Regulares autem, in administratione suorum subditorum Regularium relinquit suis statutis, & Superiorum Regularium ordinationibus.

162 *Alij beneficiarij.*

Dico Sextò, Qui in Ecclesiis Cathedralibus vel collegiatis obtinent Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel Portiones, non possunt quolibet anno abesse vltra tres menses; alioquin primo anno debent priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ suos fecerunt: secundo anno, omnibus fructibus, quos illo anno lucrati fuerint. Ita disponit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. continet autem hæc dispositio pœnam sententiæ ferendæ, non latæ.

Reuocantur contrariæ consuetudines.

Vbi Notandum Primò, Reuocari hîc omnia statuta & consuetudines, quibus anteà licitum erat vltra tres menses abesse; non tamen reuocantur priuilegia, si quæ erant à Sede Apostolica cõcessa. vnde quod Nauar. c. 25. n. 121. ait, consuetudinem honestam, esse causam excusantem longiorem absentiam, verum quidem est Iure antiquo; non autem post Concilium, vbi hoc eius decretum est receptum. secùs verò vbi non est receptum; nam ibi Iure antiquo agitur. Consuetudo tamen absentandi se sine causa non valet, ex communi Doctorum sententia, teste Nauarro suprà.

163 *Causæ excusantes absentiam.*

Notandum Secundò, Esse aliquas causas excusantes à residentia.

Prima est, Audire Theologiam vel Ius Canonicum: hoc enim excusat à residentia ad quinque annos.

Secunda, Docere Theologiam vel Ius Canonicum: hoc excusat quantumuis longo tempore. In his duobus casibus non requiritur licentia Episcopi vel Prælati; nam ad Theologiam audiendam & docendam, Pontifex facit copiam in c. Super specula, de Magistris. & hoc caput DD. extendunt ad Ius Canonicum, secuti Archidiaconum in cap. 2. de priuilegiis lib. 6. & Panormitanum in dictum cap. Super specula. Ad litteras autem humaniores & philosophiam requiritur licentia Episcopi; nisi vbi contraria consuetudo viget, vt notat Nauarrus cap. 25. num. 21.

Tertia, Si duo Canonici sint in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ vtilitatem, c. Ad audientiam, de Clericis non residentibus: quod Nauar. l. 3. consil. 11. de præbendis, extendit ad obsequium Cardinalis non Episcopi, quem dicit posse habere saltem vnum Canonicum sui tituli in obsequium.

Quarta est, Obsequium Papæ ad Ecclesiæ vtilitatem. cap. Cùm dilectus, de Clericis non residentibus.

Quinta, Licentia legitima ex quauis alia iusta causa, iuxta Glossam in c. Inter quatuor, de Clericis non residentibus.

Sexta, Honesta consuetudo; iuxta Innocentium, Panormitanum, & alios Doctores, vt docet Nauarrus suprà. sed hoc intellige, vbi Concilij dispositio non est recepta. quòd si quis absque iusta causa absit, peccat mortiferè: non tamen tenetur ad fructuum restitutionem, si officio satisfecit, nisi ad eam condemnetur; vt docet Nauarrus ex Panormitano c. 25. nu. 121. vel nisi id Iure sit expressum, iuxta ea quæ suprà diximus de Episcopis & Parochis.

164 *Distributiones.*

Notandum Tertiò, Eos, qui etiam ex legitima causa absunt, non lucrari distributiones: quia Concilium illis solis vult eas dari, qui horis statutis interfuerint, quauis collusione & remissione exclusa. nisi aliquis cogatur abesse ad curanda Ecclesiæ negotia ex commissione Capituli, vel omnino inuoluntariè absit ob morbum, captiuitatem, excommunicationem iniustam, &c.

165 *Professio fidei.*

Notandum Quartò, Eos, qui intra duos menses adepti certi beneficij, non fecerint fidei professionem, fructus non facere suos. & quidem prouisi de beneficiis curam animarum habentibus, tenentur intra duos menses adeptæ possessionis coram Ordinario, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ fidei facere

facere publicam professionem,&iurare se permansuros in Ecclesiæ Romanæ obedientia. Idem debent facere prouisi in Ecclesia cathedrali de Canonicatibus vel dignitatibus, non solùm coram Ordinario,sed etiam coram Capitulo;alioquin non faciunt fructus suos,nec possessio ipsis suffragatur. Concilium dicta sess. 24.cap.12.

Dvbitatio xxx.

Vtrùm beneficiarij omnes teneantur ad preces canonicas.

166 *Obligantur ad preces canonicas.*

Respondeo, Beneficiarios regulariter ad preces canonicas obligari.est communis sententia Doctorum in c. 1.de celebr. Missarum,& patet ex cap. Quia per ambitiosam, de rescriptis, in 6. vbi Pontifex reprehendit quosdam beneficiarios, quòd officium precum, propter quod beneficium datur, omitterent : & ex Concilio Lateranen. sub Leone X. sess.9.§.Statuimus ; vbi priuantur fructibus, qui officium diuinum non dixerint. Ratio est,quia Iure naturali quisque tenetur ad officium, propter quod beneficium datur: atqui omne beneficium Ecclesiasticum datur propter officium, in quo regulariter comprehenduntur preces canonicæ ; vt patet ex communi sententia Doctorum, & praxi Ecclesiæ.

Dixi *regulariter*, quia sunt quædam beneficia, quæ ex sua institutione ad preces illas non adstringunt, sed ad aliquas alias ; vt sunt quædam Præposituræ & aliqui Personatus & aliqua Præstimonia, quæ non requirunt quotidie nisi Horas B. Virginis, vel 5. Pater noster & Aue Maria, vel semel Psalmum Miserere. His tamen exceptis, omne beneficium Iure communi annexum habet onus horarum canonicarum. vide Nauar.de oratione cap.7.num.27.& 28. &in Enchirid.cap.25. num.103.

Petes, Ex quo tempore incipiunt obligari ?

167 *Quando incipit hæc obligatio.*

Resp. Certum est non obligari à tempore præsentationis vel electionis ; quia per hæc nondum habent dominium, seu ius in re.Nauar. cap.7. De orat.nu. 29.docet eos obligari ab eo tempore, quo per collationem & acceptationem, vel per institutionem, aut confirmationem incipiunt habere ius in re, & beneficium incipit esse ipsorum : ex illo enim tempore debentur illis fructus,etiamsi nondum possessionem acceperint. Ibidem refellit sententiam eorum, qui putant eos non teneri ante captam possessionem. Hæc sententia Nauarri est rationi & Iuri valdè conformis.

Altera tamen, *quòd non teneantur ante captum possessionem*, est probabilis,eamq; tradit Flaminius Parisius Romanus lib.1. de resignatione beneficiorum quæstione 9. num.15. vbi dicit hanc opinionem esse veriorem, & crebriorem, & in praxi obseruari. Ratio esse videtur, quòd sæpè ante initam possessionem ius sit incertum,& multis modis possit impediri, qui primùm se produnt quando capienda est possessio. Crediderim tamen hanc sententiam non debere intelligi de iis, qui per industriam differunt possessionem, vt Horas non recitent ; sed solùm de iis, per quos non stat quò minùs eam capiant : quia fraus nemini debet patrocinari.

Dvbitatio xxxi.

Quæ excusent beneficiarium à precibus horarijs,& quæ non excusent.

Loquor de illis, qui non sunt in sacris Ordinibus.

168 *Causæ excusantes à lectione Horarum.*

Respondeo Primò, Excusari eos, qui nec per se,nec per suos, vllos fructus percipiunt, nec percepturi sunt ; si per eos tamen non steterit quò minùs sint percepturi ; vt docet Nauarrus suprà, Caietanus v. Horarum canonicarum omissio, & alij Doctores communiter. neque enim beneficiarij ex sua vel Ecclesiæ intentione se obligant ad officium, nisi persoluantur eis stipendia sustentationis, propter quæ illam obligationem suscepterunt. cessante enim stipendio ministri, cessat obligatio ministerij.

169 *Parum recipientes.*

Secundò, Probabile etiam est excusari eos, qui valdè parum recipiunt; vt si beneficium sit adeò tenue vt non habeat supra octo aureos. Ita tenet Sotus lib.10.quæst.5.art.3.quem sequuntur multi recentiores,& fatetur Nauarr.suprà cap.7.n.27. multos viros pios & doctos ita sentire : quamuis ipse cum plerisque contrarium teneat. Probatur Primò,Quia *qui altari deseruit,de altari viuere debet*, iuxta Apostolum 1.Corinth.9.ac proinde qui Ecclesiæ seruit, de eius prouentibus viuere debet: atqui beneficiarij Ecclesiæ seruiunt : ergo beneficium tribuere debet saltem bonam partem moderatæ sustentationis ; alioquin non censetur viuere de Ecclesia. Hoc argumento probat Pontifex cap. Cùm secundùm Apostolum. 16. de præbendis,eos, qui ordinantur,debere ali ab Ecclesia. Secundò,Isti beneficiarij non obligantur ratione ordinis, vt suppono ; sed tantùm ratione mercedis, quam accipiunt : atqui non videtur rationabile, vt is, qui solùm septem vel octo aureos accipit pro mercede, ad tantumdem obligetur, ad quantum qui centum. Tertiò, Qui nihil accipit, ad nihil tenetur : ergo similiter qui parum, non tenebitur ad totum. Quartò, Quia,vt ait Caietanus, v.Beneficiorum multiplicatio, beneficium adeò tenue vt non sufficiat ad sustentandum ministrum, non est beneficium, nisi imperfectè, cùm non possit sana ratione institui vt vnum sit in vnius stipendium. quod confirmatur ex cap. Is cui.19. de præbendis, in 6. vbi beneficium insufficiens habetur quasi non esset beneficium. Vnde mihi videtur probabile, eum non teneri ad quotidianum pensum precum canonicarum, cuius beneficium est adeò tenue vt non suppeditet bonam partem tenuis sustentationis, v.g.15.vel 16. aureos. Sentio tamen, omnes qui aliquid percipiunt, aliquoties teneri per annum, v.g. festis & Dominicis, prout ratio dictauerit : non enim par est vt fructus aliquos percipiant, & numquam officium recitent; neque etiam vt ob tam exiguos fructus obligentur quotidie ; sed vtendum ἐπιεικείᾳ, & moderandum iuxta piam Ecclesiæ mentem.

170 *Pro anno fabricæ & domus mortuarię.*

Tertiò, Non excusari beneficiarium à precibus primo & secundo anno, eò quòd fructus beneficij horum annorum in quibusdam Ecclesiis debeantur fabricæ vel decessori mortuo, vt notat Nauarrus cap.7.num.30. tum, quia debetur ei dimidia pars fructuum, prout Ioannes XXII. declara-

clarauit Extrauag. Suscepti, Ne sede vacante; tum quia potest deseruire & sustentationem Vicario debitam percipere; tum quia alterius anni fructus recipiet post mortem; alterius verò recipiet per totam vitam, nempe in eo, quod alioquin cum ceteris debuisset in fabricam impendere, quam ex fructibus suorum beneficiorum tenentur conseruare. nam quarta bonorum Ecclesiasticorum, quæ ex Canonum dispositione fabricæ erat assignanda in illis Ecclesiis, Canonicorum præbendis incorporata fuit, cum onere vt ex fructibus suarum præbendarum fabricam conseruarent. Vt autem se ab hoc onere liberarent, effecerunt vt quod tota vita per partes contribuendum erat, primo anno simul daretur: per quod non potuerunt efficere vt illo anno non diceretur officium. Neque credibile est, eam mentem S. Sanctitatis, si illud inuentum confirmauit, fuisse: non enim par est vt per talia compendia diuinum officium minuatur.

171 *Sententia non improbilis.* Aduerte tamen, etsi hæc sententia omnino vera videatur; non videri improbabile, nouos Canonicos non teneri pro anno fabricæ, si non est in eorum potestate vt aliquid ex eo recipiant. Ita enim in simili tenet Nauarrus de oratione cap.7. nu.30. sicut enim à principio potuerunt beneficia cum hoc modo instituì, vt primo vel secundo anno sint prouisis inutilia, fructibus eorum fabricæ applicatis; ita etiam longa consuetudine potuit id introduci: sic enim non videtur illis refundi posteà quod tunc amittunt; quia numquam habuerunt obligationem pro fabrica contribuendi.

Dixi, *Si non est in eorum potestate vt aliquid recipiant:* quia si residendo possunt recipere saltem ex distributionibus, quantum sufficit ad bonam partem sustentationis, non video quomodo possint excusari: cùm per illos stet quò minùs recipiant. Si enim velint munere suo fungi, recipient aliqua, etsi non omnia. nam distributiones ad fructus beneficiorum pertinent. Nisi fortè possint excusari per consuetudinem legitimè præscriptam, de qua tamen debet constare.

172 *Adolescentes habentes altaria.* Quartò, non videri excusandos eos, qui habent altaria vel cappellas, & cùm non sint Sacerdotes, expendunt maiorem partem prouentuum in substitutum, qui Sacra faciat: est enim nonnullus abusus meritò reformandus, quòd talia beneficia dentur adolescentibus. vnde non potest censeri mens Ecclesiæ vt excusentur. deinde illa beneficia per se sufficiunt ad bonam partem sustentationis. quòd autem illi maiorem partem prouentuum cogantur aliis dare, est ex eo quòd ipsi sint inepti ad beneficij primariam functionem; quòd non debet eos excusare. Quia tamen passim est consuetudo vt talia dentur adolescentibus, censerit aliquis non condemnandum, si quis cum illis aliqua moderatione causâ studiorum vtendum putet. suppositâ enim illa consuetudine, non plus censetur beneficium suo possessori valere, quàm quod deducto stipendio Sacerdotis supereſt. Sed hæc res non est amplianda; nec putarim faciendum absque expresso vel tacito Pontificis consensu.

173 Quintò, Eos, qui sunt in possessione, non excusari ex eo quòd beneficium sit litigiosum, aut quòd fructus sint sequestrati, vel ab alio percipiantur; si tamen probabile sit, ipsos in lite fore superiores, & fructus illos obtenturos. quòd si non sperant se pro illo tempore quidquam habituros, non tenentur.

Sextò, Non excusantur qui ideò nihil recipiũt, quòd non resideant, cùm tamẽ possint: qui si residerent, essent recepturi saltem distributiones: quia per ipsos stat quòd non percipiant. secùs si impediantur à residentia vel periculis hostium, vel aliâ causâ quam ipsi non possunt tollere. *Non residentes.*

Pètes, Quid dicendum de adolescentibus, qui magna parentum auctoritate coguntur acceptare beneficium, cùm tamen non habeant animum status Ecclesiastici, & statim dimitterent, si auderent? 174

Respond. Teneri illos ad officium, si tamquam beneficiarij intendunt percipere commodum fructuum: quia tunc censentur satis consentire in acceptationem & retentionem beneficij & oneris annexi. si verò nolunt quidquam ex fructibus, non videntur teneri. ratio est, quia acceptatio illa & retentio beneficij est omnino coacta per metum reuerentialem, coniunctum cum minis vel importunitate parentum, qui in adolescentibus æquiparatur iusto & graui. hic autem sicut excusat à voto, etiam solemni explicitè vel implicitè facto, vt infrà cap.40.dubit.2. dicetur; ita etiam ab obligatione precum Canonicarum. Confirmatur, quia non est æquitati consentaneum vt ille cogatur ad preces illas, qui non cupit frui stipendio, & solùm coactus recipit titulum beneficij. debet tamen iste habere animum resignandi quamprimùm commodè poterit, & restituendi fructus perceptos: non tamen ampliùs quàm ad ipsum peruenit. Imò si pater nomine filij percepit, vt fieri solet, non videtur hic filius magis obligãdus ad restitutionem, quàm ceteri heredes, quos pater suis bonis aluit. Sed primo loco tenebitur pater; & eo mortuo, omnes heredes pro rata. ille enim est causa iniuriæ, non filius. nec emolumentum censetur magis ad filium peruenisse, quàm ad alios, cùm parens illum non minùs teneretur alere quàm ceteros. non est ergo cur illi totum onus restitutionis imponatur. debet tamen filius ceteris illam obligationem patefacere. *Adolescentes, qui coacti receperunt beneficium.* *Fructus à quo restituendi.*

Dvbitatio xxxii.

Vtrùm beneficiarij non recitantes preces Canonicas, teneantur ad restitutionem fructuum.

Respondeo, Omnes beneficiarios ad preces Canonicas adstrictos, saltem ex dispositione Iuris Canonici teneri ad restitutionem fructuum, si eas omiserint, idque pro rata omissionis. Probatur ex Concilio Lateran. sub Leone X. sess.9. *Statuimus vt nemo beneficium curatum aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consecutione, sine legitimo impedimẽto officium diuinum recitare omiserit, pro tempore quo non recitauit, fructus suos faciat; imò eos impendere tamquam rem iniustè captam in fabricam Ecclesiæ aut eleemosynas pauperum teneatur.* Vtrùm quia prædicta constitutio videtur quibusdam, inter quos Sotus lib.10.quæst.5.art.6. non fuisse recepta, vel potiùs quia non fuit satis ad praxim reducta, nec satis distinctè rem complexa, ideò à Pio V. fuit renouata, declarata & suppleta per quamdam Bullam, quam refert Nauarrus cap.25.num.122. ex qua 175

Notandum Primò, Eum, qui habet beneficium cum 176

Primis sex mensibus non tenetur ad restitutionem, etsi peccent letiferè.

cum cura vel sine cura, si primis sex mensibus officium non dixerit, peccare quidem grauiter, nisi legitimo impedimento excusetur; non tamen ad restitutionem ex prædicto Iure retineri. colligitur ex Concilio, & Bulla Pij V. vnde tenentur beneficiarij statim accepta possessione incipere.

Post tenentur pro rata omissionis.

Secundò, Post sex primos menses elapsos, si omiserint, etiam tenentur ad restitutionem pro rata omissionis officij & temporis; quia fructus non faciunt suos. vnde qui per vnum diem officium omiserit, tenetur restituere omnes fructus illius diei: qui Matutinum tantùm omiserit, dimidiam partem: qui reliquas omnes Horas, alteram dimidiam: qui harum singulas (v.g. Laudes, vel Primam, vel Tertiam, &c.) sextam partem fructuum illi diei respondentium; comprehensis etiam distributionibus, quas non lucrantur, etiamsi aliàs choro intersint; vt expressè habet d. Bulla.

177 *Restitutio facienda fabricæ vel pauperibus.*

Tertiò, Hanc restitutionem faciendam fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus, siue illius loci vbi beneficium situm est, siue alterius: nam Concilium & Bulla in genere loquuntur. vnde si beneficiarius est pauper, potest ipsi illa restitutio applicari; quod intellige, nisi ex consuetudine vel statuto, id quod alij amittunt, accrescat alijs, qui intersunt & recitant officium, vt distributiones, & interdum ipsum corpus fructuum; vt notat Nauarrus n. 123. Credo tamen, quando res est occulta, & restituendo distributiones vel alios fructus, suum peccatum proderent, posse in alios vsus pios expendere.

Moderatio quorumdam.

Quartò, Meritò tam seueram constitutionem esse editam, propter enormem multorum negligentiam, qui impudenter officium etiam per menses & annos omittunt: non tamen videtur passim cum eo rigore recepta. vnde in eo, qui ordinariè satis diligens est, posset fortasse aliquod moderamen adhiberi. Henriquez c. 13. de excommunicatione, refert, praxim cum sapientum consilio ita hunc rigorem moderari, vt Parochus & Episcopus quintam partem pro rata restituant, reliquas quatuor ratione tituli & onerum retineant: Canonicus quartam partem restituat: alij beneficiarij tertiam. citat Bartol. Medinam, Lopezium, Penam, Cueuos, Gallo, additque, cum ea moderatione Bullam Pij V. in Hispania receptam. Hæc tamen moderatio videtur iusto laxior, præsertim in Canonicis, & aliis qui non habent aliud onus quàm precum. Vnde eam limitauerim ad eos beneficiarios, qui alia onera habent, idque iuxta onerum proportionem.

178 *Quo Iure teneantur ad restitut.*

Sed dubium est, Vtrùm solo Iure Canonico teneantur ad restitutionem, an etiam Iure naturali?

Sunt duæ sententiæ. Prior est, eos Iure naturali non teneri. Ita Silues t. v. Clericus. 4. num. 16. vbi pro hac sententia citat Innoc. Ioan. Andream, Antonium de Butrio, & Panorm. in c. 1. de celebrat. Missarum. item Rosellam, Paludanum, & alios multos: quam Couar. l. 3. variar. c. 13. n. 10. fatetur esse communem.

Altera est, Eos Iure naturæ ad restitutionem teneri. hanc tenet Calderinus, Dominicus, Decius, & alij, quos citat Couarruuias, Adrianus in 4. qu. An Clericus teneatur restituere, &c. Angelus v. Horæ Canonicæ, n. 11. Sotus l. 10. quæst. 5. ar. 6. Couarruuias suprà, & alij.

179 Sed videtur distinguendum. si enim loquamur de beneficijs curatis, & cappellis, certum est, beneficiarios non teneri Iure naturæ ad restitutionem, etiamsi preces canonicas omiserint; quia hæc non sunt instituta ad illas preces, saltem vt ad finem præcipuum; sed ad alias functiones, vt ad offerendum sacrificium, ad ministranda Sacramenta, prædicandũ verbum Dei, &c. vnde qui hæc præstiterit, Iure naturæ non tenebitur quidquam restituere, vel saltem non nisi parum, etiamsi Horas omiserit. nam illa oratio est functio tantùm secundaria talis beneficij. Si verò loquamur de beneficijs, quorum tota vel præcipua functio est precatio Canonica; subest quidem ex natura rei sufficiens ratio vt stipendium possit repeti, & beneficiarij cogi ad restitutionem; tamen non tenentur sponte restituere, nisi Ecclesia significet se velle. Prior pars, *subesse sufficientẽ rationem* vt possint priuari, patet; quia beneficium datur propter officiũ, vt habetur c. finali, de rescriptis, in 6. & proinde si officium non fuerit præstitum, fructus beneficij possunt repeti: *datum enim ob causam, eâ non secutâ, Iure repetitur*. hoc argumẽtum sibi obijcit Panormitanus in c. de celeb. Missarum. quod satis probat, ipsum teneri, si Ecclesia declaret se velle vt restituat.

Beneficia quorum alia est functio quàm precatio Canonica.

Beneficia quorum præcipua functio est precatio.

Altera pars Probatur Primò, Quia ante Concilium Lateranense sub Leone X. nullus erat Canon, quo beneficiarij, qui officium omiserant, iuberentur restituere: quod signum est, eos Iure non fuisse obligatos, priusquam Ecclesia significaret se id velle. 180 *Non tenentur restituere, nisi Ecclesia significet se velle.*

Secundò, Concilium Lateran. & Pius V. in Bulla satis apertè insinuant, eos non obligari primis sex mensibus à capta possessione: nempe quia Ecclesię placuit indulgentiùs agere pro tempore, quo incipiunt: quod signum est, eos Iure naturæ non obligari, nisi Ecclesia velit. si enim absolutè tenentur ad restitutionem Iure naturæ, sicut mercenarius diurnus omisso opere diurno, non minùs obligantur primis sex mensibus, quàm posteà.

Fructus dantur non immediatè pro officio diurno vel annuo, sicut mercenario vel famulo.

Tertiò, Quia fructus beneficiorum non dantur illis immediatè pro officio quotidiano, sicut mercenarijs pro opere diurno; neque etiam vt famulis pro obsequio annuo, sicut dominus solet cõstituere mercedem famulo pro ministerio annuo; (quia officium diuinum non est pretio æstimabile, sicut obsequium famuli) sed dantur immediatè ad sustentationem ministri Ecclesiæ, sub onere recitandi illas preces pro fundatore & populo Christiano, Deumque per illas laudandi. Vnde tenetur quidem lege Iustitiæ preces illas recitare, sicut Parochus lege Iustitiæ tenetur Sacramenta administrare; si tamen omiserit, non tenetur Iure naturæ fructus refundere; quia non censetur aliquid pretio æstimabile omisisse vel detraxisse, quod eo modo compensari debeat. non enim illi fructus dati sunt pro obsequio aliquo temporalem vtilitatem habente, sed absolutè in sustentationem, cum obligatione orandi. Vnde patet differentia inter famulum & beneficiarium: famulus enim etsi non teneatur ad restitutionem ob paucorum dierum negligentiam, sicut mercenarius diurnus; eò quòd stipendium ei detur immediatè pro obsequio annuo, in quo omissio paucorum dierum non censetur notabilis; tamen si multas hebdomadas omittat, tenebitur; quia subtraxit domino suo aliquid notabile, quod pretio æstimetur: ac proinde debet illud pretio vel aliquo obsequio compensare. beneficiarius autem non subtraxit aliquid pretio æstimabile, ac proinde non tenetur illud per restitu- 181 *Discrimen inter famulum & beneficiarium.*

tionem fructuum compensare; sed vel manet obligatus vt id quod omisit adhuc præstet per se vel per alium; (vt si omisit Sacra pro fundatore dicenda) vel obligatio cum tempore euanuit, eò quòd opus annexum esset tempori, & proinde per lapsum temporis factum sit impossibile: & sic solùm tenetur dolere de peccato cum proposito emendationis; vt si officium precum non soluit. quòd si illæ preces non essent singulis diebus addictæ, deberet eas postea recitare.

Quartò, Si Iure naturæ esset debita hæc restitutio, esset debita Ecclesiæ: atqui huic non est ita debita: tum quia non tam Ecclesia censetur læsa per illam omissionem, quàm anima fundatoris: tum quia si Ecclesiæ Iure naturæ esset debita, non posset alijs pijs operibus applicari.

Quintò, Si Iure naturæ esset debita, deberetur etiam cùm absque culpa officium omissum est; sicut operarius tenetur restituere mercedem, si per morbum vel simile impedimentum ex parte sua proueniens, opus non præstiterit: atqui Ecclesia numquam tales obligauit.

182 *Potest Ecclesia restitut. præscribere duplici modo.*

Hinc patet, nisi Ecclesia constituat vt restitutio fiat, illam non esse necessariam. Potest autem id dupliciter constituere. Primò, Per modum legis pœnalis, priuando eos qui omiserint, in vindictam peccati: hoc enim Ecclesia per absolutam potestatem suam facere potest. Verùm non sic videtur fecisse, quia ratio commodior suppetebat. Secundò, Per modum oneris, seu conditionis impositæ beneficiis: potest enim Ecclesia dare beneficia cum eo onere & sub ea lege & conditione, qua iudicat expedire. Itaque potest omnibus beneficijs, etiam curatis, imponere hanc legem, vt qui illa habet, non possit fructus absolutè suos facere, si ex culpa preces omittat. Eamdem legem posset imponere fundator. vnde propriè pœnalis non est, etsi in eos solos constituta sit, qui ex culpa omittunt, seu qui cessante legitimo impedimento non recitant.

183 *Quando acquirant absolutum dominium fructuum.*

Ex dictis sequitur Primò, Beneficiarios non habere absolutum dominium fructuum, etiam antè perceptorum, nisi postquam officium tempori illi respondens dixerint; vel certè absque culpa prætermiserint: nam expresè dicit Pontifex & Concilium, *vt fructus non faciant suos, si cessante legitimo impedimento officium omiserint.*

Qui per ignorantiam omittunt.

Secundò, Eos, qui per ignorantiam inculpatam omiserunt, non teneri ad restitutionem; vt si eis persuasum fuit à viris doctis, quibus meritò poterant credere, se non teneri pro anno domus mortuariæ, vel dum versantur in studijs.

Quæ attentio sit necessaria, dicetur infrà c.37. dub.11.de Oratione.

Dvbitatio xxxiii.

Vtrùm Canonici non canentes in choro officium diuinum, teneantur ad restitutionem distributionum.

184 Dico Primò, Vbi est consuetudo vt ipsi Canonici canant in choro, qui non canunt, non merentur distributiones, etiamsi domi preces recitent, aut submisse in Ecclesia dicãt. Ita Sotus l.10. q.5.ar.4.& Nauarrus de Orat. cap.10.n.47. Probatur Primò, Quia distributiones non sunt constitutæ ob nudam præsentiam, sed vt cum aliis psallant, & diuinum officium decantent, vt rectè Sotus ait: Canonicorum enim officium est psallere in choro, vt habet Concil. Basileense sess.21. §.3. Secundò, Quia Caietan. opusc.31. respon- *Dicens suũ versiculum submisse in choro, an satisfaciat:*
sione 8. docet, eum non satisfacere præcepto Ecclesiæ de dicendis horis, qui in Ecclesia alternantibus choris, suos versiculos submisse recitat, quamuis alios attentè audiat; eò quòd non communicet cum ceteris canendo, & sic per communicationem non censeatur totum recitare: quod Nauarrus sic intelligit, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, ita vt lucrari possit distributiones, quæ canentibus sunt constitutæ. Satisfacit tamen ita vt non peccet mortiferè, nec teneatur repetere; vt etiam docet Tabiena, §. vltimo: quia etsi non communicet cum eis quatenus canunt, communicat tamen quatenus recitant.

185 *Vbi per Vicarios canunt, non tenentur per se.*

Dico Secundò, Vbi est consuetudo vt Canonici per Vicarios officium peragant, probabile est, eos posse distributiones lucrifacere, etsi officium in choro vel domi recitent; modò temporibus constitutis præsentes sint. colligitur ex Caiet. v. Horæ canonicæ, sub finem; tenet Petrus Nauarra lib.2. c.2.nu.217. & Bernardinus Sandoualis de diuinis officijs cap.16.

Probatur Primò, Quia etsi veteri Iure, & prima institutione teneantur Canonici per se diuina officia canere; tamen consuetudine in multis locis introductum est vt per Vicarios canant, Prælatis scientibus & non contradicentibus: quæ consuetudo non est omnino contra rationem; nam sic diuinum officium magnificentiùs & suauiùs canitur, cùm Canonici sæpè voce, suauitate, vel peritia canendi careant: vnde per eam potuit Iuri antiquo derogari.

Secundò, In multis locis vtuntur cantu figurato, cui non expedit Canonicos se admiscere: sufficiet ergo vt ipsi tamquam maiores Clerici suâ præsentiâ omnia moderentur, & quæ alij canunt, ipsi attentè meditentur, (vt suprà ait Caietanus) vel reuerenter assistant.

Tertiò, Quia Concilium Trident. sess.24.c.12. de reform. non videtur requirere aliud quàm decentem præsentiam; *Distributiones*, inquit, *qui statutis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quauis collusione aut remissione exclusa, his careant.* Idem habetur in cap.1. de Clerico non residente, Bonifacij VIII. quod citatur à Concilio. Si Concilium vel Pontifex iste voluisset cantum esse necessarium, id expressisset.

186 *Superiores debent Canonicos cogere, &c.*

Dico Tertiò, Superiores Canonicorum, vt Episcopi, Decani, Præpositi habentes iurisdictionem in Capitula, tenentur curare vt Canonici per se & non per substitutos diuina officia obeant. colligitur ex Concilio Trident. suprà, *Omnes verò diuina per se & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inseruire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, distincte, deuoteque laudare.* quod intelligi quando non adhibetur cantus figuratus; non enim illi cantui suas voces miscere tenentur.

Aduertendum autem, hoc præceptum dirigi non ad Canonicos, sed ad Prælatos, vt conuenientibus Iuris remediis Canonicos cogant. vnde peccant Prælati, si id negligant; non autem Canonici

nonici sua consuetudine vtentes, quamdiu à Prælatis non vrgentur.

Dvbitatio xxxiv.

Quibus modis beneficia amittantur.

Diximus de modis acquirendi beneficij, de conditionibus in beneficiario requisitis, & de ijs ad quæ beneficiarij obligãtur: sequitur nunc vt dicamus de beneficiorũ amissione; quod quarto loco nobis in hoc capite propositum erat.

187 Porrò amitti beneficium antè possessum potest vel ex dispositione Iuris, vel per sententiam Iudicis, vel per liberam dimissionem seu resignationem.

Ex dispositione Iuris. Ex dispositione Iuris amittitur, Primò, Propter crimen aliquod, cui pœna amissionis ipso facto per Ius est annexa. Secundò, Propter alterius beneficij incompatibilis consecutionem. Tertiò, Per professionem Religionis approbatæ. Quartò, Per matrimonium validè initum. de tribus postremis satis dictum est suprà suis locis: de primo aliquid dicendum. Multa sunt crimina, quibus hæc pœna annexa est.

Crimina, quibus annexa est amissio beneficij. Primò, Hæresis, cap. Ad abolendam. 9. de hæreticis, §. 1. adeò vt hæretico non prosit regula de triennali pacifica possessione, vt docet Rebuffus pagina 311.

Secundò, Schisma, cap. Nos consuetudinem, d. 12. cap. Quia diligentia. 5. de electione.

Tertiò, Sodomia sæpiùs exercita, ex Bulla Pij V. apud Nauarrum cap. 27. n. 249.

Quartò, Percussio Cardinalis vel Episcopi. c. Felicis, de pœnis, in 6.

Quintò, Homicidium qualificatum; nempe per sicarium pretio conductum. cap. 1. de homicidio, in 6. iuxta Alexandrum consil. 166.

Sextò, Falsificatio litterarum Apostolicarum; cap. Ad falsariorum. 7. de crimine falsi.

Septimò, Si quis per se vel alium occidat Rectorem vel alium Clericum suæ Ecclesiæ in qua beneficium habet, cap. In quibusdam. 12. de pœnis.

Octauò, Si examinatores ad Parochialem, aliquid pro examine acceperint; de quo sup. dub. 16.

Nonò, Ob simoniam confidentiæ, ex Bulla Pij IV. & Pij V. apud Nauarr. cap. 23. num. 100. de quo infrà.

Decimò, Si obtinens Episcopatum, non accepit consecrationem intra sex menses à pacifica possessione, suprà dub. 19.

Vndecimò, Si obtinens parochialem, non fuerit promotus ad sacerdotium intra annum; dubitat. 19.

Duodecimò, Si quis duo incompatibilia primi generis simul retinere præsumpserit absque dispensatione, amittit etiam secundum, de quo suprà dub. 27.

Decimotertiò, Si Prælatus vel administrator alienet bona Ecclesiæ vel Monasterij absque forma Iure præscripta, vel inconsulto Romano Pontifice, Extrauag. Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis.

Decimoquartò, Si quis vi possessionem sit ingressus. cap. Eum qui 18. de præbendis, lib. 6. vbi statuitur, vt *qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, seu se scienter iniustè intrudit in eo, sit ipso Iure priuatus beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat.* item, vt qui vi & propria auctoritate occupat aliquod beneficiũ, eo ipso amittat ius, si quod antè ad illud vel in illo habebat, v. g. per electionem, vel præsentationem, vel collationem.

188 Notandum est, in his & similibus casibus (si tamen Iura illa quoad pœnas non sint vsu abrogata) beneficium impetrari posse tamquam vacans; sed crimen est probandum. Ipse tamen beneficiarius non tenetur sponte sua dimittere ante sententiam, vt suprà cap. 29. dub. 8. diximus, nisi in casu vndecimo & fortè decimo; quia Iura non sunt cum eo rigore recepta. Quando autem non est quis Iure priuatus, sed solùm priuandus; tunc beneficium ab alio impetrari non potest, nisi priùs feratur sententia priuatiua. Multa autem sunt crimina, ob quæ quis priuandus dicitur; vt homicidium non qualificatum, cap. Clericis. 5. ne Clerici vel Monachi, &c. sacrilegium, periurium, adulterium, & similia grauia delicta depositione digna; vt docent DD. in cap. Et si Clerici 4. & cap. Cùm non ab homine. 10. de Iudicijs.

Beneficium tale potest ab alio impetrari.

Crimina ob quæ dicitur priuandus.

Ratione absentiæ non vacat beneficium ipso Iure, sed requiritur sententia, qua absens priuetur. Hæc tamen sententia ferri non potest nisi ipso antè citato, vt colligitur ex cap. Quoniam. Vt lite non contestata, &c. & Glossa ibidem. & ex cap. 2. de Cleric. non resident. iuncta Glossa v. Depositus. & cap. Ex parte. eod. Quòd si nescitur vbi sit, seruanda est forma quæ præscribitur cap. Ex tuæ. eod. vt docet Glossa in d. cap. Quoniam, nempe *vt in eorum Ecclesiis trinæ citationis edictum publicè proponatur, vt reuertantur.* quòd si postea vltra sex menses redire distulerint, poterunt suis beneficiis spoliari. quòd si absentis beneficium absque huiusmodi citatione alteri collatum fuerit, reuertenti non oberit collatio, cap. Tuæ. de cler. non resident. vbi Panor. & alij. De quo vide Rebuffum, Titulo de Collat. num. 58.

Dvbitatio xxxv.

Quid resignatio in beneficiis, & quæ ad illam requirantur.

189 *Resignatio* hoc loco est iuris sui libera dimissio seu cessio. *Libera*, inquam, non coacta, quia *coacta* per iniuriam, est nulla, vel certè annullanda, cap. Super hoc, de renuntiatione, & Clem. Multorum, de pœnis. Hæc autem fit tacitè vel expressè. *Tacitè* fit ex Iuris dispositione, absque verborum expressione; vt si quis matrimonium contrahat; si lite super beneficio mota cedat; si per tres annos eam non prosequatur; si in Ordinibus constitutus, militiæ adscribatur; & alijs modis, quos vide apud Rebuffum §. De tacita resignatione, & Flaminium Parisium l. 1. de resignat. q. 1.

Expresse fit, quando disertis verbis agitur. hæc autem est duplex, alia *pura*, quæ fit sine conditione & pacto appositio; & tunc Ordinarius potest conferre beneficium cui libet. alia est *conditionalis* seu in fauorem: & hæc vel est *simplex* in fauorem, vt quando fit absque reseruatione; vel est *qualificata*, vt quando fit reseruato sibi iure regressus vel ingressus, vel pensione, vel aliquibus fructibus: de quibus plura infrà cap. 35. de simonia. vide Flaminium quæst. 2.

190 *Vt resignatio sit valida quæ requirantur.*

Circa quæ Notandum est, Vt *resignatio conditionalis*, & id quod ex vi illius secutum fuerit, sit validum, requiri Primò, Vt beneficium sit resignantis; quia resignatio est sui iuris dimissio. vnde si ita sit priuatus, vt sponte ante sententiam teneatur dimittere, non potest hoc modo resignare. quòd si fecerit, collatio ex vi illius secuta, erit inualida. Si autem non tenetur dimittere ante sententiam, resignatio valida erit; quia adhuc beneficium est ipsius quoad ius possidendi & fruendi; potest tamen postea per sententiam irritari: sicut contractus & alienationes eius, cuius bona ipso Iure sunt confiscata ob crimen hæresis, perduellionis, incestarum nuptiarum, &c. irritari possunt; etsi valeant donec sententia irritationis feratur. de quo vide suprà cap. 29. dub. 8.

Secundò, Debet esse libera, non metu vel dolo extorta, alioquin est inualida, vt dictum est; quãdo enim fraus vel metus dat causam contractui, non obligat, præsertim si velit is qui iniuriam passus est; nam saltem arbitrio eius potest rescindi; L. 1. ff. Quod metus causa gestum; de quo suprà cap. 17. dub. 5. quòd si quis spoliatus beneficio, coactus fuerit renuntiare, potest intentare remedium c. 3. Redintegranda. 3. q. 1. Nec Iudex debet audire detentorem, nisi spoliato fuerit restituta possessio, cap. Super hoc 5. de renuntiat. vide Gloss. in c. penult. de his quæ vi metúsve causa fiunt.

191 Tertiò, Debet fieri in manibus eius, qui potest eam admittere. Hic autem est Summus Pontifex, respectu omnium beneficiorum. Deinde Ordinarius, respectu eorum quæ ipsi subsunt. Tertiò, Collator vel institutor; præsertim si habeat iurisdictionem, qua possit ex causa etiam beneficio priuare. colligitur ex cap. Admonet. 4. de renuntiat. Quidam tamen insinuant apertè, talem iurisdictionem non esse necessariam: nam solùm dicunt non esse improbabile eam requiri. Ita Innocent. in cap. Quod in dubiis. 8. in fine. de renuntiat. & Glossa Clement. 1. de renuntiat. v. Manibus.

Vbi aduerte, quando resignatio fit in manus Ordinarij, & collatio pertinet ad inferiorem, vt ad Decanum, Præpositum, vel Canonicum; non posse Ordinarium sine illius consensu conferre: nam non debet proprius collator vel institutor per hoc Iure suo priuari. Quòd si fiat in manibus laici, valet quidem in præiudicium resignantis, ita vt possit eo spoliari; non tamen ita vt vacet, nisi Superioris consensus accesserit; vt apertè colligitur ex d. c. Quod in dubijs. Idem dicendum si fiat coram Notario, vel alio, qui non est Superior Ecclesiasticus resignantis; cap. fin. de renuntiat. vide Flam. Parisium lib. 7. quæst. 9. & Rebuffum de resignat. expressa, n. 11.

Porrò Ordinarius non potest admittere resignationem cum regressu vel ingressu, quia continet simoniam confidentiæ, vt infrà dicetur. Potest tamen Pontifex eam admittere; cuius auctoritate hęc labes potest tolli à resignatione, cùm solo Iure humano sit inuecta. De resignatione cum pensione & in fauorem tertij, est dubium: pleriq; enim Doctores tenent eam esse simoniacam, nisi fiat in manibus Pontificis. sed de hoc infrà c. 35. de simonia, dub. 14. & 15.

Resignatio cum reseruat. pensionis.

Quartò, Debet acceptari à Prælato, in cuius manibus fit; alioquin resignans non perdit ius suum, cap. finali de renuntiat. & cap. Inter. 17. de præbendis.

Quintò, Debet conferri illi, in cuius fauorem 192 cum clausula consueta est resignatum, alioquin prouisio non valebit, etiamsi à Papa sit facta, vt docet Rebuffus, §. De resignatione conditionali, numero 16. & colligunt Doctores ex cap. vnico, de rerum permutatione, in 6. non enim potest ius meum mihi auferri & dari alteri, me inuito, nisi in pœnam.

Sextò, Requiritur, vt is, cui confertur ex vi resignationis, illud acceptet; alioquin resignans non amittit suum beneficium, propter clausulam *non aliter*, &c. Vbi aduerte, etiamsi beneficium iam sit collatum resignatario, tamen resignans manet in administratione sui beneficij, donec alter possessionem acceperit; quia antè non amittit possessionem. Sicut Proconsul manet in administratione, donec successor aduenerit, & quasi Prouinciæ possessionem ceperit; L. Meminisse. 10. ff. de officio Proconsulis.

Quando amittat possessionem.

Septimò, Requiritur consensus patroni, si est 193 beneficium Iuris patronatus; vel electorum, si est electiuum; alioquin resignatio in fauorem non valebit, sicut nec permutatio. Ita Glossa in Clem. vnica, de rerum permutat. Felinus in cap. Cùm Bertoldus. 18. col. 5. de sent. & re iudicata. Rochus de Iure patronatus, v. Honorificum, q. 3. Gigas, de pensionibus, q. 23. & 24.

Consensus patroni.

Si tamen resignatio illa putaretur Ecclesiæ vtilis, posset eam Superior approbare; (sicut dicemus de permutatione) & valeret absque consensu patroni. Hoc tamen casu si patronatus est laici, debet ei derogari in litteris collationis. Idem dicendum in permutatione, alioquin non est valida, vt docet Gigas q. 24. num. 5.

Octauò, Si resignans sit infirmus, debet super- 194 uiuere 20. dies post resignationem: alioquin censetur beneficium vacare per obitum, non per resignationem; ac proinde omnis collatio ex vi talis resignationis secuta, est irrita. Ita expressè habet regula Cancellariæ, quam explicat Rebuffus, §. Regula de infirmis.

20. dies ante mortem.

Nonò, Si resignatio fiat in Curia Romana, debet intra sex menses, à die supplicationis oblatæ computandos, publicari in loco beneficij: si autem fiat extra Curiam, intra mensem publicari debet: alioquin si contingat resignantem mori antè quàm resignatarius ceperit possessionem, beneficium censebitur vacare per obitum, & collatio facta resoluetur. Ita habet regula Cancellariæ, quam idem Rebuffus explicat, §. Regula de publicandis.

Publicatio resignationis.

Dvbitatio XXXVI.

Quid permutatio, & quæ ad eam requisita.

195 *Requisita ad permutationem.*

Permutatio est certæ rei ad alteram facta mutua præstatio. vt habetur L. 1. ff. de rerum permutatione. quæ definitio etiam beneficiorum permutationi conuenit. Ad hanc ferè omnia requiruntur, quæ ad resignationem in fauorem. Primò enim requiritur, vt permutantes sint domini suorum beneficiorum: nemo enim potest permutare cum alio nisi rem suam. Vnde qui iam accepit secundum beneficium incompatibile, non potest permutare primum cum alio simplici; quia vacat,

1. *Debent esse domini beneficij.*

ita

ita vt non sit amplius ipsius. Secùs si in pœnam delicti dicatur vacare, vt dictum est suprà num. 190. Pari modo si alter nihil iuris habeat in beneficio quod permutat, non valet permutatio ; cap. Cùm venerabilis, de exceptionibus, & L. 1. ff. de rerum permut. & vterque redit ad suum beneficium, sine noua collatione, vt notat Ioannes Andr. in c. vnicum, de rerum permutatione, in 6. quia nihil censetur actum defectu conditionis necessariæ. Si beneficium post permutationem deprehẽdatur subiectum liti; qui illud resignauit, debet litem prosequi; & si euictum fuerit, alter redibit ad suum; cap. Si beneficia. 20. de præbendis, in 6.

Secundò, Libera. Secundò, Debet esse libera, id est, non fraude vel metu extorta, vt suprà n. 190.

196 *Tertiò, in manus Ordinarij.* Tertiò, Requiritur vt vterque beneficium suum resignet in manus Ordinarij, cui beneficium subest, siue is sit vnus idemque, siue alius & alius. Vbi Aduerte, inferiorem Episcopo, absque præuio illius consensu permutantibus præstito, non posse recipere resignationes causa permutationis, & ex vi illius conferre : id enim solis Episcopis concessum videtur, cùm aliàs sit Iure prohibitum; vt patet c. Quæsitum. 5. de rerum permutatione. vbi dicitur, *Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de iure fieri non possunt præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritalia, vel connexa spiritalibus, labem semper continet simoniæ. Si autẽ Episcopus causam inspexerit necessariã, licitè poterit de vno loco ad aliũ transferre personas*, &c. Cõfir. ex c. Admonet. 4. de renunt. vbi dicitur, *Vniuersis personis tui Episcopatus sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto.* Itaq; soiius Episcopi est auctoritatem permutandi præbere, sine qua omnia erũt irrita. Si tamen collatio ad alios pertineat, Episcopus non potest sine eorum consensu exequi permutationem, recipiendo resignationes, & conferendo ipsa beneficia; sed permutantes ad collatores sunt remittendi, vt in manus eorum resignatio fiat, & ipsi iure suo vtantur. Non enim hi iure suo priuandi. Si tamen alicubi sit consuetudo vt etiam inferior Episcopo, vt Abbas, Præpositus, Decanus, sua auctoritate permutationes admittant & exequantur, valebit, vt docet Glossa & DD. in Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Quòd si Ecclesiæ sint exemptæ, earum permutatio à Summo Pontifice est approbanda.

Consuetudo.

197 *Quartò, Collatio fiat in permutantes.* Quartò, Requiritur vt fiat collatio in permutantes. Vbi Aduerte, beneficium causa permutationis resignatum, non posse conferri nisi compermutanti : si alteri collatum fuerit, irrita est collatio, vt expresse habetur Clement. vnica, de rerum permutatione. vnde Ordinarius, si admiserit permutationem, adstringitur ipsis conferre. Neque est necesse vt resignationes aut collationes fiant eodem tempore ; possunt enim sæpè multi menses intercedere : quod maximè locum habet, quando beneficia sunt in diuersis diœcesibus ; tunc enim debent resignari coram diuersis Episcopis, à quibus posteà debent etiam conferri. Vnde sequitur, si Petrus & Paulus permutent sua beneficia, & Paulus resignet prior, factaque resignatione & collatione moriatur antequam Petrus resignationem sui beneficij faciat, Petrum habiturum vtrumque ; vt etiam docet Rebuffus, §. De permutat.

198 *Quintò, Consensus patronorum, &c.* Quintò, Requiritur consensus illorum, ad quos electio vel præsentatio spectat : alioquin non valebit permutatio; Glossa in Clem. dictam; cum Felino & Rocho suprà nu. 193. citatis. non tamen est irrita talis permutatio, sed à patrono in irritum reuocari potest, mediante sententia Iudicis, si intra tempus à Iure ad præsentandum concessum contradixerit. quòd si intra illud tempus non contradixerit, sciens illam esse factam, efficitur valida & firma. Vide Couar. qq. Pract. c. 36. n. 9.

Aduerte tamen, si patronus requisitus nolit consentire, posse Episcopum (si iudicat permutationem expedientem Ecclesiæ) sua approbatione supplere consensum, & valebit permutatio. Ita iudicauit totus Senatus Parisiensis, teste Rebuffo num. 22.

199 Sextò & Septimò, Requiruntur duæ vltimæ conditiones, dubitatione præcedenti positæ.

Ius ad rem an possit permutari. Petes Primò, Vtrùm ius ad rem possit permutari, v.g. ius præsentationis, vel gratiæ expectatiuæ cum simili iure, vel cum beneficio?

Communis sententia Doctorum est, id fieri non posse. probant ex cap. fin. de rerum permutat. Sed ibi tantùm dicitur *spiritalia cum temporalibus permutari non posse*, vt ius decimarum cum pecuniæ summa : gratia autem expectatiua, & ius nominationis non est quid temporale, sed spiritale. Nihilominùs tenenda est communis sententia, præsertim de gratia expectatiua; quia gratiæ sunt personales, & non excedunt casum expressum; vnde nec personam cui conceduntur. Ita Panormitan. in cap. Cùm olim. 7. de rerum permut. quod probatur ex cap. Cui de non sacerdotali. 27. de præbendis, in 6. vbi dicitur, *Mandata de prouidendo, seu gratias expectatiuas non debere extendi vltra casus expressos*. Puto tamen has permutationes non esse irritas, si Ordinarius illas admittat; quia nusquam hoc Iure expressum : & interueniente Superioris auctoritate, in huiusmodi non committitur Simonia, cùm sint res spiritales. vnde si ob iustam causam, v.g. ad litem componendam fieret, non putarem damnandum. Vide cap. 35. dubit. 4. num. 30.

Non videntur irrita ipso facto.

200 *Permutatio ficta.* Petes Secundò, Si quis velit suum beneficium resignare in meum fauorem, & Ordinarius nolit talem resignationem admittere, vt ipse possit beneficium alteri conferre ; vtrùm ego possim vti permutatione ficta, resignando causâ permutationis beneficium, quod non habeo?

Rebuffus, §. De permutat. num. 14. & 15. putat talem permutationem validam esse. ratio est, quia non interest nisi partis, cui nulla hìc fit iniuria. vel enim est conscia, & sic consentit; vel si non est conscia, integrum illi manet aut redire ad suum beneficium, aut agere ad complementum permutationis. Confirmatur, quia si tibi dedi rem meam causâ permutationis, & posteà nolim tuam, eamque tibi condonem, non irritatur permutatio.

Hæc sententia alicui vera videri queat, si tu bona fide putabas me habere beneficium, quod cum tuo permutarem, & ideò resignasti coram Ordinario, qui mihi illud contulit : tunc enim transfertur dominium propter bonam fidem contrahentis; iuxta ea, quæ dicta sunt suprà cap. 20. dubit. 18. & 19. Potest tamen me cogere vt impleam contractum, vel vt acceptum restituam. Si autem sciebas me non habere beneficium, res est minùs verisimilis; quia tunc non poteras bona fide velle per-

permutare, sed donare gratis, seu resignare in fauorem; quam resignationem Episcopus noluisset admittere. vnde videtur collatio facta per errorem, ac proinde irrita.

Dices fortè, non esse irritam, quia Episcopus cõfert absolutè volente parte, cuius est beneficium: vnde hîc nulli fit iniuria. Nec refert quòd Episcopus conferat per errorem, quia hic error est extrinsecus, versatur enim circa causam collationis: putat enim se conferre causâ permutationis, cùm non sit mutatio.

Nihilominùs hæc sententia mihi non probatur. Primò, Quia ianuam multis fraudibus aperit. Secundò, Quia facta permutatio non est permutatio, & consequenter nullam vim habet. vnde Ludou. Gomez. q.19. in reg. Cancellar. de infirmis, dicit, permutationem cum beneficio, quod vocant *de pertica*, id est, cum beneficio ficto, non valere. Tertiò, Quia collatio in hac permutatione est per errorem & fraudem extorta. Nec refert quòd error sit circa aliquid extrinsecum: nam etiam talis error, quando est causa contractus vel alicuius dispositionis, reddit illam irritam, vel certè in irritum reuocabilem, vt dictum est cap.17.dub.5.

Dvbitatio XXXVII.

Quid & quotuplex sit pensio.

201 PEnsio hoc loco *est ius non-perpetuum percipiendi fructus ex alieno beneficio.* Dico *Non-perpetuum*, vt excludatur Beneficium: hoc enim ita institutum est, vt non solùm ad vitam vnius vel duorum duret, sicuti pensio, sed vt sit perpetuum. Dico, *Ex alieno*; quia nemo ex suo beneficio dicitur habere pensionem, cùm eius habeat proprietatem & fructus omnes; sicut nemo dicitur habere vsumfructum in suis bonis, sed solùm in alienis; est enim pensio similis vsuifructui à proprietate separato.

202 *Pensio triplex.* Pensio est triplex, temporalis, spiritalis, media. *Temporalis* dicitur, quæ datur propter aliquod ministerium temporale præstitum vel præstandum; vt ea, quæ datur vito illustri vel Principi vt Ecclesiam defendat; quæ œconomo, vel alteri negotia Ecclesiæ agenti: item quæ datur ob bonam operam Ecclesiæ nauatam, vel ob spem nauandæ.

Spiritalis est, quæ fundatur in titulo merè spiritali, vt ea quæ datur concionatori, vel adiutori Episcopi aut Parochi.

Media est, quæ fundatur in solo statu spiritali, non tamen in officio spiritali præstando; vt ea quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni, vt se sustentet; & quæ datur causâ resignationis vel litis componendæ. hæ duæ postremæ vocantur clericales, seu Ecclesiasticæ pensiones, quia solis Ecclesiasticis dantur; prima verò laica, quia laicis.

Dvbitatio XXXVIII.

Quænam requirantur vt pensio Ecclesiastica possit obtineri.

203 *1. Capacitas quæ requirit. Clericatus.* PRimò requiritur vt obtinens sit capax. vt autem sit capax, necesse est Primò, Vt sit Clericus, ac proinde vt habeat primam tonsuram, vt docet Gigas q.22. quod intellige, si pensio reseruetur alicui tamquam Clerico: quia etsi Ius expressum hac de re non sit, tamen ita seruat stylus Curiæ Romanæ, qui pro lege seruatur, vt dicunt DD. *Ætas.* Ætas autem ea sufficit, quæ ad tonsuram, vt docet Gigas quæst.13. Neque Concilium Tridentinum quidquam hac in re mutauit: etsi credam magis secundùm mentem Concilij esse vt adsit ætas necessaria beneficiis. *Legitimus.* Secundò, vt non sit illegitimus: hic enim sine dispensatione non est capax pensionum, vti nec beneficiorum; vt probat Gigas q.16. neque Episcopus cum eo dispensare potest, nisi ad pensiones, quas ipse potest reseruare. Tertiò, Vt *Non innodatus censura.* non sit excommunicatus; hic enim sicut aliorum priuilegiorum impetrandorum est incapax, ita etiam pensionum. Vnde is, cui pensio reseruatur, solet in litteris absolui ad cautelam, sicut in litteris prouisionis beneficiariæ. Idem videtur dicendum de irregularitate; ita Nauarr. Consil.35. de Homicidio. Emmanuel tamen Sâ v. Homicidium n.21. dicit, homicidam voluntarium, qui tamen maximè est irregularis, non esse incapacem pensionis. itaq; declaratum à Congregatione Concilij, neque id in editione Romana est correctum. vnde hæc sententia est valdè probabilis.

Secundò, Requiritur vt subsit *iusta causa*: qui 204 enim sine iusta causa pensiones obtinent, non sunt *2. Causa iusta.* tuti in conscientia, etiamsi Pontifex cum eis dispensauerit; vt docet Toletus l.5.c.73. ex communi sententia Theologorum. Sicut qui accipit pecuniam ab œconomo, quem scit malè dispensare res domini sui, non potest retinere; præsertim si nullum officium pro ea præstiterit. hæc autem causa debet cedere in vtilitatem Ecclesiæ; vt propter aliquod ministerium temporale vel spiritale Ecclesiæ exhibitum vel exhibendum, vel ad pauperem Clericum alendum, vel ad litem beneficiariam componendam, vel ad permutationem beneficiorum inæqualium faciendam.

Tertiò, Requititur *potestas* in constituente seu *3. Potestas.* reseruante. hæc autem est in Summo Pontifice, ad quem plenaria dispositio beneficiorum noscitur pertinere; vt habetur cap.2. de præbendis, in 6.& Clement.1. in fine, Vt lite pendente.

Sed dubium est, Vtrùm Episcopus possit pen- *An Episcopus pensionem reseruet.* sionem constituere?

Quidam docent, posse, si causa iusta subsit. Ita 205 Gigas q.6. qui pro hac sententia citat Oldradum, Felinum, Antonium de Butrio, Innocent. Imolam, Petrum Ancharanum, Decium & Cacchialupum. *Causa iusta* censetur, Primò, Si assignetur seni Parocho, non valenti ampliùs seruire, vt alatur. Secundò, Si causâ transactionis in lite; vt patet cap. Nisi essent.21. de præbendis, & cap. Audiuimus.3. de collusione detegenda. Tertiò, Si causâ permutationis, ob inæqualitatem fructuum, cap. Ad quæstiones.6. de rerum permutatione. vbi satis apertè id videtur concedi. ita docet Nauarr. Consil.22. de Simonia n.4 cum Anch. & Felino. Causâ verò simplicis resignationis, Doctores Episcopo id non concedunt; nisi resignans esset senex, & ad præstandum officium ineptus, vel nisi alia rationabilis causa interueniret. In his casibus non potest eam constituere, nisi ad vitam eius cui assignatur, vt docet Gigas ex Oldrado & Ancharano. Ve- 206 rùm quidam dicunt, pensionum constitutionem per stylum Curiæ reseruari Summo Pontifici. Vnde Ordinarij non poterũt, nisi quatenus id eis priuilegio

uilegio vel consuetudine est concessum. nam stylus Curiæ ius facit: quod maximè in pensionibus verum est, quarum ius vniuersum ferè cõstat consuetudine. Confirmatur, quia pensionum constitutio est contra Ius commune, quo statuitur vt beneficia sine imminutione conferantur, Decretal. lib.3.titul.12. Itaque continet in se dispensationem Iuris. at Episcopus, vtpote inferior, non potest dispensare in Iure, nisi quatenus id ei ipsum Ius, vel consuetudo legitimè præscripta, quæ instar Iuris habeat, concedit. Idem confirmari potest Extrauag. Ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Nam constitutio pensionis non minùs est alienatio quàm vel decennalis locatio, vel hypothecatio: quia est alienatio rei immobilis, nempe Iuris Ecclesiæ competentis. pars enim Iuris Ecclesiæ ad fructus alienatur. quod maximè locum habet in pensionibus perpetuis. Ius autem tale inter immobilia censeri constat. Idem crediderim de pensionibus vitalibus. quia non minùs inter immobilia censeri debent, quàm redditus vitales, & vsusfructus. Addo, has pensiones plerumque annexam habere aliorum bonorum obligationem, quæ etiam illi Extrauag. repugnat. Requirit autem ea consuetudo de qua diximus, vt legitimè præscripta censeri debeat, secundùm communiorem sententiam DD. vel 40. annos cum titulo, vel tempus immemorabile sine titulo. quia Ius commune & Iuris præscriptio ei obstat, iuxta cap.1. de præscript.in 6.

Hæc tamen potissimùm intellexerim de pensionibus quæ primariò imponuntur ipsi beneficio, ita vt simul cum beneficio tamquam onus annexum transeant in successorem beneficij. Harum enim constitutio meritò soli Papæ reseruatur, nec Iure communi conceditur Episcopis: quia id cederet in damnum successoris. Secùs fortè de illis quæ primariò imponuntur ipsi personæ beneficiarij, & solùm secundariò ipsi beneficio, nimirum pro eo tempore quo ipsius fuerit, ita vt simulatque ad alium translatum fuerit, onus pensionis extinguatur. Nam id in nullius cedit præiudicium, & tæpè grauis causa subest ita statuendi, & ipsi beneficiario expedit, qui etiam in talem pensionem consentit. Et de tali pensione intelligendi Doctores & Iura suprà n.205.allata.

Nec obstant Canones, quibus dicitur Beneficia sine diminutione conferenda: quia tantùm intendunt vetare, ne Episcopus vel Collator sibi partem fructuum reseruet, titulo in alium collato: & ne ipsa beneficia diuidat in duo: vel ipsa primariò oneret: vt patet ex locis citatis, & ex cap. Maioribus. cap. Vacante. & cap. Cum causis, de præbendis. denique ne sine graui causa pensiones etiam secundariò imponantur. Si tamen talium pensionum constitutio stylo Curiæ Pontificis esset reseruata, illi standum.

Quartò, Debet esse moderata, ita vt beneficiario relinquatur quantum satis est ad sustentationem; præsertim si sit beneficium cum cura animarum. Vnde inoleuit consuetudo vt non excedat tertiam partem fructuum, teste Caccialupo, tract. de pensionib. q.7. & regulariter Legatis Apostolicis datur potestas reseruandi pensiones super fructibus beneficiorum ex causa resignationis vsque ad tertiam partem prouentuum; vt testatur Gigas q.6. & 9. potest tamen Pontifex maiorem constituere. 4. *Moderata.*

Quintò, Etsi beneficium, cui pensio imponitur, sit Iuris patronatus laicorum; non tamen est necessarius consensus patroni, vt quidam volunt: quia id nullo Iure cauetur; & alias nullum fit ei per impositionem pensionis præiudicium: patroni enim non est percipere aliquos fructus, nisi in necessitate, quando ab Ecclesia deberet ali: quæ necessitas, cùm non impendeat, non est considerabilis: sed tantùm eius est præsentare instituendum; quod ei per pensionem non adimitur. secùs est in permutatione & resignatione, quæ fit in fauorem, & in vnione beneficiorum; in quibus suo iure priuatur. vnde debet ordinariè eius consensus interuenire. debet tamen in litteris pensionis fieri mentio, & derogatio patronatus, si sit laicorum, vt habet stylus Curiæ; teste Gigante quæst. 24. non tamen si sit Ecclesiasticorum; vt tradunt DD. in cap. Cùm dilectus, de Iure patronatus. difficiliùs enim Pontifex onerat beneficia patronatus laicorum, quàm Ecclesiasticorum. 207 *Consensus patroni non est necessarius.*

Sextò, Pensionarius etsi Iure antiquo non tenebatur ad aliquas preces, nunc tamen post constitutionem Pij V. vbi ea est recepta, tenetur recitare Officium B. Virginis; vt patet ex Bulla eiusdem. quod si omiserit, non facit fructus suos; eodem prorsus modo, quo beneficiarius horas Canonicas omittens. vide Bullam eius apud Nauarrum c.25. num.122. 208 *Recitat Horas beatæ Virginis.*

Septimò, Pensio non est perpetua vt beneficium, sed morte pensionarij extinguitur, sicut vsusfructus morte vsufructuarij. Posset tamen Pontifex efficere vt sit perpetua instar beneficij, vtque de vno in alium transferatur. sed hoc ex plenitudine potestatis, non ex natura & conditione pensionis.

Vtrùm pensio possit redimi, vel vendi, dicetur capite sequenti dub.22.

CAPVT

CAPVT XXXV.

De Simonia.

Constat Dubitationibus 31. *D.Thomas quæst.* 100.

ETsi simonia sit peccatum oppositum religioni, tamen visum est de ea proximè post beneficia tractare, eò quòd potissimùm in præsentationibus, electionibus, postulationibus, collationibus, resignationibus, & permutationibus beneficiorum locum habeat. Primùm dicemus de simonia secundùm se. Deinde de præcipuis modis in particulari, quibus fieri solet. Tertiò, de pœnis eius.

DVBITATIO I.

Quid simonia.

D.Thomas art. 1. *quæst.* 100.

1 *Dicta simonia à Simone mago ob tres causas.*

NOTANDVM est, *simoniæ* peccatum à *Simone* mago nomen accepisse, idque ob tres causas.

Primò, Quòd ille primus tempore noui Testamenti legatur hoc crimine infectus fuisse, Actor.8.

Secundò, Quòd grauissimè inter omnes antiquos hoc genere peccati peccauerit: voluit enim emere pecuniâ donum illud & potestatem admirabilem visibiliter conferendi Spiritum sanctum, idque eo fine vt ipsum Spiritum sanctum posteà venderet; vt docet diuus Augustinus tract.10. in Ioannem. *Volebat*, inquit, *emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum*; & colligi potest ex c.8. Actorum. Priores autem solùm rem spiritalem creatam vendiderunt; vt Balaam suam prophetiam, Num.12.& 23. Giezi minister Elisæi sanitatem diuinitus concessam, 4.Reg.5.

Tertiò, Quia Simon videtur etiam pertinaciter sensisse hoc ipsum esse licitum, ac proinde fuisse hæreticus hac in re: quod insinuat D.Ambros. l.2. de pœnitentia cap.4. & habetur 1. quæst. 1. can. Petrus. videtur autem hoc vitium maximè cœpisse vocari nomine simoniæ tempore Gregorij I. qui etiam vocat illud *hæresim simoniacam*, nempe quia est exterior quædam professio hæresis seu prauæ opinionis; (sicut imaginum deturbatio & conculcatio est professio hæresis internæ) præsertim si publicè & sine pudore fiat, sicut fiebat in Galliis tempore Gregorij, vbi palàm pro collatione ordinum exigebatur pecunia, vt constat ex registro epist.110. 113. & 114. Priores tamen Patres vocant illud passim vitium Simonis, vt Chrysostomus, Ambrosius, & Nazianzenus. vide plura testimonia 1.quæst.1.

2 *Est contra religionem.*

Notandum Secundò, Simoniam esse vitium contra virtutem religionis, consistens in rerum sacrarum indigna tractatione, non qualibet; (variis enim modis indignè tractari possunt) sed qua res sacræ tamquam profanæ æstimantur, & in contractus deducuntur: hæc enim est magna in Deum, à quo sanctitatem habent, irreuerentia: quæ vocatur simonia. Vnde patet simoniam esse speciem sacrilegij, qua res sacra indignè tractatur, dum pretio temporali æstimatur, & in contractum deducitur. Solet autem sic definiri:

3 *Definitio simoniæ.*

Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spiritale, vel spiritali annexum. sic Glossa in cap.11. Qui studet. 1.q.1. passim à DD. recepta. solùm additur à DD. *pretio temporali*, maioris explicationis causâ. Hæc definitio habet quatuor partes.

Explicatur definitio.

Prima, *Studiosa voluntas*, id est, deliberata; vt excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpata. loquimur enim de peccato simoniæ in sua specie perfecto.

Secunda, *emendi vel vendendi*; quibus verbis significatur omnis omnino contractus non gratuitus, siue sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio, &c.

Tertia, *Pretio temporali*; si enim detur spiritale pro spiritali, non erit propriè simonia, vt infrà dicetur. turpitudo enim huius peccati consistit in eo, quòd spiritalia æstimentur pretio humano vel re aliqua humana, quæ sit pretio æstimabilis.

4 *Triplex pretium.*

Solet autem à DD. triplex pretium distingui, ex cap.8. Saluator. 1.q.3. *Pretium muneris*, vt pecunia, equus, bos, vestis, & similia vendi consueta. *Pretium linguæ*, vt laus & vituperatio, patrocinium aduocati, commendatio apud Principem: hoc enim officium est pretio æstimabile. *Pretium obsequij*, vt ministerium aliquod in rebus temporalibus, vt est famuli, œconomi, &c.

Malitia huius peccati.

Quarta, *Aliquid spiritale, vel spiritali annexum*; quia res merè temporalis non est materia simoniæ; illius enim commutatio non est contra reuerentiam rebus sacris debitam. Hinc patet, malitiam huius vitij in eo consistere, quòd iniuria quædam & irreuerentia fiat rebus sacris, atque adeò ipsi Deo, dum tamquam res temporales pretio æstimantur, & contractibus subiiciuntur.

5 *Spiritale.*

Spiritale hîc vocatur non omne aut solum incorporeum; sed quod est aliquo modo supernaturale, siue sit aliquid reale, siue morale tantùm, siue in modum actus, siue in modum habitus. talia sunt virtutes supernaturales, gratiæ præuenientes, gratiæ gratis datæ, Sacramenta, consecrationes, benedictionesque Ecclesiæ, & omnis vsus potestatis supernaturalis.

Annexum spiritali.

Spiritali autem annexum est, quod cum aliquo spiritali connexionem habet: quod tripliciter fieri potest; antecedendo, consequendo, comitando. *Antecedendo*; vt Ius patronatus; quia supponitur præsentationi beneficiorũ. Item secundùm quosdam, vestes & vasa sacra, templa, altaria; quia referuntur ad sacrificium Missæ. *Consequendo*; vt beneficia Ecclesiastica, quia supponunt officium diuinum. *Comitando*; vt labor in ministerio Sacramentorum.

6 *Supernaturalia sunt simoniæ materia.*

Petes, Quare sola supernaturalia censentur esse materia simoniæ?

Respon-

Respondeo, Quia cùm hæc naturâ suâ sint talia, vt humana industria non possint comparari, sed solùm diuino munere gratis concedi; magna irreuerentia est, si pretio, sicut aliæ res humanæ æstimentur: quod locum non habet in ijs, quæ naturaliter possunt haberi; etiamsi per accidens alicui supernaturaliter infusa sint, vel post amissionem restituta; vt si alicui sit infusa ars mechanica, vt Beseleel; vel oculi amissi diuinitus restituti. Non enim quia aliquid diuinitus acceptum est, ideò efficitur inuendibile, sed quia est ordinis supernaturalis, nullis causis naturalibus comparabile, & directè concessum à Deo ad animarum conuersionem & salutem supernaturalem. Vnde etsi fama & vita non sint pretio æstimabilia, tamen quia sunt bona humana ordinis naturalis, non debetur illis ea reuerentia, vt non subijciantur pactis & pretio temporali. Nam vita licitè pecunia redimitur, & homines emuntur in seruos, & fama interdum interuentu pecuniæ vel comparatur, vel recuperatur.

7 *Vendere doctrinam licitum.*

Ex his sequitur Primò, Non esse simoniam, vendere doctrinam vel notitiam cuiusuis veritatis naturali industria comparabilis; vt rectè docet Sotus l.9.q.5.art.1. Victoria, de simonia, relect.1. num.5. & Adrianus quodlib.9.art.11. vbi id fusè probat, & citat Durandum, Richardum & Paludanum. Est contra Altisiodorensem 3.p.quæst. pænult. de simonia. & Alex. Halensem 2.p.q.185. num.3. qui dicunt scientiam vendi non posse, quia est inæstimabilis pretij; sed solùm laborem qui in docendo ponitur. Sed probatur Primò, Quia naturali industria paratur, & ex causis naturalibus illa cognitio oritur. Secundò, Quò quis est doctior, eò maius stipendium potest exigere, & tamen minùs laborat: quod est signum, æstimari scientiam ipsam. Tertio, Idem patet ex eo, quòd pro sublimiori doctrina maiora solent peti stipendia; quod tamen non liceret, si vendere doctrinam esset simonia.

Nec refert, quòd sapientia non possit auro æstimari; quia sapientia non solùm pendet ab alterius doctrina, sed etiam à lumine interno. Deinde etsi secundùm naturam suam non possit auro conferri; tamen ratione quarumdam conditionum annexarum, quæ æstimantur apud homines, vt sunt voluptas cognitionis, dignitas apud homines, vtilitas temporalis inde proueniens, potest sine iniuria auro conferri. Simili modo, homo secundùm naturam suam est præstantior toto mundo, tamen ratione vtilitatis temporalis ex illo prouenientis, potest pretio vendi.

8 *An apud Ethnicos, Iudæos, & in statu nudæ naturæ.*

Sequitur Secundò, In statu nudæ naturæ non futuram fuisse simoniam propriè dictam; quia nihil ibi fuisset supernaturale. Similiter nec apud Iudæos modò, nec apud Infideles est vlla vera simonia in venditione rerum sacrarum; nisi ex conscientia erronea, qua existimant se vendere rem sacram; (sicut Ieroboam vendens sacerdotia excelsorum, 3.Reg.13.) cùm nihil sit apud ipsos verè sacrum aut supernaturale. In statu tamen nudæ naturæ potuisset esse aliquid affine simoniæ; nam fuisset ibi verus Dei cultus, veri Sacerdotes, sacrificia & sacrificandi instrumenta, quæ nonnullam habuissent sanctitatem, in morali quadam deputatione constitutam, quam pecuniâ æstimare, nonnulla videtur futura fuisse irreuerentia. Potest etiam Ethnicus committere veram simoniam in rebus Christianorum, vt si veneret Baptismum, aut vasa sacra propter consecrationem.

Sequitur Tertiò, Non esse simoniam, dare alicui beneficium ob amorem humanum; vt quia sanguine vel amicitia iunctus, &c. quia nullum intercedit pactum pro pretio. Similiter nec ob timorem; vt si des alicui beneficium ne tibi noceat, modò pactum non interueniat. Quòd si pactum interuenerit, dubium est, de quo inf. d.21. Negari tamen non potest, quin nonnulla sit in sacrum officium irreuerentia, si beneficium ob amicitiam humanam vel similem causam detur; magisque spectentur causæ priuatæ, quàm bonum Ecclesiæ. 9 *An ob amorem vel timorem.*

Sequitur Quartò, Non esse simoniam, quando Sacerdos præstat ministeria sacra, etiam principaliter, ob lucrum temporale; modò nullum pactum tacitum vel expressum interueniat: quia ratio simoniæ consistit in pactione & contractu, secundùm communem sententiam Doctorum. 10 *An lucri.*

Nec obstat, quòd D. Thomas quodlibet. 8. art. 10. contrarium sentire videtur in casu proposito; quia in Summa videtur mutasse sententiam, cùm ad simoniam requirat pactum; vt patet art.1. ad 5. Potest tamen dici latè simonia, quia qui æstimat ministerium spiritale ex vtilitate temporali, magnam irreuerentiam in illud committit, & facilè ad contractum descenderet.

Sequitur Quintò, Non esse simoniam, si quis animo non quidem verè emendi aut soluendi, sed decipiendi dumtaxat, promittat aliquid temporale pro beneficio; vt rectè Caietan. opusc.9. quæst.2.tom.2. & Sotus l.9. quæst.8.art.1. Idem sentit Toletus l.5. cap.90. ratio est, quia iste non habet voluntatem verè emendi, sed mendacio decipiendi. peccat tamen, tum quia alterum inducit ad simoniam; tum quia externum opus simoniacum facit. Potest tamen beneficium sic obtentum retinere, si à legitimo collatore sit collatum, vt ijdem DD. tradunt, & fatetur etiam Nauarrus cap.23.num.136. quamuis velit esse simoniam conuentionalem. 11 *An si animo decipiendi promittas temporale?*

Dvbitatio II.

Vtrùm omnis venditio aut commutatio rerum spiritualium pro temporalibus, sit simonia Iure diuino prohibita.

NOtandum est, rem aliquam in proposito posse dici *spiritualem* vel *sacram*, ita vt sit materia simoniæ, quatuor modis. Primò, Quia talis est naturâ suâ; vt sunt omnes supernaturales virtutes, & gratiæ præuenientes, & omnes gratiæ gratis datæ, siue consistant in habitu aliquo, siue in quadam assistentia Spiritus sancti. Secundò, dicuntur sacræ, Quia sunt causa sanctificationis; siue effectiua, vt Sacramenta; siue dispositiua & excitatiua, vt sacramentalia, concio, preces, exorcismus. Tertiò, Quia sunt effectus vel vsus sacræ potestatis, vt excommunicatio, absolutio, benedictiones, & consecrationes, quas facit Ecclesia; quamuis hæc etiam possint dici sacra secundo modo. Item prophetare, miracula facere; quia sunt operationes potestatis supernaturalis. Quartò dicuntur sacræ solùm, Quia annexæ sunt rebus sacris, idque vel propriè, vt beneficia, Ius patro- 12 *Quatuor modis res dicitur spiritalis seu sacra.*

natus, Ius eligendi: vel impropriè, vt officium sacristæ, officium œconomi Ecclesiæ.

13 Notandum Secundò, In quibusdam rebus spiritalibus esse aliquid temporale secundùm se pretio æstimabile; vt in calice consecrato, in beneficijs: in quibusdam nihil esse tale; vel si quid sit, minimi est pretij; vt in Eucharistia, in Baptismo.

14 *Simoniæ Iuris diuini.* Dico Primò, Omnis venditio & commutatio rerum spiritalium cuiusuis generis pro pretio temporali; si in ea habeatur ratio consecrationis, vel eius quod supra naturam est, est simonia Iure diuino prohibita: vt si quis vendat Sacramenta, vel sacramentalia, vel functiones potestatis spiritalis: vel si pluris vendat calicem consecratum, quàm non consecratum; globulos benedictos, quàm non benedictos: idque non ratione laboris vel sumptuum, quos fecit vt curaret benedici, sed ratione benedictionis. est communis sententia Doctorum, D. Thomæ quæst. 100. art. 2. Durandi in 4. d. 15. q. 5. Richardi eadem distinctione circa tertium principale q. 1. Adriani quodlibet. 9. ar. 1. Victoriæ relect. de simonia nu. 15. Soti lib. 9 q. 5. ar. 2. Nauarri cap. 23. num. 99. & 100. & aliorum.

Probatur Primò ex Scripturis, 4. Reg. 5. Giezi diuinitus punitur leprâ, quòd ausus fuerit pecuniam pro curatione lepræ per miraculum facta exigere. Matthæi 10. *Gratis accepistis, gratis date.* hîc Apostoli iubentur functionem doni miraculorum & sanitatum gratis præstare; quia illud donum gratis acceperant: atqui cetera omnia supernaturalia gratis accepta sunt: ergo gratis dari debent.

Vbi Aduerte, causam cur gratis dare debeant, non esse præcisè quia gratis acceperunt; (qui enim scientiam vel artem naturalem à Deo infusam haberet, posset eius vsum vendere) sed quia res talis est vt non possit humanâ industriâ, sed solo Dei munere haberi. & hoc vult Dominus significare illis verbis, *Gratis accepistis*; quasi dicat, donum illud tale est, vt vestrâ industriâ non potueritis assequi, sed gratis vobis concessum est, ac proinde etiam gratis eo vti debetis. Quibus verbis etiam significat, illa spiritalia dona non esse ipsis collata ad temporalia emolumenta, sed ad fructum Euangelij, ad conuersionem & salutem animarum, vt patet ex verbis quæ proximè antecedunt: *Euntes*, inquit, *prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date.* nempe ad hunc finem. Itaque solùm ad hunc finem concessa sunt. Vnde ex modo concessionis & fine constat non esse nobis datum dominium istorum donorum, seu ius disponendi de illis vel eorum vsu pro nostro arbitrio, sed solùm dispensationem in spiritalem vtilitatem proximorum: ergo vendendo iniuria fit Deo; tum quia vsurpatur dominium rei ipsius, cuius ipse solam dispensationem concessit; tum quia hoc modo impeditur finis ad quem collata sunt. hoc enim ipso quo aliquid venditur, insinuatur non esse quid diuinum supernaturale pertinens ad salutem æternam, sed rem temporalem & humanam ad commoda huius vitæ dumtaxat spectantem. talia enim sunt omnia apud omnes gentes, quæ in contractus veniunt. Itaque homines non putarent ista fieri virtute diuina, & desiderio salutis ipsorum, sed arte diabolica, & totum negotium religionis putarent esse fictitium & ad quæstum comparatum. Vnde 15 patet, hoc præceptum non esse positiuum, sed continere Ius naturæ, maximè cùm in nouo Testamento nulla sint præcepta diuina positiua, præterquam fidei & Sacramentorum, vt communior sententia Doctorum tenet, & docet D. Thomas 1.2. quæst. 100. art. 2. in corpore, & art. 1. ad 2. Actor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (ait Petrus Simoni mago.) rationem addit, *Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* id est, Quia voluisti id, quod sola Dei donatione haberi potest, acquirere pecuniâ. vbi apertè insinuatur esse contra legem naturæ. ratio est, quia per talem contractum fit notabilis irreuerentia rei sacræ, & consequenter Deo eius largitori, dum tamquam profana & humanis viribus parabilis æstimatur pecuniâ; in qua irreuerentia consistit malignitas simoniæ.

Non est positiuum præceptum illud Matthæi 10. Gratis accep. &c.

Petes, Vtrùm hæc simonia sit ita praua, vt mendacium, adulterium, & alia intrinsecè mala. 16

An sit intrinsecè mala.

Respondeo, Nomen *simonia* tonare id, quod intrinsecè malum est, non minùs quàm nomen *mendacium* vel *adulterium*. An autem venditio spiritualium ita sit mala, vt ne per absolutam Dei potentiam concedi possit, est dubium. Verius videtur non ita malum esse, quin aliquando per aliquas circumstantias eius malitia possit impediri. fieri enim potest vt interdum eiusmodi sint circumstantiæ, vt prudentis iudicio non censeatur vlla iniuria fieri rei sacræ, etiamsi pecunia ad eam obtinendam detur vel exigatur, vt infrà dicetur d. 7. modò tamen ipsa res sacra pecuniâ non æstimetur, quasi non pluris valeret: hoc enim nec per absolutam Dei auctoritatem videtur posse concedi. etsi enim Deus sit absolutus omnium bonorum spiritalium Dominus: tamen ipse statuere non potest vt non pluris æstimentur quàm pecuniâ: hoc enim intrinsecam inordinationem continet non minùs quàm loqui contra mentem, vel cognoscere alienam: ipsa enim conditio rerum, quam ex natura sua habent, postulat diuersam æstimationem. vnde id fieri non posset sine iudicio falso & affectu peruerso. Quidam tamen putant, Deum tamquam absolutum omnium rerum Dominum posse per suam absolutam potentiam concedere licentiam captandi quæstum ex vsu talium donorum, v. g. ex vsu gratiæ sanitatum vel prophetiæ, & etiam ex collatione talium donorum, si quis posset ea in alterum conferre. Nam hæc omnia etiam temporalia commoda adferunt, v. g. sanitatem corporalem, notitiam vtilem ad negotia humana; quo casu cessaret irreuerentia. nam ille homo vteretur iure suo sibi à supremo Domino concesso, idque secundùm illius voluntatem: & tunc illa res non censeretur merè spiritalis, quia non ordinaretur neque concederetur solùm ad salutem supernaturalem sicut modò (imò parum vel nihil ad eam tunc valeret) sed potissimùm ad commoda temporalia, itaque ex fine censeretur quasi temporalis. Esset tamen huiusmodi licentia conditioni illarum rerum quasi violenta, nec satis diuinæ sapientiæ consentanea. Multa enim non repugnat fieri sola Dei potentia & auctoritate spectata; quæ tamen, si consideretur ratio diuinæ sapientiæ, & quid illam maiestatem deceat, repugnantiam inuoluere videntur. Sic etsi ex parte potentiæ nullo modo repugnet Deum assumere in vnionem hypostа-

postaticam quamuis naturam irrationalem, tamen ex parte sapientiæ potest repugnare, quia deest iusta ratio, ob quam decorè fieri possit.

17 Sed dubium est, Vtrùm ea in quibus est aliquid pretio æstimabile, possint ratione illius vendi? De quibusdam nulla est difficultas, vt de calicibus, vestibus sacris, Chrismate, & similibus, quorum materia magno constat antequam consecretur: non enim amittit suum pretium per consecrationem. Sed maxima controuersia est de beneficijs.

An beneficia Iure naturæ sint omnino inuendibilia.

Sunt duæ sententiæ. Prior est ferè communis Theologorum, Beneficia Iure diuino esse inuendibilia: quia ius percipiendorum fructuum est spirituale. Ita Caietanus Tom.2.tract.9.q.1.Victoria, de simonia, num.42. Sotus lib.9.q.7.art.1. & alij.

Altera est Nauarri cap.23.num.108.vbi multis rationibus probare nititur, beneficia quoad partem pecuniariam & temporalem vendi posse à Summo Pontifice, sicut vasa sacra. Eamdem tenent ferè omnes Canonistæ, secuti Glossam in cap. Ex parte 1.de officio Delegati, & in cap. 1. de simonia.

18 Respondeo & Dico Secundò, Vtramque sententiam rectè explicatam, veram videri: si enim beneficium consideretur planè formaliter, quatenus est ius fructuum, obtingens per officium sacrum, sic Iure diuino est inuendibile; quia non potest vendi officium sacrum, per quod hoc ius habetur. Simili modo ius decimarum dicitur esse inuendibile, quia non potest vendi ministerium sacrum, per quod hoc ius competit: vendere enim hoc modo ius fructuum, est vendere officium, in quo illud ius consistit. neque Nauarrus id intendit negare. Si verò beneficium consideretur materialiter, nempe pro iure ad illos fructus, qui officio sunt annexi; sic beneficium vendi potest per Pontificem absque simonia Iuris diuini; quia in potestate ipsius est, ius ad illos fructus separare ab officio, & alteri dare, vel relinquere officio annexum. sicut ergo si illud separaret, & alteri venderet, nullam simoniam committeret, quia non venderet aliquid spirituale; sic etiam si aliquam summam pecuniæ exigeret ab eo, qui beneficium sibi cupit conferri, vt ius illud titulo annexum relinquat, vel vt separatum illi vniat, nullam simoniam Iuris diuini committeret. hæc est mens Nauarri. Idem docet Adrianus quodlib.9. ad 5. princip. vbi dicit, *Beneficia ratione iuris fructuum posse vendi, si Papa intendat vendere ius fructuum non mediante aliquo officio spirituali: secùs autem si mediante tali officio.* Vnde sequitur, idem posse facere Episcopos absque simonia, nisi Iure esset prohibitum: quia possunt ex causa ius fructuum saltem secundùm partem ab officio separare, & illud alteri attribuere. Imò idem aliqua ratione possent priuati, nisi Iura obstarent. sepositò enim Iure positiuo, posset priuatus partem fructuum ad vitam elocare, & beneficium cum reliqua parte in alterum resignare: ac proinde posset etiam aliquid exigere vt beneficium cum integris fructibus resignet; siue vt partem illam fructuum elocatam, sibi non reseruet. Verùm quia Iure statutum est vt non possint vllo modo sine auctoritate Superioris ius fructuum in totum vel in partem ab officio seu titulo separare, (vt patet toto titulo, Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione cõferantur) necesse est, vt si resignent titulum, simul etiam censeantur renuntiare omnibus fructibus, ita vt hoc ipso, quo alter accipit titulum, accipiat etiam ius ad omnes fructus titulo annexos. Quare si exigat aliquid temporale pro iure fructuum, censebitur illud pro ipso officio exegisse; quia ius fructuum in alterum transferre non potest, nisi mediante titulo: & ita præsumitur commisisse simoniam Iuris diuini. In re tamen non est necesse 20 vt sit simonia Iuris diuini; quia etsi Iure non possit ius fructuum separare à titulo, & transferre in alium absque interuentu tituli spiritualis, tamen potest illud facere facto vel tentare facere. sicut cùm elocat partem fructuum ad vitam, vel etiam absque elocatione sibi seruat, & resignat titulum cum reliqua parte prouentuum, resignatario non contradicente, non committet simoniam Iuris diuini, neq; etiam committet, etiam si hoc ius postea illi vendat: quia iam antè titulus in eum translatus erat. erit tamen iniustitia, & tenebitur ad restitutionem; quia non potuit ius fructuum à titulo separare. Vnde vnà cum titulo in resignatarium est translatum; & consequenter ipsi fructus debentur, nisi eos condonet.

Ex his patet Primò, Hìc non esse verè simo- 21
niam Iuris diuini, nisi quis intendat ius fructuum vendere mediante officio, vt benè Adrianus dixit; licet præsumatur esse. quo modo autem sit simonia Iuris humani, statim dicetur.

Patet Secundò, Multò minùs esse simoniam Iuris diuini in venditione officij sacristæ & œconomi Ecclesiæ; quia multò minùs sunt spiritualia, quàm beneficia: sunt enim officia merè temporalia, etsi aliquem ordinem habeant ad supellectilem sacram quam tractant, vel ad Ecclesiæ ministros cultumque diuinum; quatenus horum prouentus, qui ad cultum diuinum sunt deputati, administrant.

Resp. concludendo sententias.

Quà ratione per Pontificẽ possit vendi beneficiũ absque simonia.

Dvbitatio III.

Vtrùm permutatio rerum spiritualium inter se, sit simonia Iuris diuini.

Respondeo, Non esse, si nullum temporale in- 22
terueniat, ratione cuius hæc permutatio fiat. Ita Victoria num.17. qui pro hac sententia citat Innoc.in cap. Quæsitum, & D.Thom. in 4. d.25. q.3.a.3.ad 8. Eamdem tenet Sotus l.9.q.5.art.2. & Durandus d.25.q.5.num.9. & alij. Est contra Richardum in 4.d.25. circa tertium princip. q.1. & contra Adrianum quodlib. 9. ad quartam confirmationem, littera E.

Contra Adr. & Richar.

Probatur Primò, Quia omnes Theologi & Canonistæ tenent, licere cum auctoritate Superioris permutare beneficium cum beneficio, & titulum cum titulo; idque etiam constat ex cap. Ad quæstiones, de rerum permutat. & ex Clement. vnica, eodem titulo, vbi Ecclesiarum, beneficiorum, & titulorum permutationes à Pontificibus approbantur; & tamen plerique Theologi docent, beneficia Iure diuino naturali esse inuendibilia; certumque est, titulos ipsos omnino inuendibiles esse pretio temporali: atqui si talis permutatio esset Iure naturæ prohibita, non posset fieri cum auctoritate Superioris: hic enim à Iure naturæ

eximere non potest, neque facere vt liceat, quod eo Iure est nefas.

Secundò, Quia hæc permutatio non videtur vllam irreuerentiam continere; nihil enim indecori est, si paciscamur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam in audiendis confessionibus, & similibus officijs, vt Sotus ait. Similiter si globuli benedicti & rosaria inter se commutentur, etiam habita ratione sanctitatis & benedictionis: non enim iniuria est rei sacræ si cum alia sacra componatur; sed si cum temporali. Vnde etiam non erit simonia, si duo adulti paciscantur vt se mutuò baptizent; etsi contrarium doceat Richardus suprà.

23 *Obiectiones.* Sed contrà Obijcitur Primò, Matthæi 10. dicitur, *Gratis accepistis, gratis date*; sed is, qui permutat rem sacram cum sacra, non dat gratis: ergo, &c. Ita Adrianus.

Gratis dare. Respondeo, Negando minorem, ad sensum verborum Domini: nam *gratis dare*, est dare sine mercede vel pretio temporali, vt colligitur ex verbis sequentibus, *Nolite possidere aurum*, &c. Ita Hieronymus, Chrysostomus, & Glossa in hunc locum Matthæi, & alij Patres.

Obijcitur Secundò, Qui permutat hoc modo rem spiritalem pro spiritali, insinuat suo facto se eius habere dominium, cùm permutatio dominium transferat: ergo committit irreuerentiam in illam.

Permutatio non necessariò requirit dominium. Respondeo Primò, Negando antecedens: sicut enim is, qui rem spiritalem confert absque permutatione, non testatur per hoc se eius habere dominium, quamuis in alterum eam conferat; sed solùm se habere potestatem illam conferendi: ita neque is, qui eam commutat cum alia, indicat se habere dominium, sed solùm ius quoddam eam in alterum conferendi, & pro ea aliam exigendi, in qua non dominium propriè, sed simile ius acquiritur.

Secundò, Concesso antecedente, nego consequentiam. certum enim est, nos multarum rerum sacrarum habere dominium; vt earum, quæ in nostris actionibus sitæ sunt, & quarum materia nostra est, vt rosariorum, icuncularum, &c. non tamen idcircò illis quouis modo vti possumus, sed eo, qui non repugnet illarum sanctitati; vt cùm inter se commutantur. vnde tale dominium non est vllo modo contra reuerentiam ipsis debitam.

Obijcitur Tertiò, In commutatione, quæ ex pacto præuio, nascitur obligatio naturalis, quæ quatenus hominem ab aliquo temporali commodo impedire potest, & onerosa censetur, est pretio æstimabilis: ergo si licet res spirituales intercedente pacto commutare, dabitur spiritale pro temporali.

Respondeo, Negando consequentiam; si enim ex pacto sit obligatio reciproca, tunc obligatio compensatur cum obligatione. si autem obligatio solùm sit ex altera parte; (vt quando alter in præsenti rem tradit, altero se obligante) tunc non traditur res pro obligatione, sed pro re spiritali futura, quam quia alter non potest modò exhibere, obligat se ad eam in futurum; nunc autem nihil dat. Sicut si tibi sumptus aliqui essent faciendi ad rem debitam sistendam præsentem, hi non darentur in solutionem, neque pro re alterius; ita nec obligatio illa datur in solutionem. Denique & illa obligatio per se spiritalis est, etsi per accidens incommodum aliquod temporale annexum habeat. hoc enim non refert; nam solùm habetur ratio rei spiritalis, quam hæc obligatio directè respicit.

Dvbitatio iv.

Vtrùm sit aliqua simonia Iuris humani, & in quibus contractibus ea cernatur.

24 *Sententia Durandi.* Dvrandus in 4. dist. 25. quæst. 5. & quidam recentiores hunc secuti, existimant nullam esse simoniam solo Iure ecclesiastico introductam. Ratio ipsorum est Primò, Quia circa id, quòd non ex se, sed solùm ex prohibitione Iuris est malum, tantummodò potest esse peccatum inobedientiæ, non autem irreligiositatis: nam tota ratio peccati est ex violatione præcepti humani: atqui violatio præcepti humani solùm constituit peccatum inobedientiæ. Secundò, Quia Ecclesia suâ prohibitione id, quod non est sacrum, non potest facere sacrum; sed necesse est, si velit facere sacrum, vt adhibeat aliquam benedictionem; & tunc venditio eius erit simonia Iuris diuini, non humani. Addunt tamen, dici simoniam, quia tali contractui constitutæ sunt pœnæ simoniacorum.

25 *Simonia Iuris humani.* Respondeo & Dico Primò, Esse aliquam veram & propriè dictam simoniam solo Iure ecclesiastico introductam. est communior sententia Theologorum & Canonistarum in cap. Quæsitum. & cap. Cùm olim, de rerum permutatione. ratio est, quia Ecclesia solâ suâ lege & ordinatione potest facere, vt id quod naturâ suâ ob partem temporalem non erat inuendibile, fiat inuendibile, seu inhabile ad venditionem, ob partem spiritalem, seu in reuerentiam rei spiritalis connexæ; non addendo tamen nouam aliquam sanctitatem, vel consecrationem: ergo si quis tunc rem illam pretio venderet, committeret veram simoniam, violando rei illius sanctitatem per contractum. Confirmatur à simili, quia locum sacrum ratione sanctitatis potest suo decreto reddere immunem, ita vt Iudex sæcularis non possit reum inde vi abstrahere; adeò vt si contrà faciat, peccet non solùm contra obedientiam, sed etiam contra virtutem religionis & loci sanctitatem: & eum, qui habet ordinem aliquem vel tonsuram, potest reddere immunem à potestate Iudicis sæcularis, ita vt peccet contra religionem, si eum ad suum tribunal pertraxerit: ergo etiam rem sacram potest reddere immunem à venditione, ita vt si vendita pretio fuerit, peccetur contra rei sanctitatem, & non tantùm contra obedientiam.

Immunitas loci & personæ est à lege positiua.

26 *In quibus locum habeat.* Dico Secundò, Hæc simonia Iuris humani Primò locum habet in venditione beneficiorum secundùm partem temporalem.

Secundò, in venditione quorumdam minùs spiritualium, vt officij sacristæ, œconomi Ecclesiæ, aduocati Ecclesiæ, & similium; & fortè etiam in venditione pensionum.

Tertiò, in permutatione beneficiorum facta sine auctoritate Superioris, in renuntiatione reciproca, in simonia confidentiæ, & similibus.

Prior pars, *de venditione beneficiorum*, proba- *Venditio beneficiorũ.*

tur;

Venditio beneficiorum.

tur; quia omnium sententia constat hanc esse simoniam; id enim plurimi Canones expressè habent: atqui non est simonia Iuris diuini, si non intendant aliud emere & vendere quàm ius fructuum, & ipsam dignitatem seu officium absque pretio transferant: ergo est simonia Iuris humani. sicut Iuris humani sacrilegium est, capere rem in Ecclesia, percutere Clericum.

Venditio officiorum.

Altera pars, nempe *de venditione officiorum* illorum, probatur cap. Saluator. 1. q. 3. vbi ad eamdem rem adducitur auctoritas Concilij Chalcedonensis, quæ verbatim refertur can. Si quis Episcopus. 1. quæst. 1. his locis dicitur esse simonia vendere officium *œconomi, vicedomini, aduocati, sacristæ, castaldi*: atqui non est simonia Iuris diuini; quia sunt officia temporalia, ordinata solùm ad temporalium administrationem; nec est in illis vlla sanctitas per consecrationem vel benedictionem. nam *Oeconomus* est, qui res Ecclesiæ & Canonicorum gubernat. *Vicedominus*, est œconomus rerum Episcopi. *Aduocatus*, qui causis Ecclesiæ tractandis præest. *Castaldus* est, qui aliàs dicitur Maior domus, vt Glossa explicat: ergo solùm est simonia Iure ecclesiastico.

27 *Obiectio.*

Dices vocari simoniam, quia pœna simoniæ tali venditioni constituta est. Sed hoc non satisfacit; ideò enim pœnæ simoniacorum statuuntur, quòd simonia commissa sit, non autem ideò dicitur commissa simonia, quòd pœnæ illæ sint contractæ, vt patet ex Canone Saluator, vbi sic dicitur: *Cur sancita Synodus Chalcedonensis, procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel quemlibet regulæ subiectum, adeò per pecuniam ordinari prohibet, vt interuentores quoque tanti sceleris anathematizet; nisi quòd eosdem simoniacos iudicet?* Ratio est, quia in his officijs est quædam dignitas ob coniunctionem, quam habent cum supellectili sacra, vel cum rebus & ministris Ecclesiæ, ob quam dignitatem Ecclesia potuit statuere vt essent inuendibilia, & immunia à contractibus humanis; quæ immunitas non potest violari absque violatione illius dignitatis, à qua mediante Ecclesiæ statuto prouenit: sicut immunitas, & ius asyli concessum locis sacris, non potest violari absque sacrilegio & violatione sanctitatis, à qua illa immunitas mediante lege Ecclesiæ dependet. sicut enim Ecclesia per suam legem, qua prohibet à loco sacro (ob eius reuerentiam & sanctitatem) hominem auelli, constituit actum illum, quo legi obeditur in specie religionis, & contrarium, quo lex violatur, in specie sacrilegij, & ipsum locum sacrum facit materiam religionis & sacrilegij quoad hunc actum; ita hæc officia facit materiam religionis & simoniæ per suam legem; & actum venditionis & non venditionis facit actum simoniæ & religionis.

Quomodò sit in his simonia.

28 *Ad argumentum Durandi.*

Hinc patet responsio ad prius argumentum Durandi: negandum enim est, id, quod tantùm est malum ex Iuris prohibitione, esse solùm contra obedientiam: esse enim contra obedientiam, est solùm ratio generica, præter quam debet habere malitiam certæ speciei contra aliquam virtutem particularem, in cuius materia peccatur, & ex cuius motiuo præcipitur. sic vesci carne in Quadragesima, Feria sexta, vel Sabbato, non solùm est contra obedientiam, sed etiam contra temperantiam vel abstinentiam Christianam, quæ temperantiæ est species: & omittere Missam die festo non solùm est contra obedientiam Ecclesiæ debitam, sed etiam contra religionem, qua Deum colere tenemur: & auellere furem è loco sacro, est sacrilegium contra reuerentiam sanctitati loci debitam. Eodem modo vendere vel emere officia illa temporalia Ecclesiæ, non solùm est contra obedientiam, sed etiam contra religionis virtutem. quia præceptum humanum in materia alicuius virtutis, potest intuitu motiui illius virtutis, id quod non erat materia necessaria, facere materiam necessariam; & actum, qui non erat necessarius, facere necessarium, ita vt virtus sine illo, vel certè cum eius contrario consistere nequeat, vt suprà explicatum est. Ratio à priori est, quia in his concurrit duplex ratio obligandi: altera generica, altera specifica. Generica est, quæ præcisè prouenit ex præcepto Superioris, abstrahendo ab hac vel ab illa materia virtutis. Specifica est, quæ supposito præcepto resultat ex conditione materiæ, & particulari honestate obiecti formalis seu motiui, quod Superior in illa materia respicit, & ob quod præceptum imponit.

Lex facit materiam necessariam virtutis, quæ per se talis non erat.

Ad secundum argumentum, Etsi Ecclesia per suam prohibitionem ex re profana non faciat sacram, sicut per suam benedictionem & consecrationem; tamen facit vt illa res, propter ordinem quem habet ad rem sacram, fiat inuendibilis; & hoc sufficit ad obiectum simoniæ. 29

Tertia pars, de *beneficiorum permutatione*, probatur ex cap. Quæsitum. 5. de rerum permutatione. vbi Vrbanus III. ait, *Generaliter teneas, quòd commutationes præbendarum de Iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel spiritualibus annexa, labem semper continet simoniæ.* & cap. Cùm olim. 7. eodem titulo iubentur priuari suis beneficijs, qui ea propria auctoritate permutant. Ratio est, quia Ecclesia ob sanctitatem sacri ministerij potuit ea facere impermutabilia. 30 *Permutatio beneficiorum.*

Aduerte tamen, hanc permutationem non dici propriè simoniam, sed tantùm generali ratione & imitatione quadam; nam propriè simonia est, cùm datur temporale pro spirituali; vt suprà dictum est, & docet Sotus l. 9. q. 5. art. 1. & q. 7. ar. 2. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 436. Arragon. q. 100. art. 1. & alij: idque patet ex facto Simonis, vnde nomen traxit. Confirmatur, quia aliud genus irreuerentiæ est dum datur temporale pro spirituali, aliud dum spiritale pro spiritali contra præceptum Superioris. *Dicitur simonia generaliori ratione.*

Dices, Cap. Quæsitum. 5. dicitur, *Pactio circa spiritualia vel spiritualibus connexa labem semper continet simoniæ.* & cap. vlt. de pactis; *Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis; cùm in huiusmodi omnis pactio, omnisque conuentio debeat omnino cessare, nullius sunt momenti:* ergo etiam commutationes aliarum rerum spiritualium erunt simoniacæ censendæ. 31 *De permutatione aliarum rerum, an simoniaca.*

Respondeo, Canones loqui vel de pactione in qua interuenit aliquod temporale, quod detur pro spiritali. vt cap. vlt. de pactis, & cap. 2. Quàm pio, 1. q. 2. vel de beneficijs, quorum permutatio propria auctoritate facta, peculiariter est prohibita, vt cap. Quæsitum, & cap. Cùm olim, suprà. aliarum enim rerum spiritualium commutatio nusquam inuenitur prohibita: quod etiam Toletus fatetur lib. 5. c. 78. & Sotus l. 9. q. 5. in fine.

Adde, in quibusdam rebus contraria consuetudine hisce Canonibus esse derogatum, ita vt etiam temporale aliquid liceat pacisci; vt infrà dubitatione 8. dicetur.

De renuntiatione reciproca, & simonia confidentiæ infrà dubit. 14. & 16.

Dvbitatio v.

Vtrùm Papa possit esse simoniacus.

32 *Non contrahit pœnas Iuris.*

Respondeo & Dico Primò, Papam non posse incurrere pœnas simoniæ Iure ecclesiastico statutas; vt excommunicationem, suspensionem, inhabilitatem, &c. est communis DD. Ratio est, quia Princeps non subest suis legibus, quoad vim cogendi per pœnas, cùm nemo iurisdictionem in seipsum habeat; sicut nec par in parem. Vnde etiam sequi videtur, eum, qui contrahit cum Papa, non incurrere hasce pœnas; etsi contrarium sentiat Adrianus quodlibet. 9. & Ioannes Andreas ab ipso citatus, & multi alij. ratio est, quia hoc ipso, quo cupit aliquem secum sic contrahere, censetur illum eximere à lege quantum potest: non enim credibile est quòd velit illum punire pro opere ad quod inuitat, vel certè in quod consentit; sic enim seipsum condemnaret. Idem dicendum de Episcopo, qui ludum aleæ sub pœnâ excommunicationis vetuit, & posteà alium ad ludendum secum inuitat. Huius sententiæ est Sotus lib. 9. quæst. 5. art. 2. Siluester v. Simonia, quæst. 4 Palud. dist. 25. quæst. 4. art. 1. concluſ. 3 Couarruuias ad regul. Peccatum, part. 2. §. 8. num. 9. Vnde sequitur, talem non teneri renuntiare.

Nec qui cum illo paciscitur.

Dico Secundò, Papa potest contrahere culpam simoniæ Iuris diuini. ratio est, quia æquè ac alij subiectus est legi diuinæ & naturali.

Sed tota difficultas est de simonia Iuris humani. Sotus putat, Papam non posse huius simoniæ labem contrahere: idem sentit Siluester quæst. 4.

33 *An labem simoniæ Iuris positiui contrahat.*

Respondeo & Dico Tertiò, Verius esse Papam incurrere culpam simoniæ Iuris humani exigendo pecuniam pro officijs Iure vendi prohibitis, vel pro beneficijs; nisi rationabilis causa subsit, ob quam illa lege censeatur exemptus. Patet ex ijs quæ 1. 2. q. 96. art. 5. tradi solent, & docet Victoria relect. de simonia, n. 39. ratio est, quia obligatio, qua Princeps tenetur seruare legem suam, non oritur immediatè à voluntate & potestate Principis volentis se obligare, sicut ea obligatio, quæ est in subdito; (nam Princeps non est ibi Superior, vt seipsum possit immediatè suo præcepto obstringere) sed oritur ex ipsa rei natura. 1. ex conditione Principis & Reipublicæ, ex qua prouenit vt Ius naturale dictet Principem debere pati legem, quam ipse subditis imponit; L. 1. tit. Quod quisque Iuris. & cap. Cùm omnes, de constitutionibus: quod intelligo, si ratio legis æquè in vtrisque locum habeat. Vnde sequitur, Principem non posse seipsum pro arbitrio lege sua eximere, cùm Iure naturali teneatur se suis subditis conformare. quare si contrà fecerit, peccabit pro conditione materiæ virtutis præceptæ; vt si non ieiunet tempore Quadragesimæ, peccabit contra temperantiam: si non seruet diem festum, contra religionem. Vnde si vendat officia Ecclesiæ vel beneficia, peccabit simonia. obligatio enim illa, qua tenetur se conformare subditis, est generalis, quæ contrahitur secundùm variam materiam, & species virtutum, ad quas subditi obligantur. Quòd si iusta causa subsit, quidam dicunt posse tunc secum dispensare, sicut cum subdito. Sed verius est, dispensationem hîc locum non habere; quia non obligatur ex imperio suæ voluntatis, sed Iure naturali, in quo non potest dispensare. Neque verò eâ est opus: quia positâ causâ, cessat illa obligatio per se; eò quòd desinat illa ratio, ob quam se subditis debebat conformare.

Obligatur Princeps suis legibus, quo modo.

Positâ causâ, non est opus dispensatione.

Aduerte tamen, si absque iusta causa fecerit contra suam legem, non peccaturum mortiferè, modò scandalum absit; quia non tenetur illam seruare, nisi illo Iure, quo se tenetur conformare subditis. Sed de his plura 1. 2. q. 96. art. 5.

34 *Non peccat mortiferè.*

Dvbitatio vi.

Quotuplex sit simonia.

Respondeo, Duæ sunt præcipuæ diuisiones simoniæ. Prior est, qua diuiditur *simonia* in eam quæ est *Iuris diuini*, & in eam quæ *Iuris humani*, de qua satis dictum est dub. 2. 3. 4. 5. 35

Altera est, qua simonia diuiditur in *mentalem*, *conuentionalem*, & *realem*. vide Nauarr. cap. 23. num. 102. & Caietan. v. Simonia, & alios. *Simonia triplex.*

Mentalis.

Simoniam mentalem vocamus propriè hoc loco, non quidem internum propositum, quo quis vult exteriùs simoniacè contrahere; (quamuis hoc etiam sic appellari possit) sed propositum internum, quo quis, dum confert alteri spiritale, intendit illum obligare ad reddendum temporale: vel contrà, quando confert temporale, intendit illum obligare ad reddendum spiritale, sine vllo pacto externo: vt si quis seruiat Episcopo hac intentione vt in mercedem conferatur ei beneficium, & tandem beneficium conferatur, nulla tamen exteriùs verbis aut nutibus facta conuentione, erit simoniacus mentalis.

36 *Conuentionalis.*

Simonia conuentionalis est, quando non solùm est internum propositum obligandi, sed etiam proceditur ad externam conuentionem, sine tamen executione, saltem vtrimque facta. Et hæc conuentio non tantùm fit verbis expressis & directis, sed etiam obliquis & obscuris. interdum nutibus, vel sola pretij oblatione in speciem donationis; tamen ex circumstantiis aduerti potest. Est autem hæc conuentionalis duplex. Alia enim est *pure conuentionalis*, vtpote neutrâ ex parte completa. Alia est *conuentionalis mixta*, quæ completa est ex altera tantùm parte, ita vt quodammodò constet tali & conuentionali: vt si pactione inita conferatur beneficium, altera parte nondum soluente pretium; vel contrà, si soluatur pretium nondum collato beneficio. huius species est simonia, quæ dicitur *confidentiæ*, qua quis paciscitur cum eo cui confert vel renuntiat beneficium, vt eo cum suis fructibus vel eorum portione cedat alteri, v. g. nepoti, fratri, &c.

Realis.

Realis est, quando pactio ex vtraque parte completa est, saltem inchoatè; vt si collatio beneficij facta sit, & pretij pars soluta. hæc peior est quàm conuentionalis; excepta ea quæ est confidentiæ, vt infrà dicetur.

Sequitur nunc vt explicemus modos particulares, quibus simonia videtur posse committi.

Dvbi-

DVBITATIO VII.

Vtrùm in graui vel extrema necessitate liceat dare pretium pro Sacramentis.

Pro Baptismo. Exemplum sit: Habes infantem baptizandum morti vicinum, & sacerdos recusat eum baptizare, nisi 10. aureos numeres, nec alia tibi ratio procurandi Baptismi suppetit. Item, tu ipse nondum es baptizatus, & morte instante, alia ratione Baptismum obtinere nequis.

37 *1. Sententia.* PRima sententia est, In hoc casu non esse licitum dare pecuniam pro Baptismo, etiamsi infans sine Baptismo esset moriturus. Ita D. Thomas in 4. d. 6. q. 2. a. 2. & d. 25. q. 3. a. 2. & insinuat quæst. 100. a. 2. ad 1. Alexander Halensis 2. par. quæst. 187. num. 3. art. 1. §. 1. Rich. d. 25. a. 2. q. 1. Palud. eadem distinct. q. 8. & Glossa in cap. 100. Baptizandis. 1. q. 1. vbi dicit, in hoc casu potiùs permittendum infantem mori: addens, ego tamen potiùs darem pecuniam, quàm permitterem eum sic mori, licet non deberem sic facere: quod sanè absurdè satis dictum est, etsi fortè benignè possit explicari. Ratio horum est, quia emere Sacramentum, est intrinsecè malum, sicut & vendere: ergo nullo casu licitum; non enim sunt facienda mala vt eueniant bona.

2. Sententia. Altera sententia est, In eo casu licere dare pecuniam, non quidem pro Sacramento propriè, sed ad vexationem redimendam. Hanc tenet Gerson. tract. de simonia, ad sextam rationem, Panorm. in cap. Cùm in Ecclesiæ corpore, de simonia, Caietan. quæst. 100. art. 2. sed hi duo tantùm id concedunt in casu infantis, non adulti; quia hic potest sibi alia ratione consulere. Eamdem sententiam probabilem esse insinuat Richardus.

3. Sententia. Tertia est, Absolutè licitum esse in eo casu dare pro ipso Sacramento obtinendo. Indicat Sotus l. 9. q. 6. a. 1. & dicitur Franciscus Victoria ita sensisse, & Thomistæ dicunt esse probabile, & apertè tenet Adrianus suprà.

38 Dico Primò, Non potest dari pecunia pro Baptismo, tamquam pretium æquiualens: id enim intrinsecè malum est, vt dictum est suprà n. 16. & iuxta hunc sensum prima sententia est vera.

Vt deponat prauam voluntatem. Dico Secundò, Si sacerdos aliquis nollet hoc vel aliud Sacramentum administrare nisi pro pecunia, possem ei dare pecuniam, vt prauam illam voluntatem deponat, & debito modo conferat. Ita Adrianus suprà. ratio est, quia hoc non est emere Sacramentum, sed inducere vt malum propositum commutet, & iniuriam rebus sacris non inferat; sicut enim potest induci pecuniâ vt ab alijs peccatis abstineat ita etiam vt à simonia.

39 *Licitum dare pecuniam pro Baptismo obtinendo in necessitate.* Dico Tertiò, Valdè probabile est, in casu prædicto licitum esse offerre pecuniam, non quidem tamquam pretium Sacramenti propriè, sed tamquam medium alliciendi animi alterius ad obtinendum Sacramentum. tenet Altisiodorensis 3. p. Summæ q. 3. de simonia, vbi dicit: *In illo casu possunt paruulum baptizare; si non habent aquam, licet eis pecuniam dare sacerdoti, non pro Baptismo*; (intelige vt pretium Baptismi) *sed pro remouenda furia siue obstaculo quo minus habeant quod puero debetur.* Adrianus suprà: *Sicut liceret sacerdotem illum inducere minis & precibus, ita etiam pecuniâ.* idem credo velle Auctores secundæ sententiæ, dum dicunt licere ad redimendam vexationem; & Sotum loco citato.

Probatur Primò, Quia dans pecuniam eo euentu, non censetur vllam irreuerentiam irrogare Sacramento, sed potiùs magnam reuerentiam, dum suo facto testatur esse necessarium ad salutem. non enim æstimat illud pecuniâ, neque intendit pecuniam dare tamquam pretium; sed solùm intendit inducere illum vt velit id, quod debet velle, & explere insanam cupiditatem, quæ illum impedit quò minùs det quod alteri ad salutem necessarium.

Secundò, Extrema necessitas multa alia excusat à peccatis sacrilegij, homicidij, furti, inobedientiæ, intemperantiæ, & similibus, in quibus si abesset necessitas, esset malitia talis peccati, vt patet in absolutione data in extremis ob signa contritionis, in occisione ob defensionem, in surreptione rei alienæ ob famem extremam, &c. cur non etiam excuset in hoc casu hanc pecuniæ dationem ab irreuerentia? necessitas enim facit, vt id quod aliàs censeretur esse irreuerentia, hîc & nunc non censeatur; vt patet in Dauide & socijs, cùm sumerent panes propositionis, quibus solis sacerdotibus vesci licebat, 1. Reg. 21. & Matth. 12. Eodem modo necessitas poterit facere vt oblatio pecuniæ, causâ obtinendi Sacramenti, non censeatur irreuerentia aut sacrilegium, aut propriè emptio Sacramenti; quæ tamen aliàs talis haberetur. *Necessitas multa excusat.*

Tertiò, Si alius sacerdotem impediret ne Sacramentum conferret, posset ei dari pecunia vt cesset impedire: cur non etiam potest dari ipsi sacerdoti, vt tollat impedimentum, quod ipse sibi per auaritiam posuit?

Quartò, Licitum est illum inducere minis; cur non etiam muneribus & pecunijs?

Quintò, Omnia bona temporalia sunt homini concessa vt iuuent eum ad suum finem: ergo si spiritalia ad salutem necessaria non possis ob malitiam ministrorum, vel diuinam dispositionem aliter obtinere quàm dando pro eis tua temporalia, nihil inordinatum ea ratione committes. Confirmatur; quia si mea salus esset in potestate tua, & tu nolles me saluare nisi dem pecuniam, possem omnem meam substantiam largiri vt mihi salutem impertias.

Sextò, Simoniæ turpitudo non tam sita est in eo, quòd per temporalia compares spiritalia tibi salutifera, quàm quòd per spiritalia conquiras temporalia, ex illis quæstum faciendo: hoc enim cedit in magnam irreuerentiam spiritalium bonorum, quia ordinantur ad temporalia, tamquam media ad finem; ac proinde minoris videntur æstimari: & hoc est, quod passim in Scripturis prohibetur; vt Matth. 10. Actor. 8. Simon enim volebat emere vt venderet: Giezi quoque ex spiritalibus temporalia captabat. Qui autem dat temporalia pro spiritalibus, quæ gratis obtinere nequit, non destinat spiritalia ad temporalia, sed contrà, temporalia tamquam media destinat ad spiritalia tamquam ad finem; vnde pluris æstimat spiritalia: si tamen ex illis alia commoda temporalia (vt fit in beneficijs) non expectet. Itaque in hoc opere non videtur alia esse inordinatio, quàm quòd dando pecu- 41 40 *In quo sita potissimùm turpitudo simoniæ.*

niam videaris consentire venditioni spiritalium, & pretium temporale exæquare rei spiritali. sed neutrum obstat in nostro casu: non enim magis consentit venditioni, quàm petens mutuum consentit iniquæ voluntati vsurarij: & si consentiret, solùm consentiret tamquam in minus malum; minus enim malum est vt sacerdos vendat Baptismum, quàm vt infantem perire sinat. vnde si aliter obtineri Baptismus nequiret, posset sacerdos induci, vt saltem pro pecunia administret, vt rectè Adrianus ait. neque etiam censetur æquare pecuniam Sacramento, quia non dat illam, vt pretium Sacramenti, sed vt medium necessarium ad alliciendum animum & Sacramentum obtinendum.

Obiectiones. Dices Primò, Si licet aliquid dare ad obtinendam collationem Sacramenti in eo casu: ergo licebit aliquid etiam spiritale vendere, si iniquus ille sacerdos id postulet.

42 Respondeo negando consequentiam, quia præterquam quòd venditio est longè deterior, vti dictum est; si vellet sibi rem spiritalem vendi, & non gratis dari; censeretur id velle in contemptum religionis, & per consequens videreris eius prauitati morem gerere. Vnde non probo quod ait Sotus l.9.q.6.art.1. *Si sacerdos ita esset malus vt nollet præbere, nisi iures te dare pretium pro ipso Sacramento, te posse iurare, & dare pro ipso Sacramento.* quia cùm ille petat in contemptum religionis, non potes ei morem gerere.

Dices Secundò, Ille sacerdos non censetur vexare nisi negando vel non dando Sacramentum, quod saltem ex charitate tenetur conferre: atqui hoc non tollitur nisi conferendo. negatio enim actus non tollitur nisi actu opposito: ergo dare pro redimenda vexatione in hoc casu, est dare pro ipsa collatione Sacramenti.

Respondeo negando consequentiam, propriè loquendo collatio Sacramenti est quidem finis cui detur pecunia; non autem id, cui pecunia vt pretium respondet.

43 *Quomodo censeatur esse redemptio vexationis.* Dicitur autem dari pro redemptione vexationis, quia datur ad alliciendum animum vt prauam voluntatem non dandi deponat, & in bonam commutet; quod sanè licitum est. Quando enim praua alicuius voluntas est mihi causa mali; possum precibus, promissis & donis inducere vt illam mutet, & in beneuolentiam conuertat: & quia hoc fit ad ingens malum, quod occasione iniquitatis ipsius obueniret, auertendum, dicitur redemptio vexationis. Pari modo, si non electo Petro, secuturum esset vt hæretici occuparent Ecclesiam, possem dare pecuniam, non pro electione Petri propriè; sed ad alliciendos animos electorum ad fauorem, vt sic electo Petro tantum malum auertatur.

44 *Pro adulti Baptismo.* Ex dictis sequitur, non solùm pro infante, sed etiam pro adulto posse dari pecuniam ad alliciendum animum sacerdotis, si alioquin absque Baptismo moriturus esset: quia illa necessitas sufficiens est ad tollendam irreuerentiam; & non minùs censetur dari ad redimendam vexationem, quàm in casu infantis: quia est iustus metus damnationis. Idem dicerem quando agitur de absolutione in extrema necessitate. Imò si esset aliqua regio, quæ non posset impetrare prædicatores Euangelij, vel sacerdotes, qui illi Sacramenta administrent, hæc posset offerre Pontifici pecuniam, vt hoc medio illum alliciat ad eos mittendos: possumus enim temporalia nostra expendere ad ea consequenda quæ saluti sunt opportuna; viderint illi, qui ea exigunt. Confirmatur, quia ad illa obtinenda ius habent, & ille denegando facit illis iniuriam, & grauiter eos lædit: atqui illum qui facit nobis iniuriam, possumus inducere siue precibus, siue minis, siue promissis & donis, vt ab iniuria cesset, ac proinde possumus his modis allicere eius voluntatem ad concedendum, quatenus illa concessio est quædam cessatio iniuriæ & vexationis iniquæ. Vnde parum interest, siue dicas pecuniam dari, vt prauum animum deponat; siue vt ad beneuolentiam alliciatur. quia non censetur dari pro re sacra tamquam eius pretium; sed vt ab iniuria seu vexatione, quam denegando facit, cesset.

Dvbitatio viii.

Vtrùm pro spiritalibus functionibus, quibus labor aliquis coniunctus est, liceat pecuniam dare vel accipere.

D. Thomas art.3.

V. g. pro administratione Sacramentorum, Sacrificij oblatione, concione, precibus canonicis, consecratione Ecclesiarum, & similibus.

Notandum est, in tali functione quatuor spectari posse. Primò, ipsam actionem, quà talis est. Secundò, Laborem intrinsecè coniunctum. Tertiò, Laborem extrinsecùs annexum. Quartò, Ministri sustentationem. Nunc *Quatuor in tali functione spectanda.*

45 *Pro actione spiritali.* Respondeo & Dico Primò, Pro ipsis actionibus spiritalibus, quà spiritales sunt, aliquid accipere vel dare, est simonia. Patet ex dictis d. 2. quia hoc est sanctitatem rei pretio æstimare, vt quando eò amplius exigitur, quo functio est sanctior. vide D. Thomam art.3.

Pro labore per accidens connexo. Dico Secundò, Non est simonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinsecùs seu per accidens adiunctis, siue præuij sint actioni sacræ, siue comitentur. Est communis DD. ratio est, quia illi labores in se sunt quid temporale, per se pretio æstimabile; neque rei spiritali necessariò connexum. sic cantor aliquid potest exigere pro labore & artificio canendi voce aut instrumentis; hæc enim per accidens comitantur officia diuina, vt quæ sine cantu fieri possunt: nec ex coniunctione cum re sacra amittunt suam æstimationem, quam aliàs in re profana haberent. similiter sacerdos pro obligatione faciendi Sacri tali loco & tempore, & pro labore præuio in eundo ad locum dissitum: nam labor iste per accidens annexus est sacræ actioni, & per se pretio æstimabilis.

Hæc eadem obligatio etiam pretio æstimari potest, quatenus hominem sua libertate & facultate aliarum actionum vtilium, vel commoditatum priuat, quas alibi eo tempore percipere potuisset; vt rectè Caietanus 2.2.quæst.100.art.3.& in Summa v. Simonia, regul.4. Pari modo Vicarij Prælatorum & Parochorum possunt exigere mercedem pro obligatione, qua se ad annum, mensem, hebdomadam astringunt; vt rectè Nauarrus cap.23.num.102.& Caietan. suprà. Item

pro

pro laboribus subeundis in visitatione, in audiendis partibus, in examinandis causis: quia vel omnino, vel secundùm præcipuam sui partem temporales sunt; vt docet Caietanus ver. Simonia, reg. 6.

Sic etiam qui procurat alteri beneficium, aliquid pro suo labore accipere potest: non tamen quatenus is ordinem habet ad beneficium; sed quanti per se in alia re non sacra, vt in causa ciuili, æstimaretur: vt si litteras scribat, si iter conficiat, si alias expensas rationi consonas faciat. non tamen licitum est hæc pluris æstimare propter felicem successum, vel beneficij opimitatem. vnde communiter docent DD. esse simoniam, si aliquid des alteri vt procuret tibi beneficium. Ita Nauarrus libro 3. consil. 54. de præbendis, & in Enchirid. cap. 23. num. 106. §. Ad quintum, Angelus verbo Simonia 1. num. 7. Fumus eodem, num. 7. & 9. Sotus l. 9. quæst. 7. art. 3. Siluest. v. Simonia, quæst. 6. Ratio est, quia etsi labor ille procurandi (si quis sit) secundùm se pretio aliquo possit æstimari, non tamen quatenus vtilis est ad obtinendum beneficium, ita vt ratione beneficij pluris æstimetur; sic enim haberet suam æstimationem, saltem ex parte, à re spiritali, & ita ipsa res spiritalis vendi censeretur. si enim medium, quatenus vtile ad finem, est vendibile, etiam finis vendibilis videtur. Hinc etiam est simonia si aliquid detur pro electione, præsentatione, postulatione, vel collatione; quia hæc æstimantur ex ordine ad beneficium; vt docet Nauarrus cap. 23. num. 111. §. Nonò.

46 *Pro curando alteri beneficio.*

47 *Pro electione, &c.*

Pro sustentatione.

Dico Tertiò, Non est etiam simonia, si des aliquid pro sustentatione ministri sub obligatione rei spiritalis; aut si minister aliquid pro sustentatione exigat: ita D. Thomas art. 3. Caiet. ibidem & v. Simonia. reg. 4. estque communis DD.

Ministris ex iustitia debetur sustentatio.

Vbi Aduerte, eis, qui ministrant populo spiritalia, deberi ex iustitia sustentationem, sicut operario debetur merces; vt patet ex Scripturis. vide cap. 2. prioris ad Corinth. vbi Apostolus id fusè probat, & satis insinuatur Matth. 10. vbi Dominus ait, *Dignus est operarius cibo suo*: vnde à DD. vocatur *stipendium sustentationis*, quia verè debitum est vt stipendium. Ratio est, quia qui ministerijs spiritalibus incumbunt, priuant se facultate vacandi negotiis temporalibus, ex quibus lucrum capere & se sustentare (vt alij homines) possent; idque in commodum populi: ergo sæculares ratione huius priuationis in ipsorum commodum factæ, ipsisque necessariæ, tenentur ex iustitia eos sustentare, dum illis spiritalia administrant; sicut qui vtiliter negotia alicuius gerit, ei debetur sustentatio necessaria, quam ille aliunde cepisset, nisi per negotia illius impeditus fuisset: argumento L. Ex duobus. 27. ff. de negotijs gestis, & L. fin. C. eodem. Accedit, quòd nemo possit spiritalia decenter administrare, nisi sustentetur secundùm suum statum: ergo qui aliquibus hæc administrat, potest ab eis sustentationem pro illo tempore exigere, non vt pretium rei spiritalis, sed vt adminiculum ex natura rei necessarium ad spiritalium administrationem. quòd enim aliunde habeat vnde possit ali, id per accidens est; nec impedire potest, quin spectata præcisè rerum natura, seu officio quod præstat, illi debeatur sustentatio. Idque etiam ratione naturali est euidens: vnde etiam apud Ægyptios publicis sumptibus sacerdotes alebantur, vt patet Genes. 47. Idem modò seruatur apud omnes gentes. Hoc titulo licitum est aliquid exigere pro Missis, pro concionibus, pro Ecclesiarum consecratione, pro visitatione, iuxta consuetudinem in Ecclesia receptam, & Canonum dispositionem. Eodem titulo Episcopatibus, parœcijs, canonicatibus, alijsque ministerijs ecclesiasticis annexi sunt magni prouentus; non tamquam sacrarum functionum pretium, sed tamquam stipendia necessaria sustentandis ministris, iuxta suam ipsorum dignitatem & conditionem. Et quamuis hi prouentus ante ipsam annexionem non semper integrè debeantur; quia non omnibus Ecclesiæ ministris debetur integra sustentatio; (multi enim parum præstant, & minimè sunt necessarij) post annexionem tamen debentur integri; quia à legitimo dispensatore assignati sunt eorum ministerio, & ius ad eos percipiendos attributum. Cui tamen prouentus sufficiunt, nihil amplius exigere potest, nisi ob iustam causam Ecclesia id permittat. quo modo Episcopis concessum vt in consecratione Ecclesiarum & in visitatione accipiant procurationes, id est, expensas seu alimenta, vt infrà num. 55. dicetur.

Petes Primò, Vtrùm liceat ministris rerum spiritalium pacisci de certo stipendio ad sustentationem, v. g. pro Missis & prædicationibus? Caietanus art. 3. putat id solùm ministris pauperibus licere, non autem ijs, qui aliunde se possunt sustentare. 48

An pacisci licitum sit stipendium sustentationis.

Verùm dicendum est, Iure naturæ non esse simoniam, siue sit pauper, siue diues. Primò, Quia ministris rerum spiritalium ex iustitia debetur sustentatio, siue sint diuites, siue pauperes: ergo possunt de eo pacisci: quiuis enim potest pacisci sibi dari, quod ipsi Iure naturæ debetur. Secundò, Si stipendium à Prælato sit taxatum, poterit illud exigere, etiamsi diues sit, vt etiam fatetur Caietanus; ergo etiam quando non est taxatum: hoc enim non mutat nec extinguit ipsius ius.

Olim fuit illicitum pacisci.

Notandum tamen, Iure antiquo fuisse simoniam sic pacisci, siue minister esset pauper, siue diues; vt patet ex cap. fin. de pactis, cap. Quæsitum, de rerum permutatione, c. Tua nos, 34. de simonia, & cap. Quàm pio. 1. q. 2. quibus locis prohibetur omne pactum in spiritalibus. Huic tamen Iuri per contrariam consuetudinem in quibusdam rebus & functionibus spiritalibus est derogatum, vt docet Sotus lib. 9. q. 6. ar. 1. nam passim est ea consuetudo in Ecclesia, Prælatis scientibus & conniuentibus; quæ potest facere, vt id quod olim erat simonia Iuris humani, iam non sit aut simonia, aut aliàs illicitum. Optandum tamen esset vt hæc consuetudo abrogaretur, quia speciem quamdam negotiationis habet, præsertim apud imperitos. Qui tamen pacisci nunc volunt, debent expressè significare se non pro ipsa functione sacra, sed pro necessaria sustentatione exigere tantum, vt rectè Caietanus monet; ne alij offendantur; & vbi aliquid certi consuetudine vel statuto Prælati est præscriptum, id excedi in paciscendo non debat. 49

An gratis ministrent.

Dices, Si Clerici possunt pacisci & exigere hoc stipendium tamquam ipsis ex iustitia debitum, ergo non gratis ministrant. 50

Respon-

Respondeo negando consequentiam: dicuntur enim *gratis ministrare*, quia non exigunt quidquam tamquam ministerij pretium; hoc enim tamquam maius omni pretio gratis præstant: vt tamen hoc præstent gratis, requirunt necessariam sustentationem à populo.

51 *Quid si supra sustentationem.*

Petes Secundò, Quid si nimium exigant pro sustentatione, eritne simonia?

Respondeo, Non fore reuerà, sed præsumetur in foro externo: cùm enim illud stipendium necessariam sustentationem vel communem taxationem superet, videbitur istud auctarium accipi non pro sustentatione, sed vt pretium operis spiritalis, vt insinuat D. Thomas art. 3. ad 3. Tamen reuerà solùm erit iniustitia. cùm enim lege iustitiæ solùm debeatur sustentatio, si amplius exigas, erit contra iustitiam.

52 *Labor intrinsecus actioni sacræ.*

Sed difficultas supereſt de labore intrinsecùs sacræ actioni coniuncto, v.g. de labore in faciendo Sacro, in baptizando, confirmando, ordinando, consecrando templo, orando, &c. vtrùm pro eo aliquid pacisci vel exigere liceat?

Quidam censent, id licere. ita Adrianus quodlib. 9. ar. 1. littera D. Idem expressè docet Altisiodorensis 3. p. q. pænultima, de simonia; Bonauentura dist. 25. quæst. vltima de simonia, vbi dicit, *pro labore, qui est in celebratione Missarum, & similibus, posse pretium exigi.* Richardus eadem d. ar. 3. q. 2. dicit *Episcopum recipere procurationem, dum consecrat Ecclesias, tamquam debitam pro labore.* & *Clericos dicentes officium pro defunctis, posse accipere mercedem pro suo labore.* quæstione tertia excipit laborem, qui in administratione Sacramentorum: sed non loquitur consequenter. Armacanus l. 10. quæstionum Armen. cap. 10. probat ex Scripturis, laboranti in ministrandis Sacramentis, in officio prædicationis, & similibus, licitum esse pro labore huiusmodi per censum annuum, & oblationes, aliosque modos honestos necessaria vitæ sumere, imò exigere, si aliunde non habeat; quia Numerorum 18. legitur: *Filys Leui dedi omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* & infrà: *Comedetis eas vos & familiæ vestræ, quia pretium est pro ministerio, quo seruietis in tabernaculo testimonij.* Glossa in cap. Significatum. 11. de præbendis, dicit, *sacerdotem posse recipere mercedem pro suo labore, si aliàs ratione beneficij ad illum non teneatur.* Idem confirmatur 1. q. 2. cap. finali, ex Concilio Agathensi, vbi dicitur, *Clerici stipendia sanctis laboribus debita secundùm seruitij sui meritum à sacerdotibus consequantur.*

Aliorum sententia.

Alij verò docent esse simoniam, si pecunia pro hoc labore exigatur. Ita D. Thomas in 4. d. 25. q. 3. art. 2. & Durandus ibidem q. 3. num. 10. Palud. ibidem q. 3. ar. 3. Siluester v. Simonia q. 9. Caiet in ar. 3. q. 100. Sotus l. 9. q. 6. ar. 1. Idem tenent Innocentius & Hostiensis in cap. Significatum, de præbendis, & passim Canonistæ. Probatur Primò, Quia hic labor ita coniunctus est actioni sacræ, vt ipsa sine eo nullo modo fieri possit; est enim actio materialis, in qua consideratur inesse sanctitas, nempe locutio, motioque membrorum, promanans ab intellectu & voluntate. vnde nihil est aliud quàm ipsa sacra actio: ergo non potest vendi sine iniuria sanctitatis intimè coniunctæ. Secundò, Quia hic labor nullam habet æstimationem inter homines, nisi ex ipsa sanctitate actionis. labor enim, qui obitur à sacerdote in muneribus sacris, non æstimatur, nisi ob gratiam spiritalem coniunctam, vel inde manantem. Pro resolutione Respondeo &

Dico Quartò, Vtramque sententiam rectè intellectam veram videri. si enim loquamur de pretio vel mercede sustentationis, sic vera est sententia prior, neque id Auctores secundæ sententiæ intendunt negare, sed solùm loquuntur de mercede quæ præcisè respondeat labori, tamquam rei vendibili, non habita ratione sustentationis, sicut fit in rebus temporalibus. Quòd igitur verè & propriè pro labore, molestia, & temporis impendio, quæ in functionibus spiritalibus subeuntur, liceat exigere mercedem ad sustentationem vitæ & status sui, patet ex illa Domini sententia Matthæi 10. *Dignus est operarius cibo suo.* & Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Idem repetit Apostolus 1. ad Timoth. 5. At quare dignus, nisi ratione laboris, molestiarum, fatigationum, & impensæ temporis, quæ ipse subit in aliorum commodum. Confirmatur: quia non est dignus mercede temporalis sustentationis ratione bonorum spiritalium, quæ ipse alijs confert, neque ratione actionis sacræ quam confert. si enim hæc omnia posset conferre sine labore, & absque temporis detrimento, non posset exigere sustentationis stipendium: imò esset vera simonia Iuris diuini. Nam rem temporalem, nempe sumptus alimentorum, exigeret pro re purè spiritali. Ex quo perspicuum est, esse magnum discrimen inter actionem sacram, qua parte sacra est, & qua parte est laboriosa, requirens tempus, & impediens alias functiones lucrosas, quibus alioquin incumbere quis posset. quatenus enim sacra est, non efficit dignum mercede temporali, nec vllum ius tribuit exigendæ compensationis; quatenus autem laboriosa & diuturna, & consequenter aliorum lucrorum impeditiua, efficit propriè dignum pretio ad sustentationem necessario, & ad illud ius tribuit non minùs quàm labor in re temporali. Si enim ei qui in commodum alterius in negotio temporali vires suas impendit, labores & fatigationes sustinet, tempusque insumit, ex iustitia debetur merces; cur non etiam ei qui eadem facit in negotio spiritali salutis? Quòd si operarius mercede dignus est, certè ipsum quoque opus, modo prædicto spectatum, dignum est pretio ad sustentationem necessario. nam operarius propter opus dignus est. hac igitur ratione qui facit Sacrum in gratiam alterius, qui concionatur, confessiones audit, &c. potest exigere aliquid temporale ad se alendum pro suo labore & tempore impenso, absque vitio simoniæ. Verùm quia non omnis labor qui in singulis actionibus ponitur, meretur integram illius diei sustentationem, seruandum est id quod vsu receptum est, & à Prælatis approbatum vel constitutum. Quòd si iam habent ob talia ministeria impensas debitas quibus se alant, v. g. ex beneficio, peccabunt contra iustitiam si aliquid amplius exigant causa sustentationis, & præsumetur in foro externo simonia. vèrè tamen non erit simonia Iuris diuini, si solùm ratione laboris, non autem ratione sanctitatis rei id exigant, vt suprà num. 51. dictum est. Erit tamen simonia Iuris humani, si id faciant contra prohibitionem Ecclesiæ vsu receptam & vigentem. Aduerte tamen, etsi labor iam dictus dignus sit mercede & pretio ad sustenten-

53 *Posse aliquid exigi pro labore, & quomodo.*

54

Laborem illum non esse propriè venalem.

tentationem necessario, & pro eo merces exigi possit, quæ veræ mercedis rationem habeat; non tamen posse dici propriè venalem aut vendibilem. Ratio est, quia illud solùm censetur vendibile, quod aliquo modo in alterum transferri potest, vt ipse inde aliquid commodi percipiat; vt patet in cultore vineæ, cuius laboris commodum transit in dominum vineæ. at labor secundùm se non potest in alterum transferri, nec alteri esse vtilis, sed solùm ratione actionis cui coniungitur: quæ actio vendibilis est ratione commodi quod per eam in alterum transit, si tamen hoc commodum vendibile sit. Itaque labor non est vendibilis, nisi ratione actionis cum qua censetur quid vnum: actio verò non est vendibilis, nisi ratione commodi seu effectus qui ex illa alteri prouenit. vnde si illud commodum sit spiritale & inuendibile, actio quoque & labor inuendibilis est. Et hoc tantùm probat ratio Durandi, cùm ait: *Concomitantia illa, maximè quæ inseparabilia sunt ab administratione Sacramentorum (vt labor corporalis) nullo modo vendi possunt sine vitio simoniæ, quia labor operantis numquam cadit sub venditionem, sed solùm opus, etiam in purè corporalibus*, &c. Vnde concludit, *cùm opus quatenus alteri vtile non est vendibile, nec laborem vendibilem esse.* quæ omnia sunt verissima; nec aliud videntur velle ceteri Doctores secundæ sententiæ, nec amplius probat primum argumentum ibi allatum. Verùm etsi labor ille vt commodus alteri in cuius gratiam fit, non possit vendi, nec tribuat ius ad exigendam mercedem, nec secundùm eam considerationem reddat ministrum dignum cibo aut sustentatione: hinc tamen non sequitur quin secundùm aliam considerationem, nimirum vt fatigationem & molestiam ministro adfert, & tempus requirit, & vires in commodum alterius intendit & exhaurit, dignus sit mercede, & debeat compensari. Quamuis enim labor secundùm hanc considerationem non sit æstimabilis vt res vendibilis; est tamen æstimabilis secundùm se, vt incommodum quoddam, quòd in gratiam alterius subitur, abstrahendo à conditione actionis aut vtilitatis quæ inde alteri prouenit. hac enim ratione est dignus mercede & compensatione. Quod etiam ex eo confirmari potest, quia quando ipsa actio & commodum eius vendi potest, vt cùm quis excolit agrum alterius, magna habetur ratio laboris subeundi, ita vt ratione illius æstimatio crescat: imò interdum parui æstimatur actio eiusque vtilitas per se, sed ratione laboris & temporis, magni; vt si litteræ in longinquum per loca difficilia sint deferendæ. labor itaque æstimari potest præcisè secundùm se, ita vt quicumque talem laborem in commodum alterius subit, siue in re temporali, siue in re spiritali, dignus sit mercede ad sustentationem necessaria; idque pro ratione temporis, & conditione personæ, & laboris (quem actio requirit) magnitudine. Vnde negandum est quod assumitur in secunda ratione. Etsi enim verum sit, illum laborem in ratione rei vendibilis & commodæ alteri non æstimari nisi ex actionis sanctitate, & sic pro eo nihil peti posse; id tamen non habet locum secundùm aliam considerationem, vt ostensum est. Quare qui intuitu solius laboris modo prædicto petit mercedem ad necessariam sui sustentationem, non committit simoniam Iuris diuini: quia seposita alia compensatione, hac mercede est dignus, eique debetur. Posset tamen Ecclesia prohibere, ne is qui aliunde se alere potest, quidquam possit exigere: & tunc esset simonia Iuris humani. Qui verò intuitu suæ actionis sacræ, quatenus est commoda alteri, aliquid exigit, committit simoniam Iuris diuini: quia sanctitatem sui operis vendit.

Ex his patet, Episcopos & Archiepiscopos non committere simoniam quando exigunt procurationes, seu expensas *pro consecratione Ecclesiarum, & pro visitatione:* quia accipiunt in stipendium sustentationis; Iure id concedente, vt patet cap. Cùm sit Romana. 10. de simonia, vbi dicitur, *pro consecratione Ecclesiarum nihil posse capi præter procurationes.* & cap. Romana. 1. §. Procurationes, de censibus, in 6. vbi dicitur, *procurationem pro visitatione debitam, non esse recipiendam in pecunia, sed in victualibus, idque moderatè.* Ibidem & cap. sequenti graues pœnæ contrà facienti imponuntur, nempe vt intra mensem restituat duplum, (etiamsi muneris nomine datum sit) sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ: & vt nulla remissione vel condonatione possit hoc onere liberari: tamen cap. Felicis, proximo, permittitur vt possit recipere procurationem in pecunia, si offerant eam visitati, sed vno die non posse recipere nisi vnam procurationem, etiamsi plura visitauerit loca: etsi nunc multis in locis consuetudo permittat tot accipi procurationes, quot loca visitantur; vt notat Glossa. Pro ordinatione, confirmatione, & similibus nihil possunt exigere: quia Iure non permittitur, cùm decorè fieri nequeat, maximè cùm largum stipendium sustentationis Episcopatui sit annexum.

55 *Procurationes Episcoporum.*

Pœna contra excedentes.

Dvbitatio ix.

Vtrùm Prælati possint aliquid exigere pro dispensatione in votis, iuramentis, impedimentis matrimonij, aut quibusuis legibus ecclesiasticis.

56 *Est simonia.*

Respondeo & Dico Primò, Simoniam esse si pro huiusmodi dispensationibus aliquid exegerint.

Notandum est Primò, In his actibus nihil esse laboris vel molestiæ præuiæ, aut comitantis extrinsecùs annexæ, aut intrinsecùs coniunctæ: neque etiam per eos impediuntur alij actus, ex quibus lucrum capi queat. Itaque hi tituli hic locum non habent vt in superiori quæstione.

Secundò, Certum est, nihil accipi posse in pretium seu compensationem talis dispensationis, quia est vsus spiritalis potestatis, qui vendi non potest, sicut nec vsus gratiarum gratis datarum, vt doni prophetiæ, vel miraculorum.

57 *Pro dispensatione nihil possunt accipere Prælati.*

Tertiò, Certum est, Prælatos inferiores nullo titulo quidquam accipere pro his actibus posse. Ita D. Thom. a. 3. ad 3. & communiter DD. Probatur; quia à Iure non permittuntur quidquam exigere, nisi procurationes pro consecratione Ecclesiarum & visitatione, vt iam dictum est. Deinde quia Concilium Trident. sess. 25. cap. 18. De reform. id expressè prohibet. *Si*, inquit, *vrgens iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerint*

rint cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summa maturitate atque gratis à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

Aduerte tamen, posse Episcopum imponere onus largiendi eleëmosynam pauperibus vel Monasterio: tantùm enim prohibet Concilium, ne ipse inde commodum temporale captet.

58 *Pontifex potest.* Quartò, Summus Pontifex potest à simonia excusari, etiamsi causâ dispensationis aliquid accipiat, modò illud non in pretium dispensationis; sed veluti in quamdam mulctam, per quam alter compenset recessum à communi lege, exigat. Probatur, quia cupienti sibi concedi exemptionem à lege, licitum est imponere aliquod onus, quo compenset hanc deformitatem; v. g. vt soluat aliquam pecuniam ad piam causam, vt ieiunet, vt peregrinationem suscipiat: quod etiam Episcopi facere possunt. decet enim hanc exorbitantiam aliquo modo compensari & sarciri, & huiusmodi oneribus homines, veluti repagulis, intra leges communes coërceri. potest autem Pontifex hanc pecuniam suis necessitatibus applicare; quia nemini est debita, nisi cui ipse eam attribuerit. Idem possent Episcopi, nisi ipsis Iure positiuo esset prohibitum. Vnde si alicubi esset contraria consuetudo iam legitimè præscripta, vel Pontifice sciente & non contradicente per aliquot annos recepta, non esset damnandum simoniæ.

Exemptio à lege communi alio opere compensanda.

59 *Obiectio.* Dices, Pontifex decreta Concilij confirmauit: ergo tenetur illorum vi directiua.

Resp. Hinc tantùm sequitur, Pontificem non posse quidquam pro suis vsibus exigere; (nisi subsit iusta causa) alioquin peccabit, saltem venialiter, non conformans se in hoc decreto alijs Prælatis.

Fideles possunt excusari. Notandum est, fideles obtinentes huiusmodi dispensationes, & aliquam pecuniæ summam Prælatis exigentibus persoluentes, excusari à simonia, partim ratione ignorantiæ inculpatæ, partim quia dant in sustentationem Prælatorum & officialium; vel saltem in quamdam redemptionē vexationis, (præsertim si exigatur dispensatione iam obtenta) nullo modo volentes emere ipsam dispensationem. Hoc modo excusari possunt ante Concilium Tridentinum, qui soluebant aliquid Episcopo titulari in collatione Ordinum, qui abusus iam in plerisque locis est sublatus. quamuis & ipsi Episcopi propter consuetudinem excusari potuerint. Etti enim sit abusus, eò quòd speciem mali habeat, tamen non est absolutè malum, sepositio Iure positiuo.

Petes, Vtrùm committant simoniam, si aliquid exegerint pro ferenda excommunicatione vel alia censura. Ratio dubitandi est, quia hîc non aliquid spiritale conferunt, sed auferunt; ac proinde non videtur hîc esse locus simoniæ. Respondeo, Committere simoniam; quia excommunicare est vsus potestatis spiritalis, non minùs quàm ab excommunicatione absoluere. Vnde Prælatus, si intuitu istius vsus exhibiti in gratiam alterius, qui v. g. suum debitorem vel aduersarium, à quo iniuriam patitur, hac pœna compelli petit, aliquid exigat, simoniam Iuris diuini committit. Cùm enim hîc nullus labor vel modicus subeundus sit, ratione cuius videatur aliquid ad sustentationem posse exigi, solùm superest illa actio spiritalis, quæ vendibilis non est. Nec refert quòd commodum per illam proueniens ei in cuius gratiam fit, sit temporale, nimirum quòd alter cogatur soluere, vel abstinere ab iniuria. quia sufficit illam actionem ex parte sui principij vnde procedit, atque adeò in seipsa spiritalem esse; sic enim efficitur inuendibilis, etiam vt alteri vtilis: sicut vsus gratiæ sanitatum, qui alteri maximum commodum temporale adfert, inuendibilis est, nec quidquam pro eo exigi potest. sicut enim hoc commodum temporale non præstatur nisi per actionem spiritalem; ita neque venditur, aut exigitur pro eo pecunia, nisi vt in illa actione tamquam in causa continetur.

Aduerte tamen, si ex vsu potestatis spiritalis graue incommodum proueniret vtenti, v.g. odia, calumniæ, pericula vitæ, famæ, fortunarum, &c. sepositio Iure positiuo, non fore simoniam, si aliquid eo intuitu exigitur. Tunc enim nihil exigitur pro vsu potestatis spiritalis, sed pro incommodo, quod ipse patitur & subit, vtendo illa potestate. Atqui honor rebus spiritalibus debitus non postulat, vt dum quis in commodum alterius illis vtitur, non se curet seruari indemnem. Simili modo sacerdos periculo grauis incommodi se exponens faciendo Sacrum, posset illud æstimare absque vlla rei sacræ iniuria.

Dvbitatio x.

Vtrùm Episcopi vel eorum officiales possint aliquid exigere pro litteris Ordinis suscepti, vel dimissorijs, vel sigillo.

60 Respondeo & Dico Primò, Nec Episcopos, nec eorum ministros (exceptis Notarijs) quidquam posse pro his, etiam sponte oblatum, accipere: si contrà fecerint, contrahent simoniam, saltem Iuris humani. *Soli Notarij possunt pro litteris aliquid exigere.*

Prior pars est expressè Conc. Trident. sess. 21. c. 1. de reform. *Nihil*, inquit, *pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri quouis prætextu accipiant.* vnde patet, ne expensas quidem exigere posse, sicut in consecratione Ecclesiarum & visitatione.

61 Altera verò, *fore simoniam*, colligitur ex eodem loco Concilij: quia prohibet hæc, eò quòd prauitati simoniacæ faueant; & infligit pœnam excommunicationis ipso facto, olim Iure statutam. Idem patet ex Concilio Bracar. II. c. 3. vbi dicitur, *De ordinatione Clericorum Episcopi nulla munera accipiant, sed sicut scriptū est, Gratis accepistis, gratis date*, &c. *quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema sit danti & accipienti.* vide cap. 22. Placuit 1. q. 1. Gregor. I. cap. 4. Sicut Episcopum. 1. q. 2. *Sicut Episcopum nō decet manum, quam imponit, vendere; ita minister vel Notarius nō debet in eius ordinatione vocem suam vel calamum venumdare.* ibidem tamen permittit *sponte oblatum* accipi: quod tamen Concilium Tridentin. prohibet, & meritò; quia non censetur quid facilè tunc sponte dari, maximè ante ordinationem: & facilè persuaderet sibi cupiditas, sponte dari quòd coactè offertur. Non tamen erit simonia, si verè sponte detur, & *Sponte oblatum.*

vt

vt tale acciatur; quia cessat pactio & ratio debita, quæ necessaria ad simoniam.

62 *Notarij.* Excipiuntur à Concilio Tridentino *Notarij*; sed in ijs tantùm locis vbi est consuetudo aliquid accipiendi, & nullum salarium pro exercendo officio est constitutum. hîc enim pro singulis dimissorijs & testimonialibus litteris possunt accipere decimam partem aurei, non amplius, id est, sex asses; dummodò Episcopo nullum inde emolumentum obueniat. Quòd si eis salarium sit constitutum, simoniam committent aliquid accipiendo. Similiter si amplius acceperint. Nec potest eis suffragari contraria taxa, aut consuetudo, etiam immemorabilis; quam Concilium dicit esse corruptelam, prauitati simoniacæ fauentem: addens, *Qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, vltra diuinam vindictam, pœnas a Iure inflictas ipso facto incurrant.* Hæc pœna est excommunicatio, vt patet ex 2. Concilio Bracarensi cap. 1. Quod de dantibus dicitur, intellige de ijs qui sponte dant; secùs qui coactè, iam obtento ordine.

Dantes qui excusandi. Aduerte tamen, his non obstantibus, multis locis amplius exigi: vbi sanè dantes omnino excusandi sunt; non enim est mens Concilij vt litteris illis careant fortè etiam accipientes excusari possunt consuetudine; quæ etsi corruptela videatur ob speciem mali, tamen per se mala non est, quamuis meritò per Episcopos vt corruptela tolli deberet.

63 *Prælati tenentur dare stipendia suis ministris.* Dico Secundò, Prælati, qui habent reditus sufficientes, tenentur lege Iustitiæ suis officialibus iusta stipendia assignare, ne cogantur pro hisce ministerijs à subditis aliquid exigere. Ita docet Sotus l. 9. quæst. 6. art. 1. Probatur, quia Prælatis non sunt assignati tanti prouentus tot millium aureorum, vt ipsi soli inde viuant; sed vt etiam ministros suos, qui ad pastoralia munia ipsis sunt necessarij, sustentent. Porro ministri, quibus salarium debitum est assignatum, peccant, etiam contra iustitiam, aliquid amplius exigendo. Verùm in his omnibus magnam vim habet consuetudo præscripta.

Dvbitatio xi.

Vtrùm pro omissione actus spiritalis aliquid dare vel exigere sit simonia.

64 *Dare pro omissione, non est simonia.* Respondeo & Dico Primò, Non esse id propriè simoniam. Huius sententiæ dicitur fuisse Melchior Canus & Franciscus Victoria. ratio est, quia nuda omissio actus spiritalis, non est quid sacrum & supernaturale: ergo dum pro eo aliquid exigitur, non exigitur pro re sacra: vt si aliquid accipias vt omittas Sacrum, vt non ordines, non confirmes, non absoluas, non baptizes, non excommunices, non suspendas, non subijcias interdicto. Imò interdum potest quis pecuniâ induci vt hæc omittat, v. g. ne eligat eum, quem scio ineptum, vel hæreticum; ne absoluat impœnitentem, ne celebret dum est in statu peccati. quod si fiat vt alteri noceatur, erit quidem graue peccatum, non tamen propriè simonia.

Nec obstat cap. Nemo presbyterorum. 14. de simonia, vbi dicitur, *simoniacum esse pretio vel fauore celare peccatorem, vel reconciliare non pœnitentem, vel dignè pœnitentem à reconciliatione remouere.* quia nomen *simoniæ* ibi accipitur generatim & large, quo modo collatio beneficij facta carnali affectu vel precibus interdum simoniaca dicitur, vt patet cap. 114. Ordinationes. 1. quæst. 1. Eodem modo collatio facta timore, vocatur simoniaca à D. Thoma in 4. vt notauit Victoria n. 25. certum enim est, fauore celare peccatorem, seu non deferre, non esse propriè simoniam: imò neque si pretio fiat. quia deferre vel non deferre, non sunt actus spiritales, sed ciuiles. per accidens autem est quòd referantur ad correptionem fratris, vel punitionem; modò non ideò pluris æstimentur, vt patet ex dub. 8.

Dices, Quædam omissiones sunt vsus potestatis spiritalis, vt patet cùm quis pœnitentem & confessum non vult absoluere. ergo erit simonia si aliquid pro ea detur, vel exigatur. Respondeo; Numquam pura omissio, de qua nos loquimur, est vsus potestatis spiritalis. Vnde diximus *nudam omissionem actus spiritalis* non esse quid sacrum. Vt omissio censeatur vsus spiritalis auctoritatis, requiritur vt quis ex auctoritate aliquem repellat, vel saltem vt illi omissioni actus spiritalis censeatur coniunctus, v. g. Si quis audita confessione alicuius illum repellat tamquam indignum, & sic deneget absolutionem, est actus spiritalis, & sic erit simonia Iuris diuini pro tali omissione in fauorem alterius facta aliquid accipere. quo modo facilè intelligi potest dict. cap. Presbyterorum: & sic *simonia* quo ad hunc casum poterit ibi propriè accipi. Non tamen erit vera simonia, si Sacerdos non repellat, nec iudicet indignum, sed dissimulanter se subducat, vel alio astu omittat absolutionem: sic enim non vtetur sua auctoritate. Similiter si Prælatus qui excommunicauit, pœnitentem repellat, tamquam indignum, nolendo absoluere, vel etiam moras sine causa nectat, erit simonia. Nam huic omissioni coniuncta est continuatio effectus prioris sententiæ; & ita omittendo, assiduè & voluntariè censetur suæ auctoritatis sententia excommunicatum lædere. Sicut Prætor aliquem vinctum tenens, postquam venit tempus quo tenetur illum soluere, si omittat, positiuè eum lædit vsu publicæ potestatis. Itaque hoc ipso, quo datur aliquid pro tali omissione, datur pro continuatione læsionis, & consequenter pro continuato vsu illius potestatis.

Dico Secundò, Huic tamen contractui, quo aliquid datur vel exigitur pro omissione actus spiritalis, si fiat sine iusta causa, coniuncta est quædam turpitudo simoniæ affinis. ratio est, quia dum exigitur vel offertur pretium pro omissione actus spiritalis, tacitè insinuatur actum illum esse vendibilem; si enim est æstimabile pretio ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri. quare committitur irreuerentia in rem sacram per hunc contractum. Quia tamen contractus non fit de re ipsa sacra, non est propriè simonia: non enim est rei sacræ venditio, sed est contractus, quo insinuatur rem sacram esse vendibilem; quod in eius iniuriam cedit. Ex quibus patet, accedente præcepto Ecclesiæ quo vetetur acceptio vel oblatio pecuniæ pro huiusmodi omissionibus in reuerentiam sacrarum functionum, facilè in huiusmodi fore simoniam Iuris humani. 65 *Habet simoniæ imaginem.*

Dixi, *si fiat sine iusta causa.* quia in multis casibus licitum est aliquid dare ministro Ecclesiæ vt aliquem actum spiritalem omittat; modò illa omissio non sit connexa vsui spiritalis potestatis, vt suprà n. 64. dictum est. Possumus enim iniurias Dei pecunia oblata impedire. Idem dico de grauissimis iniurijs proximi, quæ aliter auerti nequeunt, vt si vellet aliquem iniustè excommunicare. Ipse tamen pecuniam licitè non potest exigere, nisi fortè in casu pro damni vel incommodi compensatione, quod omittendo subiturus esset.

DVBITATIO XII.

Vtrùm pro ingressu Religionis aliquid dare vel accipere sit simonia.

66 *Si pro statu religioso datur, est simonia.*

RESpondeo & Dico Primò, Simonia est si pro ipso statu religioso aliquid offeratur vel accipiatur. est certa & communis DD. quia hic status est res omnino supernaturalis & cælestis.

Allicere ad Religionem muneribus.

Petes, Vtrùm idem dicendum sit, si donis & muneribus intendam te pertrahere ad religionem Catholicam, vel ad meum Monasterium?

Quid si intendam obligare.

Respondeo, Si solùm intendam allicere animum, vt sponte hæc complectaris, certum est non esse simoniam: licitum enim est beneficijs allicere ad salutem & salutaria omnia: modo tamen absit scandalum, ne videantur pretio fieri Christiani vel Religiosi. Si verò intendam absolutè obligare, videtur esse simonia, vt insinuatur cap. 2. Quàm pio. 1. quæst. 2. vbi dicitur, *Nusquam legimus Domini discipulos, vel eorum ministerio conuersos, quempiam ad Dei cultum muneris interuentu prouocasse.* Sed verius puto non esse propriè simoniam; quia pro temporali non obligo illum, vt mihi, vel alteri meo nomine, det aliquid spiritale: sed vt sibi ipsi consulat, & salutaria amplectatur. Confirmatur, quia turpitudo illius actus non est sita in eo quòd spiritale comparetur pretio temporali: alioquin ne sub conditione quidem obligari quis posset, nimirum vt vel ingrediatur Religionem, vel refundat 100. aureos quos in hunc finem ei dedi. Quando enim agitur de comparanda re spiritali, ne hoc quidem modo obligatio potest interuenire. At satis constat illud non esse illicitum, vt statim dicemus, & vsus quotidianus probat. Consistit igitur illius actus deformitas in eo quòd homo pretio temporali obligetur ad id quod liberè & ex affectu salutis animæ, non commodi temporalis, capessi debet. Vnde in alijs rebus spiritalibus admitti potest hæc absoluta obligatio absque vitio simoniæ, v. g. vt talibus diebus facias Sacrum, tali loco, in tali altari, &c. ergo non est hîc propriè simonia, saltem Iuris diuini. Cauendum tamen est, tum propter scandalum, vt dictum est; tum quia Religionis professio debet esse libera. vnde non potest ita obligari quin possit resilire, si in probatione viderit sibi non conuenire.

67 Simili modo non potest Monasterium inops pacisci cum opulento, vt pro Prælato, quem illi suppeditat, certam pecuniam rependat; qui est casus dicti capitis, Quàm pio: quia reuerà hic daretur spiritale pro temporali. Vnde etiam videtur simonia, si Monasterium sui commodi spiritalis vel temporalis causâ, muneribus aliquem absolutè ad ingressum obstringeret; daret enim temporale, vt ipse in gratiam & commodum ipsorum capesseret spiritale. secùs si non absolutè. nam potest quis ali in studijs, vel accipere commoda à Monasterio, ea lege vt postea ingrediatur, vel si noluerit, teneatur illos sumptus refundere; si autem ingressus fuerit, liber sit ab hac obligatione. Patet, quia licet mutuare sub conditione vt non tenearis restituere, si Religionem ingressus fueris; tenearis verò si non fueris: nihil enim hîc datur pro ingressu Religionis tamquam pretium, sed datur gratis, & ingressus Religionis requiritur tamquam conditio, vt donatio vim habeat: quo modo etiam legatum quoduis relinqui potest.

Licitum obligare alternatiuè.

Dico Secundò, Si Monasterium est opulentum, videtur esse simonia, saltem Iuris Ecclesiastici, exigere aliquid pro sustentatione ingredientis. Docet hoc D. Thomas in 4. d. 25. q. 3. art. 2. ad 7. vbi ait; *Si sine grauamine Monasterij possit recipi nouitius, simoniacum est aliquid exigere.* Adrianus quodlib. 9. littera V. Victoria relect. de simonia p. 2. n. 12. vbi dicit omnes DD. sentire hoc esse simoniam. Probatur Primò, Quia ius viuendi de bonis Monasterij sic est annexum professioni, sicut præbenda officio Ecclesiastico: ergo sicuti pro præbenda non potest quidquam exigi, ita neque pro iure sustentationis. 68

Si Monasterium est opulētum, videtur simonia.

Quidam negant antecedens, Quia, inquiunt, Monachi olim non habebant ius viuendi ex bonis communibus, sed solùm ex opere manuum. Deinde Monasterium non tenetur monachum alere lege iustitiæ; sed solùm ex misericordia.

Habent ius ad alimenta.

Sed contrà. Quia etsi olim non habebant ius, quando se omnes labore manuum sustentabant, tamen modò postquam Monasteria ad sustentationem fratrum sunt copiosè dotata, & auctoritate Ecclesiæ sic instituta, non video cur singuli Religiosi ius non habeant ad alimenta ceteraque necessaria, & cur Monasterium non teneatur lege iustitiæ singulos alere; cùm singuli sint pars illius communitatis, quæ illorum bonorum dominium, vel certè liberum vsum habet. Idem tenet Nauarr. commentar. 2. de Regular. num. 29. 65. & alibi.

Secundò probatur, Quia vel exigitur aliquid pro ipso statu, vel pro iure alimentorum: si pro statu, est expressa simonia iuris diuini: si pro Iure alimentorum, cùm hoc ius sit debitum ratione status, censetur velle vendere ipsum statum, ex quo hoc ius prouenit, sicut dictum est de beneficio, dubit. 2. & 4.

Quidam dicunt non esse simoniam.

Notandum tamen quosdam sentire, hîc nullam esse veram simoniam, quando pecunia solùm pro sustentatione exigitur, sed solùm præsumi in foro externo. Ita Siluester v. Simonia, quæst. 15. Toletus lib. 5. cap. 89. Sotus lib. 9. de Iustit. quæst. 6. art. 2. ad quartum, & multi alij recentiores. Confirmatur, quia non exigitur temporale pro spiritali tamquam pretium; sed solùm requiritur tamquam conditio vt Monasterium accessu aliorum non grauetur: cùm enim bona sint communia, neque certi prouentus singulis professis sint attributi, fit vt opes communitatis, respectu singulorum, minuantur aliorum ingressu, neque tam commodè possint recipi pauperes, qui aliàs benè idonei. ad hoc igitur cauendum, paciscuntur cum 69

ijs, qui opes habent, vt inferant alimenta: quæ ratio non habet locum in beneficijs. Itaque non exigunt pro iure alimentorum propriè, sed damni vitandi causa; & ne illorum accessu, pauciores alij possint admitti. hæc ratio benè ostendit, non esse simoniam Iuris diuini. Quòd tamen aliquo modo sit simonia, videtur posse conuinci ex Canonibus, qui absolutè prohibent aliquid exigi ab ingredientibus, vel pactum fieri, & puniunt tum dantes, tum accipientes: hos enim iubent suspendi ab executione ordinis & officij, illos verò ad aliud Monasterium transferri; vt patet cap. Veniens ad nos. 19. & cap. Dilectus. 30. de simonia, & Extrauag. prima de simonia, vbi suspenduntur Conuentus & Capitula, quæ pastus, vel prandia, vel similia in Religionis ingressu, etiam ex consuetudine, (quam dicit esse corruptelam) exigunt; & illi, qui hæc dant, excommunicantur. Neque dici potest, Canones loqui ex præsumptione: quia potiùs præsumendum est illa exigi non pro statu spirituali, sed vel ad leuamen Monasterij, vel tamquam conditionem, vt recreetur Conuentus in illis veluti nuptijs spiritalibus; & vt tractentur amici. non enim arbitrandum est illos velle pessimo modo facere, quando minùs malus suppetit. Probabiliùs dici posset, olim fuisse simoniam Iuris humani, & adhuc esse, vbi illi Canones vigent; vbi verò longa consuetudine contrarium seruatur, illam simoniam desijsse. Semper tamen speciem simoniæ retinet, & verum auaritiæ est signum.

70 *Videtur non esse simonia, vbi longa consuetudo contrarium seruat.*

Dico Tertiò, Si Monasterium inopia premitur, ita vt non possit plures sustentare, non est simonia, pacisci cum ingredientibus de sustentatione. Ita D. Thomas quæst. 100. art. 3. ad 4. & in 4. Sentent. loco citato, Siluester suprà quæst. 15. Idem tenent Victoria, Sotus, Caietan. Nauarrus, Ioannes Medina, & alij plerique. Ratio est, quia hîc nihil spiritale vendi censetur; illa enim pecunia solùm requiritur vt conditio quædam necessaria, vt alij Religiosi non grauentur: non enim par est vt maiorem inopiam subeant causâ eorum qui petunt admitti, quando hi ipsi facilè possunt istud incommodum auertere. Nec obstat cap. Quoniam. 40. de simonia; quia ibi agitur de Monasterio, quod falsò prætendebat paupertatem, vt notauit Siluester. Dici etiam potest, Iura antiqua in Monasterijs tenuibus per contrariam consuetudinem esse abrogata.

71

72 *Dispositio Concil. de numero.*

Circa prædicta Notandum Primò, Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. de reformatione Regul. statuisse, *vt in Monasterijs & domibus tam virorum quam feminarum, is tantum numerus constituatur & conseruetur, qui ex proprijs reditibus Monasteriorum vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Vnde Superiores, & illis negligentibus, Ordinarij deberent hunc numerum constituere, & non permittere vt plures admittantur; & consequenter ne fiant pacta de alimentis, aut de dote: (sic enim in Monasterijs feminarum vocari solet) quamuis enim Concilium hoc expresè non prohibuerit, tamen sequitur ex illius decreto, estque Iure antiquo vetitum.

73 Notandum Secundò, Non videri peccatum, saltem mortiferum, si plures admittantur vbi hic numerus nondum est constitutus, aut si paciscantur de dote, quando Monasterium est tenue: quia decretum illud nondum videtur receptum, & vsus contrarius non est contra rectam rationem, & Congregatio Cardinalium nihil ausa est hac de re definire, sed censuit ad Summum Pontificem deferendum.

Nec obstat cap. Periculoso, vnic. §. Sanè, de statu Regul. in 6. *Districtius*, inquit Pontifex, *prohibemus, ne in Monasterijs Ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis siue prouentibus absque penuria sustentari: si secus actum fuerit, irritum decernentes.* quia responderi potest, Illa, quæ inferuntur, hoc ipso fieri bona Monasterij, & sic eam, quæ admittitur, ali posse de bonis Monasterij. Deinde non videtur vsu receptum; quia passim ignoratur dispositio huius Canonis.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm sit simonia, exigere pretium pro doctrina Theologica.

74 REspondeo & Dico Primò, Exigere aliquid pro doctrina theologiæ naturalis seu metaphysica, non est simonia. est ferè communis DD. Probatur, quia hæc doctrina non est res supernaturalis, sed est actus naturalis intellectus, voce explicatus; adducens alterum ad cognitionem naturalem: ac proinde non est materia simoniæ. Vnde potest æstimari non solùm ex labore, qui ponitur in studendo, sed etiam ex sublimitate rei & veritatis, ad quam mentem alterius elevat; eoque amplius exigi, quò veritas illa est sublimior, magisque abdita, vt dictum est dubit. 1. vnde videmus, professionibus sublimioribus maiora esse constituta auctoramenta. Idem sequitur ex sententia Altisiodorensis, & Alexandri de Ales, qui dicunt scientiam vendi non posse, laborem docendi posse; quia hic labor non habet æstimationem notabilem, nisi ex re in qua versatur.

75 *Obiectiones.*

Dices, Veritas illa est quid æternum & increatum: ergo sine iniuria vendi non potest. Secundò, Non est mea vel tua, sed solius Dei, teste D. Augustino in Confessionibus. Denique omnis veritas seu cognitio veritatis est à Spiritu sancto, teste D. Ambrosio.

Resp. Respondeo, Veritatem esse quid increatum & æternum vt est in obiecto æterno, & vt est in mente diuina; & hac ratione vendi non posse. Vt autem est in mente & in intelligentia docentis & discentis, est quid creatum: non tamen propriè dici potest vendi, ea enim quæ est in docente, vel in actu intellectus illius, non venditur; quia docens, suam cognitionem & veritatem non transfert in discentem, sed sibi eam retinet. ea verò, quæ nascitur in discente, non oritur solâ docentis operâ, vt qui extrinsecùs tantum modò obiectum proponat, sed ex vi luminis intellectus. propriè tamen dici potest vendere suum docendi laborem, industriam, & vocem, quatenus vtilis est ad obiectum tam nobile proponendum; & consequenter concedi potest, veritatem indirectè vendi, videlicet quatenus oritur ex labore & industria docentis, in mente discipuli, & vtilis est ad conuictum humanum, ad dignitatem & no-

Vendit laborē & vocem suam.

minis existimationem, ad oblectationem, ad opes, ad famam.

76 Nec obstat quòd veritas sit virtus intellectus, ac proinde bonum honestum, quod nullam cum bonis temporalibus habet commensionem: quia non venditur quà honestum, sed quà vtile & delectabile.

Ad Secundum, Veritas, quæ est in obiecto, non est mea; ea tamen quæ est in meo intellectu, quodammodò mea est, per quam proponendo obiectum medio sermonis, aliam in mente alterius gigno, pro quo actu mercedem postulo.

Ad Tertium, Omnis veritas est à Spiritu sancto, non tamen per supernaturale donum. etiam sanitas, & vires, & artes à Spiritu sancto sunt.

77 *Pro catechismo.* Dico Secundò; Exigere aliquid pro simplici catechismo seu doctrina & veritate fidei tradenda, tamquam pretium, est simonia. Ratio est, quia hæc doctrina non æstimatur, nisi quatenus disponit ad salutem. Neque ordinariè fit solùm vt res fidei memoria teneantur (qua ratione fortè aliquid exigi posset) sed vt fideles sciant illis vti & applicare ad affectus & mores suos, tum in cultu diuino, tum in Christiana conuersatione componendos. Potest tamen exigi stipendium sustentationis pro labore qui subitur, vt suprà dubitat. 8. dictum est.

Pro vsu doni sapientiæ. Dico Tertiò, Si theologia pro cognitione mysteriorum fidei & Scripturarum diuinitus infusa (qualis erat in Apostolis) accipiatur, exigere aliquid pro eius vsu tamquam pretium, est simonia. ratio est, quia hæc theologia erat gratia gratis data, qualis naturæ viribus haberi nequit: per hanc enim longè clariùs & certiùs sensus Scripturarum & mysteria fidei penetrabant, quàm vllo studio quis possit assequi. neque solùm consistebat in habitu, sed bonam partem in assistentia Spiritus sancti, pro tempore & loco illuminantis.

78 *Theologia scholastica.* Dico Quartò, Si theologia accipiatur pro scientia, quæ ex principiis fidei per industriam rationis naturalis deducit conclusiones; pro quibusdam eius actibus pretium accipi potest, pro quibusdam non potest.

Quatuor functiones theologiæ. Vbi notandum, hanc theologiam habere quatuor functiones. Prima, Ex principiis fidei deducere conclusiones, siue necessariò siue probabiliter. Secunda, Ex sacris DD. interpretari Scripturas. Tertia, Docere doctrinam Christianam, seu prædicare doctrinam euangelicam. Quarta, Dare responsa ad pacandas conscientias. Pro tertio & quarto actu pretium exigi non potest. Ratio est, quia hi duo actus immediatè referuntur ad excitandam fidem, spem, charitatem, pœnitentiam, aliosque actus supernaturales, & ad consolationem Spiritus sancti percipiendam: nec aliam habent æstimationem apud Christianos. vnde censentur res sacræ & supernaturales: quia immediatè ad supernaturalia ordinantur, & etiam quia fiunt ab homine, vt est instrumentum Spiritus sancti.

Pro catechismo, concione, responsis ad pacem conscientiæ.

79 *Pro labore præuio.* Aduerte tamen, non fore simoniam, si pro labore præuio, qui in studendo scribendoque ponitur vt se cõparet ad illos actus, aliquid accipiat; quia per accidens illis coniungitur: modò non pluris hunc laborem æstimet, cò quòd ad salutem vel conscientiæ tranquillitatem faciat. posset tamen eum æstimare, si idem ad commoda temporalia valeret; vt quando de contractibus respondetur: sicuti Iureconsultus eò pluris æstimat suum responsum & laborem, quò maior est causa ad quam iuuat.

Verùm si quis benè consideret, nihil est peculiare in illo studio præuio ad conciones vel catechesim. Si enim consideretur vt est vtile iis quorum causa suscipitur, sic nihil pro eo exigi potest, sicut nec pro ipso actu concionandi. quia vtilitas hæc est omnino spiritalis; & sic æstimaretur hoc studium & venderetur ratione commodi spiritalis. Si autem spectetur vt adfert molestiam, & requirit magnam animi attentionem & longum tempus, sic pro illo potest exigi pretium sustentationis. Sed eodem modo potest exigi pro labore ipsius concionis, vt patet ex dictis dubit. 8. num. 53. & 54. Itaque non est hîc facienda distinctio inter concionandi actum, & laborem præuium, qui ad illum actum ordinariè requiritur, vel suscipitur.

De primo & secundo actu. De primo & secundo actu theologiæ est difficultas. Quidam putant esse simoniam, si pro eis aliquid exigatur. Ita Siluester v. Simonia q. 10. & Paludan. quem Siluester refert. Addit tamen Siluester duas limitationes. Prima est, Si doceatur ex officio magisterij; quia sic est, inquit, actus spiritalis ex parte principij. Secunda, Si ex pacto. Sed probabilius est non esse simoniam. Ita Adrianus quodlib. 9. art. 1. Sotus l. 9. quæst. 5. art. 1. & 80 *In primo & secundo actu non est simonia.* quæst. 6. ar. 2. Caietan. in art. 3. D. Thomæ, Victoria num. 6. relect. 1. & alij. Ratio est, quia in actu docendi theologiam vel explicandi Scripturas, non habetur ratio vtrùm proueniat iste actus ex cognitione seu assensu supernaturali, neque vtrùm immediatè inducat ad assensum supernaturalem, vel ad alios pios motus; sed solùm laboris & sumptus, quo Doctor ad illam cognitionem peruenit; & laboris, quo illam tradit; & vtilitatis, honoris, oblectationis, quæ ex illa prouenire solent.

81 *Obiectio prima.* Dices Primò, Hæc doctrina versatur circa obiecta supernaturalia, & ad eam concurrit in docente habitus supernaturalis, nempe fides; & ingenerat auditoribus assensum supernaturalem, fide illorum cooperante. Denique dirigit virtutes supernaturales, spem, charitatem, religionem; & fidem ipsam stabiliorem reddit, & mysteria fidei contra infideles tuetur: ergo hæc doctrina est sacra in seipsa, ac proinde inuendibilis.

Resp. Respondeo, non negamus quin multa sacra possint huic actui esse coniuncta, sed non ita coniuncta sunt, quin separari possint; vt patet in theologo, qui de aliquo articulo fidei voluntariè dubitat, vel etiam aliquem negat. hic enim fide supernaturali caret; tamen eruditè docere potest. Sicut etiam cantui artificioso coniunctæ sunt preces sacræ, quæ canuntur; tamen pro ipso cantu pretium exigi potest; quia per accidens coniunctæ sunt. Itaque etsi habitus fidei concurrat in docendo, non tamen eius habetur ratio, dum aliquid pro hac doctrina exigitur: sicut nec ratio habetur quòd fidem supernaturalem defendat, aut virtutes supernaturales dirigat; sed solùm quòd intellectum in cognitionem rerum abditissimarum, quæ sine magno labore nequit obtineri, adducat, quæque obtenta, magnam oblectationem, honorem & commoda conciliet.

Qua ratione pro doctrina theol. aliquid possit exigi.

Ob

Ob has considerationes Doctor aliquid exigere potest in pretium suæ doctrinæ, æstimando pluris suas operas, quia in sublimiori materia versantur.

82 Nec obstat quòd obiectum sit supernaturale; quia non habetur ratio vtrùm cognitio, qua illud attingitur, sit supernaturalis, an non; sed solùm quòd labore & industria naturali attingatur.

Obiectio 2. pro licentia docendi. Dices Secundò, Titulo de Magistris, per multa capita prohibetur ne aliquid accipiatur pro licentia docendi: ergo docere est actus spiritalis.

Resp. Respondeo, Negando consequentiam; etsi enim nihil possit accipi pro huius licentiæ concessione, eò quòd ex potestate spiritali procedat; (est enim vsus potestatis spiritalis, sicut dispensatio cum Sacerdote ad chirurgiam exercendam) tamen pro ipso actu docendi aliquid accipi potest; sicut pro actu medendi. Adde, non solùm de licentia docendæ Theologiæ, sed etiam Grammaticæ & Dialecticæ ibi agi. Puto tamen non fore simoniam Iuris diuini, sed solùm humani, si aliquid pro licentia docendæ Theologiæ vel alterius scientiæ exigeretur, habita ratione lucri quod ex ea professor percipiet: etsi enim concessio huius licentiæ seu facultatis docendi sit vsus potestatis seu iurisdictionis spiritalis, id non refert; quia non est vsus spiritalis seu supernaturalis, sed politicus. Iurisdictio enim Ecclesiastica ad multos actus politicos se extendit, ad quos etiam potestas politica; vt cùm punit crimina sui vel mixti fori pœnis ciuilibus, v. g. carcere, inedia, mulcta pecuniaria: cùm priuilegia ad opera lucrosa, quæ ad Ecclesiæ bonum propriè non pertinent, concedit. Itaque cùm pro huiusmodi pecunia exigitur, etsi id possit esse iniquum vel turpe lucrum, vel simonia Iuris humani, non tamen videtur simonia Iuris diuini. Confirmatur: quia quando ius administrationis vel negotij temporalis competit alicui eminenter, nimirum in altiori officio, & ad finem altiorem; transferre illud in alterum, & in eo alteri suas quodammodò vices committere, non est propriè & essentialiter vsus potestatis spiritalis, quà spiritalis est, sed quatenus eminenter etiam est temporalis. Nec refert etiamsi illa potestas respiciat finem spiritalem, v.g. bonum spirituale Ecclesiæ vel subditorum; quia etiam respicit bonum temporale, quod non amittit suam æstimationem etiamsi ordinetur ad spirituale. Sic non est simonia Iuris diuini, si Episcopus vel Rector Ecclesiæ vendat officium Sacristæ, Oeconomi, Aduocati, Defensoris Ecclesiæ: vt suprà dubit. 4. dictum est. quia hæc iura sunt in se temporalia, vtpote ad actus temporales, ac proinde pretio æstimabilia; & eminenter competunt ipsi Prælato. Quare dum ea in alios transfert, translatio illa, quoad suum terminum, est res temporalis, etsi à principio spiritali procedat. Sed per accidens est, quòd à tali principio proueniat. Nam potest fieri absque vlla iurisdictione; vt patet si ipse Sacristá hoc suum officium vendat, & in alterum transferat. Ad hoc enim sufficit dominium rei aliunde non impeditum. Sicut per accidens est calori quòd proueniat à sole, vel ab igne, & ad hunc vel illum à sua causa destinetur finem. Idem dicendum de officio Magistri: quia eadem prorsus videtur ratio, ac proinde idem dixerim de licentia docendi, & de alijs licentijs quæ consistunt in concessione alicuius Iuris temporalis pretio æstimabilis: secùs de illis quæ solùm in dispensatione legis, vt licentia medendi in Sacerdote. dispensatio enim vendi non potest. Confirmatur. Nam licentia docendi ab officio magistri non distinguitur, nisi quòd officium sit ius docendi cum obligatione, licentia sine obligatione. Sed obligatio non quæritur, nec pro ea pecunia exigitur, aut datur, sed solùm pro ipso iure docendi. Vnde Canones tit. de Magistris eodem modo de licentia & de officio docendi loquuntur, & sub grauibus pœnis pecuniam pro illis accipi vetant, idque quia talis exactio sordida, & contra profectum Ecclesiasticum; vt ibidem dicitur, & iubent acceptum restitui: eum tamen, qui licentiam sic obtinuit non priuant. Itaque satis indicant plus ibi esse iniuriæ & sordium quàm veræ simoniæ.

Vsus politicus potestatis spiritalis.

Dices Tertiò, Docere ex potestate magisterij 83
seu doctoratus, est vsus potestatis spiritalis su- *Obiectio 3.*
pernaturalis, vt ait Siluester: ergo est actus spiritalis.

Resp. Magisterium, seu doctoratus. Respondeo, Magisterium non esse potestatem spiritalem seu supernaturalem, sed potiùs naturalem, vt insinuat D. Thomas quodlib. 3. art. 9. duo enim continet, titulum honorificum, seu ius vt tali titulo compelletur, collatum in testimonium scientiæ; & ius docendi: vtrumque autem est eiusdem ordinis, cuius est ipsa scientia. Itaque cùm ipsa scientia, quatenus studio & labore paritur, naturalis censeatur, etiam testimonium illud humanum & potestas docendi naturalis est; id est, non supernaturalis. Nec refert, quòd à Pontifice descendat; quia etiam potestas medendi in Sacerdote est à potestate spiritali; non tamen ipsa ideò censetur spiritalis: & potestas regia potest conferri per potestatem supernaturalem Pontificis, tamen non est supernaturalis. potestas enim supernaturalis iurisdictionis, quæ est in Prælatis, & maximè in capite Ecclesiæ, extendit se ad multa, quæ sunt ordinis naturalis, idque eo modo, quo potestas politica. nam potestas Ecclesiæ continet in se potestatem politicam eminenter.

His explicatis, dicendum est de quibusdam modis simoniæ circa annexa spiritalibus, vt circa beneficia & pensiones.

Dvbitatio xiv.

Vtrùm sit simonia, resignare beneficium in fauorem tertij, id est, cum clausula, Non aliter nec aliàs.

Mvlti Doctores censent id esse simoniam, 84
si resignatio fiat in manus Ordinarij. ra- *Sententia communior DD. esse simoniam.*
tio est, quia omnis pactio in spiritalibus simoniam continet. cap. fin. de pactis. & cap. Ex parte 1. de officio Delegati. itaque debere hanc resignationem in manus Ordinarij fieri purè & absolutè; posse tamen offerri preces pro aliquo, sed illum non astringi huic conferre. secùs verò si fiat in manibus Pontificis, cuius præsentia potest simoniam purgare, & veluti sol tenebras dispellere. Ita Rebuffus, de beneficijs, §. de purâ resignatione; addens, beneficium resigna-

tum in fauorem coram Ordinario, & ab Ordinario collatum, posse impetrari à Papa, tamquam vacans per simoniam. Idem tenet Nauarr. c. 23. num. 107 & passim Canonistæ cum Glossa in dictum cap. Ex parte. 12. quam sequuntur aliqui Theologi.

85 *Aliorum sententia, Non esse simoniam.* Alij verò tenent, talem resignationem in manus Ordinarij factam, nullam continere simoniam Iuris diuini vel humani; nec esse illicitam; modò is, in cuius fauorem fit, verè sit dignus. Ita Sotus lib. 9. quæst. 7. art. 2. quem sequuntur multi Thomistæ, & Couarruuias lib. 1. variar. cap. 5. num. 5. & 6. vbi pro hac sententia citat D. Anton. & Siluestrum. Ratio est, quia qui ita renuntiat, nihil temporale dat vel accipit pro spiritali; sed solùm indicat se renuntiare, si collator velit conferre Petro: non renuntiare, si nolit. Confirmatur, quia in permutatione licitum est resignare in fauorem, etiam in manus Ordinarij, Clement. vnica, de rerum permutatione: cur non etiam in simplici cessione? Neque obstat, quòd Episcopus videatur obligari. Primò, Quia etiam obligatur in permutatione, si eam admittat. Secundò, Hæc obligatio non est pretio æstimabilis, quando alter est verè dignus. Tertiò, Quia hæc obligatio solùm quæritur vt conditio, nec vllo modo censetur pretium renuntiationis: alioquin etiam censeretur pretium, quando fit cum Pontifice.

86 Respondeo & dico Primò, Hîc nullam esse simoniam Iuris diuini, vt patet ex rationibus allatis.

Dico Secundò, Non posse etiam ex Canonibus conuinci esse simoniam Iuris humani: quia nulla propriè hîc interuenit pactio: nõ enim requiritur promissio Prælati, sed solùm fit resignatio sub conditione, quam si Prælatus non acceptat, nihil actum est.

An Episcopus possit acceptare, reiecto modo. Aduerte tamen, plerosque DD. sentire, Episcopum posse acceptare talem resignationem, reiecto modo, & conferre cui voluerit: quia illa clausula habetur pro non adiecta; cùm resignatio in spiritalibus purè fieri debeat. Idem tenet Couarruuias suprà, & dicit esse sententiam communem.

Verius, non posse. Contrarium tamen puto verius cum Rebuffo, §. de resignatione conditionali, num. 7. & sequentibus. Primò, Quia quando fit actus cum aliqua adiectione, non potest pars illius altera recipi, & altera reiici, sed debetur totus recipi, vel totus reijci; L. Aurelius. 28 §. Idem quæsijt. 12. ff. De liberatione legata: vbi vide Bartolum. Secundò, Quia apertè significatur resignationem esse nullam, nisi admittatur cum illo modo: vnde non potest ille modus vel conditio haberi pro non adiecta. Tertiò, Permutatio non valet, nisi beneficium conferatur compermutanti, eò quod non aliter resignatum sit; Clement. vnica, de rerum permutatione: ergo nec renuntiatio simplex valebit, nisi conferatur ei in cuius fauorem resignatum est.

Si tamen resignans sciret suam resignationem inualidam esse, eò quòd sit contra stylum Curiæ, posset Episcopus illam acceptare, reiecto modo, vt docet Flaminius l. 1. de resignat. q. 3. n. 65. dicens ita resolutum in Rota. Credo in pœnam illius conditionis contra stylum Curiæ adiectæ.

87 Dico Tertiò, Huiusmodi resignationes, ob imaginem simoniæ, iuxta stylum Curiæ non possunt fieri, nisi in manibus Summi Pontificis. Ita Nauarrus, & Rebuffus suprà, & Flaminius q. 3. vnde sequitur, non posse fieri coram Ordinario, saltem eo modo vt Ordinarius se possit obligare: nisi ex priuilegio vel consuetudine id ei sit concessum.

Vnde sequitur, resignationes seu cessiones reciprocas non posse coram illo fieri, v. g. resigno meum beneficium in fauorem tui nepotis, vt tu resignes tuum in fauorem mei nepotis; nam præterquam quòd hæc renuntiatio sit in fauorem, continet pactum resignationis reciprocæ, quòd omnino extra casum permutationis est Iure vetitum; vt patet cap. Quæsitum, de rerum permutatione. *Cessiones reciprocæ.*

Idem dicendum de resignatione triangulari, vt vocant; v. g. Renuntio meo beneficio in fauorem Petri, vt Petrus suo cedat Paulo, & Paulus cedat suo mihi: fieri enim potest vt Pauli beneficium sit commodius mihi, Petri verò sit commodius Paulo, & meum Petro; quo posito cupiant inire dictam resignationem. Esse autem in huiusmodi resignatione simoniam Iuris humani, expressè docet Nauarr. in cap. Si quando. de rescriptis. except. 4. num. 1. & in Enchiridio cap. 23. num 100. §. Secundò, quòd. vbi pro eadem sententia citat Raimundum, Angelum, & Siluestrum, qui idem in simili casu, vbi tamẽ minor est imago pactionis simoniacæ, docent. Idem Nauar. in consil. l. 5. con. 22. t de simonia, reprobat omnes resignationes triangulares & quadrangulares tamquam simoniacas; & dicit eas inducere pœnas Iuris, si compleantur. Ratio est, quia notissimi Iuris est, in spiritualibus omnem pactionem obligantem ad id quod Iure non inest, esse illicitam & simoniacam: vt apertè colligitur cap. fin. de Pactis. vbi dicitur: *In spiritualibus omnis pactio, omnisque conuentio debet omnino cessare.* & cap. Tua nos, de Simonia; & 1. q. 1. cap. Quàm pio, & alibi sæpè. atqui in permutatione triangulari est pactio obligans ad id quod Iure non inest. nam primus obligat secundum vt resignet in fauorem tertij, & secundus obligat tertium vt resignet in fauorem primi. nullo ergo colore huiusmodi resignationes & permutationes defendi possunt. vide Flaminium lib. 14. q. 7. num. 63. Potest tamẽ hæc resignatio fieri coram Summo Pontifice, quia non continet simoniam nisi Iuris humani; quam auctoritas summi Pastoris dissipat. Coram Ordinario non potest fieri, ob causam dictam. posset tamen, duplici permutatione coram ipso facta, ad eumdem terminũ peruenire; vt si ego permutem simpliciter cum Petro, & habito beneficio Petri permutem cum Paulo; sic enim Paulus habebit beneficium Petri sibi commodum, & ego Pauli, quod commodum mihi, & Petrus meum, quod commodum ipsi. *Triangula cessio.* 88

DVBITATIO XV.

Vtrùm licitum sit resignare beneficium reseruata pensione.

REspondeo, Id licitum esse, modò pensio sit moderata, & legitima auctoritate constituatur. est communis sententia, & patet ex cap. Ad quæstiones, de rerum permutatione. Idem confirmat. 89 *Resignatio, qua fit reseruata pensione.*

Pensio potest imponi.

firmat vsus quotidianus. Ratio est, quia sicut Pontifex potest titulo beneficij plures fructus annectere, ita eidem titulo potest fructuum portionem detrahere, & alteri ius ad illos concedere, vel onus soluendi ex fructibus certam portionem ipsi titulo imponere, idque ad vitam resignantis; & tunc ad quem transibit beneficium, ad eumdem transibit onus soluendæ pensionis. Itaque resignare beneficium reseruata pensione, nihil est aliud quàm resignare sub ea lege & modo, vt Superior partem fructuum à beneficio separet, vel vt onus pensionis illi imponat: quod cùm Superior Iure facere possit, nihil exigitur, nisi quod Iure fieri potest.

90 *An Prælatus obligetur.*

Dices, Prælatus hîc obligatur ex pacto.

Resp. Primò, Non obligari: non enim tenetur admittere resignationem sub tali modo. Secundò, Eâ admissâ, non est opus vt se obliget; sufficit vt liberè constituat pensionem: quòd si nolit, iam resoluitur renuntiatio. Tertiò, Etiamsi se obligaret, nihil referret; quia pensio non exigitur vt pretium beneficij aut resignationis, sed vt pars eius quod dimittit: non enim paratus est renuntiare beneficio toti cum omnibus fructibus; sed cupit retinere partem. vnde non agit de lucro captando ex resignatione, sed de damno vitando; ac proinde non est simonia.

91 *Qui possint pensionem imponere.*

Sed difficultas est, qui possint pensionem causâ resignationis simplicis imponere.

Resp. Primò, Certum est, Pontificem posse, cui plenaria dispositio beneficiorum competit. Secundò, Idem potest Legatus à latere, vt docet Rebuffus, §. de resignat. conditionali n. 12. adeò vt nisi pensionem imposuerit, facta tali resignatione, collatio sit futura irrita. huic tamen non conceditur vt possit admittere resignationes in fauorem tertij, vt idem tradit. Tertiò, Vtrùm Episcopus possit, dictum est suprà c. 34. dub. 38. Verius iudico, & stylo Curiæ Romanæ, qui Ius facit, conformius, non posse; nisi priuilegium vel consuetudo præscripta id ei concesserit. cui apertè fauet Ius commune, quòd statuit vt Ecclesiastica beneficia sine imminutione conferantur. Extrauag. cap. vnico, titulo Vt Eccles. benef. &c. Vnde sequitur, non posse nisi vbi Ius id ei concedit. Vide suprà cap. 34. dub. 38. n. 205.

92 *Possunt tractare.*

Notandum est Primò, Quando quis vult resignare in fauorem tertij sub onere pensionis, posse illos inter se tractare; non tamen absolutè concludere, sed tantùm sub beneplacito Pontificis: si enim absolutè concluderent, esset simonia; quia pensio non potest sola auctoritate partium imponi. vnde non potest resignatarius Iure esse illius debitor; & consequenter obligatur per resignantem ad aliquid temporale, quod Iure non debet. Quando autem imponenda est per legitimam auctoritatem, tunc Iure debebitur, ac proinde non obligatur nisi ad id quod Iure inerit.

93 *An hypotheca & fideiussor exigi possit pro pensione.*

Notandum Secundò, Interdum fieri resignationes in fauorem sub onere pensionis; & quia resignans metuit ne resignatarius malignè soluat, vult hypothecam sæcularem, vel fideiussorem, quem quauis difficultate suborta conuenire possit. Certum autem est, huiusmodi conditiones & onera pretio æstimabilia, quæ Iure non insunt, non solere nisi auctoritate Summi Pontificis admitti; quia continent simoniam Iuris humani, & habent quamdam speciem contractuum ciuilium. Vnde non dubito, quin talis pensio ab Ordinario constituta, possit non solui, & beneficium tamquam vacans impetrari.

Petes, Vtrùm si quis expensas fecerit in obtinendo beneficio litigioso, possit eas repetere, si beneficium velit resignare? 94

Quidam putant posse, si non petat aliquid pro ipso beneficio; sed tantùm pro expensis litis, vt se indemnem seruet: hæ enim totæ redundant in vtilitatem resignatarij, quasi in eius gratiam factæ essent. Ita quidam recentiores.

Mihi placet contraria sententia, quæ est communis DD. vt docet Flaminius lib. 14. q. 7. nu. 1. quia omne pactum in spiritalibus de onere temporali, quod Iure non est annexum, reprobatur, si absque auctoritate Superioris fiat; de quo vide suprà dubit. 2. & 4. Certè in foro externo non admitteretur ista excusatio.

Dvbitatio XVI.

Vtrùm licitum sit resignare vel conferre beneficium in confidentiam.

Respondeo & Dico Primò, Si resignes, vel alio modo procures alicui beneficium, confidens ipsum aliquando illud nepoti vel amico tuo resignaturum; si nullam obligationem ipsi imponere intendas, non erit simonia; quamuis ob circumstantias possit esse illicitum. Docet hoc Nauarrus cap. 23. num. 109. Viualdus, de simonia, n. 28. Hugolinus tabula 1. cap. 22. ratio est, quia nullum interuenit pactum, nec internum, nec externum: sine pacto autem non potest esse simonia, vt patet ex definitione. vnde quantumuis speret quis vel confidat, si nulla est occulta vel aperta conuentio, nulla intentio obligandi; nulla quoque est simonia. 95

Dices Secundò, Si resignes, conferas, vel aliter procures alicui beneficium cum intentione obligandi, vt post aliquod tempus nepoti vel alteri renuntiet, nullo tamen signo exteriùs hanc tuam intentionem insinues, erit simonia mentalis. Patet ex dictis dub. 6. Hæc tamen non infert pœnas Iure constitutas. 96 *Simonia confidentiæ interna.*

Dico Tertiò, Si alicui beneficium aliqua ratione procures, eligendo, præsentando, postulando, resignando in fauorem, conferendo, instituendo, confirmando, vel commendando, cum pacto, vt is qui beneficium istud accepturus est, illud idem tibi vel alteri aliquando resignet, seu relinquat, aut vt pensionem ex eo vel fructus aliquos alteri præstet; erit simonia confidentiæ externa, quæ pœnas Iuris infert. Patet ex Bulla Pij IV. & maximè Pij V. quam refert Nauarrus cap. 23. n. 110. in qua ponuntur varij modi, quibus in foro externo præsumi possit & debeat hæc simonia esse commissa. Porrò reipsa, & in foro conscientiæ, solùm committitur duobus modis. Primò, Si procures alteri beneficium, vt illud tibi vel alteri aliquando renuntiet. Secundò, Si illud procures, vt fructus vel pensio ex eo alteri soluatur. *Externa.*

Petes, Quid si procures beneficium cum pacto vt tibi reseruetur pensio vel fructus aliqui? 97

Resp. Esse quidem simoniam, non tamen con-

Si resignãs sibi reseruet fructus vel pensionem, non est confidentia simonia, sed simplex.

fidentiæ; vt docet Hugolinus tabu. 1. cap. 22. & Nauarrus consil. 76. tit. de simonia. & colligitur ex verbis Bullæ Pij V. vbi sic dicitur: *Si quis beneficium aliquo dimittente receperit, vt illud eidem dimittenti vel alteri postea conferatur, aut vt illius fructus aly vel alijs conferantur, vel pensiones soluantur ex eodem, confidentia censeatur.* hic cùm de conuentione beneficij agitur, dicitur, *vt eidem dimittenti vel alteri conferatur:* cùm de pensione & fructibus dicitur, *aly vel alijs.*

Altera sententia probabilis.

Altera tamen sententia est valdè probabilis, nam in Bulla Pij V. censetur simonia confidentiæ, quando aliquis præsentat, vel beneficium resignat aut confert, vt prouisus, illius fructus, aut partem fructuum, ad vtilitatem conferentis vel cedentis relinquat; vel pensionem ei, cui idem collator vel cedens voluerit, persoluat. Idem colligitur ex Bulla Pij IV. vers. *ac sibi propterea pensiones annuas.* & vers. *ac fructuum ac pensionum reseruationes*; quibus locis aperte indicat esse simoniam confidentiæ, cùm quis sibi absque legitima auctoritate pensionem reseruat. Crediderim tamen non esse in hac parte receptam.

98

Retrocessiones prohibitæ.

Ex ijsdem Bullis patet, in beneficiorum resignatione, præsentatione, & collatione, illicitas esse & simoniacas hac specie quasdam retrocessiones, quas vocant *recessus, regressus, & ingressus*, quibus significatur ex vna parte ius quoddam in dimittente, repetendi pristinum beneficium; ex altera onus & veluti seruitus quædam in beneficio.

Regressus.

Regressum dicat habere, si beneficio à me possesso cedam alteri, reseruato mihi iure regrediēdi ad illud beneficium, in euentu, quo resignatarius naturaliter vel ciuiliter præmoriatur, aut fiat Episcopus, aut pensionem constitutam non soluerit.

Ingressus.

Ingressum, si beneficium mihi collatum alteri, ante captam eius possessionem, resignem, seruato mihi iure ingrediendi possessionem huius beneficij, si ille præmoriatur, vel fiat Episcopus, &c.

Accessus.

Accessum, si Prælatus mihi cupiat prouisum de beneficio; sed quia per ætatem vel alia de causa sum incapax; confert meo pædagogo, concesso mihi iure, vt quamprimùm iustam ætatem habuero, propria auctoritate possim istud beneficium accipere vel accedere. Quicumque sibi vel alteri tale ius reseruat sine expressa Pontificis auctoritate, committit simoniam huius speciei. Adde, etiam Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de reform. valdè improbare istas retrocessiones, *veluti imaginem quamdam successionis hereditariæ referentes*; ac proinde, *vt sacris constitutionibus, Patrumque decretis contrarias.* Ob eamdem causam improbat *Coadiutorias cum futura successione, nisi vrgens necessitas, aut euidens vtilitas aliud postulet: & tunc non nisi causa diligenter à Romano Pontifice cognita, concedi debere.*

99

Coadiutoriæ cum futura successione.

Dvbitatio xvii.

Vtrùm licitum sit permutare beneficia, compensata fructuum inæqualitate.

Respondeo & Dico Primò, Permutatio beneficiorum facta sine auctoritate Prælati, est illicita: non tamen est simonia Iuris diuini natura is, sed Ecclesiastici. patet ex dictis suprà dubitatione 4.

Vbi Notandum est, Cùm ex dispositione Canonum, permutantes nullam habent potestatem sua beneficia vicissim transferendi, actum eorum esse planè irritum; ac proinde sicut propria auctoritate sua beneficia alienarunt, ita sua auctoritate posse ad ea redire. possunt tamen à Superiore per sententiam priuari, in pœnam illius criminis; vt patet cap. Cùm olim. 7. de rerum permutat. non tamen amittunt ea ipso facto, nec incurrunt censuras. 100

Possunt ad sua beneficia redire.

Cuius auctoritate permutatio facienda sit, dictum est cap. 34. dubit. 36.

Dico Secundò, Si alterum beneficium sit altero dignius, & paritas sit reddituum, est simonia Iuris diuini, si pecunia vel pensione excessus ille dignitatis compensetur. Ratio est, quia illa dignitas est omnino spiritalis. vide dub. 2.

Dico Tertiò, Si beneficia habent prouentus inæquales, possunt nihilominùs inter se commutari, excessu prouentuum alterius, pensione vel pecuniâ compensato. Ita Sotus l. 9. q. 7. ar. 2. Caiet. in ar. 4. q. 100. Siluester v. Permutatio 2. q. 6. vbi citat Panorm. Angelus v. Permutatio, num. 6. & alij. Probatur ex cap. Ad quæstiones 6. de rerum permutatione, vbi Clemens III. approbat permutationem duarum Ecclesiarum parochialium, compensato excessu opulentioris, pecuniâ. 101

Permutatio inæqualium.

Contrarium tenere videtur Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad 5. quem sequitur Couarruuias l. 1. variar. c. 5. num. 8. & 9. Sed si quis benè aduertat, nihil aliud velle videntur, quàm illum excessum non posse pecuniâ compensari, si consideretur vt manens annexus suo titulo; quod verum est: quia sic est quid spiritale; qua ratione nihil pro eo dari potest.

Notandum est, hanc compensationem posse tripliciter fieri. Primò, Si beneficium copiosius, non separatis prouentibus à titulo, commutetur cum tenui, & pro excessu prouentuum exigatur compensatio: & hoc non est licitum: quia iste excessus, hoc ipso quo manet annexus titulo, est debitus isti titulo; & hoc ipso, quo titulus in alterum transfertur, simul transit iste excessus: ergo pro eo nihil potest exigi, quin id etiam pro ipso titulo exigi censeatur. & hoc est quod Adrianus & Couarr. velle videntur. 102

Compensatio hoc vt fiat.

Secundò, Si compensatio exigatur, non pro excessu manente annexo, sed pro incommodo temporali quod subeo, spoliando me istis prouentibus. hanc enim ob causam possum petere à Pontifice, vt vel pensionem mihi reseruet ex beneficio quod relinquo, onere pensionis imposito eidem beneficio; & sic simpliciter transferam illud beneficium, hoc onere grauatum: vel beneficiario imponat obligationem, vt ex alio beneficio, vel ex suo patrimonio aliquid mihi pro mea indemnitate soluat. Id enim Pontifex potest, cùm hoc non sit pretium beneficij, aut prouentuum annexorum, sed conditio quædam necessaria vt me seruem indemnem, sine qua indemnitate nolo commutare.

Tertiò, Si iura prouentuum separentur à titulis, & primò ipsi tituli nudi, simpliciter permutentur: deinde alio contractu permutentur iura prouentuum, compensato excessu opulentioris. iura enim prouentuum à suis titulis hoc modo separata, cùm non sint spiritualia, sed temporalia bona, possunt sub tali pacto commutari, vt incrementum

Separatus prouentus à titulo.

mentum alterius, pretio compensetur. Iuxta hunc modum intellige dictum cap. Ad quæstiones, de rerum permutatione. Hic tamen cauendum ne hi contractus misceantur, vt ait Pontifex; quod fieret, si in permutatione titulorum apponeretur pactum de permutatione prouentuum, & compensatione.

Petes, Quo modo, qui permutant titulos suos, possunt retinere iura prouentuum, cùm hæc iura tantummodò ratione titulorum competant?

103 *Fit hoc Iuris dispositione.* Resp. Retinere ex dispositione Iuris, idque tantisper donec illa inter se permutent, vt sic rursus coalescant cum suis primis titulis: nam solùm ad hunc finem & cum hoc onere conceditur, vt sine omni specie simoniæ, permutatio fiat.

104 *Beneficium nullos habens fructus potest permutari.* Dices, Iuxta hunc modum sequetur, posse permutari beneficium nullos habens fructus cùm alio fructus habente, compensatis fructibus pecuniâ, quod videtur falsum; quia sic tota præbenda, id est, totum ius fructuum annexum titulo, posset pecuniâ emi.

Ad hoc respondet Caietanus art. 4. dupliciter. Sed secunda responsio est tenenda, nempe id fieri posse auctoritate Pontificis, etsi non inferioris Prælati. non tamen hinc sequitur, quòd tunc propriè præbenda vendetur pecunia, quia iam supponimus ius prouentuum esse à titulo legitima auctoritate separatum, factumque temporale, & desijsse esse propriè præbendam: quod per Pontificem posse fieri non est dubitandum, modò iusta causa subsit; vt rectè Sotus loco cit. q. 7. art. 2. in fine; & ostensum est suprà dubit. 2. vbi plura de hac re diximus.

Dico Quartò; Licitum est priuatim inire pactum de facienda legitimè permutatione, & se vicissim ad hoc obligare: à quo pacto posteà non potest alter altero inuito sine iusta causa resilire. Colligitur ex Sil. verbo Permutatio. 2. q. 5. Ratio est, quia licitum est se obligare ad actum Iure concessum: atqui permutare beneficia Superioris auctoritate, est actus Iure concessus; ergo licitum est se ad illum obligare. Itaque non solùm licitum est priuatim tractare de permutatione facienda, & concludere tractatum adiecta clausula *sub beneplacito Superioris*; sed etiam coram Notario & testibus obligare se confecto instrumento ad illam faciendam, & ad non resiliendum ab hoc contractu. Aliud enim est priuata auctoritate commutare beneficia, quod est illicitum: aliud obligare se ad permutationem legitimè faciendam; quod nullo Iure est prohibitum.

Nec obstat quòd permutatio sit actus spiritalis, & consequenter etiam obligatio ad permutandum spiritalis sit: quia hæc obligatio non suscipitur pro re temporali, sed pro spirituali, nimirum pro simili obligatione quam alter subit: quod nullo Iure est prohibitum.

Dices, Ipsa permutatio fieri non potest absque Superioris auctoritate: ergo nec obligatio ad illam suscipi potest sine eadem auctoritate. Confirmatur, quia dum suscipitur talis obligatio, datur alteri ius ad illam permutationem, quod ius est spiritale.

Respondeo, Est dispar ratio. Ad permutationem enim requiritur Superioris auctoritas eo potissimùm nomine, quòd beneficium priuata auctoritate non possit in alterum conferri, Iure ita disponente, ad varia incommoda vitanda. At verò in huiusmodi obligatione suscipienda, nihil est incommodi: quia tota executio ponitur in arbitrio Superioris, sine cuius consensu illa obligatio est inutilis ac euanida. similiter omne ius quod ex illa nascitur. Idem dicendum de alijs obligationibus ad alias res vel functiones spiritales commutandas; vt suprà dub. 3. ostensum est.

Ex quibus sequi videtur, non fore simoniam, nec per se illicitum, etiamsi addatur pœna conuentionalis, soluenda ab eo qui absque iusta causa à contractu recesserit, siue ante Superioris consensum, siue post: quia Iure gentium omni contractui iusto potest apponi pœna conuentionalis accommodata, ne iniquè ab illo recedatur, nisi id Iure sit prohibitum: sicut plerique sentiunt de pœna sponsalium contractui apposita. Atqui nullo Iure prohibitum est, ne huic contractui, de quo agimus, pœna apponatur. Ergo, &c.

DVBITATIO XVIII.

Vtrùm redemptio vexationis licita sit in beneficijs, & quousque.

NOtandum est, Aliud esse ius ad rem, aliud ius in re. *Ad rem ius habet* in beneficijs, remotum quidem, qui dignus est: propinquum vero, qui electus, vel præsentatus, vel postulatus, sed nondum confirmatus, aut institutus. *Ius in re habet*, qui iam est confirmatus, vel institutus, vel collationem factam acceptauit, quamuis nondum possessionem ceperit. Quibus positis

105 *Ius in re, & ius ad rem.*

Respondeo & Dico Primò, Qui nondum habet ius in re, non potest oblato pretio vexationem redimere ab his, qui non tantùm possunt obesse, sed etiam prodesse. Ita communiter DD. & colligitur apertè cap. Matthæus, de simonia; vbi quidam electus à maiore parte Capituli, cùm pauci contradicerent, consensit vt vni ex electoribus contradicentibus daretur pecunia, vt conquiesceret; nimirum ne se opponeret eius confirmationi; in quo facto Pontifex iudicauit eum simoniam commisisse, & ideò debere beneficium dimittere, si saluus esse velit. Ratio est, quia quando datur pecunia ei qui potest prodesse, censetur illum inducere ad non opponendum quod Iure posset opponere, & ad præbendum consensum; & ita viam sibi sternere directè & propriè ad ipsum beneficium. sic si electus vel præsentatus reijcitur ab Episcopo, qui deberet illum confirmare vel instituere, non est licitum dare pecuniam vt ab hac iniuria cesset; quia hæc iniuria consistit in cõfirmationis negatione; negatio autem non tollitur nisi per affirmationem, quæ in proposito est ipsa confirmatio vel institutio; ac proinde dare vt cesset ab iniuria, est dare pro ipsa confirmatione.

106 *Habens ius ad rem, non potest.*

Notandum tamen, si ille modis apertè iniquis conaretur impedire, v. g. infamando electum, vel corrumpendo alios pecunia, ne consentiant, non videri in foro conscientiæ simoniam, si electus vel alius ei pecuniam offerat, tantùm vt ab huiusmodi iniquo conatu desistat. si enim alteri dari potest pecunia ne iniquè noceat, cur non etiam huic? non enim directè aut indirectè censetur dari pro electione aut confirmatione, aut vt cesset

107 *Si impedit modis iniquis.*

cesset ab actu, quem Iure probabili poterat opponere: quæ sola causa est, cur censeri possit simonia. Si tamen ille posteà tali munere inductus, non solùm cesset ab iniuria, sed etiam suffragetur, si quidem id faciat tamquam sentiens se ob id obstrictum tacito pacto, propter acceptam pecuniam, suffragium erit nullum, vtpote simoniacè datum: non tamen vitiabit electionem, si alij suffragantes sufficiunt. Si verò non det suffragium nisi ex gratitudine, non erit irritum.

Si ob munus acceptum, aut suffragium.

Dixi, *modis apertè iniquis*; quia si Iure aliquo probabili aut dubio nitatur, non licebit oppositionem illam pecuniâ redimere. Ratio est, quia talis oppositio facit ius tuum infirmum & ambiguum: ergo eo ipso quo redimis illam, efficis ius tuum firmius & certius; sicque directè paras tibi viam ad obtinendum beneficium. Secùs est quando alterius machinatio modis apertè iniquis nititur. Omnis enim iniusta vexatio, qua parte manifestè iniusta est, redimi potest, à quocumque inferatur.

108 Dico Secundò, Qui nondum habet ius in re, potest oblato pretio redimere vexationem ab his, qui solùm possunt obesse, siue vi & fraude obsint, siue muneribus & precibus, apud electores vel collatorem.

Nondum habens ius in re, potest redimere vexationem, &c.

Prior pars, id est, *si vi vel fraude obsint*, explicatur & probatur: Detinet me quispiam per vim, ne me opponam in petitione beneficij, eius amico, vel postquam me opposui, cœpit me infamare apud Episcopum; possum ei offerre pecuniam vt desinat nocere. Ita tenet Sotus in duobus istis casibus lib. 9. quæst. 6. art. 1. in responsione ad 5. Ratio est, quia hoc non est directè aditum sibi ad beneficium parare, sed iniquam machinationem alterius impedire: datur enim pretium pro cessatione nocumenti. Confirmatur, quia iste habet ius acquisitum in sua libertate & fama: ergo si aliquid det ne ea iniquè violetur, verè redimit vexationem.

109 Posterior pars, *si precibus vel muneribus obsint*, est contra Sotum.

Si precibus vel muneribus obsit.

Sed probatur Primò, Quia etsi is, qui muneribus vel precibus peruertit electores in me propensos, non faciat mihi iniuriam, ita vt ad restitutionem teneatur, tamen graue infert nocumentum absque iusta causa: ergo possum illi aliquid offerre vt cesset ab hoc nocumento; præsertim cùm illa cessatio non sit aliquid spiritale, nec directè viam ad spiritale sternat.

Secundò, Quia si ei, qui solùm potest obesse, licitum est offerre pecuniam vt cesset à nocumento quod est contra iustitiam, cur non etiam vt cesset à nocumento quod est contra charitatem? non enim huius cessatio est magis spiritalis, aut viam sternens ad spiritale, quàm cessatio illius. Itaque tam ante quàm post electionem licitum est hanc vexationem redimere.

Dices, Illa cessatio à precibus vel muneribus dandis, non est æstimabilis nisi ratione beneficij. ergo qui dat pro illa pecuniam, censetur dare pro beneficio. Sicut qui dat pecuniam pro labore faciendi Sacri, censetur dare pro ipso Sacro; quia labor iste non est æstimabilis nisi ratione Sacri.

Respondeo, negando consequentiam. quia illa cessatio non habet æstimationem ex beneficio, nisi remotè; nimirum ratione spei conceptæ de beneuolentia collatoris, si extrinsecùs non impediatur. Sicut esse in familia Episcopi est pretio æstimabile, ratione spei obtinendi beneficij, mediante ipsius beneuolentia. Sicut ergo qui dat pecuniam œconomo Episcopi, vt admittatur in familiam illius, eo fine vt habeat opportunitatem obtinendi beneficij ex beneuolentia Episcopi, quam bonis officiis poterit sibi conciliare, non censetur dare pecuniam pro beneficio, sed pro quadam opportunitate ordinata ad obtinendum purè beneficium; ita qui pro cessatione illius importunitatis dat pecuniam, non censetur dare pro beneficio, sed pro desitione impedimenti illiciti; qua posita concipit spem obtinendi beneficij ex collatoris beneuolentia. Neque hoc est sternere viam ad beneficium, nisi indirectè & remotè; sicut in exemplo allato. cuius signum est, quòd eo modo non magis inclinet aut determinet animum collatoris, quàm per se erat inclinatus. Vnde non est simile, si alicui des pecuniam ne alium idoneum aut seipsum commendet: quia ius pro se vel alio sollicitandi est spiritale, quo vt cedat das pecuniam, vt sic tibi soli ius sollicitandi suppetat; quod est directè parare viam obtinendi beneficij. Similiter non est simile, quod allatum est de labore sacrificij: quia ille labor est omnino intrinsecus, & per se coniunctus sanctitati illius rei. Cessatio autem impedimenti supradicti est omnino extrinseca & remota obtentioni beneficij. Denique si non est simonia cùm do pecuniam vt cesses à calumnia apud collatorem, cur sit simonia cùm do vt cesses à precibus & muneribus, quibus me illicitè impedis; cùm cessatio illa à calumnia non æstimetur à me hîc & nunc nisi ratione spei quam habeo obtinendi beneficij?

Dico Tertiò, Qui habet ius in re per confirmationem, vel institutionem, vel liberam collationem, potest pretio redimere vexationem, si fortè aliquis illum à possessione capiendi impediat. Est communis DD. diui Thomæ artic. 2. quæst. 100. Caietani tractat. de simonia quæst. 5. Soti suprà, Nauarri cap. 23. num. 102. & colligitur ex cap. Dilectus. 28. de simonia. Idem docent Canonistæ in d. c. Dilectus. & in cap. Matthæus 23.

110 *Habens ius in re, potest redimere vexationem.*

Sotus tamen dubitat num hîc liceat redimere vexationem ab eo, cuius est in possessionem mittere. Ratio dubitandi est, quia dare aliquid tali ne impediat possessionem, est dare vt mittat in possessionem. non enim aliter desinit impedire possessionem, quàm mittendo seu introducendo in eam: possessio autem est alquid spiritale: vnde dare aliquid pro possessione, est aliquid dare pro re spiritali.

Possessio

Sed communis sententia est in contrarium. Vnde dicendum est, possessionem secundùm se non esse quid spiritale, sed id habere ex titulo cuius vi capitur: quem titulum cùm ille plenè iam teneat, accedente noua possessione, non accedit noua ratio spiritalis; sed possessio ipsa per se adiaphora, fit spiritalis ex coniunctione cum titulo. vnde non dat pretium pro re spiritali.

111 Notandum hîc est ex Concilio Trident. sess. 24. c. 14. de refor. Capitulum aut alios nihil omnino posse exigere ab iis, qui sunt electi, præsentati, instituti, vel instituendi, confirmati, vel confirmandi, vel possessionem ingressuri, aut distributiones rece-

Exigentes aliquid dū capitur possessio, &c. simoniæ pœnas incurrunt.

recepturi, &c. nisi ex antiqua consuetudine hæc in pios vsus solita sint conuerti; alioquin censebitur simonia, & incurrent pœnas simoniacorum; vt ibidem Concilium: quod est diligenter notandum contra communem abusum. Imò Pius V. declarauit, Episcopum, qui aliquid (etsi dulciaria dumtaxat) exigit in receptione alicuius in Canonicum, esse suspensum à Pontificalibus; & Capitulum talia exigens subiacere Interdicto: priuatas autem personas, sententiæ excommunicationis. Et eos, qui sic aliquid acceperint, ad restitutionem accepti teneri, vt patet ex Bulla Pij V. declaratoria huius decreti, edita anno 1570. pridie Kal. Iunij. Video tamen passim non seruari, & omnino ignorari. Mandat tamen Concilium Episcopis, vt hæc in executionem deducant.

Dvbitatio xix.

Vtrùm licitum sit pecuniam offerre electoribus, volentibus eligere in Pontificem, Episcopum, Parochum, aliquem indignum seu ineptum, ne talem eligant, sed quempiam idoneum.

112 Respondeo & Dico Primò, Pro electione particularis personæ, etiam dignissimæ, non est licitum pecuniam offerre. ratio est, qui hoc esset emere actionem spiritalem, nempe electionem, & ipsum beneficium, sine vlla necessitate; neque censeretur esse redemptio vexationis. Excipio tamen casum necessitatis, de quo statim.

Vt non eligatur ineptus, Dico Secundò, Licitum tamen est offerre pecuniam vt non eligant ineptum. Est communior sententia. ratio est, tum quia hæc est mera redemptio iniuriæ, seu læsionis iniustæ. Ecclesia enim habet ius vt non detur ei minister ineptus: tum quia non eligere ineptum, non est quid spiritale, nec directè munit viam ad spiritale.

113 *Vt eligatur dignus generatim.* Dico Tertiò, Etsi non videatur licitum offerre pretium pro electione particularis personæ, tamen licitum videtur offerre pro electione personæ idoneæ in genere. Ita Sotus l. 9. q. 6. art. 1. & Caietanus tract. de simonia q. 3. & alij.

Probatur Primò, quia, vt rectè Caietanus, eiusdem rationis censetur offerre pretium ne eligant ineptum, & vt eligant aptum: si enim volunt eligere, hoc ipso, quo non eligunt ineptum, necesse est vt eligant idoneum: ergo si illud licet, etiam hoc.

Secundò, Ecclesia ius habet vt ei minister idoneus detur, & talis est ei maximè necessarius; ne videlicet multæ animæ pereant: ergo si non potest obtineri nisi electoribus pecunia detur, non censebitur esse vlla irreuerentia eam offerre, vti suprà dub. 7. dictum est de Sacramento Baptismi.

Tertiò, Si electores nollent eligere vllum, liceret pretio eos ad eligendum inducere, eò quòd Ecclesiæ sit perniciosum carere ministro: ergo etiam vt eligant dignum in genere; quia Ecclesiæ perniciosum est carere ministro idoneo.

Quartò, Quando datur pecunia pro re sacra, necessaria ad grauissimum malum auertendum, censetur esse quædam redemptio vexationis: nam censetur dari pro malo auertendo; vti suprà dubit. 7. ostensum est: ergo & hîc censebitur redemptio vexationis.

114 *Si solùm vnus sit idoneus.* Petes, Quid si vnus tantùm reperiatur idoneus, licerétne tunc offerre pretium vt eligatur, cùm electio eius sit necessaria ad malum Ecclesiæ auertendum?

Respondeo cum Soto suprà & Nauarro c. 23. num. 102. id licere, quando nulla alia ratio obtinendi idonei suppetit: id enim rationes allatæ probant. Censetur enim redemptio vexationis. Nam non tam datur pecunia pro electione huius personæ, quàm vt auertatur electio indigni. Et quamuis hæc electio secundùm Iura non profit, tamen potest à Pontifice peti confirmatio, & ita malo imminenti occurretur.

Dvbitatio xx.

Vtrùm licitum sit conferre beneficium, vel quid aliud spiritale pro munere à manu, vel à lingua, vel ab obsequio.

D. Thom. art. 5. quæst. 100.

Respondeo, Non licere; quia omnia hæc sunt pretio æstimabilia. Vnde Vrbanus II. 1. q. 3. cap. Saluator, *Quisquis res Ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel obsequij, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est*: quod sumptum est ex Homil. quarta D. Gregorij in Euangelia.

115 *Munus à manu.* *Munus à manu*, teste D. Gregorio loco notato, est pecunia, & omne donum quod datur collatori, electori, vel patrono, v. g. equus, torques, annulus, &c. De hoc munere

Dico Primò, Si tale munus des ad conciliandum amicitiam dumtaxat, vt posteà tui memor, tibi ex amicitia conferat, non erit simonia in dante, similiter nec in collatore accipiente, si ea tamquam gratis donata accipiat, nec propter illa, quasi pacto obligatus, beneficium conferat. ratio est, quia tunc non interuenit pactum, sine quo non potest esse simonia. Dixi, *Quasi pacto obligatus*; quia etiamsi agnoscat se obligatione antidorali (quæ ex virtute gratitudinis oritur) astrictum; & conferat vt huic obligationi satisfaciat, non erit simonia; vt rectè Nauarrus cap. 23. num. 106. & Couar. lib. 1. variar. c. 20. num. 4. quia simonia requirit vt ex obligatione iustitiæ, seu ex pacto detur. Vtrùm sit simonia si des vel exigas beneficium pro mutuatione, dictum est suprà cap. 20. dubit. 9. num. 64.

116 Aduertendum est, quamuis hæc vera sint in foro conscientiæ, tamen satis sunt periculosa in praxi: quia sæpè est magnum periculum simoniæ, vel certè non probæ electionis, vbi munera intercedunt. vnde etiam in Scripturis & apud ethnicos Auctores δωροδοκίαι seu munerum acceptio passim reprehenditur. Exodi 23. *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Eccli. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum, & quasi frænum in ore, auertunt correptiones eorum.* vide Platonem lib. 3. de Repub. Notum est illud Iugurthæ apud Sallustium, *O venalem vrbem, si emptorem inueniret!*

Dico

117 Dico Secundò, Si ea des cum intentione obligandi vt te præsentet, eligat, vel instituat, erit simonia, saltem mentalis, ex parte tua; similiter ex parte alterius, si eadem mente accipiat, vel posteà veluti ex pacto tacito beneficium conferat.

Quod dictum est de munere à manu, dicendum de omni obsequio, Ecclesiæ, collatori, electori, patrono, vel amicis eorum præstito, quod *munus ab obsequio* vocari solet: si enim præstes obsequium Episcopo, cum tacito quodam pacto vt beneficio compensetur, erit simonia: si verò vt ipse tuam scientiam & dexteritatem perspectam habens, moueatur ad conferendum tibi beneficium, non erit simonia in foro conscientiæ, etiamsi gratis vel exiguo pretio illi seruire velis, modò illum tacito aliquo pacto non intendas obstringere; nec ipse se obstrictum sentiat; non enim præstas obsequia vt Episcopum obliges, sed vt talenta tua ei innotescant. Idem videtur dicendum, si obsequium præstetur ad conciliandam eius amicitiam, modò intelligat se à te non obligari. Nec refert vtrùm præstetur ipsi, an consanguineis eius; modò nihil aliud immediatè intendas, quàm eius amicitiam, & per amicitiam beneficium. Ita Victoria n. 37. ex Caietano art. 5 quamuis hoc in praxi sit periculosum, & exteriùs speciem referat simoniæ. Ipse quoque collator inducitur saltem indirectè, vt in collatione non tam dignitatem recipientis, quàm priuata commoda temporalia spectet: quam ob causam talis collatio dicitur interdum simonia, quamuis largè & impropriè, vt dictum est suprà dubit. 4. Hæc de munere à manu & ab obsequio. Per *munus à lingua* intelliguntur preces, laudes, commendationes, & similia. De his

Munus ab obsequio.

Vt innotescat industria.

Munus à lingua.

118 Dico Tertiò, Si beneficium detur propter munus à lingua, (id est, propter preces, laudes, commendationes) non erit simonia: nisi pactum aliquod tacitum vel expressum interueniat; vt si collator precibus flexus conferat beneficium, aut laudibus præteritis vel speratis inductus. Ita D. Thomas art. 5. & Victoria num. 30. & plerique alij: quamuis quidam, inter quos Durandus in 4. d 25. quæst. 4. & Adrian. quodlib. 9. existiment esse simoniam, si hæc habeant se instar causæ moduæ principalis. Idem insinuat D. Thom. ad 3. Sed verius est, propriè non esse, nisi intercedat pactum, vt patet ex definitione simoniæ. potest tamen dici simonia latè, quo modo videtur loqui D. Thomas ad 3.

Simonia latè.

Quòd si pactum aliquod expressum vel tacitum interueniat, iam erit simonia; quamuis Victoria num. 35. aliquantulùm dubitet. Sed est communis sententia DD. ratio est, quia obligatio laudandi alterum vel commendandi apud Principem, vel rogandi pro illo, est pretio æstimabilis, & pro ea pretium accipi potest. quare quando deducitur in pactum contra rem spiritalem, constituit simoniam. Deinde etiamsi non esset pretio æstimabilis; (vt si esset commendatio ad Prælaturam) tamen si in pactum deduceretur pro beneficio, constitueret simoniam, vt patet ex dub. 16. Neque refert, vtrùm quis quærat laudem & commendationem propter seipsam, an propter aliquam vlteriorem vtilitatem, quam inde sperat; quia neutro modo in pactum deduci potest.

Si interueniat pactum.

DVBITATIO XXI.

Vtrùm sit simonia conferre beneficium propter timorem.

119 REspondeo & Dico Primò, Conferre beneficium propter timorem, si nullum interueniat pactum, non est simonia. Est communis: sicut enim non est simonia, spiritualia facere ex timore, v. g. confiteri, communicare, vt vites pœnam à Prælato constitutam; ita etiam non est simonia dare ex timore. Pro quo

Non est simonia si absit pactum.

Notandum, conferre beneficium ob timorem, est conferre ad euitandum aliquod malum: hoc autem malum potest esse vel odium, quo alius te prosequitur; & ad hoc vitandum conferre beneficium, nihil est aliud quàm conferre vt alliciatur ad beneuolentiam: vel potest esse aliquod damnum externum in vita, fama, fortunis; & ad hoc vitandum conferre, si nulla intercedat obligatio, nihil etiam est aliud quàm allicere beneuolentiam, vt eâ conciliatâ non noceat.

120 Dico Secundò, Si interueniat aliquod pactum, saltem occultum, per quod alter nouo modo in posterum censeatur manere obstrictus ad non nocendum, videtur esse simonia. Ita Sotus lib. 9. quæst. 7. art. 3. & Victor. num. 25. Et quidem si alter Iure poterat mihi nocere, vt qui erat Iudex vel accusator, & ego crimen commiseram, omnino videtur simonia, si dem beneficium ne noceat; quia cessio illius Iuris est pretio digna. Si verò non poterat Iure nocere, vt si erat latro; nihilominus videbitur simonia, si ratione beneficij, nouo modo illum obligem in posterum ad non nocendum. Primò, Quia illa obligatio est pretio æstimabilis; nam est vinculum nouum superadditum Iuri naturali, quo vinculo ille obstringitur lege Iustitiæ mihi non nocere. Secundò, Quia propter tales obligationes quotidie dantur latronibus exactiones menstruæ, tamquam pretia securitatis. si tamen non tam spectetur noua illa obligatio, quàm nocumenti iniqui euasio, alia est fortasse ratio.

Si pactum non nocendi intercedat.

121 Dico Tertiò, Si non intercedat aliqua obligatio in posterum, sed solùm agatur de præsenti euitatione mali, iniustè in eum finem intentati, non erit simonia, ad illud euadendum, beneficium conferre vel renuntiare. Insinuat Victoria num. 25. & Sotus loco citato. Idem tenent multi recentiores, præsertim in metu amittendæ vitæ & famæ. Probatur, quia cap. Abbas 2. de ijs quæ vi metusque causa fiunt, iubet Alexander III. restitui Ecclesiam ei, qui ne patrimonio exueretur, eidem Ecclesiæ cum iuramento renuntiarat: ergo censet Pontifex eum non commisisse simoniam; alioquin potiùs priuasset eum. Simile habemus cap. Ad aures. & cap. Ad audientiam. eodem tit. vbi Innocentius III. hoc extendit ad omnem metum cadentem in constantem virum, docetque eum, qui resignauit beneficium ex tali metu, posse illud repetere. Ratio est Primò, Quia talis nihil censetur accipere, quod anteà non haberet: hoc ipso enim quo me non occidis, non infamas, non spolias, non das quidquam pretio æstimabile, ac proinde nihil à te accipio. Secundò, Quia beneficij resignatio

Si agatur solùm de præsenti euitatione, non est simonia.

signatio vel collatio non quæritur tamquam pretium, cum quo cessationem iniuriæ commutet; sed vtitur minis tamquam medio ad gratis obtinendam collationem vel resignationem. Itaque tu vteris resignatione tamquam conditione necessaria vt malum euadas. Dixi, *In eum finem intentati*; quia si ob alium intentetur, & tu, vt euadas, offeras beneficium, maior videbitur simoniæ species. Puto tamen reuerà non esse; quia nihil accipis pretio æstimabile: vnde est contractus gratuitus ex tua parte, quamuis nonnulla videatur irreuerentia; nam ita vteris re spiritali ad redimendam vexationem, sicut solemus vti pecunia. Neque refert vtrùm malum nunc an paulò pòst sit inferendum: quia æquè est redemptio vexationis; nec quidquam noui acquiritur.

Si alio fine intentetur.

Dvbitatio XXII.

Vtrùm pensio possit vendi, aut redimi pecuniâ.

122 Dico Primò, Pensio quæ datur ad officium aliquod spirituale, non potest pretio vendi absq; vitio simoniæ; nec etiam potest redimi. Est communis Doctorum. Talis est ea pensio, quæ datur adiutori Episcopi, vel concionatori. ratio *cur vendi nequeat*, est, quia datur propter officium Ecclesiasticum, in eoque fundatur; sicut in beneficiis, præbenda fundatur in officio spiritali. nec quidquam ei deest ad rationem beneficij, nisi quòd non sit perpetua. Vnde sicut pro præbenda non potest quidquam dari, ita nec pro tali pensione. *Non potest etiam redimi*, quia redemptione extingueretur obligatio pensionarij; supponitur autem debere hanc manere, vt officium spiritale præstetur: quòd si pensionarius retineret suam obligationem, possent redimi fructus triennij, sicut & elocari. sed hoc non esset redimere pensionem, sed fructus.

123 Dico Secundò, Pensio illa quæ fundatur in titulo merè temporali, potest redimi, & etiam sine simonia vendi pretio; Victoria relectione 1. de simonia, n. 54. Sotus l. 9. q. 7. ar. 2. & alij. Ratio est, quia nec in titulo spiritali fundatur, nec refertur ad functionem spiritalem.

Quatuor pensionum species.

Sed difficultas est de reliquis pensionibus, quæ sunt quadruplices. Prima, quæ datur Parocho seni, non valenti ampliùs deseruire, vt se sustentet beneficio eius alteri collato. Secunda, quæ datur pauperi Clerico ad sustentationem. Tertia, Quæ ad litem componendam. Quarta, Quæ datur resignanti in fauorem, vel commutanti cum altero. Nunc

124 Dico Tertiò, Non est simonia, si is, qui aliquam ex his pensionibus debet, eam præsenti pecunia redimat. Ita docet Toletus lib. 5. cap. 92. Caietan. tom. 1. opusc. 31. resp. 10. & passim DD. in Clem. vnicam, §. Eadem quoque auctoritate, de supplendis negligent. Prælatorum: vbi vide Guilielmum Laudunensem, Anton. de Butrio, Zabar. & Imolam. Idem patet ex praxi recepta, qua huiusmodi pensiones solent redimi seu extingui, consentiente pensionario, quinque annatis. Neque ad hoc opus est alia facultate, vt inquit Toletus. Ratio est, quia redimere talem pensionem, non est emere aliquod ius spirituale, sed extinguere onus temporale; scilicet debitum soluendi quotannis certam summam.

Licitum redimere.

Notandum tamen est, dum quis resignat beneficium sub onere pensionis, non posse fieri pactum vt constituta pensio redimatur; id enim apertam continet simoniam, vt docent Caietan. & Toletus suprà. estque euidens ex dictis dub. 16. istud enim onus est pretio æstimabile. Pari modo simonia est, si pensionem redimas resignando vel conferendo beneficium; quia datur beneficium pro re temporali: eiusdem enim rationis est, extinguere aliquod debitum seu onus temporale, & tantumdem acquirere.

Dico Quartò, Probabilius est, si Ius antiquum spectemus, non esse simoniam, aliquam ex his pensionibus emere aut vendere. Ita tenet Caietanus & Canonistæ suprà, de pensione, quæ datur Parocho seni; quæ tamen magis videtur annexa spiritalibus, quàm ceteræ. Sotus tamen lib. 9. quæst. 7. ar. 2. & Victor. num. 49. inclinant in contrariam sententiam de pensione Parochi, etsi nobiscum sentiant de ceteris. Sed probatur, quia illa pensio Parochi non datur ad obeundum aliquod officium spirituale, sed solùm ad alimenta: ergo non est spiritalis, sed merè temporalis, ex gratitudine vel misericordia à dispensatore bonorum Ecclesiasticorum concessa. 125

Pensio Parochi senis.

Dices, Datur propter officium spirituale præteritum: ergo censetur spiritalis, non minùs quàm si pro futuro daretur. Ita Victoria dubitando ratiocinatur. *Obiectio.*

Respondeo Primò, Non datur propter officium præteritum, tamquam debita mediante officio; nam pro officio præterito mercedem sustentationis accepit; sed officium præteritum est conditio sine qua non daretur ei. datur autem ex misericordia seu gratitudine tamquam ius merè temporale. sicut si daretur vsus fructus alicuius agri ad vitam, ob similem causam. *Respon.* 126

Respondeo Secundò, Ius ad certos prouentus non censeri spirituale, nisi quatenus habetur mediante officio spirituali præstando; non autem dum habetur mediante officio iam præstito, v.g. Parochus non habet ius ad fructus anni sequentis, nisi ratione officij præstandi, ac proinde non habet ius immediatum, sed mediante officio spiritali; vnde non potest illud ius vendere, nisi simul vendat officium, quod est ius fundamentale, ex quo nasci debet Ius immediatum in fructus. officio autem præstito habet ius immediatum in illos; quod ius tunc est merè temporale, non ampliùs connexum rei spirituali, vt quæ iam transierit. ex officio enim spiritali potest nasci ius merè temporale, sicut & dominium, & possessio. non enim est ratio cur magis ius ad 100. aureos ob officium spirituale præstitum sit spirituale, quàm dominium & possessio eorumdem centum aureorum iam receptorum: nam ius in re & ad rem sunt eiusdem ordinis: atqui certum est, hoc dominium esse temporale sicut & possessionem: ergo & ius ad illud est temporale.

Ius ad prouentus præstito officio, non est spirituale.

Dices, Quomodo ergo ius præbendarum dicitur esse spirituale? 127

Resp. Quatenus continetur in officio tamquam in fundamento, & per officium possidetur. vnde sicut officium est spirituale, ita etiam ius præbendæ, ratione officij competens: quare sicut officium vendi non potest; ita nec illud. postquam autem

Quomodo ius præbendæ sit spirituale.

functio officij est præstita, manet ius formale merè temporale ad illos prouentus, quod per se immediatè & formaliter possidetur. vide suprà dubit. 2.& 4.

Quòd etiam ea pensio, quæ datur Clerico pauperi, non sit spiritalis, probatur, quia non datur propter officium spirituale, vti suppono, sed ad sola alimenta, ob paupertatem: titulus autem clericalis solùm se habet concomitanter tamquam dispositio subiecti. sicut cùm quis relinquit legatum pauperibus Clericis, ius ad illud legatum non efficitur spirituale ratione clericatus. Confirmatur, quia ius fructuum datur personæ pauperi, non tamen titulo clericali, quamuis hic sit causa sine qua non: quod etiam interdum accidit in bursis, vt vocant, Collegiorum.

Ius datur personæ vel titulo.

Vbi Notandum, esse magnum discrimẽ vtrùm ius fructuum immediatè detur personæ, quamuis in ea requiratur certa conditio spiritalis; an verò detur ipsi spirituali titulo. si enim titulo spirituali annectatur, ita vt qui illum titulum acquirit, simul acquirat ius prouentuum, iam hoc ius spirituale erit, nec vendi poterit; vt si statui clericali in tota Ecclesia, vel in aliqua diœcesi esset annexum ius prouentuum Ecclesiasticorum ad 100. florenos. Secùs autem si immediatè detur personæ.

De reliquis probatur eadem ratione, quia non dantur ob vllum officium spirituale, nec ob vllum alium titulum spiritalem; ex quo illud ius assiduè dependeat. & de hisce pensionibus nobiscum sentit Sotus q.7.a.2. & confirmatur ex cap. Ad quæstiones, de rerum permutatione, si quis illud benè expendat; nam possessiones, (id est, iura possessionum) separatim ab officiis spiritalibus permittuntur redimi: eiusdem autem rationis est, aliquid redimi & vendi.

Obiectio. Dices Primò, Beneficium potest commutari cum pensione: ergo pensio est quid spirituale. Antecedens probatur ex multorum vsu.

Respon. Respondeo, Si talis est vsus (quem tamen alij negant) illi sequuntur, alteram opinionem, quæ censet pensionem esse quid spirituale.

128 *Obiectio 2.* Dices Secundò, Pensio est magis spiritalis, quàm ius patronatus; quia requirit titulum clericalem, & prouenit ex potestate spirituali, & pensionarius debet manere in statu Ecclesiastico: alioquin si in minoribus constitutus init matrimonium, amittit ipso facto pensionem, sicut suprà, cap. 34.dub.21. diximus, & docet Couarruuias, de sponsalibus p.2.c.6.§.3.n.6.

Respon. Ius patronatus. Respondeo, Ius patronatus per se vendi non posse, quia suam æstimationem habet ex ordine ad officium spirituale. est enim ius præsentandi. vnde est reuerà spirituale, sicut officium; quamuis ex iure temporali dependeat, cum quo tum venditione, tum successione hereditaria transit. pensio autem est ius ad rem omnino temporalem. Nec refert, quòd à potestate spirituali concedatur; quia alioquin elœmosynæ à Papa concessæ dominium esset spirituale. Status verò clericabis requiritur solùm vt conditio subiecti; sicut in bursis Collegiorum fieri potest. Vnde huiusmodi pensiones solent dici spiritales ratione subiecti.

129 *Constitutio Pij V de pensionibus.* Notandum tamen, vbi Bulla Pij V. de pensionibus est recepta, ibi pensionem esse rem spiritalem. statuit enim Pius V. vt omnes pensionarij ratione pensionis teneantur recitare Officium B. Virginis: qua ratione pensio reuerà est quoddam beneficium. sed plerisq; locis hæc Bulla non videtur recepta, quia à plurimis ignoratur; vel etsi sciatur, non est in praxim vmquam deducta.

Notandum Secundò, Etsi Bulla Pij V. recepta non sit, tamen huiusmodi pensiones vendi non posse absque Pontificis facultate; quia stylo Curię est prohibitum, & vendens punitur vt simoniacus. permittuntur tamen redimi, teste Toleto suprà.

Sequitur tertia pars huius capitis, De pœnis simoniacorum.

Dvbitatio xxiii.

Quas pœnas inducat simonia commissa circa ingressum Religionis.

130 *Pœna iuris solùm contrahuntur ob simoniã in Ordine, beneficiis, & Religione.* NOtandum Primò, Nullam simoniam inducere pœnas Iuris ipso facto, nisi in *Ordine, beneficiis, & Religionis ingressu*; vt docet Nauarrus, cap.23.nu.111. & Siluester v. Simonia quæst.19. Vnde si quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis, in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in pensione vendenda, vel emenda, vel redimenda, in vicaria temporali conferenda, simoniam committat, grauiter quidem peccabit, non tamen contrahet pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis.

Simonia mentalis. Notandum Secundò, Etiam simoniam mentalem, quæ absque externo aliquo contractu tacito vel expresso in Ordine, beneficiis, & Religione peragitur, nullas pœnas Iuris inducere, vt communiter DD. docent: imò plerique DD. sentiunt, Ecclesiam non posse simoniam internam, quæ nullo modo in opere externo ex natura rei deprehendi potest, punire; eò quòd eius iurisdictio solùm ad opera externa præcipienda & vetanda, & consequenter ad punienda se extendat. quod an verum sit, alibi examinandum. Interim satis constat, mentem Ecclesiæ non esse vt hæ pœnæ ob simoniam mentalem irrogentur, vt patet Extrauag. Cùm detestabile, de simonia, & cap. fin. Eodem tit. in Decretalibus.

131 *Realis simonia in Religione, pœna.* His positis, Respondeo, Simoniam realem circa Religionis ingressum, Primò, Singularibus personis, tam dantibus quàm accipientibus, inducere excommunicationem.

Secundò, Conuentui seu Capitulo, si consenserit in hanc simoniam, suspensionem: (nimirum ab officio capitulari ad iurisdictionem vel administrationem Ecclesiasticam pertinente.) Vtrumque patet Extrauag. Vrbani IV. quæ incipit, Sanè ne in vinea Domini, de simonia: vbi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda præcipitur, *Ne detur vel exigantur in Religionis ingressu, seu receptione personarum, pastus, prandia, pecuniæ, iocalia, aut res aliæ, etiam ad pium vsum deputandæ*, &c. vnde mirum est, Nauarr. & Siluest. suprà docere, solam simoniam in Ordine & beneficiis inducere excommunicationem. nisi forte velint insinuare hanc Extrauag. non esse receptam; quod credo esse verum.

Aduerte tamen, hanc censuram non habere locum in dote, quæ datur Monasterijs feminarum; ita enim statuit Martinus V. vt ex Archidiacono refert Siluester v. Simonia, nu.15. Idem concessit Cle-

Clemens VII. vt refert Nauarrus c.27.n.106. Imò consuetudo illa exigendæ dotis, non pro ipso ingressu Religionis, sed pro alimentis Monialis, passim permittitur tamquam licita, maximè si Monasterium sit tenue. vide suprà dub.12.

132 *Debent in aliud Monasterium detrudi.* Tertiò, Simoniacè admissi ad Religionem, videntur Iure inhabiles ad manendum in illo Monasterio, vbi sic recepti sunt: nam egent dispensatione Ordinarij vt in eo possint permanere; vt patet dicta Extrauag. Secùs est si ipsis ignorantibus simonia commissa est. hoc tamen non ita est intelligẽdum, quasi professio eorum sit nulla, aut quasi per simoniacam professionem non fiant veri Religiosi: sed quia non acquirunt ius præbendæ regularis, seu portionis ordinariæ, & vocis actiuæ & passiuæ, quod ius est instar præbendæ canonicæ. Ad hoc igitur egent dispensatione. Ita Nauarrus comment. 4. de Regular.n.25.

Non tenetur se ipse spoliare. Aduerte tamen, eum, qui sic receptus est, posse in Monasterio illo remanere & frui ceterorum commodis, donec per Superiorem compellatur aliud ingredi; cùm enim professio eius sit valida, & per eam ad professorum onera obligetur, nimis durum videtur vt seipsum professorum commodis spoliare teneatur. Dignus est enim operarius cibo suo: nec pœnæ simoniæ, quæ in beneficiis committitur, hîc locum habent, cùm præbenda monachalis non sit propriè beneficium Ecclesiasticum, sed nudum ius alimentorum, fundatum in statu regulari & professione, &c.

Dvbitatio XXIV.

Quas pœnas inducat simonia realis in Ordinibus.

133 *Conferens Ordines simoniacè, incurrit has pœnas. 1. Excommunicationem.* Dico Primò, Conferens Ordines per simoniam realem, est excommunicatus: Extrauag. Cùm detestabile, de simonia. Idem extendunt quidam ad eos, qui pro prima tonsura, vel pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, vel sigillo, aliquid simoniacè accipiunt; idque probant ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. vbi cùm Concilium prohibuisset ne pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, aut pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, aut pro sigillo, aliáve causa quidquam etiam sponte oblatum Episcopi aut eorum ministri, quouis prætextu acciperent, tandem subiicit: *Si contra fecerint, tam dantes quàm accipientes, pœnas à Iure inflictas incurrant.*

An idem ad alia extendatur. Sed hæc extensio ita generaliter facta non placet. Primò, Quia non videtur rationi consentaneum vt incurram excommunicationem, quia soluo aliquid pro litteris testimonialibus aut sigillo, cùm hoc sit mera redemptio vexationis.

Secundò, Durum videtur, vt Episcopus aut ministri eamdem censuram incurrant, si aliquid sponte oblatum acceperint.

Tertiò, Nullo Iure pro his est pœna excommunicationis statuta. Concilium autem non videtur velle nouas pœnas inducere, (alioquin clariùs id explicuisset;) sed solùm renouare quod olim Iure statutum erat. vnde illa verba, *Pœnas Iuris incurrant*, solùm referenda sunt ad eos, in quos Iure sunt statutæ, nempe ad conferentes vel accipientes Ordinem simoniacè. Idem colligitur apertè ex Nauarro cap.23.n.111.

Notandum est, Concilium apertè loqui de simonia reali, id est, quæ vtrimque completa est, vt patet ex verbis, *tam dantes quàm accipientes*. de eadem loquitur Extrauagans, Cùm detestabile. vt patet ex verbis, *qui dando, vel recipiendo simoniam commiserunt*. Vnde non est excommunicatus, qui per conuentionalem simoniam Ordinem confert; nisi res promissa soluta fuerit, vt rectè docet Nauarrus cap. 23. num. 104. de quo infrà dubit. 27.

134 *Hæc intelligenda de reali vtrimque completa.*

Secundò, Est suspensus à collatione cuiusuis Ordinis, etiam primæ tonsuræ. Ita habet Bulla Sixti V. edita in malè promouentes & promotos, v. *Ceterum si quis Antistes*. & quamuis hæc in ceteris punctis redacta sit ad terminos Iuris communis à Clemente VIII. tamen in hoc de simoniacè promouentibus & promotis, relicta est in suo vigore, & ab eodem confirmata. 2. *Suspensionem.*

Tertiò, Est suspensus ab executione omnium munerum Pontificalium; ita Bulla Sixtina; vt à consecratione templorum, altarium, calicum, Abbatum, virginum, à benedictione vestium sacrarum, &c. Vtrùm autem Iure antiquo, sepositâ dictâ constitutione, suspensus sit, dubium est. Quidam affirmant, ob cap. pænultimum de simonia, vbi per triennium Episcopus ab Ordinum collatione suspenditur, qui ab ordinando exigit iusiurandum vel promissionem, qua promittat se non petiturum ab illo prouisionem. Sed cùm in hoc casu sit peculiaris ratio, non debet ad alios dissimiles extendi; vnde cùm nihil Iure sit expressum, verius puto non esse Iure antiquo suspensum. *Vtrùm Iure antiquo sit suspensus.*

Quartò, Interdictus est illi ingressus Ecclesiæ; ibidem. 3. *Interdictum ingressus Ecclesiæ.*

Quintò, Si contra suspensionem vel interdictum illud fecerit, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum; ibidem.

Sextò, Nemo potest illum absoluere, præter Romanum Pontificem; etiamsi delictum sit occultum: quia Pontifex id sibi reseruat, cum clausula derogatoria omnium priuilegiorum Regularibus datorum, & concessionis factæ Episcopis à Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. Puto tamen hanc Sixtinam plerisque locis ignorari, ac proinde non esse vsu receptam.

Dico Secundò, Qui Ordinem aliquem per simoniam realem susceperit, 135 *Accipiens Ordines simoniacè, incurrit has pœnas.*

Primò, Est excommunicatus ipso facto; Extrauag. Cùm detestabile.

Secundò, Est suspensus ab executione suorum Ordinum. Nec refert, vtrùm crimen sit occultum an publicum, vt habetur dicta Extrau. Vtrùm autem ab omnibus sit suspensus, an solùm ab eo quem simoniacè suscepit, dubitari potest. Communior sententia DD. est, ab omnium Ordinum executione suspensum esse. Ita tenet Siluester v. Suspensio, n.7. & alij: nam supradicta Extrauagante dicitur: *Simoniace ordinati, ab executione suorum Ordinum sint suspensi*. Videri tamen queat contrarium non improbabile; quia Iure non videtur satis expressum: verba enim illa commodè posse intelligi de Ordinibus simoniacè susceptis; vt in quo quis peccauit, in eo puniatur. quare cùm

pœnæ sint restringendę, ita illa verba esse accipienda; alioquin dicendum fuisse, Ab omnium Ordinum etiam antè susceptorum executione sint suspensi. Verùm quia Auctores non inuenio, placet sententia communis.

136 *Si alius te ignorante pecuniam dedit, non es suspensus.* Quòd si alius te ignorante pro tua ordinatione pecuniam dederit, certum est te non fore suspensum ab aliis Ordinibus antè susceptis. multi tamen putant te fore suspensum ab Ordine sic susceptо; quam sententiam Felinus in cap. Per tuas, de simonia nu. 3. dicit communem. eamdem tenet Siluestet v. Suspensio, n. 7.

Sed contrarium videtur verius; quod tenet Nauarrus cap. 25. num. 68. vbi pro hac sententia citat Bellamerum & Cardinalem. Ratio est, quia id Iure non est expressum: & aliàs æquum videtur, vt cùm ordinatio sit valida, nec possit ei auferri, non prohibeatur eius vsu per iniquitatem alterius. cur enim cogetur manere cælebs vt sacerdos, non concesso sacerdotij vsu? nihil enim commeruit cur ei hæc pœna irrogetur.

Addo, non incurrere excommunicationem aut suspensionem, etiamsi post ordinationem, id quod se inscio datum est ab amico pro ordinatione, eidem restituat, aut compenset: vt idem Nauarrus dicto n. 68. contra Siluestrum docet.

Tertiò, Si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis: (vt qui censuram violet) deinde per Bullam Sixtinam ipso facto priuatur omnibus dignitatibus, beneficiis, officiis, & efficitur inhabilis ad omnia.

Quartò, Nemo præter Romanum Pontificem potest illum absoluere à censuris, aut eum eo dispensare, vt patet ex Bulla Sixti; vbi reuocat concessiones omnes & facultates per quas posset quis absolui. Sepositа autem hac Bulla, potest Episcopus, si casus sit occultus, & necdum ad forum externum deductus, Concilium Trid. sess. 24. c. 6. quod verum est, etiam si cum ipso hæc simonia commissa esset; quia per hoc non est sua potestate priuatus aut suspensus. *Episcopus absoluit.*

Quidam addunt, eum qui per simoniam ordinatur, fieri irregularem, eò quòd accipiat Ordines in excommunicatione. Ita Hugolinus tab. 4. c. 4.

Sed contrarium est verius, nam per susceptionem Ordinis incurrit excommunicationem; ac proinde per eamdem non potest incurrere irregularitatem, debent enim esse distincti actus. ideò enim incurritur irregularitas, quia in excommunicatione iam antè existens, ausus est Ordinem susсipere. *Ordinatus simoniacè an irregularis.*

Dvbitatio XXV.

Quas pœnas inducat simonia realis in beneficijs.

137 *Procurans alteri beneficium per simoniam realem.* Dico Primò, Qui beneficium confert vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando, est ipso facto excommunicatus; Extrau. Cùm detestabile. hoc tamen non habet locum in officiis Ecclesiasticis, quæ non sunt beneficia, neque in pensionibus, vel vicariis temporalibus; quia dicta Extrauagans non loquitur de talibus, cùm non sint beneficia. vide Nauarrum c. 23. numero 111.

Nomine *beneficij* etiam comprehendimus Abbatiam & Prioratum; quia secundùm Nauarrum sunt beneficia regularia, & Extrauagans expressè de illis loquitur. Idem dixerim de similibus Prælaturis Regularium, quæ non consistunt in nuda commissione ad nutum reuocabili, sed in munere ordinario, vt est Rectoratus, Prouincialatus, Generalatus; quia eadem est ratio, & eadem incommoda, imò grauiora, ex simoniaca horum acquisitione sequerentur.

Dico Secundò, Qui verò beneficium per talem simoniam acquirit, *Accipiens.*

Primò, est ipso facto excommunicatus, Extrau. suprà.

Secundò, Omnis collatio & prouisio huiusmodi est nulla, nullumque ius tribuit, dicta Extrauag. vbi decernitur, vt *electiones, præsentationes, collationes, & aliæ prouisiones beneficiorum per simoniam realem factæ, sint irritæ, & nullum ius tribuant, & vt prouisi fructus non faciant suos; sed sub periculo animæ suæ ad eorum restitutionem teneantur.* Idem dicendum, si tu quidem simoniam non feceris, sed te sciente & non contradicente facta est ab alio pro te. cap. Nobis fuit. 27. de simonia, iuncta Glossa, & cap. Sicut tuis. 33. eodem. vide Couar. reg. Peccatum, p. 2. §. 8. n. 7.

Petes, Quid si legitimè electus vel præsentatus committat simoniam pro confirmatione, vel institutione obtinenda, eritne etiam ipsa electio & præsentatio irrita? 138 *Electio non est irrita, si simonia pro institutione committatur.*

Quidam putant esse irritam. Ita Hugolinus suprà c. 5. ex Felino in cap. Sicut tuis, de simonia.

Sed contrarium puto verius, quia Iure non reperitur expressum: imò contrarium insinuatur cap. Si confirmationem, de electione, in 6. non enim si posterior actus est irritus, etiam prior irritus censeri debet. Vnde puto sufficere vt tollatur inhabilitas contracta per actum posteriorem; nec opus esse noua electione aut præsentatione. Si verò in priore actu simonia commissa sit, omnes sequentes sunt irriti; quia vano fundamento nituntur: procedunt enim ex suppositione validitatis prioris actus.

Tertiò, Fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, cap. Nobis fuit, de simonia, &c. pænult. de electione, vbi dicitur, Episcopum non posse dispensare vt habeas Prælaturam, quæ tibi per simoniam te ignorante commissam, collata fuit; secùs verò si sit beneficium simplex. quòd si hic eget dispensatione, multò magis is qui sciuit, & non contradixit, vel per se commisit simoniam, dispensatione eget, ac proinde absque dispensatione inhabilis est. nemo enim eget dispensatione, id est, relaxatione Iuris, nisi qui Iure impeditur. 139 *Inhabilitas.*

Petes, Quis possit hanc inhabilitatem tollere? 140 *Quis eam tollat.*

Resp. Certum est, si simonia sit publica, vel deducta ad forum externū, & consentiente beneficiario commissa, inhabilitatem ex ea contractam non posse tolli per Episcopum, sed per solum Papam. est communis sententia Doctorum: & satis colligitur ex Iuribus citatis. Si verò sit omnino occulta, quidam putāt per Episcopum tolli posse; tum quia nullo Iure reseruatur Summo Pontifici; tum quia etiamsi reseruata esset, videretur tamen concessa per Conc. Trid. sess. 24. c. 6. sub nomine suspensionis, vel irregularitatis, vel casus occulti. Ita Henriquez c. 56. de excommunicatione, & quidam alij. Quæ sententia etsi videatur satis probabilis; contraria

traria tamen est communior DD. tutior & praxi conformior.

Regula de triennali possessore.

Quartò, Regula de triennali possessore non prodest simoniacè ingressis in beneficium, sicut nec intrusis, vt habetur in regul. Cancellariæ, de triennali possessore. vide Gomezium quæst. 12. in illam regulam. vnde etiam post triennij possessionē potest eis lis intentari, & beneficium adimi, etiamsi solùm simoniam conuentionalem admiserint, vt idem Gomezius docet. Secùs est de aliis, qui per tantum temporis spatium colorato aliquo titulo beneficium possederunt. hi enim, si bona fide possederint, non solùm exceptione impetentes repellunt; sed etiam in foro conscientiæ beneficium retinere possunt, vt suprà cap.6.dub.10.probabiliter ostensum est. Prodest tamen hæc regula ei, quo ignorante simonia commissa est, vt idem Gomezius suprà docet: quia hic non peccauit. maximè si res sit occulta; quia tunc semper habet titulum coloratum.

141 *Mediatores.*

Quintò, Mediatores in simonia beneficij & Ordinis, incurrunt pœnam excommunicationis ipso facto, si ad executionem vtrimque ventum fuerit, vt patet dicta Extrauag. Cùm detestabile; vt parentes, amici, procuratores, & omnes, qui suam operam interponunt vt beneficium simoniacè obtineatur.

Petes Primò, Vtrùm qui sua auctoritate beneficia permutant, has pœnas incurrant?

Commutantes sua auctoritate. Non incurrunt excommunicationem.

Respondeo, Communior sententia DD. est, incurrere, quia hi in Iure dicuntur simoniaci, & suum contractum vtrimque complent.

Contraria tamen sententia est probabilis, quam tenet Petrus Nauar. lib.2.c.2.nu.435. Arragon. in fine operis, & quidam alij recentiores. fauet Couarruuias lib.1.var.c.5.n.3.in fine, & nu.5. Ratio est, quia hîc non est propriè dicta simonia, cùm non detur temporale pro spirituali; sed generaliori modo simonia vocatur, vt suprà ostensum est: ergo quando Iura dicunt simoniacos esse ipso facto excommunicatos, non debet hoc extendi ad hanc simoniam; sed solùm ad eam, quæ propriè & strictè simonia dicitur; pœnæ enim sunt restringendæ. Confirmatur, quia Iura quæ loquuntur de hac permutatione, non habent vllam pœnam ipso facto incurrendam, sed solùm loquuntur de pœna ferenda, vt patet cap. Cùm olim.7. de rerum permutatione. c. Cùm pridem. 4. de pactis. cap. Sicut tuis. 33. cap. Tanta. 7. & cap. De hoc autem. 11. de simonia. Nec obstat, quòd in Extrauag. Cùm detestabile, dicatur, *qui quomodolibet dando vel accipiendo simoniam commiserint*, &c. quia hoc intelligendum est de simonia propriè dicta.

Petes Secundò, Quid si per ignorantiam inculpatam simonia sit commissa?

142 *Si per ignorantiam commissa.*

Resp. Si ab aliis te ignorante, tuâ causâ simonia commissa est, non incurris quidem pœnam excōmunicationis; efficeris tamen inhabilis ad idem beneficium, ita vt absque dispensatione non possit tibi illa vice conferri; idque in pœnam illorum, qui simoniacè te promouere voluerunt; vt patet ex cap. Nobis fuit. & cap. Sicut tuis. iuncta Glossa, de simonia. Quòd si illi laborassent ignorantia inculpata, tunc neque inhabilis efficereris; quia nulla culpa commissa est, ob quam illa inhabilitas est constituta. vnde posset illud beneficium tibi secundò conferri absque vlla dispensatione. Idem videtur dicendum, si contractus simoniacus ab ipso beneficiario per ignorantiam celebratus sit. In vtroque tamen casu beneficium resignari debet, nisi secundò conferatur; quia prior collatio irrita fuit, vtpote per contractum irritum facta.

Notandi tamen sunt tres casus, quibus non teneris beneficium resignare, etsi illud dato pretio consecutus sis. 143 *Tres casus, quibus non debet resignari.*

Primus est, Si inimicus tuus occultè per fraudem pecuniam dedit, eo fine vt collatio tibi facta, sit inualida, & tu inhabilis; vt habemus cap. Nobis fuit. & cap. Sicut tuis litteris, de simonia. Secùs si amicus vt tibi prodesset, vt solent parentes pro filiis. Tunc enim simulatque sciueris, teneris dimittere, vt expressè habetur dict. cap. Sicut tuis. Imò efficeris inhabilis ad idem beneficium, vt dictum est num.139.

Secundus est, Si tu metuens ne quis pecuniam pro beneficio tibi impetrando daret, expressè contradixisti. Ita habemus cap. Sicut tuis litteris, eodem. quod non tantùm locum habet quando pecunia datur pro confirmatione eius, qui iam est electus; sed etiam quando datur pro ipsa electione, vel præsentatione, vel collatione; vt docet Nauarrus in cap. fin. de simonia, & Lopez p.2.cap.106. & colligitur ex D. Thoma quæst 100.art.6.ad 3. Hæc tamen contradictio nihil proderit, si ea non obstante, ante collationem scias pecuniam reuerà datam, & nihilominùs illam acceptes. Tunc enim cùm scires collationem esse simoniacam, tenebaris eam non admittere. Vnde si admittas, peccas acceptando beneficium ex collatione simoniaca: & quamuis non incurras pœnam excommunicationis, quia non es causa simoniaci contractus; tamen teneris resignare, & efficeris inhabilis, vt patet ex dictis n.139. & 142. 2. *Casus.*

In hoc tamen casu difficultas est, Vtrùm si post obtentum beneficium consentias, soluendo pecuniam per alium promissam, vel refundendo solùtam, tenearis resignare beneficium, & restituere fructus perceptos, quando anteà contradixisti. 144 *An teneatur resignare si soluerit pecuniam ab alio promissam.*

Ad quam respondendum, Si non consentias in factum alterius, ratum habendo contractum, seu promissionem simoniacam amici, sed solùm ex amicitia soluas id, quod ipse amore tui dedit vel promisit, ne videlicet ipse tuâ causâ damnum sentiat; non teneris restituere, imò nec peccas; vt rectè Nauarrus lib.5.consil.10.de simonia, probat. illud enim soluere ex amicitia, ne amicus grauetur, non est malum, neque est approbare factum amici: sicut parens soluendo debita filij, quæ ipse malè contraxit, non approbat facta illa, quibus contraxit; sed id facit ex amore filij, ne ipse infamis habeatur. Si verò consentias approbando factum amici, iam incurris simoniam, & teneris resignare beneficium, & fructus restituere; iuxta D. Thomam artic.6.ad 3. qui id colligit ex dicto cap. Sicut tuis. Idem sentit Panormitan. & insinuat Nauarrus suprà. *Non tenetur, si non approbat contractum.*

Contrarium tamen, id est, quòd non teneatur etiam in hoc casu resignare, docet Adrianus quodlib.9.art.6. littera C. Ratio est, quia illa ratificatio, quæ fit post legitimam collationem & ius acquisitum, non potest eam inficere, aut simoniacam efficere. *Sicut*, inquit, *si quis pro beneficio sibi gratis collato, postea animo mercimoniali pecuniam solueret, non inficeretur, nec irrita redderetur prior collatio legitimè facta.* Idem tenet Tancredus, vt refert Glossa *Sententia Adriani.*

in dictum cap. Sicut. Nec obstat; *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari.* regul. 10. in 6. quia id intelligendum in iis, quæ pendent à consensu ratificantis, non autem quæ anteà absolutè & plenè peracta. Similiter non officit dictum cap. Sicut, vbi sic habetur: *Ex eo, quòd contra prohibitionem & voluntatem tuam (à qua postmodum minimè recessisti) aliquis te penitus ignorante pecuniam promisit, & exoluit, nihil debet tibi ad pœnam vel culpam imputari, nisi posteà consenseris pecuniam soluendo promissam, aut reddendo solutam.* quia hinc nihil aliud sequitur, quàm aliquid debere tibi in culpam vel pœnam imputari, si consenseris in factum alterius. *In pœnam, vel culpam*, inquit, non autem *in pœnam & culpam.* & quamuis diceret *in pœnam & culpam*, non tamen inde sequitur; collationem vel confirmationem priorem fuisse irritam, aut beneficium debere dimitti: potest enim intelligi de pœna ferenda. Hæc sententia videtur mihi valdè probabilis. Fateor tamen, talem mereri priuari per sententiam causa cognita. Addi potest

3. Casus. 145 *Pontifex simoniacè electus.* Tertius casus, Si Papa ad Papatum per simoniam peruenisset, non teneretur resignare; modò à duabus partibus Cardinalium concorditer electus fuerit. Probari potest ex cap. Licet. 6. de electione, vbi Alexander III. statuit, *vt ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium concordantibus electus fuerit & receptus.* Ratio est, quia si talis electio esset irrita, sæpè Ecclesia posset esse sine capite; saltem esset sæpè incerta. Hæc sententia est valdè probabilis.

Contraria tamen, nempe quòd talis non sit verus Pontifex, & teneatur Pontificatum deponere, videtur quibusdam verior. Nam cap. Si quis pecuniâ, d. 79. Nicolaus II. statuit; *Si quis pecunia vel gratia humana, sine concordi & canonica electione, & Cardinalium, & sequentium religiosorum Clericorum fuerit Apostolicæ Sedi inthronizatus, non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.* Glossa hoc intelligit de eo, qui per simoniam electus est ab illis, qui non habent potestatem eligendi, non à Cardinalibus. Sed primò, Hæc Glossa est contra textum, inquit Maior d. 25. dub. 1. de pœna simoniacorum. Deinde qui per simoniam electus est, etiam à Cardinalibus, non est canonicè electus; quod tamen requirit iste Canon. Idem probari potest ex Concilio Lateran. sub Iulio II. sess. 5. vbi *sacro approbante Concilio statuitur, vt electio Romani Pontificis per simoniam facta, eo ipso nulla existat, & sic electo nulla in spiritualibus vel temporalibus tribuatur facultas.*

146 Aduerte tamen, etiamsi fortè ex parte rei non esset verè Pontifex ob hos vel similes Canones; tamen hoc ipso, quo recipitur à duabus partibus Cardinalium, esse habendum ab Ecclesia pro Pontifice, vt patet ex dicto capite Licet, & talis ratione tituli colorati, concurrente communi errore, in suis definitionibus habebit infallibilem auctoritatem, *Deus illi assistet.* Deo illi propter commune bonum Ecclesiæ assistente. Vnde Ecclesia non erit incerta de suo capite; quia sciet quis ex parte rei verè sit caput, vel quis pro tali sit habendus. Sed vtra harum sententiarum sit verior, non est huius loci fusiùs examinare.

Dvbitatio xxvi.

Quas pœnas inducat simonia confidentiæ.

147 *Pœna, quas incurrunt confidentiarij.* Respondeo, Infert primò Excommunicationem Papalem vtrique parti contrahenti.

Secundò, Priuationem beneficij, in quo commissa est simonia.

Tertiò, Priuationem reliquorum beneficiorum antè obtentorum, & pensionum.

Aduerte tamen, illum non teneri hæc beneficia vel pensiones dimittere ante sententiam: quia pœna, qua quis priuatur re sua iam possessa, non debetur ante sententiam, vt docet Glossa communiter recepta, in cap. 11. Fraternitas. 12. q. 2. qua de re suprà cap. 34. dub. 34. & cap. 29. dub. 8.

Quartò, Inhabilitatem ad idem beneficium, & ad cetera omnia. Hanc tamen inhabilitatem ad cetera, quidam intelligunt solùm post sententiam declaratoriam criminis: & ita puto vsu receptum. vide Sancium lib. 9. de matrim. disput. 30.

Quintò, Omnia beneficia collata & accepta in confidentiam simoniacam, reseruata sunt Sedi Apostolicæ, ac proinde ordinarius collator non potest ea conferre.

Vnde sequitur, omnes illos, qui beneficia (in quibus anteà à decessore commissa fuit simonia confidentiæ) obtinent, ex alterius quàm Romani Pontificis collatione, non obtinere ea canonicè; quia non ab eo, qui poterat conferre: & cõsequenter posse priuari, nisi per triennium fuerint in pacifica possessione. vide tamen quæ hac de re dicta sunt sup. c. 34. dub. 9. & iuxta ea hæc limita.

Petes, Quid si solùm contractus huius simoniæ sit celebratus, & neutra ex parte completus?

148 *Debet contractus esse ex altera parte completus.* Resp. Tunc dictas pœnas non contrahi, vt insinuat Nauar. suprà, & colligitur ex ipsa Bulla; nam significatur, beneficium debere esse simoniacè receptum.

Priuatio omnium benefic. in tribus casibus. Notandum est, priuationem omnium beneficiorum, & inhabilitatem ad omnia, incurri in tribus casibus.

Primò, In simonia confidentiæ, vt dictum est.

Secundò, In simonia commissa in electione Papæ, vt habemus in Concil. Lateran. sub Iulio II. sess. 5.

Tertiò, In simonia, quæ committitur quando examinatores ad parœcias, aliquid ab examinandis, occasione examinis accipiunt; vt statuit Concilium Tridentinum sessione 24. cap. 18. vt suprà cap. 34. dubit. 16. diximus. In his tamen omnibus videtur vsu receptum, vt non teneatur quis sua beneficia dimittere ante sententiam, vt suprà dictum est.

Dvbitatio xxvii.

Vtrùm simonia conuentionalis inducat pœnas Iuris.

149 Respond. & Dico primò, Nulla simonia conuentionalis, excepta ea quæ confidentiæ dicitur, inducit ipso facto vllas pœnas Iuris positiui.

Ita

Ita Nauarrus c.23.nu.104. estque ferè communis DD.præsertim recentiorum, si de ea conuentionali loquamur, quæ neutra ex parte completa est, vel de ea, in qua datum est quidem pretium, sed nondum tradita res spiritalis.

Conuentionalis non inducit pœnas.

Si res spiritalis tradita pretio nondum soluto.

Verùm non consentiunt DD. de ea, in qua res spiritalis est tradita, & pretium nondum persolutum. Nam Sotus l.9.q.8.art.5.& Caietanus v. Simonia, existimant hanc inducere omnes pœnas Iuris, perinde ac si vtrimque completa esset. Ratio est, quia emptio & venditio videtur perfecta, quando res est tradita, etiamsi pretium nondum sit persolutum.

Sed contrarium sine scrupulo teneri potest cum Nauarro, qui id benè probat, & soluit argumenta contraria. Eamdem tenent Ludouicus Gomezius, & Cassiodorus apud Nauarrum, & Couarruuias in Clementinam, Si furiosus, part.1. §.1.num.7. & p.2.§.3.numero 4. Hugolinus tabula 4.cap.6.& alij recentiores. Probatur, quia etsi fortè ex rigore Iuris videantur hæ pœnæ contrahi per simoniam conuentionalem, etiam neutra ex parte completam; (eò quòd ad substantiam contractus emptionis & venditionis sufficiat conuentio seu pactum; quia consensu perficitur) tamen iuxta stylum Curiæ Romanæ non censentur incursæ nisi per simoniam realem vtrimque completam; vt testatur Nauarrus: non obstante Bulla Pij V. hac de re edita, quæ non videtur fuisse recepta. Cuius ratio esse videtur, quòd pœnæ (præsertim graues, & quæ ipso facto incurruntur) quantum fieri potest, sunt restringendæ; ac proinde pœnæ constitutæ iis qui spiritalia emunt aut vendunt, restringendæ sunt ad emptionem & venditionem completam; nisi expresè contrarium significetur. lex enim puniens aliquem actum, censenda est punire actum completum. Confirmatur Extrauag. Cùm detestabile, de simonia, vbi hæ pœnæ non statuuntur nisi in eos, *qui conuentione facta, quomodolibet dando vel accipiendo, simoniam commiserunt*. vide Nauarr. in cap. Si quando. de Rescriptis, exceptione 4.n.3.& 4.

Pœnæ restringendæ.

150 Ad rationem contrariæ sententiæ Respondeo, Non magis emptionem & venditionem censeri completam, quando res est tradita nondum soluto pretio, quàm dum pretium est solutum re nondum tradita. quod confirmatur supradicta Extrauagante, vbi hæ pœnæ statuuntur in eos, *qui dando vel accipiendo pretium in Ordine vel beneficio simoniam commiserint*: ergo non magis loquitur de eo casu, in quo beneficium est traditum, quàm in quo pretium est traditum, imò magis de hoc loqui videtur.

151 Dico Secundò, Si tamen posteà hæc simoniaca pactio vtrimque in totum vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ, & retrotrahuntur ad tempus pactionis. v.g. collator conuenit cum Petro 100.aureis de dando illi beneficio, & statim illud contulit; sed Petrus nondum soluit pecuniam promissam, nondum incurrerunt pœnas Iuris, nec collatio est irrita. si tamen posteà etiam post menses vel annos Petrus soluerit, iam incursa censebitur excommunicatio ab vtroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractus, & contractus censebitur ab initio nullus, & collatio inualida, vt ostendit Nauarrus cap.23.numero 104. Ita enim seruat stylus Curiæ Romanæ, cui in hac re standum, inquit ille.

Pœnæ retrorsum aguntur.

Vbi Notandus est casus, in quo excommunicatio lata pendet ab euentu futuro, & posito euentu retroagitur ad præteritum, & collatio purè facta similiter est pendens, ita vt neque sit absolutè valida, neque inualida; sed medio quodam & indifferenti modo se habens: posito autem euentu retrotrahitur. si enim pecunia promissa soluta fuerit, collatio resoluetur, censebiturque ab initio irrita, & excommunicatio & inhabilitas ab initio contracta: si autem negata fuerit, collatio ab initio iudicabitur valida, nec vlla censura aut inhabilitas videbitur contracta. 152

Excommunicatio pendens ab euentu futuro.

Collatio pendens.

Hoc autem explicari potest aliquot exemplis. Primò, in amissione emphyteusis ipso Iure incursa; (vt si emphyteuta per triennium soluere pensionem omiserit) quæ amissio ita pendet, vt si dominus directus declaret se velle vt res illa sit amissa, iudicetur amissa cum omnibus fructibus, idque ab eo tempore, quo triennium completum est, quando res Iure in commissum cecidit. si autem non declaret se velle illam restitui, non censebitur amissa, vt dictum est c.24.dub.8.

Explicatur exemplis.

Amissio emphyteusis.

Secundò, In excommunicatione lata contra eum, qui statuto tempore pensionem beneficiariam non soluerit: hæc enim excommunicatio, etiamsi sit latæ sententiæ, non censetur incursa, nisi pensionarius declaret se velle vt sit incursa. qua declaratione posita, retrotrahitur, ita vt censeatur incursa iam inde ab initio, quo cœpit esse in mora; vt docet Nauarr. suprà, & Gigas quæstione 77. de pension.

Excommunicatio.

Tertiò, In statu captiui. si enim is, qui captus est ab hostibus, post aliquod tempus mortuus fuerit, censebitur mortuus fuisse ab initio captiuitatis; si verò postliminio reuersus fuerit, perinde erit ac si semper fuisset in ciuitate. itaque status eius pendet. §. Eius, qui apud hostes, iuncta Glossa, Institution. Quibus non est permissa facultas testandi.

Status captiui.

Quartò, In venditione legati: si enim legatum venditum fuerit ab herede, & legatarius repudiet legatum, valet venditio; si autem acceptet illud, & velit restitui, non valet ab initio; L. Quædam sunt. ff. de rebus dubiis. Idem videre est in omnibus actibus, qui ab alterius ratihabitione pendent; iuxta ea quæ diximus suprà capite 21. dubit. 1.

Venditio legati.

Simili modo, in proposito pendet collatio, excommunicatio, & inhabilitas vsque ad euentum conditionis; qua posita retrotrahuntur hæc omnia. 153

Vnde inferunt DD. eum, qui per simoniam conuentionalem beneficium obtinuit, non teneri dimittere, quia collatio non est absolutè irrita, sed aliquo modo valida, dependenter tamen ab euentu futuro: quo posito, resoluetur ab initio; (sic enim habere stylum Curiæ Romanæ, testatur Nauarrus num.104.) ac proinde tenebitur beneficium dimittere; eritque excommunicatus, & inhabilis ab initio.

Dices, Si excommunicatio illa & inhabilitas retrotrahitur: ergo si quis post contractum simoniacum ante eius implctionem celebret, erit irregularis; celebrat enim in excommunicatione.

Respondeo, Negando sequelam; quia hæc fictio retrotractionis censuræ non sufficit ad inducendam irregularitatem: vt enim incurras irregularitatem ex violatione censuræ, requiritur vt iam

Fictio retrotractionis non inducit irregularitatem.

antè censura absolutè sit incursa ; alioquin non violas censuram : non enim potest violari quod nondum est. Confirmatur, quia appellans à declaratione excommunicationis , de qua dubitare potest an valeat, celebrando non fit irregularis; etiamsi posteà iudicetur illa declaratio legitimè & verè facta; vt docet Felinus in cap. Rodulphus 35. col. vltim. de rescriptis. similiter ignorans suam excommunicationem , celebrando non fit irregularis , cap. Apostolicæ. 9. de Clerico excommunicato : nempe quia bona fide egit , nec voluntariè censuram violauit : ergo multò minùs erit irregularis in casu nostro, in quo censura nondum est ipsa contracta. Hæc tamen retrotractio facit, vt si interim beneficium aliud collatum fuerit , collatio reddatur irrita , quasi tunc fuisset excommunicatus & inhabilis. Ratio diuersitatis est, quia irregularitas pertinet ad damnum, acquisitio beneficij ad lucrum : plus autem requiritur ad damnum incurrendum, quàm ad lucrum non captandum. Vnde etsi retrotractio illa non sufficiat ad damnum contrahendum ; tamen ad lucrum non captandum sufficit. Simili modo ignorantia Iuris excusat ad vitandam pœnam , non tamen ad captandum lucrum , L. Iuris ignorantia. 7. & sequent. 7. de Iuris & facti ignorantia. Vnde collatio beneficij facta excommunicato ignoranti suam excommunicationem, est inualida ; vt docet Glossa in dictum cap. Apostolicæ , & Couarru. in cap. Alma. part. 1. §. 7. numero 3. hic tamen celebrando non fit irregularis. Vide Hugolinum c. 6. tab. 4.

154 *Inhabilitat tamen.*

155 *Quorumdam sententia.*

Aduerte tamen , videri quibusdam hanc retrotractionem non habere locum in foro conscientiæ, quia Canones id non statuerunt, sed solùm in foro externo : nemo enim verè & coram Deo est excommunicatus ante contumaciam , verè autem non est contumax, nisi cùm fecerit illud, quod sub pœna excommunicationis ei erat prohibitum. Deinde contumacia non retrotrahitur : ergo nec excommunicatio , nec pœnæ illam sequentes. Denique hæc retrotractio solùm fit per quamdam fictionem Iuris , vt sic magis puniatur is qui deliquit ; & solùm per stylum Curiæ Romanæ in quibusdam causis est introducta: quod est signum pertinere duntaxat ad forum externum. Vnde in foro conscientiæ pœnæ simoniæ non censebuntur incursæ nisi à tempore completæ simoniæ, nec retrorsum trahentur. quare non tenebitur talis beneficiarius ad restitutionem fructuum interim perceptorum, nec censebitur fuisse inhabilis ad alia beneficia, quam sententiam insinuat Nauarrus cap. 23. num. 104. §. Non ignoro. & docet Henriquez, de excommunicatione cap. 29. & mihi non displicet.

DVBITATIO XXVIII.

Vtrùm pretium simoniacè acceptum, Iure diuino sit restituendum.

156 SVppono, si is qui accepit pretium pro re spirituali , tenebatur eam ex Iustitia gratis conferre , illum Iure diuino ad restitutionem pretij obligari : quia accipiendo pretium , non solùm virtutem religionis , sed etiam Iustitiam commutatiuam læsit : sicut si Iudex pro iusta sententia , aut testis pro testimonio veritatis, pretium exigeret, teneretur ad restitutionem . Hinc Parochus, cui assignata est congrua sustentatio , tenetur ad restitutionem , si pro Sacramentorum administratione mercedem contra Ecclesiæ consuetudinem exigat. Hoc posito sunt duæ sententiæ valdè celebres.

Prior est, Eum, qui accipit pretium pro re spiritali, Iure diuino non teneri ad illius restitutionem. hanc tenet Nauarrus cap. 23. n. 103. & 104. & dicit eam esse communem Canonistarum & Theologorum vsq; ad hoc tempus. eamdem tenet Couarruuias ad regul. Peccatum, part. 2. §. 8. & censet esse communem. & Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 400. Siluester v. Simonia, quæst. 20. in principio. Victoria de simonia part. 2. num. 4. Caietan. artic. 6. & in Summa v. Simonia, cap. 3. sub finem.

157 *1. Sententia , non teneri ad restitutionem.*

Probatur Primò , Quia accepta per simoniam mentalem non sunt Iure diuino restituenda : ergo neque accepta per simoniam externam. Consequentia probatur, quia eodem titulo pretium accipit simoniacus externus, quo internus. parumque refert vtrùm id verbis exprimat, an sola mente. Antecedens probatur ex cap. fin. de simonia , vbi Gregorius IX. à Legato suo consultus , Vtrùm Monachi simoniacè recepti , qui pretium dederant, & Abbates, qui receperant , teneantur ad restitutionem , & resignationem sic acceptorum; respondet , *Ad resignationes spiritalium & temporalium , quæ nullo pacto , sed affectu animi, vtrumque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentes sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori) eos pro simonia eiusmodi non teneri.* ex qua responsione Pontificis euidenter colligi videtur, simoniacos internos non teneri ad restitutionem, nec temporalium acceptorum pro spiritualibus , nec spiritualium acceptorum pro temporalibus. Ideò autem Pontifex dicit eos non teneri, quia Iure diuino naturali non obligantur; Ecclesiasticum enim in hoc casu locum non habet : quia non punit simoniam internam, nec irritam reddit talem conuentionem, sed solùm externam. Addit Caiet. v. Simonia c. 3. responsum Pontificis vniuersè de omni simonia intelligendum.

Cap fin. de simonia.

Probatur Secundò, Si Iure diuino deberet restitui, Pontifex non posset dispensare in retentione pretij ; quod tamen est contra praxim, vt patet Extrauag. Sanè, in communibus de simonia, vbi Vrbanus I V. dispensat vt accepta pro Religionis ingressu retineantur.

Tertiò , Qui exigit pretium pro re spiritali, quam ex officio ei præstare non tenebatur, non facit illi iniuriam : nam res, quæ datur, digna est pretio ; & is , cui datur , non habebat ius exigendi illam gratis à tali ; sed solùm fit iniuria Deo, & rei spiritali ; vt dictum est. vide Victoriam suprà.

158 *2. Iure diuino teneri.*

Altera sententia est , Simoniacum Iure diuino ad restitutionem pretij teneri. Ita tenet Henricus quodlibet. 6. quæst. 26. Adrianus quodlib. 9. art. 3. littera H. Sotus lib. 9. quæst. 8. artic. 1. Bartholom. Medina l. 2. Summæ, cap. 14. §. 21. Ioannes Medina quæst. 4. de vsura restit. §. Ideò videtur. Hæc sententia mihi probatur , adhibita tamen distinctione. vnde

Dico Primò ; Si quis in gratiam alterius patiuet se aliqua re spiritali, & pro incommodo quod inde patitur

Acceptum pro damno non tenetur restituere.

patitur compensationē temporalem exegerit; non tenetur Iure diuino ad restitutionem. Et quidem si incommodum sit temporale, vt cùm quis se spoliat suo beneficio, & in alterum resignat, res videtur clara. Hoc enim damnum per se est pretio æstimabile, ac proinde nulla erit iniuria, si pro eo exigatur compensatio. Idem dicendum de omni alio iure vel re spirituali, ex cuius priuatione incommodum temporale in honore vel fortunis obuenit. Verùm si res illa spiritalis nullum commodum temporale annexum habeat, ita vt ex eius priuatione sustineas solùm incommodum spirituale; res est magis obscura. Tamen adhuc valdè probabile est, te Iure diuino non teneri ad restitutionem, si pro eo incommodo quid acceperis. Vt si Reliquiis Sanctorum vel corona benedicta te priues, nec similia possint recuperari. Probatur, quia nemo in me ius habet vt suâ causâ tenear talia damna gratis subire: ergo non facio illi iniuriam exigendo compensationem temporalem; maximè cùm priuare se bonis spiritualibus, sit magnum damnum subire. Confirmatur, quia is, qui causâ alterius subit damnum temporale, potest exigere compensationem: ergo etiam qui subit damnum spiritale, quod est maioris momenti, & magis vitandum, non peccabit, saltem contra iustitiam.

Dices, Ergo licebit Reliquias vendere.

159 Respondeo, negando conseq. quia agitur contra reuerentiam sanctitati illarum debitam, dum pretio humano æstimantur. non tamen fit iniuria illi, à quo pretium exigitur; quia ius non habet vt sibi gratis dentur. quare multò magis si tibi per vim auferrentur, nec valeres recuperare, posses absque vlla iniuria exigere aliquam compensationem pecuniariam, iudicio prudentis taxandam, pro damno accepto. qui enim damno per iniuriam affectus est, potest exigere compensationem huiusmodi, qualem spes est posse obtinere, vel oblatam acceptare.

Vnde sequitur, Regem Burgundiæ non fuisse obligatum ad restituenda ea, quæ ipsi Imperator Henricus Primus dedit pro lancea in qua clauus vnus Dominicæ crucis continebatur, quam precibus & minis ab eo extorserat; vt scribit Sigebertus ad annum Domini 929.

Dices, Incommodum spiritale non potest æstimari: ergo iniquum erit si aliquid temporale pro eo exigatur. Respondeo, Dicitur non posse æstimari, non quasi sit infra omne pretium, sed quia per se omne pretium excedit, vtpote superioris ordinis. Sicut incommodum infamiæ est inæstimabile, tamen non est contra iustitiam exigere pro eo compensationem temporalem, si causâ alterius sustineatur, vel si famam iniustè abstulit, & nolit restituere; quo casu potest absque iniustitia exigere quanti in animo suo hoc incommodum æstimat; vt si malletamittere 100. aureos quàm illud incommodum sustinere.

160 *Si res spiritalis habet commodum temporale.*

Dico Secundò, Conferens pretio aliquid spirituale, quod annexum habet commodum temporale, Iure diuino non tenetur ad illius pretij restitutionem: vt si quis Canonicatum, Decanatum, Episcopatum venderet, si ad Religionē pretio admitteret: & in hoc casu sentio priorem sententiam esse veram. Et satis probari potest ex cap. illo finali, de tali enim casu loquitur Pontifex; admissio enim in Religionem, coniunctum habet commodum alimentorū per totam vitam, quod sanè magno pretio apud homines æstimatur. si tamen hoc pretium esset iudicio prudentis excessiuum, ille excessus Iure naturæ esset restituendus; quod eo ferè modo in beneficiorum, quo in officiorum sæcularium venditione definiendum esset.

Dices, Collatores non sunt domini beneficiorū, sed solùm dispensatores: atqui dispensator tenetur gratis dispensare bona domini sui; præsertim quādo pro officio suo stipendia assignata habet: aliōquin pro eadem re duplex stipendium acciperet. collatores autem beneficiorum habent amplissima stipendia, ratione quorum tenentur munia Ecclesiastica (inter quæ est collatio beneficiorum) obire: ergo si aliquid amplius acceperint, Iure diuino tenentur ad restitutionem. 161 *Obiectio. Collatores sunt dispensatores.*

Respondeo, Tenetur quidem dispensator gratis dispensare vt non peccet; non tamen ita vt semper teneatur ad restitutionem, si gratis non fecerit: tum quia ordinariè stipendia illa non sunt ei assignata pro munere collationis, sed pro aliis functionibus Ecclesiasticis; sicut Regi non dantur tributa pro munere distribuendi officia Reipub. sed pro regni administratione; tum quia non exigit illud pro illa functione, veluti mercedem illius operis; sed veluti compensationem pro emolumento, quod tibi conferre non tenebatur. Simile accidit in venditione officiorum. Quòd enim exclusis aliis te præferat, & suum affectum ad te determinet, magno pretio est æstimabile. Vnde sæpè munera non parua offerri solent ad affectum alterius alliciendum. Deinde priuat se potestate alteri gratificandi, à quo fortè maiorem beneuolentiam & gratitudinem expectabat. Addo, non videri dubium, quin non sit contra iustitiam, si Ecclesia permittat. Sicut venditio officiorum publicorum non est contra iustitiam, permittente Regno vel Rege permissionem Regni habente. Quia dominus potest permittere suo dispensatori in rebus maximi emolumenti, vt aliquam compensationem ab iis, quos tanto beneficio afficit, exigat. Hanc tamen assertionem intellige de supremo collatore, qui est Pontifex; & de inferioribus, hoc supposito, quòd eis per Superiorem non sit potestas alicuius compensationis & emolumenti exigendi adempta. si enim hæc adempta sit, tenebuntur Iure diuino ad restitutionem. vide suprà dub. 2. & 4. *Respōn.*

Dico Tertiò, Si quis pretio conferat aliquid spiritale absque suo incommodo, quod non habet annexum commodum temporale, (vt sunt Sacramenta & sacramentalia) Iure diuino tenebitur ad restitutionem pretij, nisi vel putetur gratis donatum, vel non excedat rationabile stipendium sustentationis. Hanc tenent Auctores secundæ sententiæ. 162 *Si res non habet commoda temporalia annexa.*

Probatur Primò, Quia tales res spiritales non habent aliquid temporale, ratione cuius iudicio communi possint censeri tanti vel tanti valere; ac proinde naturâ suâ postulant vt gratis dispensentur: & ex altera parte fideles habent ad illas ius diuinitus concessum, vt à ministris Ecclesiæ possint eas petere, nec ad aliud teneantur, quàm ad ministrorum sustentationem: ergo si ministri aliquid amplius exigant, tenentur Iure diuino ad restitutionem. si enim ministri illas dispensantes non habent ius nisi ad alimenta (eò quòd non sint domini, sed dispensatores tantùm) euidens est, eos non tantùm rei spiritali vel Deo facere iniuriam, sed etiam in proximum committere iniustitiam, si *Fideles solùm tenentur ad sustentationem.*

amplius

amplius exigant; & consequenter teneri ad restitutionem eius, quod supra alimenta acceperint. Rursus, si fideles pro administratione omnium Sacramentorum & sacramentalium Iure naturæ non tenentur nisi ad ministrorum congruam sustentationem, iniuria illis fit, si amplius ab eis exigatur, ac proinde Iure naturæ restitui debet.

163 *Res spirit. superant omne pretium.* Secundò, Res spiritales superant omne pretium: ergo quantumuis magnum pretium quis exegerit, Iure diuino non tenebitur ad restitutionem. non enim est ratio cur magis teneatur ad restitutionem si multùm exegerit, quàm si parum, si vtrumque superat congruentem sustentationem ministri, & vtrumq; detur non liberaliter, sed quia aliter res spiritalis, qua eget, obtineri nequit. Vnde si quis exegisset decem millia aureorum pro baptismo, absolutione, vel communione, non teneretur ad restitutionẽ: quod sanè absurdum est. quis enim non iudicet illum iniquè extorsisse tantam summã, eamque solùm datam quasi redimendæ vexationis causa? Confirmatur, quia qui illam dedit, potest eam repetere tamquam iniustè exactam, & vti occulta compensatione, si alia ratio non suppetit recuperandi.

Obiectio 1. Dices, Iste minister non tenetur hoc Sacramentum ex iustitia huic administrare, cùm non sit eius Parochus, vti suppono: ergo non facit huic iniuriã, si pro eo pretium exigat, modò non amplius exigat, quàm res valeat: sicut si non teneor tibi ex iustitia dare panem in extrema necessitate, non facio tibi iniuriam, si pro eo pretium exigam, nisi si amplius exigam quàm valeat.

Solutio. Respondeo, Negando consequentiam: etsi enim non teneatur ex iustitia conferre; si tamen conferre velit, vel si contulit, tenetur ex iustitia non amplius exigere, quàm stipendium sustentationis: ad amplius enim ius non habet. Neque simile est de pane; quia non teneor panem tibi dare gratis si habes quo soluas; est enim res natura sua & recepto hominum vsu vendibilis.

164 *Obiectio 2.* Dices secundò, Qui soluit pretium pro Sacramento, soluit illud voluntariè: ergo transfert dominium: etsi enim mallet habere gratis; tamen omnibus consideratis, absolutè vult illam pecuniam soluere: vnde cùm hoc Sacramentum non sit ei ex iustitia debitum, & aliàs pluris valeat, censetur satis voluntariè dare ad dominium transferendum.

Respon. Non datur volũtariè, nisi voluntate per iniuriam extorta. Respond. Primò, Illud voluntarium esse extortum per iniuriam; (ideò enim vult dare, quia exigitur; in illa autem exactione est iniuria: sicut cum quis exigit aliquid pro eo, quod gratis facere tenebatur) ac proinde non ita transfert dominium, quin possit repetere. imò alter sponte tenebitur restituere, propter iniuriam, qua extorsit. Secundò, Negari potest transferri dominium; quia non intendit donare, sed solùm soluere quatenus debet, seu quatenus alter iustè potest exigere; non enim intendit cedere iure suo quod habet, vel alteri dare amplius iuris quàm habet: sicut qui soluit vsuras, non transfert dominium; quia non intendit vsurario plus iuris dare, quàm ei debeatur: vt enim ibi deest titulus cur soluantur vsuræ, ita hîc deest ius ad pretium exigendum.

165 *Ad argumenta initio allata.* Ex dictis facile est soluere argumenta alterius sententiæ.

Ad Primum, Illud caput variè à DD. explicatur. Vide Sotum l.9.q.8.art.1. ad sextum, vbi aliquot expositiones refert, & refutat: deinde ponit suam nihilo meliorem, quam fusè refutat Petrus Nauarra; & meritò, quia omnino falsa. Sed dicendum breuiter, Pontificem loqui de admisso ad Religionem pro pecunia, & hanc pecuniam non esse necessariò restituendam, nempe quia retineri potest à Monasterio pro alimentis Religiosi: nulla autem erat ratio vniuersè de omni simonia respondendi, quidquid Caietanus & alij dicant: quia non nisi de certa specie rogabatur: cur enim Pontifex sine vlla necessitate de re tam obscura vniuersè definiat?

Ad Secundum Respondeo, Pontificem non posse dispensare in retentione pretij, nisi quando res spiritalis aliquid temporale annexum habet pretio æstimabile, vel quando incommoda coniuncta eius alienationi, iuxta primam & secundam propositionem.

Ad Tertium: Satis constat ex dictis, eum, qui pretium exigit sustentationem superans, iniuriam facere; & quamuis alter non habeat ius vt sibi conferatur omnino gratis, non tenetur tamen amplius dare, quàm quod ad conuenientem sustentationem pertineat.

Dvbitatio xxix.

Vtrùm res spiritualis per simoniam acquisita, sit Iure diuino dimittenda.

166 QVidam DD. sentiunt esse dimittendam. Ita Adrianus quodlib.9.art.3.littera I. Armacanus nd.10.quæstionum Armeniacarum c.23. vbi generatim docet, quoties peccatum dat causam prouisioni, prouisum teneri beneficium sic acquisitum resignare; vt si ambitione, mendacio, hypocrisi, vel adulatione adeptus est.

Non tenetur Iure diuino resignare. Sed communis ferè sententia DD. est, non teneri Iure diuino resignare. vide Nauarrum c.23.n.103. & 104 & Couarr. reg. Peccatum p.2.§.8. Probatur de beneficio, de quo potissimùm est difficultas; huius enim collatio fuit valida: nam in collatore fuit potestas & voluntas transferendi beneficij, v.g. in Petrum, & Petrus fuit capax, & habuit voluntatem acceptandi. hæc autem in quauis re sufficiunt ad transferendum dominium, seu ius in re. Nec obstat Primò, Quòd aliquid pro illa translatione sit datum; quia etsi hoc sit contra honorem diuinum, non tamen adimit collatori potestatem conferendi, nec collatarium reddit incapacem ad acceptandum, vt patet in Sacramentis. Secundò, Per alia peccata homo non efficitur Iure diuino incapax beneficij: ergo neque per peccatum simoniæ: ergo non tenetur resignare, modò pœniteat eum peccati. Tertiò, Si talis collatio esset irrita, sequeretur, eum, quo ignorante & prohibente simonia commissa est, teneri ad restitutionem, (quia obtinet per simoniam) quod tamen falsum esse constat ex cap. Sicut tuis litteris, de simonia. Quartò, Professus per simoniam est verè Religiosus, vt omnes docent: ergo etiam consecutus beneficium per simoniam, est verè beneficiarius, secluso Iure positiuo. Quintò, Probatur allata ratione. Ideò tenetur venditor rei spiritalis restituere pretium, quia per iniuriam exegit: atqui hæc ratio non habet locum in emptore, quia emptor nullam iniuriam facit venditori, si pretium offerat pro re spirituali: ergo non tenetur eam restituere.

Dices

Obiectio. Dices Primò, cap. 116. Si quis. 1.q.1. Gregor. I. significat, eum, qui simoniacè sacerdotium vel dignitatem acceperit, nisi sponte reliquerit, in æternum periturum.

Respon. Respondeo, Inde non sequitur, eum Iure diuino teneri resignare beneficium, aut esse suspensum ab executione sacerdotij; sed Iure Ecclesiastico valdè antiquo, quod iam tempore Gregorij vigebat.

167 *Obiectio.* Dices Secundò, Ille accepit contra voluntatem Domini, qui sicut iubet gratis dari, ita etiam vult gratis accipi: ergo non potest retinere.

Respons. Non retinet contra Domini voluntatem. Respond. Neg. consequentiam. etsi enim collatio & acceptio simoniaca sit contra Domini voluntatem; (quia cùm fit, absque debita reuerentia tractatur res spiritalis, dum instar rei profanæ cum temporali commutatur) tamen postquam facta est, in retentione non est iniuria, nec agitur quidquam contra Domini voluntatem, modò debitè administretur. sicut qui Ordinem sacrum accipit in peccato, accipit illum contra Domini voluntatem, tamen non fungitur eo contra Domini voluntatem, vbi peccatum illud pœnitentiâ deleuerit.

Dvbitatio xxx.

Vtrùm omne id, quod simoniacè acceptum est, Iure Ecclesiastico debeat restitui.

168 *Solum beneficium dimittendum.* Respondeo & Dico Primò, Si loquamur de re spiritali simoniacè accepta, non tenemur eam restituere; nisi sit beneficium Ecclesiasticum: hoc enim debere dimitti Iure Ecclesiastico, patet Extrauag. Cùm detestabile, de simonia. Sub *beneficio* aliqui pensionem spiritalem comprehendunt, quia videtur eadem ratio, maximè vbi Bulla Pij V. recepta. Sed contrarium verius. quia pensio non est verè beneficium Ecclesiasticum, cùm non sit ius perpetuum; nam extinguitur cum pensionario, vtpote fauor personalis, vt dictum est suprà cap. 34. num. 3. Cetera autem spiritalia vel dimitti non possunt, vt sunt Sacramẽta; (nisi quoad vsum, quod solùm habet locum in Ordinibus, à quibus simoniacè ordinatus suspenditur) vel non sunt dimittenda ante sententiam, quia Canones aliud de illis non statuerunt. sic simoniacè admissus in Monasterium, non tenetur illud ante sententiam dimittere. Idem puto dicendum de Reliquijs simoniacè comparatis, metallis benedictis, iure patronatus, licentia eligendi confessarij &c.

Obiectio. Dices, Omnis pactio in spiritalibus est irrita, & nullius momenti; vt habetur cap. fin. de pactis, & cap. Præterea, de transactionibus, & alibi.

Respondeo, Inde tantùm sequi, rem spiritalem, quæ restitui potest, esse restituendam, si repetatur, & pretium pro ea datum restituatur; non autem altero non repetente, aut nolente pretium reddere: etsi enim pactum sit irritum, non tamen obligat ad mutuam restitutionem cum damno partis, nisi Superior in pœnam cogat.

169 *Pretium restituendum.* Dico Secundò, Quod ad pretium attinet, illud Iure positiuo restituendum.

Primò, Si acceptum pro beneficio, vt patet cap. De hoc, de simonia. vbi Alexander III. Toletano Archiepiscopo scribens ait: *Regem & Principes eius debes inducere, vt si qua receperint à præfato Episcopo, vt eius electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Exoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine graui suæ salutis periculo retinere non possint.*

Secundò, Si acceptum pro collatione Ordinum, vel aliorum Sacramentorum, aut sacramentalium; & notabiliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, iuxta ea quæ diximus dubit. 28. Sed hoc Iure diuino potiùs quàm Ecclesiastico restituendum. Imò Ius Ecclesiasticum nihil inuenitur ea de re disposuisse.

Tertiò, Si acceptum pro admissione in Religionem; cap. Veniens. 19. de simonia. vbi Pontifex mandat, vt Abbas & Monachi compellantur restituere id quod acceperant à quodam, vt eum in Monachum admitterent. Puto tamen eos ad hoc non teneri ante sententiam, si admissus in eo Monasterio permaneat; quia ratione alimentorum videtur posse retineri. Quod confirmatur, quia restitutio ante sententiam esset facienda ei qui admissus est, vel parentibus, qui eius nomine dederunt; atqui hi consentiunt vt pro alimentis retineatur. Adde, Vrbanum IV. Extrauag. Sanè, in communibus de simonia, permittere vt sic acceptum retineatur, modò non in priuatum vsum Abbatis vel Abbatissæ, sed in communem vsum Conuentus conuertatur. *Non tamen ante sententiam, si pro admissione ad Religionem.*

Dvbitatio xxxi.

Cui debeat fieri restitutio pretij, & an ante sententiam Judicis.

170 *Datum, re spiritali non tradita, restituendum danti.* Svpponò, si aliquid temporale acceptum sit pro conferendo beneficio, vel alia re spiritali, non secuta collatione, Iure naturæ restituendum ei à quo acceptum est. Ita Victoria, relectione de simonia, p. 2. n. 6. Caiet. v. Simonia, c. 3. Sotus l. 9. q. 8. ar. 1. ratio est manifesta; quia deest titulus cur possit retineri, cùm illud, pro quo datum est, non præstetur, ac proinde debet reddi ei à quo acceptum; cùm Iura non iubeant alteri dari. Couarruuias tamen ad regul. Peccatum, p. 2. §. 2. nu. 7. in fine, putat restituendum in pios vsus. sed solùm probat, non posse repeti in foro externo.

171 *Sententia Soti, &c.* Si verò beneficium sit traditum, ita vt vtrimque simonia sit completa, sunt duæ sententiæ DD. Quidam enim putant, pretium acceptum in hoc casu ante sententiam Iudicis esse restituendum ei qui dedit; post sententiam, cui Iudex addixerit. Ita Sotus lib. 9. quæst. 8. art. 1. Bañes 2.2. quæst. 32. art. 7. & multi DD. huius ætatis. Ratio est, quia is, qui pretium dedit, non amisit pretij dominiũ: non enim transtulit eius dominium in venditorem rei spiritualis; cùm hic Iure sit factus incapax illius dominij hoc titulo capiendi: ineq; ille intendit à se abdicare dominium alia ratione, quàm transferendo in venditorem: ergo cùm in hunc non sit translatum, verè mansit apud emptorem: ergo illi restituendum. Si dicas, Ecclesiam illum priuasse dominio; Respondent, Talem priuationem non fieri nisi per legem pœnalem, quæ neminem ante sententiam ita re sua priuat vt eius dominium amittat. Hæc sententia non est improbabilis. *Restituendum ei qui dedit.*

Contraria tamen, id est, etiam ante sententiam Iudicis pretium illud esse restituendum Ecclesiæ, est multò probabilior & verior. Tenet D. Thomas 2.2. q. 32. art. 7. vbi dicit, *pretium simoniacum non* *Altera verior, esse restituendum Ecclesiæ.*

non esse restituendum danti, sed in eleëmosynas erogandum. Idem expresè docet q.62.ar.5. ad secundum. neque intelligit post sententiam Iudicis, sed absolutè; explicat enim de quibus possit fieri eleëmosyna. Silvester v.Simonia, q.20.dicit *esse dandum Ecclesiæ, in cuius iniuriam simonia est cõmissa; nisi Episcopus & Capitulum sit particeps simoniæ; tunc enim dandum pauperibus, vel alteri Ecclesiæ.* Couar.ad reg.Peccatum,p.2.§.2.nu.7. dicit hanc esse communem DD. sententiam. Idem tenent Victoria & Caietanus suprà. Deniq; DD. omnes, quod sciam, qui fuerunt ante Sotum; Canonistæ in cap. De hoc, & cap. Audiuimus. 41. de simonia. Probatur ex dicto cap. De hoc. 11.vbi Pontifex apertè dicit, *Regem & Principes inducendos vt restituant Ecclesiæ*; loquitur autem ante sententiam, & in foro conscientiæ; & cap. Audiuimus, eodem tit. vbi præcipit vt Episcopi, *si aliquid exegerint vt permittant in Ecclesiis sibi subiectis Clericos institui, Monachos profiteri, mortuos sepeliri, restituant duplum, applicandum in vtilitatem loci, in cuius dispendium id factum.* Intelligit *ante sententiam.* quia ordinariè non est Iudex, qui Episcopos de his condemnet. & ita parum vtilis esset illa constitutio. Tertiò, Contra mentem Ecclesiæ est vt restituatur danti; quià Ecclesia intendit vtrumque punire. Nec obstat, quòd pœna non dicatur deberi ante sententiam; quia quòd ille teneatur rem illam, quæ sua non est, dare Ecclesiæ, vel expendere in pios vsus, non est pœna, sed simplex præceptum: cùm enim non possit eam retinere, graue non est ei quòd debeat illam tali modo expendere. Similiter non obstat, quòd non sit vlla constitutio Ecclesiæ, qua dans, hoc ipso quo dat, amittat dominium, quia id non esse necesse: fateor enim manere dominium apud dantem; & ideò si ei restituatur, posse retinere, quia non ipse, sed qui accepit, iubetur in pios vsus expendere: vnde non priuatur dominio vi legis immediatè, sed actu & restitutione facta per accipientem, ex præcepto legis. Lex enim potest iubere, vt rem alienam, quæ apud te est, expendas in pauperes, quando iusta causa subest, & hoc ipso, quo datur pauperibus, prior dominus amittit dominium. hæc est mens Canonum citatorum.

172 *Ad argumenta.*

Dices, Cap. Veniens, de simonia, pretium iubetur restitui illi, à quo acceptum, nempe Monacho simoniacè recepto, qui illud dederat. 173 *Fructus cui restituendi.*

Respondeo, Id ideò factum, quia ille absque culpa dederat, (fuerat enim pecunia ab eo prætextu consuetudinis exacta) & volebat se ab eo Monasterio expedire; vt rectè Couarruuias suprà, & Hugolinus cap.2.§.1.tabul.4. quòd si ipse peccasset, non fuisset ei restituta, sed fuisset conuertenda in vsus Ecclesiæ Monasterij, vel potiùs in eleëmosynam pauperum.

Petes, Cui sunt restituendi fructus percepti ex beneficio simoniacè accepto?

Respondeo, Hi fructus restituendi sunt, etiam ante Iudicis condemnationem; quia ex re aliena non bona fide percepti. restituendi autem sunt vel ærario Apostolico; vnde super illis potest fieri compositio cum Pontifice; vel Ecclesiæ, vel in pios vsus, vt docet diuus Thomas artic.6.ad quartum: vel etiam successori, vt docet Nauarrus libro 5. consil.62. de simonia. puta, vbi est consuetudo vt fructus beneficij vacantis dentur successori. 174

SECTIO SEXTA.

DE RELIGIONE.

Religio prima pars Iustitiæ.

EXPLICATIS ijs quæ ad Iustitiam *strictè acceptam pertinent, sequitur vt agamus de* Religione, *quæ inter partes Iustitiæ primum locum obtinet. Est enim* Religio, *vt hìc accipitur, Iustitia quædam creaturæ ad Deum, qua ipsa suo creatori debitum cultum & honorem persoluit. Vnde ipsa primum & summum debitum, quod in homine nasci potest, respicit, hominemque inclinat, vt illud, quantum fieri potest, suo auctori exsoluat. Aliquando accipitur pro statu eorum, qui certis votis obstricti sunt Deo, de quo infrà suo loco. Continebit ista sectio capita decem. Primum erit, De religione in genere. Secundum, De oratione & laude Dei. Tertium, De sacrificio & adoratione. Quartum, De decimis. Quintum, De voto. Sextum, De statu Religioso. Septimum, De iuramento & adiuratione. Octauum, De superstitione, eiusque speciebus. Nonum, De magia. Decimum, De irreligiositate.*

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De Religione in genere.

Constat Dubitationibus 4.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit religio. *D.Thomas quæst.81.*

1 RELIGIO Græcis dicitur θρησκεία à Thracibus ducta origine, vt quidam volunt, apud quos plurimum cæremoniæ viguere, (hinc ἐθελοθρησκεία apud Apostolũ ad Colossenses 2. id est, arbitrarius cultus) & θεοσέβεια, id est, cultus Dei. Nomen *Religio* ductum est vel à *relegendo*, quòd ea, quæ ad Dei cultum pertinent, sæpè animo sint reuoluenda, & veluti relegenda, vt vult Isidorus lib.10. Etymologiarum, cap.17. ex Cicerone: vel à *reeligendo*, quòd per eam, Deum, quem per peccatum reiecimus, reeligamus, vt inquit Augustinus lib.10. de ciuitate cap.4. vel à *religando*, quòd Deo nos astringat & alliget; ita Lactantius lib.4. diuin.instit.cap.28. D.August.l.1. retract.cap.13. & D. Hieronymus in cap.9. Amos, quæ deriuatio maximè videtur nomini & rei consentanea.

Religio vnde dicta.

2 Definitur à D.Augustino l.83.qq. q.31. ex Ciceronе hoc modo: *Religio est virtus, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, cultum cærimoniamque adfert.* Planiùs sic, *Religio est virtus, quæ debitum cultum Deo, tamquam primo rerum omnium principio exhibet.* vbi

Quid sit.

Notandum est, sicut hominibus ob potentiam, sapientiam, virtutem, & cuiusuis perfectionis excellentiam, debetur quidam cultus, seu honor, quo illam eminentiam cum quadam nostri demissione testemur; ita Deo ob singularem & infinitam excellentiam in omni genere perfectionis, quam habet vt Deus est, seu vt primum principium & supremus omnium Dominus, debetur quidam singularis honor, veluti tributum quoddam ab omni creatura rationali; quo illius excellentiam, & suam subiectionem & in omnibus dependentiam testetur. Ad hunc honorem exhibendum inclinat *religio*. Itaque obiectum religionis est omne testimonium, & signum siue internum, siue externum, quo diuinam excellentiam cum quadam nostri submissione protestamur. Dico, *cum quadam nostri submissione*, quia non solùm Deo debitum est vt ipsius excellentiam testemur nudè & abstractè; sed etiam vt eam testemur respectu nostri, profitendo nostram subiectionem & dependentiam ab ipso; vt ait D.Thomas artic.3. & hoc ipsum, nomen *cultus* insinuat, quod submissionem inuoluit. vnde *religio* vtrumque profitetur: ac proinde non potest esse nisi in creatura, & respectu sui principij.

Cur debeatur cultus.

3 *Obiectum religionis.*

Cui competat.

4 Dices, Se alteri submittere, & hanc submissionem aliquo signo profiteri, est officium humilitatis: ergo non pertinet ad religionem.

Actus humilitatis.

Respondeo negando consequentiam; quia diuersa ratione ad diuersas virtutes spectare potest. Est enim actus humilitatis, si fiat quia congruit nostræ vilitati, vt intra limites nostræ conditionis nos contineamus, ne per elationem extra eos feramur. Est actus religionis, si fiat animo declarandi eminentiam diuinam, seu vt ipsam honoremus submissione nostri.

Ex his facilè potest intelligi definitio assignata. 5 *Explicantur singulæ partes.*
Est igitur religio *virtus*, quia habentem bonum efficit, eiusque opus bonum reddit & laudabile, laudabile enim Deum colere. In hoc autem consistit ratio virtutis, vt sæpè docet D. Thomas ex Aristot. 2.ethic.cap.6. *Quæ cultum exhibet. Cultus* idem est hoc loco, quod honor, non simpliciter, sed cum quadam submissione nostri exhibitus: quam submissionem honor in genere non includit. Deus enim honorat Sanctos, non tamen colit. itaque honor est quid communius cultu. Porrò *honor* generatim nihil est aliud, quàm testimonium excellentiæ alterius, siue id verbis fiat, vt cùm aliquis laudatur; siue gestu corporis, vt genuflexione, apertione capitis, submissione corporis: siue rebus externis, vt erectione statuæ, descriptione elogij, institutione festorum, ludorum, & similibus. hæc enim omnia sunt signa quædam, quibus alterius excellentiam significamus, ac proinde illum honoramus. *Deo debitum.* Cùm enim Deus, quà Deus, infinita excellentiâ in omni genere perfectionis simplicis & puræ sit præditus, peculiari honore supra omnes creaturas est dignus: cumque idem sit primum principium, à quo omnia habent esse, vitam, & omnia; nascitur in creatura rationali, quæ hoc potest apprehendere, obligatio & debitum vt hunc honorem ei deferat, & in Deo ius vt illum exigat. Itaque hoc debitum fundatur in essentiali dependentia creaturæ rationalis, & omnium bonorum eius à Deo. sicut enim Principi, quia ab eo quodammodò dependet tranquillitas publica, & felix status Reipublicæ, debetur honorarium quoddam tributum, quo eius potestatem & beneficentiam, nostramque subiectionem profiteamur: ita Deo, quia ab ipso dependet esse, vita, & bonum omne nostrum, debetur singularis honor, veluti quoddam tributum, quo hoc ipsum cùm profunda nostri submissione testemur. Itaque illis verbis, *tamquam primo rerum omnium principio*, significatur simul causa cur Deus hoc cultu sit dignus, (ratio enim primi principij includit vel supponit omnem excellentiam perfectionis) & cur à creatura ei sit debitus.

Cultus.

Debitum religionis.

Vt hæc meliùs intelligantur, Notandum est, 6 in officio religionis quatuor actus spectari posse,

Quatuor actus in officio religionis.

qui quò perfectiores sunt, eò perfectior est huius virtutis functio. Primus est, Consideratio infinitæ maiestatis Dei, & omnia ab ipsa pendere. Secundus est, Consideratio nostri nihili ; id est, nos ex nobis nihil esse, nihil habere ; sed quidquid sumus & habemus, Dei esse, & à Deo assiduè pendere. Tertius, Profunda mentis submissio & inclinatio coram Deo, qua mens hæc ipsa interiùs testetur. Quartus, Eorumdem professio exterior, verbis, gestu corporis, vel alijs modis.

Primus & secundus supponuntur religioni tamquam fundamentum.

Actus internus religionis.

Tertius, nempe submissio illa, est actus interior religionis, qui etiam in Angelis reperitur ; & continet duos actus ; alterum voluntatis, qui est affectus reuerentiæ, quo interna illa honoraria inclinatio est volita ; alterum intellectus, quo eadem præstatur & executioni mandatur. cùm enim Angeli non habeant corpora, non colunt Deum signis corporalibus, sed spiritalibus, quæ non videntur esse alia quàm apprehensiones intellectus, aut locutiones spiritales : nulla enim in rebus spiritalibus possunt esse signa his meliora aut significantiora. sicut ergo homo alterum honorat, submittendo se illi gestu corporis, ita illi Deum honorant, submittendo se illi signis spiritalibus, nempe profitendo spiritali locutione ipsius maiestatem & suum nihilum respectu ipsius, & omne bonum ab ipso descendere, seque totos ad ipsius obsequium offerendo. idem facit homo interiùs implicitè vel explicitè dum Deum honorat.

Quartus actus, scilicet exterior submissio in hominibus, immediatè est signum internę submissionis. nam, vt ait D. Augustinus lib.10. de ciuitate cap.5. *sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij est sacramentum*, id est, *sacrum signum*. mediatè verò est signum diuinæ excellentiæ, & dependentiæ rerum ab ipsa. Sic voces immediatè sunt signa conceptuum & affectionum animi ; mediatè verò ipsarum rerum.

Dvbitatio II.

Vtrùm religio à ceteris virtutibus distinguatur, & quomodo.

D. Thomas quæst.81.art.3.4.5.

7 *A temperantia & fortitudine.*

Respondeo & Dico Primò, Religionem distingui ab iis virtutibus quæ hominem rectè componunt in seipso, seu non ad alterum, vt à temperantia & fortitudine : nam religio disponit hominem ad functiones, quæ in alterum tendunt : temperantia verò & fortitudo ad functiones, quæ tantùm ipsum subiectum respiciunt.

8 *A iustitia & misericordia.*

Dico Secundò, Distinguitur etiam ab omnibus iis, quæ hominem disponunt in officiis ad proximum ; vt à misericordia & iustitia particulari. quia religio disponit hominem ad Deum.

Iacobi 1.

Dices, Iacobi 1. dicitur, *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* hîc religio constituitur in operibus misericordię, quæ sunt ad proximum, & in custodia sui à peccatis, quæ per omnes virtutes agitur.

Respondeo, Esse locutionem causalem : vera enim religio hos effectus parit, ideoque illorum nomen per metonymiam accipit, & hi effectus sunt signum veræ religionis : nemo enim hæc præstat, nisi vera religione imbutus. sic prioris ad Corinthios 13. dicitur : *Charitas patiens est, benigna est*, &c. Adde, Apostolum non velle explicare quid sit religio, sed qualis religio constituat hominem mundum & immaculatum ante Deum ; ea nimirum, quæ habet illos effectus.

Dico Tertiò, Distinguitur etiam à virtutibus theologicis. Ita diuus Thomas articulo 5. *A fide* quidem, quia fides est virtus intellectus, religio affectus. Sæpè tamen *fides* vocatur *religio*, quia est religionis fundamentum & regula. sic vera fides dicitur vera religio ; falsa fides, religio falsa. Verùm cùm fides non solùm sit habitus intellectus, sed complectatur etiam habitum quemdam voluntatis, nempe piam affectionem ad credendum Deo reuelanti, quæ actum fidei imperet, ratione cuius ipsum credere est liberum & meritorium ; difficultas est quomodo religio ab hoc affectu distinguatur. Sanè parum videtur differre. quia actus fidei pertinet ad honorem primæ veritatis. Potest tamen inueniri aliquod discrimen. Primò, quia religio versatur circa suos actus externos, vt sunt signa diuinæ excellentiæ : sub ea enim ratione sunt à religione voliti. At affectus credendi non ita versatur circa actus fidei : non enim considerat actus fidei vt signa primæ veritatis, neque sub ea ratione illos vult ; sed vt sunt vitales assensus, quos illud obiectum, nempe res credenda sic proposita, & à diuina auctoritate veluti informata, eleuata, & illustrata postulat. Secundò, quia tota ratio cur religio suum actum externum imperet, est, vt Deo honorem deferat, eiusque excellentiam testetur. At ratio cur affectio credendi imperet ipsos actus fidei, non est vt honorem Deo exhibeat (etiamsi ob hunc finem possint imperari) sed quia materia ipsa diuina auctoritate confirmata, id postulat ; vel (quod ferè idem est) quia obligatio ad illum actum orta ex reuelatione sufficienter proposita id requirit. Et sic est peculiaris virtus habens peculiarem materiam, in qua considerat propriam honesti rationem. Posset etiam dici, hunc affectum pertinere ad quamdam iustitiam hominis erga Deum, quia actus ille debitus est primæ veritati tamquam necessarius, vt non censeatur contemni aut vilipendi. Nolle enim credere viro grauissimo affirmanti, est quodammodò contemnere, & paruam de illo habere existimationem. Quà in re esse iniuriam, patet communi hominum iudicio, qui hoc iniuriam interpretantur ; & meritò : nam continet quemdam contemptum & vilipensionem alterius absque causa, quæ non minùs est contra iustitiam quàm temerarium de illo iudicium. *A spe & charitate* distinguitur, quia hæ virtutes immediatè attingunt ipsum Deum, tamquam proprium obiectum : charitas enim amat Deum vt ipse est bonum suum ; vult enim ipsam diuinitatem, & omne bonum, ipsi Deo, vt ipsi in se benè sit : spes illum desiderat & sperat vt est bonum nostrum.

9 *A theologicis.*

Affectio credendi, an distinguatur à religione.

Itaque

Itaque inclinant in actum internum, qui proximè versetur circa ipsum Deum. Religio verò non versatur immediatè circa Deum, sed circa cultum Dei, id est, circa signa interna vel externa, quibus Deus honoratur & colitur.

10 *Obiectio 1.* Dices Primò, Obiectum formale religionis est excellentia diuina: ergo versatur proximè circa Deum, ac proinde est virtus theologica. Antecedens probatur, quia sicut Deus propter suam bonitatem diligitur *charitate*; ita propter diuinitatis excellentiam colitur *religione*: & sicut Deo credimus per fidem, propter auctoritatem diuinam; ita ei honorem exhibemus ob excellentiam infinitam.

Respon. Religionis obiectum. Respondeo, Excellentiam diuinam propriè non esse obiectum religionis; sed cultum diuinum, qui est actus externus religionis. illud enim est obiectum virtutis, in quod ipsa virtus immediatè tendit: atqui religio tendit immediatè non in excellentiam diuinam, sed in eius cultum: est enim affectus quidam erga cultum diuinum, quatenus Deo debitus est & congruens. vnde ratio debiti & congruentis Deo in cultu diuino spectata, est ratio formalis obiectiua religionis. cùm enim religio sit iustitiæ pars, necessariò respicit debitum alteri. Confirmatur à simili; nam ita se habet religio ad Deum, sicut Iustitia particularis ad proximum: atqui proprium obiectum Iustitiæ particularis non est proximus, sed res proximo debita: ergo similiter obiectum religionis non est Deus aut excellentia diuina, sed cultus Deo debitus; vt sacrificia, oblationes, laudes, orationes, vota, imagines, & omnes cærimoniæ, quibus diuinitas honoratur. excellentia tamen diuina est obiectum formale cultus diuini: est enim ratio cur Deus sit colendus. Quare cùm cultus diuinus sit actus externus religionis, quem religio tamquam proximum obiectum respicit, sequitur Deum esse obiectum remotum religionis, quia est id, cui ob suam excellentiam religio cultum defert. Vnde Caietanus articulo 5. & passim DD. distinguunt duplex obiectum religionis, propinquum, & remotum. Propinquum vocant *obiectum quod*; id est, quod ipsa virtus appetit & affectat; & hoc est cultus diuinus. Remotum, *obiectum cui*, id est, cui aliquid exhibet: hoc est ipse Deus, propter suam excellentiam.

Obiectum cultus diuini est excellentia diuina.

Obiectum quod, & obiectum cui.

Obiectum virt. theol. At virtutes theologicæ proximè in Deum tendunt, & ipsum immediatè per suum actum internum attingunt, vt ostensum est. Deinde si in illis velimus distinguere *obiectum quod* & *obiectum cui*, Deus non solùm est *obiectum cui*, vt in religione; sed etiam *obiectum quod*. Id enim quod charitas Deo vult, est potissimùm ipsa diuinitas, & diuinæ perfectiones: & quod fides credit, est Deus ipse, consideratus vel in seipso, vel vt est principium & finis omnium creaturarum. Sic etiam principale *obiectum quod* spei, est ipse Deus. Nec refert *obiectum cui* esse ipsum hominem; quia spes ad amorem concupiscentiæ pertinet, qui speciem ab *obiecto quod*, non *cui*, accipit. At totum *obiectum quod* religionis est creatum: quidquid enim ipsa vult, est opus nostrum.

Charitas. Nec obstat, quòd charitas etiam bona extrinseca & creata Deo optet & velit. Primò, Quia hæc solùm sunt obiecta secundaria & materialia, à quibus virtus speciem non accipit. Simili modo quæ fides extra Deum credit, secundaria sunt.

Deinde, quia proxima ratio formalis obiectiua in virtutibus theologicis est ipse Deus: charitas enim vult omne bonum Deo, immediatè ex affectu vt ipsi benè sit: fides credit omne verum, quod ipse reuelauit, propter ipsius auctoritatem. at proxima ratio obiectiua cur religio aliquid Deo velit, est ratio debiti: ideò enim vult cultum Deo exhibere, quia est veluti tributum, quod creatura debet suo creatori; sicut antè exemplo Iustitiæ particularis ostensum est. Neque verum est (si propriè loqui velimus) charitatem, debiti rationem in suo obiecto spectare: nam charitas non vult Deo bonum præcisè, quia illud ei est debitum, nihil aliud spectando, quàm vt huic debito fiat satis: hoc enim potiùs ad quamdam Iustitiam erga Deum, quàm ad charitatem pertinet; vt exemplis humanis facilè ostendi potest. sed solùm spectat ipsum benè esse Dei: ideò enim omne bonum illi vult, vt ipsi benè sit; sicut amicus vult amico bonum vt ei benè sit, non spectans an hoc sit illi debitum, an non: quamuis malit vt sit ei debitum quàm indebitum, quatenus hoc in dignitatem & maius bonum amici cedit. Hæc paulò fusiùs, quia res nonnihil difficilis, & à plerisque non satis explicata.

Ad probationem antecedentis: Ex eo quòd Deus dicatur coli propter suam diuinitatem, non sequitur, immediatè versari circa Deum virtutem religionis, sed ipsum cultum, qui est obiectum immediatum religionis. Hinc fit vt religio solùm immediatè circa Deum versetur, non tamquam *obiectum quod*, sed *cui*, vt dictum est: religio enim non inclinat immediatè in Deum, sed in aliquid Deo exhibendum, quo ipsius maiestatem significet & testetur; sicut Iustitia particularis non inclinat immediatè in proximum, sed in aliquid proximo reddendum. Cùm dico *Deum esse obiectum cultus*, non est ita intelligendum, quasi colere & honorare Deum, sit actu vitali ipsum tamquam obiectum materiale vel formale attingere, aut circa ipsum per modum actus vitalis versari; (sicut Deum amare, Deo credere) sed est illum attingere aliquo signo, tamquam signatum; vel sicut attingitur is, cui aliquid offertur.

Quomodo Deus sit obiectum cultus.

Dices Secundò, Oratio & laus attingunt Deum immediatè, tamquam obiectum, & tamen sunt actus religionis. 11 *Obiectio 2.*

Respondeo Primò, Non sunt actus interni immediatè à virtute religionis eliciti, sed externi ab ea imperati. externos voco respectu virtutis religionis, quæ est in voluntate; sunt enim obiecta illius, in quæ affectus religionis immediatè tendit, & habent sedem in intellectu. Obiectum autem proprium virtutis spectandum est ex actu interno, in quem virtus immediatè inclinat, qui in proposito est amor cultus diuini. *Resp. 1.*

Secundò Respondeo, Illos duos actus non attingere Deum, sicut actus vitalis suum obiectum, sed sicut signum attingit signatum: sunt enim actus religionis vt signa & testimonia diuinæ excellentiæ & nostræ subiectionis. Hinc fit vt à variis virtutibus imperari possint. oratio enim, quatenus per eam implicitè testamur Deum esse *Resp. 2.*

Quomodo actus externi relig. imperentur à variis virtutibus.

auctorem omnium bonorum nostrorum, habere omnium scientiam, & prouidentiam, (hoc enim, orando Deum, ipso facto insinuamus) est actus religionis. quatenus per eam petimus salutem, & ad salutem opportuna, est actus imperatus spei. quatenus petimus amplificari gloriam Dei, est actus imperatus à charitate. proximè autem semper elicitur à ratione, mediante fide. Idem dicendum de voto & iuramento; quia sunt locutiones quædam practicæ, in honorem Dei resultantes, vt infrà capite 40. numero 28. ex mente diui Thomæ ostendetur. Actus autem virtutum theologicarum longè aliter Deum attingunt, nempe vt obiectum cognitum & amatum propter semetipsum.

12 *Obiectio 3.* Dices Tertiò, Augustinus in Enchiridio cap. 3. dicit, *Deum colis fide, spe, & charitate:* ergo religio est virtus generalis, complectens virtutes theologicas.

Respon. 1. Deus colitur fide, spe, & charitate. Respondetur Primò cum D. Thoma ar. 5. ad 1. dictum sancti Augustini intelligendum causaliter, quia virtutes theologicæ causant in nobis virtutem religionis, qua Deus colitur, & actus eius imperant.

Secundò Responderi potest, & meliùs, Religionem & cultum interdum accipi generatim pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, quodque instar sacrificij Deo est acceptum. Sic potest intelligi illud Iacobi 1. *Religio munda & immaculata*, &c. & passim in Scripturis pro eodem accipiuntur *colere Deum*, & *seruire Deo. seruitus* autem (Græci λατρείαν vel δυλίαν vocant) est nomen generale ad omnia bona opera, quibus Deo obedimus & placemus, vt ex plurimis locis constat, Psal. 2. 21. 99. Lucæ 2. Matth. 6. & alibi. Hoc modo videtur ibi accipi à D. Augustino. & iuxta hanc rationem lib. 10. de ciuit. c. 6. describit sacrificium, vt *sit omne opus bonum, quod geritur, vt sancta societate Deo inhæreatur.* hoc modo passim accipitur in Scripturis.

13 *Actus virtheol. dupliciter considerantur.* Tertiò, Dici potest, actus fidei, spei & charitatis dupliciter spectari posse; Primò, Vt sunt signa, quibus implicitè diuinam excellentiam profitemur: nam hoc ipso, quo credimus Deo, insinuamus illum esse primam veritatem: dum amamus supra omnia, significamus esse summum bonum, & hac ratione spectari posse tamquam actus externos seu obiecta ad virtutem religionis. Secundò, Vt sunt actus vitales, quibus immediatè Deo inhæremus, & tamquam obiecto vnimur; & sic pertinere ad virtutes theologicas. Posse tamen ob rationem prædictam à virtute religionis imperari; & quamuis non imperentur, tamen tacitum cultum continere. Nec obstat, quod ait D. Thomas articul. 5. ad 1. virtutes theologicas, eò quòd versentur circa finem vltimum Deum, imperare actus religionis, & aliarum virtutum, quæ versantur circa media; quia etsi hoc virtutibus illis per se conueniat, eò quòd per se & ex natura sua circa finem vltimum versentur; tamen per accidens contrarium fieri potest; vt si quis velit vti actu virtutis theologicæ ad finem virtutis inferioris. omnis enim actus, qui potest esse medium ad consequendam virtutem aliquam, vel proprium eius finem, potest ab ea virtute imperari, ita vt ex affectu eius homo se applicet ad illum actum. Sic religio potest imperare actus fidei, spei, & charitatis; quia hi actus sunt idonei ad finem religionis, qui est honorare Deum. Eosdem imperare potest affectus temperantiæ, quatenus ad obtinendum à Deo huius virtutis donum sunt idonei: eadem est ratio in ceteris. nam perfectio & finis intrinsecus inferioris virtutis potest intendi vt finis acquirendus per actus superiorum virtutum, quotiescumque hi actus per modum meriti vel dispositionis aliquo modo ad illum valent.

Virtutes theologicas posse ab aliis imperari.

Dices, Actus virtutum theologicarum ne vt signa quidem videntur ad religionis virtutem pertinere: quia etsi illis Deum eximiè honoremus, tamen non honoramus vt Superiorem, protestando nostram subiectionem; quod tamen virtus religionis postulat: vnde pater etsi honoret filium, non tamen illum colit, quia superiorem in nulla re agnoscit. *Obiectio.*

Respondeo, Illos actus vt à nobis fiunt, posse accipi vt signa subiectionis nostræ; quia credimus Deo tamquam Superiori & magistro, cui subijcimus omne iudicium nostrum: & amamus illum charitate, referendo & offerendo nos ipsos & omnia nostra ad ipsius obsequium & gloriam, & speramus virtute ac omnipotentia ipsius summum bonum nostrum, id est, ipsummet. vnde patet, in his actibus contineri protestationem excellentiæ ipsius, & nostræ subiectionis ac dependentiæ ab ipso. *Respon. Quomodo isti actus sint notæ subiectionis.*

Ex his patet, religionem, etsi virtus theologica non sit, esse tamen virtutibus theologicis valdè affinem, & post eas primum locum obtinere. nam post fidem, spem, & charitatem nihil laudabilius quàm Deo debitum cultum offerre. Confirmatur, eò enim virtus quæque est præstantior, quò viciniùs attingit Deum: atqui post virtutes theologicas religio viciniùs illum attingit; nempe tamquam obiectum, cui cultum defert: ergo, &c. 14

De pia affectione, obedientia, & pœnitentia.

Dices, Pia affectio ad credendum primæ veriti, obedientia & pœnitentia eodem modo Deum attingunt, nimirum vt *obiectum cui:* ergo religio non est his præstantior. Nam illius affectionis opus est credere Deo, obedientiæ obedire Deo, pœnitentiæ satisfacere Deo.

Respondeo dupliciter. Primò, Cùm religio præfertur ceteris virtutibus, quæ non sunt theologicæ, eò quòd viciniùs Deum attingat; accipitur paulò latiùs, vt omnem virtutem, qua Deo debitum reddimus, complectatur: & hoc modo prædictæ virtutes sub religione continentur. Idque meritò, quia opus illarum intrinsecè honorem Dei continet. Credere enim Deo, pertinet ad honorem primæ veritatis: obedire Deo, ad honorem diuinæ superioritatis & auctoritatis gubernandi: satisfacere Deo, pertinet ad honorem Dei instaurandum, qui peccato erat læsus: sicut petitio veniæ pertinet ad honorem eius qui ab altero iniuriam accepit.

Quomodo religio sit præstantior istis.

Respondeo Secundò, Religionem, etiamsi strictè omnino & propriè sumatur vt ab istis virtutibus distinguitur, esse præstantiorem, & viciniùs attingere Deum, quàm vel obedientia vel pœnitentia. De *pia affectione* est alia ratio, quia est veluti pars virtutis theologicæ, nempe fidei, & ita sub fide comprehenditur; ac proinde non pertinet ad hanc comparationem. De illis ergo duabus prioribus patet. quia religio considerat opus

suum

ſuum vt eſt ſignum diuinæ excellentiæ, illudque non ſolùm Deo exhibet, ſed ita exhibet, vt velit illud circa Deum verſari, & eius excellentiam ſignare. At obedientia, etſi verſetur aliquo modo circa Deum vt *obiectum cui* obedit: tamen non conſiderat opus ſuum, vt eſt ſignum & proteſtatio quædam diuinæ excellentiæ, neque illud defert Deo vt munus quo ipſe honoretur & ornetur; ſed ſolùm conſiderat illud vt debitum, & neceſſarium propter auctoritatem diuinam præcipientem, ne videlicet ſi omittat, Dei auctoritatem videatur contemnere: vel præſcindendo ab iſta neceſſitate & obligatione, conſiderat opus vt habens ſpecialem honeſtatem à diuina auctoritate illud volente & imperante. Sicut enim Deus, vt eſt prima veritas, aliquid reuelando facit illud dignum creditu, & credendum ſecundùm rectam rationem: ita vt eſt omnium ſuperior aliquid præcipiendo, facit illud dignum factu, & omnino ſecundùm rectam rationem faciendum: eſtque hæc dignitas propria honeſtas obiectiua, quam reſpicit obedientia.

Pœnitentia. *Pœnitentia* dupliciter conſiderari poteſt. Primò, quatenus dolet de peccato, vt eſt offenſio Dei; eiusque malum, illudque conatur tollere tamquam ei diſplicens, & vt Deo reconcilietur. quo modo non diſtinguitur à charitate; ſed eſt ipſa virtus charitatis inadæquatè concepta, nimirum vt verſatur circa ablationem peccati, & reconciliationem cum Deo propter ipſum bonum Dei. Eiuſdem enim virtutis eſt, gaudere de bono alterius, illudque procurare; & dolere de eius malo, illudque depellere. Secundò, quatenus dolet de peccato præcisè vt eſt iniuria Dei, & imperat opera ſatisfactoria ad hanc iniuriam ſarciendam. hoc modo diſtinguitur à charitate, & pertinet ad quamdam iuſtitiam hominis erga Deum. Sed non conſiderat neque imperat opera ſatisfactoria, vt ſunt formaliter ſigna diuinæ excellentiæ, quibus Deum veluti ornet & honoret; ſed vt ſunt vindicta peccati, qua Deo pro iniuria illata ſatisfiat, & ius eius violatum quodammodò inſtauretur: ſicut cùm quis homini pro iniuria illata ſatisfacit dolendo, & ſe accuſando, affligendo, veniam petendo, non intendit per hoc formaliter illum honorare, ſed pro iniuria ſatisfacere.

15 Dico Quartò, Religio non diſtinguitur à virtute *pietatis*, *obſeruantiæ*, & *gratitudinis* in Deum. Colligitur ex D. Thoma quæſt. 106. artic. 1. ad 1. vbi dicit: *Sicut religio eſt quædam ſuperexcellens pietas; ita eſt quædam ſuperexcellens gratitudo.* & ex Caietano quæſtione 107. articulo 3. Probatur, quia *pietas* propriè eſt quæ debitum cultum reddit parentibus; *obſeruantia* perſonis in dignitate conſtitutis; *gratitudo*, benefactoribus. ratio autem parentis, & perſonæ eminentis, & benefactoris continetur in Deo excellentiſſimè: ergo etiam debitum erga illum vt parentem, perſonam ſublimem, & benefactorem, eſt ſummum: atqui hoc debitum non diſtinguitur à debito erga primum principium: ergo virtus, quæ reſpicit hoc debitum, non diſtinguitur à virtute religionis, quæ reſpicit cultum, primo noſtri & rerum omnium principio debitum. Vnde rectè Caietanus infrà quæſtione 107. artic. 3. notat, has virtutes, pietatem, obſeruantiam, & gratitudinem, dupliciter exiſtere. Primò, Formaliter in ſuis proprijs ſpeciebus. Secundò, Eminenter, in ſuperiore virtute, quæ eſt religio. ratio eſt, quia obiecta earum (quibus deferunt ſuas functiones) continentur eminenter in obiecto, cui defert religio: & debita earum, ob quæ deferunt, in debito religionis.

Virtus religionis colit Deum vt parentem, vt Principem, & vt benefactorem.

Dupliciter exiſtunt iſtæ virtutes.

Aduerte tamen, eſſe valdè probabile, *gratitudinem* per ſe eſſe virtutem diſtinctam à religione; quia formaliter reſpicit debitum ortum ex beneficio; religio autem hoc non reſpicit vt obiectum formale, ſed vt motiuum ſeu impulſiuum ad actum. vide infrà cap. 47. dub. 1.

Idem dixerim de *fidelitate* erga Deum. hæc enim reſpicit debitum ortum ex promiſſione, illudque ſoluit non ex affectu Deum honorandi propriè, ſed ex affectu ſatisfaciendi debito ex promiſſione contracto: qui duo affectus videntur omnino diſtincti; quamuis actus alterius ab altero viciſſim imperari poſſint. Nam ex affectu Deum honorandi, poſſum velle ſoluere promiſſa, & gratias agere; & ex affectu ſoluendi promiſſum, & referendi gratias pro beneficiis acceptis, poſſum velle honorare. Rectè tamen hæ virtutes referuntur ad *religionem*. Primò, quia verſantur in materia religionis; nam quidquid promittimus Deo, vel pro beneficiis referimus, ad religionem pertinet, cùm nihil præter honorem ei donare poſſimus. Virtutes autem ſecundùm modum loquendi Patrum, cenſentur diſtingui vel non diſtingui ratione materiæ potiùs, quàm ratione interni affectus præcisè & formaliter conſiderati. Vnde iuramentum eſt actus religionis, etiamſi non fiat affectu religionis; ſimiliter oratio, ſolutio decimarum, &c. Et ieiunium eſt opus temperantiæ, etiamſi non fiat affectu temperantiæ, ſed iuſtitiæ vel pœnitentiæ. Secundò, quia debitum gratitudinis & fidelitatis erga Deum creſcit ratione excellentiæ ipſius. Vnde in praxi dum nos gratos & fideles ipſi præſtare volumus, maximè ſpectamus diuinam excellentiam cui obſtricti ſumus, ne ſi neglexerimus, illam inhonoraſſe videamur. Denique hoc ipſo quo quis rectè diſpoſitus eſt ad debitum honorem Deo exhibendum, etiam benè diſpoſitus eſt ad ſoluenda ei promiſſa, & gratiarum actionem: & neglectus horum cenſetur quædam Dei inhonoratio. Itaque videtur ratio religionis in illis quodammodò includi.

Fidelitas.

Quomodo pertineant ad religionem.

Dvbitatio iii.

Vtrùm religio diſtinguatur ab ea virtute, qua coluntur Sancti.

16 QVidam putant non diſtingui. Ita Marſilius in 3. quæſt. 8. art. 1. in fine. Probat tribus rationibus, ſed nullius momenti: nam vel falſum aſſumunt, vel aperta æquiuocatione laborant. Vnde aliter probatur, Primò, Quia eadem virtute charitatis amatur Deus & proximus: ergo etiam eadem virtute colitur, honoraturque Deus & proximus. Conſequentia patet, quia ſicut ſe habet bonitas ſupernaturalis, quæ eſt in proximo, ad bonitatem, quæ eſt in Deo; ita excellentia, quæ eſt in Sanctis, ſe habet ad excellentiam Dei; nempe tamquam participatio illius ſupernaturalis. Antecedens probatur, quia Deus diligit

Eadem virtutis habitu coli Deum & Sanctos.

hominem vt amicum ex charitate,& tamen diligit illum propter suam bonitatem & gloriam: ergo ex eadem virtute. Confirmatur, quia alioquin essent quatuor virtutes theologicæ. Nam amor proximi, quo cupio illi ipsum bonum diuinum,versatur immediatè circa Deum , non minùs quàm virtus spei,qua cupio Deum mihi; itaque non minùs erit virtus theologa quàm spes ; ac proinde si distinguitur à charitate qua diligitur Deus,erunt quatuor theologæ virtutes , contra communem sententiam Doctorum. Secundò,Cultus Sanctorum est religiosus, non ciuilis ; ergo pertinet ad virtutem religionis. Tertiò, Hoc ipso, quo quis benè dispositus est ad cultum diuinum , etiam benè est dispositus ad cultum Sanctorum , qui sunt dij per participationem. Hæc sententia non est improbabilis.

Sed contraria est verior,quam tenet D.Thomas quæst.81.art.4.ad 3. & suprà quæst.25.art.1.ad 2. & infrà quæst.103.art.3.ad 2.& passim Doctores in 3.d.9. Pro qua

17 *Sancti dupliciter coli possunt.* Notandum, dupliciter posse Sanctos coli. Primò , Propter excellentiam intrinsecam & participatam. Secundò , Propter excellentiam extrinsecam ipsius Dei , ad quam ipsi aliquem respectum habent. quod potest rursum fieri dupliciter : vel enim eo modo coluntur vt ipsi sint integer terminus cultus ; vel eo modo vt Deus sit terminus & obiectum principale illius cultus , illi verò secundarium.

18 *Si colantur ob excellentiam extrinsecam vt terminus secundarius cultus.* Dico Primò , Si Sancti colantur propter excellentiam increatam Dei , ad quam ipsi aliquem respectum habent ; sic eadem virtute coluntur, qua colitur Deus. Probatur , Primò de eo cultu, qui non sistit in Sanctis , sed transit immediatè in Deum;quia dum hoc modo coluntur,non tam ipsi coluntur quàm Deus in ipsis, tamquã in suis templis, tabernaculis, imaginibus. tunc enim Sancti considerantur non vt ipsi sunt cultus capaces , sed sicut res inanimæ spectari solent, per quas Deus nobis repræsentatur. vnde etsi externum signum cultus ad ipsos dirigatur; tamen ibi non sistit: nam interior submissio fit Deo, quem in ipsis spectamus; ac proinde exterior etiam cultus,vt subest interno , ad Deum transit. hic enim cultus omnino similis est cultui Crucis & imaginis Christi , quæ non coluntur , nisi per accidens & cultu materiali, quatenus externum signum cultus ipsis fit ; sed per illa colitur Deus,sicut dum res amici, v. g. equus, benè tractatur propter amicum , hic actus non est formaliter beneuolentia aut beneficium in equum , sed in amicum , quamuis materialiter equo fiat ; & sic etiam respectu illius, beneuolentiæ actus & beneficentia , & beneficium dici possit.

Coluntur per accidens & materialiter.

Charitas quo modo diligit proximum propter Deum. Idem confirmari potest à simili in charitate ; nam eadem est virtus qua diligitur Deus propter se , & qua diligitur proximus & omnes creaturæ propter Deum ; vt dum proximo & omni creaturæ benè volumus , cuique pro sua conditione & capacitate , propter Dei gloriam : ergo etiam eadem est virtus, qua Deus colitur in seipso propter suam excellentiam increatam , & qua Sancti coluntur vt aliquid Dei , eius excellentiam nobis exhibẽtes:hoc enim nihil est aliud,quàm colere Deum in Sanctis,tamquam in suis templis & imaginibus. Sicut enim cùm volo proximo bonum propter Deum ,illa dilectio non est formaliter dilectio & beneuolentia in proximum , (eò quòd ipsius bonum non diligatur vt est ipsius) sed in Deum : ita hic honor , quo honorantur Sancti vt Deum nobis repræsentant , formaliter est honor Dei, & latria.

Si colantur vt terminus primarius propter excellentiam diuinam. Secundò , probatur de cultu , qui ipsis Sanctis tamquam integris terminis propter excellentiam diuinam tribuitur : quia tota ratio huius cultus est excellentia increata Dei , ad quam ipsi certum respectum & coniunctionem habent : ergo procedit à virtute religionis , quæ excellentiam diuinam tamquam rationem sui cultus spectat. omnis enim virtus respiciens aliquam rationem formalem obiectiuam seu motiuum principale , extendit se ad omne id , cui illa ratio formalis aliquo modo communicatur vel coniungitur , vt patet inductione.

19 *Obiectio.* Dices , Sancti non coluntur proximè propter excellentiam increatam Dei , sed propter dignitatem quamdam intrinsecam , quam accipiunt ex ordine ad Deum , vt filij , vt amici , vt heredes, vt templa , vt imagines Dei : ergo ratio formalis obiectiua huius cultus non est excellentia diuina ; ac proinde non procedet à virtute religionis.

Quomodo colantur ob causam extrinsecam.

Respon. Dignitas moralis Sanctorum habet ordinem intrinsecum ad excellentiam diuinam. Respond. Negando consequentiam , quia etsi ob illam moralem dignitatem colantur , tamen verè coluntur propter excellentiam Dei ; eò quòd ille respectus , quem habent ad Deum , includat in sua ratione formali excellentiam diuinam, saltem in obliquo , ita vt sine ea concipi nequeat : sicut ratio boni vtilis includit bonitatem finis. Vnde sicut eadem virtus , & idem affectus habitualis inclinat in finem , & in media propter finem , eò quòd bonitas medij consistat in ordine ad finem ; ita eadem virtus, quæ nos incitat ad cultum Dei , incitat etiam ad cultum Sanctorum; quia illorum excellentia consistit in coniunctione & respectu quodam ad Deum. vnde verè coluntur propter excellentiam diuinam , extrinsecùs illis applicatam : sicut medium amatur propter bonitatem finis ipsi extrinsecam ; quamuis ille respectus , per quem fit ista applicatio , sit intrinsecus. Hoc modo plerumque à nobis coluntur Sancti ; quia meliùs hanc excellentiam quàm eorum perfectiones physicas & intrinsecas apprehendimus. neque solùm Sancti cum Christo regnantes , sed etiam interdum homines mortales. sic enim colitur Pontifex dum consideratur vt Vicarius Christi ; & sacerdotes vt ministri Christi; homines sancti vt amici Dei , tabernacula Spiritus sancti.

Imagines non sic possunt coli. Imagines autem Christi & aliæ res inanimæ hoc modo coli nequeunt ; quia non sunt capaces honoris formalis , sicut nec contumeliæ aut iniuriæ, cùm non possint hæc apprehendere , nec sint capaces vllius excellentiæ supra naturam rationalem. vnde non potest quis se illis tamquam Superioribus subijcere, vt eruditè ostendit Gabriel Vasquez,tract.de adoratione. Itaque solùm possunt coli per accidens , & actu materiali & externo honoris ; qui vt ad illas terminatur , non est honor formaliter,sed solùm materialis actus honoris ; est autem formaliter honor , vt terminatur ad exemplar.

Quo modo honor imaginis trãsit ad prototypum. Hoc modo intellige quod dictum est in Nicæna secunda , *Honor imaginis transit ad prototypum*: nimirum quia signum submissionis quod fit imagini , non est propriè & formaliter honor imagi-

nis,

nis, sed prototypi. Sic beneficentia quæ fit cani vel equo intuitu domini, cuius sunt res & possessio, transit in dominum; quia non est propriè beneficentia in res istas ratione carentes (etsi opus externum materialiter ad illas dirigatur) sed in dominum. huic enim intendis gratificari & beneficium conferre. Quod vt melius intelligatur, Notandum est, duobus modis posse alicui obsequium beneuolentiæ vel beneficium conferri.

Dupliciter defertur alicui obsequium.

Primò, si opus externum immediatè impendatur ipsi personæ; v. g. illam excipiendo conuiuio, vel afficiendo aliquo obsequio, vel donando aliquo munere. Secundò, si opus externum immediatè impendatur rei alteri ad illam personam pertinenti; tamen illius intuitu, nimirum vt illi benefacias. Simili modo dupliciter potest præstari alicui officium iustitiæ: vt si ex contractu tenearis alere personam, vel eius equum; vtrouis tamen modo fiat, siue immediatè ipsi personæ, siue eius rei, solùm erit formaliter actus iustitiæ, vel beneuolentiæ erga personam; & materialiter tantùm respectu rei cui immediatè propter personam impenditur. Simili modo dupliciter quis potest

Dupliciter quis honoratur.

honorari. Primò, immediatè in sua persona, vt cùm actus externus, qui est signum submissionis internæ, & æstimationis animi de excellentia alterius, immediatè fit circa personam. Secundò, mediatè in imagine & per imaginem, cùm actus externus proximè agitur circa imaginem; qui tamen honor etsi materialiter non tendat immediatè in personam, tamen vt formaliter habet rationem honoris, immediatè illam attingit: sicut & interna submissio, & æstimatio excellentiæ, & affectus illam testandi, versantur immediatè circa personam. Sic erigere alicui statuam, non est formaliter honorare statuam, sed personam cui erigitur; etsi externi actus, v.g. collocatio in columna, impositio coronæ, & similia circa statuam fiant. Idem dicendum, si statuæ aperias caput, flectas genua, apponas flores, &c. His enim omnibus dicuntur quidem coli & honorari imagines propter actum materialem qui immediatè circa illas fit; tamen formaliter non habent isti actus rationem honoris, nisi respectu prototypi, cui se animus honorantis intendit subiicere, & cuius excellentiam intendit his signis testari. Ex quibus patet,

Eodem cultu coluntur.

eodem numero cultu quo coluntur imagines, coli prototypum: quia id quod est cultus materialis respectu imaginis, est cultus formalis respectu

Quo sensu cultus imaginum dicitur minor.

prototypi. Nec obstat quòd imagines dicantur coli cultu minore quàm prototypum: quia id intelligendum est non de specie cultus formalis, sed de signo externo. Longè enim maiora sunt submissionis signa, quæ fiunt immediatè circa ipsum prototypum, quàm quæ circa imaginem eius: sicut longè alia sunt officia quæ impenduntur personæ regiæ immediatè, quàm quæ eius impenduntur equis, canibus, mancipiis, intuitu ipsius. Hinc tamen non sequitur, quin ista in ratione beneficentiæ sint eiusdem speciei. Simili modo cultus quo Christus colitur immediatè in Eucharistia, & quo colitur mediante cruce dum illa honoratur, est eiusdem rationis, nimirum cultus latriæ: etsi respectu crucis non dicatur propriè *latriæ*. quia hoc nomen, sicut & *dulia*, significat seruitutem & internam submissionem, quæ non habetur respectu crucis, sed crucifixi. Sed de his plura in 3. Parte.

Notandum tamen est Primò, Hunc cultum 20
multùm distingui à priore, etsi ab eadem virtute *Distinguitur hic cultus à priore.*
procedat, & ob eamdem rationem formalem tribuatur: quia hic cultus non est latria, sicut prior; sed longè inferior, qui *dulia* à DD. vocatur; non enim submittimus nos sanctis tamquam diis, sed tamquam Dei amicis & domesticis, magna apud Deum gratia & auctoritate pollentibus. Simili modo intentio & electio, etsi ab eadem virtute procedant, multùm tamen distinguuntur. deinde quia hoc cultu non colitur directè & immediatè ipse Deus, sed Sancti. altero verò colitur immediatè Deus, quamuis actus externus in Deum per Sanctos tendat.

Notandum Secundò, Etsi hic cultus physicè 21
terminetur ad ipsos Sanctos, tamquam ad integrum obiectum quod colitur; tamen interpretatiuè & secundùm æstimationem moralem redundat in ipsum Deum; ita vt Deus magis censeatur honorari, quàm Sancti. Ratio est, quia tota ratio honorandi est Deus & excellentia diuina; atqui *propter quod vnumquodque, illud magis.* sicut cùm quis medicinam appetit propter sanitatem, magis ipsam sanitatem appetere censetur. Confirmatur ex Patribus. Athanasius lib. de virginitate sub finem: *Si homo iustus ædes tuas ingreditur, cum timore & tremore occurres ei, & adorabis humi ad pedes illius; siquidem illum non adorabis*, (intellige principaliter) *sed Deum, qui illum mittit.* quamuis hoc possit intelligi de priore illo modo adorationis, quo adorātur materialiter vt res aliqua Deum nobis repræsentans. Leontius in dialogo qui recitatus est in Synodo 7. act. 4. *Sanctos veneramur vt Dei amicos; & honor, qui Sanctis impenditur, in Deum recurrit. qui Martyrem colit, Deum ipsum colit; qui Matrem illius adorat, ipsi honorem assignat.* Idem docet Damascenus lib. 4. de fide c. 16. & 17. vnde in hoc cultu virtualis quædam & implicita latria continetur: sicut in eo cultu, quo quis colit sacerdotem Iouis propter Iouem, continetur tacita idololatria. Simili modo in electione continetur virtute & moraliter intentio: quia ex vi illius affectus procedit, & assiduè pendet, & speciem accipit.

In hoc cultu tacitè magis colitur Deus.

Dico Secundò, Si Sancti colantur propter in- 22
trinsecas & absolutas perfectiones, vt propter visionem Dei, charitatem, sanctitatem, statumque beatum; sic non coluntur virtute religionis, sed distincta, quæ à DD. *dulia* vocatur. est D. Thomæ suprà, & ferè communis Doctorum.

Si colantur ob perfectionem intrinsecam.

Probatur, Quia religio spectat excellentiam increatam, & propter eam cultum defert, vt docet diuus Thomas locis citatis: ergo cultus ille, qui ob excellentiam creatam defertur, non est religionis, sed alterius virtutis. Consequentia patet, quia vbi est diuersum genus excellentiæ per se honorabile, ibi est diuersum genus cultus, & consequenter diuersæ virtutes inclinantes id illos cultus. Atqui excellentia illa Sanctorum toto genere distinguitur ab excellentia diuina, estque per se honorabilis: ergo constituit obiectum diuersæ virtutis: sicut bona diuersi generis per se expetenda, constituunt obiecta diuersorum affectuum habitualium. Hæc autem virtus vocatur à Doctoribus *dulia*: quod nomen etsi gene- *Dulia.*
ratim *seruitutem* significet, sicut & *latria*; tamen vsu Scriptorum Ecclesiasticorum & Doctorum accommodatum est ad significandum omnem

cultum Sanctorum, qui ipsis propriè impenditur, siue procedat à virtute religionis, siue ab alia. Item ad peculiarem virtutem, qua Sancti propter intrinsecas perfectiones coluntur. *Latria* ad significandum cultum diuinum, & virtutem religionis, vt docet diuus Augustinus libro 10. de ciuitat. capite 1. & Isidorus libro 8. etymolog. capite vltimo.

Ad argumenta initio allata.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo, Proximum posse amari dupliciter. Primò, Volendo illi bonum supernaturale, vt ipsi benè sit, ibique sistendo. & hic amor non est actus charitatis, quæ est virtus theologica, qua Deus amatur propter se; sed beneuolentiæ seu amicitiæ supernaturalis proximi: neque video qua ratione id negari possit; cùm tota ratio amoris huius sit non bonum aliquod Dei, sed bonum proximi. hic amor respondet illi honori, qui exhibetur Sanctis ob intrinsecam & physicam excellentiam, absque vllo respectu ad excellentiam increatam Dei.

23 *Amor proximi duplex.*

Secundò, Potest amari proximus volendo illi bonum quoduis, siue naturale siue supernaturale, non sistendo in eo vt ipsi benè sit, sed vt Deo benè sit; nempe volendo hoc totum, quatenus est bonum quoddam Dei. sicut dum amamus mancipium, eique benè volumus, quatenus bonum mancipij est bonum domini. & hic amor est actus charitatis; quia formaliter est beneuolentia erga Deum; & bonum diuinum est tota ratio amandi: bonum autem proximi solùm se habet per modum obiecti materialis concupiti propter bonum Dei. est enim obiectum illius amoris, vt habet rationem concupiscentiæ, non autem vt rationem amicitiæ & beneuolentiæ. Sic intellige diuum Thomam quæstione 81. articulo 4. ad tertium, cùm ait; *charitatem, qua diligitur Deus, non esse virtutem distinctam à charitate, qua diligitur proximus.* Huic amori respondet ille honor, quo Sancti & alia honorantur, quatenus excellentiam diuinam nobis veluti imagines repræsentant. sicut enim charitate diligimus quidquid vllo modo cedit in bonum Dei; ita religione possumus venerari quidquid nobis excellentiam diuinam obijcit.

Ad probationem antecedentis. Ille affectus quo Deus diligit hominem vt amicum, vt ipsi benè sit, est distinctus nostro modo intelligendi ab illo actu quo diligit illum propter suam bonitatem, totum ipsius bonum ad suam gloriam referens, & ad diuersam virtutem pertinet. Non enim solùm est in Deo charitas & dilectio suæ bonitatis qua illam & omnia propter illam diligat; sed sunt etiam aliæ virtutes, vt iustitia, misericordia, mansuetudo, amor amicitiæ erga creaturam rationalem, &c. quatenus ipsius affectus in obiecta istarum virtutum propter ipsorum propriam honestatem & pulchritudinem fertur. Vnde amor quo diligit hominem iustum vt amicum, distinguitur ratione ab amore quo diligit illum ad suam gloriam. Ad confirmat. Spes siue amor quo quis Deum sibi cupit, est virtus theologica, quia vnit affectum immediatè non ipsi amanti, sed Deo amato & desiderato. Ratio est, quia est amor concupiscentiæ, qui immediatè tendit in bonum amatum, affectum amantis illi coniungens. Neque oritur ex affectu actuali erga seipsum, sed proximè ex ipsius potentiæ inclinatione tendit in obiectum. Vnde non accipit speciem ab ipso amante cui bonum illud appetitur, sed ab amato quod appetitur. Amor autem quo proximo volo bonum vt ipsi benè sit, non coniungit affectum meum cum illo bono, sistendo in illo, sed cum proximo; est enim amor beneuolentiæ: imò volitio illius boni oritur ex affectu erga proximum, eumque supponit quasi per modum intentionis. Ideò enim volo illi tantum bonum, quia cupio vt illi sit quàm optimè. hoc autem non volo ob aliam causam, sed propter se, quia id apprehendo vt per se bonum & expetendum propter affectum erga ipsam personam. Itaque in amore beneuolentiæ non sistitur in bono quod volumus, sed in eo cui volumus, & ab eo actus in ratione beneuolentiæ speciem accipit. hinc patet non esse virtutem theologicam, sed amicitiam humanam supernaturalem.

Cur amor, quo volo proximo possessionem diuinitatis, non sit virtus theologica.

Ad Secundum, Cultus Sanctorum potest dici religiosus ob tres causas. Primò, Quia non est ciuilis & politicus, qualis defertur Principibus, Magistratibus, & viris magnis in Republica; sed est supernaturalis, ortum habés ex vera fide in Deum, quæ religio vocari solet. Secundò, Virtus, qua coluntur Sancti, vel est ipsa religio; vt quando immediatè propter Deum honoramur: vel à virtute religionis oritur; vt quando coluntur propter perfectiones absolutas intrinsecas. sicut enim excellentia Sanctorum oritur ab excellentia diuina, estque participatio quædam illius, ita etiam virtus illa qua coluntur Sancti, oritur ex virtute religionis; eamque semper comitatur. Tertiò, Cultus Sanctorum semper in honorem Dei implicitè resultat: valdè enim Deo honorificum est, quòd ministri ipsius, in quibus solùm est radius quidam ipsius excellentiæ, tantopere honorentur. quas ob causas Ecclesia cultum Sanctorum ita cultui diuino coniunxit, vt ijsdem rebus, quibus colere consueuit Deum, etiam honoret Sanctos. Sic templa, altaria, dies festi, ieiunia, vigiliæ, peregrinationes, instituuntur principaliter quidem ad cultum Dei, sed secundariò ad honorem Sanctorum.

24 *Cultus Sanctorum cur religiosus dicatur.*

Ad Tertium, Religio non disponit hominem proximè ad cultum Sanctorum, qui ob intrinsecam illorum excellentiam impenditur, sed remotè solùm, & ob affinitatem & subordinationem obiectorum. sicut virtus superior ad actus inferioris sibi subordinatæ; quo modo charitas Dei ad amicitiam cum proximo.

Dvbitatio IV.

Vtrùm ratione diuersarum perfectionum in Deo existentium, vel ratione diuersorum beneficiorum ex ipso procedentium, debeantur ei cultus diuersæ speciei.

25 *Diuersa beneficia.*

Respond. & Dico Primò, Ratione diuersorum beneficiorum non debentur cultus diuersi, v.g. vt alius debeatur cultus ratione beneficij creationis, alius ratione redemptionis, alius ratione beneficiorum temporalium, alius ratione spiritualium. est communis sententia Doctorum. Ratio est, quia ratio formalis ob quam Deus est colendus

Dependentia, & beneficia inducunt obligationem cultus latria.

dus cultu latriæ, non est beneficium; sed est excellentia ipsius increata & immensa. beneficia autem solùm sunt id per quod illa excellentia nobis applicatur, vt apprehendatur tamquam ad nos pertinens, & à nobis adoranda: nam sine beneficiis & dependentia ab ipso non essemus obligati ad eam adorandam, sicut neque ad amandam supra omnia; vt dictum est tractat. de charitate. Vnde si per impossibile esset aliquod numen, à quo nobis nihil boni proueniret, vt volebat Simon magus, non essemus obligati illud honorare cultu latriæ. Indicat hoc D. Petrus apud Clementem lib. 2. recognit. pag. 51. & 52. vbi dicit: *Ille verò, qui nihil nobiscum habet negotij, si vindicare velit in nos,* (scilicet quòd illum non adoramus) *quo modo bonus erit?* &c. Idem colligitur ex D. Thoma quæst. 81. art. 3. vbi dicit, Religionem exhibere reuerentiam Deo vt primo principio creationis & gubernationis rerum: ergo si aliquis ab eo non penderet, non deberet ei hanc reuerentiam. Ratio est; quia omne debitum saltem strictum & legale, quo alteri obstringimur, prouenit ex dependentia quadam ab ipso, siue secundùm esse, vt à Deo & parentibus; siue secundùm gubernationem, vt à Superioribus; siue secundùm alia quædam beneficia, vt à benefactoribus: vel certè ratione alicuius connexionis, vt erga liberos & consanguineos: vel ratione liberæ obligationis, vt in contractibus. vbi nihil horum interuenit, nullum potest esse strictum debitum: nihil enim possum debere illi, à quo nihil accepi, quicum nihil habeo communionis aut commercij. Confirmatur, quia *latriâ* significamus nostram subiectionem & dependentiam à primo principio: ergo si illud numen non est principium nostrum, non debemus ei latriam: sicut neque tributum debetur Principi alieno.

Nec obstat, quòd Sancti sæpè in Deo colendo non spectent beneficia accepta, sed solam Dei maiestatem, quia etsi ad illum honorem exhibendum non moueantur beneficiorum consideratione, tamen strictè ad hoc officium non obligarentur, nisi ab eo dependerent, imò neque latriæ cultum ei exhiberent; sed alterius rationis, vt ex D. Thoma dicto articulo 3. & aliis locis colligitur. Adde, in ratione diuinæ maiestatis quodam modo comprehendi essentialem dependentiam nostri esse, sicut in ratione primi principij & entis per essentiam: ac proinde etsi sola maiestas in cultu spectetur, non tamen excluditur, sed potiùs includitur hæc dependentia, tamquam causa sine qua talis cultus non exhiberetur.

26 Dico Secundò, Ratione etiam diuersarum perfectionum seu attributorum non debentur adorationes diuersæ. Ita Halensis 3. part. q. 30. nu. 1. ar. 3. Gabriel in can. lect. 49. Colligitur ex D. Thoma q. 81. art. 3. ad primum, & q. 84. art. 1. ad 2. Probatur; ratio formalis cur Deus sit adorandus cultu latriæ, est, esse principium primum rerum omniũ: atqui primum principium directè includit omnes perfectiones omnium attributorum: nam id quod est fons totius esse & omnis perfectionis, debet in se omnem rationem essendi continere; ergo pro diuersitate perfectionum non debetur diuersa latriæ adoratio: cùm ratio cur sit colendus latriâ, sit vnica & simplex. *Diuersa attributa.*

Dices, Glossa in illud Psalmi 7. *Domine Deus meus, in te speraui,* ait: *Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia; Deus omnium per creationem, cui debetur latria*; quod desumptum ex Augustin. quæst. 94. in Exodum: *Dulia*, inquit, *debetur Deo tamquam Domino, latria verò non nisi Deo tamquam Deo:* ergo diuersus cultus debetur ratione diuersorum attributorum. Confirmatur, quia per sacrificium testamur illum habere vitæ & mortis potestatem; adoratione, esse Dominum omnium; oratione, esse liberalem & omnipotentem; iuramento assertorio, esse veracem; promissorio, fidelem; laude, omnia attributa celebramus. 27 *Obiectio.*

Respond. Non æquè expressè omnia attributa singulis colendi modis honorantur, sed quædam aliis significantiùs. Hinc fit, vt sit quædam materialis differentia inter hosce modos colendi. vnde quidam nulli nisi Deo conueniunt, vt sacrificia, templa, altaria. quidam etiam aliis accommodari possunt, vt adorationes, orationes, &c. omnes tamen hi modi, quatenus sunt cultus latriæ, exhibentur Deo, vt omnibus perfectionibus plenissimus est, omnesq; illas testantur & insinuant. nam exhibentur illi quatenus est primum principium nostri & rerum omnium. Hinc patet responsio ad argumentum. *Responsio. Diuersitas in modis colendi est materialis.*

Vbi tamen aduerte, *duliam* non accipi strictè, quatenus est actus obseruantiæ, debitus Sanctis; sed generatim pro cultu debito alicui, tamquam domino, qualecumque sit illud dominium. vnde sicut dominium conuenit Deo & creaturis analogicè, ita dulia. latria autem accipitur pro cultu, qui conuenit Deo, quatenus Deus est, seu quatenus est primum principium nostrum: vnde non potest communicari creaturis. Vide Gabrielem Vasquez de adorat. lib. 1. dub. 2. *Dulia.*

Quænam autem cultu latriæ vel duliæ colenda sint, in tertia parte q. 25. exactiùs tractandum est.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

De actibus internis Religionis, Deuotione & Oratione.

Complectitur Dubitationes 12.

Actus religionis interni & externi.

DIVVS Thomas enumerat varios actus religionis, alios internos, alios externos. Internos ponit duos, *deuotionem & orationem.* Externos facit reliquos, *adorationem, sacrificium, oblationem primitiarum & donorum, oblationem decimarum, votum, iuramentum, adiurationem, laudem*; quibus infrà adiungit *gratiarum actionem*. quæ duo postrema commodè sub oratione comprehendi & tractari possunt. nam secundùm D. Thomam quæst. 83. artic. vlt. *gratiarum actio* est pars orationis; similiter laus, quæ ferè semper petitioni miscetur, ad orationem pertinet, tamquam pars vel species quædam illius.

Cur oratio inter actus internos.

Dices, *Adoratio, votum, iuramentum,* non minùs actu interno fieri possunt quàm *oratio*, & *oratio* non minùs actu externo quàm illa: cur ergo illa potiùs inter actus externos numeratur quàm oratio? Rursus, *reuerentia* non minùs est actus internus religionis quàm *deuotio*, cur ergo reuerentiam prætermisit? Respond. Ideò D. Thomas *orationem* inter actus internos posuit, quia consistit in eleuatione mentis ad Deum, quæ interna est, & maximè requirit internam attentionem assiduam. *Adoratio* humana (de qua diuus Thomas loquitur) consistit in signis externis honoris & submissionis sui. *Votum* etsi Deo fiat, tamen non requirit mentis eleuationem, nec attentionem internam, præter eam quæ necessaria est vt homo aduertat quid agat. *Iuramentum* refertur ad homines, & ideò in actu externo consistit. Quòd ad *Reuerentiam* attinet, hoc nomen dupliciter accipi solet. Primò, vt significet omnem honorariam submissionem. Sic dicimur alicui exhibere *reuerentiam*, dum ei caput aperimus, genua flectimus, corpus inclinamus; quo modo non est actus distinctus ab adoratione, & interior affectus reuerentiæ nihil est aliud quàm affectus adorandi. Secundò, vt denotet quemdam timorem & fugam animi, qua quis refugit in rebus diuinis nimiam libertatem & licentiam, metuitque ne nimis liberè, nimis audacter, non satis humiliter, non satis congruenter tantæ Maiestati, & suæ vtilitati in rebus diuinis & coram Deo versetur. Sic Seraphim duabus alis velabant pedes, & duabus faciem ex reuerentia diuinæ Maiestatis, Isaiæ 6. Sic Moyses & Prophetæ loquentes cum Deo cadebant in faciem, non audentes ex aduerso intueri formam in qua Deus loquebatur. Hoc modo est actus internus religionis: quia *religio* non solùm inclinat ad cultum Deo exhibendum, sed etiam ad conuenienti modo exhibendum. Vnde fugit omnem modum, qui indicat minorem æstimationem Dei, & minorem sui demissionem; vt est, nimis liberè, sine cura, sine circumspectione, sine attentione diuina tractare. Itaque hic actus est generalis, & in omni religionis opere comitari debet. Omnis enim Dei cultus postulat, vt cum debita reuerentia fiat. Simile cernitur in actibus obseruantiæ erga Principes; quia etiam hi cum reuerentia illorum dignitati accommodata fieri debent. D. Thomas autem non numerat *reuerentiam* inter actus religionis: quia agit de actibus particularibus, non de generali, qui in omnibus reperiri debet. Deinde loquitur de actibus imperatis proximè à religione, quibus Deus colitur, non de ipso affectu elicito, quo homo inclinat & eligit diuinum cultum, aut fugit ea quæ diuino cultui non congruunt.

Reuerentia quid sit.

DVBITATIO I.

Quid sit deuotio.

D. Thomas quæst. 82.

RESPONDEO, Hoc nomen dupliciter accipi. Primò, vt significet specialem actum religionis; & sic *deuotio* nihil est aliud, quàm interna quædam sui ad cultum diuinum oblatio & traditio. sicut enim qui alicuius Principis obsequio totum se tradit & deuouet, deuotus dicitur illi Principi; ita qui ex affectu cultus & honoris diuini se totum mancipat Deo, facit actum peculiarem religionis, qui dicitur absolutè deuotio, & à quo dicitur quis Deo deuotus. Potest autem id fieri vel cum voto, vel sine voto: si cum voto vel iuramento fiat, nascitur obligatio; eritque deuotio magis perfecta; si autem fiat absque tali vinculo, non inducet obligationem; quia fiet solo proposito, & huius propositi explicatione: sicut dum homo explicare volens suum affectum & animi propositum, dicit Principi, Me totum trado tuo obsequio. vnde diuus Thomas art. 1. ad primum, rectè dicit *deuotionem esse actum voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum.* Quod intelligendum non de solo actu voluntatis elicito, sed etiam imperato, quia oblatio sui non fit sola volitione, sed necessarius est actus intellectus, veluti locutio quædam, qua quis seipsum Deo tradat & addicat, sicuti in promissionibus, votis & donationibus, quæ non sola volitione perficiuntur. 1 *Quo modo sit actus peculiaris.*

Secundò, Accipitur non pro actu peculiari, sed pro conditione quadam actus interni. sic *deuotio* nihil est aliud, quàm *promptitudo* quædam, & *feruor* affectus ad cultum diuinum, v.g. ad orationem, ad laudem, ad sacrificium, ad adorationem, ad soluenda vota, &c. vel affectus ad hæc promptus & feruens: quicumque enim promptè & feruenter hæc affectant & faciunt, dicuntur deuoti; idque meritò, quia ostendunt se esse addictos & mancipatos diuino cultui. *Promptitudo* requiritur vt superentur omnes difficultates, timores & perturbationes, quæ hominem ad cultum Dei lentum faciunt: & consistit in affectu absoluto & deliberato vincente omnem timorem, fugam, & tergiuersa- 2 *Quomodo sit conditio actus religionis.*

uersationem voluntatis; ita vt nihil ampliùs illam retardet ab executione, quando occasio se offert. Quòd etiam feruor (qui nihil est aliud quàm intentio, & vehementia affectus) requiratur, patet: nemo enim tepidos in oratione cultuque diuino, deuotos dixerit; sed eos tantùm, qui feruenti affectu hoc præstant. vnde deuotè orare nihil videtur esse aliud, quàm cum feruenti affectu erga Deum orationem fundere.

3 *Vnde nascatur.*

Nascitur vtraque deuotio ex parte nostra, ex contemplatione, præsertim duplici. Primò, Ex consideratione diuinæ excellentiæ, & beneficiorum, quæ tamquam ex perenni fonte in nos assiduè ab illa promanant. hinc enim videmus ipsum omni cultu & obsequio esse dignissimum, ipsiúsque beneficia à nobis hæc assiduè flagitare. Secundò, Ex consideratione inopiæ & miseriæ, quam ex nobis habemus: ex hac enim videmus nobis esse maximè congruum & expediens, ipsi seruire: nam némo præter illum nos iuuare & beare potest. vide D. Thomam quæst. 82. art. 3.

Dvbitatio II.

Quid sit oratio.

Oratio quid.

Respondeo, Omissis variis definitionibus, commodè sic definiri potest: *Oratio est desidery coram Deo explicatio, vt aliquid ab ipso impetremus.* Colligitur hæc definitio ex artic. 1. & 3. & ex Patribus. Basilius orat. in Iulittam martyrem: *Oratio est boni cuiusdam petitio, quæ à piis ad Deum effunditur.* Damascenus lib. 3. De fide orthodoxa c. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum, siue decentium à Deo petitio.*

4 *Tres actus in oratione.*

Vbi aduerte, in oratione tres actus spectari posse. Primus est, Desiderium nostrum, quo bonum aliquod nobis aliisve conferri, aut malum auerti desideramus. Secundus, Huius desiderij practica quædam explicatio, qua Deum conamur inducere & permouere vt id præstet; quæ nihil aliud est quàm petitio quædam: cùm enim in potestate voluntatis nostræ non sit immediatè applicare diuinam virtutem, seu potentiam executiuam Dei ad operandum, sicuti vires animæ nostræ ad operandum applicamus: neque etiam mediatè & efficaciter, imponendo obligationem, sicut inferiorem applicamus, dum ei imperamus, & imperio illi obligationem imponimus, restat vt solùm id possimus mediatè, & per modum deprecationis seu petitionis, quod fit explicãdo desiderium. Tertius, Collatio boni desiderati. ex hisce tribus oratio propriè est illa petitio, seu practica explicatio desiderij. per hanc enim conamur Deum permouere & inducere ad benefaciendum. Hinc Patres dicũt *orationem esse colloquium cum Deo*, vt D. Gregorius Nyssenus orat. 1. de Orat. Dominica, & D. Chrysost. lib. 1. de orando Deum.

5 *Oratio est locutio quædam & actus rationis practicæ.*

Ex his patet Primò, Orationem esse immediatè actum rationis: nam petitio est locutio quædam, qua desiderium nostrum explicamus; locutio autem interna est actus rationis, & consequenter etiam externa, quæ ab interna procedit, est rationis actus.

Patet Secundò, Esse actum rationis practicæ, quia hæc locutio non fit vt Deus nostrum desiderium intelligat, sed vt eâ permoueatur ad rem desideratam præstandam. vnde in ea consideratur quædam vis mouendi & applicandi ad opus. Sicut enim iudicio practico & interna vel externa locutione seipsum homo ad aliquam functionem ordinat & dirigit, ita etiam alium: nempe imperando vel deprecando; quorum vtrumque locutio quædam practica est.

Nec obstat, quòd à Damasceno dicatur *oratio, mentis in Deum eleuatio*, & à D. Augustino Sermone 230. de tempore, *ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium*; hæc enim causaliter vel concomitanter accipienda sunt. oratio enim ex natura sua oritur ex desiderio inuisibilium, & intrinsecè coniuncta est cum eleuatione mentis ad Deum. vnde qui sine eleuatione mẽtis orat, solùm verbis orat: non enim possumus mente colloqui cum Deo, nisi mentem ad eum eleuemus, eumque quasi præsentem intueamur. 6

Patet Tertiò, Orationem esse actum religionis; nam per illam testamur ipsum esse auctorem bonorum nostrorum, & nos esse ipso inferiores, eoq; egere; hoc enim includit petitio seu deprecatio. Hinc fit vt superbi ægrè orent. Deinde testamur, ipsum omnia scire in particulari, omnium habere prouidentiam & dispositionem, omnia posse, omnium misereri, &c. 7 *Est actus religionis.*

Obiectio 1. Dices Primò, Oratio est actus spei: ergo non est religionis; nam idem actus non potest esse duarum virtutum.

Respon. 1. An sit actus spei. Respondeo Primò, Idem actus non potest esse elicitus immediatè à duabus virtutibus distinctis: quia non potest habere duas rationes formales specificas, aut duplicem speciem intrinsecam essentialem: potest tamen à duabus imperari, quia in vno opere externo duplex ratio honesti considerari & appeti potest. potest enim quis dare eleëmosynam, tum vt proximi miseriam leuet, qua ratione erit actus misericordiæ; tum vt votum persoluat, & sic erit opus religionis. Simili modo potest quis orare vt Deum honoret, & vt gratiam impetret. 8

2. Respon. Secundò, Orationem explicitè & formaliter esse actum spei, sed implicitè & interpretatiuè esse actum religionis: quia non fit expressè ad Deum honorandum, sed ad impetrandum: implicitè tamen redundat in honorem Dei. vnde ad orationem necesse est concurrere internum actum spei, non autem internum religionis, saltem explicitè; quia non est necesse habere expressam voluntatem Deum honorandi: quamuis debeat adesse voluntas faciendi id, quod in honorem Dei cedit; quæ voluntas implicitè censetur esse voluntas honorandi Deum. Vnde apud omnes gentes oratio habetur pro cultu Numinis.

Obiectio 2. Dices Secundò, Deus est immutabilis, ac proinde orationibus nostris permoueri nequit: frustrà ergo funduntur. Confirmatur, quia ab æterno omnia sunt decreta & immutabiliter constituta: ergo orationes, quæ fiunt in tempore, nihil possunt mutare.

Respon. Immutabilitas Dei, orationes efficaciæ nihil officiat. Respondeo, Deus non potest ita permoueri orationibus, quasi nunc incipiat velle quod antea nolebat, aut non volebat: hoc enim repugnat immutabilitati eius, ad quam requiritur vt omnis volitio etiã libera fuerit ab æterno in illo, sitq; immutabiliter duratura in æternum. Dicitur tamen Deus permoueri orationibus, quia præuisis orationibus multa voluit & statuit ab æterno, quæ alioquin

alioquin non voluisset; adeò vt oratio præuisa, sit suo modo causa cur Deus anticipata illa voluntate sic velit; non secùs ac si modò nouam voluntatem conciperet.

Ad confirmationem: Omnia quidem sunt decreta ab æterno, nempe decreto quo velit res fieri, vel quo velit permittere fieri; sed hoc decretum non est factum de omnibus ante præuisionem nostrarum orationum; adeò vt orationes nostræ causa sint cur pleraque ad salutem opportuna hoc modo Deus decreuerit. Sed de hoc plura 1. part. quæst. 14. 19. & 23.

Dvbitatio iii.

Vtrùm oratio sit ad salutem necessaria, & quando obliget.

D. Thomas art. 2.

9 *Error Euchitarum.* Svnt hîc duo errores. Prior est Messalianorum, qui dicti sunt Euchitæ. hi volebant orationem solam ad salutem sufficere, ita vt nec Baptismum, nec Eucharistiæ sacræ communionem necessariam dicerent, vt habet Theodoretus l. 4. Histor. cap. 10. & Damasc. lib. de 100. hæresibus.

Error Pelagianorum. Alter est Pelagianorum. Hi docebant, (saltem implicitè) orationem non esse necessariam ad salutem. hoc ipso enim, quo docebant gratiam diuinam non esse necessariam, & hominem solis naturæ viribus posse salutem promereri, cogebantur etiam fateri orationem non esse necessariam: cui enim opus non est auxilio, ei etiam petitione auxilij opus non est. vide D. Augustinum hæresi 88. non tamen negabant eam esse vtilem; nam etiam auxilium gratiæ vtile fatebantur. Eamdem quoque non esse necessariam, fateri coguntur hæretici nostri temporis; idque ob duas causas, tum quia omnia tribuunt fidei speciali, ita vt nec opera bona requirant; tum quia omnia fato euenire volunt. quod si verùm est, superuacanea est orationis cura & studium: nam etsi non ores, omnia æquè euenient. quòd si Deus aliquid per orationem fieri velit; ipse etiam curabit vt & illa oratio fiat. vnde non oportet hominem de ea facienda esse sollicitum. Vide Castro v. Oratio, hæresi 3.

10 *Oratio necessaria ad salutem.* Sed fide tenendum est, orationem adultis ad salutem esse necessariam; (nisi fortè vitæ breuitas obstet) nec tamen sufficere.

Quod non sufficiat, patet; requiritur enim Baptismus, & mandatorum obseruatio, & pœnitentia in lapsis.

Quod sit necessaria, colligitur ex multis Scripturæ locis, quibus monemur semper orare. Ecclesiastici 18. *Ne impediaris orare semper*. q.d. ne sinas te vllo modo impediri à tam necessario exercitio. & Dominus Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere*. nempe quantum pro humana fragilitate fieri potest. vel *semper*, id est, quotidie. 1. ad Thessalonicenses vltimo: *Sine intermissione orate*, id est, quantum fieri potest, vt Chrysostomus exponit. Ad Colossenses 4. *Orationi instate, vigilãtes in ea*. & alibi sæpè. Non tam crebrò & seriò Scriptura hoc ingeminaret, nisi res esset apprimè necessaria: non enim ita loqui solet de consilijs.

Cur necessaria. Ratio huius necessitatis est, quia oratio est medium quoddam, sine quo auxilium ad salutem necessarium obtineri nequit. cùm enim etiam iustificati egeamus quotidiano auxilio ad vincendas tentationes, & ad perseuerandum; Deus non statuit hoc auxilium passim conferre, nisi orantibus & petentibus: idque meritò; nempe vt intelligamus à quo nobis salus & omne bonum proueniat, eique gratias agamus. vnde Dominus Matthæi 7. *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit*, &c. insinuans absque petitione non accepturos. Idem insinuat Dominus Ioan. 6. *Nolite murmurare in inuicẽ: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. quasi dicat, nolite murmurare ob ea quæ dixi, sed potiùs orate Deum vt vos illuminet; nemo enim potest credere in me, nisi quem Pater traxerit. vide D. Augustinum tract. 26. in Ioannem.

Sed dubium est, Quo tempore obliget. Durandus in 4. d. 15. quæst. 12. docet, orationem priuatam cadere sub præcepto in genere absque determinatione loci, temporis, & modi orandi. Iure enim naturæ nos solùm obligari vt aliquando Deum oremus, & necessaria ad salutem ab eo petamus, idque siue mente tantùm, siue etiam voce. quæ sententia vera est, si rectè intelligatur. nulla enim sunt certa tempora Iure naturæ determinata ad orandum, sicut Iure Ecclesiastico sunt præscripta orationi publicæ. Verùm vlteriùs difficultas restat, An non sint certi aliqui euentus, quibus teneamur orare, & quinam illi sint. 11 *Quando obliget præceptum orandi.*

Respondeo, Posse assignari aliquot euentus maximè probabiles.

Primus est, Quando peccator se ad gratiam disponere tenetur; vt quando ipse Sacramentum aliquod administrare vel suscipere debet: tunc enim tenetur petere veniam peccatorum & auxilium vt Deo reconcilietur. quod potissimùm locum habet si desit copia Sacramenti. *Certi euentus, quibus tenemur orare.*

Secundus, In euidenti periculo mortis, præsertim si quis sit in peccato mortifero. si enim vmquam petenda venia peccatorum & auxilium diuinum, tunc maximè.

Tertius, In vehementi tentatione, cui alia ratione putat se non posse resistere. Ita Medina C. de orat. q. 11. sub finem. Addit Nauarrus l. de orat. cap. 3. num. 14. alium casum, quando quis aduertit se alterius exitium impedire non posse, nisi oratione; vt si videat duos ad duellum properare, quibus non nisi oratione prodesse potest. quod verum est, si putet se hac ratione malum auertere posse; (quod rarum est) aliàs non tenetur. His addi potest, nos obligari vt non multo tempore oratione abstineamus, v.g. ad mensem vnum vel alterum, quia est signum magnæ negligentiæ suæ salutis. Porrò in his casibus, quibus oratio ad aliquod malum auertendum videtur necessaria, eius omissio non est peccatum, nisi quis aliquo modo aduertat suam obligationem: alioquin omissio non censebitur voluntaria vt est contra præceptum; vnde nec ad culpam imputabitur. Quando autem est culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam distinctam ab illo peccato: nam solùm est mala, quia est interpretatiua voluntatis illius peccati. 12

Dvbitatio iv.

Quænam in oratione sint petenda.

Respondeo, Summam petendorum breuiter comprehẽsam esse oratione Dominica. Nam vt rectè D. Augustinus epist. 121. ad Probam ait, *Si per omnia sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo, nihil inuenies quod non ista contineat & concludat oratio.* non tamen omnia disertè continet, sed præcipua tantùm, quæ maximè nobis præ oculis habenda: decebat enim Christum vt ea doceret petere, quæ natura non suggerit, minimeque vulgaria sunt, ad quæ tamen reliqua facilè reduci possint.

Hanc diuinissimam orationem pulchrè explicat D. Thomas art. 9. possunt tamen quædam petitiones paulò aliter, nec minùs accommodatè ad mentem Domini exponi.

13 *Breuis explicatio orationis Dominicæ. Pater noster.*

Constat hæc oratio compellatione Dei, ad quem dirigitur, septem petitionibus, & clausula approbationis. Compellatio est, *Pater noster, qui es in cælis.* dicimus *Pater noster*, potiùs quàm Deus noster, quia patris nomen magis est idoneum ad excitandum in nobis amorem filialem, & fiduciam impetrandi; & ad Deum, intuitu adoptionis per Christum factæ, ad misericordiam flectendum.

Quid in cælis.

In cælis, quia tantùm in cælis seu cælorum ciuibus seipsum aperit & præsentem exhibet. alibi non videtur; sed ita manet absconditus, ac si illic non esset. Hoc additur vt mentem sursum erigamus, & intelligamus verum patrem & patriam & hereditatem nostram illic esse.

Sequuntur petitiones, quarum tres primæ pertinent ad bonum Dei, quatuor reliquæ ad nostrum.

14 *Sanctificatio. Consistit in tribus.*

Prima est, *Sanctificetur nomen tuum*, id est, quidquid tu nominaris, quidquid es, id sanctè vbique celebretur: *sanctificare* enim, phrasi Hebræa, est celebre facere & colere. hæc *sanctificatio* consistit in tribus. Primò, Vt Deus, eiusque maiestas, potentia, sapientia, benignitas, prouidentia, iustitia, misericordia ab omnibus cognoscantur. Secundò, Vt Deus ab omnibus supra omnia timeatur & ametur. Tertiò, Vt ab omnibus dignè colatur & prædicetur.

15 *Regnum Dei.*

Secunda, *Adueniat regnum tuum.* Petimus impleri numerum Sanctorum, & inchoari beatum illud regnum, quo Deus subiectis omnibus inimicis, & compressis aduersariis potestatibus, solus regnabit, eritque omnia in omnibus, iuxta Apostolum 1. ad Cor. 15. Insinuat hanc expositionem Tertullianus de oratione, Rupertus, & Theophylactus in hunc locum. Hoc regnum Deo maximè desiderare debemus, quia in eo gloria ipsius completa erit, nec aliquis ampliùs eam obscurabit, aut ei resistet, sicut modò fit, quando peccatores illum contemnunt.

16 *Voluntas Dei.*

Tertia, *Fiat voluntas tua*, &c. Petimus vt sicut in cælo fit omne id quod Deo placitũ est & gratum, nihil quod eius voluntati repugnet; ita etiam fiat in terris. Itaque petimus Primò, Exactam (quantum humana fert conditio) mandatorum obseruationem, non quidem nostrâ causâ vt est bonum nostrum, sed vt est quoddam bonum Dei, quo ipse delectatur. vnde etiã implicitè petimus auxilium nobis & ceteris mortalibus ad hoc præstandum; & vt Tertullianus ait, *petimus substantiam & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, vt salui simus, & in cælis & in terris.* Deinde etiam in omnibus rebus aliis, diuinum beneplacitum præponimus nostris affectibus & commodis: vt si Deus velit nos esse pauperes, infirmos, inglorios, mori, viuere, si tollere vxorem, liberos, parentes, acquiescamus in eius sanctissima voluntate; & dicamus cum Christo, *Non mea, sed tua voluntas fiat.* & cum Machabæo, *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* & cum Iob, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Cùm enim verba sint generalia, & faueat modus loquendi Scripturæ, non sunt ad mandatorum obseruationem restringenda: sed generatim de omni Dei beneplacito. vnde rectè Maldonatus, explicans hunc locum, *Petimus*, ait, *non solùm vt voluntas Dei fiat à nobis, sed etiam in nobis.* maioris enim momenti est etiam minimam voluntatem Dei impleri, quàm omne bonum creaturæ, quà est creaturæ. Hæc resignatio sui in diuinam voluntatem, est opus magnæ in Deum charitatis, & proinde magnæ perfectionis. nam per eam vincit omnes suos affectus, & perfectissimè conformat se voluntati diuinæ. indicat apertè hunc sensum Tertullianus.

17 *Panis quotidianus.*

Quarta, *Panem nostrum*, &c. Petimus hîc nobis quotidiana subsidia corporis & etiam animæ, vt plerique DD. explicant, præsertim panem illum cælestem, quo alimur ad vitam æternam. Græcè est, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. Hoc dupliciter verti potest, Primò, vt passim in oratione Dominica recitari solet, & Lucæ 12. habetur, *Panem nostrum quotidianum*, quo modo ante D. Hieronymum verterunt passim Latini, Tertullianus, Cyprianus, & alij. Secundò, vt habetur Matth. 6. *Panem nostrum supersubstantialem*, quo modo vertit S. Hieronymus. vtraque versio bona est.

Sed aduerte, vocem *supersubstantialem* non esse ita accipiendam, vt solùm significet id quod est supra substantiam, quod Dionys. Areopagita passim ὑπερούσιον vocat; sic enim ea petitio solùm pertineret ad panem cælestem, vt Eucharistiæ & visionis diuinæ, nec peterentur subsidia temporalia; quod est contra communem fidelium sensum. Deinde Apostoli non potuissent tunc temporis intelligere quid Dominus istis verbis sibi vellet; nondum enim nouerant illum cælestem panem. Quare vox ista est accipienda vt planè respondeat voci ἐπιούσιον, & *super* accipiatur non pro *supra*, sed pro *ad*, seu *iuxta*, Græcè ἐπὶ; & significetur omne alimentum substantiæ nostræ congruens: hoc enim propriè est ἐπιούσιον, vt rectè Suidas interpretatur: quasi dicas ἐπὶ τὴν οὐσίαν ἁρμόζον. vnde idem rectè dicitur *quotidianus*, nam natura nostra quotidie refici debet, & alimento congruenti sustentari. quamuis ἐπιούσιον possit etiã deduci ἐφ' ἡμέρας, quod non solùm diem crastinum, sed etiam hodiernum, qua parte nondũ præsens est, significat, à verbo ἐπιέναι, *accedere*, hinc ἐπιούσιον, quod ad diem accedentem pertinet. itaque ἄρτος ἐπιούσιος est qui diei accedenti est accõmodatus & necessarius. Sic enim expressa est hæc petitio, ac si prima luce fundenda esset. quare optimè interpres mentem Euangelistæ spectans (qui per ἐπιούσιον non volebat significare τὸ ἄυριον, diem crastinum, sed instantem) vertit *quotidianum*. additur *hodie*, tum vt significetur cauendam sollicitudinem in crastinũ; tum quia quotidie hæc oratio fundenda, & necessaria à Deo petenda; cùm assiduè ab ipsius beneficentia pendeamus.

18 Quinta, *Dimitte nobis*, &c. Petimus nobis condonari delicta nostra: *nam debitum in Scripturis delicti figura est*, vt ait Tertullianus, quia delicti effectus & germen. Nam ex delicto duplex debitum contrahitur, culpæ, & pœnæ. *Debitum culpæ* est obligatio compensandæ iniuriæ per peccatum Deo illatæ. hoc debitum si ex peccato mortifero ortum sit, nullo modo ad æqualitatem solui potest à nobis, sed à solo Christo, vt in 3.p.q.1. tradi solet. *Debitum pœnæ* est obligatio sustinendi pœnam æternam vel temporalem, vtrumque petimus nobis ignosci.

Duplex debitum.

19 *Sicut & nos dimittimus*, &c. Illud *sicut* non significat regulam, quam Deus in condonandis peccatis sequatur, quasi petamus vt Deus non benigniùs & promptiùs, nec maiora condonet nobis quàm nos proximis nostris; sed causam inductiuam, vt patet ex Luca c.11. vbi sic dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis.* est enim conditio quædam, quam Deus à nobis requirit: vnde apud Matth. immediatè post hanc orationē subdit Dominus, *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Itaque allegamus hîc à nobis impletam conditionem, non quòd nihil aliud ad remissionem peccatorum obtinendam requiratur; sed quia est dispositio maximè congrua, sine qua non est nobis venia speranda; & qua posita, omnino speranda est, nisi aliud quid impediat, vt defectus doloris, vel propositi emendationis.

Sicut.

Petes, Quid tenemur debitoribus nostris dimittere?

Quid condonandum proximo.

Respondeo, Non pecuniam, non famæ & honoris restitutionem; sed iniuriam nobis illatam, ita vt propter illam non prosequamur eos odio, nec velimus vindictam priuatam, nec etiam publicam, nisi quando bonum publicum aut recta ratio aliud postulabit.

20 Sexta, *Et ne nos inducas in tentationem.* Petimus ne Deus permittat nos vlla tentatione vinci, sicque nos semper dirigat, vt numquam succumbamus: hoc enim est induci, seu vt Græcus textus habet, inferri in tentationem, μὴ εἰσενέγκῃς, ne inferas, id est, ne sinas inferri. Interdum enim dicitur Deus facere, quod permittit, quia fieri nisi ipso annuente & manum omnipotentiæ suæ laxante, non potest. Sic Matth.26. Dominus monet, *vigilate & orate, ne intretis in tentationem*, id est, ne tentationi cedatis. causam addit, *quia spiritus* (id est, diabolus) *promptus est*, ad tentandum & incitandum ad peccatum; *caro autem*, (id est, homo) *infirma* ad resistendum, sine ope diuina.

Facere, pro permittere.

Septima, *Sed libera nos à malo.* Petimus hîc liberari ab omnibus diaboli, & consequenter etiam malorum hominum, qui sunt membra eius, insidijs. à malo, Græcè est ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quo nomine diabolus significari solet in Scripturis: vt 1. Ioannis 5. *Malignus* (ὁ πονηρὸς) *non tangit eum.* &, *Totus mundus in maligno positus est*; id est, sub diaboli potestate. & 1. Ioan.2. *Vicistis malignum.* Matth.5. *Quod his abundantius est, à malo est.* & alibi.

Malignus.

Amen. Clausula *Amen*, quam Hieronymus vocat signaculum orationis Dominicæ, est approbantis & optantis vt ita fiat, Græcis γένοιτο. Psal.40. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo & in sæculum, fiat fiat.* Græcè, γένοιτο, γένοιτο. Idem habetur Psalmo 71. versu vltimo, per se tamen idem valet, quod *verè*, teste Hieronymo.

Notandum est ex D. Thoma, ar. 5. inter ea quæ à Deo peti possunt, quædam absolutè petenda esse, vt ferè sunt ea quæ oratione Dominica continentur. alia solùm sub conditione tacita vel expressa, vt sunt diuitiæ, honores, longa vita, opulenta matrimonia, vxor speciosa, pulchræ proles, & similia. hæc enim, quia sæpissimè hominibus sunt exitio, non sunt petenda absolutè, sed sub conditione, si nobis sint futura salutaria; quod soli Deo perspectum est. Vnde in istis optima orandi forma est, rogare Deum vt nobiscum agat sicut nouit expedire ad suam gloriam & salutem nostram. 21

Duplicia sunt, quæ à Deo petuntur.

Petes, Vtrùm sit peccatum ea secundùm se desiderare & petere à Deo?

Respondeo, Si quis hæc ita desideret, vt non curet, sint ne ipsi futura salutaria an non, peccat; quia illa plus amat quàm suam salutem. Si tamen speret non obfutura saluti, non videtur desiderium, quo illa per se appetuntur, esse malum, modò eâ mensurâ appetantur, quæ non sit contra rectam rationem: quia sunt bona indifferentia. vnde si quis ea sic petat à Deo, non videtur peccare; nam Iudæi talia à Deo petebant, & talium bonorum in veteri Testamento promissiones pro legis obseruatione acceperunt. Si tamen desiderium & sollicitudo modum excedant, peccatum est.

Si bona adiaphora per se petantur.

DVBITATIO V.

Quibus conueniens sit orare.

D. Thomas art. 3.

RESpondeo, Conuenire soli naturæ rationali Superiorem agnoscenti, à quo aliquid boni sibi vel alteri expectare possit. Ratio est, quia oratio est petitio quædam ad Superiorem directa. petitio autem est actus rationis, quo desiderium exprimitur ad aliquid impetrandum. 22

Hinc patet Primò, Orationem non conuenire personis diuinis; tum quia Superiorem non habent, à quo sibi vel alteri aliquid possint expectare; tum quia singulæ sua auctoritate & potestate omnia possunt.

Patet Secundò, Eam conuenire tum Angelis sanctis; quia etsi nihil supersit quòd sibi peculiariter petant, nobis tamen bona spiritalia & salutem expetunt, & Deo aduentum regni futuri: tum animabus beatis, quæ præterea sibi petunt resurrectionem corporum: tum viatoribus, quibus & sibi & aliis multa petenda: tum defunctis, qui sunt in purgatorio, quos pro se orare vt à pœnis soluantur, non videtur dubitandum: quicumque enim in graui afflictione constitutus scit esse aliqua remedia, quibus possit liberari, dubium non est quin roget ea sibi adhiberi. defuncti autem sciunt extare huiusmodi remedia, vt sacrificia, preces, ieiunia, eleemosynas fidelium, indulgentias, orationes Sanctorum: cur ergo non orent hæc sibi applicari, & vt Deus fideles ad hæc excitet? Vnde meritò Ecclesia illud Iob, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*, applicat defunctis in purgatorio positis. An orent pro viuis, non satis constat. credibile est etiam pro illis orare; quia dubitandum non est quin pro suis sint solliciti: ad hoc enim charitas eos impellit. cur ergo illorum salutem Deo 23

Conuenit Angelis, animabus beatis, viatoribus, & defunctis qui in purgatorio.

Defuncti orant pro nobis in purgatorio.

Deo non commendent? nos tamen eos non inuocamus, quia preces noſtras ordinariè non poſſunt cognoſcere; & ſunt in eo ſtatu vt magis egeant auxilio noſtro, quàm vt poſſint nobis auxilium adferre, vt ait D.Thomas q.83.art.11.ad 3.

An damnatis. Patet Tertiò, Damnatis orationem propriè non competere; tum quia carent pio affectu ex quo oratio debet procedere, vt ſit actus virtutis; tum quia nihil illis boni à Deo expectandum. quamuis interdum aliqualis petitio in illis reperiatur; vt cùm ſatan petiit tentare S. Iob; cùm diues petiit mitti Lazarum, &c.

24 *An humanitati Chriſti.* Sed difficultas eſt, Vtrùm Chriſto ſecundùm humanam naturam in cælo conueniat. Quidam negant, Primò, Quia Chriſtus totum negotium ſalutis noſtræ exactè & minutè cum Patre in via compoſuit. Secundò, Quia aliàs liceret Chriſtum rogare vt pro nobis oret.

Sed verius videtur, Chriſti animam etiam modò rogare diuinitatem pro hominibus. Primò, Quia id non dedecet ipſam, cùm in via ſæpiſſimè id fecerit, & ſtatui beatitudinis non repugnet; vt patet in aliis Beatis. Secundò, Vtitur in Deum laude, gratiarum actione, adoratione, ſicut enim ſumma charitate, ita etiam ſumma humilitate erga Deum eſt prædita. cur etiam non vtatur oratione? Tertiò, Etſi data ſit illi animæ ſanctiſſimæ omnis poteſtas in cælo & in terra, Matth. 28. tamen executio huius poteſtatis non poteſt fieri virtute animæ, ſed diuinitatis, vt patet in iuſtificatione & glorificatione: ergo decet vt id petat à diuinitate, ſaltem actu interno. Quartò, Sicut hoſtiæ veteres immolabantur in ſancto ſæculari, ita Chriſtus ſemetipſum immolauit in hoc mundo: & ſicut Pontifex veteris legis, ſanguinem hoſtiæ inferebat in ſancta ſanctorum ad deprecandum Deum pro populo; ita Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum intulit in cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis, vt deducit Apoſtolus ad Hebræos 9. ergo Chriſtus ibi apparet vt Pontifex, ſeu vt munere Pontificis poſt hoſtiæ ſacrificium fungens; quod in eo conſiſtit vt petatur ſacrificij effectus; alioquin nō eſſet apta analogia inter Chriſtum & Pontificem veteris legis, quam intendit Apoſtolus. Quintò, Hæc ſententia eſt magis conſentanea Scripturæ ſacræ Ioannis 14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* quaſi dicat, Nolite ob meum diſceſſum ad Patrem eſſe mœſti; quia cùm ad Patrem venero, rogabo eum vt alium meo loco mittat, qui numquam diſcedet. 1.Ioan.2. *Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem* Iesvm *Chriſtum iuſtum:* quod propriè dici nequit, niſi aliquid pro nobis à Patre petat. Ad Rom.8. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Heb.7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* quibus verbis ſatis inſinuatur, hanc interpellationem non ſolùm fieri exhibitione & præſentia obiectiua humanitatis & vulnerum, ſic enim non eſſet quid diſtinctum à ſeſſione ad dexteram, nec requireretur vt ſit viuens; ſed per actum animæ, quo nobis miſericordiam & ſalutem petit: ſic enim aliquid peculiare adfertur, quod noſtram fiduciam erigat: hoc enim intendit Apoſtolus. Sextò, Eamdem ſententiam inſinuant Patres, Iuſtinus q.105.ad orthod. *Si enim ſuperatis iam reſurrectione, carnis infirmitatibus, vt Pontifex confeſſionis noſtræ, interpellat pro nobis, nonne magis cùm adhuc ſubiaceret infirmitati carnis, egebat magno validoque clamore & lacrymis, cum quibus preces offerebat?* Ambroſ. in illud ad Rom.8. Qui etiam interpellat pro nobis: *Chriſtus reſurgens, ſemper cauſas noſtras agit apud Patrem, cuius poſtulatio contemni non poteſt, quia in dextera Dei eſt, hoc eſt in honore quod Deus eſt.* & infrà explicat quo modo interpellet pro nobis, nempe eo modo, quo rogauit pro Petro, vt non deficeret fides eius. & infrà: *Interpellat pro nobis, ne inimicus aliquid violenter præſumat contra nos, vt arceatur inſolentia eius.* In eadem ſententia videtur eſſe Cyprianus epiſt.8. & Auguſtinus præf.in Pſal.85. Idem apertè docet D.Thomas in cap.7.ad Hebr.lect.4. D.Bonauentura, de vita Chriſti cap.98. Toletus in cap.16. Ioannis, annot.35. & Suarez in 3.p. diſp.45.ſect.2.

Ad Primam rationem in contrariū adductam: Chriſtus omnia cum Patre compoſuit, quia exactè pro omnibus ſatisfecit, & meruit omne bonum, quod temporis ſucceſſu hominibus confertur. Hinc tamen non ſequitur, quin modò poſſit orare vt illis bona conferantur. *Ad argumenta.*

25 *Obiectio.* Dices, Chriſtus adhuc in vita mortali præuidebat quidnam ſingulis hominibus expediens foret, & quid pro ſingulis eſſet petendum: ergo illud tunc poterat petere & pro ſingulis impetrare. Si poterat, credibile eſt feciſſe. cur enim expectet tempus executionis? præſertim cùm hoc modo perfectius ſit opus noſtræ redemptionis, quod in hac vita eſt operatus.

Reſp. Chriſtus non opus habet oratione. Reſpondeo, Hoc argumentum rectè probare, non eſſe illi opus oratione, cùm iam omnia petierit & impetrauerit, quæ temporis ſucceſſu mortalibus bona conferuntur. Hinc tamen non ſequitur, quin re ipſa oratione vtatur; non quia id neceſſarium, ſed vt diuinitatem ſic magis honoret, & omne bonum in illam tamquam in primum fontem referat. nam etiam ab initio conceptionis illa omnia præuidit, & vt veriſimile eſt, petiit & impetrauit; (id enim facile ei erat) tamen ſæpiùs in vita eadem rogauit, & impetrauit. nihil enim vetat quin idem ſæpiùs poſſit rogari & obtineri ante executionem. Itaque poteſt etiam modò rogare vt fiat executio eorum, quæ antè meruit & impetrauit, quamuis nihil noui petat.

26 *An Chriſtus rogandus vt pro nobis oret.* Ad Secundum Reſpondeo, Etſi per ſe non ſit illicitum, vt quis conſiderando Chriſtum quà homo eſt, qui diuinitatem omni cultu veneratur, ſic oret apud animum ſuum, Chriſte ora pro me, impetra mihi à Patre veniam & ſalutem; tamen abſolutè non eſt hoc modo orandum, ſaltem publicè. Primò, Quia eſt contra morem Eccleſiæ. Secundò, Facilè inſinuaretur error Arij, facientis Filium creaturam; vel Neſtorij, conſtituentis duas in Chriſto perſonas. Tertiò, Inſinuaretur, Chriſtum, ſicut alios, egere oratione, nec habere in ſua poteſtate nos ſaluare ſine oratione. nemo enim illum, qui per ſe poteſt dare ſalutem, rogat vt oret, ſed vt ipſe det. Quartò, Oratio dirigitur ad perſonam, quæ eſt Deus, & ſua auctoritate poteſt dare. Quintò, Decet vt qui aliquid ab altero petit, præſertim publicè, ſummo titulo honoris compellet, & ſupremam illius poteſtatem agnoſcat; alioquin videbitur illum potiùs irridere, quàm honorare. Denique, quia nihil noui impetrare poteſt, quod iam antè non impetrauerit. itaque ſolùm rogandus eſt vt illud ſua poteſtate diuina confe-

rat. Si tamen ipsa Christi anima per se spectetur, non absurdè priuatim rogari poterit, vt virtutes & salutem impetret, id est, faciat nobis per diuinitatem conferri. etsi enim ipse non egeat oratione, tamen ex humilitate ea libentissimè vtitur erga diuinitatem.

DVBITATIO VI.

Vtrùm Sancti sint orandi seu inuocandi.

D. Thomas quæst. 83. art. 11.

27 NEgarunt hoc multi hæretici. Primò, Vigilantius, qui docebat mortuorum preces pro aliis non exaudiri, teste Hieronymo. Vnde apertè sequitur inanem esse Sanctorum inuocationem.

Secundò, Quidam hæretici tempore D. Bernardi, dicti Apostolici, qui, vt refert Bernardus Serm. 66. in Cantica, ridebant Catholicos quòd Sanctos inuocarent.

Tertiò, Quidam circa eadem tempora dicti Cathari & Patareni, qui nec Sanctos nec Angelos inuocandos esse docebant, teste Turrecremata l. 4. de Ecclesia p. 2. cap. 35.

Quartò, Waldenses, seu Pauperes de Lugduno, qui paulò pòst orti, dicebant Sanctos nec audire, nec attendere ad preces nostras, teste Antonino 4. p. tit. 11. cap. 7. §. 2.

Quintò, Wiclef, qui dicebat esse inutile Sanctos inuocare, teste Thoma Waldensi tom. 3. c. 108.

Hæretici nostri sæculi.

Sextò, Hæretici nostri temporis, qui duo docent. Primò, Id esse inutile, eò quòd Sancti preces nostras non cognoscant. Secundò, Esse impium, quia obscuratur officium Mediatoris. Ita Caluinus lib. 3. Instit. cap. 20. §. 20. & sequent. vsque ad 28. Idem docent ceteri.

28 Pro veritate Notandum est, Sanctos posse tripliciter inuocari.

Primò, Tamquam primarios auctores vitæ & salutis, quasi sua ipsi auctoritate & potestate possint remittere peccata, infundere virtutes, dare vitam æternam, &c.

Secundò, Tamquam adiutores ad precandum Deum.

Tertiò, Tamquam administros quorumdam beneficiorum, quæ ipsi per se nobis conferre possunt; qualia sunt salutaria suggerere, dæmonis machinationes impedire, varia mala auertere, & similia. Nunc

Dico Primò, Nulla ratione licitum est Sanctos primo modo inuocare, nempe tamquam auctores primarios salutis: id enim esset aperta idololatria; nec quisquam Catholicorum ita vmquam illos inuocauit, aut inuocandos censuit, vt falsò illis imponit Caluinus num. 22.

Nec obstant illæ formulæ precandi, quas Caluinus obiicit tamquam intolerabiles, *S. Medarde, S. Eligi, respice seruos tuos, iuua è cælo:* quia intelligendæ sunt de auxilio precum, vel simili, quod ipsis congruat: illâ autem, *vt sancta Virgo iubeat Filium facere quod petimus*, nullus Catholicus vtitur; nemo enim nescit Filium in cælo Matri subditum non esse; ac proinde nihil ei propriè iuberi posse. Quòd si quis tamen pia mente sic loqueretur, non esset magnopere reprehendendus: nam etiam Scriptura dicit Deum voci hominis obediuisse, latiore vocabuli significatu: & amicis dicere solemus vt iubeant & imperent nobis. Similiter non obstat quòd Virgini dicamus, *vita, dulcedo, & spes nostra:* id enim verum est ratione Filij, quem nobis peperit, per tropum, qui Metonymia dicitur, vbi nomen effectus tribuitur ei, quod aliquo modo est causa; quod in Scripturis est frequens. omitto Apostolos lucem mundi à Domino vocari Matth. 5.

Dico Secundò, Pium tamen & salutare est eos 29
inuocare secundo & tertio modo, tamquam amicos Dei charissimos, videlicet vt pro nobis orent, suamque nobis opem porrigant. Est fide tenendum, & definitum in Conc. Trid. sess. 25. de inuocat. Sanctorum. Probatur Primò, Ex Scripturis; Gen. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* hîc Iacob inuocat Angelum suum. Iob 5. *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* id est, ad aliquem Angelorum. Nec obstat, quòd hæc sint verba Eliphaz Themanitæ; quia Iob ea non reprehendit, cùm tamè alia minùs rectè dicta refutet. Exo. 32. *Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum*; vbi per merita Patriarcharum postulat, & exauditur. vnde sequitur infrà: *Placatus est Dominus ne faceret malum*, &c. hic modus orandi erat frequentissimus apud Iudæos. *Probatur inuocatio Sanctorũ.*

Dices, Non orabant ipsos Patriarchas, sed Deum. *Obiectio.*

Respondeo, Verum est; quia nondum erant in statu beatitudinis, vt possent preces ad se directas cognoscere. sed quia allegabant eorum merita & obsequia vt propter illa Deus misereretur, satis insinuabant, ipsos, si per se orent, multò magis impetrare posse. Falsum est autem quod ait Caluinus, solùm allegari pactum, quod Deus habebat cum Patribus, vt patet Psal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*; vbi merita allegantur. Idem patet cùm dicitur, *Seruorũ tuorum, dilecti tui, Sancti tui*, Exodi 32. Dan. 3. & alibi. *Resp.*

Secundò, ex Scripturis constat, Angelos & Sanctorum animas pro nobis orare: ergo rectè eos inuocamus, vt id crebrò & efficaciter præstent.

De Angelis, Tobiæ 12. Angelus dicit se obtu- *Orationum*
lisse Deo orationes Tobiæ; quæ oblatio non fiebat *oblatio.*
nuda tantùm exhibitione coram Deo, cùm ipsi omnia sint præsentissima; sed cum deprecatione vt Deus illas exaudiret: quo modo per aulicos nobiles cupiunt homines suas preces offerri Principi. Zachariæ 1. Angelus orat Deum pro populo Iudaico.: *Domine exercituum, vsquequo tu non miseréberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.*

De aliis Sanctis patet 2. Machab. vltimo, vbi Onias apparuit Iudæ Machabæo, orans pro populo; & Ieremias, de quo Onias dicit, *Hic est qui multum orat pro populo, & sancta ciuitate Ierusalem*; & tamen nondum erant beati: quantò magis in statu beatitudinis orabunt, vbi charitas illorum longè feruentior?

Tertiò, Probatur ex Conciliis. Synodus 7. act. 6. 30
Cum timore Dei omnia agamus, postulates intercessiones incontaminatæ Deiparæ & semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ. Item sanctorum Angelorum, & omnium Sanctorum, salutantes venerandas illorum reliquias, &c. Concil. Trid. sess. 25. in principio, mandat populum Christianum doceri, *eos, qui negant Sanctos æterna felicitate fruentes inuocandos esse; & qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, vt pro nobis etiam singulis orent,*

inuo-

inuocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, impie sentire, &c.

Disputare contra Ecclesiæ vsum

Quartò, Idem probari potest ex perpetuo Ecclesiæ vsu: atqui *de eo, quod tota per orbem frequentat Ecclesia, disputare an ita faciendum sit, insolentissimæ insaniæ est*, vt ait Augustinus epist. 118. ad Ianuarium. Idem patet ex Litanijs, quarum vsus in Ecclesia plusquam à mille annis viguit, vt patet ex Concilio Aurelianensi I. cap. 20. & Toletano V. cap. 1.

Locus Hieron. notandus.

Quintò, Ex Patribus: solùm vnum locum adferam ex Hieronymo contra Vigilantiũ: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando de se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post victorias, coronas & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino veniam; & Stephanus imitator Domini sui & primus Martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur: & postquã cum Domino esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est?* &c.

Probatur ratione.

Sextò, Probatur ratione; Sancti possunt nobis multùm prodesse, tum pro nobis orando, tum per se nobis opem ferendo: ergo pium est & vtile, illos inuocare. Antecedens probatur Primò, quòd

Possunt orando prodesse.

orationibus suis nobis prodesse possint; Quia si cùm adhuc essent mortales, exules, subiecti peccatis, solliciti & incerti suæ salutis, ita prodesse poterant, vt ex multis Scripturæ locis constat, vt Iob 42. vbi Iob iussu Dei orat pro amicis & impetrat; 1. Reg. 7. vbi populus rogat Samuelem vt pro ipso orare non cesset; ad Roman. 15. 2. ad Corinth. 1. ad Ephes. 6. ad Hebr. 13. Apostolus orationes fidelium pro suis negotijs flagitat: quantò magis nunc cum Christo regnantes, beati, securi, perfectissima charitate prædíti, prodesse nobis suis orationibus poterunt? præcipua enim ratio impetrandi est amicitiæ coniunctio, quæ inter Deum & ipsos nunc omnino est consummata.

31 *Et opem per se ferendo.*

Quòd etiam per se multa nobis conferre possint, constat, Primò, ex officio Angelorum custodum, qui multa mortalibus beneficia præstant, vt Scriptura multis locis docet; vt in historia Tobiæ, in Prophetia Danielis cap. 3. 10. 14. Gen. 48. & alibi. Idem posse alios Sanctos post Christi mortem, certissimum est: tum quia sunt similes Angelis, sapientia, charitate, potentia; neque sunt concluſi abditis quibusdam receptaculis, vt hæretici nostri cum Vigilantio somniant; sed possunt esse vbi vbi placuerit, vt docet Hieronymus lib. contra Vigilantium in principio, vbi sic ait: *Si Agnus vbique, ergo hi, qui cum Agno sunt, vbique* (id est, vbicumque volunt) *esse credendi sunt: & cum diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbiq; præsentes sint; Martyres post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi & inde exire non poterũt?* Tum quia Scriptura docet, Sanctos post hanc vitã regere mortales, Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea.* Item *esse columnas in templo Dei*, Apocal. 3. id est, sustinere Ecclesiam. *Sedere cum Christo in throno*, eodem capite, id est, vnà cum ipso regere orbem. Denique infinitis exemplis & miraculis constat, quantum commodi ex inuocatione Sanctorum in corpore & anima mortalibus obuenerit.

Sanctos vbiuis esse posse.

Sed contrà Obijcitur Primò, Sancti ignorant preces nostras; *non enim eousque illis longæ sunt aures vt ad voces nostras porrigantur*, inquit Caluinus suprà num. 24. 32 *Obiectio 1.*

Respondeo, Non ignorant, quantumuis occultè fiant. si enim Angeli eas norunt, vt qui eas Deo exhibeant, cur non etiam Sancti? Item si Angeli, qui in cælo sunt, sciunt omnes peccatorum in terris existentium conuersiones, deque illis gaudent, Lucæ 15. cur non etiam Sancti, qui Angelis pares? *Resp.*

Petes, Quomodo cognoscunt eas? 33 *Quomodo cognoscunt nostras preces.*

Respondeo, Vel in Verbo, vt vult D. Thomas q. 83. art. 4. ad 2. & Caietanus ibidem. Vel per nouas & quotidianas reuelationes, vt Cyrillus Catecheſi 16. Augustinus de cura pro mort. c. 15 sic enim multi Sancti etiam in hac vita, occultissima cognouerunt; Eliſæus factum Giezi, 4. Reg. 5. Petrus fraudem Ananiæ & Saphiræ, Act. 5. Benedictus Totilæ simulationem & futuros euentus, Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 15. & totum mundum veluti sub vno solis radio collectum, l. 2. dialog. cap. 35. Similia multa libro eodem recenset Gregorius. & plurimis Sanctorum hoc donum collatum fuisse, ex historijs constat. Denique familiare erat Prophetis, occultissima nosse: quantò magis in gloria cognoscent huiusmodi secreta, quando Deus erit omnia in omnibus? Ita ratiocinatur D. Augustinus lib. 22. de ciuit. cap. 29.

Vel denique cognoscunt nostras preces, dum ad ipsos diriguntur, eo modo, quo Angeli & animæ cognoscunt mutuas cogitationes, mediante locutione spiritali; præsertim cùm lumine supernaturali sint illustrati, nec corpus aut interuallum loci impediat. Si enim oculus corporeus tam procul intenditur, vt in cælum vsque pertingat; quantò magis oculus mentis luce diuina perfusus poterit ad remotissima, absque miraculo, vel ope extraordinaria pertingere?

Nec obstant loca Scripturæ, in quibus mortui dicuntur non cognoscere res viuentium, Ecclesiastæ 9. *Mortui nihil cognoscunt amplius.* simile insinuatur Iob. 14. & 4. Reg. 22. hęc enim intelligenda sunt vel de cognitione naturali, vel de cognitione quam habebant toto tempore veteris Testamenti: tunc enim erant in limbo, nec fruebantur conspectu Dei, nec habebant illud admirabile lumen, quod illis post Christi mortem communicatum, quo omnia lustrare possunt. vide D. Augustinum de cura pro mortuis, cap. 13.

Obijcitur Secundò, Christus est vnicus mediator noster, per quem habemus accessum ad Patrem: ergo non est recurrendum ad Sanctos; imò id videtur Christo iniurium, tamquam ipsius reconciliatio sit insufficiens, aut egeat auxilio Sanctorum. 34 *Obiectio 2.*

Respondeo, Christus dicitur *vnicus mediator* noster, quia principalis, idque ob quatuor causas. *Resp. Christus quomodo vnicus mediator.*

Primò, Quia non tantùm officio, sed etiam naturâ est mediator, seu medius inter Deum & hominem, vtpote vtriusque naturæ particeps; quam rationem adferunt Patres in illud 1. ad Timoth. 2. *Vnus est Deus, vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus* IESVS. & Aug. lib. 9. de ciu. c. 17. Secundò, Quia nos reconciliauit, non deprecando, sed condignũ pretium exhibendo, & satisfaciendo. Tertio, Quia ex propriis: habebat enim vim illam ex intrinseco, id est, ex natura sui suppositi.

Quartò, quia est mediator omnium: nam omnes, quantum ex parte ipsius, reconciliauit, & pro omnibus satisfecit. Sed hæ tres posteriores causæ pendent ex prima.

Sancti, mediatores secundarij.

Sancti dumtaxat sunt *mediatores secundarij*; quia nec ex proprijs reconciliant nos Deo: (non enim ex iis quæ à seipsis habent, sed ex iis quæ per indebitam gratiam acceperunt) neque omnes reconciliant; neque per modum solutionis; sed deprecationis. Rectè tamen dicuntur *mediatores*, quia verè intercedunt pro nobis deprecando, & diuina munera nobis impetrando. Sicut Moyses dicitur sequester & medius inter Deum & populum, Deuteron. 5. quia pro populo ad Deum locutus est, & pactum Dei ad populum detulit. Sic Cyrillus Apostolos & Prophetas vocat mediatores lib. 12. Thesauri cap. 10. quicumque enim interuenit inter duos vt alter alteri reconcilietur, vel aliquid alteri ab altero impetretur, vel vt pactum inter eos ineatur, rectè dicitur mediator inter illos.

35 *Non obscurari officium mediatoris, sed illustrari.*

Neque hæc intercessio vllo modo obscurat officium mediatoris Christi. Primò, Quia Angeli intercedunt pro nobis orando; imò etiam homines viui, vt ex Scriptura constat; & tamen hæc intercessio non obscurat illud. Secundò, Quia Sancti adhibentur vt comprecatores, nimirum vt suas orationes nostris iungant: quod non potest vllo modo in iniuriam Christi cedere. Tertiò, Quia omnem vim interueniendi & impetrandi, quam habent, acceperunt ex meritis Christi, eiusque intercessione. vnde potiùs ad honorem ipsius cedit, quòd possint esse secundarij mediatores; sicut ad honorem primæ causæ cedit, quòd creaturæ sint causæ secundæ: nam ita efficax est Christi mediatio, vt non tantùm reconciliet, sed etiam reconciliatores sub se, qui virtute ab ipso accepta reconcilient, efficiat. in omni enim reconciliatione operatur Christi meritum vt prima causa moralis, sicut Deus in omni operatione creaturæ naturali. quod valdè notandum est contra hæreticos. Decet id etiam ordinem diuinæ sapientiæ, quæ inferiora per media disponit, & ad perfectionem perducit. vide D. Thomam art. 11.

Christi meritum operatur vt prima causa moralis.

36 *Quibus meritis nituntur.*

Petes, Quibus meritis nituntur Sancti pro nobis orantes, seu per quæ merita orant?

Respondeo, Principaliter per merita Christi: quidquid enim nobis datur, principaliter datur propter merita Christi, vt colligitur ex cap. 1. ad Ephes. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Secundariò etiam per merita sua. etsi enim ex condigno compensata sint, ita vt nihil illis debeatur ex iustitia; tamen ex amicitia multa eis deberi possunt, vt patet exemplis humanis. Itaque hæc merita sunt ratio secundaria beneficiorum Dei: nam Deus applicat se ad benefaciendum nobis propter merita Christi, orationibus Sanctorum inductus. etsi enim Christi merita semper sint ratio principalis ob quæ Deus sua beneficia confert; tamen merita & preces Sanctorum sunt causa cur Deus hîc & nunc se applicet & determinet ad hæc vel illa beneficia danda ob Christi merita. Vnde etiã Sancti veteris Testamenti solent orare per merita Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauid, &c. Exod. 32. *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum.* Dan. 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Psal. 131. *Memento Domine Dauid*, &c. nempe vt propter hæc Deus hîc & nunc se ad benefaciendum inclinaret. Sancti tamen in veteri Testamento inuocari non solebant vt in nouo; quia nondum erant in gloria vt possent nostras preces cognoscere; sicut neque illi qui in purgatorio; quos ob hanc causam non solemus inuocare; vt colligitur ex D. Thoma art. 4. ad 3.

Merita Sanctorum sunt ratio secundaria.

Obiicitur Tertiò, Qui confugit ad Sanctos, videtur diffidere de Dei benignitate & Christi meritis: ergo. 37 *Obiectio 3.*

Resp. Respondeo, Minimè diffidere; sicut neque diffidit, qui hominis mortalis preces flagitat; nec Angeli diffidunt, quando pro nobis orant. etsi enim sciamus Deum per se esse propensissimum ad benefaciendum, & Christi merita esse sufficientissima; tamen iudicamus nos indignos qui soli coram tanta maiestate compareamus; & non satis dispositos ad beneficia illius excipienda. vnde confugimus ad Sanctos vt nos veluti comitentur, nostrisque precibus suas iungãt. qua in re primò, Honoramus Sanctos. Secundò, Reueremur Dei maiestatem. Tertiò, Illa submissione nos disponimus ad faciliùs impetrandum. Etsi enim Deus sit benignissimus, & Christi merita abundantissima, vt dictum est; tamen vult suam maiestatem & beneficia agnosci, nos ad ea disponi, & suos amicos honorari. vnde etiam vult vt ipsum oremus tum per nos, tum per alios, & maximè per Sanctos; idque vt ipsos honoret, & ostendat quanti eos faciat. Ex quo fit, vt per diuersos Sanctos, ad illorum inuocationem, diuersa miracula operetur; & beneficia diuersa conferat. Simile cernimus in rebus humanis. gratissimum enim est etiam clementissimis Principibus, vt Rei, quibus parati sunt indulgere, vtantur interuentu eorum, qui ipsis sunt chariissimi; & sæpè non aliter volunt ignoscere; & per diuersos diuersa concedunt.

Cur Deus velit nos vti Sanctorum suffragijs.

DVBITATIO VII.

Vtrùm sit orandum pro omnibus.

D. Thom. art. 7. & 8.

RESpondeo, Esse orandum pro omnibus, qui nondum sunt in termino, etiam inimicis nostris. ratio est, quia omnibus salutem desiderare, & quantum commodè possumus, procurare debemus: ergo etiam à Deo petere. confirmatur ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus.* Hoc tamen non ita intelligendum, quasi orare debeamus vt absolutè omnes salui fiant, & nemo damnetur; hoc enim frustrà & stultè oraretur; nam constat ex Scripturis contrarium euenturum. deinde nemo potest orare quod non potest sperare; hoc autem sperari non potest; nam spes supponit fidem vel opinionem, fieri posse vt res eueniat: nemo enim sperat aliquid, quod certò nouit non euenturum. Potest tamen id affectu simplici & inefficaci optari. Alio igitur sensu orandum pro omnibus. Primò, Quia nemo ab orationibus communibus excludendus; vt si quis sic oret, Dimitte nobis debita nostra, præterquam Ioanni vel Petro: Libera nos à malo, excepto hoc vel illo: hoc enim est contra charitatem: vnde est præ-

38 *Quomodo orandum pro omnibus.*

præcepti hoc modo pro omnibus orare. Nec obstant imprecationes quæ habentur in Scripturis, vt Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* & 108. multæ similes habentur, & alibi frequenter. hæ enim vel propheticè intelligendæ sunt, vt sint prædictiones, non imprecationes: vel in illis significatur conformatio voluntatis cum decreto iustitiæ diuinę circa damnationem impiorum. vide D. Thom. art. 8.

Secundò, Quia nullus est in toto genere humano, pro quo laudabile non sit speciatim orare. etsi enim in genere constet plurimos non saluandos, tamen id de nemine constat in particulari: vnde de nemine quamdiu viuit desperandum. quo fit vt etiam pro inimicis orandum sit; precando illis non quidem temporalia, vt honores, opes, vitam; (quæ sæpè rogare possumus ipsis adimi, si per ea noceant, vt multis Scripturæ exemplis constat;) sed quæ ad salutem pertineant æternam. Nemo tamen ex præcepto tenetur orare in particulari pro inimico, nisi in extrema vel graui necessitate eius spiritali, quando præter orationem non se offert aliud remedium. tunc enim si aliqua probabilis spes sit per orationem subueniendi, tenemur. secùs si moraliter spes sit nulla, tenemur tamen ab orationibus communibus eos non excludere.

39 Tertiò, Quia orandus Deus pro omnibus in genere, vt omnes illuminet & ad salutem perducat, quantum ratio diuinæ prouidentiæ patitur. sicut enim Deus secundùm certum prouidentiæ modum, quantum in se, vult omnes homines saluos fieri, nemine excepto, idque etiam secundùm illam prouidentiæ mensuram procurat; & Christus est mediator omnium, qui seipsum dedit redemptionem pro omnibus, excluso nemine: ita nos etiam omnium salutem optare, & pro omnibus orare debemus; videlicet vt neminem excludamus, & omnibus quantum statuta diuinæ prouidentiæ fert mensura, salutis auxilia conferri rogemus. Etsi enim fieri nequeat vt secundùm illam prouidentiæ rationem omnes simul salui fiant, hominum prauitate supposita; tamen multò plures, quàm reipsa saluentur, facilè salutem consequi possunt. Itaque vt quamplurimi ex omnibus saluentur, rogandum est, & hoc sensu orandum pro omnibus. Non tamen est præcepti vt sic pro omnibus ores; præterquam in liturgia, de qua Apostolus loco notato loquitur, testibus Chrysostomo, Theophyl. Oecumen.

Certam prouidentiæ mensuram adhibet Deus ad homines saluandos.

40 Dixi *orandum pro omnibus, qui nondum sunt in termino, tam viuis quàm defunctis*; quia hi omnes interdum auxilio egent, & spes est nostris orationibus iuuandos vt ad terminum perueniant: ceteri vel non egent, vt beati, pro quibus si quis oraret, indicaret eos beatos non esse: vnde illis iniuriam faceret, iuxta illud vulgatum, *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre*; quod intellige de eo, qui iudicio Ecclesiæ martyr habetur. Vel spes non est fore iuuandos, vt damnati. Idem dicendum si de aliquo constaret ipsum reprobum esse; non enim possemus pro illius salute vel perseuerantia rogare; vt insinuat D. Augustinus lib. de correpț. & gratia cap. 15. quia spes non est illum adiutum iri.

Reprobus.

Cetera quæ hîc dici possent, vide apud D. Thomam artic. 7. & 8.

Dvbitatio viii.

Vtrùm forma precandi, quæ Horæ canonicæ vocatur, sit vtilis & retinenda in Ecclesia.

41 *Horæ canonicæ.*

Horas canonicas vocamus eas preces & laudes diuinas, quæ ex præscripto Canonum Ecclesiasticorum in Ecclesia certis horis diu noctuque canuntur. eædẽ vocantur *Officium Ecclesiasticum*, quia Ecclesiasticorum munus est illas recitare.

Hæretici igitur huius temporis hanc formam reiiciunt tamquam inutilem; sed ratione nulla; solo Ecclesiæ Romanæ odio, & cæco furore concitati. Idem olim fecerunt Waldenses, dicti Paupères de Lugduno, teste Ænea Siluio de orig. Bohemorum c. 35. & Wiclef, teste Thoma Waldensi tomo 3. cap. 21.

Esse piam precandi formam.

Sed fide tenendum est, hanc formam precandi esse piam & salutarem, ac proinde in Ecclesia retinendam. Probatur primò, Quia iam inde ab exordio Ecclesiæ semper fuit aliqua publica precandi & laudandi Deum forma, quæ etsi non fuerit ita completa & in ordinem digesta, vt posterioribus sæculis; tamen seruabat eamdem ferè temporum distinctionem, & constabat iisdem partibus principalibus. Clemens lib. 8. constit. Apostolicarum c. 34. inter traditiones Apostolicas, Episcopo & Clero seruandas, refert hanc: *Precationes facite manè, hora tertia, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum. Manè gratias agentes, quòd illuminarit nos, nocte sublata & reddita die. Tertia, quòd eâ horâ Pilatus iudicium aduersus Dominum pronuntiauerit. Sexta, quòd eâ horâ in crucem actus sit. Nona, quòd tum omnia mota & tremefacta sint, Domino crucifixo, quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non possent. Vespere, quod noctem dederit ad requiescendum à diurnis laboribus. Ad galli cantũ, quòd ea hora nuntiet aduentum diei ad faciendum opera lucis.* Vbi notanda ratio, quæ in singulis horis dicendis est spectanda, vide Franciscum Turrianũ in hunc locum. Hieronymus epist. 27. *Manè, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem Psalterium cantabant.* loquitur de Monasterio Paulæ. Cassianus lib. 2. & 3. de Instit. cœnobiorum multa habet de canonico psallendi modo per distinctas horas, ostenditque per totum Orientem & Occidentem in vsu fuisse. Eiusdem consuetudinis meminit Basilius interrogat. 37. in regulis fusiùs disputatis. Beda in cap. 18. Lucæ, explicans quomodo oportet semper orare, sic ait: *Dicendum eum semper orare, qui canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodijs precibusque consuetis Dominum rogare & laudare non desistit; & hoc esse, quod Psalmista dicebat, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

Ratio singularum horarum ex D. Clemente.

42 *Quid contineat Breuiarium.*

Secundò Probatur, Quia hæc forma precandi nihil continet quod non sit summè pium & salutare. continet enim omnes Psalmos, quibus nihil potest esse diuinius, vt qui dictati sint à Spiritu sancto, & contineant breuiter omnia Scripturæ mysteria per modum laudis, vt ait Dionysius lib. de Eccles. hierar. cap. 3. p. 3. Deinde, Selectissima quæque totius veteris & noui Testamenti. Tertiò, Selecta Patrum documenta. Quartò, Præcipua

quæque gesta Sanctorum. Quintò, Breues precationes, quas Collectas vocant, quæ ferè à Summis Pontificibus compositæ fuêre. Sextò, Hymnos aliquos à Patribus compositos. vnde meritò vocatur *Breuiarium*, quia est compendium omnium prædictorum admirabile. Deinde non solùm singula per se pia & salutaria sunt; sed etiam tam aptè inter se connexa, suisque temporibus & festis accommodata, vt magnam sua varietate legentibus animi voluptatem & spiritalem consolationem adferant: vt vel hinc perspici queat, singulari Spiritus sancti directione ita disposita fuisse. quod verum esse deprehendet, qui singula attentè considerauerit.

43 Tertiò, Quia Ecclesia recitando horas canonicas, quodammodò semper orat, semper Deum laudat, semper memoriam diuinorum beneficiorum celebrat, semper gratias agit; & sic implet monitum illud Domini Lucæ 18. *Oportet semper orare, & numquam deficere.* & Apost. 1. ad Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* & ad Ephes. 5. *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini* IESV *Christi, Deo & Patri.* Sic etiam imitatur regium Prophetam, qui de se dicit Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* &, *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo.*

Quo modo semper oret. Quòd *semper oret*, & *Deum laudet*, patet, quia cùm nox constet quatuor interuallis, quæ dicuntur *vigiliæ*, & dies similiter quatuor partibus, seu horis sacris, quarum crebra mentio est in Scripturis; singula interualla suas preces habent: nam pro prima, secunda, & tertia vigilia noctis, sunt preces nocturnæ. hæ vel tribus partibus constant, quæ Nocturna dicuntur, vt in festis; (sicut enim quæque vigilia continet tres horas ciuiles, ita quodque Nocturnum continet tres Psalmos & tres Lectiones; vt singulis horis singuli Psalmi & singulę Lectiones respondeant) vel vno tantùm Nocturno, sed duodecim Psalmorum, & trium Lectionum, ita vt ferè tribus Nocturnis æquipolleat; vt in feriis & festis simplicibus. Pro quarta vigilia sunt Laudes matutinæ. Pro prima hora diei, quæ durat ab ortu solis vsque ad tertiam excluſiuè, sunt preces Primæ. Pro tertia, quæ durat à tertia vsque ad sextam excluſiuè, sunt preces Tertiæ. Pro sexta, quæ durat à sexta diei vsque ad nonam, sunt preces Sextæ. Pro nona, sunt preces Nonæ. Pro vespera appetente, sunt preces vespertinæ. Pro initio noctis est Completorium. Non tamen est necesse vt præcisè istis temporibus illæ preces dicantur: sufficit haberi respectum ad illa; & officium publicum, quantum commodè fieri potest, illis temporibus accommodari. ita enim passim nunc habet recepta consuetudo, quæ rerum huiusmodi est moderatrix. melius tamen est hæc tempora præuenire in priuato officio, quàm vlteriùs differre; vt passim Doctores notant. Imò si quis aduertat impedimentum occursurum, præsertim voluntarium, tenetur præuenire. si non sit voluntarium, (vt si febrim hora decima antemeridiana expectes) quidam putant non esse necesse præuenire: quod ego puto satis probabile; modò, si impedimentum cesset ante duodecimam noctis, prætermissa recites.

Dvbitatio ix.

Quinam ad preces canonicas obligentur, & quanta sit hæc obligatio.

Respondeo & Dico Primò, Tantùm tria hominum genera ad eas teneri, Clericos sacrorum ordinum, Beneficiarios, & Religiosos ad chorum professos. Est communis sententia Doctorum teste Nauarro, de horis canonicis cap. 7. n. 1. 44

Clericos sacrorum Ordinum tèneri. De Clericis sacrorum Ordinum probant Doctores, Primò ex c. 1. de celebratione Missarum, vbi dicitur: *Presbyter manè, matutinali officio expleto, pensum seruitutis suæ canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persoluat.* Verùm hîc solum agitur de presbytero, & quidem Parocho vel Rectore Ecclesiæ; vnde nihil probat de diacono vel subdiacono: præsertim cùm obligationes sint strictè interpretandæ.

Secundò, Probant ex cap. 9. Si quis presbyter. d. 92. Verùm ibi non tantùm agitur de Clericis ordinum sacrorũ, sed etiam de aliis; nam loquitur de omnibus Clericis alicui Ecclesiæ deputatis, id est, qui habent beneficia in aliqua Ecclesia, ratione cuius ei debent seruire. Item loquitur de officio publico, quod fit in Ecclesia; iubetque *à Clero deponi eum, qui ad quotidianum officium psallendi, matutinis & vespertinis horis non conuenerit.*

Tertio, Probari potest ex cap. Dolentes 9. de celeb. Missarum, vbi Innoc. III. cum Concilio generali præcipit *Prælatis & minoribus Clericis in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & deuotè.* Sed hîc non exprimitur qui sint illi minores Clerici; & Concilium videtur loqui de officio publico.

Quartò, Probatur ex antiqua & generali totius Ecclesiæ consuetudine, qua non solùm presbyteri, sed etiam diaconi & subdiaconi censentur ad horas canonicas obligati. Itaque etsi nullus Canon scriptus extet, quo hi obligentur, (vt insinuat Nauarrus suprà;) tamen hæc consuetudo cùm vim legis habeat, sufficit. & meritò hi obligantur, quia per ordinem sacrum accipiunt in Ecclesia statum, qui ad cultum & laudes diuinas celebrandas est institutus, vnde ratione status obligantur præ ceteris in genere. Ne autem in incertum ferrentur, determinatæ sunt illæ laudes & preces in horis canonicis: & ita accedente consuetudine, inuecta est obligatio. Neque liberantur hac obligatione ratione excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut etiam realis degradationis; vt docet Nauarrus dicto cap. 7. nu. 17. & Siluester verbo Hora q. 3. quia par non est, vt ex delicto commodum referant, & soluantur vinculo obligationis præcedentis; præsertim cùm recitatio horarum illi pœnæ non repugnet. Idem dicunt aliqui de damnatis ad triremes. sed puto vsum esse in contrarium: tum quia satis habent afflictionis, dum vi in illo supplicio detinentur; tum quia animus rarò talibus ad obsequendum est comparatus; tum quia id cederet in dedecus ordinis Ecclesiastici, si in illa hominum colluuie ostenderent suum statum. 45

Diaconi & subdiaconi obligantur consuetudine.

Excommunicati & degradati.

Clerici verò minorum ordinum, ratione sui gradus ad horas canonicas non adstringuntur, quia nondum sortiti sunt statum inter Ecclesiæ ministros, 46

Clerici minores ad quas preces obligentur.

ſtros; poſſunt enim matrimonio iungi. Quidam tamen putant eos teneri ad horas B. Virginis, vel ad ſeptem Pſalmos, vel ad Canticum Graduum: ſed certum eſt neque Iure communi, neque conſuetudine vniuerſali eos ad aliquid horum teneri. Si tamen in aliqua diœceſi eſſet generalis conſuetudo, quæ per modum legis ſit recepta, ibi tenerentur; vt docet Medina C. de orat. q. 7. in fine. an autem ſit alicubi talis cõſuetudo, non conſtat. Sotus lib. 10. de Iuſtitia q. 5. ar. 3. putat non eſſe. imò nec Epiſcopum ſuo præcepto vel ſtatuto poſſe introducere. Quod probari poteſt Primò, Quia quod Eccleſia vniuerſalis relinquit liberum, non poteſt Epiſcopus particularis in ſua Eccleſia facere præceptum, niſi in ea Eccleſia ſit peculiaris ratio; quæ in propoſito non occurrit. alioquin facilè fieret vt nimium grauarentur ſubditi, ſi non ſolùm Pontifex, ſed etiam ſinguli Epiſcopi poſſent onera perpetua imponere. Secundò, Quia omnes Ordines deſcendunt à Summo Pontifice in totam Eccleſiam: ergo ad illum ſolum pertinet diſponere de functionibus & obligationibus, quæ ratione Ordinis imponuntur. Tertiò, Quia alioqui non poſſet ſeruari vniformitas; quæ tamen multùm facit ad Eccleſiæ decus & vnionem. Hinc etiam fit vt Epiſcopus non poſſit ſtatuere de ætate vel temporibus ordinandorum, &c.

An Epiſcopus poſſit imponere.

Verùm etſi non poſſit onus perpetuum imponere, poteſt tamen præcipere ordinato, vt bis tèrve illas preces reciter; ſicut ex cauſa poteſt aliquod ieiunium bis tèrve in ſua diœceſi imponere: hoc enim neque graue cenſeri poteſt ſubdito, neque per illud receditur à conſuetudine vniuerſali.

47 Petes, vtrùm Clericus primæ tonſuræ vel minorum ordinũ teneatur ſaltem ad Pſalmũ Miſerere.

An ad Pſalmum Miſerere.

Reſp. Probabile eſſe teneri, ſaltem ſub peccato veniali, quia videtur eſſe conſuetudo generalis, & Prælati vbique imponunt.

Contraria tamen ſententia videtur verior; tum quia valdè pueri accipiunt tonſuram, quos non videtur Eccleſia velle ſub peccato ad hoc obligare; tum quia plerique non agnoſcunt hîc vllam ſtrictam obligationem, nec Doctores aut confeſſarij illam vrgere ſolent; tum denique quia ſi eſſet peccatum veniale, ſemel omittere ob materiæ paruitatem, ſequeretur eſſe peccatum mortale ſi quis ſemper omitteret, vel ſi vna volitione vellet omittere per hebdomadam, quia eſſet materia ſatis magna. quæ ratio vim habet, ſi obligatio non eſt alligata dici, ita vt cum die expiret, ſicut in horis canonicis. Itaque etſi ſit conſuetudo vt dicatur, hæc tamen non eſt per modum legis obligantis, ſed conſilij, & ex decoro.

An Iure naturali tencantur ad amplius.

Dices, Iure naturali tenentur ampliùs orare, quàm laici: tum quia diuino cultui ſunt addicti, tum quia fruuntur priuilegio clericali: ergo ſaltem tenentur ad aliquid indeterminatum.

Reſp. Ita ſentiunt multi Doctores, inter quos Paludanus in 4. d. 15. q. 5. ar. 1. concl. 3. & Nauar. c. 7. de orat. n. 14. vbi dicit *innumera peccata committi ab ordinatis prima tonſura, & quatuor minoribus, quia plerique non plus laudant Deum, nec amplius orant pro populo, quam ſi ordinati non eſſent.*: quæ ſententia eſt probabilis. Sotus tamen, quem multi ſequuntur, non vult eos teneri aliquo præcepto; ſed ſolùm ex decentia, quæ non obliget ad vllum peccatum: non enim Ius naturæ dictat illos obligari, ſed ſolùm decens eſſe vt id faciant.

De *beneficiariis* eſt communis ſententia Doctorum. vide Nauarrum cap. 7. de orat. num. 27. ratio eſt, quia beneficium datur propter officium ſpirituale, quod vel totum vel magnam partem conſiſtit in horis canonicis ſed de hoc dictum eſt ſuprà cap. 34. dub. 30. & 32. 48 *Beneficiarij.*

De *Religioſis ad chorum profeſſis* nondum ordinatis eſt communis ſententia Doctorum. Sed difficultas eſt, quo Iure teneantur: non enim Iure Canonico ſcripto, cùm nullus Canon ea de re exſtet, vt Caietanus ait: nec Iure naturæ, quia non pertinet ad eſſentiam Religionis. Neque ex vi voti aut profeſſionis, quia voto ſe ad hoc non aſtringunt. Nec tenentur ratione eleemoſynarum, quibus viuunt; quia non dantur cum hoc onere, ſed vt viuant ſecundùm ſuum inſtitutum. Quòd ſi ſit aliqua talis fundatio, ea Conuentum obligat, non ſingulos. Itaque ſolùm videntur teneri præſcripto Regulæ, vel certè conſuetudine vbique recepta. Idem dicendum de Monialibus choro mancipatis; vt docet Nauarrus ſuprà num 21. Caietanus tamen ver. Horæ canonicæ, de conſuetudine dubitat; *Niſi*, inquit, *conſuetudo eas obliget, (de qua nihil ſcio) non tenentur ex profeſſione.* Idem tenet Ioannes Medina q. 7. de oratione ſub finem. vnde Petrus Arragon. q 83. art. 11. putat non eſſe peccatum mortale, ſi bis tèrve priuatim officium omittant: quia hæc conſuetudo orta eſt ex ſtatuto regulari, quod ad peccatum mortale non ſolet obligare. Certum tamen eſt nouitios non teneri; quia nondum firmiter diuino obſequio mancipati. neque etiam illos, qui non ad chorum, ſed ad militiam vel ad alias functiones laicorum profitentur; vt ſunt milites variorum Ordinum, & ij, qui dicuntur Conuerſi; vt docet Nauarrus de horis canonicis c. 7 n. 22. & in Enchir. c. 25. n 97. 49 *Profeſſi ad chorum.*

Petes, Vtrùm Monachus fugitiuus vel eiectus teneatur, cùm à Monaſterio non alatur? 50 *Fugitiuus.*

Reſpondeo cum Nauarro num. 20. Fugitiuum teneri, quia poteſt redire; & par non eſt vt ex ſua malitia, qua abeſt, commodum referat. Eiectum tamen puto non teneri; (etſi Nauarro aliter videatur) quia ſuo arbitrio ſe non ſeparauit, & non eſt in ipſius poteſtate redire. deinde videtur non eſſe conſuetudo vt tales recitent horas, niſi ſint in ſacris. Ita Sotus. *Eiectus.*

Petes, Vtrùm Superior poſſit in hac obligatione ex cauſa diſpenſare? v. g. ratione ſtudiorum aut negotiorum. 51 *Diſpenſatio.*

Reſp. Cùm hæc tota obligatio ex conſuetudine pendeat, credo poſſe diſpenſare, quando cauſa ſubeſt; ſicut in aliis ſtatutis, etiam obligatoriis, poteſt. Imò ſi in aliquo Ordine vel Monaſterio eſt conſuetudo, vt profeſſi nondum ordinati, in ſtudiis verſantes, vel aliis negotiis occupati, propter quæ choro intereſſe nequeunt, non recitent officium; ibi non opus eſt diſpenſatione.

Dico Secundò, Supradicti ita obligantur, vt mortiferè peccent, ſi horas vel ſemel abſque cauſa prætermittant. eſt communis ſententia Doctorum, vt docet Nauarrus c. 7 nu. 5. Excipio Angelum ver. Hora §. 10. & Richardum, quem ille citat: hi dicunt non eſſe peccatũ mortale eas omittere, niſi quis conſuetudinem habeat omittendi, vel ex contemptu id faciat: quam ſententiam non auſim dicere probabilem, quia eſt contra torrentem Doctorum. Imò Nauarrus cap. 7. de orat. num. 6. & alij, docent eſſe peccatum mortiferum, 52 *An peccent letaliter.*

ſi vel

si vel vna hora negligatur, v.g. Tertia, Sexta, Nona, Completorium. Quòd autem idem Nauarrus & quidam alij volunt, omissione tertiæ partis vnius horæ, v. g. vnius Psalmi cum hymno, esse peccatum mortale, id sanè durum videtur. etsi enim vna hora sit materia grauis & sufficiens vt sub peccato mortali præcipiatur; non tamen inde sequitur, tertiam eius partem talem esse; alioquin etiam tertia pars vnius Psalmi talis dicenda esset. Itaque etsi omittere Sextam vel Nonam integram, sit peccatum mortiferum, quia multæ preces omittuntur, non tamen sequitur mortiferum esse, si tertia pars Sextæ vel Nonæ omittatur. Ita tenet Angelus v. Hora. num. 18 citans Palud. d. 15. q. 5.

Tertia pars vnius horæ.

An duplex peccatum.

Ex dictis sequi videtur, beneficiarium Ordinis sacri duplex peccatum mortiferum admittere, omittendo officium, quia contra duas virtutes diuersas peccat, nimirum contra iustitiam, & contra virtutem religionis. Ratione enim ordinis sacri tenetur lege religionis. Illæ enim preces ordinatis præcipiuntur tamquam officium religionis congruens eorum statui, & bono Ecclesiæ. & hac ratione ad illas tenetur, etiam cessante quauis alia obligatione. Ratione verò beneficij tenetur lege iustitiæ; quia beneficium datur propter officium, & præbenda est veluti merces & stipendium illius operæ, iuxta modum suprà cap. 34. dub. 32. explicatum.

Contrarium tamen tenet Henriquez lib. 2. de Pœnitentia cap. 5. n. 6. littera P. Quod ita probari potest: Quia officium vnius diei, etsi in se, vt est opus religionis & cultus, sit notabile quiddam ad quod sub mortali obligemur, si præcipiatur: tamen non videtur ita notabile vt est materia iustitiæ, præsertim respectu Ecclesiæ cui est debitum. non enim videtur notabili iniuria vel damno Ecclesiam afficere, si semel officium prætermittat. ergo ex hac parte non erit culpa mortifera. sicut qui pro altero tenetur ieiunare ex promisso vel contractu, quia ab eo sustentatur, non peccat mortiferè, etiamsi semel ieiunium omittat. quia non censetur notabilis læsio in illo genere. Vnde seposito Ecclesiæ præcepto, beneficiarius præcisè ex contractu seu obligatione iustitiæ ad Ecclesiam non peccat mortiferè semel horas omittendo. Si tamen sæpè omitteret, esset mortale; quia ex natura rei, debita parua accumulantur, & efficiunt materiam magnam. sicut is qui quotidie debet facere Sacrum, non est damnandus peccati mortiferi, si semel vel bis omittat etiam absque causa. quia in isto genere non censetur graue damnum, aut grauis læsio. Fateor tamen, beneficiarios in sacris constitutos grauiùs aliis ordinatis peccare; quamuis hic excessus non videatur mortalis.

Recitans cum socio.

Circa prædicta tamen aduerte, si cum socio alternis recites, non censeri omitti quod per ipsum legitur; quia id communione socij fit tuum, modò illud audias: & Ecclesia hanc rationem in officiis diuinis permittit; quia sic minore fatigatione, & attentiùs, & plerumque iucundiùs leguntur. Vnde hic modus etiam in recitanda corona B. Virginis, aliisque precibus, vbi vel plurimi sunt versiculi, vel eadem sæpissimè repetenda, adhiberi potest; etiamsi ex præcepto aut voto ad illas sis obstrictus: vt si septem Psalmos pœnitentiales vel totum Psalterium legere debeas; vt fusè probat Nauarrus tract. de orat. c. 10. nu. 27. & ratio est, quia non minùs hîc excitatur deuotio, & obtinetur finis orationis, & moraliter totum legi censetur. Hoc tamen intellige, nisi aliud expressè sit iniunctum, quod est rarissimum.

Introduxit hunc modum alternatim psallendi in suam Ecclesiam, nimirum Antiochenam, primus B. Ignatius; vnde sensim in totum Orientem dimanauit. Causam dedit visio quædam cælestis, in qua Angelos sanctam Trinitatem ἀντιφώνως, id est, alternis vocibus collaudantes audiuit, teste Socrate lib. 6. hist. cap. 8. In Occidente verò primus S. Ambrosius eamdem rationem in sua Ecclesia instituit, teste Isidoro lib. 1. de Offic. Eccles. cap. 7. quem reliquæ Occidentis Ecclesiæ sunt secutæ. anteà omnes simul canebant, nec erant in choros distincti.

Vnde hic mos manarit.

Petes, Vtrùm omittere omnes horas vnius diei, sit vnum peccatum, an multa?

Nauarrus cap. 7. nu. 6. & multi alij docent esse vnum peccatum; quia septem horæ canonicæ vna tantùm sunt oratio, vnum officium diuinum. 53

An omissio omnium horarum sit vnum peccatum.

Sed hæc ratio difficilis est, Primò, Nam singulæ horæ sunt distinctæ orationes, distincta officia, distinctis temporibus Deo soluenda, ad quorum singula obligamur sub peccato mortali: ergo singulorum omissio est distinctum peccatum mortale.

Secundò, Singulorum recitatio est impletio præcepti, saltem virtute distincti: nam præceptum de dicendis horis implicitè continet septem præcepta, quatenus septem opera distincta, & inter se minimè connexa præcipiuntur. hinc fit vt possim implere præceptum de precibus Primæ, etiamsi non impleam præceptum de horis Tertiæ; præcepta enim ex diuersis operibus præceptis multiplicantur: ergo singulorum omissio est distinctum peccatum mortiferum.

Tertiò, etiamsi sit vna volitio, qua volo omittere omnes horas; tamen virtute est septuplex; quia per eam septem distinctæ omissiones sunt volitæ, & ab ea procedunt: singulæ autem omissiones sunt distincta peccata externa. Vnde fit vt etiam in confessione explicandum sit quot horæ sint omissæ. Hanc sententiam insinuat Tabiena v. Hora q. 18.

Dixi, *Sine causa*; quia si causa iusta prætermittendi subsit, nullum erit peccatum: vt si absque notabili dolore capitis vel oculorum, vel simili molestia dicere nequeas; si periculum grauis mali incurreres, vt inter hæreticos; si concio vel alia functio publica prætermitti deberet, vel conuenienti modo fieri nequiret, nisi horæ omittantur. Item si ob cæcitatem vel debilitatem nequeas dicere saltem maiorem partem, ad nihil teneris. si maiorem partem potes, teneris illam recitare. Ita Nauarrus de orat. cap. 11. num. 13. & seq. si ob infirmitatem non potes nisi ope socij, nec consueueris eo vti; non teneris: secùs si consueueris. Non tamen excusatur quis, eò quòd in studiis versetur, aut iter faciat. Vide Nauarrum in Enchir. cap. 25. num. 100. & sequentibus, & tract. de oratione cap. 11. 54

Causæ excusantes.

DVBITATIO X.

Quo modo preces horariæ recitandæ.

REspondeo, Recitandas esse *studiosè & deuotè*: ita enim præcipitur in Concilio generali. 55

rali sub Innocentio III. *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & deuotè.* Et quamuis ibi videatur esse sermo de officio publico, idem tamen dicendum de eo, quod priuatim dicitur; quia est eadem ratio.

Quid requiratur vt studiosè.

Vt *studiosè* celebretur, tria requiruntur. Primò, Vt absque syncopa, (vt ait Glossa) id est, absque verborum omissione; vt fit, dum priora verba versiculi iunguntur vltimis, absorptis mediis. Secundò, Vt verba non mutilentur aut truncatim proferantur, abscissis quibusdam syllabis, præsertim vltimis. Tertiò, Vt absque interruptione.

56 *Syncopatio.*

Quod ad primum attinet, si sit valdè magna *syncopatio*, erit peccatum mortiferum, maximè in officio publico; quia contra strictum præceptum Concilij in re graui. nisi enim esset res grauis, non præciperet in virtute obedientiæ. In officio priuato non facilè erit mortale, nisi sit enormis excessus, quo casu tenebitur etiam repetere. Si autem non sit magnus excessus, erit peccatum veniale, modò id voluntariè fiat. Si autem inuoluntariè, v. g. ex linguæ præcipitantia, balbutie, inolita consuetudine, quæ corrigi nequeat, vel ob iustam festinationem; non erit peccatum.

De secundo, *Absorbere syllabas* non est nisi peccatum veniale; manet enim integra precum substantia, ita vt intelligi possit. Si inuoluntariè fiat, nullum peccatum est.

57 *Intermissio.*

De tertio, *Interruptio quæuis*, si fiat absque iusta causa, est peccatum; quia aliquam irreuerentiam continet: sed non videtur nisi veniale in officio priuato: manet enim substantia precum, etsi in medio cursu fiat aliqua intermissio. vnde etiamsi duret per vnam vel duas horas, non necessariò est repetendum quod antè recitatum est. Confirmatur, quia singuli Psalmi, imò singuli pænè versiculi per se suum habent pondus & completam significationem; suntque per se vel precatio quædam, vel laudatio, vel sententia non habens necessariam cum aliis connexionem. Colligitur ex Caietano in Summa ver. Quando horæ, §. Quoad quartum, vbi dicit, *In huiusmodi circumstantijs non incurri peccatum mortale, sine contemptu; quia non spectant ad substantialia materiæ præceptæ.* Idem censent multi viri docti ea de re consulti, & Peltanus lib.3. de bonis operibus cap.6. in fine quartæ assertionis, Lælius Zeccus in Summa cap.83. de officio diuino num.10. dicit esse probabile, & citat Arragon.

Interruptio non est peccatũ mortale.

58

Dices, Quando est magna intermissio, priora & posteriora non efficiunt vnam orationem, vnum officium diuinum, ac proinde ex illis partibus non constituitur officium Primæ vel Tertiæ, &c. Ob hoc argumentum, Nauarrus de orat. cap.16. d.75. putat esse peccatum mortale, nisi fiat cum animo repetendi priora. Idem insinuat Ioannes Medina C. de orat. q.16. art.3.

Sed verius videtur quod diximus, quia non est de substantia singularum precum vt continuentur. Secùs est in formis Sacramentorum, vbi requiritur moralis continuatio.

Ad argumentum Nauarri, Resp. Ex partibus vnius longæ orationis tempore seiunctis posse constitui vnam orationem, vnum officium diuinum; sicut ex omnibus horis constituitur vnum officium diuinum, & ex multis confessionibus vna confessio, & ex multis disputationibus vna integra disputatio. Sicut enim declamatio, confessio, vel disputatio non desinit esse vna, eò quòd diuidatur in diuersa tempora; ita nec officium Primæ vel Tertiæ, amittit suam necessariam vnitatem per hanc diuisionem: quia illa magis consistit in integritate, quàm in continuatione.

Dixi, *Si fiat absque iusta causa*, quia si iusta causa subsit, nullum est peccatum; vt si voceris à Superiore, si ex officio vel mandato Superioris, vel charitate proximi occurrat aliquod opus faciendum, quod non potest commodè differri. Quando tamen huiusmodi impedimenta sunt præuisa, debent vitari quantum commodè fieri potest; idque vel illa opera anticipando, vel horas alio tempore dicendo.

59 *Si animo repetendi intermittat.*

Petes, Vtrùm si quis interrumpat officium animo repetendi iam lecta, satisfaciat, si posteà non repetat, sed solùm sequentia adiungat? Medina quæst. 16. de oratione art. 3. & Nauarrus suprà num.73. docent illum non satisfacere, nisi priora repetat. Idem censent quotiescumque aliquis facit opus præceptum animo non satisfaciendi obligationi præcepti. Probatur, quia is qui debet mihi 100. non liberatur obligatione, si donet mihi 100. gratis, & absque animo soluendi debiti: ergo similiter qui debet aliquod opus ex præcepto, non liberatur obligatione, si faciat illud animo non implendi præceptum.

Sed verius est non teneri repetere; sufficit enim vt mutet propositum, & adiungat cetera. Simili modo, qui die festo audiuit Sacrum animo non satisfaciendi præcepto, & audiendi aliud, potest mutare animum & non audire. Ratio est, quia opus præceptum, non est, v.g. audire Sacrum animo implendi præceptum, sed simpliciter audire Sacrum attentè & deuotè. hoc autem fit, etiamsi fiat animo non implendi præcepti. Itaque satisfactum est intentioni Ecclesiæ quoad rem præceptam: vnde nec incurret censuram non audienti positam. Ne tamen censeatur præceptum ipsum in animo contemnere, debet explicitè vel implicitè intendere ei obedire & satisfacere per hoc opus vel per aliud. vnde si expressè intendat non satisfacere per hoc opus, debet habere animum satisfaciendi per aliud: alioquin peccat contra præceptum, non quidem omissione operis externi, sed interno contemptu; quia non vult obedire præcepto; quamuis reipsa ei obediat, faciendo opus, illum autem animum debet habere, quamdiu manet in priore proposito, quo vult non esse satisfactum præcepto, opere præcedenti. Itaque si mutet hoc propositum, non est necesse vt permaneat in voluntate operis iterandi; nec tenetur iterare: quia non ampliùs censebitur præceptum contemnere. Idem dicendum de precum repetitione.

60 *Discrimen inter debitum obedientiæ & iustitiæ.*

Alia est ratio cùm aliquid debitum est ex iustitia: tunc enim is cui debetur, ius habet in suum commodum aliquid exigendi; quod Ius non extinguitur gratuita donatione. at cùm aliquid solùm est debitum ex præcepto, non in commodum præcipientis, sed solius subditi, satisfit huic debito, si opus absolutè fiat: quia eo ipso, quo præstatur, obtinetur id quod præcepto intenditur, nimirum bonum ipsius subditi. sed de hoc plura tract. de legibus dicenda.

Altera conditio est *Deuotè*. vt autem *deuotè* celebre- *Deuotè.*

lebretur, duo requiruntur, *attentio & reuerentia*; sola enim *attentio* non sufficit; nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam: aliud enim est orare, aliud attentè aliquid legere. Verùm magna difficultas est, qualis attentio & qualis reuerentia requiratur. Vnde sit

DVBITATIO XI.

Quæ & quanta attentio requiratur in Horis canonicis.

Diuus Thomas art. 13.

61 *Attentio externa.* NOtandum est Primò, *Attentionem* in oratione posse esse multiplicem: alia enim est interna, alia externa. Externam voco, quæ est circa externam pronuntiationem & totius corporis compositionem; qua quis exteriùs se gerit in speciem orantis, abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit.

Interna. Interna est, qua quis attendit animum ad Deum vel res diuinas, excitatque in se erga Deum reuerentiam.

Attentio quadruplex. Rursus, alia est circa verba, vt rectè pronuntientur; alia circa verborum sensum, vt mente percipiatur, & affectus illi applicetur: alia circa Deum, vt verba orationis ad ipsum dirigantur: alia ad id quod petimus à Deo vel ad rem aliquam piam, per quam Deum laudari & affectum nostrum excitari cupimus. Denique quæuis ex his attentionibus potest esse vel actualis vel virtualis: item vel confusa vel distincta.

62 *Internam requiri.* Notandum Secundò, In omni oratione Iure diuino naturali requiri attentionem & reuerentiam internam: qui enim cum Deo colloqui, à Deo aliquid petere, Deum laudare intendit, conuenienti modo id facere debet; sicut qui hospitem aliquem recipit, eum pro sua dignitate, quantum commodè potest, tractare debet; alioquin non tam videtur illum honorare quàm contemnere. Itaque etsi non tenear nunc orare, si tamen velim, & orem, teneor debitam reuerentiam & attentionem adhibere. Hinc fit vt omnis voluntaria distractio in propriè dicta oratione, sit aliquod peccatum; vt rectè docet Caietanus art. 13. & Nauarrus cap. 25. num. 105. Hoc tamen peccatum non est nisi veniale, quando oratio est libera, vel saltem non obligatoria, nisi sub veniali. quòd si quis non tam intendat orare, quàm pio exercitio, recitando precum verba, se occupare; non peccabit, etiamsi sponte alia cogitet, & sæpè orationem interpellet.

Distractio voluntaria quando peccatum veniale.

Quando Iure diuino ad orationem obligamur sub peccato mortali, tunc voluntaria distractio erit peccatum mortiferum.

His positis, in quibus Doctores conueniunt, quæstio est, quando solùm præcepto Ecclesiæ obligamur ad orandum.

63 *Sententia quorumdam, Non requiri attentionem internam.* Multi Doctores putant non requiri ex præcepto Ecclesiæ attentionem internam. vnde etsi quis interiùs sponte distrahatur, non peccare mortiferè, nec teneri repetere, modò integrè omnia pronuntiet; & exteriùs, ijs rebus, cum quibus interna attentio consistere nequit, non se occupet. Fundamentum huius sententiæ est, quia Ecclesia non potest præcipere aut vetare actus internos, sed solùm externos. Itaque non præcipit internam attentionem, nec vetat internam distractionem, sed solùm externam: vt cùm quis exteriùs facit ea, quæ non patiuntur internam attentionem, vt si fabuletur, scribat, pingat, &c. Ita Durandus in 4. dist. 15. q. 12. num. 6. *Si euagatio*, inquit, *sit solùm secundum actum interiorem, licet sit temeraria & grauis, cùm sit ex proposito, fortè tamen non est peccatum mortale, nisi esset contemptus: quia Ecclesia non habet iudicare de actibus merè interioribus, & ideò non potest eam ponere sub præcepto. Vnde minister Ecclesiæ, si dicendo Horas scienter cogitat aliud, non videtur transgressor præcepti Ecclesiæ, quantum est ex natura facti. Si autem euagatio mentis sit ex eo, quòd occupet se in actu exteriore, qui non compatitur secum attentionem orationis, tunc videtur esse culpa mortalis, & directè contra præceptum Ecclesiæ, quod habetur cap. Dolentes.* Idem ijsdem verbis docent Paludanus eadem distinct. q. 5. a. 2. & D. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 4. §. 8. Idem §. 7. pro hac sententia adfert Hostiensem, Vmbertum, Glossam, & Archidiaconum. Idem tenet Angelus verbo Hora, n. 27. Rosella, & Tabiena v. Hora, §. 3. Siluester ver. Hora, q. 11. Ioannes Medina C. de orat. q. 15. & multi alij recentiores. Hæc sententia non est improbabilis; tum ob rationem, qua nititur; tum ob multos & graues Doctores, qui eam tenent; tum quia sic mitigatur nonnihil asperitas, quæ videtur esse in præcepto Ecclesiæ, dum dicitur sub peccato mortali ad singulas Horas obligare.

64 *Verius est requiri attentionem internam ex præcepto Ecclesiæ.* Contraria tamen sententia videtur verior & probabilior, videlicet requiri attentionem internam, adeò vt si quis interiùs sponte alienis cogitationibus se occupet, non satisfaciat præcepto Ecclesiæ de Horis dicendis. Hanc tenet Maior in 4. d. 12. q. 7. Caiet. hac q. 83. ar. 13. Sotus lib. 10. de Iustitia q. 5. ar. 5. concluſ. 7. Nauar. tract. de orat. c. 23. n. 18. 19. 20. & plerique recentiores. Eadem videtur esse D. Thomæ in 4. d. 15. q. 4. art. 2. quæstiuncula 4. ad 2. vbi dicit, *Si ad contrarium mens euagetur, etiam culpa mortalis erit.*

Probatur hæc sententia Primò, Quia Ecclesia in Concilio Lateran. districtè præcepit, *vt Officium diuinum celebretur studiosè pariter & deuotè*, vt patet cap. Dolentes: atqui *deuotio* consistit in actu interno, & requirit internam attentionem ad res diuinas. vnde Glossa, *Deuotè, quantum ad officium mentis.*

Dices, Solùm præcipi deuotionem externam, quæ sita est in eo vt quis se gerat in speciem orantis.

Contrà Primò, Quia deuotio externa sine interna, non est deuotio, sed simulatio deuotionis; vnde qui sic orat, non potest dici deuotè orare.

Secundò, Quia vt satisfiat præcepto Ecclesiæ, non requiritur externa deuotio, v. g. externus habitus precantis, genuflexio, &c. præsertim cùm officium priuatim recitatur: nam sufficit deuotio interna.

Probatur Secundò, Quia Ecclesia præcipit Clericis verum actum orationis & laudis diuinæ: atqui ad talem actum requiritur interna attentio & reuerentia; ergo simul præcipit internam attentionem. Minor probatur, quia oratio potissimùm consistit in actu interno, vt docet D. Thomas; est enim colloquium cum Deo: vnde requirit attentionem & reuerentiam erga Deum. Confirmatur, quia qui exteriùs profert verba orationis absque animo

animo orandi, verè non orat: sicut ergo requiritur animus orandi, ita etiam interna mentis attentio.

65 *Ecclesia potest actum internum præcipere concomitanter.*

Tertiò, Probatur ex contrario fundamento: Ecclesia potest præcipere actus internos, præsertim si necessarij sunt vt actus externi sint actus virtutis: ergo potest præcipere internam attentionem & reuerentiam, sine qua actus exterior orationis non est virtutis opus.

Antecedens probatur Primò, Quia alioquin omnibus Ecclesiæ præceptis posset satisfieri per meram simulationem & hypocrisim. sic enim satisfaceret præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui accederet animo carpendi vel irridendi diuina mysteria; & præcepto de annua confessione, qui confiteretur omnino fictè & absque consensu in absolutionem. quod sanè videtur absurdum.

Secundò, Potestas Ecclesiæ præceptiua non extenderet se nisi ad externam disciplinam sanciendam, nec posset aliquid præcipere cum iis circumstantiis, quibus vtile est ad salutem; quod etiam absurdum videtur: tum quia valdè parua esset Ecclesiæ potestas, contra illud Domini, Matthæi 18. *Quidquid alligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis*; tum quia omnis potestas gubernandi, si sit perfecta, potest præcipere vtilia ad suum finem: atqui finis, quem respicit potestas Ecclesiastica, est salus animarum: sicut finis, quem intuetur potestas politica, est tranquillitas externa; ergo potest præcipere ea, quæ ad hunc finem sunt opportuna; sicut potestas politica potest præcipere ea, quæ ad publicam tranquillitatem sunt conducibilia.

Tertiò, Sicut homo constat animo & corpore, & Christianus, quà talis, fide interna & professione externa; ita opus vtriusque vt perfectum sit, debet constare actu interno veluti forma seu anima, & externo, veluti corpore. opus enim externum quantumuis magnum, sine bona voluntate interna, est veluti cadauer seu corpus priuatum vita, & nullius momenti ad finem Christiani: atqui Ecclesia potest præcipere actum completum, & vt ita dixerim, animatum hominis Christiani: ergo potest præcipere actum internum ad hoc necessarium. Confirmatur; quia potestas præcipiendi debet habere iustam proportionem cum conditione præcipientis, & eorum, quibus præcipitur: sed horum conditio est vt constent virtute interna, veluti anima, & professione externa, veluti corpore: ergo potestas Ecclesiæ non solùm ad externos actus, sed etiam ad internos, tamquam necessariòs ad constituendum integrum opus hominis Christiani, se extendit.

66 *Ad argumenta sententiæ diuersa.*

Ad fundamentum contrariæ sententiæ Respondetur Primò, Probabile esse, Ecclesiam posse quosdam actus internos etiam per se præcipere & vetare. tenet Adrianus quodlib. 8. q.1. & Albertus Pighius lib. 6. de Ecclesiastica hierarchia c.16. quæ sententia multis rationibus probari posset: sed id ad 1.2. q.96. pertinet.

Quo modo possit præcipere actus internos.

Respondetur Secundò, Etiamsi Ecclesia non possit actus internos per se & solitariè acceptos præcipere, potest tamen eosdem præcipere quatenus sunt necessarij ad externos debito modo præstandos, videlicet vt sint actus virtutum & idonei ad finem supernaturalem, siue vt fiat opus completum hominis Christiani. Itaque cùm possit præcipere orationem & auditionem Sacri, potest etiam præcipere eam attentionem & reuerentiam, sine qua oratio & auditio Sacri non sunt actus religionis. sic cùm possit præcipere confessionem annuam, potest etiam præcipere examen conscientiæ & internam contritionem, sine quibus confessio non est legitima.

Ex hæc sententia sequitur, eum qui recitauerit non animo orandi, sed legendi tantùm aut edi- 67 *Consectaria duo.*
scendi, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, ac proinde peccare mortiferè; quia non orauit, nec laudauit Deum, quod tamen ei præceptum erat. oratio enim sine animo orandi, non est oratio. Simi- *Recitans absque animo orandi vel non deuotè.*
liter, si sponte distractus fuit, etsi animo orandi dixerit, quia non deuotè recitauit. Vnde vlteriùs sequi videtur, in vtroque casu teneri repetere, & nisi repetierit, non posse fructus percipere; quia opus præceptum non præstitit: præceptum enim erat vt deuotè recitaret. Ita Sotus, Nauarrus, & multi recentiores.

Aduerte tamen, quosdam DD. huius sententiæ 68 *Sententia quorumdã probabilis.*
non improbabiliter opinari, eum, qui recitauerit animo orandi, etsi sponte distractus fuerit & mortiferè peccarit, non teneri repetere; quia substantiam operis præcepti præstitit: deuotionem enim solùm præcipi vt circumstantiam, vt opus conuenienti modo fiat, sicut qui communicat indignè, satisfacit præcepto Ecclesiæ de annua communione; & qui reddit debitum ex odio, satisfacit obligationi Iustitiæ, multoque minùs teneri ad restitutionem fructuum; quia illi soli iubentur restituere, qui officium omiserunt; non qui negligenter vel distractè dixerunt. Ita Toletus lib.2. c.12. & Medina C.de orat. q.16.

Petes, Vtrùm attentio ad verba sufficiat? 69

Caietanus verbo Horæ, §. Quoad tertium, e- *Attentio ad verba an sufficiat.*
numeratis quatuor supradictis attentionibus, ait quamuis ex illis sufficere. Idem sentiunt ferè ceteri Doctores. Sed hæc sententia nisi explicetur, non videtur differre à sententia eorum, qui non requirunt attentionem, nisi externam: si enim attentio ad verba sufficit, non opus est attentione interna; nisi aliàs periculum sit in verbis errandi. Deinde videtur esse contra D.Thomam, qui hoc art.13. expressè ait *maximè necessarium esse attentionem circa finem orationis, id est, circa Deum, & ea, quæ à Deo petuntur.*

Resp. Attentionem ad verba sufficere, suppositò animo orandi & vacandi Deo: hic enim animus includit attentionem quamdam, saltem confusam ad Deum. qui enim vult orare, hoc ipso etiam censetur velle attentionem & reuerentiam debitam adhibere. Confirmatur, Quia oratio est *colloquium cum Deo, & petitio decentium à Deo:* atqui colloquium & petitio postulat attentionem saltem confusam ad eum, quicum colloqueris, & à quo petis; & vt verba ad ipsum cum reuerentia dirigas. Sic intellige prædictos DD. Itaque requiritur attentio, saltem confusa, ad Deum & ad verba, eaque sufficit. Vnde si quis cum hac posset simul ad alia attendere, (sicut illi, qui ternas, quaternas, vel plures simul epistolas dictant) satisfaceret præcepto Ecclesiæ, nec peccaret mortiferè, vt docet Nauarrus de oratione cap.13. num.23. peccaret tamen venialiter ob irreuerentiam. *Resp.* *Attentio confusa ad Deum & ad verba.*

Perfectissimus tamen modus recitandi horas 70 *Varij modi recitandi preces.*
est, quo ita recitas, vt sensum verum Psalmorum, & ceterorum percipias, illique affectum vbique accommodes. Proximus est, vt dum sensum non assequeris, interea aliquid pij de diuinitate vel

humanitate Christi mediteris: nam vt rectè Caietanus art.13 docet, licitum est, dum sacra verba pronuntiantur, aliquid pij meditari: non enim opus est circa verba attendere, nisi quantum opus vt in illis non erretur. Tertius & infimus est, quando nec sensum percipis, nec aliquid pij distinctè meditaris, sed solùm das operam vt sacra verba cum reuerentia in Deum pronunties, referendo mentem in genere ad sensum Ecclesiæ; nempe intendendo singula accipere in eum sensum, quo Ecclesia intelligit, & ea à Deo petere, quæ ipsa in illis petit, & illis laudibus illum celebrare, quibus ipsa celebrat.

Facile est præcepto Ecclesiæ satisfacere.

Hinc patet, facile esse præcepto Ecclesiæ in hac re satisfacere; quia nihil aliud requirit, quàm vt animo orandi & laudandi Deum, illa sacra verba recitemus, ad ipsum ea dirigendo, nec quidquam profanum sponte voluamus animo, quod attentionem necessariam ad verba & reuerentiam in Deum excludat.

Dico *Sponte*, quia si quis distrahatur inuitus, seu non aduertens se distrahi, non peccat; quod enim non est voluntarium, non potest esse peccatum.

71 *Quo modo sit virtualis attentio, dum animus distrahitur.*

Nec obstat, quòd tunc in illa oratione non videatur esse attentio; quia etsi non sit actualis attentio, est tamen virtualis, quæ sicut in omni alio opere, ita etiam in oratione sufficit. Censetur autem ibi esse virtualis attentio, ratione propositi, ex quo illa oratio est inchoata & continuata. cùm enim ex intentione attentè & reuerenter orandi processerit, hoc propositum censetur manere per totam orationem, nisi expresè vel implicitè reuocatum fuerit. Expresè reuocatur, si expresè nolis ampliùs attendere. Implicitè, si aduertens tuas distractiones, negligas mentem reuocare. tunc enim quod post hunc neglectum recitas, non ampliùs sequitur ex primo illo proposito attentè orandi, sed alio, negligenter. Si primum propositum nullo modo reuocetur, vel si reuocatum instauretur, manet per totam orationem, quæ ex illo sequitur, quandocumque enim multæ actiones longa serie ex aliqua intentione sequuntur, illa intentio virtute per omnes illas actiones manere censetur, vt 1.2.q.1. ostensum est. Vnde patet, etiam attentionē virtute manere: si enim propositum attentè orandi manet; etiam attentio in illo proposito tamquam in sua causa manet. Vbi tamen aduertendum est, non esse necessarium vt quis semper initio officij distinctè proponat recitare attentè & reuerenter; sufficit vt in genere velit dicere officium more consueto. sicut ad alias actiones, quas ex habitu & consuetudine obimus, inchoandas, sufficit confusa apprehensio & generale propositum faciendi opus consuetum. cùm enim hæc consuetudo orta sit ex multis actibus distinctis & perfectis; id quod ex ea posteà agitur, ex vi præcedentium actuum fieri videtur.

72 *Sufficit vt confusè proponat.*

Dvbitatio xii.

Quæ formula in horis canonicis seruanda, & quibus temporibus recitandæ.

73 *Breuiariū Romanum.*

Respondeo & Dico Primò, Omnes qui ad horas canonicas obligantur, tenentur eas recitare iuxta præscriptum Breuiarij Romani, iussu Pij V. editi; exceptis Capitulis & Conuentibus, qui iam à ducentis annis ante editionem illius alio vsi fuerunt. habetur expresè in Bulla Breuiario præfixa, vbi id præcipitur; & additur, *eos nisi hac sola formula satisfacere non posse.*

Qui non teneantur acceptare Breuiariū Pij V.

Vbi Notandum est Primò, Eos, qui alio Breuiario à ducentis annis sunt vsi, (vt sunt multæ illustres Ecclesiæ, & Ordines Regularium, vt Dominicani, Carmelitæ, Carthusiani, Benedictini) non teneri ad acceptandum Breuiarium Pij V. qui verò minore tempore, teneri; etiamsi eorum formula à Sede Apostolica fuisset approbata; quia Pontifex absolutè omnia abrogat, quæ ducentos annos non habent.

74

Notandum Secundò, Permitti Capitulis, quorum Breuiarium ducentos annos antecedit, vt cum Romano illud commutent; si tamen Episcopus & vniuersum Capitulum consentiat. In Monasteriis tamen exemptis non requiritur consensus Episcopi, sed sufficit Capituli, & Prælati. Hinc sequi videtur, beneficiarios & Regulares illius Ecclesiæ, quæ Romanum nondum admisit, & suum legitimè retinet, non posse etiam dum priuatim extra chorum recitant, sequi Romanum: quia quisque suæ Ecclesiæ se conformare debet, vt docet D. Thomas quodlib. 6. art. 8. & colligitur ex cap. De his. 13. & cap. 14. Placuit, d. 12. vbi statuitur, *vt omnes Clerici & Ecclesiæ Prouinciales eumdem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam habere cognouerint.* Confirmatur ex Clementina Dignum, de celebrat. Missarum, vbi Concilium Viennense indulget Clericis & Religiosis habitantibus cum Episcopis & Cardinalibus, vt loco sui officij recitent officium sui Prælati: ergo sepositā dispensatione tenentur ad officium suæ Ecclesiæ.

An priuatim licitum sit officium Pij V.

Probabile est licere.

Nihilominùs contraria sententia est probabilis, videlicet posse priuatim Romanum Breuiarium ab illis recitari. Primò, Quia nulla est necessitas, nec vllum Ius expressum, cur priuatim teneantur se magis conformare Ecclesiæ particulari, quàm Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum, & cui omnes conformari expedit. Secundò, Quia Pius V. etsi insinuet in Bulla, non esse mutandum officium publicum ducentorum annorum absque consensu Episcopi, & Capituli; nihil tamen dicit de priuato: tacitè ergo permittit illud mutari. Tertiò, Quia iam passim dicitur esse talis consuetudo; idemque licitum esse docent multi recentiores. Nec obstant in contrarium adducta; nam cap. De ijs, & cap. Placuit, loquuntur apertè de officio publico, non de eo quod priuatim dicitur. Clement. Dignum, permittit non tantùm vt dicant Romanum, sed etiam quoduis aliud, quod Cardinalis vel Episcopus, cui cohabitant, recitat; quod sine hac indulgentia non licuisset.

75

Tertiò, Qui nullum habent beneficium, sed titulo patrimonij sunt ordinati, secundùm Nauar. cap. 25. num. 107. quoduis Breuiarium approbatum legere possunt; quia possunt se cuiuis Ecclesiæ conformare. Sed verius puto teneri ad Romanum, quia in Bulla Pij V. non videntur excepti. non enim sunt insiti alicui Ecclesiæ particulari, cuius vsus sit ducentorum annorum.

76 *Horæ paruæ D. Virg. officium defunctorum, &c.*

Quartò, Eos qui officium nouum Pij V. legunt, non obligari diebus in rubrica præscriptis ad horas paruas B. Virginis, nec ad officium defunctorum, nec ad Psalmos pœnitentiales, aut gra-

Graduales; vt expreſsè habetur in Bulla. ſi tamen in aliqua Eccleſia iam erat conſuetudo, vt officium beatæ Virginis in choro diceretur, vult Pontifex hanc conſuetudinem in ſuo vigore permanere: quod intellige, quo ad illos dies, quibus ſecundùm rubricas Breuiarij noui eſt recitandum, non aliter, vt etiam notauit Petrus Arragon. q. 83. art. 11. decet enim vt rubricæ proprij Breuiarij ſeruentur. Vnde ſi alicubi talis conſuetudo erat recepta inſtar legis, ſub peccato mortali obligantis, etiam nunc poſt nouum Breuiarium obligabit. Secùs de conſuetudine officij Defunctorum, &c. Quicumque tamen fidelium diebus in Breuiario præſcriptis legerit officium B. Virginis, vel Defunctorum, conſequetur indulgentiam 100. dierum de pœnitentiis iniunctis; qui Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, 50. dierum. idque toties, quoties id præſtiterit, vt ibidem habetur. quod valdè notandum. Qui verò officium Romanum vetus legunt, ij ſub peccato mortali tenentur etiam ad officium B. Virginis ex conſuetudine, vt quidam Doctores affirmant. Sed non puto hanc conſuetudinem apud omnes tam ſtrictè receptam: ſatis enim conſtat, plurimis locis id non fuiſſe ſeruatum. vnde ſpectanda eſt conſuetudo Eccleſiarum, & quo modo ea cenſeatur ibidem recepta; vt indicat Siluеſter v. Hora, qu. 5.

Indulgentia recitantibus.

77 Quintò, mutationem officij etiam deditâ operâ, non eſſe peccatum mortiferum; vt ſi loco officij de feria, dicatur de ſanctiſſima Trinitate, vel de venerabili Sacramento, vel de B. Virgine. aut contrà loco officij de feſto, dicatur de feria. Ita Caietanus ver. Horæ, cap. 2. Siluеſt. ver. Hora, num. 15. & alij paſſim. & Azorius lib. 10. Inſtitut. Moral. cap. 10. dubitat. 2. dicit hanc eſſe communem omnium ſententiam. Nec refert etiamſi ſit beneficiarius vel Religioſus, etſi Angelus hos excipiat. Ratio eſt, quia id, quod Eccleſia primariò præcipit, eſt vt ſeptem horæ canonicæ quotidie recitentur. vt autem dicatur de hoc vel illo feſto, hac vel illa forma, ſolùm pertinet ad modum & circumſtantiam ſecundariam officij, quæ non eſt tanti momenti. Itaque ſubſtantia præcepti ſeruatur, quodcumque officium Breuiarij conceſſi dicatur Vnde qui etiam prudens omiſſo proprio aliud recitauit, non tenetur repetere, vt rectè Siluеſter ſuprà. quia quæ ad ſubſtantiam legis pertinent, etſi cum peccato veniali, iam impleuit. multò minùs tenebitur, ſi per inaduertentiam mutauit.

Mutatio officij non eſt peccatũ mortale.

Valdè tamen laudabile eſt repetere vel totum officium, ſi aliud per errorem vel ſponte recitatum eſt; vel ſaltem ea, quæ ad proprium officium pertinebant; etiamſi ſolùm eſſet Hymnus, vel Antiphona, vel Lectio aliqua.

78 Dico Secundò, Quod ad tempus attinet, in officio publico ſeruanda eſt conſuetudo recepta; in priuato, etſi laudabile ſit vt ſingulæ horæ ſuis temporibus & interuallis orentur; tamen ad vitandum peccatum mortiferum, ſufficit vt recitentur eo interuallo, quod eſt inter medium noctis præcedentis & ſequentis: qui enim intereà temporis horas recitauerit, ſiue initio, ſiue in medio, ſiue in fine, ſatisfacit ſubſtantiæ præcepti.

Tempus.

Vbi Notandum eſt Primò, Ex conſuetudine licitum eſſe recitare preces nocturnas & Laudes pridie ad veſperam; vt Caietanus, Nauarrus, & alij docent. imò etiam ante ſolis occaſum, nempe poſt tempus Veſperarum & Completorij; vt docet D. Thomas quodlib. 5. art. 28. vnde vbi hæc abſoluta ſunt in Eccleſiis hora quarta pomeridiana, licitum erit priuatim nocturnum Officium ſequentis diei inchoare. huic Laudes adiungi, vel ſeiungi, & in alterum diem differri poſſunt. Paruæ horæ non poſſunt dici pridie, ſed ſolùm poſt mediam noctem. poſſunt tamen omnes vſque ad Veſperas excluſiuè ob aliquam honeſtam cauſam recitari manè, teſte Nauarro; imò ſi cauſa iuſta adſit, etiam Veſperæ adiungi poſſunt, teſte Caietano; quod apertè habetur cap. 1. de celebratione Miſſarum, ſuprà citato; vt ſi inſtaret profectio, vel alia longa occupatio, vel amicorum interpellatio; imò maior quies & deuotio, poſſet legitima cauſa cenſeri, vt notat Caietanus.

79 *Preces matutinæ & Laudes veſperi.*

Paruæ horæ quando.

Eſt tamen peccatum veniale, ſi vltra iuſtum tempus abſque cauſa differantur.

Notandum Secundò, Non eſſe peccatum mortiferum mutare ordinem horarum, vt ſi Prima dicatur ante Laudes, vel Veſperæ ante Primam; quia ordo horarum extra chorum non eſt ſub præcepto, niſi ſecundariò, & tamquam circumſtantia minoris momenti. vnde etiam facilè datur iuſta cauſa mutandi, vt ſi à viro graui inuiteris ad recitandas horas poſteriores; vel ſi in choro dicantur, & tu priores nondum perſolueris. Ita Toletus lib. 2. cap. 13.

80 *Mutatio ordinis precum.*

Notandum Tertiò, Non eſſe etiam peccatum mortiferum, facere Sacrum ante preces nocturnas, ſeu Matutinum, iuxta Sotum lib. 10. quæſt. 5. art. 4. quem ſequuntur multi recentiores, Victoria, Canus, Mantius, Penna, Henriquez: vide ipſum lib. 9. de Miſſa cap. 24. num. 7. quia nihil Iure de hoc præceptum, nec conſuetudo contraria eſt recepta ſub peccato mortali. non enim eſt vlla neceſſaria connexio aut dependentia ſacrificij ab illis precibus, vt idcircò debeant præcedere. & ſanè mirum eſſet, inuerſionem illius ordinis eſſe peccatum mortiferum, cùm nec ipſæ horæ inter ſe tam neceſſarium ordinem habeant. Vnde ex cauſa rationabili poterunt interdum poſtponi ſacrificio abſque omni peccato, vt docet Fumus v. Miſſa, n. 3. & Petrus Arragon. 2. 2. quæſt. 83. art. 12.

81 *Sacrum ante preces matutinas.*

CAPVT XXXVIII.

De Sacrificio & Adoratione.

Constat 4. Dubitationibus.

SEquuntur actus externi Religionis, inter quos primum locum obtinent *sacrificium* & *adoratio*; his enim manifestissimè cultus defertur: *sacrificio* per rem externam, *adoratione* per corporis gestum. *Sacrificio* affines sunt *oblationes* & *primitiæ*, de quibus etiam breuiter aliquid dicemus.

DVBITATIO I.

Quid sit adoratio.

1 Προσκύνησις.

NOTANDVM Primò, *Adorationem* Græcè dici προσκύνησιν, quasi dicas adosculationem, à κυνέω, quod idem est quod κύω osculor, vt ex Homero constat. solent enim antiqui venerari homines & deos, osculando genua, vel caput, vel humeros. Hebræi aliquando exprimunt per verbum הִשְׁתַּחֲוָיָה, quod se incuruare significat, à verbo שָׁחָה, aliquando per עָבַר, quod seruire. Hinc factum est vt 70. & Scriptores sacri noui Testamenti *adorationis* actum sæpè exprimant per verbum δουλεύειν λατρεύειν, (quæ significant idem quod seruire) secuti Hebraismum.

2 *Nomina cultum significantia sunt cõmunia Deo & creaturis.*

Notandum Secundò, Omnia hæc nomina esse communia Deo & creaturis; & quemuis cultum honorarium, siue is religiosus sit siue politicus, significare. aliquando enim significant honorem qui tribuitur hominibus vel Angelis: nam Genes. 18. Abraham *adorauit in terram Angelos.* & Gen. 19. Loth *adorauit Angelos* pronus in terram. 3. Reg. 1. *Inclinauit se Bethsabee & adorauit Regẽ.* & infrà, *Nathan adorauit Regem pronus in terram.* & alibi sæpè. quibus locis apud 70. est προσκυνῆσε, Hebraicè, יִשְׁתַּחוּ. Eadem alibi significant honorem diuinum. Exod. 20. v. 5. *Non adorabis ea.* 70. Οὐ προσκυνήσῃς. Hebr. תִּשְׁתַּחֲוֶה. Sic Matth. 4. *Adoratio* & προσκύνησις accipiuntur pro cultu diuino. Pari modo δουλεία aliquando accipitur pro cultu diuino; Gal. 4. *Iis, qui non sunt naturâ dij seruiebatis*; Græce ἐδουλεύσατε. aliquando pro cultu & obsequio humano; ad Gal. 5. *Per charitatem seruite inuicem*, Græcè δουλεύσατε. Sic λατρεύειν apud profanos significat obsequia seruilia obire, famulari, & seruiliter aliquem colere; (vt ex Hesychio & Suida patet) tamen in nouo Testamento, & (exceptis duobus vel tribus locis) etiam in veteri semper accipitur pro cultu qui Deo debetur. Vide D. Augustinum lib. 10. de ciuit. cap. 1. & Ludouicum Viuem ibidem.

Δουλεία.

Λατρεύειν.

3 Ex his patet, quando in Scripturis vel Patribus inuenitur nomen *adorationis*, vel *cultus*, vel *seruitutis*, vel aliud æquiualens, ex subiecta materia & circumstantiis iudicandum, vtrùm accipiatur pro cultu diuino, an pro inferiore; nam nomina ipsa per se generalia sunt, & nunc sic nunc aliter vsurpantur: quod est valdè notandum contra hæreticos.

His positis, *Adoratio* dupliciter accipitur. Primò, Generatim, vt complectatur etiam sacrificium & oblationem. Sic Ioan. 4. *Venit hora quando neque in monte hoc neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*; nempe per sacrificium. nam de loco, vbi Deo sacrificium offerri deberet, quærebat Samaritana: de eo enim erat quæstio inter Iudæos & Samaritas. sic sæpissimè accipitur in Scripturis. 4 *Adoratio generatim.*

Secundò, Propriè; & sic nihil est aliud quàm *honor externo corporis gestu exhibitus*, vt genuflexione, capitis apertione, inclinatione, osculo manus & pedum, corporis in terrã prostratione, &c. his enim & similibus modis alios honoramus; testamur enim nostram submissionem, & alterius excellentiam. Itaque *adoratio* propriè consistit in externo illo gestu, quatenus est signum internæ æstimationis, reuerentiæ & submissionis erga alterum, & consequenter illius quoque excellentiæ. *Speciatim.*

Notandum est, etiam omnem externam *adorationem* secundùm se esse adiaphoram, & posse tam creaturis quàm Deo exhiberi: nam genuflexio, & totius corporis in terram prostratio, (quæ summæ videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi solent; vt ex Scripturis patet, Genes. 43. & 50. 3. Reg. 1. 4. Reg. 4. Actor. 10. Itaque à sola intentione pendet, quòd per hæc, ista vel illa honoris species deferatur. si enim externâ illâ submissionis notâ intendas te alteri submittere tamquam Deo, & testari eius diuinitatem, erit cultus latriæ; si vt amico Dei, erit duliæ; si vt viro sapienti, potenti, erit obseruantia politica. Vnde idem actus externus, quatenus successiuè potest procedere à diuersa intentione, & accipi vt signum diuersæ excellentiæ in honorato, & diuersæ æstimationis, reuerentiæ & submissionis in honorante, potest successiuè esse actus latriæ, duliæ, & obseruantiæ politicæ. 5 *Omnis externa adoratio per se adiaphora.*

DVBITATIO II.

Quid sit sacrificium propriè dictum.

HÆretici, vt excludant vnicum & verum Ecclesiæ sacrificium, ita rationem sacrificij explicant, vt vel omne opus bonum, vel saltem omne id quod Deo offertur, velint esse propriè dictum sacrificium. vnde Philippus Melanchthon in Locis communibus, tit. de sacrificio eucharistico, *sacrificium* dicit *esse omne opus, quod Deo reddimus, vt eum honore afficiamus.* & Caluinus lib. 4. Institut. cap. 18. §. 13. 16. 17. omnem oblationem, etiamsi nulla fiat circa illam immolatio, vult esse verum sacrificium. Idem ferè docent alij hæretici, vt refert Gregorius à Valentia Apol. de sacrificio Missæ, & Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 2. 6 *Hæreticorum sententia.*

Sed certum est, & fide tenendum, neque omne opus bonum, neque omnem oblationem esse verum & propriè dictum sacrificium. 7 *Non omne opus bonum est propriè sacrificium.*

Prior pars probatur Primò, Quia apud omnes Gentes

Gentes sacrificium est aliquod opus speciale, cuius laus in eo sita est, quòd per illud colatur diuinitas. nam vt D. Augustinus lib. 10. de ciuit. c. 4. ait: *Nemo vnquam sacrificandum censuit, nisi ei, quem aut Deum sciuit, aut putauit, aut finxit.* Hoc autem non conuenit cuiuis operi bono, vt ieiunio, eleëmosynæ; hæc enim per se nullum cultum præ se ferunt, sed solùm castigationem carnis, & beneficentiam in proximum.

Ad sacrificium requiritur sacerdos & altare.

Secundò, Quia ad sacrificium requiritur sacerdos, & altare. *Sacerdos* quidem, quia offerre sacrificium est proprium munus sacerdotis, vt constat ex Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia.* Hinc Ozias Rex, cùm non esset sacerdos, & sacrificium offerre vellet, à Deo punitus fuit; quia officium sacerdotibus proprium vsurpauit, 2. Paralip. 14. & Saul ob eamdem causam à Deo reiectus & priuatus regno, 1. Reg. 13. Idem confirmatur ex nominum affinitate; nam apud Latinos sacrificus & sacerdos idem valent: & apud Græcos ἱερεύειν sacrificare, dicitur ab ἱερεύς, quod sacerdotem significat: vnde perspicuum est, sacrificare esse proprium sacerdotum.

Altare requiri, constat tum vsu omnium Gentium, tum ex Scripturis, vbi altaria non leguntur erecta, nisi ad vsum vel ad significationem sacrificij. nam etiam illud filiorum Ruben & Gad, de quo Ios. 22. erectum fuit ad sacrificium, non quidem vt in illo offerretur, sed vt per illud posteritati significarent se habere ius offerendi sacrificij cum reliquis tribubus, quæ transierant Iordanem: tum denique quia altare nomen habet à sacrificio, apud Græcos & Hebræos; Græcè enim altare dicitur θυσιαστήριον à θυσία, quod sacrificium significat: & Hebraicè altare dicitur מִזְבֵּחַ, à זָבַח quod sacrificium denotat.

Tertiò, Si omne opus bonum esset sacrificium, omnis homo Iure naturæ propriè esset sacerdos; quia Iure naturæ obligatur ad opera bona: atqui id est absurdum, & contra commune iudicium generis humani: sic enim nascentur sacerdotes, non consecrabuntur, & feminæ sacerdotes erunt.

Dices, Opus bonum esse sacrificium, non quidem per se, sed vt fit ad honorem Dei; sic enim est cultus Dei.

8 Respondeo, Primò, Nihilominùs sequitur, omnem hominem Iure naturæ esse propriè sacerdotem; quia Deum bonis operibus colere debet. Secundò, Hinc solùm conficitur, omne opus bonum à virtute Religionis imperari posse, & ad finem sacrificij (qui est honorare Deum) dirigi: esse autem imperatum à tali virtute, nihil ponit in actu externo, sed tantùm insinuat ipsum ab effectu latriæ procedere: quod non sufficit vt fiat propriè actus Religionis, (sicut adoratio, laus, votum, iusiurandum) cùm non ideò speciem cultus præseferat: multò minùs sufficit vt sit sacrificium, quod perfectissimum cultum continet.

9 *Obiectiones.* Nec obstat, quòd contritio, eleëmosyna & quoduis opus iustitiæ, in Scripturis vocetur sacrificium; Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* & Psal. 4. *Sacrificate sacrificiũ iustitiæ.* ad Hebr. vlt. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur* (Græcè διαγεται, *placatur*) *Deus:* quia nomen sacrificij ibi largè sumitur pro omni opere, quod instar sacrificij Deum placat & conciliat. Vide Chrysostomum in Psal. 95. vbi decem genera talium sacrificiorum enumerat. Primum, Sacrificium martyrij. Secundum, Deprecationis. Tertium, Iubilationis. Quartum, Iustitiæ. Quintum, Eleëmosynæ. Sextum, Laudis. Septimum, Compunctionis. Octauum, Humilitatis. Nonum, Prædicationis. Decimum, Beneficentiæ in Sanctos. Quando strictè & propriè accipitur, à bonis operibus distinguitur. 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam victimæ.* Ose. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Psal. 50. *Si voluisses, sacrificium dedissem.* vide Melchiorem Canum lib. 12. de locis, cap. 13. Rursus non obstat illud Augustini lib. 10. de ciuit. c. 6. *Sacrificium verum est omne opus bonũ, quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finẽ boni, quo veraciter beati esse possimus:* quia accipit nomen *sacrificij* latè pro omni opere, quo assequimur sacrificij finem seu effectum, qui est adhærere Deo, eique placere. vocat tale opus *sacrificium verum*, vt distinguatur à sacrificio externo animalium; non quòd perfectiorem rationem sacrificij habeat, sed quia effectum sacrificij perfectiùs præstat: meliùs enim Deum placat quàm externum solum. Hanc esse mentem Augustini, patet ex cap. præcedente. Simili modo Dominus Ioan. 15. dicit, *Ego sum vitis vera*; nimirum quia mysticè præstat excellenter ea quæ vitis sunt. Sic tyrannus dicitur verus leo: abstinere à peccatis, verum ieiunium, &c. huiusmodi formæ loquendi crebræ sunt non solùm in Scripturis, sed etiam in vsu quotidiano.

Decem genera sacrificiorum.

Omne opus bonum quo modo sacrificium dicatur.

Altera pars probatur Primò, Quia Scriptura passim distinguit oblationes à sacrificijs. Psal. 50. *Oblationes & holocausta.* Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti.* ad Hebr. 5. *Vt offerat dona & sacrificia.* Secundò, Quia multa in Scripturis dicuntur offerri, quæ tamen non possunt dici sacrificari; vt primogeniti, primitiæ variarum frugum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, & similia. Vide Exod. 25. & 35. ergo sacrificia differunt ab oblationibus. Tertiò, Quia ad sacrificium requiritur aliqua rei mutatio, vt statim ostendam: hoc autem non requiritur ad oblationem. Quartò, Sacrificare est proprium sacerdotum; oblationes facere quiuis potest. Quintò, Ad sacrificium requiritur altare; ad oblationes minimè.

10 *Nõ omnem oblationem esse sacrificium.*

His refutatis, Notandum est, ex Scripturis colligi, quinque ad perfectum & propriè dictum sacrificium requiri. Primum, Ex parte ministri. Secundum, Ex parte materiæ. Tertium, Ex parte formæ. Quartum, Ex parte finis. Quintum, Ex parte loci.

11 *Quinque requiri ad perfectum sacrificiũ.*

Ex parte *ministri* requiritur vt sit sacerdos, vt ex Apostolo ad Hebr. 5. & ex aliis iam dictis numer. 7. constat. Sacerdos dicitur qui legitima auctoritate ad offerendum sacrificium est deputatus. Ratio est, quia cùm sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo diuinitas ab hominibus colitur; par est vt non fiat passim à quouis, sed à personis selectis, ad hoc peculiariter deputatis, vt nomine omnium faciant, per quos & ceteri censeantur Numen colere & sacrificare. Vnde apud omnes Gentes sunt aliqui peculiariter deputati, vt numen, quod sibi delegerunt, publico nomine colant & placent. Horum est offerre sacrificia. Idem patet ex veteri Testamento, vbi sacrificia non nisi à sacerdotibus offerebantur.

Minister.

Confirmatur, quia sacrificium est præcipua cærimonia externa, qua populus in vnum nomen religionis conspirat. per illud enim omnes simul instar vnius corporis Deum colunt, & religionem suam testantur. oportet enim aliquas esse actiones ac cærimonias externas, quibus non solùm singuli seorsim, sed etiã tota Resp. iunctim, veluti vnum corpus politicum vna eademque religione imbutum, diuinum Numen veneretur, eiusque summum principatũ & suam subiectionem profiteatur; cùm etiam omnes simul Deo subiecti sint, & totum bonũ commune ab ipso dependeat. Itaque cùm inter has primum locum teneat sacrificium, necesse est vt sint aliquæ personæ publico nomine ad hoc deputatæ, quæ sacerdotes dicuntur.

12 *Qui sacerdotes in lege naturæ fuerint.*

Nec obstat quòd in lege naturæ non videantur fuisse sacerdotes, cùm tamen fuerint sacrificia: quia tunc vel primogeniti erant sacerdotes, vt docet Hieronymus in quæst. Hebraicis, agens de Melchisedech, vbi dicit, esse traditionem Hebræorum, omnes primogenitos à Noë vsque ad Aaron fuisse sacerdotes: iidem etiam habebant auctoritatem quasi regiam, & multas alias prærogatiuas; vt eruditè ostendit noster Pererius tomo 2. in Gen. cap. vlt. In eadem sententia est Eucherius, Glossa, & Lipomanus in illud Gen. 25. *Vende mihi primogenita tua.* Vel certè quiuis paterfamilias sicut habebat auctoritatem quasi regiam in suos, ita etiam sacerdotalem; quod etiam est valdè verisimile. illi enim optimè congruebat pro tota familia offerre. Sic Iob pro liberis suis sacrificabat, eosque sanctificabat, vt habetur c. 1. lib. Iob. Adde, quosdam tunc etiam peculiari instinctu Dei fuisse ad sacrificandum impulsos, vt Abel, Abraham, Iacob, & similes, qui hoc ipso fuere constituti sacerdotes, quo potestatem sacrificandi acceperunt. Similiter non obstat, quòd in lege veteri agnus Paschalis à singulis familiis immolabatur, vt constat Exod. 12. quia singuli patresfamilias ad hoc sacrificium erant sacerdotes: idque vel peculiari deputatione & ordinatione Dei; vel antiqua auctoritate, quæ erat tempore legis naturæ, concessu Dei quoad hoc sacrificiũ perseuerante, in reliquis abolita; cuius signum est, quòd sacrificium agni Paschalis institutum fuerit ante legem veterem, & ante huius legis sacerdotium. vnde in eo instituendo seruata est consuetudo, quæ erat tempore legis naturæ; nempe vt à singulis capitibus familiarum offerretur: quę paulò pòst in monte Sina quoad alia sacrificia est abolita, instituto sacerdotio Aaronico.

Sacerdos in sacrificio agni paschalis.

Res sensibilis.

Secundò, Ex parte *materiæ* requiritur res aliqua sensibilis externa, viua vel inanima: omnia enim, quæ sensu gentium, vel in Scripturis dicuntur propria sacrificia, versantur in re huiusmodi.

13 *Mutatio.*

Tertiò, Ex parte *formæ* requiritur illius rei peremptio, vel aliqua alia conueniens mutatio. hoc enim potissimùm differt sacrificium ab oblationibus. Probatur Primò, Nam omnia sacrificia legis naturæ & veteris, quantum ex Scripturis colligi potest, fiebant non simplici oblatione ad altare Domini; nec sola eleuatione; sed rei destructione facta ad honorem Dei. quædam enim per occisionem sacrificabantur, vt viuentia; quædam per combustionem, vt carnes animalium occisorum, & res inanimæ solidæ, vt similia, sal, thus; quædam per effusionem, vt sanguis, vinum, aqua. vide c. 1. & 2. Leuit. Idem patet ex sacrificiis ethnicorum.

Secundò, Idem colligitur ex ipsis nominibus; nam *sacrificare* Græcis est θύειν, Hebræis שחט quorum vtrumque significat occidere, mactare: & nomen sacrificandi etsi dicatur à re aliqua sacra facienda, tamen sæpissimè accipitur pro occidere; quod signum est, sacrificium vel ipsa rei interemptione fieri, vel cum ea coniunctũ est. Ratio est, quia cùm res perimitur, eripitur vsibus humanis, & perfectiùs videtur tota in honorem Dei cedere, & significare supremum eius in omnia dominatum, omniaque ab ipso pendere. Nec obstat, quòd in sacrificio panis & vini, quod obtulit Melchisedech Gen. 14. non videatur vlla facta mutatio: quia etsi Scriptura non explicet quomodo obtulerit; non videtur tamen dubitandum, quin eo modo, quo aliæ res inanimæ sacrificari solent, id fecerit, nimirum sistendo totum in altari coram Deo; deinde aliquam partem igne consumendo, vel libando: fruges enim in sacrificijs torreri vel incendi solent, & liquida effundi. Nec opus erat totum ita consumi quando non erat holocaustũ, sed particulam aliquam; reliquis reseruatis sacerdoti, & alijs, qui sacrificij debebant esse participes: vt fieri solet in hostijs pacificis.

14 *An debeat perimi.*

Aduertendum tamen, non esse necessarium ad rationem sacrificij, vt res perimatur. sicut enim peremptione rei, ita etiam conuersione vnius in alteram, supremum dominium & suprema potestas Dei, nostraque subiectio & seruitus designari potest: ac proinde talis conuersio, à Deo in sacrificium institui potest; ipsius enim est constituere, quibus rebus & signis coli debeat, & supremum suum principatum significari velit. vnde potest quasuis res, & quasuis mutationes ad hoc idoneas assumere. Sic in noua lege sacrificium constituit in conuersione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, per verba consecrationis; & simul potestatem ad sic offerendum dedit, sacerdotio ad hoc proportionato erecto. Simili modo potuisset instituere in conuersione aquæ in vinum vel in sanguinem, lapidis in panem, plumbi in aurum, virgæ in serpentem, serpentis in ouem, &c. data hominibus potestate accommoda ad hæc per verba vel alia signa sensibilia efficienda.

Sufficit conuersio.

Petes, Cùm in conuersione vnius in aliud, duo sint, id quod conuertitur (quod desinit esse secundùm suam speciem) & id in quod conuertitur, quod incipit esse vel absolutè, (vt si antè non erat) vel secundùm quamdam sui replicationem, vtrum ex duobus censeatur hostia?

15 *Id in quod fit conuersio, est principalis hostia.*

Respondeo, Id in quo fit conuersio: id enim potissimùm intenditur per illam actionem: quia vt illud incipiat esse, alterũ desinit; estque hoc illius veluti materia: vnde etiam Deus magis intendit honorari per illam actionem conuersiuam vt ponit terminum ad quem, quàm vt tollit terminum à quo. Exemplum habemus extra mysterium Eucharistiæ in oblatione thuris, quæ fit per conuersionem thuris in suffitum. hîc enim potiùs sacrificatur suffitus, in quem thus conuertitur, quàm ipsum thus, quod est suffitus materia. Idem cernitur in concremationc holocaustorum, & aliarum rerum quæ per ignem offeruntur. Vnde non est mirandum, in sacrificio Eucharistiæ hostiam esse Corpus Christi, in quod fit conuersio, non panẽ, qui conuertitur: quamuis eadem actione etiam offeratur panis secundariò & comitanter. totum enim, quod ibi fit, ad diuinum principatum, nostram-

Oblatio thuris.

strámque subiectionē testandam agitur. Quòd si in aliqua conuersione intenderet magis honorari desitione termini à quo; tunc terminus à quo esset hostia, & ratio sacrificij consisteret in actione conuersiua, quatenus illum tollit è medio. Exemplum dari posset in occisione animaliū, si illa actio non solùm esset destructiua, sed etiam productiua formæ cadaueris, (vt multi volunt:) tunc enim esset verè & propriè conuersiua; & sic daretur conuersio, quæ primariò haberet rationem sacrificij, quatenus est destructiua termini à quo, scilicet animalis; secundariò verò vt est productiua cadaueris, quod etiam eadem actione offerri censeretur.

16 *Ratio sacrificij in Eucharistia.* Hinc patet, in mysterio Eucharistiæ frustrà rationem sacrificij quæri in alia actione, quàm in consecratione: hæc enim abundè sufficit ad sacrificij rationem, siue sumptio dicenda sit pars illius sacrificij, vt à Christo est institutum, siue non. sicut enim sacrificium thymiamatis, & omnium eorum, quæ igne offeruntur, consistit in conuersione illorum in suffitum, qui primariò ibi censetur offerri; ita sacrificiū Eucharistiæ consistit in conuersione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, quæ ibi principaliter offeruntur: & sicut ibi ad rationem sacrificij non est opus dicere, Offero tibi hoc incensum, &c. aut materiam sursum eleuare; ita nec ad rationem sacrificij altaris opus est vlla verbali oblatione, siue materiæ, siue rei *Non opus est verbali oblatione.* consecratæ, nec vlla eleuatione; sed hæc adhibentur vt preces & cærimoniæ, quibus vel petimus exaudiri, & consequi fructum sacrificij, vel nos & alios excitamus ad considerationem eorum, quæ reipsa geruntur, & ad internam reuerentiam. ipsa enim realis conuersio, ad honorem Dei à legitimo ministro facta, est sufficiens oblatio.

Nec refert quòd exteriùs non præ se ferat speciem aliquam oblationis; quia nec ipsum sacrificium crucis exteriùs præ se fert formam oblationis; sufficit vt habeat rationem oblationis, quatenus subest intentioni offerentis, legitimam ad hoc potestatem habentis. Sed exactior horum tractatio alium locum postulat.

Petes, Si ratio sacrificij consistit in peremptione vel mutatione, quomodo illa reperitur in sacrificio crucis, cùm Christus seipsum nō interemerit?

17 *De sacrificio crucis.* Respondeo, Etiamsi Christus seipsum propriè non interemit aut occidit (non enim plagas illas & vulnera, ex quibus mors secuta est, tibi irrogauit; quod verbo occidendi significatur) tamen verè fuit causa voluntaria totius illius mutationis & mortis suæ: nam in potestate ipsius erat, vel tortorum vim infringere, vel eorum ictibus se subtrahere, vel efficere vt ictus inflicti nullam læsionem aut dolorem inferrent, vel vt dolore illato anima non migraret. Itaque cùm sponte corpus flagellis & crucifixioni obiecerit & assiduè exposuerit, nec vim ictuum, qui inferebantur, infringere, aut sæuitiam tortorum impedire voluerit, hæc perpessio & mors prorsus ei libera erat, & ab ipso, tamquam à causa passum applicante, procedebat. sicut enim qui admouet thus igni, est causa suffitus, quem ignis naturaliter causat; ita qui corpus suum obijcit tormentis, est causa dolorum & vulnerum, quæ per tormenta inferuntur; quæ ratio causandi omnino sufficiens est ad rationem sacrificij, si alia adsint, vt patet in holocaustis.

Dices, Ergo passiones Martyrum sunt vera sacrificia.

Respond. negando consequentiam; tum quia non erant instituti à Deo sacerdotes ad huiusmodi sacrificium offerendum; tum quia perpessio & mors non erat in illorum potestate, nisi remotè: nempe quatenus poterant se tyrannis offerre, vel fuga eripere. Secùs in Christo Domino; qui à Deo erat institutus sacerdos ad seipsum in sacrificium offerendum, & omnem perpessionem in sua potestate proximè constitutam habebat. Vnde Ioan. 10. ait, *Nemo tollit eam* (animam) *à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam.* *Martyrum mors non erat sacrificium.*

Quartò, Ex parte *finis* requiritur vt explicitè vel implicitè referatur ad honorem Dei; si alio fine fiat, non erit sacrificium. sicut qui caput aperit non causa honorandi, sed irridendi, vel captandæ auræ, non adorat. Ratio est, quia sacrificium est in genere signorum, quibus æstimationem internam excellentiæ alterius & affectum seruitutis erga illum exprimimus. Si ergo hæc æstimatio & affectus desit, non erit verum signum, sed vel non erit signum, (vt si non fiat animo significandi:) vel erit falsum & mendax; vt si quis interiùs non habeat pro Deo, cui exteriùs adulatione vel timore sacrificat. 18 *Finis intrinsecus sacrificij.*

Quintò, Ex parte *loci* requiritur vt locus sit huic muneri dedicatus; qualem *altare* & *aram* vocamus. dignitas enim operis requirit locum specialem, ab vsibus profanis segregatum; vt mos omnium gentium confirmat; de quo satis dictum suprà num. 7. Dixi, ista quinque requiri ad sacrificium *perfectum*, prout Scriptura de eo loquitur; quia ad imperfectum quemdam sacrificij modum non videntur hæc omnia necessaria. tale enim fortasse singuli homines in lege naturæ offerre poterant, priuato nomine & auctoritate, & eo loco vbi placuisset: nam apud ethnicos simile quid videmus. sed talia non erant perfecta sacrificia; quia perfectio oblationis maximè pendet ex conditione offerentis.

Ex dictis intelligi potest quid sit *sacrificium*, & posse hoc modo describi: *Sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro facta Deo per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium & nostram subiectionem. Est oblatio*, quia *oblatio* est genus sacrificij, vt docet D. Thomas quæst 85. art. 3. ad 3. & communiter DD. quamuis hoc nomen aliquando strictè accipiatur pro oblatione, quæ solùm est oblatio, non sacrificium. *Rei sensibilis*, vt excludatur interna oblatio, qua mens se suaque omnia Deo subijcit & offert; quæ non est propriè sacrificium, etsi perfectiùs fructum sacrificij præstet quàm sacrificia externa, & idcircò interdum sacrificium vocetur, vt paulò antè dictum est. *A legitimo ministro*; quia sacrificium habet relationem ad sacerdotem. cùm enim sit excellentissimus & publicus Dei cultus, par est vt non fiat nisi à persona ad hoc publica auctoritate delecta. *Per realem immutationem*; tum quia est perfectissimus cultus, tum quia aliàs non distingueretur à simplici oblatione. *Ad testandum supremum*, &c. duo enim sacrificio significamus & testamur, diuinum principatum, & nostram subiectionem. & hæc significatio est sacrificio essentialis. Præter hanc quædam sacrificia habent significationem accessoriam, quæ mystica vel allegorica dici potest; vt, sacrificium sanctissimæ Eucharistiæ significat oblationem crucis; 19 *Descriptio sacrificij.* *Duo testamur sacrificio.*

cis, & sacrificium Melchisedech præfigurabat sacrificium Eucharistiæ. & omnia sacrificia veteris legis præsignabant oblationem Crucis vel Eucharistiæ. & valdè credibile est, nullũ sacrificium instinctu diuino fuisse oblatum in lege naturæ, quod talem significationem allegoricam non habuerit: omnia enim erant vmbræ Christum obscurè insinuantes, & mentes hominum ad illum excitantes. hæc tamen significatio non pertinet ad rationem sacrificij vt sacrificium est. Vnde non fuisset, si Adam innocentiam conseruasset. Potest tamen dici pertinere ad sacrificium, vt est propria huius vel illius status cærimonia. sed vberior horum tractatio alium locum postulat.

20 *Sacrificia diis inferioribus oblata.*

Dices, Ethnici etiam diis inferioribus, à quibus certa dumtaxat beneficia exspectabant, quique aliis subiecti erant, sacrificium offerebant, vt Cereri, Mineruæ, Plutoni, & alijs huiusmodi: ergo non solùm supremum principatum sacrificio testamur.

Respondeo, Ethnici in sua Religione suoque cultu multa ἀσύστατα & pugnantia inuoluebant: putabant enim diuinitatem esse in multa partitam, easque partes non esse eiusdem dignitatis & gradus, in omnibus tamen sacrificio colendam: qua in re partim errabant, partim verum iudicabant: etsi enim absurdissimum sit diuinitatem in partes secare, tamen generatim verum est omnem diuinitatem sacrificio esse dignam.

Dvbitatio III.

De diuisione Sacrificij.

21 *1. Diuisio, ratione materiæ.*

TRibus modis diuidi potest. Primò, Ratione *materiæ*; nam *materia* vel erat animal aliquod, vel erat res inanima, eaque vel solida vel liquida. Sacrificium animalis dicitur *victima* vel hostia. Vnde hæc nomina ducta, Grammaticos consule. Oblatio rei inanimæ solidæ vocatur *immolatio*; quamuis hoc nomen etiam ad omne sacrificium extẽdatur. Oblatio rei liquidæ, *libamen*.

Quibus rebus constabat.

Vbi aduerte, libamina & immolationes esse sacrificia imperfectiora, quàm victimas: vnde apud Gentiles etiam dijs minutioribus fiebant; quibus tamen victimas non offerebant, sed ordinariè tantùm duodecim dijs maioribus. Porrò in veteri lege victima solùm constabat animalibus mundis istis, oue, capra, hœdo, boue, vitulo, columba, passere, turture: neque aliud genus licitum erat sacrificare. Res autem inanimæ solidæ, quæ offerebantur in sacrificium, erant panis, similа, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum. patet Leuit. 2. & 6. Hæc leuabat sacerdos in altum, varieque conficiebat & immutabat; in qua immutatione consistebat ratio sacrificij: nam panis in frusta dissecabatur; similа sartagine, clibano, vel craticula coquebatur; sal vrebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum torrebatur; triticum conterebatur. Liquidæ erant, sanguis, vinum, oleum, aqua. hæc effusione offerebantur.

22 *2. Diuisio, ratione formæ. Holocaustum.*

Secundò, Diuidi potest partim ex *forma*, partim ex *fine*, in *holocaustum*, *sacrificium pro peccato*, & *hostiam pacificam*. *Holocaustum* erat sacrificium perfectissimum; quia in eo tota res in fumum resoluta, sursum ad Deum ascendebat, nihilque ex eo vsibus cedebat humanis. vnde expressiùs per hoc significabatur omnia ipsius esse, & ab ipso prouenire. quare potissimùm ad hunc finem fiebat; quamuis etiam interdum fieret pro peccato populi & sacerdotum.

Pro peccato.

Sacrificium pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in vsum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. Offerebatur non pro peccatis internis, sed pro externis quibusdam, vt pro peccatis commissis per ignorantiam circa cærimonias; vt patet Leuit. 4. & 5. Item furti, periurij, calumniæ; vt patet ex cap. 6. 7.

23

Notandum autem est, hoc genus sacrificij ab Hebræis vocari Chattat, quæ vox etiam peccatum significat. Vnde Apostolus elegãter ad Hebræam vocem respiciẽs dixit, ad Rom. 8. *De peccato damnauit peccatum*; quasi dicat, De chattat damnauit chattat, id est, per sacrificium Crucis, quod erat pro peccato, deleuit peccatum. & 2. ad Cor. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; id est, hostiam peccati constituit.

Hostia pacifica.

Hostia pacifica partim cremabatur, partim edebatur, tum à sacerdotibus, tum ab ijs qui obtulerant. Offerebatur vel in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis; & tunc eodem die comedi debebat: vel ad noua beneficia impetranda, & tunc differri poterat eius consumptio in diem posteru m, non tamen vlteriùs.

Tertiò diuidi potest *ex fine* in λατρευτικὸν, εὐχαριστικὸν, impetratorium & propitiatorium. quæ diuisio parum differt à priore. Λατρευτικὸν dicitur quod solùm fit ad Deum colendum, eiusq; principatũ & nostram seruitutem testandam. hoc potissimùm fit holocausto. Ἐυχαριστικὸν dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Impetratorium pro beneficiis accipiendis. vtrumque dicebatur in veteri lege *Hostia pacifica*. Propitatorium siue ἱλαστικὸν est quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis auertendis. Hoc idem est quod hostia pro peccato.

Dvbitatio IV.

Vtrùm hoc tempore licitum sit offerre agnum vel vitulum.

24

VIdetur id esse licitum: nam offerre sacrificium est legis naturæ, vt docet D. Thomas cum Caiet. art. 1. & 4. vnde etiam in statu nudæ naturæ fuissent sacerdotes & sacrificia. fuisset enim cultus externus, quo Deum tamquam totius naturæ conditorem & Dominum fuissent venerati; qui cultus potissimùm consistit in sacrificio.

25

Resp. & Dico Primò, Fore superstitionem si Christianus vel Iudæus huiusmodi sacrificium offerat.

De Iudæo patet, quia apud Iudæos hæc sacrificia cõtinent in se protestationem Christi venturi: offerunt enim illa vt à Deo in veteri lege instituta, sic autem sunt signa Christi venturi, abolita per Christi mortem, & sacrificium nouæ legis.

26 *Non esse licitũ Christiano.*

De Christiano probatur Primò, Quia in Ecclesia tantùm est vnicum, verum, & propriè dictum sacrificium, quod omnibus veteribus sacrificijs successit, vt passim docent Patres. Vnde in Collecta Ecclesiæ dicitur, *Deus, qui legalium differentiam hostiarum, vnius sacrificij perfectione sanxisti.* Sic D. Augustinus lib. 8. de ciuit. cap. vlt. probat, epulas illas, quæ à quibusdam sepulchris Martyrum solent imponi, non esse sacrificia

Marty-

Martyrum, eò quòd vnicum Ecclesiæ sit sacrificium; satis insinuans non posse aliud auctoritate humana addi. Vide Chrysostomum in Psal.95. & Leonem Serm 7. de Passione cap.1.& 3.

Secundò, Sacrificium Ecclesiæ est infinitæ dignitatis, continens in se omnium sacrificiorum virtutem: ergo superstitiosum esset velle aliud addere, quasi illud non abundè sufficiat. ideò enim plura instituuntur, quia vnum ad omnia non sufficit.

Tertiò, Sacerdotium, quod est in Ecclesia, est supernaturale, institutum à Christo: ergo non respicit sacrificium Iuris naturæ, sed solùm supernaturale ab eodem Christo institutum: sacerdotium enim & sacrificium sunt correlatiua eiusdem rationis & ordinis, vt ex cap. 8. & 9. ad Hebræos colligitur.

Quartò, Alia sacrificia ex institutione diuina sunt signa Christi venturi: ergo qui ea vsurpat, id sciens vel aliquo modo aduertens, externo ritu Iudaizat.

27 Quintò, Hoc ipso quo Christus nostrum Sacrificium & sacerdotium instituit, ademit potestatem Ecclesiæ alterius sacerdotij aut sacrificij instituendi. sicuti in veteri lege hoc ipso, quòd illorum sacerdotium & sacrificia præscripsit, ademit illis potestatem alia sacrificia adiungendi. Eodem modo si in lege naturæ Respublica instituere sacerdotium & sacrificia, eo ipso censeretur priuatos restringere, ne alia adiungerent: nam hæc res ad supremam potestatem propriè pertinet. Confirm. Quia sacrificium ad fundamenta religionis spectat, non minùs quàm Sacramenta: adeò vt Apostolus ad Hebr. 7. dicat, *translato sacerdotio* (& consequenter etiam translato sacrificio, quod est connexum sacerdotio inseparabiliter) *necesse est vt & legis translatio fiat.* Vnde sicut Ecclesiæ non est relicta potestas instituendi alia Sacramenta; ita nec alia sacrificia. Vide Concilium Tridentinum sess.2.cap.2.

Nec obstat, quòd in Ecclesia thus offeratur; quia non offertur in sacrificium; (intentio enim sacrificandi abest) sed adoletur ad odorem, & ad significationem; & vt mentes excitentur ad venerationem & deuotionem. vnde fit hominibus etiam viuis, & ab iis, qui non sunt sacerdotes. Latè tamen interdum sacrificium dicitur, vt notat Caietanus art.4.

Dico Secundò, Probabile tamen est, non fore 28
superstitionem apud ethnicos, qui legem Christi *Non videtur illicitũ ethnico.*
ignorant, si vero Deo sacerdotes illorum talia sacrificia offerant: sic enim videtur sentire D. Augustinus epist.49.q.3. cùm ait: *Qui Christianas litteras vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum quòd cõstruant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia; sed quòd hæc idolis & dæmoniis exhibeant.* sentit ergo, non fore superstitionem, si offerantur vero Deo; alioquin id etiam culpandum esset.

Probatur, Quia offerre sacrificium, est legis naturæ, vt docet D. Thomas q.85.art.1.quod dupliciter intelligi potest, Primò, Vt sit naturalis ad hoc obligatio, vel in singulis, quod minùs est verisimile; vel saltem in communitate, vt D. Thomas & Caietanus indicant. Secundò, vt non sit quidem obligatio, sed ratio dictet id esse consentaneum, & suadeat. Lumen igitur naturale vel obstringit, vel suadet ethnicis sacrificiorum oblationem: atqui non apparet illis alia ratio sacrificandi, quę sit conuenientior, quàm ea qua offertur aliquid ex animalibus vel frugibus terræ: ergo.

Secundò, In statu nudæ naturæ huiusmodi sacrificia fuissent licita, quia non habuissent aptiora aut congruentiora naturæ: cur non etiam modò sint licita apud Indos & Iaponios, cùm alia diuinitus instituta non habeant?

Petes, Vnde illi haberent sacerdotes ad huiusmodi sacrificia idoneos? 29

Respond. Ex electione & dedicatione Reipub. Sicut enim Respub. perfecta Iure naturæ habet auctoritatem constituendi Principem, qui illam iustis legibus regat in iis, quæ ad politicam consuetudinem, & contractus pertinent: ita etiam potest constituere sacerdotem, qui eam regat in cultu diuino, & sacra administret, iuxta modum & capacitatem illius status. Et hic eam haberet potestatem in spiritualibus illi statui accommodatis, quam Princeps in temporalibus; deberetque Princeps ei subesse in iis quæ ad cultum diuinum pertinent: nisi fortè vnus idemque esset Summus Pontifex & Princeps; sicut Imperatores Romanorum olim erant, vt ex historiis constat.

CAPVT XXXIX.

De Decimis. *Habet Dubitat.6.*

DVBITATIO PRIMA.

An populus Christianus teneatur decimas soluere, & quo Iure.

D. Thomas art.1. quæst.87.

1 *Sententia VVicleſi.*

THOMAS Waldensis lib. 2. doct. fidei antiquæ, cap.64.& 65. refert Wiclefum docuisse, Primò, Decimas non esse vllo Iure sacerdotibus debitas, sed esse meras eleemosynas. Secundò, Populum ad libitum posse & debere eas negare sacerdotibus, propter eorum peccata.

Sed fide tenendum est, decimas non esse eleemosynas, sed subsidium sacerdotibus debitum propter ministerium spirituale. Vnde sententia illa Wiclefi damnata est in Concilio Constantiensi sess.8. 2 *Decimæ nõ sunt eleemosynæ.*

Probatur, Quia Iure diuino & naturali, ministrantibus populo spiritualia debetur sustentatio; vt ostendit D. Paulus 1.ad Cor. 9. vbi inter cetera

tera ait: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* & 1. ad Tim. 5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina: dicit enim Scriptura, non infrenabis os boui trituranti.* Vbi Theophylactus: *Honorem vocat, necessariorum suppeditationem. Duplici honore dixit, viduarum respectu, vel Diaconorum, vel simpliciter duplici, pro multo.* Haymo: *Duplici honore, quia reuerentia & sustentatione.* Denique Dominus Lucæ 10. *Dignus est operarius cibo suo.* His & aliis locis apertè significatur esse debitum, non gratiam, ministros Ecclesiæ sustentari.

3 *Decimas deberi ex iustitia, posita taxatione Ecclesiæ.*

Porrò hæc sustentatio præstatur per decimas. cùm enim aliquid certi à singulis de populo dari debeat, vt sustentatio ministrorum sit stabilis & sufficiens, Ecclesia imitatione diuina in veteri Testamento proposita, constituit decimam partem fructuum terræ huic rei esse segregandam. qua taxatione semel facta, singuli lege Iustitiæ decimas debent: sicut posita determinatione Principis, qua statuit quantum à singulis ad ipsius statum sustentandum, vel ad bellum gerendum, vel ad aliud opus necessarium contribuendum sit, singuli ex iustitia tenentur illam quantitatem dependere. Idem probatur Iure Canonico. vide in Decreto 16. qu. 1. & in Decretalibus tit. de decimis, per multos Canones. Hinc Concilium Trident. sess. 25. cap. 12. iubet excommunicari eos, *qui decimas subtrahunt aut impediunt; neque ab hoc crimine,* inquit, *nisi plena restitutione secuta, absoluantur.* quod intelligit Nauarrus cap. 21. num. 32. de iis, qui restituere possunt ante mortem, vel ante tempus, quo tenentur sacrosanctum Domini corpus sumere.

Excommunicantur subtrahentes decimas.

4 Ex dictis patet, decimarum solutionem, si considerentur secundùm suam substantiam, nempe vt sunt necessaria sustentatio ministrorum rerum spiritualium, Iure diuino & naturali esse debitam, nec vlla consuetudine posse tolli: si verò spectentur secundùm suam quotam, vt sunt decima pars fructuum; esse debitum saltem Iure Ecclesiastico.

5 *An quota decimarum debita sit Iure diuino. Canonistarum sententia.*

Sed difficultas est, Vtrùm non etiam Iure diuino hæc quota debeatur: in qua Canonistæ à Theologis dissentiunt. Illi enim ferè omnes docent etiam Iure diuino deberi. Ita Innoc. in cap. vltimo de parœciis, Glossa in cap. 1. de decimis, in 6. Hostiensis in Summa, tit. de decimis, Ioannes Andreas, Panorm. Antonius de Butrio, Petrus Ancharanus, & alij, quos Couarr. lib. 1. variar. cap. 17. recenset.

Probant Primò, Quia in Iure Canonico dicitur, *decimas cõstitutione diuina deberi*, cap. Tua 25. de decimis. Secundò, *Deum præcepisse decimas sibi solui in signum vniuersalis domini, ideoque non posse minui* cap. Tua nobis. 26. eodem. Tertiò, *Decimas esse Iuris diuini, esse Dei, deberi Deo.* 16. q. 1. cap. fin. Quartò, Dominus Matth. 23. cùm dixisset, *Decimatis mentham & anethum*, subiunxit; *Oportuit hæc facere, & illa non omittere.* vbi illud *oportuit* indicat obligationem Iuris diuini. Quintò, Dominus Matth. 5. ait, *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum:* ergo si illi soluebant decimas, multò magis nos in noua lege eas soluere debemus.

6 Contraria sententia est communis Theologorum, qu docent illam quotam tempore legis euangelicæ, solo Iure Ecclesiastico (etsi antiquissimo, vtpote à temporibus Apostolorum, vt patet ex constit. Clementis lib. 2. cap. 29. 38. 39. & l. 8. cap. 36.) deberi. Ita D. Thomas q. 87. art. 1. Halensis 3. p. q. 51. nu. 1 2. & 3. Henricus quodlib. 4. q. 28. Antoninus 2. p. tit. 4. cap. 3. §. 5. Sotus lib. 9. de Iustit. quæst. 4. art. 1. & alij. Idem tenet Nauar. cap. 21 Enchiridij, n 28. & Couarr. suprà.

Deberi solo Iure Ecclesiastico, vel præcepto Apostolico.

Probatur Primò, Quia in lege euangelica nullum extat præceptum de hac quantitate fructuum soluenda: solùm enim dicitur, administris rerum spiritualium deberi congruam sustentationem, vt patet 1. Cor. 9. & Matth. 10. Vtrùm autem danda eis sit decima pars fructuum, an vigesima, nusquam habetur.

Secundò, Præceptum istud non est naturale, vt per se patet; ergo positiuum: atqui in lege noua non sunt vlla præcepta positiua, nisi de fide & Sacramentis, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 108. art. 2. & quodlib. 4. art. 13. ergo, &c.

Tertiò, Si esset Iuris diuini, id esset maximè propter ea quæ habentur Exod. 22. Leuit. 27. & Num. 18. vbi Deus præcipit vt decimæ soluantur: sed hæc præcepta non pertinent ad tempus noui Testamẽti: tum quia sunt iudicialia, ad politiam illius populi spectantia; quare cessante synagoga, & forma illius populi in aliam mutata, necessariò cessare debuerunt; tum quia ibi solùm præcipitur vt soluantur Leuitis & sacerdotibus Aaronicis, nempe ministris illius legis; non autem ministris legis nouæ. Neque dici potest esse eamdem in his rationem: quia est alia lex, aliud sacerdotium, alia forma gubernandi: ac proinde præcepta pertinentia ad illam, non sunt extendenda ad nostram. deinde illi erant ferè decima pars populi, vtpote vna ex duodecim tribubus; nec acceperant partem suam in diuisione terræ; sicut aliæ tribus; vnde meritò fuit illis constituta decima pars fructuum terræ: quæ rationes cessant in ministris nouæ legis.

Quartò probatur, Hæc quota consuetudine potest tolli; cap. In aliquibus. 32. §. fin. de decimis; & in quibusdam locis multorum fructuum decima est sublata: quod fieri non posset, si Iure diuino deberetur.

7 *Ad argumenta.*

Ad primum argumentum Canonistarum Respondeo, Decimæ dicuntur deberi *constitutione diuina*; quia quòd debeantur, id ortum habet ex constitutione & lege diuina: Deus enim primitus præcepit solui decimas in veteri Testamento; ad cuius imitationem Ecclesia idem præcepit in noua. Itaque quòd decimæ nunc debeantur, est ex lege diuina non immediatè, sed mediatè.

Quomodo dicantur Iure diuino deberi.

Ad secundum, Eodem ferè modo respondendum: ideò non possunt minui, quia Deus olim hanc quotam taxauit in veteri Testamento, quam postea Ecclesia confirmauit, Deum imitata. vnde Deo irreuerentiam facere videtur, qui illam minuit, quamdiu Ecclesiæ lex viget. quia sicut Ecclesia in reuerentiam Dei illam sanxit, ita reuerentiâ Dei obligamur illam non accidere.

Ad tertium, Dicuntur esse *Iuris diuini*, quia Deo consecratæ & dicatæ in ministris: sicut res sacræ dicuntur Iuris diuini, quia peculiari modo ad Deum pertinent, in eiusque sunt dominio & iure.

Ad quartum, Quando Dominus Matth. 23. ait, *oportuit hæc facere*, loquitur de tẽpore illius legis; tunc enim Iure diuino decimæ erant soluendæ.

Ad

Iustitia nostra quomodo maior.

Ad quintum, Iustitia nostra debet esse maior iustitiâ Pharisæorum & Scribarum, non in soluenda decima; (alioquin deberemus plusquam decimam soluere; nam illi accuratissimè decimam ex omnibus soluebant, vt patet Matth. 23.) sed in reformandis affectibus internis: illorum enim iustitia solùm erat externa; nostra debet esse non tantùm externa, sed etiam interna. illi putabant sufficere si non occiderẽt, non mœcharentur exteriùs: at nos etiam iram & concupiscentiam internam resecare debemus; vt ibidem Dominus explicat.

8 *Est actus Iustitiæ & Religionis.*

Ex dictis intelligi potest, cuius virtutis actus sit solutio decimarum: si enim consideretur vt est debita sacerdotibus ob sacrum ministerium, sic immediatè est actus Iustitiæ, mediatè Religionis. si verò vt per eam fouetur cultus diuinus, vel vt per eam protestamur Deum esse auctorem frugum terræ & rerum omnium, quibus vita humana sustentatur, (soluuntur enim decimæ in signum vniuersalis dominij, vt habetur cap. Tua nobis, & cap. Cùm non sit in homine, de decimis) sic est solùm actus Religionis. vtroque modo fit à fidelibus.

Dvbitatio II.

Vtrùm Ecclesia iusta ratione hanc quotam constituerit.

9 Videri possit excedere iustum modum. Quòd enim in veteri Testamento constituta fuit decima, id factum, tum quia filij Leui erant ferè decima pars populi, tum quia in distributione terræ non acceperant suam partem; tum quia habebant vxores & liberos. at in nouo Testamento sacerdotes vix sunt sexagesima pars populi Christiani, & habent suas possessiones hereditarias vt ceteri; nec habent vxores & liberos alendos. Denique non omnibus sacerdotibus debentur decimæ, sed solis Episcopis & Parochis.

10 *Rationes cur Ecclesia hanc quotam constituerit.*

Respondeo, Ecclesiam iustissimis rationibus ad hanc portionem indicendam motam fuisse.

Primò, Quia vidit Deum in veteri lege decimam constituisse, & sanctos Patriarchas diuino instinctu etiam ante legem decimas dedisse: nam Genes. 14. Abraham dedit Melchisedech decimas ex omnibus, & Gen. 28. Iacob vouit Deo decimas cunctorum, quæ ab eo acciperet. Secundò, Quia Synagoga, in qua erat consuetudo huius quotæ, mutata est in Ecclesiam; & sic quodammodò sua sponte hæc consuetudo est continuata; Apostolis & Ecclesiæ Prælatis eam confirmantibus. Tertiò, Quia conueniebat vt non soli Episcopi & Parochi alerentur à populo, (quamuis illis ante ceteros id debeatur) sed etiam multi alij ministri sacrorum, qui officia diuina obeant, pro populo orent, & sacrificia offerant: omnia enim horum munia in bonum populi cedunt. vnde Ecclesia tantum poterat imponere, quantum his omnibus aliquo modo posset esse satis. Quartò, In noua lege Episcopi, Parochi, & alij Ecclesiastici debent esse patres pauperum, orphanorum, & viduarum. vnde non solùm debent habere quod ipsis sufficiat, sed etiam quo aliis subueniant. quod si non fecerint cùm possint, grauiter peccant; de quo plura suprà cap. 4. dubit. 6. Hanc rationem Caietanus vult esse potissimam cur Ecclesia meritò potuerit decimam imponere. Quintò, Ministri noui Testamenti sunt multò digniores; vnde pluribus egent ad dignitatem sui status in populo tuendam. Videmus enim sacerdotes iis locis, vbi egestate premuntur, contemni, & nihil illis haberi abiectius: quo fit vt vilissimis ministeriis inseruire cogantur, & parum boni præstare possint. Sexto, Multò plus laborant, eorumq; functiones sunt longè grauiores & excellentiores. Septimò, Opus est illis magna eruditione, ad quam comparandam requiruntur magni sumptus; & impediuntur aliæ rationes lucrandi, vt per mercaturam, & artes mechanicas, quas etiam non decet ab illis factitari. Octauò, Quia in lege veteri solùm erat vnum templum, idq; omni suo instrumento probè instructum. in noua lege sunt innumerabilia, quorum singula suis ornamentis, & sacra supellectili instrui, & sarta tecta conseruari debent. Nonò, Sacerdotibus veteris legis maximum compendium erat ex innumeris sacrificiis, quæ offerebantur: nihil tale habent in nouo Testamento. Decimò, In veteri lege decimæ manebant in familiis, quia transmittebantur ad posteros; vnde fiebant admodum diuites: secùs in lege noua. Vndecimò, Denarius significat perfectionem; est enim terminus numerorum simplicium, omnes illos continens: ceteri ex ipso semel vel sæpiùs repetito, & ex alio simplici, componuntur. Itaque qui decimam Deo in ministris soluit, sibi nouem retinens, significat se esse imperfectum, & expectare perfectionem à Deo per ipsius ministros. Ob hanc fortè causam in lege naturæ & apud ethnicos decimæ soluebantur. Vide Plinium lib. 19. cap. 14. Plutarchum in Lucullo, & in Problemat. cap. 16. Denique hanc ipsam Ecclesiæ taxationem Deus ipse sæpè comprobauit, fertilitatem concedens soluentibus, non soluentibus sterilitatem inferens. Vnde D. Augustinus li. 50. homiliarum, hom. 48. *Maiores*, inquit, *nostri ideò omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. modò autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. noluimus cum Deo partiri decimas, modo autem totum tollitur; hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus* Et Serm. 219. de tempore: *Hæc est Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuocetris.* vide totum illum Sermonem.

Denarius symbolum perfectionis.

Ex dictis patet responsio ad rationem obiectam. 11 *Ad argumentũ in tio positum.* si enim spectentur omnes ministri Ecclesiæ & fideles egeni, quos Ecclesia vult ali decimis, aliisque prouentibus Ecclesiasticis, sunt fortè plus quàm decima pars populi Christiani. Etsi enim sacerdotes non habeant vxores & filios naturales: habent tamen pauperes, qui sunt illis loco filiorum, quos ex præcepto Ecclesiæ & lege misericordiæ tenentur de eo quod superest sustentare.

Dvbitatio III.

Ex quibus rebus decimæ soluendæ, & quo modo.

D. Thomas artic. 2.

12 Respondeo, Quod ad priorem partem attinet, si Ius scriptum spectemus, decimæ sunt soluendæ ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere proueniunt; vt de fructibus, & quasi fructibus omnium rerum, quæ quodammodò nobis frugiferæ sunt, vt agrorum, arborum, animalium, domorum elocatarum, molendinorum, pisci-

piscinarum, aucupiorum, omniumque negotiorum lucrosorum. patet ex cap. Non est. 22. de decimis; vbi Cælestinus III. sic ait: *Sicut sancti Patres in suis tradiderunt scriptis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, deque ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Et cap. Ex transmissa. 23. idem Cælestinus ait: *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* vnde iubet solui etiam ex iis, quæ proueniunt ex molendino, quod vento agitur. Cap. Pastoralis. 28. quod est Innocent. III. eodem tit. dicitur: *De molendinis, piscariis, & lucro venditionis dandas decimas, neque deducendas expensas, quæ fiunt pro fructibus percipiendis.* D. Augustinus Serm. 219. *Quòd si decimas non habes fructuum terrenorum, quodcumque te pascit, ingenium Dei est, & inde decimas expetit, vnde vius: de militia, de negotio, & de artificio redde decimas: aliud enim pro terra dependimus, aliud pro vsura vitæ pensamus.*

De omni re & opere frugifero.

Triplices decimæ.

Ex his Doctores collegêre triplices decimas. *Prædiales*, vt ex agris, piscinis, molendinis, ædium elocatione, & similibus: nomen enim *prædium* illa omnia comprehendit. *Personales*, ex negotiatione, artificio, militia, famulatu. *Mixtas*, ex animalibus, vt fœtus, lana, butyrum. horum enim fructus partim ex prædiis, partim ex industria hominis prouenit.

Aduerte tamen, multis locis solas prædiales ex prædiis rusticis, & quasdam mixtas in vsu esse; reliquis consuetudine, & tacita condonatione Ecclesiæ abolitis, vnde in his spectanda potiùs est locorum consuetudo, quàm Ius scriptum.

Spectanda consuetudo.

13 *Cur de omnibus.*

Petes, Cur Ecclesia in noua lege voluit dari decimas de omnibus, cùm in lege veteri solùm datæ fuerint de frugibus, & pomis arborum, & animalibus, quæ transeunt sub virga pastoris? vt colligitur Leuit. vlt. in fine.

Respond. In veteri Testamento singulæ familiæ habebant suos agros vnde decimas soluere possent, & ita non erat necesse exigere personales. secùs tempore noui Testamenti, vbi non solùm familiæ multæ, sed etiam vrbes & Respublicæ quædam agris carent, vt Veneta, Genuensis, & similes. vnde oportuit decimas personales imperare: alioquin plerique nihil contribuissent, & vbi nulla sunt prædia rustica, Clerus sustentari non potuisset. Deinde quia singuli nunc longè plura à sacerdotibus accipiunt beneficia, quàm in veteri lege. Tertiò, Quia sacerdotes in nouo Testamento longè pluribus egent, vt antè ostensum est. Quartò, vt agnoscamus, non solùm fructus terræ, sed etiam omnem alium quæstum licitum, Dei munere prouenire. *Quodcumque* enim *te pascit, ingenium Dei est*, vt ait Augustinus, *& inde decimas expetit, vnde vius.*

Notandum est, etsi ex iniustè acquisitis, v.g. ex vsuris, præda, spoliis iniquis, furtis, decimæ dari non debeant; tamen si quis fructus non decimatos accepisset, deberet ex eis decimas soluere. Similiter si agrum alienum iniustè occupatum coluisset. Ratio est, quia hoc ipso, quo fructus exstant, decima pars eorum debetur Ecclesiæ, vt ex variis textibus constat, vt c. Commissum 4. c. Tua nobis 26. cap. Cùm non sit 33. de Decimis.

14 *An Ecclesia habeat dominium decimarum.*

Vtrùm verò Ecclesia habeat dominium decimarum ante separationem, dubitari potest. Glossa in cap. Tua nobis, de decimis, & cap. 23. Moderamine. 16. q. 1. satis apertè indicat, Ecclesiam non habere dominium. dicit enim verius esse decimas peti per Ecclesiam condictione ex Canone, vel officio Iudicis, quàm rei vindicatione. *condictio* autem ex Canone est actio personalis, vt patet §. Sic itaque. Instit. de actionibus. Idem tenent multi DD. antiqui, & Fredericus consilio 74. vt testatur Panormit in d. cap. Tua nobis.

Panormitanus verò in cap. Commissum, & cap. Tua nobis, de decimis, tamquam probabilius docet, Ecclesiam habere dominium decimarum, etiam antè quàm sint collectæ, idque probat tribus argumentis. Primò, Quia Deus dicit, decimas & primitias esse *suas*. cap. Tua nobis: atqui *suum* indicat dominium. Item eum, qui eas retinet, dicit retinere *aliena* inuito domino; d. cap. Tua nobis. Secundò, Ecclesia dicitur posse decimas *vindicare*; cap. Moderamine. 16. q. 1. sed *vindicatio* datur domino in rem suam; L. In rem. ff. de rei vindicatione. Tertiò, Venditio fructuum non decimatorum non est valida: nam Ecclesia semper potest ex illis suam portionem extrahere; cap. Pastoralis de decimis: atqui huius non potest esse alia ratio, quàm quia Ecclesia habet dominium decimæ partis in confuso: ergo, &c.

Neque obstat, quòd dominium non comparetur sine apprehensione: quia sicut Ecclesia habet priuilegium vt in rebus emptis, donatis, & legatis dominium acquirat sine apprehensione, vt habetur L. Vt inter Ius. C. de sacrosanct. Ecclesiis: ita etiam in decimis habere potest, & reipsa habere indicant Canones citati. Hæc sententia est valdè probabilis.

Non requiri apprehensionem.

Verùm, siue dicatur habere dominium, siue non, certum est Ecclesiam habere non solùm Ius ad rem, sed etiam in re, quod quodammodò æquiualeat dominio partiali; quod habent illi, quorum frumentum mutuo consensu est permixtum, quod ita fit commune vtrique, vt singula grana communicentur. §. Si duorum. Instit. de rerum diuisione. Probatur, quia apud quemcumque fructus non decimati extent, Ecclesia potest ex illis decimam partem detrahere; vt constat ex cap. Cùm non sit, de decimis, vbi dicitur: *Vel saltem his, ad quos census vel tributa indecimata peruenerint, (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuras Ecclesiasticas decimare cogantur Ecclesiis, quibus de Iure debentur.* Et cap. Pastoralis, eodem: *Fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum.* Hoc autem ferè perinde est, ac si habeas dominium decimæ partis pro indiuiso.

15 *Habet Ius pænè æquiualens dominio.*

Nec obstat, quòd is, qui bello iusto incendit hostium segetes, non teneatur Ecclesiæ restituere decimam peremptam, vt docet Panormitanus in d. cap. Commissum, ex Ioanne Andrea: quia idem locum haberet, etiamsi Ecclesia vero dominio decimam illam pro indiuiso cum laico possideret; nam quòd pereat, est per accidens; ratione commixtionis cum re alterius. Hostis iure suo vtitur vt victoria tandem potiatur, à quo non debet impediri propter admixtionem tantillæ portionis ad Ecclesiam pertinentis. Imò non desunt DD. qui dicant, non teneri Ecclesiæ decimam sarcire, qui agricolam à serendo, aut piscatorem à piscando iniustè impediuit. quia decima solùm debetur de fructibus perceptis vel extantibus: hîc autem nulli fructus percepti. Idem dicunt de eo qui segetes

getes inimici sui succendit, ob eamdem causam. Ita Molina disp. 49. recedens ea in re à Couarr. regul. Peccatum. p. 2. §. 8. num. 12. Et sanè ea restitutio non videtur esse in vsu. Sic qui fraude sententiam Iudicis impediuit, non tenetur soluere pœnam; quia pœna non debetur ante condemnationem. Nec obstat quòd Ecclesia ius habeat in fructibus adhuc crescentibus: quia illud ius adhuc pẽdet à collectione seu perceptione, qua non secuta euanescit, sicut ius fisci delicto non probato. quamuis hoc exemplum non sit omnino simile. Nam si quis segetes ita vastaret, vel agricolam impediret, vt ipso opere externo id odio Ecclesiæ, ne decimas inde consequatur, facere videatur, non putarem excusari posse quin teneatur eas compensare; quia actio illa directè tendit ad Ecclesiæ læsionem; & Ecclesia ius habet, vt ille tali modo non impediatur. Secùs si inimicitias priuatas persequens id fecerit.

Qua actione petat decimas.

Ex his patet, Ecclesiam duplici actione posse decimas collectis fructibus petere, vt docet Panorm. suprà. Primò, Condictione ex Canone, id est, quia per Canones impositum est laicis onus & debitum illas soluendi. Secundò, Rei vindicatione, quæ est actio in rem, & conceditur domino, L. In rem. 7. de rei vindicatione. Prior actio est personalis, eaque priùs vti debet, tum ne debitores turbentur, si res apprehendatur antequam ipsi conuenti fuerint, tum quia diuisio est per debitorem facienda. Si tamen hac via non procedat, potest rem apprehendere, & sibi inde decimam separare. Hinc fit vt quando fructus nondum decimati, sunt alienati, Ecclesia habeat actionem in venditorem & emptorem, vt apertè colligitur ex cap. Cùm non sit; de decimis, & D. Thoma q. 87. ar. 1. ad 4. In emptorem; quia habet rem Ecclesiæ debitam. In venditorem; quia Ecclesiam fraudauit, vt ibi D. Thomas ait.

16 *Quomodo soluendæ.*

Quod ad alteram partem dubit. attinet, Quomodo decimæ sint soluendæ; dicendum est.

Primò, Integrè & sine diminutione soluendas; cap. Commissum, cap. Tua nobis. & aliis multis, de decimis. Qui fraudat in parte notabili, peccat mortiferè peccato iniustitiæ; quia retinet alienum, vel alteri debitum. Huic iniustitiæ annexa etiam est malitia quædam sacrilegij, quia decimæ debentur Deo, seu causâ Dei; tum in signum vniuersalis dominij; tum ad cultum diuinum sustentandum. Vnde in Canonibus fraudatio decimarum vocatur *sacrilegium*. Inter fraudatores censendi, qui minores vel deteriores manipulos, vel partes fructuum assignant. sicut enim non tenentur seligere meliora pro decimis, ita nec possunt deteriora, sed mediocria & bona fide, prout res se offerunt; vt passim DD. tradunt.

Ex fructibus integris.

Secundò, Debent deduci ex fructibus integris, priusquam ex illis deducantur expensæ, vel tributa, vel census, aut vlla alia debita; vt habetur d. cap. Cùm non sit. & cap. Tua nobis, de decimis. Ratio est, Quia decimæ debentur in recognitionem & professionem dominij generalis; (vt dictis capitibus dicitur) quod sicuti reliqua omnia dominia & iura antecedit, & ad omnes fructus enatos se extendit; ita ex omnibus fructibus, & ante reliqua iura sibi satisfieri postulat. Itaq; si tributa, vel census, vel alia debita antè deducta & soluta sint, Ecclesia potest agere vel in dominum fructuum, qui ea deduxit, vt integram decimam omnium fructuum pendat; vel in eum, qui illa indecimata accepit, compellendo illum per censuras, vt decimam ex acceptis detrahat; vt d. cap. Cùm non sit, habetur. Simili modo, non possunt detrahi sumptus in colendo agro facti, nec seminis æstimatio. Et quando decimæ soluuntur ex elocatione ædiũ, ex molendinis, piscinis, aliisve rebus, non possunt deduci expensæ factæ in reparationem aut melioratione. habentur hæc omnia cap. Non est in potestate. cap. Tua nobis & c. Pastoralis, de decimis. Quando tamen soluuntur decimæ de negotiatione, tunc sunt deducendæ expensæ, vt dicto cap. Pastoralis, habetur. Ratio est; quia tunc solùm soluuntur decimæ de lucro: atqui id solùm in lucro censetur, quod manet deductis expensis, quæ factæ sunt in re facienda vel cõparanda, conseruanda, reparanda, transferenda.

Tertiò, Quo loco, vel tempore soluendæ sint, & vtrùm sponte, an cùm exactæ fuerint, & vtrùm ad certum locum deferendæ, seruanda est consuetudo, quæ in hac vel illa specie pro loco & tempore recepta fuerit. Regulariter tamen prædiales dantur statim perceptis fructibus; idque in loco vbi natæ: personales in fine anni: mixtæ sequuntur naturam prædialium, excepto fœtu, qui fouendus vsque ad statum vtibilem.

DVBITATIO IV.

Quibus sint decimæ soluendæ.

D. Thomas art. 3.

17 REspondeo, Decimas ex prima Ecclesiæ ordinatione deberi cœtui Clericorum in genere, qui populo spiritualia administrant, vel aliquo modo in hac administratione iuuant, vel pro illo orant, sic tamen vt distributio pertineret ad Prælatum, cuius auctoritate singulis quantum opus erat, tum ex decimis, tum ex aliis fidelium oblationibus dabatur; vt ex more antiquo Ecclesiæ patet, de quo plura cap. 4. dub. 6. Postquam autem Ecclesia diuisionem fecit, erectis beneficiorum titulis, singulis ea portio debetur, quæ cuiusque titulo attributa & annexa est.

Dices, D. Thomas art. 3. insinuat solis illis deberi decimas, qui habent curam animarum: quia ius accipiendi decimas consequitur illud debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Idem expresè docet Caietanus.

Respond. Solis iis, qui habent curam animarum, deberi ex iustitia decimas, quoad sustentationem, idque sepositò omni Ecclesiæ præcepto & taxatione: non enim populus ex iustitia alios præter hos & horum necessarios adiutores alere tenetur, sepositò Ecclesiæ præcepto: quamuis lege Religionis & charitatis etiam ad aliorum Ecclesiæ ministrorum sustentationem contribuere teneatur. Posita autem Ecclesiæ taxatione & præcepto de decimis soluendis; decimæ secundùm quotam debentur non solùm habentibus curam animarum, sed cœtui Ecclesiasticorum in genere, vt dictum est: quia Ecclesia hos omnes initio è decimis ali voluit; & omnium intuitu eas imperauit, eò quòd ab his omnibus multa in populum spiritualia bona proueniant. quia tamen multò strictiore Iure alimenta debentur iis qui curam animarum habent, ideò his ante omnes, vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex fidelium

Quomodo Parochis debeantur, & alijs Clericis.

contributionibus, vel ex aliis bonis Ecclesiasticis est prouidendum. Quòd si illis sufficienter prouisum non sit, & decimæ alioquin abundè sufficiãt, sed aliis vsibus sunt applicatæ, verbi gratia, alicui pio loco, vel canonicatui, non tenetur populus cõtribuere: quia quotannis quod abundè sufficiat ad eorum sustentationem per decimas soluunt. Nec refert quòd hoc ad ministros ipsorum non perueniat, quia id non accidit eorum culpa, sed Superiorum, qui ex officio tenebãtur illas rectè dispensare, & in primis ipsorum parochis & ministris prouidere. Hinc sequitur, Canonicos, quorũ præbendis annexi sunt pastoratus, quos ipsi per Vicarios vel mercenarios (vt nunc loquuntur) administrant, ex iustitia teneri ad congruam sustentationẽ illis præbendam: alioquin iniuriam faciunt tum suis Vicariis, qui totum laborem subeunt; tum populo, qui hac ratione cogitur ad illis subueniendũ. Sed iniuria in populũ maximè in eo sita est, quòd cùm largas det decimas, quibus aptissimum ministrum habere posset, parum admodum Vicario assignetur. Quo fit, vt cùm viri idonei nolunt tam tenui stipendio onus subire, sæpè indocti & improbi, qui alia ratione viuere nequeunt, præficiãtur. Non enim quæruntur qui maximè populo videantur profuturi, & munus optimè administraturi, sed qui minimo stipẽdio velint seruire. Hinc, prô dolor! multis locis tanta animarum clades.

18 *Ius decimarum est spirituale.* Hinc patet Primò, ius decimarum esse spirituale; nascitur enim ex illo debito, quo omnibus ministris rerum spiritualium à populo vicissim debetur sustentatio, præsertim accedente Ecclesiæ præcepto, & populi Christiani acceptatione. quod addo, quia absque præcepto & acceptatione non est debitum iustitiæ, nisi ad alendos ministros verbi & Sacramentorum necessarios; licet possit esse debitum religionis & misericordiæ respectu aliorum, vt dictum est.

Secundò, Causam decimarum ad Iudicem Ecclesiasticum pertinere, sicut causæ beneficiariæ, & aliæ spirituales. Idem dicendum quando de aliquo iure, ex iure decimarum orto, controuersia est: nam fundamentum causæ est spirituale; & accessorium sequitur suum principale.

19 *An possit laicus conuenire.* Petes, Vtrùm ius decimarum possit laicis competere?

Respondeo, Primarium ius decimarum laicis competere non posse; quia est spirituale, fundatum in titulo spiritali, nempe in ministerio Ecclesiastico, vt rectè D. Thomas & alij Doctores. De hoc intellige Canones, dum dicunt decimas nec detineri à laicis, nec vlla vsucapione vel præscriptione ab illis possideri posse; vt cap. Causam. 7. de præscriptionibus, & cap. Ad hæc. 15. de decimis; & similia. Potest tamen illis conuenire ius quoddam secundarium decimarum, ortum ab illo primario. qui enim habet proprium ius decimarum, etsi hoc ipsum non possit in laicum conferre; tamen ex eo potest illi aliud ius ad fructus tribuere, v. g. donatione fructuum, elocatione, venditione: quod ius distinctũ est à primario illo & fundamentali, quod remanet penes Clericum vel Ecclesiam: oritur enim ex contractu humano; vnde nec est spirituale. tale est ius feudale in decimis. hoc modo ius decimarum à laico præscribi potest, cum titulo quidem spatiò 40. annorum: sine titulo, tempore, quod memoriam hominum superet, vt patet ex dictis cap. 6. dub. 10. Sic Pontifices interdum solent decimas dare Principibus viris in feudum etiam perpetuum, ob merita illorum in Ecclesiam, & vt in posterum Ecclesiam defendant. Poterant id facere ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. celebratum, etiam Episcopi, vt Doctores testantur. Verùm hæc potestas illis per Concilium est sublata, vt colligitur ex cap. Quamuis. 17. de decimis, vbi iubetur succidi, id est, suspendi, qui id fecerit.

An in feudum cendi. 20

Possunt tamen laici eas decimas retinere, quæ ipsis vel ante Concilium in feudum perpetuum, ab Episcopis fuere concessæ; vel post Concilium à Summo Pontifice. Possunt etiam eadem alicui Monasterio vel pio loco donare, accedente dumtaxat Episcopi, ad cuius Ecclesiam pertinebant, consensu: qui consensus etsi ad hoc necessarius sit, eò quòd Ecclesia illa amittat spem recuperandi; non tamen est necessarius consensus Capituli, aut tractatus, vt expressè habetur capit. Cùm Apostolica, de iis quæ fiunt à Prælato. Ratio est, quia non censetur fieri alienatio, sed reuocatio rei à laico detentæ, ad vsum Ecclesiasticum; vt ibidem dicitur.

Laici possunt eas in pium locum transferre cum consensu solius Episcopi.

Vtrùm autem posset eas in alium laicum transferre cum Episcopi consensu, dubium est. Glossa in cap. Prohibemus. 19. ver. Laicos, de decimis, sentit posse; idem tenet Siluest. v. Decima. q. 10. Ratio est, Quia tunc non dicitur Episcopus illas dare in feudum; sed laicus, qui dat sicut eas habet. Nec obstat cap. Prohibemus; quia solùm ibi prohibetur *ne laici decimas cum periculo animarum suarum possidentes, in alios laicos transferant.* vnde non prohibentur qui legitimè eas possident.

Contraria sententia videtur verior, quam tenet Panormitanus in d. cap Prohibemus, & alij Doctores ibidem, vt ipse testatur. Ratio est Primò, Quia id posset in maximum damnum Ecclesiæ cedere; vt si is, qui eas transfert, careat liberis; tunc enim necessariò deberent ad Ecclesiam redire. Secundò, Quia eo casu reuerà Episcopus censetur eas dare in feudum; tantumdem enim facit ac si daret in feudum; cùm eius consensu fiat, sine quo nihil agi potest; & secundus in quem transferuntur, iure feudi eas accipiat: efficitur enim feudatarius seu beneficiarius Ecclesiæ, non illius prioris laici: at prohibitum est Episcopis in Concilio ne bona Ecclesiæ laicis feudi iure concedant. Tertiò, Quia cap. Prohibemus, id absolutè videtur prohiberi: nam ordinariè laici, qui decimas detinent, etiamsi eas ex aliquo consensu Ecclesiæ habuerint, præsumuntur illas cum periculo animarum suarum detinere; vt colligitur ex cap. Cùm Apostolica, de iis quæ fiunt à Prælato. Ratio est, vel quia non prudenter nec in commodum Ecclesiæ sunt concessæ; aut quia in illis concedendis interuenit aliqua coactio; vel quia laici posteà non ea præstant Ecclesiæ obsequia, quæ deberent.

Non in laicum. 21

Primarium non potest, secundarium potest.

Præscriptio decimarum capiendarum.

DVBITATIO V.

Qui teneantur decimas soluere.

D. Thom. art. 4.

DIco Primò, Quod ad decimas prædiales attinet, omnes, qui titulo non spiritali habent prædia 22

Omnes laici soluunt prædiales.

prædia alicui Ecclesiæ subiecta, tenentur has decimas soluere; idque illi Ecclesiæ, cui prædia illa subiacent; nisi consuetudo habeat vt alienæ Ecclesiæ soluantur: in hac enim re maximè consuetudo spectanda est, vt habet cap. Ad Apostolicæ. 20. de decimis. Vnde Primò, Tenentur has decimas soluere omnes laici, etiam Iudæi & Pagani; quia est onus annexum rei quam possident.

Etiam Clerici.

Secundò, Etiam Clerici, si illa prædia titulo patrimonij vel alio, modò non spiritali, possident; ita D. Thomas ad 1. Ratio est, quia illa prædia per se illi oneri subiecta sunt; res autem cum suo onere transit; præsertim cùm per accidens sit, quòd nunc à Clerico possideantur.

23 *Obiectio.*

Dices, Cap. Nouum genus. 2. de decimis, dicitur *nouum genus exactionis esse, vt Clerici à Clericis decimas exigant*: ergo Clericus non tenetur.

Respons.

Respondeo, Ob hoc argumentum quidam sentiunt illum non teneri. & Siluester v. Decima, qu. 7. putat non teneri illi Ecclesiæ, cui inseruit. Tamen sententia D. Thomæ est verior: quam etiam tenet Glossa in illud cap. & probat ex cap. 44. Si quis laicus. 16. qu. 1. vbi sanè id apertè supponitur. Idem confirmatur cap. Quicumque, ibidem. Ad illud quod obiicitur, respondet Glossa, hoc intelligendum esse de dote Ecclesiæ, id est, de prædiis ecclesiasticis: de his enim Clericos non debere decimas. Idem sentit D. Thomas suprà. Sed hoc non videtur vniuersè verum: si enim laicus agrum suum, qui pendebat decimas Ecclesiæ S. Petri, det Ecclesiæ S. Michaëlis; cur ob hanc donationem Ecclesia sancti Petri amittat suas decimas, cùm nullus Canon id statuat?

Verius igitur est, prædium huius Ecclesiæ debere decimas alteri Ecclesiæ, si antè quàm esset huius Ecclesiæ, eas alteri debebat. secùs si non debebat alteri Ecclesiæ, sed illi, cui posteà donatum est: tunc enim decimæ extinguuntur. Ita Panormit. in cap. Nouum genus, vbi in eamdem sententiam citat Innocentium. Vnde illud cap. intelligendum videtur de Clericis eiusdem Ecclesiæ, & prædiis ad eamdem Ecclesiam pertinentibus. Nec obstat quòd in fine illius cap. dicitur, *Clericos illos, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debere*; quia hoc intelligendum vel de decimis personalibus, vel bonorum patrimonialium, vel certè de Clericis coniugatis. Ita Glossa.

Monasteria.

Tertiò, Tenentur ad has decimas etiam Monasteria & pia loca, nisi aliquo priuilegio, vel præscriptione, vel compositione, vel transactione sint exempta. patet ex cap. Nuper. 34. de decimis; vbi decernitur, vt Cistertienses de terris, post Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum acquirendis, soluant decimas Ecclesiis quibus antea soluebantur, etsi eas propriis manibus colant, nisi aliter cum Ecclesiis componant. Priuilegio tamen eximi posse, colligitur ex eodem cap. & ex multis aliis eodem titulo, vt cap. Suggestum. 9. & cap. Ex parte. 10. vbi dicitur, *Romanos Pontifices ante Innocentium III. ferè omnibus Religiosis decimas laborum suorum concessisse*; id est, vt non soluerent decimas de prædiis, quæ ipsi colerent. Idem conceditur ibidem Cistertiensibus, Templariis, & Hospitalariis. Idē patet ex cap. Licet, cap. Ad audientiam, eodem. Denique posteà quibusdam Ordinibus concessum est, vt de nullis prædiis, aut aliis bonis ab ipsis possessis teneantur vllam decimam, etiam Papalem, soluere.

24 *Priuilegio possunt eximi.*

Nec obstat quòd hoc videatur cedere in damnum Ecclesiarum, quæ antea ex illis agris decimas percipiebant: quia sicut auctoritate Sedis Apostolicæ factum est vt tale prædium teneretur ad solutionem decimæ; ita eadem auctoritate ob iustam causam potest liberari, vel illa decima alteri attribui. ita enim hoc onus est impositum, vt assiduè ab illa auctoritate dependeat: & sic non fit iniuria illi Ecclesiæ. non enim intendit hoc onus ita imponere in commodum huius vel illius Ecclesiæ, vt sibi adimeret potestatem illius remittendi vel laxandi. Hinc fit vt Pontifex populum à soluendis decimis eximere possit, si ex aliis bonis ecclesiasticis, vel collationibus, quibus decimæ compensentur, clero sit satis prouisum; vt docet Couarr. lib. 1. variar. cap. 17. n. 9. Præscriptione quoque & consuetudine tum Religiosi, tum laici à decimis eximi possunt: quia hæc quota non Iure diuino vel naturali, sed humano dumtaxat debita est: quare (sicut alia, quæ lege humana constant) mutari & tolli contraria consuetudine potest. Imò si aliunde clero sit prospectum, fieri potest vt nulla pars fructuum ei debeatur: quia Iure naturali solùm debetur sustentatio. Numquam tamen populus ita liberari à decimis potest, quin Summus Pontifex, quando opus fuerit, possit eas rursus imponere; quia hæc potestas ei conuenit quatenus est vniuersalis Pastor Ecclesiæ; quod ei Iure diuino competit; contra quod Ius nulla præscriptio, aut lex humana valere potest.

Non fieri iniuriam.

Pontifex potest eximere à decimis.

Porrò ad præscribendam decimarum immunitatem, requiritur sine titulo quidem tempus memoriam hominum excedens; quia Iuris præsumptio est in contrarium. cap. 1. de præscriptione, in 6. cum titulo verò, tempus 40. annorum, vt ibidem insinuatur. vt autem per consuetudinem non soluendi immunis fias, sufficit consuetudo 40. annorum: quia vt ipsa consuetudo sit legitimè præscripta, sufficit tempus 40. annorum. cap. fin. de consuetudine. nec ad eam requiritur titulus, etiamsi Iuris præsumptio ei aduersetur; imò nec bona fides ad eam inducendam requiritur. secùs si agatur de Iure præscriptionis ipsius rei, seu Iuris non soluendi. vt docet Couar. lib. 1. variar. cap. 17. n. 8. §. Decimò his. & n. 10.

26 *Præscriptio immunitatis decimarum.*

Aduerte tamen, vt vi consuetudinis libereris, non sufficere vt tu particularis non consueueris soluere per annos 40. quia sicuti consuetudo particularis non potest legem introducere, ita neque potest legem abrogare. Lex enim respicit communitatem. Vnde requiritur vt communitas per tantum tempus consueuerit non soluere. Neque requiritur titulus, aut bona fides, vt dictum est; sed sufficit ipsa communitatis consuetudo: quæ sicut potest legem inducere, ita etiam potest legem abrogare. Vnde censetur lex decimarum abrogata per talem consuetudinem, in illo populo. Vtrùm autem requiratur tempus 40. annorum ad præscriptionem talis consuetudinis, dubium est: de quo vide suprà cap. 6. dubit. 14. Vt autem vi præscriptionis eximaris, non requiritur consuetudo communis; quia exemptio præscriptionis non fit abrogatione legis, sicut exemptio consuetudinis; sed sine titulo quidem sufficit vt tu à tempore immemorabili non consueueris soluere, modò non constet id mala fide factum. Nam ex tanti temporis vsu præsumitur bona fides, &

Quales debeat esse consuetudo.

iustus titulus. v. g. quòd maiores tui ob iustam aliquam causam fuerint consecuti hoc priuilegium, vel pacto aliquo illud onus redemerint, &c. Quòd si titulum aliquem habeas, ob quem non solueris, (v.g. priuilegium, etsi inualidum ob excommunicationem, vel similem causam) sufficiunt anni 40. cum bona fide; vt patet ex iis quæ dicta sunt suprà cap. 6. dub. 12.

27 *Personales à quibus soluendæ.* Dico Secundò, Personales decimæ soluendæ ab iis solis qui Sacramenta percipiunt, & illi Ecclesiæ à qua recipiunt: idque iuxta consuetudinem receptam. colligitur ex cap. Ad Apostolicæ, de decimis. Sed aduerte, multis locis personales decimas esse sublatas; quibusdam eas solui solùm in fine vitæ, vt Venetiis; alibi in fine anni. Simili modo multæ prædiales & mixtæ variis locis abolitæ sunt. factum id videtur plerumque permissu Ecclesiæ, cùm viderent homines ægrè soluere, nec iudicaret compellendos, ad vitandum scandalum: vel quia tam multa fuerunt sensim Ecclesiæ à viris potentibus aliisque fidelibus relicta, vt putarentur vel sola, vel cum certo decimarum genere sufficere posse.

28 *Episcopi & ceteri Ecclesiastici, Pontifici.* Dico Tertiò, Clerici omnes, etiam Episcopi, tenentur soluere decimas de omnibus bonis ecclesiasticis Romano Pontifici, si eas exigat. Ita diuus Thomas ar. 4. qui id probat exemplo veteris Testamenti: nam Num. 18. Leuitis præcipitur vt summo Sacerdoti decimam decimæ pendant. Ratio est Primò, Quia ipse est Pastor vniuersalis omnium, etiam Episcoporum: huic enim in Petro dictum, *pasce oues meas.* quicumque ergo est ouis Christi, huic subest Pastori, ab eoque, verbo & Sacramentis mediatè vel immediatè pascitur. Secundò, Quia est supremus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum: ergo quando bonum Ecclesiæ postulat, potest ex omnibus hisce bonis partem aliquam, prout iudicabitur conueniens, ad hunc finem applicare. neque restringitur ad vnam decimam, sed potest plures exigere pro rei grauitate. Tertiò, Quia est supremus Princeps in spiritualibus: ergo non solùm ab ecclesiasticis, sed etiam ab omnibus Christianis potest exigere eam contributionem, quæ necessaria sit ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum: sicut supremus Princeps in temporalibus potest imponere tributa ad pacem publicam tuendam necessaria. non enim minus potestatis habet Pontifex in omnes Christianos ad tuendum bonum spirituale Ecclesiæ, quàm Princeps sæcularis ad tuendum bonum temporale sui regni.

Triplici nomine potest Pontifex decimas exigere.

29 Non solet tamen hanc decimam ab Ecclesiasticis exigere, nisi necessitas Ecclesiæ id postulet: sed loco decimæ quotannis pendendæ, in beneficiis maioribus solet exigere fructus vnius anni pro toro tempore vitæ; quos annatas vocant, quarum vsum esse valdè antiquum, affirmant Panormitanus & Ioannes Andreas in cap. Inter cetera. 15. de officio Iudicis ordinarij.

Dvbitatio vi.

De primitiis & oblationibus.

30 *Primitiæ.* PRimitiæ (quas Græci ἀπαρχὰς vocant) dicuntur primi fructus agrorum & arborum, vt patet Deuter. 26. vbi iubentur dare primitias; *Tolues de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo.* In pecoribus primitiua vocantur primogenita, vt constat Exodi 13. vbi *omnia primogenita masculini sexus consecrantur Domino.*

Hinc patet, primitias distingui à decimis: *primitiæ* enim sunt primi fructus; *decimæ* sunt decima pars fructuum. illæ immediatè offeruntur Deo in gratiarum actionem pro fugibus terræ; deinde cedunt in vsum ministrorum. hæ proximè sacerdotibus dantur in stipendium sustentationis ob ministerium spirituale.

Petes, Vtrùm aliquo Iure teneantur fideles ad primitias? 31 *An Iure naturæ debeantur.*

Respondeo, Iure naturali non teneri, sicut nec ad quotam in decimis; sed solùm quatenus id necessarium est ad sustentationem ministrorum. Iure Canonico scripto videntur quidem teneri, vt colligi potest cap. Decimam. 1. de decimis, & cap. 67. Reuertimini. 16. q. 1. ex Hieronymo; quibus locis videnda Glossa. sed consuetudine passim hoc Ius est abolitum.

De quantitate nihil videtur vmquam fuisse constitutum, sed ea relicta fuit libera. quamuis in veteri Testamento ex consuetudine vel maiorum decreto soliti fuerint dare inter quadragesimam & sexagesimam partem; ita vt maximæ primitiæ essent pars quadragesima fructuum; minimæ pars sexagesima, vt colligitur cap. Decimam. suprà. 32 *Quantitas primitiarum.*

Aduerte tamen, solutionem primitiarum Iuri & rationi naturali esse valdè consentaneam. Ratio enim naturalis dictat, decens esse vt Deo prima quæque offeramus. hinc etiam apud veteres Romanos non gustabant nouas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent, vt ait Plinius lib. 18. cap. 2. 33

Differunt primitiæ & oblationes, quòd nomine *oblationis* significentur omnia, quæ Deo & Ecclesiæ offeruntur, vt sunt agri, oppida, dominia, fructus, pecuniæ, monilia, ornamenta, instrumentum sacrum, & similia; *primitiæ* dicantur soli primi fructus Deo oblati. 34 *Oblationes.*

Nemo tenetur sepositò pacto aut voto ad oblationes, nisi quibusdam casibus. Primò, Si sint necessariæ ad sustentationem ministrorum; vt si decimæ non sufficiant. Quia Iure naturæ populus tenetur alere eos qui ipsis diuina administrant, siue id fiat per oblationes in Ecclesia factas, siue per aliquam collectam, siue alio modo. Modus enim Iure naturæ est indeterminatus, sed determinatur pacto vel consuetudine, vel præscripto Superioris. Vnde si determinatum fuerit, vt sustentatio siue tota siue ex parte fiat per oblationes, populus ad eas tenebitur, & poterit ad eas cogi. Hinc fit vt multis locis teneantur aliquid offerre in benedictione nuptiarum, in funeribus, in Sacramentorum administratione. Secundò, Si consuetudine sint introductæ, quamuis ad ministrorum sustentationē non sint necessariæ. Nec refert, etiamsi illa consuetudo initio ex spontanea deuotione, & tamquam liberè sit inchoata absque intentione se obligandi; modò successu temporis sensim sit continuata, & vsurpata tamquam ex obligatione. sic enim acquisiuit vim legis, ab ipsis sponte receptæ: vel spontaneæ obligationis, qua se Ecclesiæ censentur liberè obstrinxisse. Si tamen illa continuatio proueniret ex errore, quòd putarent se obligatos; vel ex iniqua coactione & extorsione, non

Quando populus obligetur ad oblationes.

Consuetudo.

non obligarentur. Sicut enim qui ex errore, quo putat se debere, vel metu iniusto aliquid promittit, non tenetur: ita etiam qui ex simili causa in aliquam consuetudinem aliquid soluendi est inductus. Hoc tamen intellige, nisi accedat præscriptio, qua parochus vel ministri Ecclesiæ ius recipiendi & exigendi tales oblationes vel pensiones tempore iure definito bona fide possederint ac vsuceperint. Possessio enim bona fide continuata, talis iuris parit præscriptionem. continuatur autem per talem consuetudinem. Quantùm autem temporis requiratur ad eiusmodi iuris præscriptionem aduersus laicos, quæri potest. Puto sufficere decennium; sicut in præscriptione immobilium aduersus præsentes. De quo vide suprà cap. 6. dubit. 8. Accedit quòd consuetudo præscribatur decennio, vt ibidem cap. 14. ostensum est.

Præscriptio.

CAPVT XL.

De Voto. *Habet Dubit.20.*

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Votum. *D.Thomas q.88. art.1.*

1 RESPONDEO, *Votum esse promissionem Deo factam; vouere* enim est aliquid Deo sanctè promittere; vt constat ex Auctoribus Latinis; vnde votum est promissio ipsa. Aliquando *vouere* accipitur pro desiderare; & votum pro desiderio; id enim, cuius causâ vouemus, valdè desideramus; sed primariò significat Deo aliquid promittere. Itaque omne votum est promissio quædam; non tamen contrà; nam promissio, quæ fit homini, non dicitur votum; sed ea tantùm quæ Deo.

Vouens inconsideratè.

Quinque requisita ad validã promissionem.

Vt promissio sit valida, quinque requiruntur. Primò, Vt sit deliberata. Secundò, Vt libera. Tertiò, Vt fiat cum intentione se obligandi. Quartò, Vt sit de re grata promissario. Quintò, Vt promissor possit se obligare.

2 *1. Deliberata.*

Primò debet esse *deliberata*, non quòd opus sit longa mentis agitatione, vt quidam volunt; sed quia requiritur perfecta quædam animaduersio eius quod agis: *perfecta* inquam quæ talis sit, vt in materia praua sufficiat ad peccandum mortiferè & in bona ad merendam salutem; vt communiter tradunt DD. Siluester v. Votum, 2. num. 13. Caietanus qu. 88. art. 1. Sotus lib. 7. de Iustitia. qu. 1. art. 2. Nauarr. cap. 12. num. 26 & alij. Ratio est, quia ea consideratio, quæ satis est ad obligandos nos diabolo, eiusque seruituti dedicandos, meritò sufficiens censeri debet ad obligandos Deo. hæc breuissimo tempore fieri potest; &, vt quidam volunt, in momento; quod etsi locum habere possit in Angelis, credo tamen vix fieri posse in mortalibus: quia vno momento rem non satis considerare possumus, vt eam liberè eligamus vel refutemus; vnde ordinariè aliquod tempus requiritur, etsi breuissimum.

An in momento.

Nec refert etiamsi paulò pòst pœniteat: id enim non est signum defuisse sufficientem deliberationem, vt vult Angelus v. Votum 1. nu. 6 Quia mutatis circumstantiis facilè hominem pœnitet, etiam eorum quæ maturâ deliberatione fecit. Quàm multi contrahunt matrimonium, aut ineunt contractus, quos statim pœnitet?

3 Ratio cur requiratur perfecta animaduersio, est, quia promissio est lex quædam & onus, quod sibi quis sponte imponit: nemo autem censetur sibi aliquod onus velle assumere; nisi plenè aduertat quid agat, quale onus capessat, quibus vinculis se constringat. Vnde si quis ex subito animi motu vel consuetudine, lingua mentem præcurrente, vouear, non obligatur; sicut qui simili impetu malum alicui imprecantur, non peccant mortiferè. Idem dicendum si solùm semiplenè aduertat.

Dices, Cum imperfecta seu semiplena animaduersione potest quis contrahere peccatum veniale: ergo etiam obligationem, quæ sub veniali astringat; videtur enim par ratio.

4 *Imperfecta attentio.*

Respondeo, Esse magnam hac in re disparitatem inter peccatum, & vinculum promissionis: promissio enim non inducit vinculum, (vel si inducit, facilè eliditur) quando vi vel fraude extorquetur: at hæc non excusant peccatum. Deinde promissio debet esse directè volita & acceptata: ad peccatum sufficit voluntarium indirectum & interpretatiuum. Denique peccatum contrahitur solâ negligentiâ in debito vsu potentiarum, cùm re oblata non satis attendimus animum; imò interdum sola omissione: at hæc non sufficiunt ad vinculum promissionis; sed requiritur actus positiuus & directus.

Simili modo, ad opus meritorium non sufficit imperfecta attentio: nam bonum debet esse directè volitum, & quia tale; malum verò minimè. Deinde modus iste operandi est imperfectus, & ex peccato proueniens; vnde per se potiùs vituperationem quàm laudem meretur: nam homo tenetur perfectè attendere qualis res sit, priusquam illam acceptet, ne aliquando contingat illum decipi. Verùm plenior horum tractatio pertinet ad 1.2.

Itaque etsi ad violandam obligationem voti sufficiat imperfecta consideratio, non tamen ad vinculum voti inuehendum.

Imperfecta consideratio hoc loco censetur, cùm solùm confusè & tenuiter aduertis quid agas, alteri rei intentus; ita vt res non offerat se qualis est, nec absolutè vt grauis. Vnde si antequam plenius eam introspicias, promittas, mirum non est te non obligari; quia videris quasi per ignorantiam promisisse, cùm rem promissam formaliter non apprehenderis; nec aliquid occurrerit, quod te ad hoc satis excitauerit. vnde postea aduertens plenius, miraris te promisisse, & statim reuocas.

5 2.*Spontanea.* Secundò, Debet esse *spontanea*, id est, non metu vel dolo iniustè extorta. verùm de hoc fusiùs dubit. 2. & 3.

6 3.*Cum intentione se obligandi.* Tertiò, Requiritur vt fiat *cum intentione se obligandi.* actus enim agentium ex intentione, non operantur vltra intentionem; cùm ab ea omnem suam vim habeant. sicut enim lex non habet vim, nisi iuxta intentionem legislatoris; ita nec votum aliáve promissio (quæ est veluti lex quædã, quam quis sibi imponit) vim habet, nisi iuxta intentionem promittentis. & sicut potestas Superioris non inducit obligationem subdito, nisi applicetur à voluntate, ad eam mediante præcepto causandam; sic ius, quod quis in seipsum habet, non infert obligationem mediante promissione, nisi quis intendat eam inferre. Vnde nec ampliùs, nec aliter, nec diutiùs quàm intendit. Non tamen est necesse vt formaliter hoc intendat; sufficit vt implicitè, vt dum sciens & volens vouet: & in dubio semper præsumitur intentio; quia hæc formæ promissoriæ naturaliter & ex vsu omnium gentium est coniuncta.

Intendens vouere, non tamen se obligare. Sententia Soti. Petes Primò, Quid si quis intendat vouere, tamen interiùs nolit se obligare, tenebitúrne voto? Sotus lib.7.q.1.art.2. putat teneri. Ratio est, quia obligatio oritur ex voto, sicut effectus necessarius à sua causa: ergo posito voto, nequit impediri.

Sed contrarium est longè probabilius: tenet Nauart. cap. 12. num. 27. Silvest. v. Metus, q. 8. & v. Pactum, n.4. Angelus v. Votum 1. quæst. 7. Glossa in cap. Litteraturam. 3. de voto & voti redempt. Richardus in 4. d. 38. qu. 3. circa tertium principale. Probatur Primò, Quia quando actui apponitur aliqua conditio vel clausula, quæ est contra substantiam actus, ille actus est irritus. sicut si quis dicat se vendere vel donare rem; ita tamen vt nolit eam à se alienare: si contrahat matrimonium, ita vt nolit obligari ad reddendum debitum. at hîc apponitur talis clausula voto, saltem tacitè, & ipso animo: ergo votum est irritum. Secundò, Qui vouet cum expressa intentione se non obligandi, reuerà non intendit vouere, sed fingere & simulare votum externa specie verborum: dicendo enim, *voueo, promitto*, mentitur; quia contra mentem loquitur; cùm mens interiùs contradicat. Quòd si putet se posse vouere absque obligatione, fallitur; quia quid nomine voti significetur, non intelligit. vnde nec talis actus inducet obligationem; cùm procedat ex errore circa substantiam actus: & actus agentium non operentur vltra intentionem eorum.

Verum votum parit obligationem, non fictum. Ad argumentum Soti Respondeo, Obligationem nasci ex voto, si sit verum votum: at non est verum votum, sed simulario voti, si mens interiùs nolit se obligare: ista enim interior voluntas est contra substantiam voti.

Dices, Hoc ipso, quo quis sciens naturam voti vult vouere, implicitè vult se obligare.

Respond. Primò, Id verum esse si verè velit vouere: at is, qui habet animum non se obligandi, non vult verè vouere, sed simulat se vouere.

Respond. Secundò, Id verum esse, quando animus interiùs obligationi non contradicit. secùs quando expressè contradicit: non enim potest censeri implicita voluntas se obligandi, vbi adest expressa voluntas resistens obligationi.

7 Petes Secundò, Quid si vouens intendat quidem vouere, non tamen implere votum? Quidam viri docti putant etiam in hoc casu non teneri voto. Probant Primò, quia D. Thomas art. 1. dicit, *Ad votum tria ex necessitate requiruntur, deliberatio, propositum voluntatis, & promissio.* loquitur autem de proposito non tantùm se obligandi, vt quidam volunt, sed de proposito exequendi: quia dicit *promissionem sequi ex proposito faciendi.* Secundò, Promittere non solùm est se obligare, sed etiam significare se facturum quod promittitur: ergo qui habet animum non faciendi, non verè, sed fictè promittit; ac proinde non obligatur. Tertiò, Si quis promitteret, & adderet se non habere animum implendi, videretur potiùs alteri illudere quàm promittere; ergo idem censendum si mente idipsum addat.

Quid si non intendat implere. *Quorumdam sententia.*

Contrariũ verius. Sed contraria sententia est communis Doctorum, Soti, Caietani, Nauarr. Probatur Primò, Qui iurat se aliquid daturum, tenetur, etiamsi dum iurat non habeat animum dandi: ergo similiter qui promittit, tenetur, etiamsi dum promitteret, non haberet animum implendi promissum. Consequentia patet, quia in iuramento promissorio non minùs significas te habere animum implendi, quàm in simplici promissione: ergo si defectus illius animi, & mendacium in tali iuramento commissum non tollit vim iuramenti, non tollet etiam vim promissionis. Secundò, Quando Superior aliquid præcipit, significat se velle vt ista res fiat, & tamen contingit interdum vt nolit illam executioni mandari; nec ob id, præceptum carebit vi obligandi: ergo potest quis etiam sibi ipsi imponere aliquam obligationem ad aliquid faciendum; etiamsi careat animo exequendi. Tertiò, Possum aliquid alteri validè donare vel vendere absq; animo tradendi: cur non possim etiam validè promittere? Quartò, Denique multi sunt fortassis in quibusdam Ordinibus, præsertim militaribus, qui profitentur castitatem vel paupertatem absque proposito eam seruandi: quis tamen audeat dicere tales coram Deo non astringi suo voto? Quintò, Probatur allata ratione; quia sicut de ratione promissionis non est vt præstetur ipsa res, sed solùm vt detur aliquod ius remotum ad illam; ita neque de ratione ipsius est, vt habeas animum rem promissam præstandi, sed solùm vt habeas animum conferendi ius aliquod ad illam exigendam, & ad obligationem aliquam tibi imponendam.

Ad rationes. Ad Primum Respond. Illa tria requiri vt promissio legitimo modo, & absque peccato fiat.

Ad Secundum, In promissione duo significantur. Primò, Quòd te ipsum obliges, ac proinde quòd habeas animum te obligandi. Secundò, Quòd sis facturus, & habeas animum faciendi. Prior significatio pertinet ad essentiam promissionis. Vnde vt promissio sit vera, debet quoque hæc significatio esse vera. Altera non pertinet ad rationem promissionis, vnde etiamsi vera non sit, non ideò promissio erit nulla.

Ad Tertium, Qui suæ promissioni adderet se non habere animum implendi, putaretur non seriò, sed ioco promittere, nec velle obligari. alioquin si constaret illum seriò voluisse se obligare, posset cogi ad implendum quod promisit.

8 *Consectaria duo.* Ex supradicta tertia conditione sequitur Primò, Eum, qui aliquid vouit, si post votum aliquid se aperiat quod antè latebat, vel quid noui eueniat, quod ille suo voto prudentum iudicio

cio non videtur voluisse comprehendere, ad illud non teneri. Ita docet Sotus lib. 7. quæst. 2. art. 1. ad 3. ex D. Thoma, Nauarrus cap. 12. numer. 50. Lopez cap. 45. Fumus v. Religio, num. 9. v.g. vouisti peregrinationem, & interea viæ sunt redditæ infestæ latronibus; vouisti ingressum asperæ Religionis, & interuenit morbus, cum quo, medicorum iudicio, non poteris perferre; quibus euentis suspenditur executio. sed de hoc plura dubitatione secunda.

Votum non obligat vltra intentionem vouentis.

Sequitur Secundò, Nullum votum obligare vltra expressam vel tacitam intentionem vouentis. Vnde qui professus est in Religione, vbi non seruabantur nisi essentialia, non intendens se vltra receptam consuetudinem astringere, non obligatur ad arctiora, vt docent Fumus, Nauarrus, & Lopez suprà, & Siluest. ex Panormitan. Religio 3. qu. 12. quod limita, Nisi fortè illa sint necessaria ad seruanda substantialia. talis tamen si nollet accedente reformatione duriora illa admittere, cogeretur aliud Monasterium, vel etiam aliam Religionem ingredi; quia propter tales non debet impediri reformatio.

4. Vt res sit grata.

Quarta conditio est, Vt res promissa *sit grata* promissario: promittere enim cuipiam quod ei displicet, non est promittere, sed minari.

5. Vt possit se obligare.

Quinta est, Vt promissor *possit se obligare*: quidam enim per leges non possunt se promissione aut voto obligare, vel saltem non ita validè quin possit in irritum reuocari. Sed de his infrà.

Dvbitatio II.

Vtrùm votum cui error causam dedit, sit validum.

9 Videri possit votum ex errore profectum, numquam esse validum. Primò, quia deest consensus; qui enim errat, non videtur consentire. L. Nihil consensui. 116. 7. de regulis Iuris. Secundò, quia DD. passim docent, votum non obligare vltra intentionem vouentis: ac proinde non obstringere in euentu, quem vouens excepisset, si cùm voueret, ei occurrisset: sicut in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus. regul. 81. de reg. Iuris, in 6. Tertiò, Votum est promissio liberalis: ergo debet omnino esse libera: ac proinde nullo modo proficisci ex errore: nam ea ex parte caret libertate.

Pro solutione notandum est, errorem posse esse vel circa aliquid extrinsecum & accidentarium rei promissæ, vt si res putetur facilior, iucundior, commodior, &c. vel circa aliquid pertinens aliquo modo ad rei substantiam. Nunc

10 *Error circa extrinseca.*

Dico Primò, Si error sit solùm circa aliquid accidentarium, non tollit obligationem voti, quamuis sine illo errore non voluisses vouere. Colligitur ex dictis cap. 17. dub. 5. vbi ostensum est, errorem circa extrinseca, Iure naturæ non violare contractum. Idem docet Caietan. v. Votum. §. Ex parte. in fine. Sotus lib. 7. de Iustitia qu. 1. ar. 2. ad 1. argumentum. Nauarr. in Summa cap. 12. num. 39. & alij passim. Confir. Quia si talis error tolleret obligationem, sequerentur grauissima incommoda, vt rectè docet Caietan. loco citato. plerique enim contractus humani possent dissolui; & pleræque professiones in irritum reuocari, plurima enim supereueniunt, vel latent, quæ si ab initio cognita fuissent, noluissent homines contrahere, aut vouere; & ita nihil in contractibus aut statibus hominum esset firmum aut stabile. Sufficit igitur ad obligationem notitia eorum quæ rei vel actui sunt intrinseca, & aliquo modo ad substantiam pertinent; nisi lege posituia in quibusdam aliter statuatur.

Dico Secundò, Si error sit circa substantiam voti, aut aliquo modo in substantiam redundet, sitque causa vouendi, irritum reddit votum. Est communis sententia DD. Censetur autem esse circa substantiam multis modis. Primò, Si sit circa partem notabilem rei promissæ: vt si voueas peregrinationem Lauretanam, putans illam esse 10. dierum; cùm sit 20. non enim intendis nisi dimidiam operis partem. Secùs si error sit circa partem, quæ modica sit respectu totius; tunc enim excessus ignoratus non censetur excludus, nisi de contraria intentione constet: vel si intendebat se absolutè ad tale opus obligare, non curando quantum esset, tunc enim error non est causa voti. Secundò, cùm erratur circa materiam operis; vt si voueas certum nummum, quem putas argēteum, cùm sit aureus. Si voueas ingredi certum Monasterium, putans esse Ordinis S. Benedicti, cùm sit Canonicorum Regularium. Si putes disciplinam esse integram, cùm essentialia, aut alia principalia non seruentur. Secùs si deceptio solùm sit circa aliqua minutiora. ita Sotus suprà. Tertiò, cùm erratur circa personam cui opus præstandum; vt si voueas dare eleëmosynam huic, quem putas esse Titium, cùm sit Caius. Quartò, Cùm erratur circa causam formalem; vt si voueas dare eleëmosynam Titio, putans esse pauperem, cùm sit diues. tunc enim non subest ratio formalis eleëmosynæ, quam vouisti. Eleëmosyna enim est subleuatio miseriæ paupertatis; quæ esse non potest, nisi vbi est paupertas quæ leuetur. Quintò, Cùm erratur circa causam finalem vouendi extrinsecam. hoc enim modo error etiam in substantiam voti redundat; quamuis non semper: verùm tunc solùm quando votum fit ad aliquem finem à Deo impetrandum, qui expectetur à Deo tamquam merces operis voti. vt si voueas peregrinationem pro salute patris, quem putas ægrotare, cùm non ægrotet, vel iam obierit. Ratio est, quia peregrinatio non vouetur absolutè, sed vt medium & veluti pretium ad impetrandam depulsionem morbi paterni. atqui reuerà hîc & nunc non est medium ad illum finem, cùm finis sit impossibilis. non enim potest depelli morbus qui non est. ergo est deceptio circa substantiam eius quod formaliter vouetur. medium enim accipit rationem formalem ex fine. Confirmatur, quia tale votum habet hanc tacitam conditionem, si morbo laborat; si tali bono caret, &c. Nam vouetur peregrinatio non absolutè, sed cùm restrictione ad talem finem. Non enim totum votum est, Voueo peregrinationem, sed, Voueo peregrinationem pro salute parentis. vbi apertè implicatur conditio votum determinans & conditionale efficiens: ergo si non extet, votum est irritum. Idem dicendum quando votum fit ad aliquem finem principalem obtinendum, & postea contigit animum mutari. vt si vouisti peregrinationem Lauretanam vt felix tibi obtingat matrimonium, & postea velis

11 *Error circa substantiam.*

viuere cælebs. accessorium enim sequitur suum principale. vnde cessante fine cessat votum, quod se ad illum habebat accessoriè. Si autem finis exspectetur non vt præmium voti, sed alio modo, vt ex industria vel fauore hominum, error circa finem non reddet votum irritum: quia non redundat vllo modo in substantiam voti. Neque refert vtrùm sit finis principalis quem sibi vouens proponit, an secundarius, quem vocant causam impulsiuam; nam vterq; est prorsus extrinsecus voto, cùm non ingrediatur ipsum votum, nec illud afficiat aut restringat; vt si voueas Religionem principaliter eo fine vt peruenias ad Prælaturam, falsò persuasus monachos statuisse te eligere: si voueas peregrinationem ad limina Apostolorum, falsò persuasus hac ratione à Pontifice obtenturum te canonicatum: aut si id facias vt inuisas fratrem quem ignoras obiisse. Non enim consideratur quid moueat ad vouendum, sed quid absolutè sciens & volens promittas. Nec refert quòd ita sis affectus animo, vt si scires te decipi circa causam motiuam, nolles vouere: quia ille affectus re ipsa nihil operatur contra votum, cùm conditio ad hoc requisita, nempe scientia veritatis, desit; & non obstante eo affectu habes alium affectum quo absolutè vis vouere, & voues. sicut si des eleëmosynã pauperi existimans esse probum, cùm sit improbus; & ita sis affectus, vt si scires eius improbitatem, nolles dare; nihilominùs valida est donatio. quia reipsa das absolutè ad leuandam inopiam, etsi probitatis opinio te ad dandum mouerit: affectus ille non dandi ex hypothesi si scires, est inefficax ob defectum conditionis, vnde nihil operatur contra votum. idque verum est non tantum de affectu habituali & implicito, sed etiam de actuali & expresso. Confirm. quia error circa accessoria & extrinseca rei promissæ, non tollit consensum circa principale & substantiam. Idem cernitur in contractu matrimonij & sponsalium.

Sextò, si sit error circa vim voti. vt si persuasus sis votum non obligare nisi sub peccato veniali: aut posse à te ipso relaxari facili negotio. talis enim ignorat naturam actus quem facit. Idem dicendum si quis putaret matrimonium solubile, sicut passim soluitur apud ethnicos. debet tamen error esse causa actus: alioquin non reddet illum irritum; cùm sit error speculatiuus & impertinens ad actum, qui censetur fieri absolutè iuxta conditionem suæ naturæ.

12 Ex his patet, non esse constituendam differentiam in proposito inter votum simplex & solemne: quia sicut votum solemne non est irritum ratione erroris, nisi error redundet aliquo modo in substantiam voti; ita neque votum simplex est irritum, nisi error sit aliquo modo circa substantiam. Vnde si quis fraude alterius (v.g. falsis promissis) induceretur ad nuncupandum votum simplex continentiæ vel obedientiæ, non minùs esset validum, quàm si sic induceretur ad professionem Religionis: qui est casus cap. fin. 20. quæst. 3. Similiter in casu cap. Ex parte. 9. de conuers. coniugatorum. vbi suscepto velo seu professio ex causa falsa est valida, etiam votum simplex Religionis validum esset. Idem dicendum in casu cap. Veniens 16. eodem titulo. vbi professio mariti, in quam vxor dolo inducta consenserat, iudicatur valida; etiam votum simplex Religionis & castitatis validum fuisset.

13 *Discrimen inter votũ & promissionem hominis factã.*

Dices Primò, Promissio homini facta non est valida, si ex errore procedat, quamuis ille error non sit contra substantiam; vt si res fiat difficilis, quæ putabatur facilis; si persona sit improba cui promisisti, cùm putares esse probam: ergo idem dicendum erit de promissione facta Deo. Respond. neg. cons. promissiones enim vulgares quæ inter homines fiunt, si ex aliquo errore procedant, dicuntur inualidæ, non quòd sint Iure naturæ irritæ, sed quia in irritum reuocari possunt arbitrio promittentis. ita enim vsu passim receptum est, ad vitandas multas difficultates (præterquam in quibusdam promissionibus, vt v.g. mutui inter mercatores) vt sicut homo homini facilè aliquid promittit, ita etiam facilè possit reuocare, si deprehendat se ex errore aliquo promisisse; vel aliquid detegatur, quod si antea nosset, non promisisset. Secus est in promissionibus quæ Deo fiunt. hæ enim hoc ipso quo semel valent, statim fiunt insolubiles, ita vt non nisi superiori potestate, & iusta causa relaxari queant: sicut matrimonium si semel valeat, insolubile est. Accedit quòd in promissionibus & contractibus humanis lex positiua sæpè tollat obligationem, vel ius illius tollendæ & elidendæ tribuat, si ex errore procedat. L. Et eleganter. 7. π. de dolo. & 15. q. 6. cap. 1. de quo vide suprà cap. 17. dub. 6. Id autem non facit in votis: idque merito ob reuerentiam diuini Numinis. Vnde Glossa in d. c Ex parte, v. *Falsa sit causa*, dicit, *Dolum aduersary in spiritualibus non vitiare contractum; nec considerari causam aut intentionem contrahentis:* quod maximè verum est in votis, iuramentis, matrimonij contractu, susceptione Baptismi, &c.

Dices Secundò, Qui vouit ieiunium in certam diem, aut peregrinationem ad certum locum, non tenetur, si inde notabile damnum referret, vt si valetudo læderetur; si iter latronibus sit infestum, &c. atqui hic non est error vel ignorantia circa substantiam, sed circa extrinseca, ergo, &c. Resp. Ista vota tali euentu non obligare, non quia ex errore, sed quia secundùm legem prudentiæ, & ex communi hominum vsu, atque adeò ipso Iure habet tacitam conditionem, *si absque notabili damno potero*: vt patet in præceptis Ecclesiæ de simili materia. Multæ enim difficultates extrinsecùs obuenire possunt, ob quas non expediat mandari executioni. Itaque ratione illarum conueniebat subesse tacitam conditionem. Difficultatum autem quæ ex intrinseca rei natura oriuntur, non ita habetur ratio, præsertim in voto rei maximæ, vt castitatis & Religionis. Debuerunt enim antè esse præcogitatæ. vnde nec vsu, nec Iure, ratione illarum subest tacita illa conditio.

Ad Primam rationem initio propositam Respond. Non deesse consensum necessarium; quia qui consentit in principale, censetur consentire in accessoria & coniuncta: qui errat, non videtur consentire, si error sit circa rei substantiam: vel certè non ita consentit, quin possit resilire, quando contractus est solubilis. *Ad rationes.*

Ad Secundam: Votum non obligat vltra intentionem vouentis; sed quando error est circa accessoria, intentio vouentis etiam ad illa se extendit saltem virtualiter, vt dictum est. Non obstringi vouentem in euentu quem excepisset, verum est, si ex vi affectus quo votum fecit, illum euen-

euentum excepisset : secùs si excepisset solùm ex vi alterius affectus, quem actu vel habitu tunc habuit. Illa autem regula, In generali concessione,&c. intelligitur de concessione Principis vel Superioris facta inferioribus, & de iis quæ non solent generalibus vel obscuris terminis concedi, ad quæ iudicio prudentum intentio concedentis non se extendit.

Ad Tertiam : Non requiritur vt promissio liberalis sit omnino libera. potest enim fieri vt quis promittat aliquid gratis absque obligatione (quod est promittere liberaliter) & tamen id faciat ex metu vel errore aliquo. Aliud enim est liberè promittere, aliud liberaliter. quamuis eo euentu sæpè possit reuocari, vt dictum est. Et quamuis qua parte est ex errore, non sit libera formaliter; tamen est libera virtualiter, ratione scientiæ circa principale.

Dvbitatio iii.

Vtrùm metus votum irritum reddat, & quo Iure.

14 Notandum est, *metum* alium dici *grauem*, vtpote grauis mali, & qui virum constantem percellat: alium *leuem*, qui in virum constantem non cadat; de quo vide suprà cap. 17. dubit. 6. Rursus alium iustè incuti, alium iniustè. Item alium incuti ad extorquendum votum, alium ex alia causa prouenire.

Si metus grauis ad hoc incussus.

Quibus positis omnes Doctores conueniunt, metum grauem iniustè incussum ad extorquendum votum, tollere voti obligationem, illudque omnino irritum reddere. Colligitur ex cap. Perlatum. 1. & cap. Abbas. 2. de his quæ vi metúsve causa fiunt. Ratio est, quia in iis quæ ad statum & votorum obligationem pertinent, homo est sui iuris & arbitrij : vnde non potest ad illa cogi à causa extrinseca. Vnde regul. 116. π. de regulis Iuris dicitur: *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus; quem comprobare, contra bonos mores est.*

Iniustè incussus.

Debet autem hic metus esse *iniustè incussus*, vt plerique DD. tradunt. Siluester v. Metus. qu. 6. Sotus lib. 7. qu. 2. a. 1. ad 1. Angelus v Metus n. 8. & 10. & alij. Ratio est, quia hic solus censetur repugnare libertati, tamquam causa extrinsecùs cogens. Quare metus iustè incussus non irritabit votum; sicut nec matrimonium aut alios contractus irritos reddit. Vnde sequitur, si maritus vxori in adulterio deprehensæ priuata auctoritate mortem minetur, nisi profiteatur Religionem, professionem inde secutam fore irritam; vtpote metu iniustè irrogato extortam. Non enim poterat illam Iure priuatim occidere. Si autem minetur accusationem & mortem via Iuris, professio erit valida; quia Iure poterat id facere. Pari modo, si reo mortis detur potestas redimendi supplicij professione Religionis, vel matrimonio puellæ se offerentis, erit validum quod actum fuerit.

15 Aduerte tamen, non deesse DD. qui putant metum grauem etiam iustè incussum irritam reddere professionem Religionis, & matrimonium. Ratio est, quia hæc duo requirunt summam libertatem, quæ non minùs aufertur cùm iustè incutitur, quàm cùm iniustè. Ita Couarr. in 4. p. 2. cap. 3. §. 5. num. 7. vbi citat Glossam in cap. Veniens, 2. de sponsalib. & in cap. 2. de iis quæ vi, Felinum, & alios. Pro qua sententia Sanches li. 4. disput. 13. citat Goffredum, Hostiensem, Ioannem Andream, Ancharanum, Henricum, Fortunium, & alios multos, dicitque esse probabilem. Alij existimant metum iustè intentatum irritare professionem & matrimonium, quando incutitur auctoritate priuata; non autem si incutiatur à lege, vel Iudice præscriptum legis exequente: vt si lex statuat, vt violator virginis cogatur per Iudicem ad eam ducendam.

Sed verius est, quod iam diximus, metum numquam irritare votum aut matrimonium, quando malum quod proponitur, iustè inferri potest : ita ferè ceteri Doctores. Ratio est, Quia quando metus iustè irrogatur ob crimen, non tam censetur inferri ab extrinseco, quàm prouenire ab intrinseco, nempe à propria voluntate, & natura delicti : & is qui votum proponit, potiùs aufert quàm infert metum, ostendens viam euadendi mali. Id autem quod ex propria voluntate oritur, non censetur moraliter libertati repugnare. Confir. Quia talis metus non rescindit ceteros contractus, vt omnes fatentur: ergo nec votum, aut matrimonium: non enim maior libertas ad naturam professionis vel matrimonij requiritur, quàm ad alios contractus; quamuis vt illa conuenienti modo fiant, maior requiratur, ob vinculi insolubilitatem, & graue onus quod secum adferunt. Hinc patet responsio ad primam partem rationis contrariæ sententiæ. Id autem quod subsumitur, falsum est, si res moraliter expendatur: nam metus iustus, cùm oriatur ab intrinseco, non censetur libertati officere. De quo vide sup. c. 17. dub. 6.

Si iustè foterat inferri.

Pari modo debet hic metus non solùm esse incussus iniustè, sed etiam aliquo modo ad votum eliciendum, ita vt is qui metum infert, nolit desistere à malo iniustè irrogando nisi votum emittas. quòd si ob aliam causam incutiatur; v. g. ad vltionẽ iniuriæ (vt si voueas Religionem, vt Deus te liberet è manibus Tyranni, aut inimici persequentis) valet. Tunc enim votum non emittitur vt satisfiat voluntati inuasoris, neque in eius gratiam exhibetur, vt sit veluti pretium, quo cesset ab iniuria; sed exhibetur Deo, vt ab eo impetretur auxilium : sicut cùm quis iniustè oppressus ab inimico, promittit aliquid alteri vt auxilium ferat, tenetur: secùs si inimicus illum ad promittendum cogat. Ratio est, quia quando aliquis iniustè cogit promittere, promissio non est libera, nec ex spontaneo prouenies affectu, sed extorta ab extrinseco : secùs verò quando quis ex se promittit, vt opem ab aliquo impetret.

16 *Ad votum eliciẽdum.*

Non tamen est necessarium, vt metus incutiatur principaliter ad votum eliciendum, sed satis est vt incutiatur iniustè, & concedatur votum ad redemptionem mali intentati, vt constat ex d. cap. Perlatum, de iis quæ vi, &c. vbi mulieri ob suspicionem adulterij intentatur mors à famulis mariti, & ex affectu misericordiæ conceditur vt redimat mortem professione Religionis; quæ tamen professio ibi declaratur irrita.

Ex dictis sequi videtur, si alius, qui metum non intulit, votum postulet, vt opem ferat; votum fore validum : vt si inimico persequente fugias ad Monasterium, & Abbas nolit concedere latebras aut asylum, nisi voueas te fore monachum. Abbas enim non infert metum, sed hic iam est illatus ab inimi-

inimico, & ille proponit tibi rationem euadendi, spondetque opem (quam tibi ex iustitia non debet) si velis vouere; qua in re non facit tibi iniuriam. Nihilominùs contraria sententia in hoc casu est etiam probabilis. Nam Abbas recusando asylum censetur metum continuare. tenebatur enim concedere, etsi non ex iustitia, at certè lege charitatis, & quidem gratis, absque tali obligatione. Vnde iniquè recusando est causa continuationis metus; idque directè ad extorquendum votum. sicut si alicui extrema inopia confecto nolim succurrere, nisi religionem vouear, videbor metu mortis votum extorsisse. quare non obstringet.

17 *Quo iure metus irritet votum.*

Sed difficultas est, quo iure metus votum irritum reddat. Multi censent id fieri iure naturali. Insinuat Sotus lib.7.qu.2.art.1. Nauarr. cap. 12. num. 52. Glossa in cap. Abbas. 2. de his quæ vi. Bonauentura in 3. dist. 39. art. 3. qu. 2. vbi dicit: *Vota coacta esse irrita; quia Deus vult sacrificia non coacta, sed voluntaria.* Denique idem sentire coguntur omnes, qui tenent metum iure naturæ irritum reddere matrimonium. vt D. Thomas, Scotus, Gabriel, Couarrru. Turrecremata, Antoninus, Richardus, & alij quos citat Sanches lib. 4. de matrimonio disp. 14. Probari potest Primò, Quia nullus est canon, qui id statuat: omnes enim ita loquuntur, vt videantur supponere tale votum per se irritum esse; vt patet d. cap. Perlatum. 1. de his quæ vi, & aliis Iuribus. Secundò, Quia Deus promissiones per iniuriam extortas non acceptat, ne socius iniquorum & approbator iniuriæ esse videatur. Confirm. Quia nemo probus promissionem tali modo sibi factam acceptaret, aut aliquid ex ea Iuris prætenderet. Tertiò, Quia talis promissio homini facta est irrita, vel saltem pro arbitrio promittentis reuocari potest; vt ostensum est cap. 17. dubit. 6. quia non refert à quo metus illatus sit, quando constat metu factum: ergo etiam promissio Deo facta reuocari potest ob iniuriam quæ intercessit.

Probabile est irritare Iure naturæ.

Hæc sententia est satis probabilis; eaque posita sequitur, non solùm metum grauem, sed etiam leuem, irritum reddere votum in foro conscientiæ, si per iniuriam incussus sit. Ratio est, Quia Iure naturæ non est distinctio metus grauis & leuis, si eodem modo est causa consensus: sed hoc discrimen pertinet ad forum externum; vbi cùm metus est leuis, non præsumitur fuisse causa consensus, sed libertas animi: vnde non iudicatur actus inualidus. Confir. Quia metus grauis non reddit votum irritū quia grauis, (potest enim esse grauissimus, & non irritare; vt patet cùm quis metu mortis in naufragio vouet; cap. Sicut nobis. 17. de Regular.) sed quia per iniuriam incussus, ad extorquendum consensum: ergo si metus leuis eodem modo sit incussus, & eodem modo impellat ad consensum, cur non similiter inualidum reddat? Hanc sententiam de leui metu expresse tenet Nauarrus, non solùm de voto per talem metum extorto, sed etiam de matrimonio, in Enchirid. cap. 22. nu. 51. §. Septimum. & lib. 1. consil. tit. 39. consil. 1. num. 7. Vbi pro hac sententia citat Hostiensem, Ioannem Andream, Adrianum, & Sotum. Eamdem in casu matrimonij tenet Decius in cap. vlt. de appellationibus num. 3. & sequent. & aliqui recentiores, quos refert Sanches lib. 4. de matrimonio disp. 17. eorumque sententiam satis probabilem iudicat. Si in matrimonio est probabilis, multò magis in voto & professione; quia plurimi Doctores tenent, professionem irritam reddi metu reuerentiali, non tamen matrimonium: quos citat Couarr. in 4. Decret. c. 3. §. 6. num. 7. vbi dicit hanc sententiam esse communem. Itaque metus, qui matrimonium reddit inualidum, etiam votum reddet.

Metus leuis.

Ex qua sequitur, votum & professionem solo metu reuerentiali, quo quis per pudorem & reuerentiam non audet contradicere parenti vel Superiori, etiamsi aliud malum non timeat, esse inualida. Item eum, qui tali metu ordinatus fuit, non teneri voto castitatis, aut ad lectionem precum canonicarum, aut ad statum ecclesiasticum.

18 *Verius irritare Iure positiuo.*

Contrariam tamen puto veriorem; nimirum metum solo Iure positiuo irritum reddere votum. Siluest. v. Metus. qu. 8. Arragon. q 88. ar. 3. Henriq. lib. 1. de matrimonio cap. 9. nu. 1. & 3. & ferè quotquot sentiunt matrimonium metu contractum, solo Iure positiuo irritum esse.

Probatur Primò, Quia metus Iure naturæ non reddit irritos alios contractus, aut promissiones, sed solùm dat potestatem irritandi propter iniuriam, quando contractus natura sua est solubilis, vt ostensum est cap. 17. dub. 6. ergo neque votum Iure naturæ inualidum reddet. Neque dici potest, ei qui sic vouit, dari potestatem irritandi, sicut in aliis contractibus: quia votum est natura sua insolubile, sicut matrimonium. quare sicut matrimonium semel validè initum non potest solui arbitrio contrahentis, etiamsi dolo vel alia iniuria extortum sit, eò quòd natura sua sit insolubile; ita nec votum arbitrio vouentis. Confirm. Quia per tale votum Deo ius absolutum & ab alio independens acquiritur: hoc autem ius tolli non potest, nisi per ipsius condonationem.

Coactio tertij non impedit.

Secundò, Deus nullam iniuriam intulit: ergo ratione iniuriæ rescindi nequit. Nec obstat quòd iniuria illata sit à tertio, & alij contractus, si metus incussus sit à tertio, reuocari possint: id enim prouenit vel quia illi sunt solubiles, votum verò natura sua insolubile; vel quia homines non habent ius cogendi, Deus autem per se cogere poterat: vnde mirum non est, si ipsi ius irreuocabile acquiratur per coactionem iniustam alterius. vel denique quia hæc reuerentia debetur diuinæ maiestati, vt quidquid illi quouis modo pleno iudicio promissum est; insolubiliter, nisi ipse condonauerit, seruandum sit: id enim ad honorem diuinum pertinet.

Solus grauis metus irritat votum.

Tertiò, Matrimonium metu graui extortum, solo Iure naturæ spectato, est validum, secundùm veriorem sententiam; nec propria auctoritate solui potest; similiter & iuramentum: ergo etiam votum simili metu expressum, eodem Iure validum erit.

Hinc sequitur, cùm Ecclesia id solùm statuerit de metu graui, metum leuem non irritare; nec tribuere potestatem irritandi: quamuis in aliis contractibus sufficiens sit, vt metum passus, in foro conscientiæ non obligetur, & metum inferens ad restitutionem teneatur, vt dictum est capite 17. dub. 6.

Quòd solus metus grauis hoc faciat, colligitur ex cap. 1. de his quæ vi; vbi requiritur *metus mortis*, vt professio censeatur irrita. Sub *metu mortis*, intellige quemuis alium grauem: fit enim ibi solùm mentio metus mortis, quia species facti aliud

non

non postulabat. Et cap. Cùm dilectus. 6. eodem, requiritur *metus cadens in constantem virum.* cap. final. Qui clerici vel vouentes, &c. insinuatur *imperium parentum* non sufficere vt votum sit irritum. Idem dicit Glossa ibidem de *imperio regio.* quia etsi hæc metum aliquem causent, non tamen grauem. Hoc intelligendum de simplici imperio, cùm nihil aliud mali timetur, quàm breuis aliqua offensio, vt colligitur ex eodem cap. alioquin si timeatur perpetua offensio, vel mala tractatio, vel simul adsint preces importunæ, sufficiet tale imperium ad votum irritandum; quia gignet metum grauem. Sic intellige cap. 8. Puellæ 20. qu. 1. *Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio habitum susceperunt, si postea nuptias elegerint, præuaricantur.* vbi à contrario sensu insinuatur non præuaricari, si *coactæ parentum imperio* fecerint.

19 *Ad rationes.* Ad Primam rationem pro diuersa sententia: Nullus Canon id expressè statuit; quia fortè intercidit, vel numquam scripto editus est, sed sola consuetudine seruatus. sicut etiam nullus canon extat, qui matrimonium metu contractum statuat esse irritum; cùm tamen probabilius sit hoc esse ex decreto Ecclesiæ. Idem dicendum de matrimonio fidelis cum infideli: de quo etiam non est dubitandum quin Ecclesia statuerit vt sit irritum; quamuis Canon non reperiatur.

Ad Secundam: Non ideò Deus censetur approbare iniuriam, quia acceptat tale votum; sicut nec approbat, dum acceptat iuramẽtum sic extortum.

Ad Tertiam, patet ex dictis.

Aduerte tamen, æquitatem naturalem postulare, vt huiusmodi vota facilè per Prælatos Ecclesiæ, nomine Dei, relaxentur. quamuis ob reuerentiam diuinæ Maiestatis, sepositio Ecclesiæ decreto, solui non possint propria auctoritate. posito tamen Ecclesiæ statuto, quo talia vota reddit irrita, Deus illa non acceptat; & sic nullam obligationem inducunt.

DVBITATIO IV.

Vtrùm propositum aliquando habeat vim voti.

20 *Propositũ perseuerandi.* PAludanus in 4. d. 38. quæst. 1. conclus. 3. dicit *propositum* æquipollere voto simplici in vno casu, nempe quando quis intrat Religionem cum proposito perseuerandi, & Deo perpetuò famulandi. Idem tenet D. Antoninus 2. par. titul. 11. cap. 2. in principio. In eadem sententia sunt ferè omnes Canonistæ: ex quibus plerique putant tale propositum cum susceptione habitus habere vim voti solemnis, vt refert Siluest. v. Religio 1. q. 8. & D. Antoninus suprà.

Probatur Primò, Ex cap. Statuimus, 23. de Regularibus, vbi Gregorius IX. ait, *Nouitios posse liberè ad priorem statum intra annum redire, nisi euidenter appareat, quòd tales absolutè voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino seruire.* & cap. Consulti. 20. eodem titulo Innoc. III. consultus sic respondet: *Licet super hoc senserint diuersi diuersa; nos tamen credimus distinguendum, Vtrum is qui conuertitur, proposuerit absolutè vitam mutare, vt sic in habitu regulari omnipotenti Deo de cetero famuletur; An conditionaliter experiri obseruantiam regularem, vt ita demum si intra annum ei placuerit, profiteatur Ordinis disciplinam, aut fortè si non placuerit, moribus emendatis ad statum reuertatur pristinum. In primo casu debet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem regulam pertransire.*

Secundò, Qui contra propositum tale facit, inconstans est in re magni momenti: ergo peccat, ac proinde tenebatur in proposito perseuerare.

Tertiò, Quòd habeat vim voti solemnis, probari videtur ex cap. Beneficium, de Regul. in Sexto, vbi dicitur, Beneficium eius, qui ingressus est annum probationis, posse alteri dari, *si constet, absolutè voluisse vitam mutare:* at non daretur alteri, nisi ipse putaretur professus.

Verùm contraria sententia, scilicet non sufficere propositum, sed requiri vlteriùs promissionem, 21 *Præter propositum requiri promissionem.* est ferè communis Theologorum, eamque tenet D. Thomas hoc loco art. 1. Bonauent. in 4. d. 38. art. 1. q. 1. Richardus eadem dist. qu. 3. circa tertium princip. Abbas in cap. Litteraturam, de voto & voti redempt. Angelus, Votum 1. qu. 7. Siluester, Votum 1. q. 2. & Religio 5. q. 8. Nauarr. cap. 12. n. 26. & passim recentiores.

Probatur Primò, Ex Scripturis, quæ apertè indicant, obligationem votorum nasci ex promissione, Deut. 23. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Et infrà: *Facies sicut promisisti.* Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* nusquam dicit *propositum* obligare, sed promissionem.

Secundò, Probatur ex cap. Litteraturam, vbi dicitur, *eum, qui vltra propositum mutandæ vitæ non est progressus in voto, non teneri.*

Tertiò, Votum importat quamdam obligationem sui erga alterum: atqui homo non solet se alteri obligare solo proposito, sed promissione: nisi enim ad propositum accesserit promissio, non putat se alteri obstrictum. Confirm. Quia sicut imperando obligat quis alterum sibi, & ordinat quid ab ipso erga se fieri velit; ita promittendo obligat se erga alterum, & indicat quid à se alteri fieri velit.

Quartò, Nemo seipsum obligat nisi intendat seipsum obligare: quamuis nec intentio sufficiat: atqui solo proposito faciendi aliquid non me intendo obligare: ergo non habet vim voti.

Quintò, Quia Concilium Tridentinum sessione 25. cap. 15. & 16. concedit nouitiis annum probationis, & toto illo tempore vult illos manere liberos, vt si putent disciplinam sibi non conuenire, liberè possint egredi: ergo solo proposito non censet hominem astringi.

Ad Primum Respondeo, Illos Canones intel- 22 *Ad argumenta. Intellectus Canonum.* ligendos de proposito, quod fit animo vouendi, & se obligandi; etiamsi exteriùs verbis vel nullis, vel nullam voti speciem præ se ferentibus fuerit expressum: vt cùm quis dicit, Domine, ego hîc perpetuò volo tibi seruire, intendens se Deo obligare. Colligi id potest ex illa distinctione, quæ habetur dicto cap. Consulti: nisi enim quis hoc modo proposuerit vt simul tacitè vouerit, non videtur omnino absolutè proposuisse; quia aliàs semper est aliqua saltem tacita conditio, nempe nisi animum mutare contigerit. Alij respondent (& eòdem recidit) agi de proposito, quod promissione seu voto firmatum est. *Propositũ intentione vouendi expressum.*

Dici etiam potest, Olim ex vsu Ecclesiæ sus- *Aptior responsio.* ceptionem habitus cum absoluto proposito mutandæ

tandæ vitæ factam, habuisse vim voti simplicis. Dupliciter enim habitus suscipiebatur. Primò, Animo experiundi; & tunc liberè poterat resilire. Secundò, Non animo experiundi, sed perpetuò manendi; & tunc censebatur se tacitè obstringere saltem voto simplici. tale enim votum isti susceptioni habitus erat annexum: vnde non poterat redire ad sæculum, sed tenebatur regulariter viuere; ita tamen vt posset transire ad regulam laxiorem, vt colligitur ex cap. Consulti. Postea tamen ille mos est abolitus, & Canones vtrisque vsque ad professionem liberum esse voluerunt, nisi votum expressum interuenisset; vt patet cap. Litteraturam. 3. de Voto. & cap. Qui post votum. 5. eodem, in 6. Habuisse id vim voti simplicis tantùm, non autem professionis, vt plurimi DD. Canonum tenuere, docet egregiè Panor. in d.cap. Consulti. 22. de Regular. numer. 3. citans pro eadem sententia Cardinalem Zabarell.

Inconstantia. Ad Secundum Respondeo, Esse aliquàm inconstantiam, si absque vlla causa, sola animi leuitate propositum mutes: sed hæc inconstantia non est nisi venialis. Si autem aliqua ratione nitaris, vt quia sentis incommoda, &c. non est propriè inconstantia, nec vllum peccatum: nemo enim tenetur persistere in bono, quantumuis illud magnum sit, ex solo proposito; sed vt teneatur, debet aliunde ad illud esse adstrictus; v.g. præcepto, promissione, contractu. vide infrà libro 3. cap.6 dub.6.

23 Ad Tertium, Ex eodem illo cap. colligi potest, illud propositum in Nouitio non habere vim professionis; quia distinguitur à professione tacita & expressa; sic enim ait Pontifex: *Beneficium Nouitij intra annum probationis nõ esse alteri conferendum, nisi ipsius accedat assensus, aut cõstet quod vitam voluerit absolute mutare, vel professionem expressam fecerit, vel scienter habitum receperit professorum.* Vnde dico cum Panormitano in c. Litteraturam, ibi agi de proposito, quod voto simplici firmatum est, vel cum susceptione habitus habet vim voti simplicis, vt dictum est. qui enim cum tali proposito habitum suscipit, cùm tacito voto se obstringat, videtur beneficio renuntiare: & ita permittit Pontifex vt alteri conferatur.

24 Obiici etiam potest cap. 4. Qui bona. 17. qu. 1. *Mutatio boni propositi.* vbi dicitur, *Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt; licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.*

Respondeo, Inde non sequi, propositum melioris boni habere vim voti, sed vt summùm inducere aliquam obligationem, etsi non grauem: non enim qui tale propositum deserit, idcircò dicitur cadere coram oculis Dei, quòd peccet mortiferè, nam etiam qui venialiter peccat, *cadere* dicitur, iuxta illud, *Septies in die cadit iustus:* &, *Iustus si ceciderit, non collidetur.* Addo etiam, dici *cadere* vel *retrocedere* (de quo ibi propriè agitur) qui perfectiora exercitia deserit, quamuis id sine peccato faciat. vnde ex illo loco non potest colligi in ea re commissum esse vel peccatum veniale. vide Gregorium Homilia 3. in Ezech. sub finem, vbi paulò aliter habetur quàm hic à Gratiano refertur. nec dicit Gregorius tales *cadere* absolutè, sed *cadere in deliberatione. Hi*, inquit, *ante iudicia humana stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione:* nimirum quia recesserunt animo à perfectioribus, quæ proposuerant: qui excessus absque peccato fieri potest, quando aliqua causa subest.

Ex dictis patet, cùm multa in voto reperiantur, *Multa in voto concurrunt.* videlicet deliberatio, propositum boni operis, propositum vouendi, promissio, obligatio; solam promissionem esse votum; propositum & deliberationem esse quid præuium; obligationem, effectum.

DVBITATIO V.

Cuius virtutis actus sit votum.

D. Thomas art. 5.

RAtio dubitandi est, quia fiunt etiam vota 25
Sanctis, quorum cultus non procedit à virtute religionis, sed duliæ vel obseruantiæ. Deinde votum est promissio quædam: promissio autem vel est gratuita vel remuneratoria. promissio gratuita est actus liberalitatis, remuneratoria verò est actus gratitudinis.

Respondeo, & Dico Primò, Votum esse actum *Est actus religionis ob duas causas.* religionis, quando fit Deo. Probatur, Quia non promittimus aliquid Deo, vt ipsi inde aliqua vtilitas proueniat, sicut promittimus homini: sed vt ipsum honoremus, & vt nos ipsos reuerentiâ Dei in bono firmemus. vtrumque autem ad religionis virtutem pertinet. Confir. Quia omnis laus, quæ est in actu vouendi, ex hisce duabus causis pendet: ideò enim laudabile est vouere, quia laudabile est Deum honorare, & eius reuerentiâ se in bono proposito firmare.

Sed obscurum est quomodo Deus voto hono- *Quo modo Deus honoretur voto.* retur, præsertim si id quod vouetur, non sit cultus aliquis, v.g. sacrificium, hymnus, &c. sed aliquid ad alias virtutes pertinens, vt paupertas, castitas, obedientia, ieiunium, & similia, quæ nullum cultum præ se ferunt.

Respond. Honoratur Deus ipso actu vouendi, 26
Primò, Quia vouens, suo facto significat, ipsum habere cognitionem & prouidentiam rerum humanarum. Secundò, Testatur ipsum esse ad quem in angustiis sit confugiendum, & qui solus possit opem ferre. Tertiò, Quia vouens, illâ ipsâ re quam vouet, intendit illum honorare, & gratum obsequium exhibere: etsi enim illa res non sit naturâ suâ cultus aliquis, strictè accepto hoc nomine; eò quòd per se non significet diuinam excellentiam, & nostram subiectionem; tamen in cultum assumi à nobis potest: nam possumus eo animo facere, vt testemur nostram seruitutem & diuinum principatum. Sic ieiunium etsi nullum cultum præ se ferat, tamen assumi potest ad honorandum Deum vel Sanctum aliquem, & ab omnibus gentibus in hunc finem vsurpatur. Idem dicendum de paupertate, castitate, & obedientia: quidquid enim scitur esse gratum Numini, potest fieri ad eius honorem, & ad suam testandam seruitutem. nam etsi facere aliquid præcisè quia gratum alteri, potiùs sit beneuolentiæ quàm honoris: tamen si facis hoc totum vt sic declares tuum obsequium & affectum seruitutis erga alterum, est honor & cultus. Vnde olim virgines Vestales in honorem Vestæ seruabant virginitatem; idque ea mente factum, erat idololatria. Quartò, Quia vouens intendit se reuerentia Dei in bono proposito confirmare. Inter ceteras enim causas ideò vouemus

Deo

Deo paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam, vt memores cui promiserimus, eius reuerentiâ non deflectamus à proposito. continere autem se in bono reuerentiâ Dei, est religionis: eiusdem enim virtutis est, facere aliquid affectu honorandi alterius, vel soluendi promissi; & abstinere à contrario, timore inhonorandi vel promissi violandi. quare cùm illud sit ex virtute religionis, etiam hoc ex eadem virtute procedit.

27 Dico Secundò, Etiam quando votum fit Sanctis, est actus religionis.

Dupliciter vota Sanctis fiunt. Vbi Nota, dupliciter intelligi posse vota fieri Sanctis, vel Prælatis. Primò, Quia fiunt coram ipsis vel tamquam testibus ad maiorem reuerentiam, vel tamquam patronis, quibus cupimus ea cordi esse, vt gratiam ad exequenda promissa nobis impetrent. Sic intelligi potest formula illa multis Religionibus vsitata, *Promitto Deo, B. Virgini, B. Augustino*, vel *B. Francisco paupertatē*, &c. Hoc etiam modo est actus religionis; quia principaliter ad Deum dirigitur. quamuis qua parte etiam Sancti honorantur, possit esse actus obseruantiæ, seu duliæ supernaturalis.

Secundò, Vt promissio ipsis facta cadat sub votum materialiter; ita vt voueamus Deo, nos præstituros quod Sanctis vel Prælatis promisimus.

Quo modo Prælatis voueatur obedientia. Ita D. Thomas art. 5. ad 3. Sic intelligendum votum, quo Prælato vouemus obedientiam: per illud enim vouemus Deo nos id præstituros, quòd Prælato promittimus. vnde tale votum respectu Prælati non habet rationem voti, sed nudæ promissionis, quæ inducit erga illum obligationem fidelitatis; respectu autem Dei habet rationē voti. Simili modo accipiendum videtur votum, quo calicem vel statuam vouemus B. Virgini, B. Benedicto, vel alteri Sanctorum: censemur enim vouere Deo (quem in Sanctis agnoscimus) nos præstituros quod ipsis promittimus. itaque respectu Dei est votum; respectu Sanctorum promissio hònoraria, pertinens ad cultum duliæ. Sic cùm quis vouet Deo, B. Virgini, B. Francisco, &c. paupertatem, castitatem, obedientiam; respectu Dei propriè est votum, respectu Sanctorum potest esse honoraria promissio.

Posset addi tertius modus, vt dicantur fieri Sanctis, quia fiunt Deo in Sanctis: sed hic modus non differt à secundo.

28 Petes, Cuius potentiæ actus est votum?

Est opus intellectus practici. Respondeo, Esse actum intellectus practici, vt rectè D. Thomas art. 1. quia est locutio quædam practica, qua quis seipsum alteri obligat. sicut enim præceptum & oratio sunt locutiones quædam, quibus alterum obligamus, vel mouemus ad aliquid; ita votum est locutio quædam interna vel externa, qua nos ipsos obligamus alteri. Confir. Quia votum est promissio quædam: atqui promissio non est solùm volitio se obligandi, aut iudicium, sed locutio practica. cuius signum est, quòd quantumuis velit aliquis se obligare, & iudicet id expedire, non tamen obligetur quamdiu in his actibus sistit: sed oportet vt vlteriùs locutione quadam in alterum directa promittat. Hæc tamen locutio supponit voluntatem se obligandi, estque veluti instrumentum voluntatis, sine quo non potest sibi obligationem imponere; sicut nec alteri absque præcepto. Simili modo non potest alteri aliquid donare absque locutione, vel simili signo practico.

Dvbitatio vi.

De diuisione votorum.

29 Mvltæ reperiuntur diuisiones voti apud Doctores.

1. *In votum commune & singulare.* Primò, Diuiduntur in votum commune, & singulare. Ita Magister in 4. d. 38. D. Thomas, Durandus, Richardus, & alij, eadem distinctione.

Votum commune vocant actum illum, quo quis in Baptismo profitetur se renuntiare satanæ, & adhærere Christo: hic enim est omnibus communis; & quia est de rebus necessariis ad salutem, vocant etiam votum *necessitatis*. sed hic actus reuerà non est propriè votum, vt iidem docent, & benè ostendit Caiet. art. 2. tum quia in verbis hominis baptizandi nulla continetur promissio; sed solùm enim dicit, *abrenuntio, credo, volo*. tum quia alioquin omne peccatum Christiani esset sacrilegium, & duplicem malitiæ seu peccati speciem contineret; quod est contra communem hominum sensum. Denique verum votum de talibus rebus ne in Sacramento quidem pœnitentiæ exigendum est; esset enim pœnitenti nouus laqueus; & causa grauioris lapsus absque necessitate. multò igitur minùs exigendum in Baptismo.

Sponsio quæ fit in Baptismo, non est verum votum.

Vocatur tamen interdum à Patribus & Doctoribus *votum, sponsio, promissio*; quia speciem promissionis habet. dum enim petitur à baptizando; Abrenuntias satanæ, & omnibus operibus eius; & omnibus pompis eius? respondet, *Abrenuntio*: vbi videtur promittere; verùm quia non intendit sibi nouam obligationem imponere, sed solùm declarat se acceptare eam, quæ iure diuino inest, non est propriè votum aut promissio. Sic dum rogamus pœnitentem an promittat emendationem, non exigimus votum, sed simplicem promissionis formam, (quæ non inducit nouum vinculum, saltem sub mortali obligans) vt eo modo firmius propositum concipiat, & meliùs declaret se acceptare, sibique cordi fore obligationem, quæ antè inerat.

Votum singulare vocant, quod quisque pro suo arbitratu de rebus non necessariis concipit: vnde etiam dicitur votum voluntatis. quamuis reuerà hoc genus voti etiam ad res præceptas pertinere possit, quatenus nostro arbitrio subsunt, vt dictum est.

30 Secundò, Diuiditur votum in *conditionale*, & *absolutum*. Differunt autem hæc vota tripliciter.

2. *In conditionale & absolutum.* Primò, quòd votum conditionale constet particula *si*, vel æquipollente, quæ habet vim conditionis; absolutum verò minimè. quòd si hoc interdum continet talem particulam; ea non habet vim conditionis, sed temporis; & idem valet, quod *quando*; vt cùm quis ita vouet, Voueo me relicturum sæculum, si mater obierit.

Discrimen inter hæc vota.

Secundò, Votum conditionale suspendit obligationem exequendi voti vsque ad euentum conditionis; quæ si non euenerit, penitus euanescit. parit tamen statim obligationem expectandi euentum conditionis, (sicut omnes alij contractus conditionales) à qua inuita parte non potes liberari. Votum absolutum non suspendit, sed statim omnem suam obligationem imponit: quamuis interdum executionem ipsam in diem certum vel incertum differat: vt, Voueo me Religionem ingressurum, cùm mater obierit.

Tertiò, In voto conditionali affectus vouentis non fertur directè in ipsum votum, sed in id quod mediante voto cupit obtinere, vel quod timore obligationis voti cupit vitare. In voto absoluto affectus directè fertur in ipsum votum, etiamsi fortè ex alia causa ad illud emittendū moueatur.

Votum conditionale aliud est simpliciter *conditionale*, aliud *pœnale*. *Pœnale* est, quando quis vouet aliquid in pœnam delicti, si fortè in illud inciderit, vt timore oneris voti diligentiùs sibi caueat. quod potest fieri bifariàm; Primò, Si solùm voueas pœnam delicti, non autem euitationem; vt, Voueo me daturum eleëmosynam, vel ingressurum Religionem, &c. si inebriatus fuero. & hoc est simplex votum pœnale. vnde talis non peccabit contra votum per ebrietatem; sed purificabitur conditio, & absolutè ex voto tenebitur ad pœnam, quam si non præstiterit, tum demum votum violabit. Secundò, Si non solùm voueat pœnam in euentum delicti, sed etiam cautionem delicti; vt, Voueo non amplius inebriari, alioquin dabo largam eleëmosynam. hoc votum non est simplex, sed duplex: quia duo vota continet, alterum absolutum de non inebriando; alterum conditionale, de eroganda eleëmosyna. vnde si te inebries, peccabis contra votum absolutum, & purificabitur conditio voti pœnalis.

Votum simplex *conditionale* est, quod non fit sub conditione delicti futuri veluti in pœnam, sed sub alia; v. g. sub conditione mali alicuius diuina ope vitandi, quasi per modum contractus: vt, Voueo Religionis ingressum, si isto morbo curatus fuero. quamuis hoc votum possit accipi tamquam absolutum, si directè ex affectu Religionis sic voueas; & tunc illud *Si* designabit tempus, non conditionem: quo modo sæpè accipi solet, dum dicimus, Voueo ingredi Religionem, si vxor vel mater obierit, &c.

31 *3. In simplex & solemne.*

Tertiò, In *simplex* & *solemne*. *Solemne* vocatur, quod susceptioni status immutabilis coniunctum est. quale est illud, quod annexum est ex Ecclesiæ decreto susceptioni Ordinis sacri, per quem immutabiliter dedicatur quis statui ecclesiastico; & illud, quod continetur professione Religionis approbatæ. Ita habetur cap. vnico, de voto & voti redemptione, in Sexto. hæc enim duo, Ordo sacer, & professio Religionis, sunt solemnes quidam actus, à quibus votum solemne dicitur; & certam quamdam vim seu qualitatem ex decreto Ecclesiæ obtinet; nempe quòd votum castitatis irritum reddat matrimonium, si attententur; paupertatis, incapacem faciat dominij; vt infrà dicetur cap.41.dubit. 8. denique quòd ægerrimè possint laxari.

Simplex est omne aliud votum, etiamsi perpetuum sit; quale est etiam professio Religionis non approbatæ.

32 *4. In expressum & tacitum.*

Quartò diuiditur in *expressum* & *tacitum*. *Expressum* est, quod verbis distertis exprimitur. *Tacitum* est, quod censetur fieri eo ipso, quo voluntariè aliquid agitur, cui ipsum connexum est, vel supponitur. tale est quod fit susceptione Ordinis sacri; & gestatione habitus professorum expleto anno probationis; de quo infrà capite proximo, dubit. 7.

5. In personale, reale, mixtum.

Quintò diuiditur in *personale*, *reale*, & *mixtum*. *Personale* est, vbi promittitur quod personam solam attingit, vt actio aliqua vel omissio. *Reale*, quo res aliqua externa promittitur. *Mixtum*, quo vtrumque, v.g. peregrinatio cum oblatione.

Sextò, In *perpetuum* & *temporale*. Vbi aduerte, in quibusdam piis Congregationibus emitti votum castitatis & obedientiæ, appellatum perpetuum; non quòd absolutè perpetuum sit; sed quia tale est pro tempore, quo in illa Congregatione manserint. vnde tale votum non eget dispensatione; nam hoc ipso, quo egrediuntur, cessat. Vide de his diuisionibus Siluestrum, Votum 1.q.5. Angelum v. Votum 1.q.8. alios. *6. In perpetuum & temporale.*

DVBITATIO VII.

Quænam cadant sub votum.

D. Thomas art. 2.

33 *Tria requiruntur ad materiam voti.*

Respondeo, Vt aliquid sub votum cadat, tria requiri. Primò, Vt sit in nostra potestate. Secundò, Vt sit bonum. Tertiò, Vt sit melius quàm oppositum.

1. Vt sit in nostra potestate.

Primò debet esse *in nostra potestate*: stultè enim quis promittit alteri, quod in eius potestate non est vt fiat vel non fiat; vt si quis voueat se moriturum, aut non moriturum. Hinc fit vt votum de numquam peccando venialiter, non valeat; quia cum auxilio ordinario non est in nostra potestate, omne peccatum veniale vitare. si tamen intenderes te obligare ad vitanda omnia non absolutè, sed quantum diuina gratia consequi posses, & humana infirmitas permittit, eatenus esset validum. sicut dum quis vouet ieiunare totum annum; tenetur omnibus diebus, quibus potest, etiamsi totum annum explere nequeat. Valet tamen votum de non peccando mortiferè; quia cum auxilio diuino possumus omne peccatum mortiferum per totam vitam cauere. Ob eamdem causam valet votum de non mentiendo iocosè, de cauenda distractione voluntaria, & similibus, quæ auxilio diuino caueri possunt: quamuis ob rei difficultatem & periculum expediret huiusmodi vota commutari.

Votum non peccandi venialiter.

Non peccandi mortiferè.

34 *An teneamur ad partem voti.*

Petes, Quando votum non potest integrè impleri, vtrùm non teneat ad partem quæ potest impleri? Respondeo, Non semper teneris ad partem, sed solùm in duobus euentibus. Prior est, quando animus fuit obligandi ad partem, in euentum quo non posses præstare totum. Votum enim obligat secundùm intentionem vouentis; vt si voueris extruere templum, eo animo vt si non posses totum, saltem te obstringeres ad partem prout facultates ferrent. Secundò, si dubium sit de animo, considerandā est conditio rei, ad quam te obligasti. In dubio enim interpretanda est obligatio iuxta conditionem obiecti. Non enim potest esse certior regula, vbi non constat de animo vouentis. Itaque si res est talis, vt obligatio ad illam more recepto soleat diuidi, teneris ad partem: si autem non solet diuidi, non teneris ad partem, nisi possis præstare totum. vt si vouisti ieiunium per totum annum, etiamsi non possis nisi tertia parte anni, tamen teneris pro illa parte; quia hæc obligatio solet diuidi, tamquam ad diuersa opera per se completa, vt patet in obligatione ieiunij quadragesimalis imposita ab Ecclesia. Si vouisti ieiunare certo die, & nunc non potes abstinere à carnibus, vel à ientaculo, non teneris etiam

etiam abstinere à cœna; quia hæ obligationes in ieiunio sunt connexæ, nec solent separari. Si vouisti recitare Preces canonicas die Dominico, etsi tunc non possis totum ob febrim vel profectionem, teneris tamen ad partem, quam commodè potes: quia obligatio est diuidua: sic enim obligat Ecclesia. Secùs tamen in Officio Defunctorum, & Psalmis Pœnitentialibus, vt notat Sancius lib. 9. de matrimonio disput. 35. Si vouisti extruere templum vel Monasterium, & posteà deprehendas te non posse id integrè præstare ob damna rerum tuarum, vel alia de causa, non teneris ad partem; quia est obligatio vnius operis perfecti, quæ non solet diuidi. ita Sancius suprà. Hæc intellige, quando dubius est animus; nam si constat de animo, is exequendus est. Si probabiles in vtramque partem habes rationes, potes te conformare vtrilibet parti. Prædicta doctrina applicari etiam potest illis votis in quibus apponitur aliqua circumstantia, vel clausula mala, indifferens aut impossibilis. Si enim animus fuit ita adhærere illi circumstantiæ, vt sine ea non volueris te obligare, votum est irritum: si autem non constet de animo, nec probabilis de eo sit coniectura, præsumitur non voluisse inhærere, vtpote circumstantiæ inutili, & alienæ ab obiecto voti. & sic locum habet illa regula Iuris 37. *Vtile non debet per inutile vitiari.*

35 2. *Vt sit opus bonum.* Secundò, Debet esse *opus bonum:* nemo enim aliquid promittit alteri nisi quod ei gratum est: Deo autem nihil gratum, nisi quod bonum est seu honestum. Per *opus* intelligo etiam operis abstinentiam; vt ieiunium, paupertatem, castitatem, in quibus abstinentia aliquorum operum vouetur. res enim externæ non cadunt sub votum, nisi quatenus subsunt liberis actionibus vel omissionibus nostris. Itaque votum immediatè est de actionibus vel omissionibus nostris.

1. *Consect. de opere malo. Votum Iephte.* Hinc sequitur Primò, Opus quod ex se malum est, non esse materiam voti, vt sacrificare hominem: tale fuit votum Iephte, saltem implicitè; dum vouit offerre in holocaustum, quidquid primùm ei fieret obuiàm reuertenti à victoria, vt habetur Iudicum 11. nam vi illius voti filiam obtulit in sacrificium, vt communiter docent Patres. quamuis Lyranus & quidam recentiores velint non obtulisse occisione corporali, sed ciuili dumtaxat, eam ab hominum commercio secludendo. Idem dicendum de operibus, quæ ex aliqua circumstantia ita mala sunt, vt ea exequi sicut in voto proponuntur, sit peccatum: vt si voueas eleëmosynam ad obtinendam vindictam; petere enim à Deo auxilium ad priuatam vindictam, est peccatum: item dare eleëmosynam ob illum finem; est enim Deum facere fautorem & opitulatorem iniquitatis. eadem est ratio si quis in gratiarum actionem pro huiusmodi vindicta obtenta, vel sub conditione illius obtinendæ aliquid Deo voueat. nam non solùm ipso actu vouendi, sed etiam solutione significat Deum esse adiutorem operum iniquorum.

Simili modo si voueas dare eleëmosynam ob vanam gloriam, irritum est votum; quia dare ob hunc finem, malum est. secùs verò si voueas aliquid quod non sit peccatum, eo modo, quo intendis illud exequi: quamuis enim ex prauo fine te ad illud vouendum applices, vt ita ipsum votum sit peccatum ex fine illo extrinsè eo; tamen validum erit votum. vt si quis ex ambitione seu cupiditate Prælaturæ voueat Religionem; vel ex affectu vanæ gloriæ voueat ædificare templum, Monasterium. vouit enim illa facere absolutè, non autem facere ob prauum finem; quamuis ex affectu praui finis motus fuerit ad hæc absolutè volenda & vouenda. etsi enim actus vouendi sit peccatum propter finem prauum, executio tamen voti non est peccatum.

Vt hæc meliùs intelligantur, Notandum est, 36 duobus modis fieri posse vt quis voueat opus bonum ob malum finem. Primò, Si ita voueat, vt prauus ille finis sit non solùm finis voti, sed etiam operis quod vouetur; & tunc votum est irritum: vt si voueas eleëmosynam ad obtinendam vindictam, aut illicitos amores. opus enim, quod vouetur, nempe datio eleëmosynæ, proponitur exequendum ob prauum finem, nempe ad petendam à Deo opem ad malum; quæ petitio peccatum est, & blasphemiam continet. Idem dicendum; si voueas sub conditione mali finis obtinendi, vel in gratiarum actionem pro obtento, vt dictum est. Secundò, Si ita voueas, vt malus ille finis solùm sit finis voti, vel potiùs applicationis voluntatis ad vouendum: vt si profitearis in Religione vt lautè viuas: lautè enim viuere non est finis castitatis, paupertatis & obedientiæ, vt in voto proponitur; (non enim voues te hæc seruaturum ad illum finem, sed absolutè) verùm est finis, cur hîc & nunc applices te ad actum vouendi & profitendi: sicut diuitiæ puellæ & forma sunt finis cur te applices ad matrimonium. vnde huiusmodi professio est quidem peccatum, non tamen est irrita: etsi enim fiat ex causa impulsiua praua, tamen id quod vouetur, absolutè est bonum, & executio sancta. Caietanus artic. 2. quæst. 88. distinguit hos duos modos in tres; sed si quis benè aduertat, primus & tertius eius modus non distinguuntur, quantum ad præsens negotium.

Dupliciter voueri potest bonum opus ob malum finem.

Si malum sit finis operis.

Si sit finis vouendi.

Ex dictis patet, quid dicendum sit de quibus- 37 dam votis habentibus turpem conditionem: si enim opus bonum vouetur tamquam medium ab obtinendum à Deo malum finem, vel in gratiarum actionem pro tali fine obtento, votum erit irritum; nam executio praua est, & blasphemiam continens. si autem voueatur non vt medium, sed vt quiddam, quod certo euentu malo posito sit consecuturum; sic erit validum; vt, Si in duello inimicum occidero, voueo me ingressurum Religionem. non solent tamen homines sic vouere, vt rectè ait Caietanus: sæpè tamen sic vouemus in pœnam praui operis; vt, Si fornicatus fuero, voueo me ingressurum Religionem: quod votum est ratum, & posita conditione transit in absolutum.

Conditio turpis.

Quòd si finis non prauus, etsi coniunctus 38 operi prauo, votum erit validum, etiamsi voueas opus bonum tamquam medium ad illum finem impetrandum: vt si voueas eleëmosynam te daturum, si ex concubina prolem susceperis, vel si ex duello saluus euaseris: etsi enim malum sit fornicari, & duellum inire; tamen suppositâ voluntate hæc faciendi, non est malum petere à Deo prolem, & salutem: vnde nec votum eo fine suscipere.

Si finis coniunctus operi malo.

Petes, Quale peccatum sit vouere opus malum.

Respondeo, Si illud opus sit peccatum mortale, votum illius erit mortiferum, idque duplici 39 ratio-

Votum operis mali, peccatum.

ratione; tum propter affectum illius operis, tum ob irreuerentiam seu contumeliam, quæ per tale votum Deo irrogatur. Si opus sit veniale tantùm, multi Doctores sentiunt, votum illius esse solùm veniale. Ita Siluest. v. Iuramentum 2.q.7. Sotus lib.7. de Iustitia q. 1. art. 3. Nauar. cap. 12. num. 33. Primò, Quia materiæ paruitas videtur excusare. Secundò, Quia impletio talis voti solùm venialis est.

Videtur peccatum mortale.

Sed contrarium videtur mihi verius cum Caietano in Summa v. Voti materia. si enim scias esse peccatum, & Deo id voueas, est grauis irreuerentia: nam vel est irrisio quædam; vt si promittas alicui tamquam gratum, quod scis esse ingratum: vel implicita blasphemia; quia dum seriò promittis Deo, quod scis esse malum, insinuas Deo placere peccatum, eoque coli & honorari. Similis irreuerentia erit, si eodem animo impleas. Confirmatur; Malach. 1. grauiter reprehenduntur qui victimam claudam, cæcam, vel alio defectu notabilem offerebant: quantò magis reprehensibilis esset, qui opus malum illi offerret? Idem dicendum de voto contra consilia: si tamen non voueas vt Deo gratum, sed solùm vt te confirmes, sicut fit interdum absque plena mali animaduersione, sic erit solùm veniale; vt si dicas, Voueo Deo me numquam te allocuturum, me numquam hanc domum ingressurum. Pari modo solùm veniale est si quis huiusmodi propositum iuramento confirmet, vt infrà dicemus.

40 *2. Consect. de opere indifferente.*

Sequitur Secundò, Opus indifferens, id est, quod neque habet rationem honesti, nec praui, non cadere sub votum: quia Deo non magis est acceptum illud fieri, quàm omitti. v. g. vouisti Deo te numquam ingressurum domum Petri, eò quòd ibi suppetant occasiones peccandi, votum est ratum, quamdiu illæ durant; quia tamdiu abstinere domo illa est honestum & Deo gratum. sublatis occasionibus mali, desinit obligatio voti; quia tunc abstinere cœpit esse res adiaphora; quia ratio abstinendi sublata est. si posteà rursus incipiat esse bonum, ratione illa priore reuiuiscente, rursus incipiet obligatio voti. Ratio est, Quia votum illud respicit totum tempus vitæ: vnde incipit vel desinit eius obligatio pro mutatione materiæ.

41 *Si opus adiaphorum fiat bonum.*

Petes, Quid si opus, quod anteà, cùm voueretur, erat adiaphorum, posteà fiat bonum: verbi gratia, vouisti abstinere perpetuò fraternis ædibus, ob aliquam offensionem in fratrem, deinde contingat ibi habitare aliquos, quorum consuetudo tibi foret noxia.

Respondeo, Tale votum numquam obligare. Ratio est, Quia ab initio irritum fuit; non enim hoc promisisti Deo quia bonum & ipsi gratum, sed vt te in vindictam fratris in proposito non bono confirmares: vnde etsi speciem voti habeat, tamen votum non est. Confirmatur ex regula Iuris 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non subsistit.* Secùs esset, si boni alicuius intuitu ab initio vouisses, & posteà illa boni ratio mutetur in aliam. v. g. vouisti abstinere perpetuò tali domo, ob pericula impuritatis; posteà sublatis illis periculis succedunt pericula societatis in furtis vel inimicitiis. hoc euentu manet obligatio voti, quia periculum peccati & offensionis diuinæ & damnationis manet: & abstinere tali domo manet semper bonum & Deo gratum. Nec refert quòd alterius speciei bonitatem accipiat; quia vouetur absolutè quatenus Deo gratum; non autem præcisè quia huius vel illius speciei bonitatem obtinet.

Quid si ratio boni mutetur.

Tertiò, Requiritur vt id quod vouetur, *sit melius* quàm eius oppositum seu contradictorium. Ratio est, Quia nemo promittit alteri aliquid, cui gratius esse nouit illud non fieri; & si tale quid promitti aliquando contigerit, non est seruandum; nam & ipse promissarius cupit non seruari. cuius ratio est clara, quia omnis promissio fit vt alteri gratificemur; ac proinde debet esse de eo, quod illi est gratius. 42 *3. Requiritur vt sit melius oppositio.*

Hinc sequitur, votum de non mutuando, de non danda eleëmosyna, de non ingredienda Religione, de non suscipiendis Ordinibus sacris, non valere: quia contrarium eius, quod vouetur, est ex se melius & Deo acceptius. 43

Votum matrimonij.

Idem dicendum de voto matrimonij ineundi. etsi enim possit se quisquam voto astringere ad hanc pauperculam propter Deum ducēdam, suppositā matrimonij constanti voluntate, (eò quòd perseuerante hac voluntate melius sit hanc ducere quàm aliam) si tamen eam voluntatem deponat, desinit obligatio voti, quia absolutè melius est nullam ducere. Eadem est ratio quorumdam aliorum actuum, qui etsi sint actus virtutum, tamen non cadunt absolutè sub votum; quia melius est propter Deum illis abstinere, & melioribus incumbere, vt sunt ea, quæ multùm implicant mentem rebus inferioribus, v. g. capessere quæsturam Reipublicæ, militiam extra causam Religionis, officium Iudicis, & similia.

Sed difficultas est de eo, qui non potest continere, Vtrùm votum matrimonij ad vitandam fornicationem sit validum. Quidam docent validum esse. Ita Caietanus artic. 2. Nauarrus capite 12. num. 43. 44

Sed verius est, non esse validum absolutè, ita vt non possit irritum reddi; sed solùm ex suppositione, nempe supposito quòd ipse nolit alia remedia aduersus carnis tentationes adhibere: tamdiu enim obligabitur ex voto ad matrimonium suscipiendum. Quòd si torporem illum excutiat, & alia remedia capessere velit, iam cessabit illius voti vinculum: quia iam est ei melius non ducere vxorem, quàm ducere. Nec puto Auctores supradictos hoc velle negare.

45 *Votum non vouendi.*

Consilium aduersus leuitatem vouendi.

Pari modo irritum est votum, si voueas te non ampliùs voturum: melius enim absolutè est vouere, quàm non vouere. Si tamen aliquis facilior sit ad vouendum, is validè vouere poterit se in posterum non voturum, nisi re priùs cum prudente confessario communicata; melius enim est, præsertim tali homini, vouere ex matura deliberatione cum viro prudente, quàm vouere absque huiusmodi deliberatione: vnde hoc ipsum potest cadere sub aliud votum. Quare ad huiusmodi leuitatem comprimendam, aulicis quibusdam, qui mirè se votis intricabant, auctor interdum fui talis voti faciendi, optimo sanè successu: fassi enim sunt, post huiusmodi votum numquam ampliùs aliquid leuiter vouisse; metu violandi illius voti, leuitatem animi ad vouendum retundente. Si tamen post tale votum rursus ex animi leuitate voueret, valeret hoc votum; modò ea consideratio adsit, quæ in aliis rebus ad peccatum mortiferum vel meritum sufficeret. peccaret tamen sic vouendo; quia prius illud votum, quo promiserat Deo non

non ampliùs sic vouere, violaret. Fortasse tamen hæc violatio non esset mortifera; quia sæpè contingit, vt adhibere vel prætermittere illam maturam deliberationem, non censeatur res magni momenti, præsertim quando res, quæ vouetur, facilis est. Simili modo valet votum, quo quis ad scrupulos, qui de votis ipsi solent occurrere, arcendos, vouet se non voturum, nisi verbo vel scripto expresserit se vouere; vt docet Siluester v. Votum 2. quæst. 7. Angelus Votum 3. qu. 4. Richardus distinct. 38. quæst. 3. circa secundum principale.

46 *Opera præcepta.* Petes, Vtrùm opera præceptorum cadant sub votum?

Quidam Doctores videntur negare. Probari potest, Primò, Quia votum à Doctoribus definitur, *Promissio melioris boni ex deliberatione firmata*, vt refert D. Thomas in 4. dist. 39. quæst. 1. art. 1. Nomine *melioris boni* intelligunt opus consilij, seu supererogationis, vt patet ex D. Thoma art. 2. quæst. 88. Secundò, Quia D. Thomas ibidem & art. 2. indicat huiusmodi vota esse solùm analogicè vota, vocatque ea vota communia; quasi non propriè, sed generali solùm ratione dicantur vota, sicut ea quæ in Baptismo fiunt. Idem docet Richardus eadem dist. circa tertium princip. quæst. 2. Tertiò, Ad opera præcepta iam antè obligamur, eaque obligatio est sufficiens; frustrà igitur homo sibi inducit vinculum voti. Quartò, Si votum inducit nouum vinculum supra vinculum præcepti; ergo etiam inducet nouum vinculum obligationi prioris voti: & ita si homo centies idem voueat, centuplici obligatione tenebitur, & violando votum, centuplum peccabit, quod est absurdum. Hæc sententia à quibusdam tribuitur Gersoni, & Tabienæ in Summa, v. Votum.

47 *Opera præcepti laudabiliter voueri.* Sed contrarium est omnino certum, nempe laudabiliter posse voueri Deo aliquid ad quod præcepto naturali vel positiuo astringimur, & per tale votum nouum vinculum induci. Colligitur ex D. Thoma quæst. 88. art. 2. vbi dicit, *ea opera, sine quibus salutem consequi nõ possumus, cadere sub votum, quatenus voluntarie fiunt.* Idem expressè docet Durandus in 4. d. 38. qu. 1. num. 6. vbi sic ait: *Bonum necessarium ad quod obligamur ex alterius auctoritate, non pertinet proprie ad votum, cuius obligatio est ex mera voluntate. Verumtamen quia ad idem potest obligari pluribus obligationibus, ideo nihil prohibet quin ad illud ad quod obligamur per præceptum ex alterius auctoritate, obligemur etiam per votum ex propria voluntate. vnde firmiter tenẽdum est, quod vouens continentiam, & committens fornicationem, peccat dupliciter, videlicet peccato fornicationis & fractione voti.* Idẽ tenet Richardus suprà & ceteri Doctores. Probari potest Primò, Gen. 28. vbi Iacob vouit votum Domino, se illum solum culturum pro Deo, & nullos deos alienos; id enim significant verba illa, *Erit mihi Dominus in Deum.* Secundò, Ex perpetuo vsu Ecclesiæ: vbi non solùm vouetur abstinentia à nuptiis, quæ non est præcepta; sed etiam abstinentia ab omnibus illicitis voluptatibus extra matrimonium, quæ omnibus est præcepta. Tertiò, Iuramento possumus nouum vinculum inducere ad seruanda ea, ad quæ aliàs tenebamur; cur non etiam voto? Quartò, Si homini debeam ex mutuo vel alio contractu, possum me rursus illi ad idem promissione obstringere: ergo similiter possum in ijs quæ Deo debemus. Denique opera præcepta sunt Deo gratissima: ergo possunt illi promitti, & hæc promissio nouum vinculum adferet. sicut enim creditor pluribus titulis potest idem exigere à debitore; ita debitor potest se pluribus nominibus ad idem obstringere.

Ad Primum Respondeo, Doctores facere vim 48 *Ad rationes.* in nomine *voti*, quasi eo significetur promissio rei liberæ, quam aliàs non tenemur præstare: concedunt tamen induci nouam obligationem; & rem præceptam cadere sub votum, si consideretur non vt est iam debita, sed vt est in nostra potestate eam facere vel omittere.

Ad Secundum: D. Thomas solùm vult dicere, promissionem illam, quæ fit in Baptismo, esse analogicè votum, nam ipsius sententiâ posse rem præceptam absolutè sub verum votum cadere, patet artic. 2.

Ad Tertium: Etsi obligatio præcepti sit absolutè sufficiens ad nos inducendos in eius obsequium; sæpè tamen expedit vinculum voti superinduci; tum vt languidam voluntatem nostram magis in bono firmemus, & à præcepti violatione auertamus; tum vt plus mereamur, dum duplici de causa facimus, duplicemque virtutis rationem intuemur.

Ad Quartum responderi potest Primò, Si is *Duplex obligatio eiusdem speciei.* qui secundò idem vouet, intendat se nouo modo obstringere, concedi potest fore nouam obligationem, etsi eiusdem speciei; vel certè priorem intra eamdem speciem auctum iri; sicque futurum vt duplum peccet, si violet. Vnde probabile est, Religiosum sacerdotem, si peccet contra votum castitatis, duplicem malitiam contra votum committere. Si tamen non intendat sibi nouam obligationem inducere, sed solùm renouare priorem, ad excitandum spiritum, sic non inducetur noua obligatio, nec crescet prior intra eamdem speciem; quia votum non operatur vltra intentionem vouentis.

Respondeo Secundò, Esse disparem rationem. *Quando censeatur esse duplex obligatio.* Aliud enim est vinculum præcepti, aliud voti, & diuersa ratione vtrumque nititur: sicut aliud est esse debitorem ex præcepto Iudicis, aliud ex propria promissione, vel stipulatione. vnde obligationi præcepti facilè noua obligatio ex voto superuenire potest.

Cùm autem aliquid ex promissione cuipiam est debitum, si idem secundò illi promittatur, non nascitur nouum vinculum, aut nouum ius; sicut neque cùm idem secundò alicui donatur vel venditur; nam primus actus omnem effectum, quem habere potest, iam posuit: ac proinde secundus non potest aliquid noui causare; sed solùm confirmat & approbat obligationem & ius inductum per priorem. Vnde sequitur, non esse duplex peccatum, neque ita augeri intra eamdem speciem vt æquiualeat duabus voti violationibus. vide infrà lib. 4. cap. 3. dub. 12.

Ex dictis patet, omnia ea sub votum cadere, 49 *Quæ cadãt sub votum.* quæ gratiora sunt Deo, quàm ipsorum opposita; qualia sunt omnia opera consilij; siue consistant in actione positiua, siue in omissione aliqua. Similiter opera omnia præceptorum; quamquam hæc non dicantur ita propriè materia voti, sicut ea quæ sunt consilij.

Dvbitatio viii.

Vtrùm sit bonum vouere, & ex voto aliquid facere animo colendi Deum, & quantum sit bonum.

D. Thom. art. 4. 5. 6.

50 *Sententia hæreticorum.*

Hæretici huius temporis docent, non esse bonum, sed impium, vouere Deo, cum opinione cultus, aliquid quod non sit præceptum; posse tamen tale quid voueri ob alium finem; v. g. ad vitandum aliquod peccatum vel molestiam, vel ad alia vitæ negotia. Ratio illorum est, quia nihil vsurpandum ad cultum, nisi quod Deus præceperit; alioquin committetur ἐθελοθρησκεία, id est, voluntarius cultus & superstitio; quam reprehendit Apostolus ad Coloss. 2. v. vltimo. Ita Caluinus lib. 4. Instit. cap. 13. num. 1. 2. 3. & sequentibus, & Lutherus de libertate Christiana, &c. Vnde inferunt, vota Religiosorum impia esse & irrita: & SS. Franciscum, Dominicum, Bernardum, damnatos esse; nisi fortè commoditatis causâ, nempe vt liberi essent ab vxoris, filiorum, & rerum temporalium molestiis, non autem studio cultus, & sic placendi Deo, ea vota susceperint. Sed est stolidus error. Vnde

51 *Vouere animo cultus.*

Dico Primò, Fide tenendum est, bonum esse vouere Deo etiam opus non præceptum, animo deferendi cultum, & illi placendi. Probatur Primò, Ex Scripturis quæ ad hoc hortantur, Psal. 75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera: terribili, & ei qui aufert spiritum Principum*, &c. vbi etiam ponitur causa, cur ei merito vouere & vota reddere debeamus, nempe quia *terribilis* est, & vitæ necisque in omnes summum ius habet. Isaiæ 19. *Cognoscent Ægyptij* (id est, gentes conuersæ) *Dominum, & colent eum in hostys & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Secundò Probatur, Quia contradictionem implicat, fieri votum, & non animo colendi, saltem implicitè: cùm votum intrinsecè sit quidam Dei cultus; nulla enim Deo fit promissio vel oblatio causâ leuandæ inopiæ, vel vtilitatis conferendæ, sed solùm causa honorandi, & gratum deferendi obsequium, vt vsus omnium gentium testatur. Tertiò, Si ob aliam causam fieri potest, cur non etiam vt Deus honoretur, vtque Deo per hoc placeamus? nam & Apostolus hortatur vt omnia ad Dei gloriam faciamus; & ex Scripturis constat vota Deo placere: cur ergo non possimus ea facere animo cultus, id est, vt Deo per hoc placeamus, vt ei gratum obsequium deferamus? sic enim ipsi cultum interpretantur. Quartò, Ratio naturalis dictat bonum esse, Numini vota facere, illudque sic honorari. vnde omnes gentes diis suis vota faciunt, & soluunt; putantque se hoc modo illos colere; & si ea non impleuerint, grauiter in illos delinquere.

52 *Soluere votum animo cultus.*

Dico Secundò, Fide quoque tenendum, non solùm bonum esse vouere, sed etiam vota animo colendi soluere. Probatur Primò, Ex Scripturis allatis, vbi dicitur: *Vouete & reddite: Vouebunt & soluent.* & Deut. 23. *Si votum voueris, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus. si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. si nolueris polliceri, absque peccato eris.* vbi apertè loquitur de voto rei liberæ non præceptæ. Secundò, Quia eiusdem virtutis est vouere & votum reddere; etsi enim promittere homini, & promissa soluere, non sint eiusdem virtutis, cùm illud sit liberalitatis, hoc fidelitatis; tamen promittere Deo, & promissa soluere, ad eamdem virtutem Religionis pertinet: vtroque enim actu Deum honoramus, & bonorum nostrorum auctorem profitemur; quamuis vouere sit voluntatis, soluere necessitatis. Tertiò, Facere aliquid vt Deo seruemus fidem datam, est cultus Dei, & bonum: sed facere ex voto, est facere vt Deo seruetur fides: ergo facere ex voto, est cultus Dei, & bonum. Quartò, Omne opus bonum factum vt Deo placeamus, est cultus quidam Dei, iuxta modum loquendi Scripturæ: nam *visitare viduas & pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (vbi omnes virtutes continentur) *est vera Religio apud Deum*, Iacobi 1. *Beneficentia & eleëmosyna* vocatur *hostia Deo acceptabilis*, ad Philippens. 4. & ad Hebr. 13. Ieiunium & obsecrationes vocantur *seruitus & latria*, Lucæ 2. Castitas & corporis castigatio *hostia sancta, rationabile obsequium*, seu *rationalis latria*, ad Roman. 12. atqui laudabile est hæc facere etiam dum non sunt præcepta: ergo possumus Deo cultum exhibere etiam quando non præcipit. Quintò, Iacob vouit Deo decimas, quas ipse non præceperat, Genes. 28. nec dubium quin etiam soluerit. Dauid vouit ædificare templum, Psalm. 131. Denique vota omnia, de quibus agitur Leuitic. 27. Deuter. 12. 23. & alibi, sunt de rebus non præceptis. Imò res præcepta non potest cadere sub votum, nisi quatenus consideratur vt subest nostræ libertati, vt infrà ostendetur. Sextò, Vouere idolo, & soluere, est idololatria: ergo vouere Deo & soluere, est cultus Dei.

Promittere & promissa soluere, an eiusdem virtutis.

Cultus Dei quid.

Ad rationem hæreticorum Respondeo, Absurdum esse, nihil posse vsurpari ad colendum Deum, nisi quod est præceptum: contrarium enim constat exemplis Scripturæ, & aperta ratione. Omne enim opus bonum fieri potest in honorem Dei. imò quò aliquid minùs est debitum, eò magis idoneum vt offeratur Deo, iuxta illud, *voluntariè sacrificabo tibi*. Neque illud est ἐθελοθρησκεία, de qua Apostolus; quia non quiuis cultus voluntariè assumptus vocatur ab Apostolo ἐθελοθρησκεία; sed is tantùm qui sola inuentione humana constat. quod fieri potest dupliciter: vel enim defertur numini falso, & ab hominibus inuento, qualis est cultus Angelorum, quem Platonici & Simon Magus eis deferebant, de quo ibi agit Apostolus, vt plerique interpretantur: vel exhibetur Deo vero, sed non est idonea cultus materia; vt si quis abstineat à cibis, quòd putet eos natura sua, vel Legis veteris decreto, etiam in nouo Testamento immundos: vel ponat vim in re aliqua vel circumstantia in qua non est ponenda, vt in numero, in situ, in colore, &c.

Ad argumentum hæreticorum.

53 *Opus ex voto est melius, quàm sine voto.*

Dico Tertiò, Facere aliquid ex voto, non solùm est bonum, sed etiam melius quàm illud idem facere sine voto. Est fide tenendum. Probatur Primò, Quia Scriptura hortatur ad vouendum; quod non faceret, nisi opus ex voto præstitum esset Deo gratius. Secundò, Quando opus aliàs bonum fit ex voto, habet duplicem laudem; tum quia per se & secundùm suam speciem bonum est, vt dare eleëmosynam, ieiunare: tum quia fit ex affectu Religionis in Deum, seu ex fide, quam Deo debemus. Tertiò, Qui vouet, &

votum

votum soluit, non solùm offert Deo bonum opus, sed etiam boni operis facultatem; nam priuat se facultate illius omittendi. Vnde similis est illi, qui donat non solùm fructus arboris, sed etiam ipsam arborem, vt ait Anselmus lib. de similitudinibus cap. 84. qui autem solùm opus præstat absque voto, non dat Deo operis illius facultatem. Quartò, Qui facit ex voto, operatur ex proposito firmiore, magisque immutabili. hoc autem est melius. vide D. Thomam art. 6.

54 *Obiectiones.* Dices Primò, Quod fit ex necessitate, minùs gratum est Deo, quàm quod liberè: id autem quod fit ex voto, fit ex necessitate: ergo quod fit ex voto, minùs est gratum Deo, quàm quod sine voto. Maior probatur 2. ad Corinth. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Minor patet, tum quia votum inducit vinculum; tum quia Apostolus votum vocat *laqueum*, 1. ad Cor. 7. *Non vt laqueum vobis injiciam*; quasi dicat, Hortor ad continentiam, non ad votum, ne sit vobis in laqueum.

Ex necessitate fieri triplicitèr dicitur. Respondeo, Tribus modis dicitur aliquid fieri ex necessitate. Primò, Quia fit ex absoluta determinatione ad vnum: quomodo bestiæ ex necessitate operantur; & homo iuxta hæreticos ex necessitate agit quidquid agit, quia ad omnia & singula motione diuina impellitur, ita vt resistere nequeat, vt docet Caluinus lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. & 2. Secundò, Quia fit ex aliqua coactione. dicitur autem ex *coactione* fieri, quod fit repugnante voluntate; nollet enim voluntas, nisi timor alicuius mali, aut vis aliqua vrgeret. Nec refert quale id malum sit, temporale, an æternum. Tertiò, Quia fit ex obligatione, (siue ea proueniat ex præcepto, siue ex voto, siue aliundè) absque vllo affectu repugnante.

Quod fit ex necessitate primo modo, non est laudabile aut meritorium; quia non est nostri arbitrij, sed eius, qui determinationem illam impressit. Vnde si Deus hominem ad omnia opera sua prædeterminaret, nullum esset meritum, nullumque demeritum fieri tamen potest vt id, quod fit ex huiusmodi necessitate, sit maximum bonum; non quidem bonum morale, meritorium, laudabile, sed honorabile & diuinum; vt patet in visione & amore beatifico, in productione Filij & Spiritus sancti.

Quod fit coactè & timore seruili, non est malum. Quod secundo modo fit ex necessitate, etiam non est meritorium: quia non fit ex affectu honesti, sed timore incommodi temporalis: & consequenter ex affectu commodi temporalis, vt opum, honoris, sanitatis. non est tamen quod sic agitur malum; etsi affectus ille non faciendi, qui coniungitur, malus esse possit; vt quando opus est præceptum: quia affectus ille, quo nollet facere, nisi cogeretur, non influit in opus, sed solùm est quid comitans per accidens. Vnde etiam timor seruilis, & id quod fit ex tali timore, malum non est: licet seruilitas eius, quæ in affectu illo coniuncto consistit, mala sit.

Tertius modus non repugnat bonitati operis, aut merito, vel laudi eius: imò quò plures sunt tales necessitates ex quibus opus agitur, eò est laudabilius & melius; modò non adsit affectus operi repugnans, nimirum quo nolles opus, nisi obligareris. Ratio est, quia quò plures spectantur obligationes, eò plures sunt rationes virtutum, quarum affectu opus agitur; sicque opus externum affectu omnium illarum virtutum informatur.

Applicatur distinctio. Ex dictis patet Responsio. Ad maiorem igitur dicendum, Id, quod fit ex necessitate coactionis, esse minùs gratum Deo (vt rectè D. Thomas artic. 6. ad 1.) quia fit repugnante affectu. & de tali necessitate loquitur Apostolus, cùm ait, *non ex tristitia*; tristitia enim nascitur cùm aliquid fit affectu repugnante. *aut ex necessitate*, id est, non quasi coacti imperio aut timore dedecoris, repugnante voluntate. Et ad Philemonem; *ne velut ex necessitate bonum tuum sit, sed voluntarium*, id est, non coactum repugnante voluntate, sed ex proprio affectu. at quod fit ex voto, non fit ex tali necessitate, sed ex necessitate obligationis, non inuisa, sed amata, cui non repugnet affectus, sed sponte consentiat: qui modus operandi est Deo gratior; quia ex affectu plurium virtutum. vt si des eleëmosynam non solùm affectu misericordiæ, quia pauper eget; sed etiam affectu Religionis, quia Deo id promisisti; & affectu charitatis, quia Deo id placet. Vnde etiam melius est, ceteribus paribus, facere opus bonum ex præcepto, quàm suo arbitrio absque præcepto. qui enim iejunat ex præcepto, facit ex affectu temperantiæ, & obedientiæ; qui sine præcepto, temperantiæ tantùm. Hinc patet ad minorem: etsi enim votum inducat vinculum, tamen hoc est voluntarium, & necessitas amabilis, vtpote sponte susceptæ. Neque Apostolus 1. ad Corinth. 7. votum vocat *laqueum*, sed præceptum inuitis impositum. quamuis votum etiam possit dici *laqueus* iis qui inuiti vouent, & qui post vota tepescunt, & retrò respiciunt: sed hoc modo etiam præcepta Iuris naturæ laquei sunt peccatoribus. *Quo modo opus ex præcepto fit melius.*

Petes, Quid si quis repugnante affectu faciat opus ex voto?

55 *Implens votum affectu repugnante.* Respondeo, Id posse fieri multis modis. Vel enim displicet opus secundùm se; vt quia aspe-rum, molestum, verecundum; tamen quia vouit, vult facere. & hoc etiam modo opus ex voto melius est quàm sine voto. melius enim est iejunare affectu Religionis, quàm affectu temperantiæ; vt rectè diuus Thomas ad 2. Sic Religiosi facientes ex voto id quod aliàs nollent facere, plus merentur quàm illi qui id faciunt sponte sua.

Vel displicet etiam votum, ita vt homo vellet se non vouisse; tamen quia vouit, vult facere, vt voto suo satisfaciat. & sic quoque melius est facere ex voto: nam displicentia illa non influit in opus, sed solùm comitatur; nec est per se peccatum, quia potest interdum subesse iusta ratio dolendi de voto. Quòd si iusta ratio non subsit, est quidem peccatum; (quia est quædam in Deum ingratitudo dolere de tanto beneficio, de quo gratiæ maximæ essent agendæ) non tamen est peccatum mortiferum, modò propositum exequendi perseueret.

Vel ita displicet votum, vt non sit ei curæ facere ex affectu voti; facit tamen timore peccati, ne grauiter Deum offendat. & hoc quoque modo opus factum ex voto potest esse melius, quàm idem opus factum sponte ex affectu suæ virtutis: quia timor peccati, vt offendit Deum, est actus charitatis: vnde tale opus fit ex affectu charitatis.

Vel denique facit opus ex voto tantum-

modò timore damnationis, aliàs non facturus. hoc modo opus non est melius, quia ex timore seruili; tamen non est malum; quia talis timor ex virtute fidei & spei excitatur. affectus tamen ille, qui comitatur opus, Nollem seruare votum, nisi metuerem damnari, est peccatum; quia est affectus & amor eius, quod per se malum est, & contemptus iustitiæ & rectitudinis: imò continet implicitè quemdam contemptum Dei, & diuinæ amicitiæ. secùs de illo affectu, Nollem facere nisi omissio esset peccatum, vel displiceret Deo.

56 *Obiectio.* Dices, Melius est aliquid donare gratis, quàm ex obligatione; ergo melius est facere sine voto.

Resp. Obligatio ex promissione non repugnat liberalitati. Respondeo Primò, Si illa obligatio orta sit ex liberali promissione, quod ex ea datur, etiam gratis datur: non enim obligatio, quæ nascitur ex promissione liberali, repugnat liberalitati; sed est eius effectus.

Secundò, Etsi hominibus gratius sit vt aliquid ipsis detur gratis, quàm vt detur ex obligatione; (quia cùm gratis accipiunt, videntur aliquid lucrari) Deo tamen non est semper gratius: quia non quærit lucrum ex operibus nostris: sed id semper est ei gratius, quod ex pluribus vel melioribus affectibus procedit.

Dvbitatio IX.

Quale peccatum sit violare votum.

D. Thomas art.3.

57 Respond. Ex genere suo esse peccatum mortale; quia est contra reuerentiam Deo debitam, & notabilem quemdam contemptum & vilipensionem Dei continere videtur: sicut qui fidem homini datam violat, censetur illum parui æstimare. si enim illum magni æstimaret, commoueretur ipsius reuerentiâ, ne fidem ipsi datam auſit fallere. fieri tamen potest vt ex paruitate materiæ, vel defectu animaduersionis sit veniale, sicut in ceteris peccatorum generibus accidit: vt si vouisti recitare Psalterium, & omittas paucos versiculos: & in hoc consentiunt DD.

Potest esse veniale ratione paruitatis materiæ, & defectu considerationis.

58 *Si tota materia sit tenuis.* Sed difficultas est Primò, Vtrùm violatio voti sit aliquando venialis ratione tenuitatis materiæ, quando totum violatur. vt si voueris Salutationem Angelicam, & posteà omittas. Caietan. qu.89. de iuramento art.7.& Angelus, Votum 3. §. vltimo, existimant semper esse mortale, quando id, quod omittitur, est tota materia voti vel iuramenti.

Probabilius esse veniale. Sed etsi hæc sententia sit probabilis, Contrarium tamen est probabilius, nempe esse solùm veniale, quando materia est valdè exigua. Ita plerique recentiores hoc tempore, Nauarrus cap. 12. num. 40. Sotus lib.8. qu.1. art.7. vbi acriter hoc tuetur. Probatur Primò, Quia etsi bona cogitatio, breuisque precatio sit res magni meriti; tamen ad vouendum, & inter ea quæ voueri solent, censetur humano more materia parua. Secundò, Quia inter ea quæ homini debentur ex iustitia, datur materia magna & parua; cur non etiam inter ea, quæ debita Deo? Tertiò, In ceteris peccatis contra virtutes, quæ non versantur immediatè circa Deum, inuenitur materia magna & parua; est enim superstitio magna & parua, omissio orationis magna & parua: item in decimis & oblationibus, fraudatio magna & parua, in voluptatibus prohibitis, magna & parua. cur non etiam in peccatis contra votum? Idem censendum de iuramento promissorio, vt quidam volunt. de quo infrà cap.42.dubit.5.

59 *Obiectio 1.* Dices Primò, Nihil, quod ad Dei honorem pertinet, censendum est parui momenti, cùm vitam æternam promereatur: ergo ratione paruitatis materiæ non excusatur.

Respons. Respond. Etsi non sit absolutè parui momenti respectu meriti, tamen ad vouendum, (id est, in ordine ad votum, & honorem Dei) paruum censetur. alioquin etiam mortale esset omittere aliquot versiculos, dum sunt pars materiæ votæ: nam recitatio illorum tamquam partis materiæ, est tam meritoria, quàm recitatio illorum vt sunt tota materia; nec minùs Deum honorat, si pari affectu fiat.

Obiectio 2. Dices Secundò, Quando versiculi illi sunt pars materiæ, si omittantur, nondum violatur votum quod per se primò respicit totam materiam; (v. g. cùm vouisti legere Psalterium) sed tantummodò cum quadam imperfectione soluitur: dum autem sunt tota materia, violatur totum votum: ergo est dispar ratio; nam totius voti violatio videtur esse magna irreuerentia.

Respons. Respond. Non esse disparitatem notabilem. ideò enim omittere istos versiculos est veniale, quia violatur votum in re parua, siue illa res parua sit tota materia, siue pars; hoc enim non facit illam strictiori obligatione deberi. Confirmatur, quia si quis promiserit decem, & nō soluat nisi nouem, violat promissum in vno, & hæc violatio censetur esse in re parua; cur non etiam censeatur esse parua si non soluat, quando tantùm illud vnum promiserat? Nec refert quòd ille dicatur soluere votum, hic verò nullo modo: quia ille ita soluit, vt etiam ex parte violet, quæ pars tanti est, quanti tota materia alterius. Nec obstat quòd illa pars non fuerit per se primò vota; quia sufficit illam verè votam esse in toto. parum enim interest an aliquid sit promissum per se & solitariè, an cum multis aliis: quia non ideò plus vel minus est debitum, vt ex communi hominum sensu constat.

60 *Obiectio 3. Mendacium de peccato veniali in confessione.* Dices Tertiò, Mendacium de peccato veniali, si sit tota materia confessionis, est peccatum mortale; non autem si solùm sit pars materiæ, vt communiter DD. docent: ergo similiter quando aliquid est tota materia voti, si violetur, erit peccatum mortale.

Respons. Respond. Esse disparem rationem. Ideò enim tale mendacium est peccatum mortiferum, quando est tota materia confessionis, quia reddit irritum Sacramentum, quod est peculiare opus sacerdotij Christi, ab illo singularem sanctitatem habens. votum autem non est functio sacerdotij Christi, nec vllam sanctitatem habet, nisi à vouente, nec redditur irritum, cùm iam præterierit; sed solùm agitur contra obligationem eius remanentem; idque solùm in re parua.

Obiectio 4. Dices Quartò, Lege diuina tenemur soluere vota: sed violatio legis diuinæ est peccatum mortale.

Respons Violatio legis diuinæ in re parua. Respondeo, Violatio legis diuinæ in re magna est peccatum mortale, non autem in re parua: nam lex diuina præcipit nihil furari, nihil, quod proximi sit, concupiscere; tamen contrarium facere in re parua, non est peccatum mortale.

Secun-

Exiguum opus si frequentandum.

Secundò difficultas est, cùm quis vouit aliquid minutum singulis diebus faciendum, Vtrùm sit peccatum mortiferum, illud per vnum vel plures dies omittere?

Si obligatio sit diei annexa.

Resp. breuiter, & Dico Primò, Si ita intendat se obligare in singulos dies, vt obligatio sit diei affixa, & vnà cum die expiret, non erit peccatum mortiferum, etiamsi per plures dies omittat; sed erunt tot peccata venialia, quot erunt omissiones, seu dies quibus omittit: vt si voueris singulis diebus Sabbati in honorem B. Virginis recitare Salue Regina, vel Aue maris stella. Ratio est, Quia cùm obligatio non continuetur, sed euanescat quotidie, non accumulantur quoque obiecta parua ad constituendum vnum magnum, sed manent diuisa, sicut & obligationes. itaq; cùm numquam sit obligatio ad obiectum magnum, numquam omissio erit peccatum mortale. Confir. Quia in huiusmodi votis non est vna aliqua obligatio respiciens materiam magnam, sed sunt plurimæ obligationes distinctæ respicientes distinctas materias paruas. Nam perinde se habent ac si quis singulis diebus faceret nouum votum de recitanda prece illo dumtaxat die: quo casu violatio plurium dierum non efficeret peccatum mortale, sed totidem venialia. Colligitur hæc doctrina ex Soto lib.7. de Iustit. qu.2.art.1.dub.2.

61 *Si non sit annexa diei.*

Dico Secundò, Si ita se quis obliget in singulos dies vt obligatio non sit diei affixa, nec expiret cum die, sed continuetur; erit peccatum mortiferum, complures dies omittere. Vt si voueas quotidie dare assem in eleëmosynam, si omittas per plurimos dies, accumulatur debitum, fitque materia notabilis, ac proinde erit peccatum mortale non soluere. Similiter si vouisti recitare quotidie Orationem Dominicam, aut Hymnum Veni creator, non affigens orationem diei, si diu omittas, crescit debitum, fitque notabile: quare erit peccatum mortiferum illud non soluere, aut vna volitione per multos dies talia minuta debita velle omittere. Idem dicendum quando alicui imponitur in pœnitentiam, vt per mensem recitet quotidie Psalmum Miserere. non enim obligatio affigitur diei tamquam proprius illius cultus (nisi aliud intendat Confessarius) sed diuiditur onus in plures dies, & singuli dies præfiguntur tamquam termini, vltra quos non sit executio differenda. Vnde si omittatur, non ideò euanescit obligatio.

Porrò in istis & similibus casibus non solùm est peccatum, velle per plurimos dies minuta & quotidiana illa omittere, aut omittere soluere debitum cùm excreuit; sed etiam omittere minutam precationem eo die quo hæc precatio cum reliquis omissis materiam magnam constituit, seu quo debitum esse notabile incipit. Exempli gratia, sint 20. precationes Dominicæ materia notabilis: omissio vigesimæ erit peccatum mortiferum; non per se quidem, sed vt coniuncta præcedentibus omissionibus subest vni volitioni liberæ, qua quis aduertens se etiam reliquarum debitorem, hoc totum negligit, & vult omittere: quia hæc vigesima precatio primùm complet quantitatem notabilem, circa quam sit obligatio sub peccato mortali: sicut vigesimus assis v. g. in materia furti, constituit quantitatem notabilem: vnde qui antè sensim accepit vsque ad octodecim vel nouemdecim, etsi non peccarit mortiferè, tamen accipiendo vigesimum voluntate retinendi vnà cum ceteris, peccatum mortiferum admittet. Vide suprà lib.2.cap.12.dub.8.

Malitia violationis voti sunt eiusdem speciei.

His adde, omnia peccata contra votum qua parte votum violant, esse eiusdem speciei. quia eiusdem rationis est irreuerentia & infidelitas erga Deum, siue in hac siue in illa materia fiat. Vnde qui vouit castitatem, si contingat illum fornicari, vel pollui, & confessus fuerit hoc peccatum, omissa per obliuionem circumstantia voti, sufficit vt postea eidem vel alteri confessori explicet se votum in re graui violasse; vt multi DD. tradunt.

Dvbitatio x.

Vtrum votum alterius possit alterum obstringere, vt parentis, filium; testatoris, heredem; decessoris, successorem.

VT respondeatur huic dubitationi, adhibenda est distinctio votorum in personale, reale, & mixtum; de qua sup. dub.4. Qua posita,

62 *Vota personalia.*

Dico Primò, Si votum sit *personale*, non obligat nisi personam vouentis. tale est votum ieiunij, peregrinationis, militiæ sacræ, ingrediendæ Religionis, & similia. Ratio est, Quia hæc vota solùm sunt de actionibus personalibus, quæ à sola persona vouentis sunt exequendæ. hæ enim solæ promittuntur, nulla autem res externa: ergo non pertinent ad personam heredis. itaque si huiusmodi votis nondum solutis vouens decesserit, non tenetur heres.

An parentes obligent filios.

Sed difficultas est de parentibus, Vtrùm illi voto suo non possint obligare filios. Videntur posse; nam multis Canonibus habetur, filium, qui à parente in infantia sua Monasterio dicatus fuerit, non posse, cùm ad pubertatem venerit, egredi. Ita habetur 20. qu.1. cap.3. Monachum, ex Concilio Toletano 4. cap.48. *Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus.* Idem habetur expresse cap. Addidistis.2.& cap. Quicumque.4.& capit. Quem progenitores.6 ibidem.

63 *Resp.*

Respond. Nec votum, nec oblationem parentis posse obligare filium impuberem ad Religionis ingressum, vel permansionem in ea, nisi filius cùm ad annos discretionis peruenerit, consenserit, & factum parentis ratum habuerit. Ita Glossa in cap. Addidistis, vbi sic ait: *Intelligas hæc tria capit. de illis, qui post ætatem adultam consensum accommodarunt.* vnde patet responsio ad prædictos Canones. & habetur expresse cap. Cùm simus.14. de Regularibus, quod est Cælestini III. & cap.10. Illud autem.20.q.1. quod est Marcelli. Colligitur etiam cap. Puellæ.8. & cap. Sicut.9. ibidem. Confirmatur ex Concilio Trident. sess.25. cap.17. de Regularibus, vbi statuit vt professio virginum liberrima sit. & cap.18. excommunicat eos, qui aliquo modo virgines vel alias feminas ad ingrediendum Monasterium, ad habitum, vel professionem cogunt, &c. Ratio est Primò, Quia nemo potest vouere aut promittere alteri, nisi quod habet in sua potestate: atqui arbitrium & actiones filij non sunt in potestate parentis. Vnde parens non potest aliud vouere, quàm se curaturum vt educetur dum adhuc impuber est, in Monasterio; & quantum in se est inducturum ad Religionem amplc-

amplectendam: quandocumque enim aliquis promittit factum alienum ad quod cogere non potest, non censetur aliud promittere, quàm se, quantum poterit, inducturum alterum vt faciat; vt omnes Iurisperiti docent, & colligitur L. Stipulatio ista, ff. de verb. obligat. & Institut. de similib. stipul. §. Si quis alium.

Deinde in his, quæ ad statum vitæ pertinent, quisque est sui iuris, nec potest ad ea nisi suo consensu obligari; vt patet in matrimonio, sacerdotio, cælibatu, &c. tantum enim onus, quod perpetuò homini adhæret, & in negotio salutis tantum in vtramque partem momenti habet, non ex alieno arbitrio pendere, sed sponte suscipi debet: ergo idem dicendum de statu Religionis. Deniq; quia Christus Dominus consilia sua voluit esse libera, idq; tum propter illorum excellentiam, tum quia non sunt necessaria ad salutem. Vnde nulla potestas humana potest ad ea obligare. Itaque Religio duplici nomine libertatẽ postulat, nimirum quia & ad totius vitæ statum pertinet; & quia est bonum supernaturale consilia Christi complectens.

Quæ parens possit præcipere.

Nec obstat, quòd parens possit quædam filio præcipere: quia non potest præcipere ingressum Religionis, sed ea tantùm, quæ ad domesticam disciplinam, & obseruationem mandatorum Dei pertinent. Deinde etsi ad hæc possit filium obligare præcepto, non tamen voto.

Petes, Quid si voto personali implendo occurrat impedimentum; tenebitúrne vouens per alium implere?

64 *Si occurrat impedimentum.*

Respond. Non tenebitur, quia sola ipsius persona obligabatur, quæ iam per impedimentum excusatur. quòd si per alium fecerit, non ideò liber erit cessante impedimento, nisi commutetur votum. Excipe, nisi dum voueret, intendisset se obligare ad implendum per alium, in euentum, quo per se non posset; tunc enim teneretur id curare: & sic liberaretur.

65 *Si reale.*

Dico Secundò, Si votum sit *reale*, nisi ante mortem persolutum fuerit, obligat heredem. colligitur ex cap. Si heredes, de testamentis; vbi dicitur, *heredes, qui iussa testatoris nõ impleuerint, esse interdicendos hereditate.* talia enim vota inter iussa ipsius censenda sunt. Idem patet ex L. 2. ff. de pollicitationibus, vbi dicitur, *Si decimam quis bonorum vouit, decima non priùs in bonis desit esse, quàm fuerit separata, & si fortè qui decimam vouit, decesserit ante sepositionem, heres ipsius hereditario nomine obstrictus est decimæ: voti enim obligationem ad heredẽ transire constat.* Idem docent communiter DD. vide Silues. v. Votum 2. qu. 11. Ratio est, Quia sicut heres succedit in bonis, & in actionibus ac iuribus defuncti; ita etiam in oneribus quæ hereditatem attingunt, etiamsi nulla res per se sit obligata. Vnde sicut ea, quæ testator promisit homini, tenetur soluere; ita etiam quæ promisit Deo.

Votum peregrinationis.

Idem dicendum videtur, si defunctus vouerat aliquam peregrinationem, vel militiam sacram, ea intentione, vt si per se non posset exequi, per alium curaret: tunc enim sub conditione videtur tacitè vouisse se daturum sumptus ad hæc præstanda; & proinde fecisse votum reale; quare tenebitur heres; quod est notandum. idem dicendum quando testator ordinat vt heres mittat hominem.

Simile est, Si quis vouit ædificare Monasterium, vel aliam piam fundationem instituere. Ita docet Abulensis q. 98. in cap. 30. Numerorum.

Petes, Quid si heres non curet fieri; peccabítne contra votum? 66 *Si heres negligat.*

Respond. Non peccabit propriè contra votum, nec erit voti violator; quia ipse nihil vouit, aut promisit Deo, (sicut heres, qui tenetur promissione testatoris iuramento confirmata, non tenetur vinculo iuramenti) sed partim contra obligationem, quia defuncto obstringitur ratione hereditatis acceptæ, seu taciti pacti, quo eo ipso, quo hereditatem adit, acceptat onera defuncti: partim contra Religionem, quia non soluit quod Deo debet. etsi enim Deo non promiserit, tamen factus est Deo debitor, suscipiendo in se obligationem alterius Deo debentis. Sicut is qui promittit se votum vouentis impleturum accepta mercede; si fallat, & ipsi & Deo iniuriam facit.

Dico Tertiò, Si votum sit *mixtum*, partim obligat, partim non obligat heredem: obligat quà reale, non obligat quà personale. vt si vouisti peregrinationem Lauretanam, & offerre ibidem calicem; heres tuus tenetur mittere calicem, non autem curare peregrinationem. 67 *Si mixtũ.*

Petes, An teneatur sumptus itineris in pios vsus conferre? *Sumptus itineris.*

Respondeo, non teneri: quia sunt accessorij voto personali; non enim sub illud cadunt, nisi indirectè, & vt necessarij ad expletionem voti personalis: illo igitur euanescente, desinunt deberi. secùs si ille vouendo intendisset vt per alium expleretur. Horum tamen habenda ratio in commutatione votorum, teste Nauarro cap. 12. numer. 77. & colligitur cap. Magnæ deuotionis, de voto. hoc tamen non videtur absolutè necessarium, sed decens.

Dvbitatio xi.

Quot modis possit quis voto solui.

Respondeo, Quinque modis, vt colligitur ex DD. vide Siluestrum, Votum 4. qu. 1. Nauar. cap. 12. nu. 63. Primò, Desitione materiæ. Secundò, Absentiâ conditionis. Tertiò, Irritatione. Quartò, Commutatione. Quintò, Dispensatione seu absolutione. 68 *Quinque modis obligatio voti tollitur.*

Desitione materiæ soluitur, si id quod antè erat legitima materia, desinat esse materia voti, vel absolutè, vel respectu vouentis. vt si fiat impossibilis, si mala, si maioris boni impeditiua, si indifferens, si inutilis.

Desitione conditionis; vt si votum factum sit euenire vel durante certa conditione, & illa non eueniat, vel desinat.

Irritatione, Quando materia, quam vouemus, vel voluntas vouentis, subiecta est aliquo modo alienæ potestati, & ab eius consensu dependens; talia enim habent hanc tacitam conditionem, Nisi Superior, seu ille cuius interest, contradixerit.

Commutatione, Quando obligatio voti ab vna materia transfertur in aliam. Quòd si obligatio voti personalis transferatur ad opus reale, vt ad eleëmosynam vel ædificationem loci pij, dicetur *redemptio.*

Dispensatione, Quando auctoritate ecclesiastica quis omnino à voto absoluitur. Differunt hi tres modi, quòd irritatio non requirat auctoritatem ecclesiasticam, commutatio verò & dispensatio requirant.

DVBI-

DVBITATIO XII.

Quorum vota possint irrita reddi, & quale peccatum irritatio absque causa.

69 REspondeo, Generatim omnia illorum vota irritari posse, qui alteri vel perfectè & in omnibus, vel saltem quoad materiam, quam vouerunt, subiecti sunt. Ratio est, quia horum vota pendent à consensu alterius: ac proinde tacitam quamdam conditionem, vel ex natura rei, vel ex Iuris dispositione includunt, nempe hanc, *Nisi Superior, vel ille cuius interest, contradixerit.* quare si ille intelligens votum, repugnauerit, cessabit obligatio.

Vnde sequitur, ad irritationem non requiri causam, sed sufficere irritantis voluntatem, vt docent communiter DD. quia executio pendet ab eius consensu.

An sit peccatum. Vtrùm autem peccet qui sine causa irritum fecerit, non ita constat. Certum videtur, non peccare mortiferè. Imò per se non videtur vllum peccatum; quia totum votum in ipsius arbitrium collatum est; nec vlla lege cogitur illud approbare. Denique suo Iure vtitur, siue probet siue improbet. Ita docet Paludanus in 4. d. 38. quæst. 4. art. 2. Siluestet, Votum. 4. quæst. 2. Angelus, Votum. 2. num. 10.

70 Dices, Irritare votum alterius sine causa, saltem est actus otiosus, quia caret fine honesto: ergo est peccatum saltem veniale. Confirmatur Numer. c. 3. v. 16. vbi dicitur, *Sin autem contradixerit, postquam resciuit, portabit ipse iniquitatem eius.*

Responderi potest, Non esse propriè opus otiosum; quia non caret fine honesto, eo tempore, quo tenetur illum habere. Ad Confir. dicetur, Ibi agi de marito, qui sciens votum vxoris, diu dissimulauit, & postea contradixit; cùm tamen statim id facere debuisset. *Hic portabit iniquitatem vxoris,* quia voti violatio materialis non imputabitur vxori, sed marito, qui pro illa punietur; vel quia impediuit voti validi executionem, vel quia votum in irritum reuocauit quando id ei minimè licuit; etsi valida voti irritatio fuerit. Crediderim tamen, non excusari à peccato veniali, si absque vlla causa solo arbitratu suo votum subditi in irritum reuocet. quia sine causa bonum opus alterum impedire velle, vituperabile est & malum. cùm enim alia causa non subest, videtur ex displicentia operis fieri quòd obligationem ad illud elidat.

71 Porro votum semel in irritum reuocatum, numquam reuiuiscit, etiamsi Superior facultatem tribuat exequendi, & suam irritationem retractet: quia obligatio per veram irritationem non suspenditur, sed extinguitur. Secùs est, quando non est vera irritatio, sed dumtaxat suspensio executionis, vt fit in votis Nouitiorum, & in votis coniugis emissis ante contractum matrimonium. Ea enim vota non possunt irritari, sed solùm suspendi: quia emissa sunt ante subiectionem, cùm persona adhuc esset sui iuris. tunc enim cùm nec voluntas personæ vouentis, nec materia esset alteri subiecta, contracta est obligatio absolutè & independenter à consensu alterius; & ita non potest ab eo irritari. Secùs verò in iis quæ emittuntur quando vel voluntas personæ, vel materia est perfectè subiecta alteri. quia tunc non potest obligatio contrahi per actum vouendi, nisi sub tacita conditione consensus alterius; vt infrà magis constabit.

Non reuiuiscit.

Petes, Quomodo scietur, sitne irritatio an suspensio dumtaxat? Qui enim potest irritare, potest etiam suspendere. 72

Respondeo, Id ex ipsis verbis colligendum esse. Si enim is qui potestatem irritandi habet, dicat se irritare vel dissoluere votum alterius, vel nolle vt voto obstrictus sit, non est dubium, quin sit vera irritatio. Similiter si ille sciens votum, dicat, Nolo id facias. quia cùm non restringat ad tempus, absolutè denegat executionem: vnde videtur simul tollere obligationem. Si autem non sit conscius voti, etsi deneget executionem operis, non ideò censetur irritare; quia voluntas non fertur in incognitũ; imò nec suspendere ob eamdem causam. si enim sciret votum, fortè non prohiberet executionem. itaque teneris ei aperire vt probet, vel irritet, vel suspendat, prout ei visum fuerit. In dubio, censenda potiùs est suspensio quàm irritatio: quia votum est veluti in possessione obligandi; vnde pro voto interpretatio facienda. Porrò quod ad irritationem attinet, difficultas est de tribus votorum generibus: Religiosorum, Impuberum, & Coniugum. de quibus sint tres dubitationes sequentes.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm Prælatus possit omnia vota Religiosorum sibi subditorum irritare.

SVppono, Religiosos validè & meritoriè posse multa vouere; nempe ea, quæ regulæ vel Superioris præcepto non repugnant: quia vouere per se est opus consilij, & aliàs non est Religiosis prohibitum. Vnde obligantur etiam antequam Superior consentiat, aut resciscat, vt rectè Paludan. in 4. d. 38. qu. 4. art. 2. Siluest. Votum 3. q. 3. Caiet. qu. 88. art. 8. Sotus lib. 7. de Iustitia, qu. 3. art. 1. Nauar. cap. 12. n. 67. & alij passim. 73 *Possunt vouere.* *Valet antè consensum Superioris.*

Dices, Cap. 2. Monacho, 20. quæst. 4. dicitur; *Monacho non licet vota vouere sine consensu Abbatis sui; si autem vouerit, frangendum erit.* Confirm. Quia Monachus non habet propriam voluntatem, sed eam transtulit in Abbatem. Ob hoc argumentum Richardus distin. 38. circa quartum principale qu. 1. Maior eadem distinct. qu. 4. & Angelus Votum, 2. §. 3. putant Monachum non posse vouere sine Abbatis consensu, & ante illius consensum votum non habere vim. Sed quod diximus est verius.

Vnde Respondeo, Canonem illum esse dubiæ auctoritatis: non enim est alicuius Pontificis aut Concilij: neque est S. Basilij Magni; (etsi Gratianus id insinuet) quia in toto Basilio non est nomen Abbatis. Dici tamen potest cum Glossa, cap. illud intelligendum de voto abstinentiæ, quo scandalizantur ceteri. Ad confirmationem: Monachus non ita transtulit suam voluntatem in Superiorem, quin in multis, quæ Superior non vetuit, sui sit arbitrij.

Aduerte tamen, si vouisti aliquid regulæ repugnans, (vt orare ea hora in templo, qua debes esse in cubiculo) non posse te votum exequi antequam Superior consentiat, & in regula dispenset. Vnde teneris tale votum Superiori indicare: ad hoc enim censeris te tacitè obligasse; alioquin frustrà *Si regulæ repugnet.*

factum

factum esset. quòd si illud ita voueris, vt clàm Superiore intendente exequi, est irritum; quia materia prohibita. Si autem vouisti aliquid, quod initio non erat prohibitum, postea tamè prohibetur; non potes exequi eo tempore quo durat prohibitio: cessante tamen prohibitione, rursus teneris, & voti obligatio reuiuiscit, quia non fuit irritatum à Superiore; (cùm ignarus voti, id non intenderit) sed solùm consopitum ob mutationem materiæ.

Si materia mutetur.

74 *Caietan.* His positis, sunt duæ sententiæ DD. Prior est Caietan. art. 8. omnia vota Religiosorum à Prælato irritari posse, præter ea quæ sunt de rebus necessariis; vt sunt illa quibus vouetur euitatio alicuius peccati venialis vel mortiferi contra præceptum Dei; vt non mentiri, non peierare: & præter votum transeundi ad Religionem arctiorem. Quòd autem hæc irritare nequeat, causa est, quia materia nullo modo est ei subiecta. neque enim potest præcipere contrarium, aut materiam reddere illicitam, neque potest aliquid imperare, quod executionem materiæ impediat. Hæc sententia est valdè probabilis.

75 *Omnia posse in irritum reuocari, &c.* Altera est, Omnia absolutè irritari posse à Prælato præter votum Religionis arctioris. Ita Angelus Votum, 2. num. 3. Siluest. Votum, 4. q. 2. Sotus suprà. Nauar. nu. 65. & alij, estque ferè communis. Hæc sententia videtur verior, & colligitur ex D. Thoma art. 8. ad 3. vbi docet, *Nullum votum Religiosi esse firmum nisi de consensu Prælati*; etsi Caietanus id solùm intelligat de voto, quod sit de opere consilij, non præcepti. Probatur, Quia voluntas Religiosorum debet esse perfectè subiecta & dependens à voluntate Superioris, in omnibus quæ ad vitæ directionem pertinent: ergo etiam in nouis obligationibus suscipiendis. Sed hæc ratio non videtur firma; ex ea enim sequeretur, Superiorem posse præcipere vel prohibere actus meè internos, quod tamen communiter negatur. Vnde non puto id validè posse probari ex natura rei, siue professionis, siue status Religiosi; (nihil enim horum tantam subiectionem vel dependentiam voluntatis postulat) sed causa referenda est in dispositionem Iuris. sicut enim ex dispositione Iuris in omnibus votis impuberum est tacita conditio, *Si parens vel tutor non contradixerit*: ita in omnibus votis Religiosorum ex eiusdem Iuris dispositione videtur inesse hæc tacita conditio, *Nisi Prælatus contradixerit*, vt docet D. Thomas q. 88. ar. 8. ad 4. Habet enim Ecclesia potestatem ita statuendi in votis & iuramentis, quando iusta causa subest: sicut potestas ciuilis potest præscribere formulas in contractibus, & apponere conditiones, quæ semper intelligi censeantur, etiamsi à contrahentibus additæ vel cogitatæ non fuerint. Subest autem hîc iusta causa: quia vt melius Religiosi in via spirituali à suis Prælatis dirigantur, expedit vt in omnibus à directione ipsorum pendeant; nec possint se nouis obligationibus etiam circa materiam præceptam ita implicare, quin Prælatus possit eas tollere. Simili modo, quia expediebat, eos qui nondum annos pubertatis impleuerunt, in omnibus dirigi à parentibus, vel iis qui ipsis loco parentum sunt, (eò quòd sæpè iudicium illius ætatis non sit satis maturum) statuit vt omnia illorum vota & iuramenta promissoria haberent tacitam conditionem, *Si parens non contradixerit*, vt infrà hoc capite num. 78. & cap. 42. num. 61. dicetur.

Sed vnde constat, Ecclesiam ita de votis Religiosorum statuisse?

Respondeo, Id colligi ex vsu ipso, & praxi recepta in Religionibus; quæ non potest aliunde quàm ex Ecclesiæ concessu prouenire.

Excipitur tamen votum arctioris Religionis; quia Iura concedunt hunc transitum, etiam inuito Superiore; ac proinde non intendunt tale votum in illius arbitrio constituere. Absurdum enim videtur, vt illud votum in arbitrio Superioris ponatur, per quod extra illius potestatem est constituendus. Confir. Quia neque ratione materiæ subest hoc votum arbitrio Prælati, vt constat; neque ratione personæ, quia persona per executionem voti desinit esse subdita, & non ampliùs ad Prælatum pertinet.

Votum arctioris Religionis.

Petes Primò, Vtrùm postquam Prælatus consenserit in votum, possit illud irritum reddere. Richard. distinct. 38. circa 4. princip. qu. 3. & quidam recentiores negant. Ratio ipsorum est, Primò, quia postquam Prælatus consensit, non ampliùs votum est pendens, sed transit in absolutum: tacita enim conditio, quæ inerat voto, est impleta. ergo Prælatus nihil ampliùs habet, quod circa illud agat. Secundò, Si subditus ex consensu Prælati aliquid homini promittat, non potest reuocari: ergo neque si Deo. Iuxta hanc sententiam dicendum est, votum Prælato vetante & impediente solùm suspendi, donec impedimentum istud tollatur: quo sublato, vouentem teneri in futurum, si votum ad illud tempus se extendebat.

76 *An post consensum possit irritare.*

Contraria tamen sententia videtur communior & probabilior; quamuis si absque iusta causa id faciat, peccet. Tenet Panormit. in cap. Charissimus. num. 4. de conuersione coniugatorum. Siluest. Votum, 4. qu. 2. Caietan. artic. 8. Nauarrus num. 61. Sotus lib. 7. qu. 3. artic. 1. Fumus v. Votum, nu. 12. & alij. Probatur Primò, ex D. Augustino qu. 59. in Numeros, vbi apertè docet, vxorem non teneri ampliùs voto, si vir contradixerit, etiamsi concesserat antè illud impleri. Loquitur autem D. Augustinus de votis ieiuniorum, & similibus, in quibus vir est caput mulieris. idem ergo dicendum de omnibus Superioribus. Secundò, Quia Superior. per consensum priorem non desinit esse Superior, nec censetur amisisse ius illud, quod habet in subditum, quoad illam actionem. si ergo Superior illam vetet, inferior tenetur obedire. Tertiò, Si sit iusta causa, Superior potest irritare: atqui non est inferioris, discutere an talis causa subsit; ergo quandocumque Superior irritauerit, potest inferior se absolutè censere liberum. Quartò, Successor potest irritare votú Religiosi, in quod Prælatus decessor consenserat, vt ipsi fatentur: ergo idem poterat ipse decessor, dum adhuc præest: non enim minùs pendebat à priore Prælato, quàm à posteriore, nec minor est potestas prioris quàm posterioris.

Nec refert, Etiamsi Superior, quando consensit in votum, dixerit se ea in re cedere iure suo, se eximere subditú ea in re à sua iurisdictione; quia inefficax est ea cessio & exemptio, si alter manet verè subditus. vnde tenetur obedire si contrarium imperet. Etsi enim Superior mediatus possit subditum à potestate Superioris immediati partim eximere, & partim illi subiicere: non tamen id potest respectu potestatis suæ, quia potestatem suam non habet à se, sed ab alio; nec facultatis

Si cessit suo iure.

eius

eius est aut arbitrij, illam partiri, minuere vel augere. Si tamen subditus in ea actione efficeretur sui iuris, & omnino independens à Superiore, tunc Superior non posset validè irritare.

Similiter non refert, etiamsi votũ collatum sit in tempus quo ampliùs nõ erit subditus; quia nihilominùs manet subiectus quoad personam; nec per executionem voti est eximendus. Vnde DD. hunc casum non excipiunt, sed generatim loquuntur.

Peccabit mortiferè.

Peccabit tamen Superior mortiferè, si absque iusta causa votum in quod consenserat irritet; vt rectè docet Caietanus ar.8.dub.3. & Panormit. in cap.Charissimus. 11.num.4 de conuers.coniugat. & alij. Idem docet D. Augustinus suprà ex illis verbis Numer. 30: *Portabit ipse iniquitatem eius*, id est, viro imputabitur violatio voti, non mulieri. Ratio est, Quia etsi materia sit viro subiecta, & in eius potestate, tamen ex eius consensu est Deo obstricta. ipse autem impedit ne Deo offeratur. Itaque si materia sit talis, vt violatio voti sit mortifera; irritatio quoque absque causa, mortifera erit. Huius tamen successor qui in votum non consensit, non videtur peccare tale votum irritando: quia cùm non consenserit in illud, non est cur obligetur non irritare. sicut enim iuramentum & votum prioris Superioris, quo promisit non reuocare facultatem inferiori à se concessam, non obstringit successorem; ita nec consensus in votum inferioris. quia hæc obligatio personalis, nec transit in successorem. Confirm. cap. Noluit.33.q.5.ex D.August.qu.59. super Numeros. vbi D. August. apertè insinuat, maritum posse elidere votum quod vxor in puellari ætate cum consensu patris emiserat; & DD. ibi notant id posse absque peccato.

An successor peccet.

Dices, ibi agi de suspensione, non autem de irritatione. Sed si potest suspendere, cur non & irritare, quando votum tale est vt à successore irritari possit? non enim in illud consensit; si enim consensisset, ne quidem suspendere posset absque iusta causa; sicut nec parens, qui consensit, suspendere potest. Sicut ergo prior Superior, quia consensit, absque causa iusta nec irritare potest nec suspendere; ita successor, quia non consensit, vtrumque poterit pro suo arbitrio.

77 *Ad rationes.*

Ad primam rationem pro sententia Richardi: Non ita fit illud votum absolutum, vt à nulla ampliùs conditione dependeat; alioquin non posset irritari à Prælato successore. Itaque manet in illo hæc tacita conditio, Nisi aliquando Superior contradixerit: idque meritò, quia non decet vt sit litigium inter subditum & Superiorem in iis, in quibus aliàs ille Superior est.

Ad secundam, neganda consequentia: promissio enim homini facta ex consensu Superioris, validè reuocari à Superiore non potest; vt rectè docet Sancius lib. 9. de matrim. disput. 4. contra Arragon. 2.2.qu.88.ar.8. Ratio est, Quia in regendo subdito non sustinet locum illius hominis, vt quasi vice illius ius illi acquisitum possit remittere: regit tamen illum loco Dei, & ita potest tollere obligationem, quam ille sibi erga Deum imposuerat. Non tamẽ potest subditus repugnante Superiore exequi quod homini sic promisit; quia traditio rei & executio à Superioris nutu adhuc pendent.

78 Petes Secundò, quando Superior censeatur consentire in votum subditi. Resp. Non sufficere taciturnitatem & dissimulationem, quamuis sciat votum, nam potest id facere vt videat successum, vel vt maturiùs deliberet: & nihil est quod illum vrgeat statim consentire vel dissentire. imò etiam cùm expresè petitur consensus vouendi, sæpè differt responsum. Pari modo non sufficit vt faciat subdito potestatem operis, si votum ignorat. quia etsi consentiat vt aliquod opus facias; non ideò consentit vt nouam tibi obligationem ad illud faciendum imponas. Si voti est conscius, & consentit in opus, præsumitur consentire in obligationem voti: quia ideò videtur consentire vt votum impleas. si non intenderet per hoc approbare votum, non confirmaretur. Sufficit etiam consensus Superioris in votum, etiam si subdito non innotuerit. quia non requiritur acceptatio subditi, sicut in promissione, donatione, & contractibus. siue enim subditus acceptet illum consensum, siue repudiet, si Superiori placet votum, verè ratificatur. Imò sufficit ad hoc consensus internus, vt rectè docet Sancius lib. 9. de matrim disput. 40. Ratio est, Quia iste consensus primariò non respicit subditum, sed Deum, cui ius acquiritur. sicut si meus subditus tibi aliquid promittat sub meo beneplacito, & ego tibi clàm insinuem mihi placere, ille obligabitur, nec potero reuocare. Econtrariò si Superior fictè consentiat, exteriùs concedens, & interiùs contradicens, non ratificabitur; sed posteà liberè poterit irritare.

Quando censeatur consentire.

Petes Tertiò, Vtrùm sicut votis Religiosorum Iure inest tacita conditio, *Nisi Superior repugnauerit*, ita possit quis statuere vt suis votis similis conditio insit respectu confessarij. 79

An in propriis talis conditio.

Respondeo, Quadam ratione id fieri posse; vt si quis ad vouendum procliuior, protestetur coram Deo se nullum votum velle absolutè esse firmum, nisi confessarius illud approbauerit. Quod confirmatur, Quia potest quis ita statuere de promissionibus faciendis homini, præsertim si hanc suam ordinationem explicet illi, cui promissio facienda est; ergo etiam de promissionibus faciendis Deo. Itaque tale votum poterit à confessario irritari: nisi vouens renuntiauerit illi conditioni, seu nisi à priore mente recesserit: quod non censetur fecisse, nisi expresè intenderit; vel nisi ita affectus sit dum vouet, vt etiamsi recordaretur illius conditionis, nollet eam in hoc voto locum habere; imò illam ex vi illius affectus excluderet. quibus euentis votum censebitur absolutum, nec confessarius poterit irritum reddere.

Addo, Neminem posse vllo proposito vel protestatione votis futuris eam conditionem apponere, quin posteà, si velit, possit eam reuocare, & absoluta vota facere; nisi fortè se alteri quoad materiam voti anteà per obedientiam subiecerit, ita vt ea in re non ampliùs sit sui iuris; quia quamdiu manet sui iuris, potest prius propositum mutare, & absolutè absque vlla ad alterum dependentia se obstringere.

Petes Quartò, Vtrùm vota Nouitiorum possint à Prælato irritari. Respondeo, Non posse irritari; siue emissa sint ante ingressum, siue in ipso Nouitiatu. Ratio est, Quia nec ratione imperij in voluntatem personæ, nec ratione materiæ sunt illi subiecta, cùm Nouitij adhuc sint sui iuris. Quòd si, cùm vota fecerunt, suberant parentibus vel curatoribus, qui ea potuissent irrita reddere, poterit etiam Prælatus, qui in potestatem parentum & 80

Vota Nouitiorum.

curatorum ad regendam illorum voluntatem succedit; vt infrà dubit. 15. dicetur. Possunt tamen vota illorum, cùm irritari nequeunt, à Prælato suspendi; quia subest iusta causa differendi executionem, cùm satis grauentur exercitiis probationis. quod intellige quando executio voti est impedimento probationi; aliàs non possunt, vt docet Siluest. Votum, 4. qu. 7. ex Paludano. Vnde vota realia non possunt à Prælato suspendi: possent tamen huiusmodi vota commutari in onera Religionis à Prælato vel Confessario, & vt quibusdam videtur, etiam ab ipso Nouitio; quia est commutatio in id quod apertè melius est. Hoc tamen casu tenebitur ex voto ad ea opera, in quæ commutatio facta fuerit.

Potest nihilominùs Prælatus in votis Nouitiorum dispensare; quia in illos habet iurisdictionem quasi episcopalem: non enim decet vt in difficultatibus, quæ Nouitiis in probatione occurrunt, adeatur Episcopus. ita Sancius lib. 9. disput. 39. Imò potest Prælatus dispensare cum Nouitio vt promoueatur ad sacros Ordines, vt docet Siluest. v. Dispensatio, num. 20. Et Angelus eodem, num. 8. & apertè constat cap. Monachus, d. 77. Vnde colligit Sancius, posse cum Nouitiis dispẽsare in iis, in quibus cum professis. Imò potest cognoscere & iudicare eorum crimina etiam grauia, vt homicidia, adulteria tempore Nouitiatus perpetrata, vt docet Azorius libro 12. cap. 2. q. 11. ex Nauarro. quia fauore Religionis exempti sunt à ciuilibus magistratibus. Potest etiam Episcopus in votis Nouitiorum dispensare, sicut in votis sæcularium; quia nondum ab eius iurisdictione planè exempti.

Quando votum fuit dumtaxat suspensum, reuiuiscit obligatio, si contingat illum egredi ante professionem. Si professionem fecerit, omnia ex dispositione Iuris commutantur in votum professionis, vt infrà num. 106. dicetur.

81 *Vota Laicorum.* Ex dictis respondeti potest ad dubium illud, Vtrùm Summus Pontifex omnia vota laicorum irritare possit. Videtur posse, quia est omnium Superior; ac proinde eius auctoritas vbique videtur excepta.

Sed hæc sententia non est probabilis. vnde contrariam tradit D. Thomas q. 88. ar. 2. ad 2. & Caietan. ibid. dub. 2. circa resp. ad 2. & alij passim. Probatur, Quia neque ratione materiæ omnia vota sunt illi subiecta; neque ratione subiectionis personæ. Non ratione materiæ; quia non omnia negotia priuata & publica singulorum, nec omnia bona opera, siue præcepti sint siue consilij, ab ipsius arbitrio pendent, sed ea tantùm, quæ totam Ecclesiam spectant. Vnde non potest impedire ne laicus ieiunet, ne peregrinetur, oret, humi cubet, eleëmosynam largiatur, &c. Non ratione subiectionis personæ; quia non ita sunt illi subiecti vt habeat dominium in eorum voluntatem, possitque in omnibus illam regere, sicut Prælatus regularis regit voluntatem suorum subditorum. alioquin laici non minùs essent subiecti Pontifici in regimine vitæ, quàm religiosi suis Prælatis: & pro suo arbitrio posset, etiam sine causa, vota Religionis & castitatis in irritum reuocare. Itaque in votis illorum non inest illa tacita conditio, quæ eius consensum respiciat. Idem dicendum de votis Clericorum sæcularium: nisi materia voti ab ipsius arbitrio & dispositione pendeat. Vt si voueat quis resignare beneficium suum in fauorem Monasterij: si Episcopus voueat longam peregrinationem, aut ingredi Religionem, aut non egredi suam diœcesim.

DVBITATIO XIV.

Vtrùm vota impuberum possint irritari, & à quibus.

82 *Vota impuberum.* *Pater & tutor.* RESpondeo & Dico Primò; Vota omnia impuberum, (id est marium vsq; ad annum 14. expletum, feminarum vsque ad 12. expletum) irritù reuocari possunt à patre. Colligunt id DD. ex c. 14. Mulier. 32. q. 2. & ex c. 1. de Regularibus in 6. & cap. Ad nostram. 8. extrau. eodem. est communis sententia. Idem dicendum de *tutore*, qui pupillo est loco patris. Mater tamen non potest, nisi mortuo patre sit loco tutoris; quia non ipsa, sed tutor habet patriam potestatem. Quidam putant idem posse magistrum vel herum, si pupillus parẽtibus & tutoribus careat; quia est loco patris: quod videtur rationi consonum. Ratio cur Iura sic statuerunt est, quia ante illud tempus non præsumuntur passim habere satis iudicij vt maturè de huiusmodi rebus statuere possint. itaque ne imprudenter se votis inuoluant, voluit Ius omnia illorum vota esse subiecta potestati eorum, quibus subsunt; per tacitam conditionem, quæ votis insit.

83 *An post tempus pubertatis.* Petes Primò, An hæc vota post illud tempus irritari ab iisdem possint? Sotus lib. 7. q. 3. ar. 2. putat non posse; quia iam non ampliùs illis ita subsunt. sicut dominus votum serui emissum in seruitute, non potest irritum reddere post seruitutem; cò quòd iam sit extra ipsius potestatem.

Verius est posse irritari. Sed contrarium est verius. Ita tenet Caietanus q. 189. ar. 5. & Nauar. cap. 12. num. 71. Lopez p. 1. c. 48. & alij. Ratio est, Quia illud votum ex interpretatione Iuris erat conditionatum; nempe *si parens vel tutor non contradixerit.* quam conditionem per tractum temporis non amisit. supponimus enim, nullam circa ipsum votum mutationem esse factam, neque illud in ætate pubere fuisse ratificatum. Itaq; cùm conditio adhuc maneat, & firmitatem voti quasi suspensam teneat; si parens nolit esse firmum, desinet obligatio.

Nec obstat quòd filius habuerit intentionem seruandi, aut postea fortè illud renouauerit; quia hæc omnia ex errore prouenerunt, quo putauit votum suum ab initio firmum absolutè fuisse; vnde non sufficiunt ad ratificandum. Vt enim quis censeatur aliquid ratificare, necesse est vt sciens esse inualidum, velit esse validum; vel si nihil de ea re sciat, vt saltem intendat illud confirmare etiam eo euentu quo inualidum fuisset; vt rectè docet Nauarrus ex Caietano suprà. *Ratificatio.*

Ad rationem Soti. Ad rationem Soti Respondeo, Esse disparem rationem: nam dominus solùm potest irritare votum serui, quatenus officit illius obsequiis; non quia iudicium illi non satis maturum. vnde quando non ampliùs potest officere, non potest irritare. vota autem impuberum possunt irritari, quia ea ætate emissa, quæ sæpè iudicij maturitate caret; quæ qualitas semper manet in illis votis, nisi de nouo confirmentur.

84 *Vota collata in tẽpus pubertatis.* Petes Secundò, Quid dicẽdum de votis impuberum, quæ conferuntur in tempus pubertatis; vt si voueant aliquid exequendum cùm adoleuerint.

Respon-

Respondeo, Hæc eodem modo irritari posse. Ita sentit Silu. Votum.4 q.2.& Religio 2.n.15.ex Panormit. in cap. Scripturæ 4. de voto & voti redemp. Nauarr.num.67. Sotus lib.7.quæst.3.ar.2. Ratio est, quia omnia vota impuberũ habent tacitam conditionem ex dispositione Iuris, ob ætatis illius imprudentiam, quæ in omnibus illorum votis locum habet. Idem dicendum de votis Religiosorum, quæ referuntur ad tempus, quo non fuberunt Prælato; quia hæc vota in fauorem Religionis similem conditionem habent, vt antè dictum est, & tenent Auctores prædicti.

85 *Vota puberum.* Dico Secundò, Vota puberum, (id est, quæ nuncupata sunt post annum 14. impletum in mare, & 12. in femina) non possunt à parentibus irrita reddi, nisi quatenus disciplinæ familiæ, & patriæ potestati obsunt. Horum enim vota solùm subsunt parentibus ratione materiæ, non ratione dominij in voluntatem. Itaqué votum Religionis, castitatis, sacrorum Ordinum, certarum precũm, confessionis, communionis, & similia, irritari non possunt. Secùs de votis ieiuniorum, præsertim multorum, peregrinationum, & similibus; quia hæc ad gubernationem domesticam pertinent. Realia quoque irritari possunt (nisi fortè habeant bona castrensia vel quasi castrensia) non solùm à parente, sed etiam à curatore vsque ad vigesimum quintum ætatis, quia ante illud tempus non habent administrationem. Ita Silvest. Votum.4.q.2. Nauar.num.64. Lopez c.47.& alij. secùs tamen est de votis realibus relatis in tempus, quo erunt sui iuris: quia non officiunt administrationi curatorum.

86 *Vota seruorum.* Dico Tertiò, Vota seruorum seu mancipiorum irritari possunt à domino, quatenus eius obsequio possunt esse impedimento, vt votum peregrinandi, recitandi horas canonicas. Si ante seruitutem, cùm essent sui iuris, emissa sint, non possunt irritari propriè, sed suspendi. Si non impediunt, non possunt; vt votum castitatis, votum se non inebriandi, signandi se cruce, commendandi se Deo, &c & omnia illa, quæ referuntur ad tempus finitæ seruitutis.

Votũ serui complectitur tempus libertatis & seruitutis. Petes, Quid si ad vtrumque tempus referatur? vt si seruus voueat toto tempore vitæ recitare officium diuinum. Silvest. Votum.4. qu. 2. §. Quintum, putat tale votum posse simpliciter à domino irritum reddi, sicut professio viri inuita vxore facta, est ita irrita, vt ne post mortem quidem illius teneatur ad Religionem redire; vt patet cap. Quidam, de conuers. coniugat. & cap. Placet nobis, eodem.

Sed verius est, non posse irritari nisi pro tempore, quo domino erit subiectus; quia solùm illo tempore potest domino obesse: nihil autem ad dominum pertinet, quid posteà acturus sit.

Ad argumentum Siluestri Respondeo, Qui profitetur inuita vxore, non obligatur post mortem ingredi: quia id nullo modo promisit aut intendit; non enim mens ipsius erat, vt si nunc impediretur, teneretur ingredi vxore mortua, iam senex factus. Neque dici potest, eum teneri ratione professionis; quia hæc Iure fuit inualida, vxore nolente consentire: nemo enim potest donare quod est alterius. Vnde etiam non tenetur ad pauperatem & obedientiam Prælati; quia hæc non habent locum nisi in Religione; nec alia ratione intendit se ad illa obstringere. Ad castitatem tamen tenetur ex interpretatione Iuris, quia hanc vouere poterat inuita vxore. Vnde Ius præsumit illum voluisse hanc absolutè vouere. itaque non potest petere debitum: & post mortem vxoris non potest aliam ducere. Secùs tamen in conscientia, si non fuit animus se obstringere ad castitatem nisi in statu religioso. quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis. Tenetur tamen petenti reddere; quia contrarium promittere non poterat sine ipsius consensu. at iste, de quo agimus, directè vouet facere perpetuò, id est, in seruitute & post. vnde pòst tenebitur voto; quia nemini obest: sicut ille post mortem vxoris tenetur seruare continentiam.

Dvbitatio XV.

Vtrùm coniunx possit omnia vota coniugis irrita reddere.

NOtandum est, vota coniugum, de quibus hîc agitur, posse esse emissa vel ante coniugium initum, vel post coniugium ante consummationem, vel matrimonio iam consummato. Rursus, vel eo tempore quo coniunx iam est sui iuris, vt quando alter commisit adulterium, aut damnatus est hæreseos, vel quando coniugi est obnoxius. Denique vel ita sunt emissa, vt sint exequenda constante matrimonio, vel collata sunt in tempus, quo vouens erit sui iuris. 87

Maritum posse omnia irritare. His positis, multi DD. sentiunt maritum posse irritare omnia vota vxoris constante matrimonio emissa, & implenda; sicut Prælatus potest irritare omnia vota Religiosi, & parens omnia vota puellæ impuberis. Ita expressè videtur tenere D. Thomas qu.88. artic.8.ad 3. *Nullum*, inquit, *votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec vxoris, nisi sit de cõsensu viri.* Idem docent Panormit. in cap. Charissimus. 11. num. 5. de conuers. coniugat. Sotus lib. 7. de Iustitia qu. 3. art. 1. Abulensis in cap. 30. Numerorum, qu. 80. Lopez p. 1. cap. 47. dicit esse satis tutam. Eamdem vt probabiliorem tenet Sancius libro 9. disput. 39. & citat pro ea multos recentiores viros doctissimos. Probatur Primò, Quia vir est caput vxoris in omnibus præterquam in actu coniugali. ad Ephes. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Secundò, probari potest ex D. Augustino q. 59. super Numeros, & Scriptura ipsa c. 30. Numerorum. Nam eodem modo loquitur de voto vxoris, & puellæ quæ est in domo parentum; & vult neutram vllo voto teneri, si ille cui subsunt contradixerit. Tertiò, Quia consentaneum erat, Deum ita constituere ob leuitatem, inconstantiam, & imprudentiam sexus muliebris, qui se facilè votis implicat.

Est probabilis. Hæc sententia est satis probabilis; & ex ea sequitur Primò, maritum etiam irritare posse votum cõtinentiæ vxoris suo consensu factum. excipe tamen nisi ipse expressè cesserit iure petendi; aut nisi mutuo consentu & ex pacto vtrimque sit emissum, vt infrà dicetur. Confirmari potest ex loco illo Num. 30. Nec obstat, quòd ibi agatur de votis abstinentiæ: quia votum continentiæ est votum 88 *In voto cõtinentiæ.*

abstinentiæ, vt docet Panormitanus in d. c. Charissimus, num. 5. idque probat ex cap. 24. Situ abstines. 27. quæst. 2. ergo cùm Ius diuinum & humanum det marito plenum ius in votis abstinentiæ, etiam dat in voto continentiæ. Confir. Quia vxor subiecta est viro non solùm ratione materiæ, sed etiam ratione directionis voluntatis; ne nouis obligationibus sese sua imprudentia & leuitate implicet, etiam circa materiam viro non subditam.

In voto de necessarijs. Secundò, Posse etiam irritare votum de rebus necessarijs seu præceptis, vt de non mentiendo, non fornicando, de audiendo Sacro, & similia: ob eamdem causam, quia subest illi quoad directionem voluntatis.

In voto relato in futurum. Tertiò, Idem dicendum quando executio voti refertur in tempus, quo nec materia nec persona erit coniugi subiecta. Sufficit enim vt eo tempore quo votum fit, persona sit plenè subiecta: tunc enim obligatio contrahitur, ac proinde à marito pendet eius confirmatio vel irritatio. Nec refert etiamsi sit votum castitatis vel Religionis; nam eadem est ratio, vt supradicti Auctores docent.

Hæc sententia, vti dixi, in praxi est probabilis.

89 *Contrariũ verius.* Verùm contraria videtur verior & probabilior, Ea tantùm vota vxoris à marito irritari posse, quæ vel iuri eius incommodant, vel ad familiæ administrationem pertinent. Ita expressè docet Angelus, Votum, 2. num. 8. Siluest. Votum, 5. num. 2. & 3. Nauarrus cap. 12. Enchiridij, num. 64. citans Angelum & Siluestrum. idem docet D. Antoninus p. 3. tit. 1. cap. 22. in principio, & passim Canonistæ.

Probatur Primò, Quia vxor non est subiecta viro, sicut subditus Prælato, aut impubes patri, sed sicut socia minor maiori. Nec est ea iudicij tenuitate, vt in omnibus à viro dirigi debeat, sicut impubes à patre. Secundò, Quia si tanta esset subiectio vxoris erga virum, id proueniret ex Iure illo quod habetur Numerorum 30. vnde Doctores hanc sententiam maximè probare solent. sed hoc Ius est cærimoniale vel iudiciale, pertinens ad politiam illius populi; ac proinde cessauit per mortem Christi, nec vllam modò vim habet. Confirm. ex alijs, quæ ibidem habentur. Non enim est lex naturæ, vt pater posset omnia vota puellæ, quamdiu in eius domo manet, irrita reddere: neque vt sola taciturnitate parentis vel mariti vota firmentur; neque vt votum ratum sit, si statim non contradixerint. est igitur ista lex cærimonialis. Adde, loco illo Num. 30. agi tantùm de votis abstinentiæ quarumdam rerum, vt colligitur ex fine cap. & ex D. Augustini explicatione. Neque sub nomine *abstinentiæ* ibi videtur posse comprehendi *continentia*; quia tunc non erat tempus continendi. Idem expressè docet Gratianus 33. qu. 5. cap. fin. Confirm. Secundò, Quia Ius naturale non dictat tantam subiectionem vxoris ad virum, cùm non solùm sit subdita, sed socia etiam in familiæ administratione, etsi viro subordinata. Imò nec in Religiosis, nec in impuberibus, lex naturæ tantam subiectionem, nec tantum dominium in ipsorum voluntatem Prælato aut patri concedit. Vnde & illa distinctio quæ est in votis puberum & impuberum (de qua suprà dub. 14.) non est ex lege naturæ, sed ex Iure positiuo.

90 *Ad rationes.* Nec obstat, quòd *vir sit caput mulieris*; & quòd Apostolus ad Ephesios 5. præcipiat vt *mulieres viris suis subiectæ sint in omnibus, sicut Ecclesia Christo.* Hæc enim commodè intelligenda sunt, nimirum in ijs quæ ad familiæ administrationem pertinent. In ijs enim quæ pertinent ad actum coniugalem, non est ipsa magis subdita viro, quàm vir ipsi; itaque est viro par. Simili modo Apostolus ad Tit. 2. monet *seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, & in omnibus bonam fidem ostendentes*: non tamen idcircò dominus omnia seruorum vota irritare potest, sed solùm quæ iuri ipsius officiunt. Deinde in multis vxor non est subdita viro, nec tenetur ei morem gerere, nisi ratione scandali; vt vitentur odia, lites, blasphemiæ. Nullo enim Iure potest ei maritus prohibere ne det eleëmosynas de suis paraphernis, vt inquit Angelus & Siluester suprà, aut ne interdum det eleëmosynas de bonis communibus; ne moderatè corpus domet, ne vespere & manè oret. poterit ergo hæc vouere, & exequi, etiam inuito marito. Cauere tamen debet ne hæc faciat cum ipsius scandalo: & huc maximè spectat Apostolus, cuius sententia non habet vim præcepti, nisi ratione materiæ vel scandali.

Itaque vir non poterit irritare vota vxoris de rebus præceptis, vt de non omittendo Sacro diebus festis, de non mentiendo, &c. neque ea quorum executio refertur ad tempus soluti matrimonij; quia nullo modo ipsius iuri incommodant; neque vota certarum precum, aut eleëmosynarum de rebus quarum integram habet administrationem. potest tamen vota ieiuniorum, præsertim quibus posset fieri ineptior ad vsum matrimonij, peregrinationum, humi cubationum, habitus simplicioris, &c.

Vt autem hæc omnia distinctiùs explicentur, 91

Vota ante matrimonium edita. Dico Primò, Vota quæ facta sunt à muliere ante matrimonium initum, non possunt posteà à viro irritari propriè, sed solùm suspendi. Ratio est, Quia quando obligatio est contracta, ipsa erat sui iuris; neque ratione materiæ, neque ratione gubernationis voluntatis viro subdita. vnde non habebant tacitam illam conditionem, Nisi maritus contradixerit. quare non possunt ab eo irritari; nisi irritatio accipiatur latè, vt comprehendat etiam suspensionem, vt sæpè accipitur à DD. Possunt autem suspendi, vt apertè colligitur cap. 15. Noluit. 33. qu. 5 ex D. Augustino q. 59. in Exodum. Ratio est, Quia executio potest esse viro molesta; & non decet vt ea fiat ipso repugnante: soluto tamen matrimonio, vel vxore sui iuris effecta, reuiuiscit vis voti, & tenebitur exequi, si vsque ad illud tempus votum se extendebat.

Dico Secundò, Si tamen mulier erat impubes 92

Si ante pubertatem. cùm votum faceret, vel si votum erat tale vt à parente vel tutore posset irritari; probabile est, etiam à marito posse. Colligitur ex d. c. Noluit. Nam agitur de voto puellæ facto cùm esset sub potestate patris, in quod pater etiam consensetat. multò ergo magis poterit irritare votum, si is cui suberat non consensit. Ratio est, quia maritus succedit in locum parentis, tutoris & curatoris ad gubernandam eamdem voluntatem, eiusque leuitati & imprudentiæ succurrendum. ergo sicut votum, quod emisit eo tempore quo parenti vel tutori erat subiecta, erat pendens ab eorum consensu; ita etiam pendet à consensu mariti, qui in horum potestatem succedit. Nam potestas prima quasi continuatur, etsi in diuersis subiectis. Vnde sequitur, si

Successor in eadem potestate.

puella

puella emisit votum castitatis aut Religionis ante pubertatem, vel realia post pubertatem adhuc minor existens, id est, ante vigesimum quintum annum expletum, absque eorum quibus suberat facultate; maritum posse ea irritare, etiam ante consummatum matrimonium. quia statim per ipsum contractum matrimonij rati succedit in illorum potestatem. Ita Sancius lib.9.de matrim. disp.41. n.4. Quæ omnia rectè procedunt secundùm priorem sententiam, quæ marito plenam potestatem in omnia vxoris vota concedit, quam diximus esse satis probabilem. In altera non procedunt nisi in votis quorum executio auctoritati mariti potest officere, in quibus vxor tenetur illi parêre.

93 *Si carebat tutore vel curatore.* Dico Tertiò, Si carebat parentibus vel turoribus cùm votum faceret; maritus contracto matrimonio adhuc poterit irritare, modò ipsa tunc temporis, cùm sibi obligationem imponeret, fuerit in ea ætate, in qua filiorum vota à parentibus, tutoribus, vel curatoribus irrita reddi possunt. Ratio est, Quia toto illo tempore, quo secundùm leges congruit ei habere tutorem vel curatorem, votum pendet ab illius arbitrio, si contingat illum constitui: atqui maritus succedit in eamdem potestatem; ergo etiam ab eius arbitrio pendet. ita Sancius suprà.

Idem dicendum de aliis qui parentibus vel tutoribus carent, & alicui magistro, domino, vel Superiori posteà subesse incipiunt. Hinc dominus potest irritare vota serui impuberis omnia, etiam personalia; & omnia realia puberis. quia est ei loco tutoris & curatoris. secùs si erat maior: tunc enim solùm sibi præiudicantia, vt suprà dictum est. Simili modo si Nouitius in sæculo vel in Nouitiatu emisit vota in ea ætate, in qua parens, tutor, vel curator potuisset ea irritare: eadem poterunt etiam à Prælato Religionis irritari, cùm in illorum potestatem succedat, vt ibidem Sancius notat.

94 *Vota ante consummatum emissa.* Dico Quartò, Vota vxoris emissa contracto matrimonio ante consummationem, possunt eodem modo irrita reddi à marito, sicut emissa consummato matrimonio, excepto voto castitatis & Religionis. Ratio est, Quia auctoritas mariti in vxorem acquiritur per ipsum contractum. Itaque si vxor aliquod votum fecit in iis in quibus ipsi est superior & caput, potest illud ab eo in irritum reuocari.

Votum Religionis. Excipio Primò, Votum ingrediendæ Religionis; tum quia ius facit ei potestatem ingrediendi etiam inuito marito: tum quia per huius voti executionem cõstituenda est extra mariti potestatem. Vnde par non est vt maritus possit irritare. Si neglecto voto matrimonium consummarit, non poterit absque consensu mariti intrare. quia consummato matrimonio illud ius intrandi amisit, & tenetur marito adhærere, eique debitum reddere. cumque non vouerit castitatem, poterit etiam petere; mortuo marito tenetur voto satisfacere: quia non fuit extinctum, sed suspensa executio. idem dico si maritus adulterium committat, aut velit pariter conuerti, vt infrà cap.41.dub.5.dicetur.

Probabile tamen est, matrimonio consummato, maritum posse illud votum irritare. Ita enim tenent DD. primæ sententiæ initio allatæ: quo casu non tenebitur marito mortuo intrare. Quòd si ante consummatum matrimonium vouerat Religionem in tempus soluti matrimonij; maritus poterit hoc votum, iuxta prædictam sententiam, irritare. quia per executionem huius voti vxor non erat constituenda extra illius potestatem. quòd si maritus nõ irritauerit, peccabit ipsa quidem mortiferè, si illo mortuo ad secundas nuptias transierit; quia faciet contra votum. hic tamen maritus secundus poterit illud irritare: quia in ius prioris mariti, à quo illud pendebat, successit.

Secundò, Excipio votum castitatis ante consummatum matrimonium ab vxore emissum. hoc enim, secundùm veriorem & communiorem sententiam, à marito nõ potest irritari. Vtrùm autem teneatur ingredi Religionem; vt voto faciat satis, dicetur infrà cap. 41. dubit. 6. Si matrimonium consummauerit, non potest integram castitatem seruare, sed tenetur reddere debitum. itaque ex hac parte non eget irritatione. non tamen potest petere, nec maritus votum illius quoad hoc irritare potest, vt plerique Doctores nobiscum sentiunt. Iuxta tamen aliorum probabilem sententiam suprà num. 87. relatam poterit maritus hoc votum absolutè irritare ratione iuris quod habet non quidem in materiam, sed in personam; ac proinde etiam obligationem non petendi tollere: quo pacto poterit ipsa, etiam petendo, matrimonium consummare. *Votum castitatis.*

95 *Consummato matrimonio.* Dico Quintò, Vota ab vxore consummato matrimonio facta, secundùm veriorem sententiam non possunt irritari à marito, nisi quatenus eius iuri incommodant, vel materia eius iurisdictioni subest: secundùm tamen probabilem multorum opinionem possunt irritari omnia (vt patet ex supradictis) exceptis istis; quorum primum est, Votum castitatis vxoris factum non solùm consensu mariti, sed etiam ipso iure petendi cedente. quo casu cùm ipse non retineat ius petendi nisi remotum, & quasi in radice (quatenus videlicet vinculum essentiale matrimonij perseuerat) potest ipsa liberè negare petenti: ac proinde tenetur negare, quia tenetur seruare votum quantum potest. *Prima exceptio, votum castitatis vxoris.*

Dices, Maritus semper manet superior, ac proinde etsi non habeat ius in materiam, habet tamen ius in voluntatem vxoris ad eam in omnibus dirigendam. ergo poterit adhuc irritare: sicut Prælatus etsi iure suo cesserit apud inferiorem, nihilominùs votum eius irritare potest, vt suprà diximus. Resp. Hoc argumentum valdè confirmat sententiam nostram. quia videtur conuincere, maritum non habere ius in voluntatem vxoris, quale habet Prælatus in voluntatem subditi, & pater in voluntatem filij impuberis: & consequenter non posse omnia vxoris vota irritare, quamuis absque consensu eius sint facta. Nihilominùs tenẽdo alteram sententiam, dici potest, maritum posse restringere suam potestatem, quam habet in vxorem, faciendo illam ex parte sui iuris: hoc autem non potest facere Prælatus erga subditum. Ratio est, Quia potestas Prælati est ex regula, & ex approbatione Ecclesiæ; quorum neutrum ipse potest mutare, aut vim & effectum priuato pacto impedire vel restringere: at potestas mariti in vxorem est ex contractu priuato. Vnde vel in ipso contractu limitari (vt si addatur vt vxor habeat administrationem dotis,) vel posteà nouo pacto superueniente restringi aut suspendi potest.

Dixi, *non solum consensu*, &c. Consentiendo enim simpliciter, vt vxor vouerat castitatem, non videtur cedere iure petendi, vt illius sententiæ *Cõsentiendo vt vxor vouerat, an iure suo cedat.*

Auctores docent; quia non censetur sibi in tantum velle præiudicare, nisi id explicet; præsertim cùm ille consensus operetur aliquid: partim vt votum sit firmius, cùm ipse sine peccato mortali non possit irritare; partim vt licitè fiat. debet enim vouens seiungi toro; alioquin exponeret se periculo violandi voti: non potest autem toro separari sine consensu mariti; quare nec licitè absque eius consensu tale votum edere. Hoc tamen votum solùm obligabit illam ad non petendum debitum, & ad abstinendum à fornicatione, aliisque peccatis luxuriæ: tenebitur tamen marito petenti reddere debitum; nec maritus petendo peccabit, cùm nec ipse vouerit, nec iure suo cedere cogitauerit. Quòd si maritus hoc votum posteà irritauerit, peccabit quidem mortiferè; valida tamen erit irritatio, vt docet Sotus lib.7. de Iustitia qu.3. ar.1. Arragon. qu.88. ar.8. Sancius lib.9. de matrimonio, disp.40.n.17. vbi pro hac sententia citat multos alios recentiores, ita vt hæc sententia sit satis probabilis: etsi contrariam putem veriorem.

96 *Secunda excepio.* Secundò excipitur votum quo vterque mutuo consensu & ex pacto vouet castitatem. Tunc enim maritus non potest votum vxoris irritum reddere, nec vxor viri; vt expresè docet D. Augustinus epist. 199. ad Ediciam. Consentiunt DD. in 4. d.32. & Canonistæ. Ratio est, quia vterque ita ex pacto vouendo, omni iure suo ad actum matrimonij cedere censetur, vel etiam expresè cedit, vt patet ex cap. Dudum, de conuers. coniugat. Ideò enim mutuum consensum & votum exigunt, vt se omnino tutos præstent à mutua petitione: at non essent omnino tuti, nisi renuntiarent omni iuri, quod ad illum actum habent. qui enim iuri suo non renuntiauit, potest alterum cogere ad reddendum: eo autem renuntiato non potest. Ad quod etiam non parum iuuat illud votum, quo renuntians iuri erga coniugem, obstringit se Deo. Nam petendo non solùm iniuriam faceret coniugi, sed etiam esset sacrilegus & infidelis in Deum. Cõstituit ergo alter alterum extra ius suum & iurisdictionem, facitque omnino sui iuris in actu matrimonij. vnde non retinet vllam auctoritatem irritandi aut suspendendi voti alterius. Tertiò excipitur votum quo vterque ex pacto vouet ingressum Religionis; vel maritus susceptionem Ordinis sacri, vxor castitatem in sæculo si est vetula, & extra periculum incontinentiæ; vel ingressum Religionis, si est iuuenis aut in periculo. Ratio est, Quia cùm hoc votum tendat ad perfectam separationem, & mutationem status in quo seruent perpetuam continentiam, videntur renuntiare iuri reuocandi. Ita Sancius suprà. Confirmatur, Quia vterque per tale pactum voto firmatum acquisiuit ius iustitiæ ad exemptionem à iurisdictione & seruitute mutua, possuntq; se mutuò ad executionem vrgere & cogere. ergo non videntur ius irritandi reseruasse. Secùs tamè est, si mutuo consensu voueant, se soluto matrimonio seruaturos castitatem. quo casu docet Sancius, maritum posse votum vxoris validè irritare; quia per executionem, status non est mutandus, sed supponitur mutatus, quando executio fiet, & alias nullum fit præiudicium vxori illa irritatione. peccaret tamen mortiferè irritando; quia antè consensit. Idem dicendum de aliis mutuo consensu factis, quæ non mutato statu sunt exequenda: quia vxor manet sub potestate viri.

Tertia excepio.

Dico Sextò, Facto diuortio ob viri adulterium, aut condemnationem hæreseos, si vxor aliqua vota faciat, non poterit vir posteà reconciliatus illa irritare, sed tantùm suspendere, sicut si ante matrimonium emissa fuissent. Ita Sancius lib.9. disp.39. num.40. Ratio est, Quia cùm vxor vouit, erat sui iuris, & omnino independens à potestate mariti. vnde eius vota perinde se habent ac si ante matrimonium facta fuissent: in quibus maritus solùm habet ius suspendendi, vt dictum est suprà num.91. 97

Dico Septimò, Vxor non potest vlla viri vota in irritum reuocare, nisi quatenus eius iuri officiunt. Est communis DD. Ratio est, Quia cùm sit subdita, non habet vllam auctoritatem in virum, nisi quatenus habet ius in materiam, nempe in iis in quibus vir ex lege matrimonij vel alterius contractus tenetur se vxori accommodare; vt in actu matrimonij, in coniunctione tori & domicilij, & similibus, in quibus requiritur consensus vxoris. Vnde si vouit gestare habitum religiosum, si longa ieiunia, si cubare humi, præsertim ad longum tempus, si longas peregrinationes absque graui causa, potest vxor irritare. si tamen subsit voto grauis causa, non potest irritare; vt si vouerat assumere crucem in subsidium Terræ sanctæ, vel contra hæreticos aut infideles, vt passim docent Doctores. 98 *Quid possit vxor in vota viri.*

Sed quid si maritus vouerit non petere debitum? Respondeo, Multi DD. putant, vxorem tale votum posse irritum reddere: quia ipsi onerosum & verecundum semper petere. Ita D. Thomas in 4. d. 32. qu. vnica ar. 4. ad 1. vbi dicit hoc esse probabilius. Idem sequitur Nauar. c.12. num 60. & multi alij, estque satis probabile. 99 *Votum mariti de non petendo debito.*

Contrarium tamen videtur verius, & tenet D. Thomas quodlibet. 3. artic. 18. Gratianus in cap. fin. 33. quæst. 5. & multi alij. Confirmatur ex cap. Quidam. 3. de conuersione coniugatorum; vbi dicitur, eum, qui inuita vxore professus fuerat, etsi professio non valuit, non posse petere debitum: *quia cum esset in eius potestate id promittere, votum quo ad hoc tenuit.* secùs tamen esse quoad non reddendum debitum: quia id non erat in eius potestate. Et cap. Placet. eodem tit. idem dicitur de muliere, quæ cùm maritum putaret mortuum, professionem fecit. Ratio est, Tum quia onus petendi, quod imponitur coniugi, est parui momenti; potest enim minimo indicio petere; & alter tenetur se tunc paratum exhibere: tum quia etsi est alteri aliquod onus, tamen iure suo vtitur. non enim lege matrimonij tenetur petere, sed solùm petenti reddere.

Distinctio quam adfert Nauarrus inter petere & exigere, non videtur hîc habere locum: Quia Pontifex apertè insinuat, ideò non posse exigere, quia quantum in se, tenetur seruare votum continentiæ. Vnde sequitur, nec posse benignè petere, aut rogare. Qui tamen alteram sententiam tenere vellet, respondere posset, eum qui sic vouit, non posse petere, nisi votum à coniuge irritetur. sed non videtur ea mens Pontificis. si enim tam facilè poterat votum elidi, cur tam seriò & absolutè respondetur non posse petere?

Ex his patet quid dicendum si maritus voueat continentiam. Cùm enim non possit vouere continentiam absolutè absque facultate coniugis, hoc votum non habet vim, nisi quoad ea in qui- 100 *Votum continentiæ mariti.*

quibus ipse est sui iuris, per quæ nullum fit præiudicium coniugi; nimirum quoad non petendum debitum, & abstinendum ab omni actu libidinis, præter eum in quo debet morem gerere vxori. Itaque etsi hoc votum, secundùm probabilem sententiam iam dictam, possit irritum reddi ab vxore quoad non petendum debitum, non tamen quoad abstinendum ab aliis libidinibus, v.g. à sui pollutione, &c.

Adde, votum continentiæ, & non petendi debitum, ordinariè censeri illicitum & indiscretum in coniugio, nisi ex consensu coniugis, qui permittat vouenti vt seorsim cubet: tum quia exponit se periculo violandi voti, si assiduè cum coniuge cubet; tum quia alteri coniugi sæpè est molestum & odiosum tale votum, eò quòd semper cogatur petere. Ita D. Thomas in 4.d. 32. suprà, & Durandus ibidem q.2. & alij. non tamen idcircò desinit obligare; quia est de bono consilij, etsi absque periculo non mandetur executioni.

Dvbitatio XVI.

Quinam possint vota commutare, & quo modo.

101 *Quisque potest in melius.*

Deo Primò, Quisque potest sua auctoritate votum suum commutare in id, quod constat esse melius. Est communior sententia Doctorum: ita enim sentit Maior in 4. d. 38. qu. 3. Angelus, Votum 4. qu. 2. Caietan. qu. 88. ar. 12. Sotus lib. 7. qu. 4. ar. 3. Couar. in cap. Quamuis pactum, p. 1. §. 3. num. 4. Nauar. cap. 12. num. 75. Probatur ex cap. Peruenit. 2. de iureiurando: *Propositum seu promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* Ratio est, Quia in eo, quod melius est, censetur contineri quod minus est. vnde dando melius, excellenter soluit quod promiserat. Sic inter homines optimè soluit promissum, qui dat id quod promissario est gratius; vt si loco canis promissi, des equum; vel loco ouis, bouem; loco nummi argentei, aureum.

Hinc fit vt votum orandi septem Psalmos, possim commutare in votum faciendi Sacrum; & peregrinationem ad S. Mariam Hallensem, in peregrinationem ad S. Mariam Lauretanam; & omnia vota personalia & realia in votum Religionis, & votum ingrediendæ Religionis laxioris, in strictiorem.

Melius quid.

Melius voco, non quod ex genere suo est præstantius; sed quod omnibus expensis Deo gratius est nos id facere, etsi enim per se & ex suo genere melior sit oratio quàm ieiunium, & eleëmosyna quàm carnis afflictio per cilicium; tamè qui vouit ieiunium vel cilicium, non potest suo arbitrio ista in orationem aliquam vel eleëmosynam commutare: quia non semper Deo gratius est nos id facere, quod per se est excellentius; sed quod pro tempore, loco, & dispositione nostra magis congruit ad nostram salutem à nobis fieri. Itaque in hoc poterit fieri commutatio: abundè enim satisfacit promissioni, qui loco rei promissæ, soluit promissario ad quod ei est gratius. Nisi fortè ex alio capite id hoc soluendum erat obstrictus, & solutio huius non impediat voti executionem. tunc enim non potest votum in illud commutari, sed vtrumque præstandum est. non enim potest fieri commutatio voti in id quod alias erat debitum, nisi quando executio vtriusque nequit constare: quamuis tunc non opus sit commutatione, cùm obligatio voti cesset, si alterum omitti nequeat.

102 *Obiectiones.*

Sed contrà Obiicitur Primò, Commutatio voti pertinet ad auctoritatem Superioris, sicut & dispensatio, vt patet cap. 1. de voto & voti redemp vbi dicitur, *commutationem voti pendere ab arbitrio Superioris*: ergo sicut nemo priuata auctoritate potest in suo voto dispensare, ita nec commutare. Secundò, Quia debitor soluens creditori rem meliorem, non liberatur obligatione, sed tenetur soluere quod debet, vt habetur L. 2. ff. Si certum petatur. Tertiò, Quia nemo potest esse Iudex in propria causa. Ob hæc argumenta quidam sentiunt, vota non posse propria auctoritate etiam in apertè melius commutari. Ita Siluester, Votum 4. quæst. 7. citat pro se Innocentium, Ioannem Andream, & Goffredum. Sed quod diximus est verius. vnde

Resp.

Ad Primum Respondeo, Commutatio non requirit auctoritatem Superioris, nisi quando non constat id esse melius in quod fieri debet commutatio. vel enim requiritur Prælati auctoritas in commutatione, vt in persona Dei determinet quid sit Deo acceptum, vt docet S. Thomas art. 12. ac proinde non erit necessaria quando id per se satis notum est: vel requiritur vt nomine Dei condonet priorem obligationem pro posteriore; & hoc necessarium non est in proposito casu; quia promissio rei minoris abundè soluitur in re maiore, ita vt non sit opus condonationis beneficio.

Ad Secundum: Lex illa intelligenda de re meliore, quæ tamen non est gratior creditori. sæpè enim quod melius est, non est homini gratius: secùs in Deo, cui opera quò meliora, eò gratiora.

Ad Tertium: Nemo potest esse Iudex in propria causa, inuita parte; secùs si pars consentiat, vt in proposito.

103 *Commutatio in Episcopatum.*

Petes Primò, Vtrùm votum ingrediendæ Religionis possit propria auctoritate commutari in susceptionem Episcopatus? Quidam affirmant, vt Viualdus n. 73. Ratio est, Quia Episcopatus est status perfectior, vtpote perfectionis acquisitæ.

Sed contrarium expressè habetur cap. pænult. de voto: vbi Pontifex dicit, *eum, qui solemniter emisit votum suscipiendi habitum regularem, & postea electus fuit Episcopus, debere Ecclesiæ regimen resignare, & votum implere, si conscientiæ suæ consultè velit.* Ratio est, Quia Episcopi status dicitur perfectior, non quia hominem perfectiorem Deoque gratiorem efficit, quàm Religio, aut illum ad perfectionem magis adducit; sed quia secundùm rectum ordinem perfectionem supponit: est enim status postulans perfectam charitatem, qua animam suam ponat pro ouibus suis, & eas ad perfectionem nitatur adducere. Deinde quia munus Episcopi est conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis, quibus efficimur perfecti Christiani & ministri Ecclesiæ. Vnde temeritatis & arrogantiæ esse videtur ad Episcopatum aspirare; quia videtur sibi perfectionem, quam ille status supponit, arrogare, & se idoneum tanto muneri iudicare. Status autem Religionis adducit ad perfectionem, Deoque magis charum efficit. Itaque etsi ille status dicatur perfectior, tamen non est Deo gratius vt illum hic & nunc amplectaris potiùs quàm statum Religionis; vel certè si gratius

Episcopatus quo modo dicatur status perfectionis.

tius est in aliquo casu, id non constat. Idem docent passim DD. & Abulensis in cap. 30. Numerorum, quæst. 94.

104 *Votum factum in fauorem tertij, potest in melius cõmutari.*

Petes Secundò, Vtrùm quis sua auctoritate votum reale factum in fauorem huius Ecclesiæ, vel piæ causæ, possit commutare in votum reale melius, quod sit in commodum alterius Ecclesiæ? vt si vouisti dare tres aureos Ecclesiæ S. Petri, an possis commutare in calicem dandum Ecclesiæ S. Martini, vel Monasterio? Quidam putant, ne auctoritate quidem Episcopi id fieri posse. Ratio est, quia in causis pijs per promissionem ius acquiritur absenti vt possit rem promissam exigere, vt patet L. Illud. & L. Vt inter. C. de sacrosanctis Ecclesijs. & ita tenent Archidiaconus & aliqui alij Canonistæ apud Siluestrum v. Votum 4. p. 7. §. Quartum.

Respondeo, Verius esse, posse tale votum etiam ab ipso vouente in melius commutari; & ab Episcopo in æquale vel minus, etiam alterius generis. Ratio est, Quia per tale votum nullum ius acquiritur pio loco vel Ecclesiæ, sed solùm Deo, cui ipsum votum fit, cui gratum est illud in melius commutari, vt eruditè ostendit Caietanus tomo 2. opusculo 11. de voto, qu. 3.

Si promissio ipsa dirigatur in Ecclesiam.

Sed quid si addatur promissio, qua res promittatur Ecclesiæ, vel Sancto illius Ecclesiæ præsidi?

Respondeo, Tunc esse distinguendum; si enim verba promissionis dirigantur ad Sanctum, solùm acquiritur ius ipsi Sancto, cui gratum est promissionem illam in melius commutari, teste Caietano suprà. Si autem dirigantur ad Ecclesiam vel Prælatum, Ecclesia nullum ius acquirit, nisi promissio acceptetur. Vnde ante acceptationem potest commutari in melius ad commodum alterius propria auctoritate. Post acceptationem non potest, nisi à Prælato vel Rectore Ecclesiæ: quia Ecclesiæ acquisitum erat ius per acceptationem Prælati. Potest autem huiusmodi promissiones absenti factas ad piam causam acceptare quiuis; modò verba promissionis ad ipsum dirigantur: aliàs minimè, vt dictum est capite 18. dubit. 7.

Hinc patet responsio ad rationem diuersæ sententiæ.

105 *Vtrùm in æquale.*

Petes Tertiò, Vtrùm propria auctoritate possit votum commutari in æquale? Quidam censent id fieri posse, si causa iusta subsit, modò constet non esse minus. Ita Sotus lib. 7. q. 4. ar. 3. & Lopez cap. 49. in fine: tutius tamen est vt id non fiat nisi auctoritate Superioris, vel saltem prudentis confessarij, vt docet Viualdus cap. 14. §. 15. ex plurium DD. sententia.

106 *Possunt cõmutari in professionẽ.*

Dico Secundò, Omnia vota antè emissa commutari possunt propria auctoritate in vota Religionis, quæ in professione fiunt: scilicet in votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ. Est communis DD. ex cap. Scripturæ, de voto, vbi Alexander III. ait: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis obseruantiam nosc itur commutare.* Vbi aduerte, satis hìc insinuari, non requiri vllam ad hoc auctoritatem, sed ex natura rei validam esse. Vnde hoc ipso, quo quis profitetur, censetur hanc commutationem velle facere, vel certè ipsius Iuris auctoritate ea fieri videtur; nisi explicitè contrarium intendat: quia dum totam vitam suam alterius directioni subijcit, non censetur priuatas illas obligationes retinere velle. idem colligitur ex cap. pænult. de Regular. in Sexto.

Hinc sequitur, Etiam votum subsidij Terræ sanctæ commutari posse in votum Religionis; quia bonum Religionis est melius, Deoque gratius. nisi fortè votum illud ab Episcopo vel Pontifice sit acceptatum; tunc enim ius acquiritur Ecclesiæ ad tale subsidium. vnde saltem sumptus præstandi erunt.

Dico Tertiò, Vota Nouitiorum personalia antè emissa, possunt durante Nouitiatu, auctoritate Prælati (& fortè etiam priuata ipsorum) commutari in exercitia probationis, donec vel profiteantur, vel egrediantur. Quòd *auctoritate Prælati*, non est dubium; quia hic potest ea etiam suspendere absque vlla commutatione, vt meliùs per exercitia Ordinis probari possint, vt docet Siluester, Votum 4. qu. 7. & alij DD. idque ipse vsus confirmat: non enim solent commutari, sed suspendi, donec per professionem quodammodò expirent, & facessant in onus Religionis. Quòd etiam *auctoritate propria* commutari possint, probatur, quia hæc commutatio fit in illud, quod manifestè est melius. facta tamen huiusmodi commutatione, si iste egressus fuerit ante professionem, redibit obligatio prior; sicut quando fuit sopita seu suspensa executio: quia solùm facta est commutatio pro tempore Nouitiatus. 107 *Vota Nouitiorum.*

Dico votis realibus Nouitij est maior difficultas. Puto tamen posse commutari in onera probationis auctoritate Prælati; quia cùm per illa nullum ius acquisitum sit tertio, non video cur non possint sicut alia commutari.

Dico Quartò, Quicumque habet potestatem dispensandi ordinariam vel delegatam, habet etiam potestatem commutandi; non tamen è contrario. De habente potestatem *ordinariam* est communis sententia DD. sed de habente *delegatam* est dissensio. Nauarrus enim cap. 12. n. 79. putat, eum qui habet potestatem delegatam dispensandi, non continuò habere potestatem commutandi. Probat, Quia hæ facultates sunt omnino distinctæ: ergo cui conceditur vna, non eo ipso conceditur altera. Confirmatur, Quia maior prudentia requiritur ad rectè faciendam commutationem, quàm ad dispensationem. Nam in commutatione perpendendum an sit æquiualens in quod votum commutetur: quod non est cuiuslibet iudicare. 108 *Qui potest dispensare, potest etiã cõmutare.*

Sed contrarium est verius. tenet Paludanus in 4. d. 38. qu. 4. ar. 3. Siluest. Votum 4. qu. 3. Sotus lib. 7 q. 4. ar. 3. Couarr. de pactis 1. p. §. 3. num. 10. Ratio est, Quia commutatio est pars quædam dispensationis; est enim imperfecta quædam dispensatio, seu relaxatio, vt patet ex cap. 1. de Voto. Quod vt intelligatur,

Notandum est, *dispensare* in voto nihil aliud esse, quàm nomine Dei absolutè condonare voti obligationem. *Commutare* verò est cõdonare cum onere, nempe vt loco prioris obligationis suscipias aliam: secunda enim obligatio in quam fit commutatio, non tam nascitur ex auctoritate Prælati commutantis (quod valdè notandum est) quàm ex consensu acceptantis, in quo consensu implicitè continetur votum alterius boni. Itaque in dispensatione Prælatus condonat absolutè; in commutatione condonat solùm sub conditione, nempe si voueas aliud. Vnde patet, commutationem

tionem esse imperfectam dispensationem, & minus quiddam: atqui ei, cui licet quod amplius est, licet etiam quod minus est; vt qui potest dispensare in tertio gradu consanguinitatis, potest etiam in tertio affinitatis: ergo, &c.

Ad rationem Nauarri Respondeo, Has facultates non esse omnino distinctas, sed alteram in altera contineri, sicut pars in toto, & minus continetur in maiore.

Ad confirm. Non minor prudentia requiritur in dispensatione, quia expendi debet an subsit causa iusta, vt omnino obligatio tollatur, & nihil in eius substituatur locum; quod sanè difficilius est quàm aliquid inuenire quod videatur non minùs gratum Deo, & non minùs vtile: vt patebit infrà assertione 6.

Hinc constat altera pars assertionis: cùm enim longè minus sit commutare, quàm omnino absoluere & relaxare; non eo ipso, quo quis potest commutare, potest dispensare, quod est absoluere. Pari ratione, qui ex potestate delegata potest commutare vota, non eo ipso potest commutare iuramenta: quia iuramentum nouum vinculum addit. quamuis contrarium non sit improbabile, vt infrà cap.42.dub.12.dicetur.

Pœna ex voti violatione debita.

Addo, Quicumque ex potestate ordinaria vel delegata potest commutare votum, posse etiam commutare debitum seu obligationem ex violatione voti contractam. v. g. vouisti dare eleëmosynam 10. aureorum, si peccares contra castitatem: peccasti deinde quinquies; & ita teneris in eleëmosynam dare 50.aureos. Qui potest commutare votum, potest etiam illud debitum in alia opera conuertere. Ratio est, Quia illud debitum non debetur nisi ex vi voti: & aliàs materia non est reseruata. Confirmatur, Quia obligatio illa soluendi ex voto conditionali, impleta conditione, contracta, non est maior quàm obligatio voti, quo quis absolutè & directè vouet dare 50. in eleëmosynam: sed potiùs minor; cùm non procedat ex affectu ad illud opus; vt constat ex dictis suprà dubit. 6. num. 30. & infrà dubit. 18. num. 130. atqui hæc potest commutari à priuilegiatis; ergo & illa pœnalis. Confirm. Secundò, Eiusdem rationis est obligatio ex voto ad soluendum in futurum, & ad soluendum præterita: vt cùm quis aliquot diebus omisit dare eleëmosynam, quam vouit dare quotidie. sed obligatio ad futurum potest commutari; ergo & illa ad præteritum. Contrarium tenet Nauarrus lib. 3. tit. de voto, consil. 33. & 35. vbi docet, eum qui potest commutare aut relaxare vota, non posse idcircò commutare aut relaxare pœnam, aut debitum ex fractione illius incursum. sed nulla firma ratione, quæ ex dictis non facilè soluatur. Nostram quoque sententiam tenet Sancius lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 14.

109 *Modus commutandi.*

Dico Quintò, Quod ad modum commutationis attinet; qui solùm habet potestatem commutandi, debet commutare in æquale vel pænè æquale: si enim notabiliter esset minus, admisceretur dispensatio. Quamquam valdè probabile sit, priuilegium commutandi ita intelligendum, vt possit fieri in minus. nam vt fiat in æquale, multorum sententiâ non requiritur priuilegium. itaque parua dispensatio admiscetur. *Æquale* voco, quod æquè gratum est Deo à te hîc & nunc præstari.

Hinc sæpè fit, vt peregrinationes, etiam longinquæ, prudenter commutentur in ieiunia, largas eleëmosynas, crebras confessiones, & sacræ Eucharistiæ perceptiones. quia plerumque hæc magis salutaria, Deoque magis grata. Et quamuis vota realia optimè commutentur in realia, & personalia in personalia; tamen etiam contrarium fieri potest, prout videbitur magis expedire ad Dei gloriam & salutem vouentis. Sic votum eleëmosynæ corporalis potest ex causa commutari per Superiorem in eleëmosynam spiritalem, per sacrificia, vel preces, vel bonam instructionem. Imò quando in Bulla vel Iubileo dicitur commutatio votorũ facienda in subsidium certæ rei, (v. g. belli contra infideles, vel hæreticos) potest fieri commutatio in subsidium spiritale per preces, sacrificia, ieiunia, ad intentionem & finem Bullæ, vt docet Viualdus, cap.14. num.39. ex Deça; quæ sententia non est improbabilis, quando legitima causa subest. Ratio est, Tum quia subsidium spiritale non est minùs præstans quàm temporale; tum quia alioquin vota pauperum tunc commutari non possent: nam nihil subsidij temporalis conferre possunt, vel certè adeò modicum, vt pro nihilo reputetur. Securius tamen est, vt etiam aliquid subsidij temporalis conferant pro suo modulo: quia indulgentiæ non sunt extendendæ vltra verborum proprietatem.

Commutatio in genere.

Potest etiam fieri commutatio hoc modo: Commuto votum tuum in id quod talis vir doctus præscribet: nec refert, etiamsi non nisi exacto Iubileo illæ præscribat: quia commutatio antè facta est. ita Nauar. c.26. num.13. Neque peccabit contra votum, etiamsi ante præscriptionem nouæ materiæ contra prius votum fecerit: quia huius obligatio iam est extincta, & translata in aliam materiam in genere. Ille enim acceptando talem commutationem, implicitè vouit id quod ille Doctor præscripturus est. Vbi etiam aduerte: Si quis tempore Iubilei per obliuionem, vel alia de causa non curauit vota sua commutari, vel relaxari, posse id posteà fieri, etiam post annum, si ipse intra tempus Iubilei, opera ad Iubilei consecutionem præscripta præstitit. Ratio est, Quia hoc ipso, quo debito tempore fecit opera ad Iubilei consecutionem necessaria, acquisiuit priuilegium, quo possint eius vota laxari; quod priuilegium non est certo tempori adstrictum, vt colligitur ex tenore verborum Iubilei. Idem dicendum de absolutione à reseruatis, quæ tempore Iubilei fuit oblitus. quia ius acquisiuit cuilibet ea confitendi. Ita Sancius lib. 8. disp. 15. num.17. & Suares de pœnit. disput. 31. sect.4.

Si omissa in Iubileo.

110 *Causa cõmutationis qualis esse debeat.*

Dico Sextò, Quod ad causam attinet, ad commutationem minor requiritur causa, quàm ad dispensationem; quòd dispensatio omnino liberet, commutatio aliud subroget. Si fiat in melius, nulla alia causa requiritur. Si in æquale, & auctoritate Superioris; sufficit voluntatis maior in illud propensio. Si autem dubitetur an sit æquale, sufficit notabilis aliqua molestia in implendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia parentis, aut mariti, vel simile quiddam, quod prudens æstimabit.

111 *Potest redire ad prius votum.*

Petes, Vtrùm facta commutatione possit vouens redire ad votum prius, omisso eo in quod facta est commutatio.

Respondeo, Posse, tum quia facta est in ipsius fauo-

fauorem ; vnde potest ei renuntiare : alioquin non tam esset fauor quàm onus ; tum quia solùm videtur facta sub conditione, si nolit prius votum implere.

Vnde sequitur, si sæpiùs facta sit commutatio, posse seruari quiduis illorum in quæ facta fuit; v.g. votum peregrinationis annuæ commutatum est in menstruam confessionem;menstrua confessio in ieiunium hebdomadarium ; ieiunium hebdomadarium in certas preces quotidianas : potest vouens satisfacere voto , vel recitando illas preces, vel ieiunando singulis hebdomadis , vel confitendo singulis mensibus , vel annuam peregrinationem suscipiendo.

Dvbitatio xvii.

Quinam possint in votis dispensare, cum quibus, & quas ob causas.

112 Svppono Primò, *dispensare* in voto (vt loquuntur Theologi & Canonistæ) non esse idem quod declarare materiam voti non esse Deo gratam; vt videtur velle D.Bonauentura d. 38. art. 1. qu. 3.& Palud.ibid.qu.4. art. 4. tum quia id potiùs ad Doctores pertinet quàm ad Prælatos Ecclesiæ : tum quia cùm materia Deo grata non est, obligatio voti per se euanescit, nec opus est dispensatione. Tum denique quia cum multis dispensatur , qui gratissimum Deo facerent , si votum executioni mandarent. Pari modo non est idem quod dispensare in lege humana, quam homo sibi imposuit vouendo, vt vult Sotus lib. 7. qu.4. art.1. quia votum non solùm est lex quædam priuata , sed etiam tribuit ius alteri ; quod illi adimi non potest , nisi consentiat. Confirmatur , Quia dispensatio in lege humana fit per hoc, quod is , qui sua auctoritate obligationem imposuit , eam in particulari tollat : hoc autem fieri non potest quando per eam alteri ius est acquisitum ; id enim cederet in iniuriam tertij : ergo tali modo non potest tolli obligatio voti ; alioquin ipse , qui vouit , posset sua auctoritate ab obligatione voti se eximere.

Quid dispensare in voto.

Est igitur *dispensare* in voto nihil aliud quàm relaxare voti vinculum , & tollere eius obligationem , condonando nomine Dei debitum , quod erga Deum vouendo contraxisti ; vt Caietanus insinuat art. 12. cùm enim vouendo te obstrinxeris Deo , eique factus sis debitor certi operis , solui eo debito nequis , nisi ipse vel alius eius nomine & auctoritate condonet : sicut videmus in promissionibus humanis.

113 Suppono Secundò , quando dubium est vtrùm votum emiseris, non opus esse dispensatione: quia in dubio nemo priuandus est sua libertate , nec grauandus onere incerto. Idem dicendum in dubio legis , quando dubium est , vtrùm lex sit lata. Talia enim onera non tenemur acceptare , nisi quando constat, causas , quibus imponuntur , existare ; ita vt non sit nobis probabile non existare. Vnde non solùm in dubio negatiuo , quando neutram in partè habemus rationes probabiles , melior est conditio possidentis ; sed etiam in positiuo quando rationes probabiles habemus, causam obligationis non existare , quamuis ex altera parte magis inclinemur ad opinandum existare , vt alibi fusiùs explicatum. Secùs est quando constat de voto , sed dubitas de intentione obligandi , vel de sufficientia considerationis , aut libertatis. Hæc enim cùm natura voti ea requirat , & secum trahat , præsumuntur adfuisse , nisi de contrario tibi constet, vel probabiles rationes habeas. itaque opus est dispensatione. His positis

Dico Primò , In Ecclesia esse potestatem dispensandi in votis , iuramentis , & similibus obligationibus & debitis erga Deum contractis. Est tide tenendum, vt patet ex perpetuo vsu Ecclesiæ. Probatur Primò , Ex Scripturis, 2. ad Corinth. 2. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.* vbi Apostolus significat se condonasse debitum pœnæ contractũ ex culpa ; quod Ecclesia facit conferendo indulgentias. Nec dubium quin Deus hanc donationem ratam habuerit. vnde meritò colligunt DD. etiam in aliis debitis , ortis ex voto vel iuramento , Ecclesiæ Prælatos nomine Dei condonare posse ; ita D. Thomas art. 12. colligit. Idem insinuatur in diplomatibus Pontificum , vbi potestati condonandi debita pœnarum per indulgentias , iungi solet potestas condonandi debita votorum : Matthæi 16. *Tibi dabo claues regni cælorum : & quodcumque solueris super terram, erit solutũ & in cælis.* & rursus Matthæi 18. *Amen dico vobis, quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis* ; quæ verba sicut generalia sunt , ita intelligi debent de omni vinculo , quod homo erga Deum contrahere potest , & aliquando solui expedit. Secundò , Probatur ratione : Si Dominus Ecclesiæ suæ contulit potestatem soluendi à vinculo culpæ & à vinculo pœnæ , vt ex Scripturis & Ecclesiæ traditione constat ; cur non etiam à vinculo votorum & iuramentorum? præsertim cùm id sæpè ad salutem animarum , & suauem Ecclesiæ administrationem sit necessarium? Idem confirmari potest à simili in regno terreno. qui enim Principis locum tenet in regno vel prouincia , potest condonare subditis aliqua Principi debita , quando id bonum commune postulat : ergo qui in Ecclesia locum Dei tenent , possunt condonare aliqua Deo debita, quando salus animarum , qui est finis spiritalis gubernationis,id poscit. 114 *Hæc potestas est in Ecclesia.*

Dico Secundò , Hæc potestas Iure ordinario competit solis Prælatis habentibus iurisdictionem in foro externo. 115 *Competit Prælatis.*

Probatur Primò , Quia pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem ; sicut potestas relaxandi leges , conferendi indulgentias , excommunicandi : ergo iis solis competit , qui Ecclesiæ administrandæ præsunt.

Secundò , Quia hæc potestas non est Ordinis, sed iurisdictionis ; vnde non competit cuiuis sacerdoti , nec ad eam requiritur sacerdotium , aut alius Ordo sacer ; sed solùm iurisdictio Ecclesiastica in foro externo , qualis est in Episcopo confirmato, ante ordinationem. Ex delegatione tamen vel priuilegio Principis sacrorum potest etiam aliis conuenire , qui in foro externo iurisdictionem non habent : vt Ordinibus mendicantium, & aliis quibusdam , iuxta varia ipsorum priuilegia. Hinc patet, in quorum votis Prælati dispensare possint, nimirum in votis suorum subditorum , in quos habent iurisdictionem ; non autem in votis eorum, qui ipsis non sunt subditi.

Sed difficultas est , An Prælati possint directè dispensare in votis propriis. 116 *An in suis votis.*

Dico

Dico *directè*, Quia non est dubium, quin Prælatus possit indirectè; nimirum dando alicui ex subditis potestatem, qua in ipsius voto dispenset. Sicut enim sacerdoti subdito potest dare potestatem, qua ipsum absoluat à peccatis, etiam à casibus reseruatis; vt colligitur ex cap. fin. de pœn. & remiss. vbi datur illis potestas eligendi confessorem: ità etiam qua liberet ipsum ab obligatione voti. Alioquin Superior esset deterioris conditionis quàm subditi.

Neque satisfacit, si dicas, Papam tunc conferre potestatem confessori electo: quia etiam ipse potest sibi eligere, & sic idem in seipsum confert potestatem alteri.

Potest in suis. Respondeo & Dico Tertiò, Valdè probabile esse, posse Prælatum etiam directè in suis votis dispensare. Probatur Primò, quia sicut potest dispensare cum suis subditis in legibus etiam Superiorum, quando id ei permittitur, vt in lege ieiunij, esus carnium, audiendi Sacri, recitandi Officij: ita in iisdem potest dispensare secum, quando iusta causa subest. Ergo sicut potest dispensare in votis subditorum, potest etiam in votis suis. Non enim hìc plus iurisdictionis requiritur in seipsum, quàm ibi. Secundò, Potest se eximere, quando causa subest, ab obligatione, quam Iure naturæ contrahit occasione legis propriæ: cur non etiam ab obligatione, quam adfert votum proprium? Tertiò, Papa potest sibi ipse conferre indulgentias, absoluendo se à debito pœnæ etiam iniunctæ, vt docet Henriquez de indulgentiis cap. 32. ergo etiam potest se absoluere à debito voti. Quartò, Quia si quid obstaret, cur minùs posset Prælatus in voto suo dispensare, id esset defectus iurisdictionis in seipsum: nemo enim potest in seipsum iurisdictionem exercere. Vnde nemo potest seipsum à peccatis absoluere, nemo seipsum censuris ligare aut soluere. Atqui hic defectus non obstat. Primò, Quia non magis requiritur hæc iurisdictio in dispensatione votorum, quàm in dispensatione legum, collatione indulgentiarum, & obligatione per suas leges. Atqui defectus iurisdictionis in seipsum non impedit quò minùs quis hæc possit in seipsum; vt patet ex dictis. Secundò, quia quòd iurisdictio postulet distinctionem personarum, est, vel quia est coactiua, quæ exercenda est in inuitum, vt est potestas inferendi censuram: vel quia est contentiosa, inter partes ius distribuens. non enim videtur æquum, vt quis in sua causa sibi ius dicat contra ius aduersarij se opponentis; sic enim esset sibi & iudex & reus: vel quia pertinet ad absolutionem sacramentalem; quæ Iure diuino postulat distinctionem Iudicis & rei. atqui iurisdictio illa quæ requiritur ad dispensationem voti, nihil horum est, vt per se patet; ergo non est cur requirat distinctionem personæ. Confirm. Primò, ex D. Thoma in 4.d.20.quæst. vnica. artic. 5. versus finem ad 3. vbi dicit, *Neminem posse seipsum excommunicare, quia excommunicatio fertur per modũ sententiæ, quam nemo in seipsum ferre potest, cùm idem non possit esse Iudex & reus: posse tamen sibi dare indulgentias; quia indulgentia non datur per modum sententiæ, sed per modum cuiusdam dispẽsationis.* Vnde clarè sequitur, posse etiam se eximere ab obligatione sui voti, quia hìc est propriè dispensatio. Confirm. Secundò, Quia si in dispensationibus requireretur distinctio personarum, sicut in irrogandis & tollendis censuris, non posset quis esse particeps dispensationis & beneficij à se collati communitati, sicut non potest incurrere censuras à se constitutas in communitatem; quod est contra D. Thomam loco citato communiter ab aliis receptum. Confirm. Tertiò, Quia dispensatio votorum nihil est aliud quàm quædam condonatio nomine & auctoritate Dei facta: atqui condonatio non postulat distinctionem personarum. Qui enim habet auctoritatem condonandi omnibus Regi aliquid debentibus, potest etiam condonare sibi. sicut qui aliquid habet distribuendum, potest etiam se numerare inter eos quibus facienda distributio, si eadem causa locum in ipso habeat: & quæstor sibi ipse soluere potest. Confirm. Quartò, Quia vt docet Panormit. cap. Ex litteris. num. 11. de probationibus, in iurisdictione voluntaria potest quis sustinere vices plurium, dummodò exercitium vnius actus non præstet impedimentũ exercitio alterius. idque probat ex L. Si consul. 7. de adoptionibus; vbi dicitur quòd filius familias si præses sit, possit seipsum apud seipsum emancipare, vel in adoptionem dare. & L. Vna. 7. de offic. consul. vbi consul potest apud se manumittere seruum suum; & sic repræsentat personam consulis, & personam domini. Ratio est, quia idem secundùm diuersas qualitates & officia potest seipso esse superior & inferior: vt patet in Pontifice Summo, qui simul est Princeps sæcularis, & in Episcopo, qui simul est canonicus; in Rege, qui simul est Dux vel Comes coronæ subiectus seu vasallus. Idem cernitur in omni Prælato & Superiore: quia in eo est qualitas Superioris (vt Iurisperiti loquuntur) & qualitas personæ priuatæ. Itaque gratias & beneficia, quę in alios inferiores diffundit per illam eminentem conditionem, qua quodammodò similis est Deo, & veluti quoddam terrenum numen; potest etiam in seipsum, qua similis est aliis subditis, & iisdem subiectus incommodis, diffundere. Nam vt superior habet veluti vim actiuam; vt persona priuata, capacitatem ad recipiendum. Neque id mirum videri debet; cùm etiam in naturalibus possit idem agere in seipsum, & esse agens & patiens, vt patet in actionibus vitalibus, &c.

Confirmantur hæc omnia, Quia dispensatio hæc non requirit maiorem distinctionem quàm actus iustitiæ: atqui eiusdem in seipsum secundùm diuersas rationes & officia potest esse obligatio & actus iustitiæ; vt patet cùm quæstor vt debitor, nomine Regis soluit sibi vt creditori; cùm Christus vt homo satisfecit sibi vt Deo.

Dices, Collator non potest sibi ipse beneficium conferre, vt habetur cap. final. de institutionibus: quia, vt ibi inquit Pontifex, inter dantem & accipientem debet esse distinctio personalis. Similiter patronus non potest seipsum præsentare, vt habetur cap. Per nostras. 26. de Iure patronatus. ergo, &c. 117 *Obiectio. Collatr.* *Patronus*

Respondeo, Si hoc argumentum valeret, non posset Prælatus sui voti dispensationem alteri committere: sicut nec collator potest committere suam potestatem alteri, qui ipsi beneficium conferat; vt docet ibidem Panorm. num. 6. Itaque hoc peculiariter statutum est in beneficiorum collatione & præsentatione; tum quia nemo debet se *ingerere Ecclesiasticæ prælationis officiis, quantumuis sit idoneus*, vt habetur d. cap. Per nostras; tum quia

quia esset pernicioſum exemplum, ſi quis ſibi prouideret, qui aliis conferre tenetur, vt ait Panormit. ſuprà. Poteſt tamen quis ſeipſum eligere (niſi fortè ſit ſolus elector) quia id non eſt prohibitum; non enim à ſe ſolo tunc ius accipit, ſed etiam à cœlectoribus; & rariſſimè vſu venit, vt ſic promoueatur. Quod autem quidam obiiciunt ex L. 1. ff. de auctorit. & conſenſu tutorum, ad rem non facit: ſolùm enim dicitur, *In rem ſuam tutorem actorem fieri non poſſe*; id eſt, non poſſe dare pupillo auctoritatem in negotio quod ad ipſum tutorem principaliter pertinet; non autem, vt illi citant, neminem poſſe præſtare auctoritatem in ſuo facto. Id enim falſum eſſe, patet in exemplis allatis, & multis aliis. Eſt tamen verum, quando agitur de alterius præiudicio. Vide Panormitanum loco citato.

118 *Epiſcopi.* Ex dictis patet, non ſolùm Pontificem poſſe in votis propriis diſpenſare, ſed etiam Epiſcopos; idque in omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis; quia rationes ſupradictæ in illis locum habent. *Prælati regularium.* Idem dicendum de Prælatis regularium, qui toti conuentui præſunt, vt ſunt Priores, Præpoſiti, Rectores. imò etiam Vicepriores & Vicerectores, qui in abſentia aliorum regunt. quia hi omnes habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos, & ſunt Paſtores ordinarij ſuorum, ſicut Epiſcopi ſæcularium. ita Sancius ſuprà, & Molina diſput. 148. vbi dicit, *Superiorem Monaſterij quas facultates & diſpenſationes poteſt aliis concedere, eaſdem poſſe ſecum vti, quando aliud in ea Religione non eſt ſtatutum.* Emanuel Sà v. Religio, *Prælati*, inquit, *in religione poſſunt ſecum diſpenſare, ſicut cum ſubditis.* quam ſententiam dicit eſſe rationabilem Fumus v. Monachus num. 9. Idem colligi poteſt ex Caietano 1.2.q.96.ar.5.dub. vlt. Siluestro v. Lex, num. 14. in fine. Soto lib. 1. de Iuſtitia, quæſt. 6. ar. 1. & aliis, qui docent, Superiorem poſſe diſpenſare ſecum in lege ieiunij, & aliis in quibus poteſt cum ſuis inferioribus, ne ſit deterioris conditionis quàm ſubditi: quare poterit etiam in votis, cùm ſit eadem ratio.

Quod ad cauſam attinet,

119 *Cauſa iuſta eſt neceſſaria.* Dico Quartò, Vt diſpenſatio ſit valida, requiritur vt ſubſit iuſta cauſa. Eſt communis ſententia DD. Docet D. Thomas art. 12. ad 2. & Caiet. ibid. Sotus l. 7. q. 4. ar. 3. Nauar. nu. 52. & alij omnes. Ratio eſt, Quia nulla auctoritas poteſt validè condonare quod Deo debetur, ſi iuſta cauſa condonandi non ſubſit; Deus enim huiuſmodi condonationem ratam non habet: vt ſi quis abſoluatur ſine legitima diſpoſitione, eſt inualida abſolutio; & ſi Indulgentiæ dentur ſine cauſa, vel ſupra cauſæ menſuram, eatenus vim non habent. Confirmatur, Quia poteſtas diſpenſandi data eſt Eccleſiæ ad ædificationem, non ad deſtructionem: atqui in deſtructionem cederet, ſi valeret ſine cauſa. *Sufficit bona fide iuſtũ videri.* Sufficit tamen vt cauſa bona fide, adhibito congruo examine pro rei qualitate, à Prælato & ſubdito putetur iuſta ſeu legitima. tunc enim valebit, etiamſi fortè poſtea deprehendatur non fuiſſe omnino ſufficiens. Deus enim ab homine amplius non requirit, quàm vt faciat quod in ſe eſt: quo facto concedit ei vſum auctoritatis & poteſtatis ſuæ. quod etiam locum habet in diſpenſatione iuramenti, impedimentorum matrimonij, & matrimonij diſſolutione: vt inquit Sancius lib. 8. diſp. 17. n. 8. Secùs tamen quando ſententia eſt tantùm declaratoria, non diſpenſatoria.

Petes, Quæ ſit iuſta cauſa diſpenſationis voti?

120 *Quæ ſint iuſtæ cauſæ.* Reſpondeo, Generatim iuſtæ cauſæ ſunt vtilitas Eccleſiæ, & honor Dei, vt docet D. Thomas art. 12. item vtilitas vouentis, & magna fragilitas eiuſdem, per quam timetur ſæpè violaturus. Faciliorem impetrationem reddunt leuitas vouentis, (etiamſi non ſit periculum violandi) inconſideratio, inconſtantia, timor, vel alia perturbatio animi in vouendo. Vide Nauar. nu. 77. Sotum q. 4. ar. 3. Caiet. art. 12. Hoc etiam Notandum, rarò vtendum pura diſpenſatione ſeu relaxatione voti; quia rarò iuſta cauſa ſubeſt vt ſine vllo onere condonetur: quare plerumque vtendum commutatione, quæ diſpenſationem admixtam habeat; & extendatur iuxta tempus voti: vel ſaltem opus aliquod ſemel vel ſæpiùs faciendum in compenſationem ſublati voti eſt imponendum.

DVBITATIO XVIII.

In quibus votis poſſint diſpenſare Epiſcopi & inferiores Prælati, ſiue ſæculares ſiue regulares: & quo modo.

DIco Primò, Epiſcopi iure ordinario poſſunt diſpenſare in omnibus votis ſuorum ſubditorum, exceptis iis quæ Summo Pontifici ſunt reſeruata. Eſt communis ſententia DD. Ratio eſt, quia Epiſcopus, ſepoſita reſeruatione Pontificis, in ſua diœceſi poteſt in iis, quæ ſunt iuriſdictionis, quidquid poteſt Pontifex in tota Eccleſia: eſt enim Princeps ſacrorum in ſua Eccleſia, ac proinde habet omnem poteſtatem neceſſariam ad eius rectam adminiſtrationem. 121

Subditi autem quoad hoc, ſicut & quoad omnia Sacramenta (excepto Ordine) cenſentur omnes, qui in diœceſi habent domicilium; vt docet Nauar. in cap. Placuit. 3. de pœnit. d. 6. num. 92. & ſequentib. Neque hi tantùm; (quia hi etiam ad Ordines ſuſcipiendos ſubditi ſunt) ſed etiam qui etſi non habeant in diœceſi domicilium, tamen ibi habitant, cum animo ibidem permanendi maiore parte anni; vt docet Henriquez lib. 3. de pœnitentia cap. 14. Petrus Arragon. quæſt. 88. art. 12. Sancius lib. 3. de matrimonio, diſput. 23. num. 13. & multi alij Doctores. nam etiam hoc modo valdè probabile eſt contrahi paroeciam, & acquiri proprium Parochum non ſolùm ad Sacramenta quæ Parochus confert, ſed etiam ad ſepulturam, vt fusè docet idem Sancius loco citato. *Vagi.* Denique vagi, qui nuſquam domicilium aut paroeciam habent. hi enim ſortiuntur diœceſim in qua ſe pro tempore reperiunt. vnde ab illius Epiſcopo diſpenſationem accipere poſſunt. *Subditi.* *Propria paroecia.*

Petes, Quænam vota ſunt Pontifici reſeruata? 122 *Vota Pontifici reſeruata.* Diuus Thomas dicit vota perpetua ei reſeruari: quod Caietanus ar. 10. & Fumus v. Diſpenſatio, num. 18. intelligunt de voto continentiæ & Religionis, quæ natura ſua perpetua ſunt, cetera non item. His addit D. Thomas art. 12. in fine, votum peregrinationis Terræ ſanctæ. Quidam Doctor lib. 3. de conſcientia cap. 23. dicit, *Ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, Epiſcopi in omnibus votis, exceptis tribus, caſtitatis, Religionis, & peregrinationis Ieroſolymitanæ, diſpenſare poſſunt.*

Sed

Quinque reseruantur Pontifici.

Sed communis ferè sententia DD. est, Hæc quinque esse illi reseruata; *castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Iacobum Compostellam, & vltramarinum, seu in Terram sanctam.* Probari potest Extrauag. Etsi Dominici. vbi Sixtus IV. inter cetera, Sedi Apostolicæ horum quinque votorum absolutionem reseruat, & excommunicat eos, qui ab his præsumpserint absoluere. Sed responderi potest, ea solùm subtrahi confessariis, qui prætextu facultatum à Sede Apostolica cõcessarum absoluebant, quos etiam ibidem excommunicat. Verùm quamuis in Iure non inueniatur expressè aliquod votum absolutè reseruari, nisi vltramarinum causâ subsidij (de quo cap. Quòd super his. 8. & cap. Ex multa, de voto) tamen stylus Curiæ Romanæ etiam cetera reseruat; cui parendum est, nisi alicubi alia sit consuetudo legitimè præscripta. Non desunt tamen Doctores, qui putent tria illa peregrinationum vota non reseruari Pontifici, nisi fiant in subsidium. Vnde si solùm fiant causâ deuotionis, posse Episcopum dispensare. Ita Panormitanus in d. cap. Ex multa. 9. Et Glossa ibidem, Fumus v. Dispensatio, nu. 16. Iosephus Angles de voto art. 8. difficult. 9. Viualdus cap. de voto, nu. 55. Tabiena v. Dispensatio, n. 11. & quidam recentiores. Sed & hîc consuetudo videtur esse in contrarium, etiamsi solùm deuotionis causâ facta sint. Idem dicendum de horum votorum commutatione, si ea in aliud opus quàm Religionis ingrediendæ facienda sit.

123 *In quibus Episcopi potestatem habeant dispensãdi.*

Ex his patet, Episcopum posse dispensare, Primò, in voto Religionis non approbatæ, & in voto paupertatis & obedientiæ perpetuæ in tali Religione: quia tale votum non est verè Religionis votum, cùm Religio non approbata à Sede Apostolica non sit Religio, vt infrà cap. 41. dubit. 1. dicetur.

Secundò, In voto castitatis non perpetuæ, vt 10. 15. 20. annorum, non autem 100. quia censetur perpetuum.

Tertiò, In voto non fornicandi, non petendi debitum; quia non sunt vota castitatis integræ, sed partis tantùm. Nec refert, etiamsi communi consensu coniuges vouissent nec petere debitum, nec reddere, nec fornicari; quia adhuc non est votum integræ castitatis. relinquitur enim libertas transeundi ad secundas nuptias.

Si communi cõsensu.

Idem dicendum, si consummato matrimonio, alter etiam cum alterius facultate voueat continentiam; quia nisi concedens facultatem simul cedat iure petendi, non erit votum integræ castitatis, cùm vouens non possit se eximere ab obligatione reddendi; vt patet ex dictis dubit. 15.

124

Quartò, Idem dicendum de voto non nubendi; vt docent Angelus Votum. 4. numero 9. Siluest. ibidem quæst. 4. Nauar. cap. 12. num. 76. (etsi Caietanus tom. 2. opusc. 11. quæst. 1. contrarium teneat) quia multùm differt à voto castitatis, cùm per fornicationem non violetur. Si tamen hoc votum factum sit solùm in gratiam alterius, v. g. coniugis; ob ipsius honorem, vel commodum prolium, & acceptatum ab eo in cuius fauorem factum; Episcopus non poterit inuito illo dispensare. quia non potest ius illud, per promissionem voto firmatam illi acquisitum, tollere. potest tamen ille, in cuius fauorem est factum, condonare; quia habet tacitam conditionem, *si tibi placuerit*: cupit enim illi gratificari. Quòd si non solùm in gratiam alterius, sed etiam intuitu pietatis factum sit; & acceptatum; adhuc Episcopus non poterit dispensare, nisi alter ius suum condonet. sed posita illa condonatione poterit. ita Sancius lib. 8. disput. 9 Idem dicendum de iuramento, vt docet Sotus lib. 8. de Iustitia, quæst. 1. art. 9 ad 2. quia quatenus est in alterius fauorem, potest ab eo remitti; quatenus verò factum intuitu pietatis, habet vim voti: & ita cessante præiudicio tertij, potest in eo dispensare Episcopus; vt infrà cap. 42. dubit. 12. numero 62. dicetur.

Si in gratiam alterius factum sit.

Quintò, In voto suscipiendi sacros Ordines; quia non est votum castitatis, etsi hoc votum susceptioni Ordinum sit annexum.

Sextò, Potest etiam dispensare in qualitatibus quibusdam substantiæ voti reseruati adiunctis; vt si vouisti ingredi Religionem strictam, potest commutare in laxiorem: hoc enim non est dispensare in voto Religionis; quia dispensatio est absolutio & liberatio, ille autem non liberatur à Religione, sed solùm à quadam Religionis qualitate. itaque non est dispensatio in voto vt ad substantiam Religionis obstringit, sed solùm vt ad illius quamdam qualitatem, ita Siluest. Votum 4. num. 3. §. Sextum. Similiter potest dispensare, vt professus in arctiori transeat ad laxiorem. quod intelligo, nisi statutum aliquod peculiare à Pontifice approbatum obstet. Idem potest Abbas, cum consensu tamen conuentus, vt ibidem docet Siluest. & iisdem verbis diuus Antoninus p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 9. Idcircò autem requiritur consensus conuentus, quia (inquit D. Antoninus) non potest Abbas absque consensu conuentus alienare personam conuentus, nisi hoc habeat ex priuilegio speciali.

Septimò, Si Pontifex votum sibi reseruatum commutasset in aliud non reseruatum, posset Episcopus posteà in hoc dispensare; quia est nouum votum, per se non reseruatum. Nec potest dici reseruatum ratione commutationis; quia non obligaris ex vi præcepti commutantis, sed ex proprio consensu: est enim nouum votum, quod suscipitur pro absolutione prioris.

Octauò, Potest etiam dispensare in voto virginitatis, si vouens nihil aliud intenderit quàm obligare præcisè ad integritatem carnis conseruandam: tunc enim amissa virginitate per primum peccatum, extinguitur obligatio voti; quia res est impossibilis. Verùm communiter non sic intelligitur, sed vt inuoluit votum castitatis: vnde in dubio sic interpretandum.

Petes, Vtrùm in nullo euentu Episcopus possit in voto integræ castitatis dispensare.

Respondeo, Posse assignari aliquos casus, in quibus videtur hanc potestatem habere. 125

In voto castitatis.

Primus est, Si aliquis habens votum simplex castitatis contraxit matrimonium, & consummauit: Episcopus ob periculum incontinentiæ potest dispensare vt petat debitum, vt plurimi recentiores docent. Imò, si nondum consummauit, ob idem periculum videtur posse dispensare vt consummet petendo debitum. nam valdè probabile est, talem non teneri ingredi Religionem vt satisfaciat voto castitatis; (vt Sotus d. 38. quæst. 2. artic. 1. & multi recentiores docent) eò quòd sit res longè difficilior, quam ille nullo

modo vouere intendit. sed de hoc infrà cap.41. dub.6.quo posito, potest consummare matrimonium reddendo, absque dispensatione, (quod etiam tenet Angelus v.Impedimentũ matrimonij 3. num.2.) & cum dispensatione etiam petendo; vt iidem Auctores & alij docent. Hic tamen mortua coniuge tenetur seruare castitatem. vnde hæc dispensatio non fuit integra, sed partialis tantùm, & ad tempus.

Secundus est, Si coniuges post contractum matrimonium, communi consensu vouerunt continentiam, & posteà idem periculum vtrique, vel saltem alteri eorum ingruat. Ita docet Angelus, Votum 4. numero 9. & notant Doctores in cap. Rursus 6. Qui Clerici vel vouentes. Probari possunt supradicti casus, quia Episcopus non relaxat absolutè & simpliciter hoc votum, sed solùm ex parte & secundùm quid, nempe vt eius executio ad tempus differatur: vnde mortua coniuge redit vis voti, & tenetur seruare castitatem; quod est signum, solùm fuisse sopitum, & executionem

126 suspensam. Verùm nec hoc Episcopus posset, si Summus Pontifex hoc votum in eo euentu rigidè sibi vellet reseruare: quia inferior non potest suspendere votum superiori reseruatum, nisi quatenus ipsius iuri officit. Sed credibile est, numquam fuisse mentem suæ Sanctitatis, hoc votum eo casu ita strictè reseruare, vt ab Episcopo non posset prædicto modo suspendi; idq; tum propter periculum incontinentiæ, quod plerumque non patitur tam longam moram obtinendæ dispensationis: tum quia hæc res est valdè frequens. Accedit, quòd etsi ab initio reseruationis id non fuisset eis concessum, tamen longo vsu & consuetudine etiam à tempore immemorabili ab Episcopis sit vsurpatum, præsertim consummato iam matrimonio, vt ex Doctoribus constat: quãuis esset facilis ad regulares priuilegio instructos, vel etiam ad Summum Pontificem recursus. atqui consuetudo ius tribuit & iurisdictionem, cap. Cùm contingat, de foro competenti. Et quamuis hæc consuetudo ortum habuerit ex periculo peccati incontinentiæ, cui per alios occurri non poterat, tamen sensim absolutè obtinuit, ita vt Episcopus dispenset, etiamsi alius potestatem habens adiri possit. Vnde hanc sententiã absolutè docent præter supradictos, Toletus l.7.Summæ,c.14.Fumus v.Matrimonium,n.55. vbi addit, ita *communiter tenere modernos in cap. Rursus, Qui clerici vel vouentes*, Rosella v.Impedimentum 4 num.5. idem docet nu.6. etiam cùm ambo votum continentiæ fecerũt, siue ante matrimonium, siue post. *Consulendum*, inquit, *est eis vt petant dispensationem ab Episcopo, maximè vbi timeretur de incontinentia amborum vel alterius*. Sotus in 4.d.37.a.1. in fine, & alij.

Quomodo Episcopus id possit.

Aduerte tamen in secundo casu, Quando coniuges communi consensu vouerũt continentiam, etti probabile sit Episcopum absolutè posse dispensare modo supradicto vt debitum petant & reddant; (ita enim præter Rosellam & Angelum tenet Maior in 4. d.32.q.2.col.2. Emmanuel Sà v.Debitum coniugale,nu.2. & quidam alij recentiores) contrarium tamen videri verius, nimirum, Episcopum non posse, nisi quando in periculo incontinentiæ non esset facilis recursus ad Summum Pontificem, vel alium habẽtem potestatem, vt in quarto casu dicetur. Ita Sancius l.8. disp.11. num.10. Ratio est, quia hæc res rariùs occurrit, estque maioris momenti; nam passim huiusmodi vota solent esse publica: & periculo sæpè aliter potest occurri, cùm neuter habeat ius petendi, possintque habitatione separari. Vnde non est ea consuetudo quæ in aliis, vbi res est occulta, & alter habet ius petendi, nec possunt separari. Nec fuit ratio id concedendi Episcopis ob periculum incontinentiæ, nisi quando ad Pontificem aditus non esset facilis. Si tamen coniuges condonarent sibi mutuò renuntiationem iuris quam sic vouẽdo fecerunt, restituendo sibi ius petendi quo vterque in alterum cesserat (quamuis id absque sacrilegio facere non possint, cùm in iniuriam voti ea condonatio seu restitutio cedat) tunc Episcopus absolutè posset dispensare ad petendum debitum, etiamsi facilis esset ad Pontificem recursus. ita Sancius numero 15.ratio est, quia tunc vterque, etiam absque dispensatione, tenetur reddere petenti. Vnde perinde se habent ac si vterque ante matrimonium, vel iam constante matrimonio cum mutua facultate absque cessione iuris seorsim continentiam vouissent. quibus euentis Episcopus potest dispensare, consuetudine id ei permittente ob periculum incontinentiæ. quando enim alter tenetur reddere, præsumitur ordinariè magnum & vrgens periculum peccati, nisi idem etiam possit petere. Vnde consuetudo permittit Episcopo absolutè in omni tali casu dispensare, non absolutè, sed ad petendum dumtaxat. quare talis si fornicetur, peccabit contra votum; quia hac ex parte non potuit ab Episcopo relaxari. neque etiam vt possit inire secundas nuptias; nisi sit periculum incontinentiæ, nec facilis sit ad Papam recursus, vt iam dicemus.

Si cõdonent mutuam renuntiationem.

Tertius, Si votum castitatis sit metu emissum, 127
licet non omnino iusto seu graui, ratione cuius sit irritum, videtur Episcopus posse dispensare vt matrimonium contrahat. Ita Angelus, Votum 4. nu.9 & Glossa in cap Veniens.5. Qui Clerici vel vouentes. Nauarrus c.12.n.59. Fumus v.Dispensatio num 17. reseruatio enim videtur intelligenda de libero, ne ita reseruetur coactum sicut spontaneum.

Quartus, Quandocumque est magnum periculum incontinentiæ. Ita Cardinalis & Anton.de Butrio in d. cap. Veniens, Angelus suprà. Sed verius est, hoc non sufficere extra casus supradictos & similes, (maximè quando agitur de matrimonio contrahendo) nisi aliud concurrat, nempe vt non sit facilis aditus ad Summum Pontificem vel eius Delegatum; vt requirunt Siluester, Votum 4.q.4.& v.Dispensatio nu.15. Nauar.cap.12. num.59.& 76.Sotus lib.1.de Iustitia q.vlt.ar.vlt. & alij recentiores; tunc enim quia est necessitas, censetur Pontifex non intendere reseruare, sed permittere Episcopo, vt sua potestate ordinaria, quam sepolita reseruatione habet, vtatur: non enim vult suam reseruationem esse in euentionem, sed in ædificationem animarum. Hoc tamen non censetur facere, quando facilis ad ipsum vel Legatum eius, cui hanc potestatem commisit, est accessus. tunc enim nulla est necessitas tollendæ reseruationis.

Dico, *cui hanc potestatem commisit*: quia Iure 128
communi Legatus à latere non potest amplius in dispensationibus in prouincia suæ legationis, quam Ordinarius in sua diœcesi: vt docet Panormi-

Legatus.

normitanus in cap. Dilecto.num.5.de præbendis, Couarr. de matrimonio cap.6.§.10 num.25. inde probans,non posse dispensare in gradibus prohibitis.

Nec refert, vnde proueniat quòd non sit facilis ad Papam recursus ,ob paupertatem , an ob aliam causam ; Auctores enim generatim loquuntur. Idem docet Sancius lib.8.disput.9.num.22.Idem locum habet , quando etsi possit facilè adire, tamen caret sumptibus necessariis ad dispensationem impetrandam. est enim eadem ratio , quando ex mora adeundi graue incontinentiæ periculum imminet. quod etiam expresè tradit Siluest. Votum 4. qu. 4. & Sancius suprà, citans ad hoc alios DD.

129 *Si scandalum impendeat.* Denique idem concedunt DD. non solùm quando est periculum incontinentiæ, sed etiam impendente scandalo, vel damno tertij ex mora. ita Sancius suprà : vbi ponit exemplum in iuuene voto Religionis adstricto, qui virginem deflorauit,& grauidam fecit; quæ nisi ab eo ducta fuerit, infamabitur : & periculum est in mora , ne vel à suis consanguineis impediatur , vel voluntas eius mutetur. Ad huiusmodi enim mala vitanda, multa conceduntur , quæ aliàs minimè licerent : vt patet in Parocho celebrante in excommunicatione vel irregularitate occulta , vitandi scandali vel infamiæ causa : in Rectore alienante rem Ecclesiæ, quando periculum est in mora , sine facultate Superioris , & contra iuramentum suum de non alienando sine illius licentia ; vt probat Panormit. in cap.fin.de Ecclesiis ædificandis,num.8.in dispensationibus impedimentorum matrimonij , concurrentibus certis circumstantiis , vt DD.tradunt; & aliis multis casibus.

130 Quintus est, Quando votum castitatis est accessorium, & dependens ab alio voto principali in quo Episcopus possit dispensare ; tunc enim sublato principali, cessat alterum : vt si voueas non ludere , non inebriari, non fornicari, sub pœna seruandæ castitatis , aut ingrediendæ Religionis. Ita Nauarrus cap.12.num.43. & 75. impleta tamen conditione , putat Episcopum non posse dispensare.

Sextus est, Si votum sit conditionale, & conditio nondum sit impleta. Ita Sotus lib. 7. de Iustit. qu.4.ar. 3. Toletus lib.4.cap.18. vbi citat pro hac sententia Franciscum Victoriam. Ratio est , quia votum conditionale pendente conditione est imperfectum: Pontifici autem non censetur reseruari nisi absolutum & perfectum.

Septimus est,Si votum sit non solùm conditionale,sed etiam pœnale, id est, emissum sub conditione in pœnam delicti ; tunc enim probabile est, Episcopum posse dispensare , non solùm ante impletam conditionem , vt vult Sotus suprà , sed etiam post. Ita tenet Lopez cap.44. vbi pro hac sententia citat Melchiorem Canum , & Barthol. Medinam. Couarruuias in c. Quamuis pactum. p,1.§.3.n.12.Petrus Arragon.q.88.art.12. Viualdus cap. 14. nu. 50. qui addit , multos Theologos Salmanticenses consultos ita respondisse , & doctissimos quosque Hispaniæ Episcopos in praxi secutos. Ratio est, quia tale votum non fit ex affectu illius boni , cùm animus ab illo valdè abhorreat ; sed solùm in pœnam , vt illius metu caueat à peccato. vnde non videtur tanti momenti, nec tam insolubile , quàm si spontaneo affectu nuncupatum esset ; quale censendum quod Pontifici reseruatur. Confirmatur , quia cùm istæ reseruationes sint contra potestatem ordinariam Episcoporum, stricte sunt interpretandæ, vt Sotus ait.communiter autem per votum castitatis & Religionis non solet tale votum pœnale intelligi , sed quod directo affectu emissum.

Sed difficultas est de aliis votis conditionalibus , impleta conditione : vt , Voueo Religionem vel castitatem si hunc morbum euasero ; si hoc periculo defungar. Multi putant,etiam tunc Episcopum posse dispensare. ratio est , quia non fit ex directo affectu ad rem votam , sed ad beneficium quod à Deo expectamus. Vnde obtento beneficio multi dolent se obstrictos voto, indicantes animum per se à voto auersum ; sed solo timore mali impendentis incitatos , qui multa cogit quæ aliàs nollemus. 131 *Vota conditionalia.*

Nec refert, quòd conditione impleta videatur absolutum & perfectum ; quia radix est imperfecta, quæ in illo voto intrinsecùs imbibitur, quæ est affectus ille indirectus , vnde totum votum procedit. Non intelligitur autem reseruari nisi votum perfectum, nimirum, quod & in se iam perfectum est , non ampliùs pendens , & in sua radice tamquam ex affectu directo ad rem promissam procedens. ita Sancius lib.8. disput.10. num.13. vbi pro ea citat aliquot recentiores ; addens eam teneri à viris doctissimis nostræ ætatis , esseque in praxi virorum sapientissimorum frequentissima receptam. Eamdem tenere videtur Toletus lib.4.c.18. citans pro ea Victoriam : *Notandum*, inquit, *quod notauit Victoria ; ista quinque vota tunc reseruari Pontifici cùm absoluta sunt ; cùm verò condionata vel pœnalia , pertinent ad Episcopum.*

Verùm etsi hanc sententiam non negem esse probabilem , tamen contrariam puto veriorem; quia tale votum impleta conditione videtur arctiùs obligare, quàm simile factum absolutè. Ratio est : Nam factum est in modum contractus onerosi,& Deus præstitit contractum ex sua parte: vnde nisi ipse etiam impleat, est ingratus & iniquus in Deum. quare talis hac ex parte videtur magis reprehensibilis , quàm si gratis promisisset. sicut qui promittit Deo sacrificium gratuitum & voluntarium, non videtur tantum obligari, quantum qui promittit ad impetrandum aliquod beneficium , impetrato beneficio. Nec refert quòd affectus non sit principaliter ad votum , quia saltem est secundariò. amatur enim vt medium ad obtinendum id quod volumus. Itaque securius est in hoc casu adire Pontificem.

Octauus est , Si votum fiat disiunctiuè , hoc modo , Voueo castitatem , vel ieiunium perpetuum : tunc enim in potestate vouentis est eligere alteram partem , in qua Episcopus potest dispensare ; iuxta regulam Iuris 70. *In alternatiuis electio est debitoris , & sufficit alterum impleri.* Quòd si eligat partem Pontifici reseruatam , Episcopus non potest : semel autem facta electione , non potest vouens mutare ; vt docet Azorius lib. 11. cap.19.qu.10.Sancius lib.8. de matrimonio , disput.9.num.14. Cuius ratio est , quia iam obligationem determinauit ad materiam reseruatam, perinde ac si nihil aliud vouisset. Hanc enim vim habet illa electio. Nam in alternatiuis vouetur id quod posteà re meliùs considerata vouens est electurus. Simile est in promissione, quæ tali mo- 132

do facta est homini. sicut enim vbi debitor semel elegit, idque creditori patefecit, non potest mutare illo inuito: ita cùm Deus cor intueatur, si semel tacitus elegisti, non potes retractare; quia hoc vouisti.

133 *Prælati Regulares.* Dico Secundò, Prælati Regularium habentes potestatem quasi Episcopalem in suos, possunt dispensare in votis Regularium, sicut Episcopus in votis suorum subditorum. Est communis sententia DD. Soti lib.7. q.4.art.3. Nauarri num 75. Silu. Votum 4.nu.3.& aliorum.quando enim aliqua Religio vel Monasterium eximitur per Pontificem à iurisdictione Episcopi, conceduntur Prælato ea quæ sunt iurisdictionis Episcopalis. Hinc fit vt etiam possint dispensare in voto transeundi ad Religionem arctiorem; quamuis fortè non possint illud irritare; & vt professus in arctiori, transeat ad laxiorem; si tamen consensus communis Capituli adsit, vt insinuat Sotus suprà, & docet expressè Silvest. Votum 4 num.3. §.Sextum.

In votis Nouitiorum non possunt dispensare, nisi fortè habeant in omnes domesticos quasi Episcopalem auctoritatem, vt ferè Abbates exempti habere solent. Prælati non exempti non habent hanc potestatem, sed Episcopus, cui cum toto Monasterio subsunt. Insinuat Nauarrus suprà num.75.§.Tertiò.

Abbatissæ, etsi possint vota suarum Monialium irritare, non tamen possunt propriè in illis dispensare; quia iurisdictione spiritali carent, vt docet Sotus in 4.d.20.quæst.1.art.4. Viualdus num.95. & alij. vide Silvestrum.v.Femina. num.4.

134 *Mendicantes.* Dico Tertiò, Confessores Ordinum mendicantium possunt ex priuilegio Pontificis dispensare in omnibus votis in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis vltra duas dietas, (id est 40. milliaria Italica) vt patet ex compendio priuilegiorum Fratrum Minorum nu. 115. quorum priuilegia cum reliquis Ordinibus mendicantium communicantur. Imò etiam in hoc voto possunt, si sint participes facultatis à Martino V. concessæ Benedictinis. Vide Nauarrum cap. 12. num. 79. & Lopez cap. 50. Vnde etiam possunt dispensare in voto non petendi dispensationem; hoc enim non est reseruatum. Imò sæpè per se desinit obligare; nempe quando ratio dictat expedire vt petatur. Hæ tamen facultates non competunt singulis personis, nisi per Superiorem & iuxta illius moderationem. Sed quid singuli Ordines possint, ex eorum priuilegiis colligendum est.

Non extenditur ad obligat. heredis. Aduerte tamen, hanc facultatem dispensandi & commutandi in votis, non extendi ad obligationem quam testator imponit heredi. v. g. vt mittat hominem ad B. Virginem Lauretanam; aut quam heres ex voto reali ipsius defuncti contrahit. Nam hæc obligatio nō est immediatè ex voto, sed quasi ex contractu. hoc ipso enim quo adit quis hereditatem, suscipit omnia onera quæ defunctus imponit, vel quæ ipse, si realia erant, iam contraxerat. hæc enim ad heredem transeunt. Sicut si promittam Titio me eius votum impleturum, non possum à Regularibus hoc onere liberari; quia teneor ex pacto, & cederet in præiudicium tertij.

Nec obstat quòd origo sit ex voto, & votum possit commutari: quia non potest commutari nisi ex consensu vouentis, qui cùm non viuat, non potest consentire.

Dico Quartò, Parochi non habent potestatem, ne in articulo quidem mortis, dispensandi aut cōmutandi vota, præsertim in id quod notabiliter minus est. Probatur, quia cùm careant iurisdictione fori externi, non habent potestatem ex officio; & cùm nulla extēt hac de re eorum priuilegia, non possunt dici habere ex priuilegio. Idem dico de Archidiaconis & Decanis; nisi consuetudo legitimè præscripta aliquid illis hac in re alicubi tribuerit: quia per hanc ius Episcopale acquirere possunt, vt rectè Silvester, Votum 4.num.3.§. Septimum, ex Archidiacono & Paludano. 135 *Parochi.*

Quod ad formam in dispensatione seruandam attinet, tria requiruntur. Primò, vt præcedat cognitio causæ: si enim causa iusta non subsit, non valet dispensatio. Etsi enim cùm quis in sua lege dispensat, non sit necessaria cognitio causæ, (nam valet etsi causa non subsit) quando tamen inferior dispensat in lege Superioris, vel in iis quæ ius Superioris concernunt, est necessaria, ob rationem allatam. Vnde etiam Summus Pontifex diligenter debet inquirere de causæ grauitate, priusquam dispenset in votis: quia agitur de Iure diuino. Si tamen ex parte rei subsit iusta causa, dispensatio valet, etsi cognitio causæ non præcesserit. ita Fumus v. Dispensatio, num. 14. in fine, Sancius l.8. disput.17.num.11. citans pro hac sententia Innocent. & Ioannem Andr. in cap. Diuersis. 5. de clericis coniugatis: & alios. Ratio est, quia cognitio ista non est absolutè necessaria vt valeat dispensatio, sed vt legitimè & absque peccato fiat, nec se exponat periculo faciendi actum inualidum contra ius Dei, vel Superioris, & inuoluendi subditum multis peccatis, saltem materialibus. 136 *Seruanda in forma dispensationis. Cognitio causa.* *Non est absolutè necessaria.*

Quòd non sit absolutè necessaria, patet: quia neque Iure naturæ, cùm hac in re sufficiat potestas & voluntas dispensantis; neque Iure positiuo, quia etsi hoc Ius requirat causæ cognitionem, nusquam tamen irritum reddit, si contrarium fiat.

Nec obstat Concil. Trident. sess.25.cap.18.vbi dispensationem sine causæ cognitione factam vult censeri subreptitiam. quia loquitur de præsumptione fori externi. Idem statuit de dispensatione quæ non est gratis facta; & loquitur non tantùm de ea quæ ab inferioribus Prælatis, sed etiam quæ à Summo Pontifice facta est. Valet autem lex temerè indicta, si causa boni communis intercedat; cur non etiam legis dispensatio? Item valet electio sine examine causæ, si reuerà erat dignus; vt colligitur è contrario sensu, cap. Nihil. 44. de electione; ex illis verbis, *Deiiciendus est indignè promotus.* ergo, &c.

Secundò, vt fiat aliquo actu externo, qui possit exteriùs percipi. debet enim ita fieri vt possit alteri innotescere; alioquin nihil ei proderit. Confirm. quia dispensatio est quædā condonatio & remissio debiti: sed condonatio non potest fieri inter homines, nisi mediante actu externo; sicut nec donatio, nec promissio. Sicut enim homines constant animo & corpore; ita actus, quibus inter se communicant, debent constare volitione interna, quæ est veluti anima operis, & opere externo. Non est tamen necessarium, vt verbis fiat (quamuis hæc sint maximè accommodata) potest enim fieri ipso opere. vt si Prælatus conscius voti, iubeat vel concedat vt contrarium fiat: tunc enim censetur velle dispensare, præsertim si iusta causa subsit; quamuis cognitio causæ non præcesserit. Simili enim modo 137 *Actus exterior.* *Potest fieri ipso opere.*

modo potest dispensare in legibus & in irregularitate. Neque id solùm locum habet in Summo Pontifice, sed etiam in Episcopis, & aliis potestatem dispensandi habentibus: quia Iure naturæ satis est, vt quouis signo suam voluntatem declarent; & nullo Iure positiuo statuitur contrarium. Sic Episcopus ordinando eum quem scit esse irregularem, ipso facto cum eo dispensat, si aliàs poterat. Similiter Superior mittens subditum ad Ordines. ita Siluester ex Archidiacono v. Irregularitas, in fine; & v. Dispensatio, in fine. Idem generatim docet de dispensatione voti & quauis alia Siluester Votum, 4. num. 8. citans Paludanum & Archidiaconum; & D. Antoninus par. 2. tit. 11 cap. 2. §. 9 sequuntur passim recentiores. Imò si Superior sciens votum vel impedimentum subditi videat illum facere contrarium, & non contradicat cùm facilè possit, censetur hac ipsa dissimulatione dispensare, vt expressè docet Paludanus in 4.d.38 qu 4.art.4. *In omnibus*, inquit, *in quibus Prælatis non est taxatus modus cum formula dispensandi, eo ipso dispensant; quo faciunt effectum animi dispensandi, vel sciunt, & non contradicunt, quando facile & libere contradicere possunt.* Idem iisdem verbis docent D. Antoninus & Siluester loco citato, & multi recentiores. Ratio est, quia nisi tali dissimulatione intenderent dispensare, grauiter peccarent non reprehendendo, cùm nullam habeant causam tacendi, vt supponimus. Confirm. Quia talis dissimulatio censetur ratihabitio de præsenti; quæ etiam confert iurisdictionem ad assistendum matrimoniis, & ad audiendas confessiones, vt multis probat Sancius lib. 3. de matrimonio, disput. 35. Vt cùm Parochus videt aliquem sacerdotem assistere matrimonio, vel audire confessiones, nec contradicit, cùm facilè possit. hac enim patientia & taciturnitate censetur ei conferre auctoritatem pro illis actibus in quibus dissimulat; alioquin grauissimè peccaret non contradicendo. ergo eadem sufficiunt ad dispensationem.

Potest fieri dissimulatione.

Ratihabitio de præsenti.

Non obstat, quòd ad absolutionem ab excommunicatione non sufficiat, vt Prælatus ipso facto ad communionem admittat, aut cum eo communicet, vt constat ex Cap. Cùm consideres; & Panormitan. ibidem num. 3. de sententia excommunicationis; & Clement. Si Summus Pontifex, eodem; quia forma verbalis, qua ea absolutio significetur, à Iure est præscripta, vt ex illis locis constat; quamuis non certorum verborum formula. secùs in dispensationibus.

138 Tertiò requiritur acceptatio eius qui vouit: sicut vt condonatio debiti valeat, requiritur acceptatio debitoris. Confirm. Quia Deus non remittit obligationem voti nisi volenti eo solui; ita nec Prælato concessum remittere nomine Dei nisi volenti. Secùs est in dispensatione legum, impedimentorum matrimonij, irregularitatum, absolutione censurarum, & similium, quæ à sola voluntate Prælati pendent: in his enim non requiritur acceptatio nec consensus eius qui liberatur.

Acceptatio.

Fictè acceptans.

Si quis fictè acceptauit dispensationem vel commutationem voti, non est liber: potest tamen se liberare mutando animum, & interiùs acceptando, vel priorem inualidam acceptationem ratificando. Idem locum habet in contractibus, quando quis fictè vel metu consensit. potest enim postea etiam longo tempore interposito interiùs consentire. Ratio est, quia nihil defuit ad firmitatem actus præter consensum internum acceptantis, cùm exteriùs acceptauerit. atqui consensus internus semper præstari potest, quando alter manet in priore consensu. De quo vide suprà cap. 18. dubit. 7. in fine.

Dvbitatio xix.

Vtrùm Summus Pontifex possit dispensare in voto solemni castitatis, præsertim Religiosorum.

D. Thomas art. 11.

139 VOtum solemne castitatis est duplex: aliud est annexum Ordini sacro, aliud in professione Religionis approbatæ nuncupatur.

Votum annexum Ordini sacro.

Quod ad priùs attinet, Auctores ferè consentiunt (exceptis paucis qui continentiam Iure diuino connexam putant Ordini sacro) Pontificem posse in hoc voto dispensare. hoc autem potest fieri dupliciter. Primò, tollendo legem cælibatus ab ordinatione alicuius; seu concedendo vt ordinetur absque obligatione vel promissione continentiæ. Sed hoc non tam esset dispensare in voto continentiæ, quàm in lege Ecclesiastica, per quam hoc votum Ordini sacro est coniunctum. talis enim numquam vouit, sed solùm exemptus est ab obligatione vouendi & continendi, quæ obligatio est solùm ex lege Ecclesiæ. Vnde valet illa dispensatio, etiamsi facta esset absque causa; &, si ille accepto Ordine matrimonium contraheret, esset validum: neque peccaret contrahendo matrimonium & petendo debitum, nisi sicut is qui vtitur dispensatione absque causa obtenta. Vnde sepositò scandalo non esset peccatum mortale in illo contractu; quia solùm esset quædam inordinatio, quæ in eo sita est, quòd pars vna non sit conformis aliis in eodem corpore. multò minùs in petitione debiti, cùm ille nullo voto aut præcepto positiuo impediatur.

Secundò, dispensando propriè in voto iam facto. Sed hæc dispensatio non erit valida ad tollendam obligationem continentiæ, si non subsit iusta causa: erit tamen valida ad tollendum impedimentum matrimonij. Vnde si contrahat matrimonium, erit validum; non tamen poterit petere debitum: quia vis voti manet, quantum patitur status. tenebitur tamen reddere ob vinculum iustitiæ, quo coniugi est obstrictus: sicut is qui fecit votum simplex castitatis ante matrimonium. nam votum illius iam solùm habebit vim voti simplicis.

Votũ cast. Religiosorum.

De altero, nimirum de voto castitatis Religiosorum, est maior difficultas. D Thomas art. 11. docet Pontificem hoc votum non posse relaxare. 140 Ratio ipsius est, quia votum castitatis statui religioso est essentialiter annexum; ac proinde non potest ab hoc statu diuelli. si non potest diuelli à statu, non potest etiam tolli ab homine habente illum statum; quia ille status ab homine tolli non potest. quod probatur, quia hic status consistit in quadã consecratione, per quam totus homo Deo consecratur: id autem quod semel Deo consecratum est, non potest ampliùs ad vsus humanos conuerti, nec potest desinere esse consecratum, quamdiu integrum manet: vt patet in calice con-

Sententia D. Thomæ, non posse.

sacrato, & in homine consecrato in sacerdotem: ergo qui semel est consecratus Deo per votum solemne Religionis, non potest desinere esse Religiosus. Vnde vlteriùs infert D. Thomas, non posse dispensari in voto solemni paupertatis, & obedientiæ: quia etiam hæc vota essentialiter statui religioso sunt annexa, vel potiùs innexa, & intrinsecè inclusa. Hic est totus discursus D. Thomæ, qui consistit in duabus propositionibus: Prior est, Votum castitatis, seu debitum continentiæ essentialiter est annexum statui religioso. Hæc est verissima, & ab omnibus conceditur, & apertè colligitur ex cap. Cùm ad Monasterium. 6. de statu Monachorum. Altera est, Status religiosus non potest tolli ab homine, quamdiu viuit. Hæc est ambigua, & à multis negatur. Eamdem sententiam de voti castitatis insolubilitate, licet non eodem fundamento, tenet Altisiodorensis lib. 3. Summæ cap. 22. Glossa in d. cap. Cùm ad Monasterium. & in caput 1. de voto & voti redemptione. Albertus in 4. d. 38. art. 7. Almainus tract. de potestate Papæ cap. 3. Siluest. v. Votum 4. q. 5. Sotus l. 7. de Iustitia q. 4. art. 2. Petrus Arragon. q. 88. art. 11. Armilla v. Dispensatio, n. 12.

Duo fundamenta illius sententiæ.

Probatio illius.

Probatur hæc sententia Primò, Quia nihil est melius continentiâ, quo possit pro ea fieri compensatio, iuxta illud Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.* Ita Altisiodorensis & Glossa. Secundò, In voto solemni est traditio sui; in voto simplici solùm promissio: id autem quod semel est traditum, non potest vmquam repeti. Tertiò, Apostolus Matthæus noluit dispensare cum Iphigenia Regis Æthiopum filia, vt Hirtaco nuberet, etiamsi ipse promitteret conuersionem sui, & regni. Quartò, Si posset dispensare in voto continentiæ solemni, fieri posset vt viuente priori vxore posset quis ducere secundam: vt si Petrus ducta vxore, ante matrimonium consummatum ingrediatur Religionem; deinde Papa dispensante egrediatur, & ducat secundam. Quintò, Si talis voti vinculum posset tollere, posset etiam vinculum matrimonij rati, quod soluitur professione: atqui hoc videtur absurdum: ergo.

Cõtrarium verius.

141 Verùm contraria sententia est multò probabilior, pro qua

Dico Primò, Summus Pontifex, si iusta causa subsit, potest relaxare votum solemne castitatis Religiosorum, & cõcedere, vt matrimonium contrahant. Est communis sententia Canonistarum, teste Nauarro c. 12. n. 77. & ferè cõmunis Theologorum, Henrici quodlib. 5. q. 28. D. Thomæ in 4. d. 38. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 1. ad 3. quamuis hîc mutarit sententiam, ex prauo intellectu Decretalis Cùm ad Monasterium, teste Caietano, Richardi ead. dist. ar. 9. quæst. 1. Scoti ibid. q. vnica. Duran. ibid. q. 2. Palud. ibidem quæst. 4. ar. 4. concl. 11. & 12. Anton. 2. part. titul. 11. c. 2. §. 9. Angeli v. Votum q. 5. Caiet. ar. 11. Idem tenent plerique recentiores.

Probatur Primò, Pontifex potest relaxare votum simplex castitatis perpetuæ: ergo etiam solemne. Consequentia probatur, quia solemnitas voti sola Ecclesiæ constitutione est introducta; vt expressè habetur cap. vnico, de voto, in 6. vbi Pontifex sic ait: *Quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimẽdum matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quòd voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta, matrimonij verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso & in statu innocentiæ instituente vnionem & indissolubilitatem acceperit; præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, Illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut professionem expressam vel tacitam alicui de Religionibus per Apostolicam Sedem approbatis.* Idem expressè habetur in constit. Gregorij XIII. quæ incipit, Ascendente Domino. Si solemnitas est ex sola Ecclesiæ constitutione: ergo potest ipsa in ea dispensare: quia potest relaxare suam constitutionem.

Votum solemne quod sit.

Ex his apertè colligitur, voti solemnitatem consistere in eo, quòd ipsum coniunctum sit professioni Religionis approbatæ, vel susceptioni Ordinis sacri, & ex coniunctione cum tam præclaro actu, solemne dici: ait enim Pontifex, *votum solemnizari per susceptionem Ordinis sacri, aut professionem Religionis*, id est, *solemne* fieri. consistit ergo *solemnitas* eius formaliter in hac coniunctione. Sicut enim per Ordinem sacrum tradit quis sese irreuocabiliter statui Ecclesiastico: ita per professionem tradit se irreuocabiliter statui Religionis; ita vt nec ipse vmquam possit Religionem deserere, nec Religio possit illum dimittere sic, vt omni vinculo quo se obstrinxerat, maneat solutus. talem enim traditionem ex vsu recepto nomen professio insinuat. Dicitur autem hæc *solemnitas* esse ex constitutione Ecclesiæ: tum quia Ecclesia approbat Religiones; sine qua approbatione vota illa non essent solemnia, sed simplicia; & Ordini sacro annectit votum castitatis: tum quia statuit vt ratione huius coniunctionis censeantur solemnia, & certos effectus habeant, quos per se non haberent: nempe vt votum castitatis reddat inhabilem ad matrimonium, & votum paupertatis priuet omni dominio, & reddat illius incapacem; vt singula ex tribus inducant firmiorem minusque solubilem obligationem: quæ omnia, ipsa per se non possent. Denique quia Ecclesia potest plura vel pauciora ad voti solemnitatem requirere; plures vel pauciores effectus ei tribuere; sicut etiam ad solemnitatem matrimonij plura vel pauciora potest exigere. Sic olim erat votum solemne, etiamsi Religio non esset à Sede Apostolica approbata; vt infrà dicetur.

In quo solemnitas voti sita sit.

Hinc patet, solemnitatem voti Religiosorum non consistere in aliqua *benedictione* vel consecratione, vt innuit D. Thomas: quia nulla benedictio aut consecratio est necessaria, præter eam, quæ fit ab ipso vouente per votum, quo se Deo consecrat; qualis reperitur etiam in voto simplici. Nec refert quòd in aliquibus Religionibus fiat aliqua benedictio à Superiore, quia hæc non fit in omnibus; non enim in Ordinibus mendicantium: nec est constitutiua rei sacræ; qua res accipiat quoddam esse sacrum, maneatq; immobiliter ad vsum sacrum deputata; (qualis est benedictio aquæ, salis, vestium sacrarum) sed inuocatiua tantùm, vt Deus peculiariter ope sua Religioso adsistat; sicut benedictio Episcopi & Pontificis super populum, & benedictio mensæ, &c. de quo vide Caietanum art. 11.

Non consistit in benedictione.

Neque etiam in *traditione* & acceptatione, vt volunt Sotus suprà, Aragonius, & quidam alij. Quia si loquamur de traditione respectu Dei, & acce-

Non in traditione.

acceptatione ipsius Dei, hæc non magis fit in voto solemni quàm simplici. Vtrumque enim votũ est promissio alicuius rei. Nam votum generatim definitur promissio. quòd si votum solemne etiam est promissio, qua Deo aliquid promittitur soluendum: ergo nõ est illius traditio. Hæc enim inter se multùm differunt, & se habent sicut via & terminus; & sicut contrahere debitum & soluere. Nec obstat quòd in professione homo dicatur tradere seipsum ad cultum Dei. quia hæc traditio, quatenus respicit Deum, nihil est aliud quàm deputatio vel obligatio sui ad talem cultum, nempe ad abstinentiam libidinis, & paupertatem, &c. quæ deputatio non priuat dominio corporis: & non minùs fieri potest voto simplici quàm solemni. Acceptatio quoque ipsius Dei, non minùs habet locum in voto simplici quàm solemni; vtrumque enim illi gratissimum: sicut non minùs acceptat promissiones quàm oblationes.

Si autem loquamur de traditione respectu Prælati, eiusque acceptatione, hæc non fit præcisè vi voti, sed est quid annexum voto in professione, maximè voto obedientiæ; vt dicetur cap. sequenti dubit. 8. Sed hæc traditio potest etiam esse annexa voto simplici; vt patet in iis qui nuncupant tria vota substantialia in nostra Societate; statim enim emissis votis post biennium probationis in Societate, manet vouens eodem modo ligatus, quo Professus, & transit in ius Religionis. Et sanè nulla fingi potest ratio, cur homo non possit se tradere tum Deo, tum Prælato per votum simplex, ita vt Prælatus in illum ius acquirat, accedente præsertim ordinatione Ecclesiæ, qua hic modus approbetur, & Prælato auctoritas acceptandi detur.

Secundò Probatur, Pontifex potest dispensare in voto solemni Clericorum; vt fatetur D. Tho. & communis sententia Doctorum, cur non etiam in voto Monachorum? non enim illud est minùs solemne, nec minùs continet sui traditionem, quàm hoc. Nec refert quòd illud non sit essentialiter annexum Ordini sacro, sicut hoc statui Religioso; quia inde solùm sequitur, fieri non posse vt quis maneat Religiosus soluto voto; sicut fieri potest vt quis maneat ordinatus sublato voto. non autem sequitur votum tolli non posse vnà cum statu religioso. imò conuincit, ipsum quoque statum religiosum auferri posse; cùm hic non constet nisi votorum obligatione.

Exemplis probatur. Tertiò Probatur, Quia vt fide digni Auctores referunt, Pontifex sæpè vsus est hac potestate. Primò, Cum Nicolao Iustiniano Monacho professo dispensauit Alexander III. vt posset vxorem ducere, ne familia tam illustris extingueretur, ex qua susceptis sex filiis & tribus filiabus, ad Monasterium rediit, miraculis posteà clarus. Habetur in Vita S. Laurentij Iustiniani, & apud Volaterranum lib. 4. Historiæ. Secundò, Cum rege Aragoniæ, qui cùm esset Monachus professus, & eius pater sine liberis obiisset, solutus est votis monasticis vt vxorem duceret, teste Paludano d. 38. qu. 4. art. 4. conclus. 11. & referunt Annales Hispaniæ. Tertiò, Cum Constantia filia regis Siciliæ, Moniali professa, vt nuberet Henrico VI. refert Platina in Cælestino III. Omitto alios: atqui durum est, dicere, Pontifices in re tanti momenti errasse.

142 Dico Secundò, Potest etiam dispensare in voto solemni paupertatis & obedientiæ, si legitima causa subsit. non enim in his est maior difficultas, quàm in voto castitatis. Dixi, *si subsit causa*, quia Nauar. comment. 2. de Regularibus num. 17. putat, non posse iustam causam subesse, præsertim vt dispenseur in voto paupertatis; quia sufficit vt ei concedatur plena administratio absque dominio, quæ tamen sit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis: hæc enim sufficiens est ad omnes actus necessarios; vt ad donandum, ad acquirendum, ad contrahendum; ad condendum testamentum. Idem videtur dicendum de voto obedientiæ; non enim necesse est hoc vinculum laxari, sed satis est materiam subtrahi, tollendo subiectionem, quam habet subditus ad suum Prælatum. & tunc manebit soli Pontifici subiectus; sicut accidit quando Monachus fit Episcopus vel Cardinalis. Hæc sententia est valdè probabilis. *In voto paupertatis & obedientia.*

Contrariam tamen puto veriorem, nempe posse iustam causam subesse; vt si dispensetur vt Monachus fiat Princeps sæcularis & ducat vxorem; tunc enim est sufficiens causa vt votum paupertatis ei omnino laxetur, ne affectu proprietatis, largitionibus, sumptibus superfluis, aliisve modis, qui facilè in hoc statu possunt occurrere, peccet contra votum. Idem dico de voto obedientiæ. imò videtur hoc votum sponte cessare hoc ipso quo desinit esse Religiosus; quia non intelligitur nisi de iis, quæ continentur in regula, vel ad regulæ obseruationem diriguntur. In Episcopis tamen non desinit, sed mutatur in obedientiam congruentem illi statui, ipsorum tacito vel expresso consensu, vel nouo & formali voto. *Votum obedientiæ in Religioso Episcopo.*

Notandum est, Sotum lib. 10. de Iustitia qu. 5. art. 7. insinuare, reipsa dispensatum esse cum Episcopis Monachis in voto paupertatis: nam quod ad prouentus Ecclesiasticos attinet, Episcopi ex Monachis facti eodem modo obtinent portionem sibi assignatam, quo Episcopi sæculares suam: atqui sæculares ita suam obtinent vt eius habeant dominium, vt verior sententia tenet: ergo etiam Episcopi Monachi dominium habent portionis suæ. Idem probatur de bonis sæcularibus ex c. 1. Statutum. 18. qu. 1. vbi sic dicitur: *Statutum est, vt Monachus, quem electio canonica à iugo regulæ & professionis monachalis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem posteà Iure vendicandi potestatem habeat.* Vbi duo dicuntur: Alterum est, Monachum per electionem canonicam (intellige confirmatam à Pontifice) *liberari à iugo regulæ*, ita vt non ampliùs teneatur ieiuniis, abstinentia carnium, vsu laneorum, silentio, & reliquis monasticis obseruationibus in regula præscriptis. Excipio tamen *habitum*, quem vt ferunt, statutum est cap. Clerici officia, de vita & honestate Clericorum: quamuis in quibusdam locis, vt in Italia, teste Soto, hoc non seruetur. Alterum est, *illum habere ius successionis hereditariæ*; quod intellige, etiamsi fortè illud fuerit quasi extinctum; vt si sit ex Ordine mendicantium: quia non fuit extinctum absolutè, sed sub conditione, nisi fieret Episcopus. Confirmatur, quia Pontifex huiusmodi Episcopis interdum concedit potestatem vt emant bona sæcularia, eaque relinquant quibus volunt; quod est signum dominij. 143 *De Episcoporũ paupertate.* *Liberatur à iugo regula.* *Succedit in hereditatem.*

Sed verius est, eos hoc voto non esse absolutos, sicut nec voto obedientiæ; ita D. Thomas expressè art. 11. ad 4. estque communis sententia *Verius est, non esse liberos.*

Doctorum, Nauarri, de reditibus qu. 3. monit. 12. Siluestri Religio 6. num. 10. Armillæ v. Religio n. 25. & aliorum. Ratio est, quia obligatio horum votorum est de essentia Religionis, vt apertè colligitur ex cap. Cùm ad Monasterium. Vnde cùm per Episcopatum non desinat esse Religiosus, non soluitur his votis.

Deinde quia necesse non est, Religiosum Episcopum factum, esse dominum suæ portionis: satis est vt habeat administrationem, qualem Canones illi permittunt, tum ad suam sustentationem, tum ad pias causas: hæc enim administratio sufficit ad tales actus. Ius autem successionis non acquirit per Episcopatum; nam illud etiam antè habebat, existens Monachus, vt constat ex cap. 9. Si qua mulier. 19. qu. 3. & ex L. Deo nobis. C. de Episc. & Cler. sed per Episcopatum fit, vt si quid in posterum acquirat, id cedat non Monasterio, sicut antè, sed ipsius Ecclesiæ: & hoc est quod disponitur cap. Statutum. Quòd si ipse sit ex Ordine mendicantium, extinctum quidem aliquo modo fuit ius successionis, sed per Episcopatum reuiuiscit in commodum Ecclesiæ ipsius, ita vt Ecclesia habeat dominium rei sic acquisitæ, & ipse administrationem. Vide Siluestrum Religio 4. quæst. 10.

144 *Ad argumenta. Status relig. potest tolli ab homine.* Ad argumentum D. Thomæ, Negandum est, statum religiosum non posse auferri ab homine: hic enim status non in aliqua consecratione distincta ab obligatione votorum consistit, vt supponit argumentum; sed in ipsa votorum obligatione. vnde cùm obligatio huius voti possit auferri ab homine, (vt patet in voto sacris Ordinibus annexo) etiam consecratio illa, quæ est per votum. Quod confirmatur exemplo aliorum, quæ sic Deo consecrantur, (vt sunt omnia, quæ ex voto offeruntur) quæ tamen ex causa ad vsus profanos conuerti possunt. Sic etiam panes propositionis etsi Deo essent consecrati, & soli sacerdotes iis vesci possent; tamen in necessitate Dauid & socij illis vsi fuere. Idem sæpè factum in armis, vestibus Deo oblatis, in terra consecrata, & similibus. Addo, valdè probabile esse, etiam alias consecrationes ab Ecclesia institutas, à rebus consecratis & benedictis tolli posse eiusdem Ecclesiæ auctoritate, rebus ipsis saluis manentibus; vt à templis, altaribus, calicibus, aqua benedicta, vestibus sacris, & similibus. Cur enim Ecclesia non possit constituere vt templum consecratum amittat consecrationem dum polluitur vel profanatur? aut calix dum à fabro malleo tangitur? vel etiam vt consecratio non duret nisi ad certum tempus, & tunc per se euanescat? omnis enim talis benedictio & consecratio non videtur esse aliud quàm deputatio ad vsum sacrum, cum inuocatione diuinæ virtutis & assistentiæ vel ad debitum vsum, vel ad excitandam reuerentiam, & deuotionem, vel ad consequendum finem nostrarum precum: nam duo illa abundè sufficiunt vt res dicatur consecrata, & sacra. nec alia ratione videtur Ecclesia posse rei sanctitatem conferre extra Sacramentum: atqui illa, nimirum deputatio & inuocatio, non habent vim nec durationem, nisi secundùm intentionem deputantis & inuocantis.

Alias consecrationes tolli posse.

Quid consecratio & benedictio.

Ad aliorum argumenta:

145 *Ad argumenta aliorum.* Ad primum respondet D. Thomas, negando nihil esse, quo continentia possit compensari: oratio enim & contemplatio multò est præstantior, cùm sit finis continentiæ; & tamen votum horum potest relaxari. Adde, aliam esse Scripturæ mentem: non enim continentiam ceteris virtutibus, sed talentis auri præfert.

Ad secundum: Etiam in voto simplici est traditio sui, nō tantùm promissio; quia per votum simplex castitatis homo statim tenetur ad omnia ea, ad quæ per votum castitatis solemne. Imò per vota simplicia potest quis fieri verus Religiosus, si Sedes Apostolica ad hunc finem ea acceptet, vt infrà cap. 41. n. 8. ostendemus. Vnde verum non est, votum simplex se habere ad solemne sicut sponsalia ad matrimonium; nisi loquamur de certo & particulari illo voto simplici, quo quis vouet se fore Religiosum: hoc enim ad vota solemnia se habet vt sponsalia ad matrimonium, & de hoc intelligendus est D. Thomas art. 11. *In voto aliquo simplici etiam est traditio.*

Ad tertium: Non est certum, Hirtacum petiisse ab Apostolo vt cum Iphigenia dispensaret, vt Caietanus & alij testantur. Deinde si petiit, non videtur sincero animo promisisse conuersionem. Denique illis initiis Ecclesiæ fortè non erat expediens.

Ad quartum: Negandum est illum habiturum duas vxores viuas: nam prior desiit esse vxor, per professionem Religionis soluto vinculo coniugali.

Ad quintum: Non est absurdum, sed probabilius quàm oppositum, Pontificem ex causa posse dispensare in matrimonio rato non consummato. Ita tenent communiter Doctores Canonum & Legum, Nauarrus cap. 22. num. 21. dicit Paulum III. & Pium IV. ter vel quater se petente dispensasse. Caietanus tom. 1. Opusc. 28. dicit Pontifices suo tempore sæpè dispensasse. Henriquez, de matrimonio cap. 8. num. 11. dicit Gregorium XIII. dispensasse vno die cum vndecim. sed plura de hoc dicenda tractatu de matrimonio. 146 *Potest dispensare in matrimonio rato non consummato.*

DVBITATIO XX.

Vtrùm obligatio voti habentis tacitam vel expressam conditionem cesset, si conditio tollatur per vim vel fraudem vouētis?

Verbi gratia, Vouit aliquis Deo & Superiori, perpetuò seruire in Hospitali, vel Monasterio, sub hac tacita vel expressa conditione, Si Superior me voluerit retinere; & Superior hoc votum legitimè acceptauit; Quæritur, Vtrùm obligatio voti cesset, si ipse de industria malè seruiendo, damna supellectili inferendo, & omnia turbando dimissionem extorserit. 147

PArs affirmans probari potest, Primò, Quia si Superior talem dimitteret sponte sua; ille ad nihil ampliùs teneretur, etiamsi nulla causa dimissionis subesset; idque ob tacitam conditionem, quæ voto ipsius subest: ergo similiter in casu proposito liber erit, cùm absolutè dimittatur. *Probatio partis affirmantis.*

Secundò, Illud votum habebat tacitam conditionem, Si me retinere voluerit: ergo si retinere noluerit, & dimiserit, ero liber. Conseq. probatur, Quia non refert ex qua causa proueniat quòd nolit retinere, quando reuerà liberè dimittit.

Sed contrarium videtur omnino tenendum, scilicet talem non esse tutum, nisi paratus sit impedi- 148 *Contrariū tenendum.*

pedimenta per malitiam posita tollere, & rursum ad obsequium præstandum se offerat, si Superior velit eum admittere. Ita expressè docet Richardus in 4.dist.38.ar.5.qu.3. Silvest. Votum 2.quæst.2. Angelus v. Votum 1.num.10. & alij.

Probatur Primò, Si alicui elocarem operam ad decennium certo pretio, sub hac conditione, si ille me volet in domo sua retinere; & posteà malè agerem, eo fine vt me domo sua eiiciat, vel conuitiis aut minis id extorquerem; nemo censeret me liberum, nisi rursus offerrem me ad præstandum contractum promissa emẽdatione; quia fraus & iniuria nemini debent patrocinari: & sicut contractus debent esse liberi, ita etiam distractus, seu contractuum dissolutiones. atqui hic noster casus est planè similis: non enim minor libertas requiritur ad condonationem voti & talis promissionis, quàm ad dissolutionem alterius contractus.

Dissolutio contractuũ & condonationes debent esse liberæ.

Secundò, Si hac forma votum conciperem, Voueo Deo & tibi Prælato perpetuum obsequium in hoc Monasterio, si me voles retinere; ita tamen vt si fraude, minis, aliove modo dimissionem extorsero, nolim vlteriùs obligari; imprudenter & irreligiosè conceptum censeretur, nec Prælatus vellet acceptare: atqui hoc modo intelligi deberet, si quius modus tollendæ conditionis, & obtinendæ missionis ad liberationem sufficeret.

Tertiò, Qui illo modo vouet, non minùs obligatur ex parte sua, quàm si nulla talis conditio subesset: non enim illa conditio additur vt ipse vouens minùs sit obstrictus, aut faciliùs obligationem possit excutere; sed vt Prælato sit integrum, si aliquando deprehenderit ipsius obsequium minùs esse necessarium vel vtile, illum dimittere. atqui si illa conditio abesset, & eo modo dimissionem extorqueres, nemo te censeret liberum, nisi rursum te paratum exhibeas: ergo nec appositа tali conditione liber eris.

149 Quartò, Qui minis & fraudibus nititur extorquere dimissionem, facit iniuriam Prælato & Monasterio, adimendo illi libertatem, quam habere debet ad talem actum, & cogendo ad id quod aliàs nollet: ergo tenetur illum restituere in priorem statum, reddita libertate vt faciat quod bonum illi videbitur. hoc autem fieri non potest, nisi paratus sit rursus ad obsequium recipi, & quantum in se est, omnia reddere infecta, ea in statum priorem reuocando. Confirmatur, quia quicumque per iniuriam cogit alterum ad aliquem contractum vel distractum, tenetur illum restituere suæ libertati, & paratum se exhibere ad omnia reducenda in priorem statum, vt omnes Doctores docent: de quo vide suprà cap. 17. dubit.6 at in tali voto, inter Prælatum & vouentem est aliquis contractus, & hic cogit illum per iniuriam ad contractum dissoluendum: ergo. Nec refert vtrùm cogat per metum grauem, an leuem, modò iniuria sit causa sine qua alter nollet dissoluere. Pari modo qui per iniuriam extorquet ab aliquo condonationem eius rei, quam illi debet ex iustitia, vel alia stricta obligatione, non liberatur, nisi illum restituat suæ libertati, vt liberè condonet: at iste vouens ex iustitia tenetur manere; & extorquet dimissionem per iniuriam: ergo non liberatur, &c.

Vouens finem, vouet tacitè media.

Quintò, Qui vouet aliquem finem, censetur tacitè etiam vouere media ad illum finem necessaria, vt per se patet: atqui medium necessarium est, non ponere directè impedimenta implendi voti, & si posueris, ea tollere quantum potes: ergo qui vouit perpetuum obsequium in Monasterio, si directè aliqua impedimenta obiecerit, tenetur ea pro sua virili tollere; ac proinde mutatis moribus se rursus exhibere.

Dices, Id esse verum ante dimissionem, quando votum principale adhuc obligat: secùs quando sublatum est per dispensationem. 150 *Obiectio.*

Respondeo, Certum est; hoc votum non posse tolli per dispensationem; quia non subest iusta causa, vti supponimus, cuius defectu omnis dispensatio est irrita. Per irritationem tamen, vel potiùs desitionem conditionis, sub qua factum est, tolli potest: sed cùm hæc per iniuriam extorta sit, non potest ita tollere votum vt cesset omnis obligatio; nec potest alterum reddere securum, nisi paratus sit omnia in priorem statum reducere. Sicut si aliquid mihi vel tertio in meum fauorem promisisti, & cogas me ad condonationem, non liberaris, vt antè dictum est. *Resp.*

Sextò, Talis non videtur posse verè pœnitere coram Deo, nisi paratus sit sarcire iniuriam, quam intulit Monasterio & Prælato, vtendo modis illis iniquis, & ita se ab obsequio promisso subtrahendo: præsertim cùm ei lege iustitiæ, vel quasi iustitiæ esset obstrictus; nam fides est pars quædam iustitiæ, vt suprà cap. 18. dubit. 8. ostensum est. Hoc enim habet omnis iniuria, vt non possimus de ea pœnitere sicut oportet ad salutem, nisi parati simus illam reparare vel tollere, si alter velit. Idem dico de iniuria facta Deo, cogendo Prælatum condonare quod ipsi promiserat: sed iniuria ista non potest sarciri nisi dolendo ex animo de eo quod factum est, & paratum se exhibendo ad omnia in integrum reuocanda quantum fieri potest.

Denique, Omnis promissio facta alicui sub conditione posita in arbitrio tertij, ita interpretanda est, vt illi tertio debeat relinqui libertas vt conditionem ponat, vel tollat; & si promissor cogat ad tollendam conditionem, non censebitur idcircò liber. v.g. promisisti puellæ nuptias, si parens eius consenserit; deinde cogis parentẽ vt non consentiat; non ideò censendus es liber, quia non sic ab initio conditionem intellexisti. Item omnis conditio ita interpretanda est, vt non det occasionem violandi voti vel contractus: atqui daretur maxima occasio violandi, si ita intelligeretur vt posset huiusmodi malis artibus euerti: ergo, &c.

Ad Primum: Prælatus eo casu dimittit quidem absolutè, sed coactè, non liberè: at quæ vi vel metu facta sunt, in irritum reuocanda sunt; cap.2.de iis quæ vi. 151 *Ad argumenta.*

Ad Secundum: Ideò illa dimissio est valida, quia sponte facta; tollitur enim illa conditio, quæ tacitè inerat, omnino liberè: hîc autem extorta est per iniuriam. Ad probat. conseq. Maximi refert à qua causa proueniat consensus in omni contractu: si enim extorqueatur per iniuriam, contractus est irritus, vel in irritum reuocabilis; & qui extorsit, tenetur reducere omnia ad priorem statum, si alter velit. Neque verum est, hunc liberè dimitti ea libertate, quæ sufficiat vt actus sit omnino validus, reddatque alterum securum, vt patet in condonationibus simili modo extortis.

Peres, Quid si talis non solùm vouit obsequium & famulatum, sed etiam continentiam 152

per-

perpetuam, sub eadem tacita vel expressa conditione; Vtrùm dimissione extorta teneatur adhuc voto castitatis?

Quid si vouit etiam continentiam.

Respondeo, Probabile est non teneri immediatè hoc voto; quia mens ipsius non videtur fuisse ad hanc se obstringere, nisi maneret in Monasterij obsequio; non autem si contingeret illum dimitti. Tenetur tamen mediatè, quatenus obligatur se rursus exhibere, vt recipiatur ad præstandum seriò & bona fide famulatum, quem promisit. vbi enim receptus fuerit, rursus tenebitur vi prioris voti.

Contrarium tamen videri possit probabilius, quia conditio sub qua promisit, non fuit sublata eo modo, quo debuit vt votum cessaret: mens enim vouentis erat se obligare, nisi sponte ipsum Superior dimitteret, seu quamdiu illum sponte retinere vellet: atqui nunc illum non dimisit sponte, sed coactus ab ipso per iniuriam; & adhuc cupit illum retinere quantum est ex parte sua: ergo conditio non est sublata eo modo, quo debebat tolli; ac proinde manet obligatio.

CAPVT XLI.

De Statu Religioso.

Constat Dubitationibus 15.

EXplicato voto, sequitur vt dicamus de statu religioso, de quo D. Thomas q. 186. & tribus sequentibus. Tamen quia hic status totus constat voto, commodissimè hoc loco tractabitur.

Status Episcoporum in tractatu de Sacramento Ordinis explicandus.

DVBITATIO I.

Quænam requirantur ad statum religiosum.

1 *Quid status, & quotuplex.*

NOTANDVM Primò, Nomen *status* in proposito dupliciter accipi. Primò; Generatim: sic quæuis vitæ conditio, in qua homo ad tempus vel perpetuò perstat & permanet, *status* dicitur, vt status innocentiæ, status legis naturæ, status legis Moysaicæ & Euangelicæ; status huius vitæ, & vitæ futuræ; status beatorum, & status damnatorum; status incipientium, proficientium, perfectorum; status Ecclesiasticus, & status sæcularis; status seruorum & liberorum; viduarum, & virginum, &c. Vide Caietanum quæst. 183. art. 1. Secundò, Strictè, pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obstricti sumus: hoc enim nomen quamdam firmitatem denotat, vt docet D. Thomas q. 183. art. 1. & passim alij Doctores. Hoc modo

Tres status.

D. Thomas constituit tantùm tres status in Ecclesia, Episcoporum, Religiosorum, & coniugatorum; Episcopi enim perpetuo vinculo obstricti sunt obsequio suæ Ecclesiæ: Religiosi obsequio diuino: coniuges obsequio mutuo. ex his duo sunt spiritales, & vocantur status perfectionis: tertius est sæcularis.

2 *Religionis nomen tripliciter accipitur.*

Notandum Secundò, Nomen *religionis* tripliciter accipi. Primò, Pro virtute qua Deus colitur, de qua suprà cap. 36. Secundò, Pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro talis formulæ professione, per quam homo mancipatur obsequio diuino quantum præcisè necessarium est ad salutem; qualis est modò religio Christiana, & olim religio Iudaica. Tertiò, Pro peculiari quadam formula & professione, per quam homo ex libera sua electione penitus obsequio diuino mancipatur. hæc supponit omnia ad quæ obligat communis religio Christiana, & propriè includit aliqua alia, quæ maximè ad perfectionem conducunt. vnde peculiari ratione vindicat sibi nomen Religionis. huius professores propriè dicuntur *Religiosi*; quasi toto diuino cultui addicti. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap. 6. dicit eos *à suis ducibus*, id est, ab Apostolis *appellatos* Θεραπευτὰς, *à puro Dei obsequio & cultu*. eodem nomine vocat illos Philo in lib. de Contemplatione; idque ob duas causas, vt ibi insinuat: tum quia cultui & obsequio Numinis penitus dediti; tum quia toti sunt in animo suo curando & virtutibus excolendo. Θεραπεύειν enim duo significat, *colere* & *curare*, seu mederi; eodemque modo vsurpatur apud Græcos, quo hæc apud Latinos. Vocati sunt etiam ab Apostolis *Monachi*, teste Dionysio suprà, *à vita indiuisibili & singulari, qua in Deiformem monadem colliguntur & perficiuntur.* Dicuntur etiam ἀσκηταὶ à D. Basilio & aliis, id est, *exercitores*, quia eorum munus est, se in virtutis palæstra exercere. Hinc ἀσκητήριον eiusdem Basilij, quæ ad institutionem Monachorum pertinent. Nomen tamen *Monachi* propriè non conuenit omnibus Religiosis, sed solis vitæ contemplatiuæ deditis. non enim Mendicantes propriè sunt Monachi, cùm assiduè inter homines versentur, & multò minùs qui ex instituto sunt Clerici seu sacerdotes, vt sunt Canonici regulares, & Religiosi Societatis IESV. alia enim est Religio Clericorum, alia Monachorum, vt constat ex cap. Licet. 18. de Regularibus, cap. Nullus. 1. & cap. 2. Mandamus. 19. qu. 3. & aliis multis Iuribus. in fauoribus tamen, nomine Monachorum veniunt omnes Religiosi, vt docet Panormitanus in cap. Ex parte. 2. de postulat. Prælat. & alij Doctores.

Cur dicti Θεραπευταὶ.

Monachi.

Ἀσκηταὶ.

Vulgò in Italia, Hispania, & Gallia vocantur Patres; quod nomen potiùs est beneuolentiæ & charitatis, quàm honoris. nam etiam laicis Religiosorum à sæcularibus tribuitur. vnde etiamsi sæcularibus sacerdotibus, & in primis Parochis tribui possit; tamen honoris causâ hi potiùs vocantur domini quàm Patres, sicut & Magnatum filij, patres suos dominos vocant. Itaque Religiosis, qui in plebem & pauperes quoslibet parentum affectum & officia præstant, & magis amo-

Patres.

amoris, quo ad benevolentiam excitentur, quàm honoris, quo intumescant, titulis delectari debent, hoc nomen propriè tribuitur.

3 Notandum Tertiò, Religionem, seu *statum religiosum*, sicut & quoduis officium, dupliciter posse spectari. Primò, In actu primo, seu in habitu; & sic nihil est aliud quàm debitum religiosè viuendi. Secundò, In actu secundo, & sic est ipsa religiosa vita voto firmata.

His positis, difficultas est de tribus votis, de solemnitate votorum, de regula, & de Pontificis approbatione.

Ad essentiã Religionis requiri tria vota. Quod ad primum attinet, Certum est, ad statum Religionis essentialiter requiri tria vota, eaque perpetua, paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Est communis sententia Theologorum & Canonistarum. 4 Nec sufficit seruari hæc tria sine voto; quia sic non constituunt statum, cùm non habeant firmitatem: nec homo perfectè dedicatur Deo nuda illa obseruatione absque voto; quia libertatem resiliendi sibi retinet, quæ per votum abdicatur. *Nazaræi.* Hinc Nazaræi, qui erant typus nostrorum Religiosorum, voto consecrabantur Domino, vt constat ex cap. 6. Numer. Deinde ad perfectionem Religionis requiritur vt homo totam vitam suam Deo consecret. nam vt Gregorius homil. 20. in Ezech. ait: *Cùm quis omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est*; addens, illud offerri ab his qui sæculum deserunt, & relicta Ægypto sacrificium offerunt Domino in eremo, id est, in statu Religionis: atqui non potest quis vitam suam totam simul Deo consecrare ipso actu; quia non tota simul agitur, vt inquit D. Thomas qu. 186. art. 6. ad secundum; ergo id voto fieri debet. Nec sufficit votum, nisi sit perpetuum; quia alioquin est imperfecta sui mancipatio retrò respiciens, & ius retrocedendi retinens.

Quòd hæc tria requirantur, Probatur Primò, Quia Religio est forma quædã vitæ, vel obligatio ad formam vitæ ducentem ad imitationem Christi, & ad perfectionem charitatis: sed hæc tria maximè sunt conuenientia ad imitationem Christi & perfectionem charitatis consequendam: ergo, &c. Maior per se patet. Minor probatur. Ac primùm quòd *paupertas* ad hoc sit maximè conueniens, constat ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* & infrà: *Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Hinc Dominus Matth. 5. *pauperes spiritu*, (id est, affectu & libera electione, non misera & ingrata necessitate) *beatos* vocat; quia ipsis regnum cælorum rependetur. hinc in primitiua Ecclesia omnia erant communia, nec quisquam aliquid suum esse dicebat, maximè apud Iudæos conuersos: idque voto videntur promisisse: alioquin Ananias & Saphira non adeò grauiter puniti fuissent, quòd aliquid de pretio sibi retinuissent; nec Petrus diceret illos *mentitos Deo, non hominibus. Mentiri* enim *Deo*, est non seruare quod ei promiseris. Ita expressè docent Patres, Hieronymus epist. ad Demetriadem, Augustinus serm. 12. de diuersis, Chrysost Hom. 12. in Acta, & alij. Denique Apostoli paupertatem seruarunt, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*: & Christus ipse pauperrimus fuit, Matth. 8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.*

Paupertatem requiri. *Ananiæ & Saphiræ votum.*

5 *Castitatem requiri.* De *castitate*, Matth. 19. *Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei. qui potest capere, capiat.* quasi dicat, res ista est valdè eximia, hortor vt quisque pro suo captu ad eam aspiret, & qui difficultatem paratus est vincere, amplectatur. Dicimur enim *posse*, quando audemus, & non sinimus nos difficultate rei superari; *non posse*, quando cedimus difficultati, quamuis eam possemus absolutè vincere. sic vulgò dicitur, Non possum hanc iniuriam diutiùs ferre, Non possum condonare, Non possum tam tenuiter viuere, &c. 1. Corint. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Beatior erit, si sic permanserit secundùm meum consilium.* Denique toto illo capite hortatur ad continentiam; quia hæc præbet facultatem Domino meliùs seruiendi. Vnde Dominus, Apostoli, & clarissimi Sanctorum, continentiam coluerunt. Quòd autem voto firmari soleat, patet ex Apost. 1. ad Tim. 5. *Adolescentiores viduas deuita*, (Græcè παραιτοῦ, recusa, non admitte) *cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo* (id est, in iniuriam Christi sponsi sui fornicatæ) *nubere volunt*; *habentes damnationem, quia primam fidem* (quam Christo dederant vouendo continentiam) *irritam fecerunt.* Ita exponit hunc locum Concilium Carthaginense 4. cap. 104. & omnes Patres.

Obedientiã requiri. De *obedientia*, ad Philippen. 1. *Christus obediens fuit vsque ad mortem:* & qui Dominum vult sequi, debet *abnegare seipsum*, Matth. 16. quæ abnegatio maximè fit per obedientiam, dum iudicium & voluntatem nostram in omnibus Superiori subiicimus.

6 *Probatur ratione.* Secundò Probatur; Status religiosus potest considerari vel vt est quoddam *holocaustum*, quo homo omnia sua consecrat Deo; vel vt est *exercitium* tendens ad perfectionem, vel vt est *remotio impedimentorum* salutis. Si primo modo consideretur, requiruntur illa tria: nam per votum obedientiæ offert Deo animam, subiiciens iudicium & voluntatem in rebus agendis Superiori propter Deum. Per votum castitatis offert corpus, abstinens se causâ Dei à voluptatibus carnis. Per votum paupertatis offert res exteriores, se illis propter Deum priuans. Si secundo modo, eadem requiruntur. vt enim homo exerceat se ad perfectionem, debet exuere affectum & sollicitudinem rerum terrenarum; (vt multis docet Dominus Matth. 6.) quod fit paupertate voluntaria. Debet abstinere à voluptatibus carnis, quæ mentem ad spiritualia reddunt maximè ineptam; (vt patet 1. ad Corinth. 7.) quod fit cultu castitatis. Denique debet dirigi tamquam discipulus, ne proprio iudicio & affectu fallatur: vt sæpè Scriptura monet, Prouerb. 19. 22. Eccles. 6. & alibi. hoc autem fit obedientiâ.

Vt holocaustum. *Vt exercitium perfectionis.*

Si tertio modo, eadem requiruntur. nam tria sunt quæ maximè salutem hominis impediunt, cupiditas rerum terrenarum, oblectationes carnis, & amor proprij iudicij & voluntatis; quæ tria insinuantur 1. Ioannis 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Itaque cùm hæc tria tollantur votis Religionis, per Religionem exuitur mundus.

Vt remotio impedimẽtorum.

Deni-

Vt amotio sollicitudinum.

Denique eadem requiruntur vt mens hominis à sollicitudine sæculi liberetur, & tranquillitatem assequatur. tota enim sæculi sollicitudo versatur in rebus temporalibus, in vxore, & liberis, & in gubernatione vitæ propriæ. vide D. Thomam quæst.186.art.7.

7 *Imperfecta Religio.*

Ex his patet, Illa Instituta, in quibus non faciunt votum castitatis absolutæ, sed solùm castitatis coniugalis; vt fit in quibusdam Ordinibus militaribus, non esse propriè & perfectè Religiones, sed solùm imperfectè, & secundùm quid: quia non continent primaria consilia Christi: castitas enim coniugalis non est consilij, sed præcepti. Vnde in tali Instituto non fit holocaustum perfectum; quia corpus Deo non offertur. Deinde mens hominis non abducitur à delectationibus carnis, quæ maximè illam ad spiritalia reddunt ineptam: nec à studio placendi vxori, quod hominem diuidit, teste Apost. 1. ad Cor. 7. nec ab aliis sollicitudinibus innumeris, quas status matrimonij ingerit, quæ hominem à rebus diuinis maximè auocant. Denique quicumque iam inde à temporibus Apostolorum se Deo dedicare voluerunt, ante omnia castitatem ei vouerunt, tamquam hac vna re potissimùm reddamur diuino obsequio idonei. Idem docet diuus Thomas qu.186. ar. 4. ad 3. *Illi*, inquit, *modi viuendi secundum quos homines matrimonio vtuntur, non sunt simpliciter & absolute loquendo Religiones; sed secundum quid, in quantum scilicet in aliquo participant quædam, quæ ad statum Religionis pertinent.* Et Sotus libro 7. de Iustitia, quæst. 5. artic. 3. In eadem est Glossa in Clement. Ex eo, de sentent. excomm. & alij. Quæ verò Nauarrus de reditibus quæst. 1. monito 55. adducit, solùm probant tales posse dici *personas Ecclesiasticas* & *Religiosas* imperfecto modo.

Obiectio.

Dices cum Nauarro, Qui verè est Religiosus, non desinit esse talis ex eo quòd Papa cum illo super aliqua parte voti dispensset: sed Papa dispensauit cum illis vt possint ducere vxores: ergo, &c.

Resp.

Resp. Maior vera est, si illa pars voti talis sit, vt sine ea possit essentia Religionis consistere: at obligatio castitatis non est talis, vt apertè colligitur ex cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, vbi dicitur, *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere:* quod Doctores passim intelligunt, remanente statu Monachi, seu religioso.

Vnde vlteriùs sequitur, si eorum professio ab initio fiat cum illa moderatione ad castitatem coniugalem, eos non fore propriè Religiosos. Cetera, quæ Nauarr. adfert, omitto, quia parum vrgent.

8 *Solemnitas an. 1. necessaria.*

Quod attinet ad secundum, non est necessarium ad essentiam status religiosi, vt vota ista sint solemnia; sufficit vt ab Ecclesia in eum finem acceptentur. Probatur Primò, Quia solemnitas votorum est ex institutione Ecclesiæ, vt suprà cap.40. dubit. pænult. ostensum est: quæ sicut in vna Religione potest aliquam solemnitatem vel conditionem requirere vt acceptet illam pro Religione, ita & in alia potest non requirere. Ea autem, quæ ipsi Religioni secundùm se essentialia sunt, Iure diuino sunt constituta. Secundò, Quia illa solemnitas solùm inducit quamdam innabilitatem ad proprietatem bonorum, & ad matrimonium: quæ inhabilitas non est necessaria ad statum perfectionis: nam potest quis esse verus Religiosus manente vinculo matrimonij, si præscindatur facultas eo vtendi, vt patet quando coniunx ex consensu alterius profitetur. Simili modo dominium non magis repugnat statui Religionis quàm vsus, si omni momento dependeat à nutu Superioris, ita vt ad omnem nutum illius sis paratus resignare. Nec obstat cap. Cui ad Monasterium, suprà citatum, vbi dicitur, *abdicationem proprietatis adeo esse annexam regulæ monachali, vt nec Summus Pontifex contra eam possit licẽtiam indulgere.* quia loquitur de *proprietate* quatenus significat ius independens à voluntate Superioris, quo quis possit rem tenere, & vti tãquam non subiecta Superioris auctoritati. quo modo passim accipitur, quando de proprietate Regularium agitur, vt patet cap. 2. & 4 eodem titulo. vbi dicitur, Religiosum, qui in extremis *habere peculium* (nempe absque Superioris concessu, vt ibidem apertè insinuatur) vel *habere proprium* deprehensus fuerit, non esse in loco sacro sepeliendum. vbi nihil aliud est *habere proprium*, quàm aliquid tenere inscio Superiore quasi iure proprio, & tamquam non subiectum Superioris dispositioni; ita vt non sit paratus ad Superioris arbitrium relinquere. Itaque *proprietas* non accipitur ibi pro qualicumque dominio rei etiam separato à libero rei vsu. neque talis dominij abdicatio pertinet ad essentiam Religionis, cùm nullo modo officiat perfectioni; præsertim quando iusta causa est illius dominij ad tempus retinendi. parui enim æstimatur dominium rei, si non magis possis ea vti aut de ea disponere absque Superioris arbitrio, quàm si dominium non haberes, & quouis momento paratus esse debeas illud abdicare. Sicut enim dominium, quod maritus habet in corpus vxoris, non repugnat statui Religionis, sed solùm vsus: ita nec dominium rei, nec vsus illi repugnat, nisi sit independens à Superioris arbitrio. Tertiò, Quia per vota simplicia in Societate Iesv post probationem emissa, efficiuntur veri Religiosi, vt motu proprio & ex certa scientia declarauit & definiuit Gregorius XIII. in sua Constitutione, quæ incipit, Ascendente Domino, anno 1584. edita, vbi etiam excommunicat, & inhabiles ad omnia beneficia & officia sæcularia ac regularia reddit eos qui contrarium ausi fuerint affirmare. Idem colligitur ex Concil. Tridentino sess. 25. cap 16. de Regularibus, vbi agens de professione Nouitiorum, quomodo in aliis Religionibus fieri debeat, approbat peculiarem modum Societatis, (quam & Religionem Clericorum vocat) quo, peracto biennio probationis, emittunt vota simplicia, & desinunt esse Nouitij, habenturque Religiosi: ergo tacitè insinuat illos fieri verè Religiosos. *Constitutio Greg. XIII*

Idem apertè colligitur ex aliorum Pontificum, Pauli III. Iulij III. Pij IV. & Pij V. diplomatibus; quibus Primò totum Societatis institutum & modus procedendi approbatur & confirmatur. *Probatur ex litteris aliorum Pontif.*

Deinde declarantur apostatæ & excommunicati omnes eius desertores; quæ declaratio falsa esset, nisi ipsi essent veri Religiosi. nemo enim in Iure vocatur apostata, nisi qui religionem Christianam, vel Institutum religiosum ab Ecclesia approbatum, cui insitus erat, deserit. neque sententia

tentia excommunicationis in Iure causa desertionis cuiquam, nisi talibus infligitur.

Tertiò, Istis desertoribus aditus ad alios Ordines etiam mendicantium intercludit̃r, & professio in eis facta seu attentata decernitur irrita, præterquam in Religione Carthusianorum: atqui nemini, qui non sit in statu perfectionis, aditus ad statum perfectionis est intercipiendus: ergo supponebant isti Pontifices, illos iam esse in statu perfectionis. Ex quibus est perspicuum, illos sensisse, per ista vota simplicia fieri verè & propriè Religiosum. & sanè nisi ita esset, grauiter illi errassent, habendo apostatarum loco eos qui egrediuntur, & excommunicationis sententiam, etiamsi alium Ordinem ingrediantur, in eos proferendo, & professionem irritam reddendo. quid enim hoc aliud esset quàm impedire statum perfectionis, & sequelam consiliorum Christi, & pro ea hominem eiicere extra Ecclesiam? Itaque de hac re non potest esse vlla dubitatio.

Quartò, Si per vota simplicia non posset quis fieri Religiosus, id esset vel quia per illa non fit traditio sui, sed solùm promissio: vel quia per illa non sortitur statum immobilem: vel quia non obligamur ad illas functiones perfectionis, ad quas obligamur per solemnia. Non primum, Quia per illa fit vera traditio, vt suprà ostensum est, & Ecclesia acceptat illa, mediante Prælato, cui hanc auctoritatem dedit. Non secundum, Quia qui sic se astrinxit, non potest se vllo modo illa obligatione eximere: vnde ex se est perpetua & immutabilis.

Nec obstat quòd possit dimitti, & votis liberari; quia etiam professi auctoritate Pontificia votis solemnibus eximi possunt, vt cap. 40. dubit. vlt. ostensum est. Ad statum sufficit, vt te ipse non possis ab ea vitæ conditione eripere; quamuis Superioris potestate, præsertim suprema, eximi possis. Confirm. exemplo serui, qui propriè est in statu seruitutis, quia seipsum ab eo eximere non potest; quamuis dominus possit illum manumittere: & coniugum, qui mutuo consensu possunt ad Religionem transire, & solui obligatione mutui obsequij: sic etiam Episcopus potest auctoritate Pontificis Ecclesiam suam deserere, & sibi soli viuere. Non tertium, Quia vota simplicia possunt obligare ad omnia exercitia perfectionis, sicut solemnia.

Nec obstat quòd DD. passim requirant votum solemne; quia loquuntur de Religione secundùm Ius antiquum, quo Iure non acceptatur votum simplex ad statum: non tamen negant quin auctoritate Ecclesiæ acceptari possit.

9 *An regula requiratur.* De tertio, Ad essentiam status religiosi absolutè non requiritur alia regula, præter eam quæ diuinis mandatis & ipsis votis continetur. Ratio est, quia hæc absolutè sufficiunt vt ducant hominem ad perfectionem. Confirmatur, quia ad reliqua non est obligatio in singulis, præsertim essentialis: potest enim quis eximi à choro, ab vsu piscium, ab vsu laneorum, & similibus, manente essentia Religionis. Quia tamen ob multas causas Ecclesia non consueuit huiusmodi statum approbare pro Religione, absque aliqua particulari regula, ea est necessaria, non per se, sed per accidens.

10 *An Ecclesiæ approbatio.* Quod ad quartum attinet; Ad statum Religionis saltem perfectum necessaria est Ecclesiæ approbatio, & votorum admissio. Vnde etiam initio Ecclesiæ, Monachi per Episcopos initiabantur, vt patet ex Dionysio c. 6. Ecclesiasticæ hierarchiæ, vbi formulam huius initiationis describit: & virgines ab Episcopis velabãtur, teste Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, & aliis. De quo ritu extat decretum Pij I. qui vndecimus Papa fuit, c. 15. Virgines 20. qu. 1. nec vmquam fuit perfecta Religio, nisi quæ à Prælatis Ecclesiæ approbata fuit. Ratio est Primò, Quia sine hac approbatione non potest esse status spiritalis supra communem statum Christianorum, sed omnes merè sunt laici, subiecti potestati sæculari; nisi fortè aliqui ex illis sint Clerici vel sacerdotes; quod non competit illis per istam vitæ conditionem, sed aliunde. Religio autem perfecta est status spiritualis & supernaturalis, distinctus à communi statu Christianorum, & proinde à Christo peculiari modo descendere debet, idque mediante ipsius Vicario; sicut omnes gradus ecclesiastici, & omnis iurisdictio spiritalis; iuxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis*, &c. Secundò, Quia votum paupertatis & obedientiæ religiosæ respiciunt auctoritatem Prælati habentis iurisdictionem spiritalem: paupertas enim religiosa non potest vlla re vti, nisi dependenter à voluntate Prælati; obedientia verò præceptum Prælati intuetur. Itaque requirunt in Superiore spiritalem potestatem à Christo descendentem. Confirmatur, quia Religiosus obedit Prælato tamquam Christo, in eoque Christum intuetur; nimirum quia à Christo potestatem accepit, & Christi vices gerit. *Cur approbatio necessaria.*

Dices, Possum me alteri subiicere, eligendo illum in Superiorem, eique vouendo castitatem, obedientiam, & paupertatem, &c. 11 *Obiectio.*

Respond. Eo casu non habebit ille potestatem spiritalem, sed solùm naturalem quam tu illi dedisti. sed hæc potestas non erit iurisdictionis, nec poterit imponere necessitatem parendi. Sicut enim nemo habet in seipsum iurisdictionem, qua se cogere, sibique obligationem præcepti imponere queat, ita nec eam potest alteri dare. Vnde solùm teneberis illi præcipienti obedire ratione voti; sicut si vouisses parere eius consiliis. *Resp.*

Nec refert etiamsi te illi subieceris, & promiseris illi te eius mandatis pariturum: quia hoc totum non dat illi iurisdictionem: neque promissio illa, cùm tota sit in tuum fauorẽ, strictè obligat: quamuis ratione promissionis Deo factæ obligari possis. Denique huiusmodi priuata obedientia, ob multa incommoda & pericula plerumque improbatur à sapientibus. Vnde etiam in nostra Religione confessariis vetitum est ne eam admittant.

Quòd si plures in vnum corpus & communitatem coirent, possent vni potestatem ad illam regendam etiam in spiritualibus conferre; & tunc tota illa communitas, & singuli quamdiu essent pars illius communitatis, ei tenerentur obedire. Sed hæc potestas non esset spiritalis, sed politica, qualis est potestas Principum sæcularium, qui non habent aliam iurisdictionem, quàm quæ illis data est à Repub. Omnis enim Resp. & omnis communitas libera, Iure naturæ habet potestatem in singula membra, sicut totum in singulas partes; & hanc potest conferre in vnum vel duos, qui ipsam gubernent. itaque hæc potestas est omnino naturalis: atqui talis est omnis potestas, quam

Superiores accipiunt ab inferioribus; etiamsi ad aliquos spirituales actus imperandos se extendat. Hinc fit vt talis Superior non possit infligere pœnam spiritalem excommunicationis vel alterius censuræ, & vt possit ab inferioribus ea potestate priuari. quare non potest per hanc propriè Christum repræsentare, nec vices Christi gerere; cùm ab ipso potestatem illam non acceperit. vnde talis conditio vitæ non habebit eam connexionem aut dependentiam à Christo Domino, quam habet Religio approbata; nec ita à ipso protegetur & gubernabitur. Tertiò, Qui sine hac approbatione non habet tantam immobilitatem: facilè enim talis congregatio potest dissolui: vt si nolint eligere Superiorem, &c. acceptatio quoque voti non est omnino firma: quia hoc ipso, quo ille renuntiabit suo iuri, vel eo spoliabitur, subditus desinet obligari. Quartò, Quia sine hac non habet securitatem; quia facilè potest continere errores; vt patet in Instituto Waldensium, qui initio formâ quamdam religiosæ vitæ meditabãtur, quam cùm Summus Pontifex ob varios errores qui in illa continebantur approbare nollet, se ab Ecclesia, multis hæresibus excogitatis, segregarunt. de quo vide D. Antoninum p.4.tit.11.cap.7.§.2.

Ex quibus patet, absque hac approbatione magnum deesse Religioni ornamentum, & quamdam perfectionem non parui momenti.

An approbatio sit de essentia.

Petes, Vtrùm pertineat ad Religionis essentiam? Respondeo, Si nomine *Religionis* intelligamus statum & formam viuendi secundùm primaria Christi consilia, omnino stabilem habentem perfectionem supradictam, quomodo passim accipitur in Iure; sic approbatio Ecclesiæ potest dici pertinere ad essentiam Religionis: quia sine hac non habet tantam stabilitatem, nec potestatem spiritalem, neque eximit hominem iurisdictioni sæculari: quod maximè verum est post constitutionem Concil. Lateran. qua inuentio nouarum Religionum prohibetur.

Nec obstat, quòd communiter dicatur Religio consistere solùm in tribus votis substantialibus; quia hoc intelligendum est de iis, quæ requiruntur ex parte vouentis seu Religiosi: neque negatur quin necessaria sit auctoritas in eo, in cuius manibus vota illa fiunt, & eorum acceptatio; sed excluduntur aliæ obligationes Religiosi, v.g. ad cantum, ad carnium abstinentiam: essentia enim Religionis ex parte Religiosi nihil requirit, nisi obligationem trium votorum. Absolutè tamen aliquid amplius requiritur, nimirum ex parte eius in cuius manibus hæc vota fiunt: qui nomine Ecclesiæ debet ea acceptare: alioquin non inducunt obligationem satis firmam, nec efficiunt statum spiritalem, & exemptum à iurisdictione laicorum.

12 *A quo hac approbatio fieri debeat.*

Aduerte tamen, non esse per se necessarium vt hæc approbatio fiat immediatè à Summo Pontifice: Religiones enim SS. Antonij, Basilij, Augustini, Benedicti, non videntur initiò fuisse sic approbatæ; sed ab Episcopis, quibus tunc suberant, ipso vsu admissæ sunt, non repugnante Pontifice: deinde sensim à Conciliis & Summo Pontifice laudatæ & confirmatæ. Ante admissionem Prælatorum non erant perfectæ Religiones, sed inchoatæ dumtaxat, & veluti mancæ.

13 *Pontifex sibi reseruat approbationem.*

Posteà tamen Pontifices totam hanc causam sibi reseruarunt; idque ob iustissimas rationes.

Primò, Vt compescerent quorumdam hominum indiscretum ardorem, qui nouis Religionibus seu formulis viuendi excogitandis erant intenti, quæ res magnam confusionem & alia incommoda in Ecclesiam potuisset inuehere.

Secundò, Ne irreperet aliqua Religio errores continens, aut aliter noxia Ecclesiæ vel saluti animarum: qualis erat Religio Waldensium.

Tertiò, Quia maiores Ecclesiæ causæ Sedi Apostolicæ teseruandæ; cap. Maiores. 3. de Baptismo & eius effectu: approbatio autem Religionum, sicut & canonizatio Sanctorum, ad maiores Ecclesiæ causas pertinet. vnde in Concilio Lateran. sub Innocent. III. cap. vlt. Ne nimia, de religiosis domibus, sic dicitur, *Firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam Religionem inueniat:* intellige, mandando eam executioni absque Pontificis approbatione; nam paulò pòst multæ sunt inuentæ, & approbante Pontifice seruatæ, vt patet cap. Religionum, in Sexto. Idem constitutum in Concilio Lugdunensi, sub Gregorio X. vt habetur d. c. Religionum: *Religionum* (inquit Concilium) *diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetauit.* & infrà: *Repetita constitutione districtius inhibentes, ne quis de cetero nouum Ordinem aut Religionem adinueniat, vel habitum nouæ Religionis assumat.*

Ex quibus sequi videtur, professionem in tali Religione fore inualidam; nec obligatum iri profitentem voto paupertatis & obedientiæ. Ratio est, quia Ecclesia prohibet illam formulam viuendi & profitendi, nec tribuit potestatem acceptandi. hoc ipso enim, quo prohibet nouarum Religionum inuentionem, & susceptionem habitus in iisdem, prohibet etiam vsum illarum; & consequenter qui eam amplexi sunt, possunt illam deserere, imò videntur teneri, quamuis per bonam fidem possint excusari. Si possunt illam deserere, non tenentur voto paupertatis ac obedientiæ; quia illud ad illam vitæ formulam restrinxerunt, non intendentes se obligare ad paupertatem vel obedientiam, nisi in illo Ordine, & iuxta Superiorum illius Ordinis directionem. 14 *An professio ibi sit inualida.*

De castitate fortè est alia ratio, quia huius executio non dependet à Superiorum potestate & directione. Verius tamen puto esse eamdem rationem; quia cùm Ecclesia absolutè prohibeat talem Religionem, cur professionem in ea factam acceptet quoad castitatem? Accedit, quòd ille non intendat vouere castitatem, nisi in Religione, vt sic vouendo fiat Religiosus: & si rogaretur, diceret non aliam esse suam mentem. quare cùm non sit Religio, sitque ipse in eo deceptus, non videtur teneri.

Habet vim votorum simplicium ex consuetudine.

Aduerte tamen, cùm aliquæ ex nouis illis Religionibus in Ecclesia longissimo tempore sint permissæ, & ipso vsu quodammodò confirmatæ, non vt Religiones, sed vt pia instituta; videri professionem earum, ratione tacitæ approbationis, habere vim votorum simplicium: ac proinde subditos non posse redire ad sæculum sine dispensatione Episcopi, qui eos ex causa à voto paupertatis, obedientiæ, ac stabilitatis loci absoluere poterit; non tamen à voto castitatis, vt ex dictis c. 40. nu. 105. & 106. constat.

15 *Quæ ad essentiam Religionis pertineant.*

Ex his patet, ad essentiam Religionis perfectæ seu completæ, per se nihil necessariò requiri præter tria vota supradicta, & Ecclesiæ approbationem

nem seu acceptationem. Nec obstat quòd obseruatio votorum aliquando dicatur pertinere ad essentiam Religionis: id enim intelligendum est, vel quia essentia Religionis ad eam obligat; debitum enim & obligatio seruandi vota est Religioni essentiale: vel quia pertinet ad essentiam Religionis consideratæ in actu secundo.

DVBITATIO II.

Vnde proueniat Ordinum religiosorum diuersitas, & quis sit inter eos perfectior.

D. Thom. quæst. 188. art. 1. & seqq.

16 REspondeo & Dico Primò, Diuersitas Ordinum religiosorum non prouenit ex aliquo quod Religioni est essentiale, vt sunt tria vota essentialia, & approbatio Ecclesiæ. hæc enim omnibus sunt communia. Itaque si essentialia spectentur, omnes sunt eiusdem speciei: consistit enim omnium essentia in obligatione trium votorum ab Ecclesia acceptatorum.

17 *Diuersitas Ordinum Regul. ex duobus.* *1. Ex fine. Contemplatiui Ordines.* Dico Secundò, Hæc diuersitas Ordinum prouenit ex duobus. Primò, Ex particulari fine seu functione, ad quem quisque Ordo speciatim est institutus. ita D. Thomas suprà art. 1. Quidam enim sunt instituti, vt præter obseruantiam votorum essentialium, potissimùm se exerceant in operibus vitæ contemplatiuæ. Tales ferè sunt quos antiquiores Patres instituerunt, Antonius, Pachomius, Basilius, Benedictus, Bruno, Ordo Cistertiensium, & Cluniacensium. Horum cultores propriè vocantur Monachi, quia vacant solitudini, & τῇ μονάδι, id est, vnitati, quæ Deus est, sunt intenti. Ad hos referendi Canonici regulares, quorum præcipua functio est Horas canonicas in choro piè decantare. Alij instituti sunt ad opera vitæ actiuæ corporalia; vt ad redimẽdos captiuos, ad susciendos peregrinos, ad seruiendum infirmis, ad defendendam Ecclesiam contra hostes fidei. hæc enim omnia sunt opera charitatis, quibus tenditur ad perfectionem: vnde ad ea peculiari studio obeunda potest aliquis Ordo Religionis instituti. Vide D. Thomam qu. 189. Alij partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ actiuæ, sed spiritualia, quæ contemplationem supponunt; vt sunt Ordines mendicantium, & Societas nostra, quæ etiam inter Mendicantes auctoritate & iudicio Sedis Apostolicæ censenda est.

Actiui.

Mixti.

18 *2. Ex mediis.* Secundò, Ex particularibus mediis & ritibus, quibus vtuntur vel ad vota sua meliùs seruanda, vel ad functionem propriam meliùs obeundam. Sic inter Ordines ad contemplationem institutos videmus magnam varietatem in habitu, victu, ieiuniis, alijsque piis exercitiis. Similiter inter Ordines mendicantium. Hinc fit vt diuersæ sint regulæ & constitutiones Religionum, quibus hæc omnia in particulari præscribuntur. Et quamuis non numerentur à DD. nisi quatuor regulæ approbatæ, sub quibus omnes Ordines religiosi militant, (præter Carthusianos, qui habent sua statuta, & Societatem IESV, quæ suas constitutiones) videlicet Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci: tamen singuli suæ regulæ proprias constitutiones adiunxerunt, quibus inter se discrepant, etiamsi eamdem regulam sequantur. sub regula enim D. Basilij viuunt pænè omnes Græci Monachi: sub regula B. Augustini omnes Canonici regulares, Dominicani, Augustiniani, Seruitæ, Hieronymiani, Hospitalarij, Cruciferi, & aliqui alij: sub regula S. Benedicti, Monachi nigri, Cluniacenses, Cistertienses, Camuldulenses, Cælestini, & alij. Hi tamen omnes propriis constitutionibus regulæ superadditis, & habitu multùm differunt. Vide Siluestrum, Religio 1. qu. 7.

Regulæ approbatæ.

Hæc autem varietas Ecclesiæ est ornamento. 19 sicut enim Reipub. politicæ est ornamento habere omnia genera opificiorũ, quæ iuuent & oblectent vitam istam temporalem; ita Ecclesiam, quæ est diuina quædam Respublica, exornat tanta varietas opificiorum & exercitiorum spiritualium ad excolendam animam & vitam spiritalem inuentorum. Deinde est etiam summè vtilis; sic enim quamplurimis patet aditus ad statum perfectionis: nam qui non est idoneus ad hoc genus exercitij, v. g. ad contemplationem; est idoneus ad aliud, scilicet ad actionem; & contrà, &c.

Varietas Ordinum religiosorum est Ecclesiæ ornamento.

Ex dictis facilè colligi potest quis Ordo Religionis sit perfectior: perfectio enim Religionis primariò spectatur ex fine: secundariò ex mediis. Illi igitur Ordines absolutè sunt perfectiores, qui ordinãtur ad finem intrinsecum, seu functionem perfectiorem. Itaque Ordines illi, quorum proprius finis est vacare operibus vitæ contemplatiuæ, sunt perfectiores iis, qui operibus vitę actiuæ; & qui non tantùm contemplationi vacant, sed etiam contemplata in alios transfundunt, perfectiores sunt, quàm qui soli contemplationi incumbunt. Tales sunt in Ecclesia Ordines illi, qui instituti sunt ad docendum, prædicandum, & Sacramenta administranda. Primò, Quia perfectius est illuminare, quàm lucere tantùm. Secundò, Quia illi maximè sunt affines statui Episcoporũ, quorum est alios ad perfectionem adducere. Tertiò, Quia hoc fuit officium Apostolorum, & ipsius Christi Domini. Quartò, Quia nihil potest esse excellentius, vel Deo gratius, quàm studium salutis animarum: ob hanc enim Deus creauit mundum, factus est homo, tanta fecit & pertulit: ob hanc instituta Angelorum ministeria: ob hanc Euangelia, Sacramenta, & omnis ordo ecclesiasticus. Quintò, Quia illi ex vtraque vita sunt mixti, & continent excellentissimas functiones vtriusque. Denique sunt humanæ naturæ accommodatiores, quæ aliquam varietatem functionum postulat, & plerumque in vno genere torpescere solet. Et quamuis vacare soli Deo videatur esse quid melius quàm vacare proximo, tamen non semper. melius enim est, humana conditione spectata, suis temporibus vacare Deo, & suis proximo, quàm semper vacare soli Deo; præsertim cũm vacare proximo propter Deum, sit excellens actus charitatis in Deum; & mens humana fatiscat, si assiduè in diuina sit intenta. Vnde D. Thomas qu. 188. art. 6. ita scribit: *Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum: sicut & in aliis rebus fines primorum coniunguntur principiis secundorũ, vt Dionysius. cap. 7. de diuin. nom. Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones*, &c. Rursus inter eos Ordines, qui operibus vitæ contemplatiuæ vel actiuæ vacant, is est perfectior, qui pluribus vel perfectio-

Quæ Religio sit perfectior.

ctioribus vacat. Denique inter eos, qui eumdem finem habent, præstantior est, qui aptioribus mediis & exercitiis ad illum finem & ad vota sua præstanda vtitur.

21 *Non ex austeritate.* Hinc sequitur, perfectionem Religionis non esse austeritate metiendam, vt rectè D. Thomas art.6 ad 3. quia fieri potest vt hæc austeritas minùs sit conueniens ad functionem principalem, ob quam Religio est instituta; vel vt etiam impediat mentem in spiritualibus exercitiis, quibus præcipuè perfectio comparatur.

Vtilitas moderatæ austeritatis. Est tamen moderata corporis afflictio, præsertim per ieiunium, vtilis ad multa. Primò, Ad excutiendam mollitiem animi in rebus asperis. Secundò, Ad domandam carnem & spiritui subigendam. Tertiò, Ad meditationem & amorem rerum diuinarum. Quartò, Ad varia beneficia à Deo impetranda, iuxta illud, *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* vide infrà lib.4. c.2.dub.10.

22 *Non ex rigore paupertatis.* Secundò, Neque etiam ex rigore paupertatis; vt quòd nihil omnino, ne communiter quidem possideant, vt docet D. Thomas art. 7. tum quia fieri potest vt hic paupertatis modus non sit ita commodus ad finem illius: tum quia religiosa paupertas non postulat vt nihil communiter possideant (nam præterquam quòd Dominus & Apostoli loculos aliquando habuere, vt colligitur Ioannis 4.6.& 13. sanctissimi viri Religiones suas bona in communi possidere voluerunt: vt Basilius, Pachomius, Augustinus, Benedictus, Bruno, Bernardus) sed vt singuli non habeant nisi necessaria, idque solùm cum assidua dependentia ab arbitrio Superioris. Ceteris tamen paribus, quò maior est paupertas, eò Religio est perfectior.

23 *Non requiritur chorus.* Denique ad perfectionem Religionis non esse necessarium chorum: (etsi contrarium parum considerate insinuet Sotus lib.10. de Iustitia q.5. ar.3. vbi dicit, Ordinem illum qui choro careat, vix mereri nomen Religionis,) Primò, Quia officium diuinum non minùs attentè & deuotè dici potest sine cãtu, quàm cum cantu. Secundò, Quia fieri potest vt chorus impediat functiones principales, ad quas potissimùm talis Religio est instituta; vt prædicationem, administrationem Sacramentorum, institutionem rudium, Gentilium conuersionem. Vnde videmus etiam in Ordine Dominicano, & aliis, primarias personas, quæ illis ministeriis vacare possunt, passim à choro exemptas. Tertiò, Etiamsi Ecclesia non haberet cantum, posset tamen esse perfecta Religio. Quartò, Quia perfectio consistit in officiis charitatis erga Deum & proximum, quę omnia possunt sine cantu præstari. Pari modo vota essentialia, & cetera pietatis exercitia non requirunt cantũ. Quintò, Quia, vt inquit D. Thomas qu.91. art.2. ad 3. *diaconi & Prælati, quibus cõpetit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur.* & cap.2. In sancta Romana, dist.92. dicitur esse *valdè reprehensibile vt cantui vacent, qui ad prædicationis officium sunt destinati.* ergo Ordo, qui huic officio incumbit, non debet habere chorum. Vnde Caietanus q.118.art.7. ait, ad talem Religionem non debere omnes recipi ad professionem, sed solùm idoneos ad officium prædicandi, & confessiones audiendi, & ministros eorum necessarios.

DVBITATIO III.

Qui possint ingredi Religionem, qui non.

D. Thomas quæst. 188.

REspondeo eos posse absolutè ingredi, qui sui iuris sunt: qui autem alteri sunt obstricti, non possunt, nisi illius consensu. Tales sunt Primò Episcopi; hi enim iureiurando sunt adstricti obedire Romano Pontifici, vt patet ex forma iuramenti ipsorum; vnde sine illius consensu non possunt. Idem patet ex cap. Nisi cùm pridem. 10. de renuntiatione; vbi causâ ingrediendæ Religionis non permittitur Episcopus renuntiare Episcopatui, & ponuntur hæ solæ causæ ob quas renuntiatio conceditur, nimirum *conscientia criminis*, (videlicet quod etiam post pœnitentiam impedit executionem officij, vt Glossa notat) *debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, & irregularitas.* Deinde quia sunt obstricti suæ Ecclesiæ sicut maritus vxori; vnde & animam suam pro ea ponere tenentur, sicut Christus pro Ecclesia posuit, d.cap. Nisi cùm pridem. 10. quare sicut maritus non potest deserere vxorem absque eius consensu; ita nec Episcopus Ecclesiam absque consensu Ecclesiæ: quem consensum Pontifex, qui omnium Ecclesiarum curam habet, sibi reseruauit. Denique quia si pro arbitrio licitum ei esset Religionem intrare, posset id in magnum damnum Ecclesiæ cedere. 24 *1. Episcopi.*

Aduerte tamen, si voueret Religionem, votum non fore inualidum; quia fieri potest vt id & ipsi & Ecclesiæ sit melius. Itaque tenetur Summo Pontifici suum votum aperire, & copiam exequendi petere: nam sub hac conditione, *Si Pontifex cõcesserit*, censetur factum. vnde etiam implicitè vouit eidem proponere: alioquin non serium, sed illusorium votum esset. Vide Siluestrum Religio, 2.q.8. & Votum, 3.qu.3.

Secundò, Coniuges post consummatum matrimonium. cap. Quidam. 3. & cap. Placet. 12. de conuersione coniugat. vnde si alter altero ignorante vel saltem non consentiente profiteatur, alter potest coniugem repetere; & ille tenebitur redire, & debitum petenti reddere; non tamen poterit exigere, sed quantum in se est seruare castitatem, vt suprà cap. 40. n. 82. & 84. dictum est, & patet ex duobus capp. iam dictis. Ratio est, quia Ecclesia ita interpretatur ipsius professionem, vt absolutè valeat quoad seruandam castitatem, quatenus id non cedit in præiudicium alterius. 25 *Coniuges.*

Aduerte tamen, si ipse sibi cõscius sit, saltem per rationes probabiles, quòd, dum profiteretur, non voluerit se independenter à statu religioso ad castitatem obligare, sed solùm supposito statu religioso, non tenebitur à debiti petitione aut à secundis nuptiis abstinere: quia votum habuit tacitam conditionem; quæ cùm non extet, cessat obligatio, non enim obligat vltra intentionem voentis. Ecclesia tamen in dubio interpretatur illum se voluisse absolutè, & quantum licitè posset, ad continentiam obstringere; vnde in foro conscientiæ idem in dubio præsumendum. *Si non voluit se absolutè obligare.*

Vtrùm autem in ceteris professio illa censenda sit irrita, an valida sub conditione, si nimirum coniunx non repugnauerit (quomodo vota Religiosо- *An in ceteris sit valida.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gioſorum, impuberum, & vxoris valida eſſe diximus) dubium eſt. Multi DD. inſinuant eſſe validam ſub conditione, & ſolùm dici inualidam, quia eſt in irritum reuocabilis. Vnde ſi coniunx illum non reuocarit ad commercium coniugale, aut adulterio commiſſo ius reuocandi perdat, profeſſionem confirmari, nec poſſe redire ad ſæculum, quamuis illa repugnante, aut dolo metuque conſentiente, ſit profeſſus. Colligitur ex d.cap. Placet. 12. de conuerſ. coniugat. vbi ſic dicitur: *Redire verò ad ſæculum in eius poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti: & ideò quantum ad ipſam, tenuit votum, quod poſt viri obitum tenere non deſiit*, &c. Idem colligitur ex cap. Conſtitutus. 15. & cap. Veniens. 16. eodem tit. Confirmatur, quia illa profeſſio videtur habere tacitam conditionem, Si coniunx non contradixerit. profitetur enim quantum in ſe eſt.

Probabilius, non eſſe validam.

Verùm contraria ſententia eſt valdè probabilis, nimirum talem profeſſionem omnino eſſe irritam in foro conſcientiæ, excepta obligatione caſtitatis iam dicta. Vnde etiamſi vxor, qua ignorante vel contradicente maritus profeſſus eſt, non reuocet illum, aut etiam poſteà conſentiat, non ideò conualeſcit profeſſio, vt docet Sancius lib. 7. de matrim. Ratio eſt, quia per profeſſionem homo ſe transfert in ius & poteſtatem Religionis. atqui is qui eſt in alterius poteſtate, non poteſt abſque eius conſenſu ſe in poteſtatem Religionis transferre: id enim cederet in prioris iniuriam. ergo. Vnde nec coniunx abſque conſenſu coniugis, nec ſeruus abſque conſenſu domini profiteri validè poteſt. eſt ergo profeſſio talis irrita: ſicut ſi ſeruus alteri ſe venderet, aut alterius obſequio ſe obſtringeret ignorante domino, contractus eſſet irritus. atqui, quod ab initio eſt irritum, tractu temporis non conualeſcit. regul. 18. de regul. Iuris, in 6.

Neque ſufficit, ſi dicas, talem profeſſionem eſſe conditionalem: quia ſupponimus abſolutè factam eſſe; quo modo Iure & cõſuetudine fieri debet. Non enim ſolet conditionalis profeſſio admitti in Eccleſia. Vnde etiam non rectè dicitur habere tacitam conditionem à Iure: quia contra Ius eſt, ſi aliqua conditio adiungatur, cùm eius effectus non poſſit eſſe pendens. Vnde Ius requirit ætatem congruam, & annum probationis, & diligentem inquiſitionem de conditione perſonæ, priuſquam admittatur ad profeſſionem: nimirum, quia per illam ſtatim inducitur ſtatus immobilis. Vnde vlteriùs ſequitur, profeſſionem nõ poſſe irritari ſicut alia vota: quia non habet illam tacitam conditionem; ratione cuius alia poſſunt irritari, vt docet D. Thomas qu. 88. art. 8. ad 4. & ſuprà cap. 4. dubit. 13. oſtenſum eſt. Et confirmatur Primò; quia matrimonium carnale ſemel validum non poteſt vmquam in irritum reuocari: ergo nec profeſsio, quæ eſt matrimonium ſpirituale. Hæc enim in Iure quoad firmitatem ſolent æquiparari: imò profeſsio videtur firmior; quia ſoluit matrimonium ratũ. Confir. Secundò, quia ſi profeſsio eſſet vllo modo valida, deberet redire ad Monaſterium vxore mortua, ſicuti tunc debet ſeruare caſtitatem: atqui hoc eſt contra cap. Quidam. 3. & cap. Placet. 12. de conuerſ. coniugat. vbi dicitur, *Non teneri redire*. maior patet, quia mens vxoris non fuit irritare profeſsionem, ſed ſolùm vti ſuo iure quamdiu ipſa viueret, cohabitando marito, itaque ſi valuit illa profeſsio, ſolùm fuit ſuſpenſa ad tempus: ac proinde tenebitur redire. quare cùm conſtet non teneri redire, rectè colligimus fuiſſe irritam. Neque etiam dici poteſt, illam profeſſionem habere vim voti ſimplicis: quia dicto cap. Quidam, dicitur, *Tale votum nõ tenuit; vnde ratione voti ad Monaſterium non tenetur redire*, &c. vbi apertè inſinuatur, fuiſſe irritum quoad ceteras obligationes, præter illam caſtitatis. Eadem locum habent, quando conſenſit quidem coniunx, ſed metu graui vel dolo inducta. talis enim conſenſus non officit iuri ipſius. De metu colligitur cap. Accedens. 17. de conuerſ. coniugat. Vnde Gloſſa in cap. Veniens, eodem tit. v. Captiosè aſſeriùit, ait *licentiam profitendi minis extortam eſſe nullam:* idque probat ex cap. 2. Notificaſti. 33. quæſt 5. De dolo, docet Gloſſa d. cap. Veniens, v. Sponte ſuppoſuit. vbi dicit, *quòd votum ex toto non tenuit, eo quòd ipſa decepta licentiam marito dederit*. vnde maritum poſſe egredi, & adulteram recipere in gratiam.

Si metus vel dolo inducta conſenſit.

Nec obſtat, quòd dolus in ſpiritalibus non noceat, vt ibidem Gloſſa v. Captiosè: tum quia id non eſt vniuersè verum; tum quia ceſſio iuris maritalis non eſt quid ſpiritale.

Ad cap. Placet, pro ſententia contraria adductum, Reſpondeo, Ob illud cap. ſententiam illam eſſe valdè probabilem: eamque ſequitur Panorm. in illud c. n. 3. Silu. v. Diuortium. q. 14. & Angelus Matrimonium 4. n. 13. Verùm dici poteſt, illa verba ſic intelligenda, *vt votum illud tenuerit*, non obligatione iuſtitiæ ſeu Religionis, ſed decentiæ: quod apertè inſinuatur verbis ſequentibus, vbi dicit talem inducendã vt redeat ad Monaſterium, vbi bona intentione profeſſionem fecit, nõ tamen cogendam inuitam. idem ſatis inſinuat Gloſſa ibidem, v. In eius poteſtate, & v. Non cogendam. ſicque optimè conciliatur hoc cap. cum cap. Quidam eodem. quo loco vide Innocent. nu. 1. vbi, vt profeſſio iſta valeat, requirit, vt maritus non reuocatus, poſt mortẽ vxoris illam ratam habeat. Dici etiam poteſt illud votum ex parte vxoris tenuiſſe. quia Monaſterium ratione illius ius habebat illam retinendi, niſi maritus illam repeteret, quamuis ipſa ceſſante ſcandalo poſſet occultè recedere. Sicut qui fictè contraxit, poteſt cogi vt impleat contractum, ſi poteſt. Colligitur hæc reſponſio ex Gloſſa d. cap. Veniens, v. Spontè ſuppoſuit.

Ad argumenta ſententiæ prioris.

Illa ſententia eſt probabilis.

Ad cap. Conſtitutus, Reſpondeo, Ibi ſolùm dici, vxorem adulteram non poſſe maritum profeſſum repetere: quod verum eſt, etiamſi ante adulterium ea inuita fuiſſet profeſſus. nam repetenti opponetur exceptio adulterij. In caſu tamen illius cap. Si ordinatus & profeſſus fuerat poſt adulterium; & ita valuit profeſſio.

Hinc patet reſponſio ad cap. Veniens. Etſi enim illa dolo fuerat inducta ad præbendum conſenſum marito volenti profiteri, tamen quia poſteà commiſit adulterium, amiſit ius repetendi, etiamſi nondum eſſet profeſſus.

Aduerte tamen, quando vxor abſque dolo & metu ſponte conſenſit, valere promiſſionem; vt colligitur c Ex parte 1. de conuerſ. coniug. iuncta Gloſſa, & cap. Agathoſa. 27. qu. 2. Si tamen ipſa non vouit, poterit officio Iudicis illum repetere, ipſe tamen mortua coniuge tenebitur reuerti ad Monaſterium iuxta d. cap. Ex parte, de conuerſ. coniugatorum.

26 *Quibus casibus possint intrare.* Possunt tamen coniuges ingredi Religionem duplici ratione. Primò, accedente mutuo consensu. Vxor nihilominùs consentiens in ingressum mariti, tenetur etiam ingredi, si iuuenis est, vel talis vt in sæculo manenti meritò timeri possit de incontinentia. Si autem sit senex, aut certè talis vt non sit morale periculum in sæculo, sufficiet votum continentiæ in manibus Episcopi. vtrumque habetur cap. Cùm sis. 4. cap. Vxoratus. 8. cap. Ad Apostolicam. 13. de conuers. coniugat. quòd si ipsius consensu vir professus sit, & ipsa nec continentiam nec Religionis ingressum vouit, inducēda est vt id faciat: si nolit, & periculum sit incontinentiæ, debet Episcopus suspendere professionem viri ad vitam vxoris. vel donec ipsa faciat quod Ius postulat; & illum vxori reddere. mortua vxore redit vis professionis, & tenetur redire ad Monasterium; quia cùm vxoris consensu facta sit, non potuit irritari, sed solùm ad tempus suspendi executio, cap. Consuluit. 10. cap. Ex parte 9. de conuersione coniugatorùm.

Possunt mutuo consensu.

Si ipsa non vouit continentiam.

Sed quid si ipsa Iuris dispositionem sciuit cùm consentiret, videlicet se non posse consentire, nisi Religionem intrare velit?

27 *Si sciuit Iuris statutum.* Respondeo, Eo casu si periculum sit incontinentiæ, posse compelli ad Religionem, vt colligunt DD. ex c. Significauit. 18. à contrario sensu. Hoc tamen non sic intelligendum puto, vt possit cogi ad profitendum; quia nullo modo intendit se ad hoc obligare, vti suppono: & si rogata fuisset, respondisset non eam esse mentem suam; poterat enim cogitare Ius sibi fore relaxandum: & illud cap. non loquitur tantùm de ea quæ sciuit Iuris dispositionem, sed in genere. Vnde illud ita intelligo, vt si periculum incontinentiæ sit in sæculo, possit compelli habitare in Religione seu Monasterio, vbi custodiatur: nemo enim potest cogi ad professionem, nisi qui eam promisit; vt infrà dubit. 4. ostendemus.

28 *Maritus tenetur etiam ingredi.* * Circa prædicta aduerte, quòd sicut vxor consentiens in ingressum mariti tenetur ingredi, vel saltem profiteri continentiam; ita etiam maritus consentiens in ingressum vxoris; d. cap. Cùm sis. & cap. Quia 25. cap. 26. Scripsit nobis. 27. qu. 2. & hæc omnia debent fieri auctoritate Episcopi, vt habetur cap. 23. Si vir. 27. q. 2. non tamen est irrita professio, si aliter facta fuerit.

29 *Potest altero inuito ingredi in 4. euentis.* Secundò, Potest alter inuito altero ingredi, idq; potissimùm quatuor euentis. Primò, Antequam matrimonium sit cōsummatum, cap. Verùm. 2. & cap. Ex publico. 7. de conuers. coniugat. Secundò, Etiam post consummatum potest vxor ingredi, iuxta probabiliorem sententiam, si vir per vim consummauit ante expletos duos menses, qui ei à Iure d.c. Ex publico, conceduntur: quia ei grauem iniuriam intulit, ratione cuius non debet ipsa priuari suo iure. Paludanus in 4. d. 27. q. 3. art. 2. Panorm. in d. cap. Verùm, de conuers. coniug. Silu. v. Diuortium, qu. 5. Fumus eodem nu. 6. & alij multi, quos citat & sequitur Sanches l. 2. de matrimonio disput. 23. num. 6. Idem dicendum contra Siluestrum, si per metum grauem extorsit: quia est similis iniuria. Tertiò, Si alter coniugum committat adulterium, innocens potest Religionem ingredi, cap. 21. Agathosa. 27. qu. 2. Idem colligitur ex cap. 15. 16. 17. de conuers. coniugat. Idem dicendum de crimine Sodomiæ: vt communiter tradunt DD. in cap. Maritis, de adult. vide Couarr. de matrim. p. 2. cap. 7. §. 9. Sed vt id ordinatè fiat, debet primò fieri separatio auctoritate Iudicis, causâ cognitâ; cap. Porrò. 3. de diuortiis; idque partim ad vitandum scandalum, partim ne possit repeti, & cogi ad redeundum. Quòd si ipse quoque adulterium occultè commisit, non potest coniugem dimittere vt Religionem ingrediatur; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, cap. fin. de adult. Idem dicendum si cognito illius peccato debitum petiit, vel reddidit; quia illi censetur reconciliatus, & ius suum condonasse, 32. q. 1. cap. 1. Vide Siluestrum v. Diuortium q. 8. & 9. Quartò, Si alter incidat in hæresim, & iudicio Ecclesiæ separatio fiat: tunc enim innocens non tenetur illum admittere, sed potest ad Religionem transire, etiamsi ille conuerti voluerit; cap. final. de conuers. coniugat. Si tamen non fuit facta separatio iudicio Ecclesiæ, tenetur emendatum recipere; nec potest ingredi Religionem, cap. De illa. 6. de diuortiis, & Glossa in d. cap. fin. Ratio est, quia pœnæ in hæreticos statutæ non sunt mandandæ executioni ante sententiam, vt patet ex cap. Cùm secundùm leges. 19. de hæret. in 6. hæc autem priuatio iuris in coniugem est pœna: itaque requiritur aliqua sententia. Sufficit tamen sententia declaratoria criminis, vt docet Alfonsus à Castro l. 2. de iusta hæret. punit. c. 7. & Couarru. de matrimonio p. 2. cap. 7. §. 8. quia ad reliquarum pœnarum executionem non plus requiritur, vt constat ex d. cap. Cùm secundùm leges. Idem colligitur ex cap. finali, eodem tit.

Adulterium

Hæresis.

30 *3. Qui virginem decepit.* Tertio loco inter eos, qui non possunt ingredi Religionem, est, qui virginem sub promissione matrimonij defloravit. Nec refert vtrùm seriò an fictè promiserit: hic enim tenetur implere cōtractum, ob graue damnum, quod alioquin illa incurreret; de quo dictum est suprà cap. 10. dub. 4.

31 *4. Serui.* Quartò, Serui non possunt capessere statum Religiosum absque consensu dominorum, cap. Si quis. 17. qu. 2. quia quoad actiones vtiles seruus totus est domini. vnde furtum sui faceret, si se illi subtraheret. quare etiamsi professionem fecisset, esset domino petenti restituendus. tenetur tamen tunc seruare castitatem; (si tamen intendit se ad illam absolutè & independenter à statu Religionis obligare) quia ad hanc se potuit obstringere domino inuito: non cetera; quia professio quoad illa fuit irrita. Hoc intellige de seruo, qui talis manet; non de eo, qui per fugam ad suos libertatem est consecutus.

Aduerte tamen, non esse restituendum, si triennio quæsitus non est, vt habetur d. c. Si quis: tunc tamen iusta compensatio domino facienda est, ne damnū inde capiat; vt notat Glossa in d. c. Si quis. Hoc autem triennium numerandum est non à tempore, quo dominus resciuerit vbinam seruus existat, vt vult Siluester Religio 2. qu. 3. & alij, quos ipse citat; sed ab inchoato anno probationis, vt Glossa tradit, & ex d. cap. Si quis, colligitur.

32 *5. Qui non soluendo.* Quintò, Qui creditoribus non est soluendo: hic enim non potest ingredi, si intra paucos annos manens in sæculo possit satisfacere. æquitas enim non patitur vt cum damno aliorum ingrediatur, si illud absque graui incommodo aliquamdiu in sæculo manens potest impedire. Si autem non est probabilis spes satisfaciendi intra illud tempus, vel manēdo diutiùs in sæculo, incurreret notabile peri-

periculum salutis, potest ingredi, relinquendo bona sua creditoribus diuidenda pro rata. vide suprà cap. 16. dub. 8. D. Thom. quæst. vlt. a. 6. ad 3. apertè docet, non teneri in sæculo remanere vt soluat; sed sufficere si bonis præsentibus cedat creditoribus: quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. Idem tenet Siluester Religio 2. q. 4. vbi pro hac sententia citat Palud. Vldericum, Archidiac. Summam confessorum, Innocentium, Raynerum, & Hostiensem. In eadem sententia sunt ceteri Summistæ, Astensis in Summa l. 6. tit. 19. q. 6. Angelus v. Religiosus n. 6. Rosella Religio. 2. n. 5. Fumus v. Religio n. 5. vnde hæc sententia est probabilis. Vide Medinam C. de restitut. q. 3. causa 8. vbi pro vtraque sententia rationes adducit. Si obstrictus debitis admissus fuerit, non tamen idcircò obligatur Monasterium, nisi quatenus ex ingressu factum est locupletius.

33 *6. Quæstores.* Sextò, Qui reddendis rationibus sunt obnoxij; quia illarum persona est ad illam functionem obstricta; estque solùm vna actio transiens: secùs si ad aliquod officium longo tempore obeundum se obstrinxit; v.g. ad docendum aliquot annos, ad seruiendum perpetuò in hospitali, ad Rempubl. administrandam. In his & similibus contractibus videtur exceptus status perfectionis; vnde intelligitur tacita conditio, Nisi Religionem ingressus fuero; non enim illi contractus ita interpretandi sunt, vt censeatur promissor sibi aditum ad statum perfectionis voluisse intercludere: id enim magnæ esset insipientiæ. Vnde etiam si iuramento sint confirmati, nihilominùs potest intrare; quia iuramentum sequitur naturam promissionis, & actus super quem cadit, vt dictum est c. 17. dub. 7. Vide Siluestrum Religio 2. q. 5.

34 *7. Filius.* Septimò, Filius non potest intrare Religionem, si parens eius graui egestate prematur, & ipse nequeat illi, nisi manendo in sæculo, prouidere. Ratio est; quia Iure naturæ tenetur eo casu parentem alere. Ità diuus Thomas quæst. vlt. ar. 6. & quodlib. 3. artic. 16. Idem dicendum de parente, si filius simili necessitate prematur. Non tamen est ea obligatio erga fratres & sorores, quia non est inter illos vlla dependentia, sicut inter parentes & proles: parens enim proli alimẽta debet Iure naturæ, quia est fructus eius, cui dedit esse; vnde debet ei conseruationem & educationem donec se possit iuuare; vt videmus in animalibus. Item est veluti pars ipsius, vnde debet illi alimenta sicut sibi ipsi. Filius parenti, quia est principium ipsius & radix vnde accepit esse: quare lege gratitudinis tenetur. Sorores & fratres non habent inter se illud vinculum.

Non tenetur alere fratres.

Illud tamen quod dictum est, *Filium non posse Religionem intrare patre multùm egente*, limitandum est, nisi fortè ita res sint constitutæ, vt non possit diutiùs in sæculo sine dispendio salutis, id est, absque probabili periculo peccati mortiferi, remanere; quia non tenetur causâ parentis se tali periculo exponere. Ita Siluester Religio 2. q. 7. ex Richardo.

Si professus fuerit dum parens est in graui egestate.

Si filius parente in graui necessitate constituto professus fuerit, tenetur egredi, si aliter ei subuenire non potest: quia ingredi non poterat, obligatione subueniendi iam contracta. Ita Nauarrus c. 14. num. 14. & comment. 3. de Regularibus, num. 45. & Ioannes Maior in 4. d. 38. quæst. 2. professio tamen non est irrita; sed suspenditur executio donec parenti prouiderit. Si verò inciderit parens ex improuiso in hanc egestatem post filij professionem, non tenetur filius egredi; nec verò potest repugnante Prælato. Ita diuus Thomas quodlib. 3. art. 16. & 2. 2. quæst. 101. artic. 4. ad 4. Caietanus ibidem, Siluester suprà. Ratio est, quia iam mutauit statum, nec subest ampliùs patriæ potestati, sed Prælati: vnde illi obligationi superuenienti non tenetur satisfacere, nisi quantum potest saluo statu. Sicut si esset coniunctus matrimonio, non teneretur deserere vxorem, ad subueniendum patri. Hoc intellige de egestate non extrema, sed minori, in qua potest vtcumque viuere, licet multa incommoda perferat: si enim esset extrema, teneretur filius omni modo subuenire, etiam egrediendo Religionem; petita tamen priùs licentia, etsi non obtenta: quia id etiam externo in pari necessitate præstare deberet. *Si in extrema.*

Dixi suprà, *non teneri egredi*; quia etsi non teneatur, tamen potest, obtenta licentia à Prælato. Hoc tamen casu non potest deserere habitum, nisi fortè in habitu non posset succurrere, de quo vide Nauarrum comment. 3. num. 44.

Octauò, Pueri non possunt Religionem ingredi 35
sine consensu parentum, vel tutorum, ante annos *8. Pueri.*
pubertatis: quia subsunt illis quoad vitæ dispositionẽ. Vbi verò ad annos pubertatis peruenerint, efficiuntur sui iuris in iis quæ ad statum vitæ pertinent: vnde possunt Religionem ingredi, etiam inuitis parentibus; etsi ante 16. annum completum non possint professionem facere. de quo vide diuum Thomam quæst. 88. art. 9. & 101. artic. 4. & q. vlt. ar. 4. & Hieronymum Platum de bono status Religiosi.

Supradictis exceptis, ceteri liberè possunt Religionem intrarẽ; quia ab alterius cõsensu non pendent. potest tamen esse aliquod impedimentum ex parte Religionis; idque vel ratione Iuris communis, vel ratione propriarum constitutionum. Ratione Iuris communis, vt si Monasterium vel domus non possit plures commodè alere ex suis reditibus vel consuetis eleëmosynis. Ita Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 4. Imò si Monasterium est feminarum, viuens ex reditibus, receptio est irrita, si plures recipiantur, quàm sine penuria possint sustentari, cap. Periculoso. §. Sanè, de statu Regul. in Sexto. Huic tamen incommodo solet occurri per dotem, quam communiter exigunt huiusmodi Monasteria, de qua suprà cap. 35. dubit. 12. & 23. *Impedimentum à Iure.*

Illegitimus quoque non potest admitti in Religionem in qua pater eius siue ante siue post natiuitatem professus fuerit, si adhuc sit superstes; vt habet Gregorius XIV. in sua constitut. in qua ea, quæ Sixtus V. statuerat de illegitimis, reuocantur ad terminos Iuris communis. *Illegitimus.*

Ratione propriarum constitutionum excluduntur à quibusdam Religionibus, homicidæ, infames, nati ex Iudæis, &c.

DVBITATIO IV.

Vtrùm aliquis possit compelli ad Religionem.

REspondeo, Neminem posse compelli, nisi qui 38
expressè vel taciteè seipsum sponte obligauit. *Neminem posse compelli.*
Probatur Primò, Quia quisque in statu vitæ deligendo

ligendo est sui iuris : non enim par est vt tantum onus ex alieno arbitrio pendeat. Secundò, Nemo potest compelli ad religionem Christianam amplectendam, quam tamen Deus omnibus præcepit, tamquam necessariam ad salutem : ergo multò minùs ad statum vitæ religiosæ, quem Deus omnibus liberum esse voluit, quique ad salutem non est necessarius. vide suprà cap.40.dub.8. Tertiò, Quia hic status est eius conditionis, vt non possit ei satisfieri nisi quis spōte sua, & ex interno affectu illum colat & seruet : magis enim pertinet ad internam reformationem affectuum, quàm ad disciplinam externā. Quartò, Quia eius excellentia & sublimitas postulat vt sponte & ex amore, non compulsione externa, suscipiatur. Vnde contra dignitatem eius esset, si quis aliàs non obligatus cogeretur hunc statum suscipere. Ob eamdem causam Deus noluit aliquem compelli ad religionem Christianam: vtilitas enim & excellentia, cum interna vocatione & illuminatione, abundè sufficit ad hominem alliciendum. vnde omnibus dicitur, *qui potest capere capiat.* Denique si hic status inuitis imponi posset, & obligatio ad illum extorqueri, cederet in maximum animarum laqueum; quia vota Religionis non nisi à volentibus & animo benè ad illa affectis, seruari possunt.

39 *Decreta Concilij Trident. circa professionem, & renuntiat. bonorum.*

Hinc Concilium Trid.sess. 25.de Reg.c.16.17. & 18. vt libertati ingredientium consuleret, & omnem coactionem arceret, statuit sequentia:

Primò, Cap.16. *Vt nulla renuntiatio aut obligatio facta ante professionem, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuslibet piæ causæ valeat; nisi facta sit cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij; idque intra duos menses proximos ante professionem; & vt etiam sic facta non sortiatur effectum suum, nisi secuta professione. aliter facta, etiamsi cum expressa huius fauoris renuntiatione, etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.*

Renuntiatio Nouitiorum irrita.

Secundò, *Ne ante professionem, excepto victu & vestitu Nouitij vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur.* idque præcipit dantibus & recipientibus *sub pœna anathematis.*

Tertiò, *Vt abeuntibus ante professionem, omnia, quæ sua erant, restituantur.*

Puellarum ingressus.

Quartò, Statuit c.17. *Vt puella non suscipiat habitum nisi duodecim annis sit maior, nec emittat professionem, nisi Episcopus, vel eo absente aut impedito, eius Vicarius, aut aliquis, eorum sumptibus ab eis deputatus, diligenter explorauerit virginis voluntatē, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Præfecta autem tenetur Episcopum de tempore professionis vnum mensem ante certiorem reddere; si omiserit, est suspensa ab officio quamdiu Episcopo videbitur.*

Excommunicantur cogentes mulierem ingredi Monast.

Quintò, Cap.18. *Anathemati subiicit omnes quacumq; dignitate fungentes, qui quomodocumque coegerint aliquā virginē vel viduam, vel aliam mulierem inuitā (præterquam in casibus in Iure expressis) ad ingrediendum Monasteriū, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumq; Religionis: vel ad emittendam professionē. Item qui consilium, auxilium, vel fauorē dederint. Denique qui consci, eidem actui præsentiam vel consensum vel auctoritatē interposuerint.*

Impedientes mulierem ingredi Monast.

Sextò, *Anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impediuerint.*

Circa prædicta, maximè circa primum, secundum, & tertium, Notandum est Primò, Non prohiberi testamentum : quia non est renuntiatio vel obligatio, nec adimit libertatem egrediendi, cùm nullam vim habeat ante professionem. Idem dicendum de omni alia dispositione conditionali, collata in tempus professionis. 40 *Testamentum.* *Renuntiatio conditionalis.*

Secundò, Etsi Concilium non loquatur expresse nisi de renuntiatione & alienatione Nouitij; tamen idem intelligendum videtur de ea, quæ facta est ante nouitiatum, contemplatione Religionis ingrediendæ; nam eadem ratio locum habet; hæc enim potest non minùs cogere ad Religionem, quàm ea, quæ facta est in nouitiatu. Vnde etiam censebitur facta in fraudem huius Canonis. *Renuntiatio facta ante nouitiatum.*

Tertiò, Id non habere locum in Societate Iesv; nam Concilium expresse excipit Societatem his verbis: *Per hac tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis* Iesv *iuxta pium eorum institutum à S. Sede Apostolica approbatum, Domino & eius Ecclesiæ inseruire possint.* Itaque ante ingressum validè potest quiuis disponere in quascumq; causas. Ingressus etiam potest disponere, sed iuxta formam in constitutionibus præscriptam, & à Sede Apostolica confirmatam, quam Concilium hìc apertè approbat. Societas tamen nullum ius ad bona suorum prætendit. 41 *Societas Iesv.*

Circa Quintum, vbi dicitur, *præterquam in casibus Iure expressis.* Notandum est, Iure excipi, Primò, Eos, qui sponte Religionem vouerunt : hi enim compelli possunt vt votum impleant : sicut is, qui sponsalia contraxit, potest compelli vt procedat ad matrimonium. Deinde quando coniunx conscius dispositionis Iuris, consensit vt alter profiteatur Religionem, vel sacros Ordines suscipiat; tunc enim compelli potest vt ingrediatur Monasterium, eo modo, quo suprà dub.3.n.27. dictum est. Tertiò, Qui crimen aliquod commiserunt, ob quod iubentur detrudi in Monasterium. hi quoque non tenentur profiteri, sed solùm pœnitentiæ opus impositum peragere, vt ex supradictis colligitur. Et confirmatur Primò; Quia nemo potest in pœnam cogi ad matrimonium : ergo neque ad Religionem. Secundò, Quia status supernaturalis non potest habere rationem pœnæ, cùm requirat liberam electionem, pœna autem sit contra voluntatem. Itaque solùm ibi præcipitur inclusio & alia opera pœnitentiæ eidem imponenda. 42 *Ob crimen non potest ad professionem compelli.*

Dvbitatio v.

Ad quid teneatur qui vouit ingredi Religionem.

43 *Duplicitèr vouetur Religio in genere.*

Notandum est, posse voueri Religionem vel in genere, vel in particulari. In genere dupliciter. Primò, Indeterminatè, vt cùm eo animo voues, vt si non admittaris in vno Ordine, velis ingredi alium. Secundò, Determinatè, vt si dum voues, non determines hunc vel illum Ordinem; sed tamen non intendas ingredi nisi vnum, quem habita matura deliberatione seliges.

In particulari verò, cùm certus aliquis Ordo ab initio deligitur.

Qui primo modo vouit, hic si non admittitur in vno Ordine, debet tentare alium; idque ad tres, vel *Si vouit in genere primo modo.*

vel quatuor, prout expresè vel tacitè intendit. ita Siluester Religio 2.qu.16. Sotus lib.7.de Iustitia q.2.ar.1.ad 3.& alij. Dico, *tacitè*; quia spectanda hîc est etiam habitualis affectio, in qua erat dum voueret,& quidnam rogatus fuisset responsurus. Si in Ordinibus suæ Prouinciæ non admittitur, non tenetur quærere extra Prouinciam, nisi fortè id intenderit. In dubio non præsumitur intendisse; quia est insolitum vt quis ita se Religioni ingrediendæ velit obstringere, vt non admissus in Ordinibus suæ Prouinciæ, teneri se velit ad foris extra patriam sollicitandum. Si talis in probatione deprehendit se ad hunc ineptum, ideoq; egressus fuerit, tenetur probare alium, si verisimile est illum fore accommodatiorem; secùs si bona fide non speratur melior successus.

Si secundo modo. Qui secundo modo vouit, non tenetur ingredi nisi illum, quem pòst delegit; non enim mens eius fuit ad amplius se obligare. vnde si in probatione deprehendit se ineptum, non tenetur alium tentare; sed manet liber à voto. Si vno loco illius Ordinis receptus non fuit, tenetur tentare duo vel tria alia loca eiusdem Ordinis; si tamen spes est admissionis. Secùs si nihil vel parum spei; quia non tenetur tentare, nisi cum spe probabili; nec ad amplius censetur se voluisse astringere. Itaque cessat obligatio voti, cùm ex parte sua fecerit totum illud, ad quod tali voto se intendit obligare. Nec refert quòd non sit ingressus; quia non vouit ingressum absolutè, sed sub hac tacita conditione, *Si admittar*, quæ conditio non est in ipsius potestate, nisi quatenus pendet ab ipsius sollicitatione. vnde si per hanc posita non fuerit, censetur impossibilis.

44 *Si tertio modo vouit.* Qui tertio modo vouit, nempe determinando à principio particularem locum, si ibi non recipiatur, non tenetur alia tentare, sed absolutè cessat votum, quia conditio sub qua vouit ingredi, non extat, nec est in ipsius potestate vt extet.

Quatuor obseruanda. Hic tamen quatuor notanda. Primò, Si impedimẽto aliquo temporali tenebatur, ob quod repulsus est, obligatur eo cessante se rursus offerre: quia solùm videtur dilatus ad tempus. Secùs si absolutè repulsus est, tali impedimento non extante: quo casu non tenetur, etiamsi posteà illum reuocent, quia non videtur ipsius intentio fuisse se vlteriùs obligare, si absolutè repelleretur: alioquin semper deberet manere incertus & suspensus.

Si repulsus ob impedimentum temporale.

Si ipse est causa impedimenti. Secundò, Si culpâ suâ impedimentum obiecit ne reciperetur, tenetur illud quantum potest tollere, & seriò adlaborare vt recipiatur. quia qui vouet ingredi, tacitè etiam vouet opportuna media ad hoc adhibere, & impedimenta quantum in se est amouere: alioquin non seriò, sed deluforiè videtur Deo promisisse.

Non tenetur in seculo seruare ea quæ sunt Religionis. Tertiò, Qui repulsam tulit, non tenetur in sæculo seruare ea quæ sunt Religionis, pauperta-tem, castitatem, obedientiam, &c. quia hæc non vouit, sed solùm vouit se hæc voturum si admissus fuerit. Vnde nec admissus ad hæc tenetur, sed solùm ad votum horum peracta probatione faciendum: quo facto, tenebitur. Sic qui vouit suscipere Ordinem sacrum, non tenetur ad horas, nec ad castitatem, priusquam Ordinem illum susceperit. Ethnici quoque etsi teneantur ad religionem Christianam; non tamen ad Sacramenta Eucharistiæ vel Pœnitentiæ, antequam religionem illam cum Baptismo susceperint. Hinc fit, vt si quis post votum Religionis duxerit vxorem, & consummauerit matrimonium, non peccet petẽdo debitum; quia nondum tenetur vinculo seruandæ castitatis. ita Caietanus q.88.art.3. Nauar.cap.12.num.47. Sotus suprà, & alij. mortua tamen vxore tenetur Religionem ingredi. nisi fortè per ætatem vel corporis dispositionem factus sit ineptus, aut non possit nisi difficillimè duriorem illam vitæ rationem perferre: quam exceptionem tenet Lopez cap.44. Idem dicitur docuisse Franciscus Victoria. & ratio est, quia non videtur rebus ita notabiliter mutatis, se voluisse ad hoc obligare. ad cautelam tamen expedit petere dispensationem; quia nemo securus Iudex in sua causa.

An mortua vxore teneatur intrare Religionem.

Quartò, Qui vouit ingressum certi Monasterij, vbi essentialia non seruantur, non tenetur ingredi, si non sit spes breui futuræ reformationis: quia est ei periculum pernersionis. Nec refert etiamsi habeat propositum omnia integrè seruandi, quia æstus communis consuetudinis facilè abripit mentem. Excipe tamen, nisi sentiret se adeò firmum, vt prudenter putet sibi non esse probabile periculum; quin potiùs speret se alios conuersurum. vide Nauarrum cap.12.num.46.& Maiorem in 4.d.38.qu.2.

Si essentialia non seruentur.

Petes Primò, Quid si non admittatur, nisi ad statum laicorum? 45

Si non admittitur nisi vt laicus. Respondeo, Spectandam esse tacitam vel expressam mentem ipsius: si enim solùm cogitauit de statu sacerdotum cùm voueret, vel ita erat affectus, vt si rogatus fuisset, noluisset nisi ad illum statum in Religione suscipiendum se obligare; nõ tenebitur ex voto ad statum laicorum. Si dubium sit, spectanda est conditio & cursus vitæ, & qualitates personæ, & ex his coniectura facienda: nobiles enim mediocriter litterati, & studiosi adolescentes præsumuntur intendisse statum sacerdotum; milites & mechanici statum laicorum.

Petes Secundò, Quid si non solùm vouit intrare, sed etiam profiteri & perseuerare?

Si vouit perseuerare. Sunt duæ sententiæ. Prima est, Hunc non obligari ad amplius quàm eum, qui solùm vouit ingredi: hoc est, ad bona fide probandum an ea vitæ norma ipsi sit conueniens; & si deprehendat eam minùs congruere, ob asperitatem vel aliam causam, non teneri. Ita Sotus l.7.q.2.ar.1.ad 3. & Ioannes Peña apud Lopezium c.45. & aliqui recentiores. Probatur Primò, Qui vouet ingredi Religionem, etiam tacitè vouet perseuerantiam; nam ingredi Religionem est fieri Religiosum: hoc autem perseuerantiam includit: ergo est eadem ratio vtriusque voti. Secundò, Votum ingrediendæ Religionis ex dispositione Iuris includit hãc tacitam conditionem, *Si bona fide deprehẽdero in probatione eam mihi conuenire*; ideò enim cõstitutus est annus probationis: atqui eamdem includit votum profitendi; quia vouens non intendit hoc votum exequi nisi secundùm Iuris dispositionem, vtendo priuilegio anni probationis: alioquin frustrà esset probatio. Tertiò, Concilium Tridentinum sess.25.cap.15. de Regul. irritam decernit professionem ante annum probationis impletum; ne videlicet adimatur Nouitio potestas retrocedendi, si intra annum deprehenderit formam illam viuendi sibi non cõgruere. Idem confirmatur ex cap.16. vbi omnes renuntiationes suspendit in tempus professionis. Ex quibus videtur colligi, mentem Concilij esse, vt nemo possit se absolutè

1. Sententia, non differre.

Reli-

Religioni obstringere ante professionem; sed omnem talis voti promissionem intelligendam conditionaliter, nimirum, Si bona fide deprehendero illum Ordinem mihi conuenire.

46 Hæc sententia est probabilis, & iuxta illam qui vouit perseuerantiam, potest egredi, si bona fide in probatione putet sibi eam non esse accommodam.

Contrarium probabilius. Contraria tamen est probabilior, quam expressè tenet D. Thomas 2. 2. quæst. vlt. art. 4. in corp. Caiet. ibid. Nauar. cap. 12. num. 47. & alij.

Probatur Primò, Qui dicit, Voueo ingredi Religionem, & in ea profiteri vel perseuerare, ampliùs intendit promittere Deo, & se magis obligare quàm qui more consueto vouet solùm ingredi. cur enim hoc addat, nisi vt præscindat sibi libertatem egrediendi?

Secundò, Si quis impetraret dispensationem in voto Religionis, & non exprimeret se vouisse non solùm Religionis ingressum, sed etiam perseuerantiam, subreptitia censeretur dispensatio, vt docet Nauarrus suprà: ergo est amplius.

Tertiò, Etsi nō possit quis ante exactum annum probationis obligari professione ad perseuerandum in ea Religione, potest tamen se obligare voto simplici: nusquam enim tale votum redditur irritum, nec restringitur vt vim non habeat in euentum, si aliquid in Religione displicuerit.

Vouens ingredi Religionem. Quartò, Qui vouet se ingressurum Religionem, solùm duo censetur promittere; nempe bona fide probare, & si in probatione deprehenderit eam sibi conuenire, profiteri. vnde si bona fide iudicet eam sibi minùs conuenientem, ob illius asperitatem, vel ingenium suum præfractius, vel quia metuit inconstantiam, non tenetur, vt docent Caietanus & Nauarr. suprà. Imò non tenetur, si modus ille viuendi displiceat, vt Nauarrus ait: vel si ob aliquam causam non sit gratus; vt vult Caietanus. Quod tamen intelligendum est, si displicentia illa sit ex causa iusta, vel non possit facilè superari. Item nisi amplius vouendo intendisset: tacita enim intentio potissimùm in huiusmodi expendenda. In dubio tamen non videtur amplius intendisse, quàm quod dictum est. Qui verò etiam perseuerantiam vouit, videtur se ita voluisse obstringere, vt non possit egredi vllo modo, si iudicaretur idoneus, & ratio vouendi esset tolerabilis; nam tantum se obligat quantum potest: ergo nisi tanta sit difficultas vt censeatur intolerabilis, & votum per se cesset ratione impossibilitatis, vel ineptitudinis, obligabitur. poterit tamen in hoc voto dispensare Episcopus, vt docet Sancius lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 18. quia hoc non est dispensare in voto Religionis, sed in modo exequendi.

Qui vouit perseuerãtiam.

Ad primam rationem alterius sententiæ: Qui vouet solùm ingredi Religionem, non censetur se obstringere ad perseuerantiam, nisi sub hac conditione, Si deprehendero Religionem illam mihi conuenire. Itaque si ob aliquam causam minùs conueniat, non tenetur. alter verò obligat se absolutè, modò sit idoneus: quamuis enim ob aliquam causam minùs conueniat, paratus est id incommodi tolerare.

Ad secundam: Qui vouet profiteri, videtur renuntiare priuilegio probationis, quantum est ex parte sua. non tamen frustrà ei conceditur probatio, tum quia debet innotescere Religioni, vt sciant vtrùm ipsis conueniat; tum quia debet experiri an possit formam illam viuendi perferre.

Ad tertiam: Concilium non adimit potestatem sese obligandi voto simplici ad perseuerandum; sed solùm voto solemni.

47 Quæ diximus, pertinent in genere ad quosuis qui Religionis votum habent. Sed peculiaris difficultas est de coniugibus voto Religionis obstrictis, quid possint, quid non possint, & ad quid teneantur. *Si coniunx votum Religionis habeat.*

Si vouit ante consummationem. Dico Primò, Qui ante consummatum matrimonium vouit ingressum Religionis, non potest illud consummare siue petendo, siue reddendo. Ratio est, quia consummando redderet se impotentem implendi voti: semel tamen matrimonio consummato, potest liberè reddere, & etiam petere: quia id non est contra eius votum; nec voti executioni impedimentū obijcit, cùm hæc ei facta sit impossibilis. simulatque tamen ei liberum erit exequi, tenebitur, vt si coniunx simul velit conuerti; si contingat coniugem committere adulterium, si ob suum adulterium repudietur à cōiuge, & licentia ingrediendi tacitè vel expressè detur; si contingat coniugem damnari hæreseos, vel mori.

Si vouit post consummationem. Dico Secundò, Si consummato matrimonio coniunx, v. g. maritus, vouit Religionem; vel id fecit absque consensu vxoris, vel cum consensu. Si absque consensu vouit, vel intendit statim implere, & sic votum est irritum; quia de re illicita: vel non restrinxit suum votum ad certum tempus, & ita præsumendum est illud referri ad tempus, quo libera erit ei executio. Non enim præsumendum peruersè factum, quod rectè fieri potuit. Si cum consensu eius vouit, valet votum: nō tamen inducit obligationem exequendi absolutè, sed sub conditione, si nimirum vxor præstare voluerit quæ Ius requirit; id est, ingredi Religionem, si est iuuenis, vel talis vt in eam cadere possit suspicio incontinentiæ; aut vouere castitatem in sæculo, si est vetula, & expers periculi. itaque hoc votum habet tacitam conditionem à Iure, Ius enim non aliter permittit huius voti executionē. Vnde si vxor posteà nolit ea præstare quæ Ius requirit, maritus non obligabitur; quia deest conditio Iure requisita. Secus est in professione. hæc enim semper fit absolutè, vnde statim valet, vel est irrita, vt patet ex dictis dubit. 3. Quòd si maritus eo casu ingressus fuerit, & professionem fecerit, valebit professio, etsi contra Ius facta sit. multa enim nō rectè fiunt, quæ facta tenent, vt patet c. Ad Apostolicam. 16. de Regular. & transf. Ita docet Glossa in cap. Ex parte 9. de conuers. coniugat. Vtrùm verò eo casu sit restituendus vxori, dubium est. *Si professus fuerit.*

An vir sit restituendus. Videtur non restituendus, sed ipsa potiùs compellenda ad Religionem: nam consentiendo in ipsius ingressum, videtur tacitè vouisse Religionem, & ita sentiunt multi DD. de ea quæ Iuris ignara non fuit, vt suprà dubit. 3. dictum est. Valdè tamen probabile est, quando vxor quæ consensit, non potest induci ad vouendam continentiam, vel Religionem ingrediendam, virum etiam professum ipsi esse restituendum. ita habetur expressè cap. 1. de cōuers. coniugat. *Dicimus quòd nisi vxor ad Religionem transierit, aut perpetuam castitatem seruare promiserit, vir potest & debet de Monasterio reuocari.* Nec distinguit, sicut nec alij Canones vsquam distinguunt, inter eam quæ sciuit Ius, & quę ignorauit. Vnde sequitur, etiamsi ipsa illum non repetat,

repetat, tamen esse restituendum. Si tamen ipsa vouit castitatem, non debet ei restitui. vt ex d.c.1. apertè colligitur. sed ipsa, si iuuenis sit, concludenda est in monasterio ad custodiam. si autem vouit ingressum Religionis, compellenda est vt exequatur.

48 *Si pari consensu vouerunt.*

Dico Tertiò, Si consummato matrimonio pari consensu & ex pacto vouerunt ingressum Religionis, valet votum. si tamen alter resiliat, alter non tenetur exequi: tum quia Iure non potest alter absque altero statum mutare, vt patet ex dictis: tum quia tale votum habet tacitam conditionem, Si coniunx perseuerauerit in proposito. Itaque etiamsi contingeret alterum qui resiliit mœchari, alter tamen non obligaretur: quia conditio sub qua votum obligabat, non extat. Cùm enim sic ex pacto vouent, mens illorum non est se obstringere seorsim & independenter ab altero, sed vtroque statum mutante, sicut Ius præscribit; neque præsumuntur aliud intendisse nisi de ea intentione constet. Hoc tamen quod de mutatione status dicitur, intellige, quando vterque Religionem vouit. Si enim ex mutuo consensu vxor voueat continentiam tantùm, & maritus Religionem vel Ordinem sacrum, adhibenda est distinctio. Si enim vxor sit vetula, id est, sexagenaria, & expers periculi, vtriusque votum erit validum, & vir poterit votum suum exequi, etiamsi vxor suum seruare nolit. Ratio est, quia quando est vetula, Iure non requiritur aliud ab vxore, quàm vt continentiam voueat. hoc enim sufficit, vt virum à suo iugo absoluat, & sui iuris efficiat. Si autem erat iuuenis, neutrius votum obligabit: non viri, quia Iure non potest ordinari secundùm veriorem sententiam, nisi vxore vouente ingressum Religionis. quamuis enim id Iure non sit expressum, nisi de vxore eius qui promouendus ad Episcopatum, de qua id dicitur cap. Sanè, de conuers. coniugat. tamen de vxoribus omnium qui Sacris initiandi, colligunt id DD. ex eo quòd non minor sed maior sit ratio, cùm vir promouetur ad Ordinem sacrum in sæculo, quàm cùm ipse ingreditur Religionem: ob maius periculum incontinentiæ ex libera conuersatione cum vxore manente in sæculo. Itaque si vxor debet ingredi Religionem, vt vir possit ingredi; potiori ratione debebit ingredi, vt vir possit ordinari. Non etiam obligat votum vxoris; quia pendet ad obligatione viri, cùm sit respectiuum: habet enim se per modum contractus, Facio vt facias. Vnde si viri votum non obligat, nec vxoris.

Si vxor voueat continentiam & vir Religionem.

Aduerte tamen, non esse improbabile, vtriusque votum valere: quia probabile est, cùm agitur de ordinatione viri, sufficere votum continentiæ vxoris in sæculo; vt colligitur cap. Coniugatus, iuncta Glossa in fine. Secùs cùm agitur de ingressu viri in Religionem, propter expressos textus in contrarium.

An possint petere debitum.

Petes, Vtrùm in prædictis euentis possint coniuges petere & reddere debitum. Respondeo, non esse dubium quin possint, quando communi consensu vouerunt ingressum Religionis. tunc enim vsus coniugij nullo modo repugnat voto, nec impedit eius executionem. Nec refert, etiamsi matrimonium nondum erat consummatum: quia etiam eo consummato possunt ingredi. quòd si vxor tunc nolit, peccat mortifere, sed maritus excusatur, quia per ipsum non stat, quò minùs fiat executio. Similiter possunt, quando vxor vetula vouit continentiam, & maritus susceptionem Ordinis sacri. quia cùm votum vxoris sit respectiuum, referenda est eius executio ad tempus quo maritus ordinabitur. ita Sancius lib. 9. de matrimon. disput. 37. num. 7. præsumitur enim, etsi nunc votum faciat, vouere solùm seruare castitatem in futurum, si vir ordinatus fuerit. vnde est pendens à conditione futuri; quæ si non extiterit, euanescit votum. itaque ante impletam conditionem non obligatur. hoc intelligo, nisi ipsa expressè aliud intenderit. In prædictis tamen casibus non tenentur reddere debitum; quia videntur renuntiasse iuri exigendi & cogendi, hoc ipso quo dederunt sibi mutuo potestatem mutandi statum ad perpetuam continentiam: imò plerumque etiam expressè hæc renuntiatio fieri solet. vide cap. Dudum. 20. de conuers. coniugat.

49 *Si vxor continentiam, maritus Religionem voueat.*

Dico Quartò, Quando ante consummatum matrimonium communi consensu vouerunt, vxor continentiam, maritus ingressum Religionis; si vxor erat vetula, non impediuntur petere & reddere debitum: si autem sit iuuenis, vir nec potest reddere nec petere.

Prior pars patet: Quia vir nondum tenetur voto castitatis, nec actu coniugali redditur impos voti: votum enim continentiæ vxoris cum renuntiatione expressa vel tacita iuris coniugalis sufficit, vt possit ingredi Religionem, etiam consummato matrimonio. Similiter vxor non tenetur seruare castitatem ante mariti ordinationem vel professionem, vt ostensum est.

Altera pars probatur: Quia maritus consummando matrimonium reddit se inhabilem ad votum suum præstandum. nam votum continentiæ vxoris iuuenis non sufficit vt consummato matrimonio possit maritus Religionem capessere. Imò non potest vxor eo casu debitum reddere marito petente, si nondum expletum est tempus constitutum exequendo voto. quia efficeret illum inhabilem executioni voti, & aliàs nullum ius habet ad illum actum, quamdiu maritus non est in mora præstandi sui voti. quòd si tempus arbitrio prudentis effluxerit, ita vt maritus incipiat esse in mora, & monitus nolit ingredi, poterit vxor reddere debitum petenti, & etiã petere: quia marito nolente ingredi iuxta conuenta, soluitur ipsa voto, nec tenetur diutiùs expectare, sed potest vti iure suo. Ita Sancius suprà n. 8. Mora enim mariti ita illam eximit voto, vt ampliùs non obligetur. alioqui posset illam maritus semper suspensam tenere, & cogere sine fine expectare. Si tamen velit, potest ei negare debitum. quia potest velle vt stetur contractu, quo maritus iuri suo renuntiauit.

Porrò consummato semel matrimonio, vir non potest ingredi vxore iuuene inuita; quia & ipsa simul ingredi deberet, ad quod cogi nõ potest, cùm non promiserit. Simulatque tamen licitè poterit, tenebitur; vt si contingat illam adulterium committere. itaque viri votum Religionis ingrediendæ non extinguitur, sed solùm consopitur & suspenditur per matrimonij consummationem. quia posito voto continentiæ vxoris in prædicto casu, fit absolutum, nec ampliùs pendet ab vlla conditione: sicut in contractibus alter tenetur absolutè, cùm alter suum munus præstitit. Votum autem castitatis vxoris extinguitur absolutè per moram viri; quia pendet à conditione futuri, nempe si vir con-

constituto tempore Religionem ingressus fuerit. Quòd si vir non fuerit in mora, non extinguitur. vnde etsi tunc consummet ipsa matrimonium siue petendo, siue reddendo, nihilominùs manet obligata voto ad seruandam castitatem, cùm ille Religionem debito modo ingressus fuerit. vt si facto diuortio ob adulterium vxoris, maritus votum suum impleat. quo etiam casu non poterit ipsa etiam petenti debitum reddere, ne rursus in eamdem inhabilitatem implendi voti illum coniiciat, vt notauit Sancius suprà.

DVBITATIO VI.

Ad quid teneatur qui obstrinxit se voto castitatis perpetuæ.

NOtandum est, hoc votum factum esse vel ante initum matrimonium; vel post initum quidem, sed nondum consummatum; vel matrimonio iam consummato; idque vel seorsum, vel ex mutuo consensu.

Dico Primò, Qui obstrinxit se voto castitatis ante matrimonium, tenetur ad multa.

50 *1. Tenetur abstinere à matrimonio.* Primò, Tenetur abstinere à matrimonio: si enim contrahit, vel id facit animo consummandi, & sic peccat contra votum; vel animo ingrediendi Religionem ante consummationem; & sic facit iniuriam, decipiendo coniugem; quæ si id sciuisset, noluisset contrahere: & fortè damnum incurret, quia fortasse putabitur deflorata, nec tam commodis potietur nuptiis. etsi enim coniunx possit intrare Religionem ante matrimonium consummatum, si Deus illi intereà hanc voluntatem inspiret: tamen quando contrahit, non potest animum absolutè ingrediendi habere; neque Ius id ei concedit: sólùm tribuit ius ingrediendi, supponens contractum bona fide esse initum. Accedit quòd contrahens matrimonium ordinariè se exponat periculo consummandi, cui is, qui voto tenetur, se obiicere non potest.

An possit contrahere animo ingrediendi. Dices, Cap. Ex publico 7. de conuers. coniugat. conceduntur nouis coniugibus duo menses, vt possint ingredi Religionem: ergo qui tali mente contrahit, vtitur iure suo; & cap. Commissum 16. de sponsalibus, dicitur, cum, qui iurauerat puellæ sponsalia, & posteà volebat ingredi Religionem, tutiùs facturum si antè contraheret, & pòst ingrederetur Religionem: ergo nulla fit iniuria per talem contractum. Confirmatur, quia aliàs qui tali animo contraxisset matrimonium, non posset posteà Religionem intrare.

Sententia quorumdã. Ob has rationes quidam Doctores putant non esse peccatum, post votum castitatis contrahere matrimonium animo firmo ingrediendi Religionem. Ita Guilielmus Altisiod. l. 3. Summæ tract. 2. qu. 3. Scotus in 4. d. 38. versus finem, Angelus, Matrimonium 3. Impedimento 5. n. 1. Caietan. v. Matrimonium, c 1. Iosephus Angles 2. p. q. 11. de impedim. matrimonij: quæ sententia est satis probabilis.

Sed quod diximus est verius.

Respondetur ad rationes. Nec obstant rationes allatæ: nam cap. Ex publico, concedit quidem duos menses; (quia fieri potest vt Deus intereà alteri eorum inspiret propositum Religionis) non tamen concedit vt animo determinato intrandi contrahas. Cap. Commissum, loquitur de eo, qui non statuerat quidquam de ingredienda Religione, sed dubitabat; & tamen iurauerat se contracturum matrimonium cum quadam ad certum diem: hic enim vrgente iuramento tenebatur contrahere; quia non habebat determinatum propositum Religionis, quo excusatur.

Ad Confirmationem: Quidam putant talem non posse Religionem ingredi, propter illã fraudem in contractu admissam. Sed verius est posse: quia non fecit iniuriam nisi in contrahendo: imò propriè non fecit iniuriam eo animo contrahendo, sed solùm contra charitatem peccauit: animus enim interior non facit actum externum iniustum, qui alioquin per se iustus erat: at ille contractus exterior per se erat iustus: ingrediendo quoque iniuriam non facit; quia Ius id absolutè concedit. sed neque in eo contra charitatem peccat; quia non tenetur se tanto bono priuare ob aliquod incommodum, quod fortè alteri obueniet, cùm suo iure vtatur. quare si votum Religionis habebat; non solùm poterit, sed etiam tenebitur intrare, non obstante tali contractu. In ipso tamen contractu, contra charitatem, si causa iusta non suppetebat, peccauit, vt dictum est.

Potest intrare Religionem.

Aduerte tamen, licitum esse eo animo contrahere, si iusta causa subsit; vt si metu compellaris, qui tamen non cadit in virum constantem; si id facias vt proles antè suscepta legitimetur, si non possis aliter parentum custodiam euadere, qui te continent ne Religionem ingrediaris, &c. si aliàs graue scandalum timeretur. de quo vide Sancium lib. 1. de matrimonio, disp. 43. nu. 8. & Henriquez lib. 2. de matrimonio, cap. 2.

51 *Quãdo licitum contrahere post votum castitatis.*

Secundò, Si voto castitatis obstrictus matrimonium contraxerit, tenetur abstinere illius vsu; ita vt non possit petere vmquam debitum; quamuis consummato matrimonio teneatur tacitè vel expressè petenti reddere. Est communis DD. vide Nauar. cap. 16. num. 30.

52 *2. Tenetur abstinere vsu matrimonij.*

Solùm dubium est, An possit consummare matrimonium reddendo? Plerique DD. docent non posse, sed teneri ante consummationem ingredi Religionem, vt possit voto suo satisfacere; hanc enim solam rationem illius seruandi superesse. Nauarrus cap. 12. n. 80. Silu. Matrimonium 7. q. 5. & ferè ceteri Summistæ. insinuat D. Thomas 2. 2. q. vlt. a. 8. in 3. argumento.

An possit cõsummare reddendo.

Sed contrarium non minùs est probabile, & fortè verius, scilicet non teneri intrare Religionem vt votum castitatis seruet; & si coniugi castitatem persuadere nequit, posse reddẽdo consummare. Ita Sotus in 4. distinct. 38. q 2. art. 1. Corduba in Summa qu. 136. Angelus Matrimon. 5. Imped. 5. num. 2. & quidam alij recentiores. Probatur, Quia eo casu perfecta voti obseruatio censetur ei facta impossibilis; vnde non tenetur, nisi quatenus potest pro eo statu rerum, videlicet non petendo debitum. Antecedens probatur; quia illud censetur alicui Iure impossibile, quod facere non potest per media ordinaria seu ad id ordinata: atqui iste est in eo statu, vt per media ordinaria non possit absolutè continentiã seruare: ergo, &c. Nec obstat quòd possit illam seruare capessendo statum Religionis: quia hic status non est medium ordinarium eò pertinens. Secundò, Quia iste nec expressè Religionem nouit, vt suppono, nec etiam implicitè; non enim censetur ei fuisse animus eo

Posse consummare reddendo.

euentu

euentu se ad Religionem obstringere, nisi de contrario constet : non enim homo rem quantumuis arduam semper paratus est aggredi vt votum seruet. Tertiò, Religio est status supernaturalis, consistens maximè in interiore affectu & animi promptitudine; & obligans ad multa difficilia: ergo nemo ad eam cogendus, nisi qui sponte sciens & volens se ad illam obstrinxerit. Quartò, Quia alioquin qui vouisset Ordinem sacrum, & duxisset vxorem, cogendus esset ad Religionem. Nam non potest hoc votum ad executionem perduci, nisi Religionem ingrediatur : atqui id est nimis durum, nec DD. id fatentur. Quintò probari potest efficaciter cap. vnic. Extrauag. de voto, vbi Ioannes XXII. statuit, vt is qui post matrimonium ratum susceptum Ordinem sacrum, moneatur vt Religionem ingrediatur. Deinde addit: *Quod si forsitan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa eius institerit, per censuras Ecclesiasticas compellendum decernimus contractum matrimonium consummare.* Vbi expressè supponit, quòd possit renuere, vt inquit Glossa ibidem v Renuerit. alioquin deberet compelli. Itaque si is qui suscepit Ordinem sacrum, & habet solemne votum castitatis, non tenetur Religionem ingredi, vt voto suo satisfaciat ; multò minùs qui solùm habet votum simplex castitatis. Denique si compelleretur ad Religionem, graue incommodum inferretur vxori, & malus exitus ex tali compulsione esset metuendus.

Idem dicendum, etiamsi contracto iam matrimonio rato votum fecerit : nisi fortè sciuerit se alia ratione continentiam seruare non posse, & nihilominùs, etsi id aduerteret, voluerit se voto ad illam obstringere. Tunc enim præsumitur se etiam ad Religionem voluisse obligare. qui enim adstringit se ad finem, etiam adstringit se ad medium sine quo videt finem obtineri non posse. Secùs si id actu non aduerteret. ita Sancius lib. 9. de matrim. disp. 34. num. 3.

53 *3. Tenetur non reddere.*

Tertiò, Si coniunx adulterium committat, tenetur alter, qui votum castitatis habet, non reddere illi amplius debitum, sed perfectè seruare suum votum. Ratio est, quia tenetur illud seruare quantum potest sine iniuria coniugis ; tunc autem potest sine iniuria. Idem dicendum secundùm quosdam, si alter ante contractum sciebat votum alterius: tunc enim non habet ius exigendi; quia mala fide contraxit: sciebat enim se non posse rem Deo consecratam ad vsum profanum conuertere, & alterum non posse eam tradere. vnde sibi imputet quòd matrimonio suo vti non possit. secùs quando bona fide contraxit; quia absque culpa sua non tenetur seruare continentiam, quam non promisit.

Sed contrarium in priore casu verius puto; quia per matrimonium transiuit in alterius potestatem. Vnde etsi coniunx petendo peccet in Deum, vt ratio iusta probat ; tamen alter tenetur reddere, quia sui corporis potestatem non habet, sed coniunx. nullo tamen modo potest petere. posset tamen alter in pœnam à Iudice priuari potestate petendi, quia id meretur.

Quartò, Si coniunx obierit, tenetur absolutè seruare castitatem, nec potest alteri rursus connubio iungi; quia obligatio est perpetua, id est, vsque ad mortem ; estque præstanda quantum status præsens patitur.

Quintò, Si votum castitatis vel Religionis præcedat sponsalia, reddit ea irrita, etsi iureiurando firmata fuerint. ratio est, quia executio est peccatum. quod enim Deo consecratum est, non potest sine sacrilegio alteri promitti vel donari. Estque communis sententia DD. 54 *5 Si votum præcedat sponsalia.*

Si verò sequatur post sponsalia, est dubium. Multi enim Doctores volunt sponsalia, etiam iurata dissolui per votum castitatis superueniens, eò quòd intelligatur exceptus status perfectior, qualis habetur per votum castitatis. Ita tenent Richardus in 4. d. 27. artic. 3. quæst. 4. Paludanus d. 38. q. 3. artic. 3. Maior dist. 27. q. 5. Sotus ibidem q. 2. art. 5. Caiet. v. Periurium cap. 2. Henriquez lib. 1. de matrimonio cap. 14 numero 4. & multi Canonistæ. *Si sequatur.*

Alij negant spōsalia per votum castitatis superueniens dissolui, sed esse implenda volente parte. Ratio est, quia tale votum fieri non potuit in præiudicium sponsæ: rem enim alteri promissam non posse Deo dicari per votum castitatis. secùs de voto Religionis ; quia hoc votum in sponsalibus iure censetur exceptum, cùm Ius tribuat facultatem ingrediendę Religionis, etiam post matrimonium ratum nondum consummatum : hoc tamen non potest ostendi de voto castitatis. Ita Hostiensis, Innoc. Ioannes Andreas, Panor. Archidiac. in cap. Rursus 6. Qui Cler. vel vouentes, &c. Palud. dist. 27. q. 1. art. 3. casu 5. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 2. Siluester Matrimonium 7. quæst. 5. dicto 5. & v. Sponsalia q. 7. Tabiena eodem, q. 10. Fumus eodem, nu. 12. Nauarrus cap. 22. nu. 27. & multi recentiores.

Vtraque sententia est valdè probabilis, & secura in praxi. secunda tamen est Iuri conformior: quia Iure probari non potest, conditionem melioris vitæ in sponsalibus censeri exceptam, præter statum Religionis. imò Ecclesia talem cogere solet vel Religionem ingredi, vel sponsalia perficere. Sed hęc res non est huius loci: de qua vide plura apud Sancium nostrum lib. 1. de matrimonio, disp 46. *Vtraque sententia probabilis.*

Dico Secundò, Si alter coniugum (v. g. vxor) post matrimonium ratum nondum consummatum vouit castitatem; vel id fecit animo ingrediendi Religionem, vel absq; tali animo. Si animo ingrediendi Religionem, tenetur ingredi ; si tamen aduertit, cùm voueret, se aliter votum suum integrè implere non posse. Si autem id minimè aduertit, sed cùm haberet animum ad Religionem, & supponeret se ingressurum, vouit castitatem, non tenetur ad Religionem: quia ad hanc voto se non obstrinxit : neque propositum ingrediendi illum obligat, vt ex supradictis constat. Tenetur tamen ad castitatem non minùs quàm si ante matrimonium vouisset; censetur enim integram castitatem vouisse. Vnde non solùm non poterit petere debitum (quamuis teneatur reddere, nisi malit ante primum actum intrare Religionem) sed etiam si contingat virum mœchari, non poterit eum sibi conciliare. quia, quantū in se est, tenetur integram castitatem seruare. Si autem non cogitauit de Religione, solùm videtur vouisse castitatē partialem, quam matrimonij status permittit, nimirum, vt non possit petere debitum aut fornicari. Vnde si contingat virum fornicari, non tenetur ab eo diuertere, & potest seperatum conciliare. vt docet Sancius lib. 9. disp. 35. 55 *Si coniunx vouit castitatem ante consummationem.*

Contrarium tamen in hoc casu videri possit verius. si enim non afficiebatur matrimonio, & optabat esse libera ab illo iugo, & sic vouit castitatem (vt plerumque fit) videtur vouisse absolutè seruare quantum in se est, & sine iniuria coniugis posset: vnde etiam post mortem ipsius non potest nubere alteri. quare si contingat coniugem fornicari, tenebitur ab eo separari, si absque graui incommodo possit, nec dimissum poterit reconciliare. itaque spectanda est mens vouentis vtrùm intenderit vouere seruare castitatem quantum sine alterius iniuria posset.

Si post consummatum.

Dico Tertiò, Si consummato matrimonio alter vel vterq; vouit continentiam, vel id factum absque alterius consensu; vel cum consensu, sed seorsum; vel mutuo consensu per modum pacti. Si primo modo factum sit, certum non esse nisi votum partiale castitatis, nimirum quantum est ex parte vouentis, quale in matrimonio seruari potest, siue vterque seorsim, siue alter tantùm vouerit. Si secundo modo, nimirum accedente consensu alterius, non tamen per modum mutui pacti; etiam erit solùm votum partiale, quale matrimonij status permittit. Et quamuis neuter tunc possit petere debitum, vterque tamen tenetur petenti reddere: quia neuter censetur renuntiasse iuri petendi, nisi fortè expressè aliud intenderint. Licentia enim vouendi data à coniuge, non est renuntiatio sui iuris, vt suprà c.40 dub.15.n.95. ostensum est, & consentiunt plerique Doctores.

56 Si tertio modo factum sit, neuter potest petere aut reddere: quia ad hunc finem vterque iure suo cessit, & coniugem à iugo coniugalis seruitutis absoluit, vt sic integram continentiam perpetuò seruare posset, vt suprà dubit. 15.num.96. ostensum est.

Si ius vicissim reddant.

Aduerte tamen, coniuges alterum alteri posse hanc renũtiationem validè condonare, & ius pristinum in corpus restituere. etsi enim ea in re cõmittant sacrilegium contra votum (quia quod semel Deo consecratum est, non potest alteri dari) tamen illa condonatio & iuris restitutio valida erat. Nam si cùm femina est omnino sui iuris, validè potest ius sui corporis conferre in virum, etiamsi ipsa castitatem vouerit; multò magis iam matrimonio copulata poterit validè reddere viro ius, cui vir renuntiarat, cùm numquam ita renuntiare potuerit, quin apud eum habitu & in radice manserit. Ratio est, quia votum simplex, quo vouit Deo castitatem, non transfert dominium corporis in ius alterius. secùs est in professione, cui ex parte voti obedientiæ annexa est traditio in ius Religionis. Vnde etsi vouerit castitatem, retinet tamen dominium corporis sibi (quamuis Deo obnoxium ratione voti) ac proinde potest illud validè marito reddere; similiter maritus vxori. Itaque hoc casu etsi neuter possit petere debitum, vterq; tamen tenetur petenti reddere; sicut cùm seorsim castitatem vouerunt. Tunc enim eorum votum ad similem statum est redactum. vide suprà c.40. dub.18.n.126. Si tamen contingat maritum mœchari, vxor non poterit ei amplius reddere debitum. quia ille rursus ius petendi amisit: & ita tenetur ipsa votum suum integrè seruare sicut priùs, antequam restituisset viro ius illud, quo ipse vouendo cesserat.

Dvbitatio vii.

Quid requiratur vt professio sit valida; & vt inualida ratificetur; & an non ratificans possit ingredi.

NOtandum est, professionem posse fieri vel *expresse* vel *tacite*. *Expresse*, cùm quis vtitur aliqua formula promissionis, qua mentem suam explicet & intendat Religioni incorporari. Nec refert ex natura rei quibus verbis vtatur; modò per illa intendat se Deo & Religioni obstringere ac tradere, idque ipsis aliqua ratione exprimatur. Sicut in absolutione ab excommunicatione, non refert quibus verbis vtatur Prælatus, modò significent effectum, quem per illa intendit. Vnde in multis Religionibus non vouent expressè paupertatem, & castitatem; sed promittunt solùm *seruare regulam*, (intellige de præceptis regulæ) vel *obedire regulæ*, vel *viuere secundum regulam*: vel promittunt *obedientiam & conuersionem morum secundum hanc vel illam regulam*. His aliqui adiungunt *stabilitatem*, vt Benedictini & Carthusiani: castitatem verò & paupertatem promittunt, tum in obedientia, tum in promissione regulæ, in qua illa exprimuntur. 57 *Professio expressa. Tacita. Varia formula professionis expressa.*

Tacite fit tripliciter. Primò, Cùm exacto probationis anno defert quis habitum professorum (vbi is aliquo signo externo distinctus est) per triduum; cap. Ad nostram. 8. de Regul. & cap. Constitutionem. 3. de Regul. in 6. Secundò, Si tali habitu suscepto faciat aliquod opus professis proprium; vt si in Capitulo suffragium dederit, statim fit professus, nec requiritur triduũ; c. Vidua. 4. de Reg. Tertiò, Si in ea Religione vbi nulla exteriùs est distinctio habitus, deferas habitum per totum annum, in termino anni censeris professus; c. Ex parte. 22. de Reg. & Clement. Eos qui. de Regul. vide Nauar. comment. 4. de Reg. n. 73. & 74. Silu. Religio. 3. q. 19. Debent autem hæc fieri animo saltem tacito profitendi; & consentiente illo, cuius est admittere, vt rectè iidem DD. & alij docent, & ex infrà dicendis patebit. Si talis animus non adsit, non erit coram Deo professus: etsi in foro externo præsumatur. *Professio tacita triplex.*

His positis, vt professio sit valida, multa requiruntur. Primò, Ætas. Secundò, Annus probationis. Tertiò, Animus profitendi. Quartò, Vt non metu vel fraude impulsus faciat. Quintò, Vt fiat auctoritate eius, cuius est admittere, & cum consilio eorum, quos tenetur adhibere. Sextò, Vt fiat in Religione approbata, ac proinde secundùm Regulam approbatam. Septimò, Vt tria vota substantialia saltem implicitè emittantur. Octauò, Vt nulla adsit conditio substantiæ Religionis repugnans. Nono, Vt non habeat aliquod impedimentum, quod in ea Religione habeatur essentiale. Decimo, Vt persona non sit alteri obstricta. 58 *Requisita vt valida sit professio.*

Primò, Requiritur ætas: hæc ante Concil. Trid. in feminis erat 12. annorum, in maribus 14. completorum. Ad ordines tamen mendicantium requirebatur præterea vnus annus, qui erat probationis. Itaque in illis Ordinibus ante annum 15. completum non erat valida professio; de quo vide Siluestrum Religio. 3. q. 2. Verùm post Concilij Tridentini decretum, quod habetur sess. 25. c. 15. de Regul. requiruntur in omnibus Ordinibus anni 1. *Aetas.* *Conc. Trid. requirit 16. annos completos.*

anni 16.completi: *In quacumque*, ait, *Religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante 16. annum completum: nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ vel Religionis vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.*

Ordinatus ante pubertatem.

Pari modo si quis ante pubertatem accipiat Ordinem sacrum, non obligatur voto continentiæ Ordini annexo, vt docet Panorm. c. vnico, num. 3. de clerico per saltum promoto, secutus Hostiensem, Innocent. Archidiaconum, Hugonem, Gosfredum. Ratio est, quia illa ætate non poterat se expressè obligare voto solemni continentiæ: ergo nec tacitè per susceptionem Ordinis. Vnde infertur, Si quis hoc tempore ordinaretur ante annum sextum decimum ætatis, non obligatum iri voto continentiæ: quia ante illud tempus non valet professio; ac proinde nec teneri ad Preces canonicas, & posse inire matrimonium. Idem docet Nauar. in Enchirid. cap. 22. num. 51. de ordinato metu maximo reuerentiali. Hoc ipso enim quo tenetur ad castitatem, non tenetur ad statum Ecclesiasticum, cùm Ecclesia hunc nemini permittat absque continentiæ voto. Si non tenetur ad statum ipsum, neque etiam ad ea quæ statui sunt connexa & accessoria. Hæc tamen intellige, nisi completo anno sexto decimo ratificet Ordinis susceptionem. Neque sufficit antè ratificare, vt insinuat Panorm. ex Hostiensi; quia debet esse in ætate habili ad se obligandum. Censetur autem ratificare, si Ordine sacro tunc vtatur; nisi fortè vtatur ex ignorantia, qua putabat se teneri. Nemo enim ratificat quod ignorat.

59

2. Annus probationis. Quando inchoandus.

Secundò, Requiritur integer annus probationis post susceptum habitum. patet ex verbis Concilij.

Vbi Notandum Primò, Hunc annum posse inchoari & expleri ante annum sextum decimum; quia Iure antiquo poterat, & Concilium nihil circa hoc innouauit: non enim est opus vt statim expleto illo anno ad professionem admittatur. Nec obstat illud, quod cap. 16. dicitur, *Finito tempore nouitiatus, Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eiiciant.* quia loquitur de iis qui sunt habiles, in quibus non est iusta causa differendi, vt declaratum est à Cardinalibus qui decretis Concilij interpretandis præsunt. non enim Concilium vetat differri professionem, si causa aliqua iusta subsit; (vt si morbo aliquo laboret, si ætas desit, si in probatione non omnino satisfecerit) hoc enim esset contra rectam administrationem, & contra Monasterij ac ipsius Nouitij bonum.

Debet esse continuus.

Secundò, Hunc annum debere esse continuum. Ita Siluester Religio 5. quæst. 4. Nauar. lib. 3. titul. de Regularib. consil. 34. & 37. & alij passim. Ratio est, quia quando Ius certum tempus, vt annum vel mensem requirit, intelligendum est de tempore continuo; vt docet Ioan. Andreas in c. 1. de elect. in 6. & alij. Deinde quia annus assignatur vt experiatur austeritates Religionis: has autem melius experitur continuando, quàm diuidendo. Denique ita habet consuetudo. Glossa tamen in reg. Eum qui, de reg. Iuris in 6. tenet sufficere annum interpolatum; quod Panormitanus in cap. Ad Apostolicam. 16. de Regularib. n. 9. non reijcit, etsi contrarium putet verius. Idem tenet Barthol. Brix. vt refert Panor. & Speculat. p. 4. tit. de statu monach. §. 1. q. 37. etiamsi longa fuerit intermissio. crediderim sanè, paucorum dierum interpellationē non impedire. Ratio est, quia non minùs idcircò experitur austeritates Religionis, si posteà totidem dies, quot intermisit, suppleat. atqui tota ratio, cur annus debeat esse continuus, est, vt experiatur austeritates Religionis, vt alij DD. fatentur. accedit quòd paucorum dierum intermissio non censeatur impedire moralem continuationem.

In habitu.

Tertiò, Hanc probationem debere fieri in habitu; (etsi Panormitanus id neget) quia est pars austeritatis Ordinis. Item in ipso Monasterio; nisi à Superiore ei concessum sit vt foris moretur, vt docet Siluester, Religio 5. q. 5.

Quomodo computandus iste annus.

Quartò, Annum probationis & annos sexdecim ætatis, computandos esse à momento ad momentum. vt si habitum acceperis primo Octobris post meridiem, nō potes eodem die recurrente in termino anni profiteri ante meridiem, sed expectandum est punctum susceptí habitus. Similiter in ætate expectandum vt recurrat punctum natiuitatis. Colligitur ex L. 3. §. Minorem. ff. de minoribus, vbi dicitur, *Minorem adhuc dici vltimo die anni 25. donec hora natiuitatis recurrat.* & ratio additur, *quia ante illā horam nondum cōpleuit 25. annos.* vnde colligit, *in huiusmodi à momento in momentum tempus spectari.* quod maximè verum est, quando certum tempus, ab aliquo die determinato incipiens, alicui constitutum est in ipsius fauorem: v. g. vt possit restitui in integrum, vel vt non possit obligari aliquo contractu, vel lege. secùs si tantùm requiratur, quia non putatur anteà satis idoneus; vt cùm requiruntur 7. anni ad sponsalia, & 14. ad matrimonium: tūc sufficit vltimum diem anni 7. vel 14 esse inchoatum; nec opus est expectare punctum natiuitatis, vt docet Sancius l. 1. de matrim. disp. 16. n. 2. Idem credo dum requiruntur anni 14. ad beneficium; quia id fauorabilius. vide Azonem in Summa, in L. 2. Cod. Rubr. de in integrum restitutione minorum. n. 1. 2. 3. 4.

Bissextus.

Hinc sequitur, si ætas annorum 16. compleatur anno bissexto 24. Februarij, non sufficere vigesimum quartum priorem; sed addendum esse alterum; (bis enim tunc vigesimus quartus numeratur, & bis dicitur sexto Kalendas; vnde etiam annus bissextus nomen accepit) quia hic est necessarius ad complendum quadriennium præcedens, cùm senæ horæ singulis annis defuerint. Ita in simili docet Molina disp. 573.

Professio tacita intra annum probationis sublata.

Quintò, Per hoc decretū Concilij sublatam esse omnem professionē tacitam, quæ intra annū probationis fieri poterat, per quam professus obligabatur non huic Religioni in qua erat, sed Religioni in genere; quamuis hæc Religio ipsi esset obstricta, si ipse vellet. de quo cap. Ad Apostolicam, de Reg. & c. Constitutionem. 3. in 6. eodem. Similiter sublata professio expressa intra illud tempus.

Sextò, Eum, qui in Ordinibus mendicantium aliquem admittit ad professionem ante expletum annum probationis, peccare mortiferè; quia id ei sub pœna excommunicationis ferendæ strictè prohibetur: & esse suspensum ab officio admittendi ad professionem, cap. Non solum. 2. de Regul. in 6 in aliis Ordinibus peccare quidem mortiferè; quia contra præceptum Concilij Trid. in re

re graui : non tamen esse suspensum, quia Iure non est statutum.

Annus probationis in coniuge.

Septimò, Annum probationis etiam habere locum, quando ante consummatum matrimonium alter coniugum ingreditur Religionem. Etsi enim cap. Ex publico. 7. de conuers. coniugat. non concedantur tunc nisi duo menses ad profitendum, vt tenet Glossa, quã communiter sequuntur DD. teste Panorm. in illud c. n. 11. & ipse Panorm. ibid. tamen Concilium Trident. generaliter loquens & nihil excipiens requirit annum integrum, irritam reddens professionem, quæ ante finem anni facta fuerit. Vnde etiam in tali euentu annus requiretur. Confirmatur, quia ratio cur annus probationis sit statutus (nimirũ *vt conuersus experiatur asperitates Monasterij, & Monasterium illius mores*; vt habetur cap. Ad Apostolicam. 16. de Regular.) non minùs habet locum in coniugatis quàm in solutis. Vnde sequitur, vxore Religionem ingrediente, marito expectandum per annum, donec probatione peracta fecerit ipsa professionem. cumque professio non valeat ante annum sextum decimum completum, si vxor ingrediens sit solùm duodecim annorum, marito expectandum per quatuor annos.

Dices, d. cap. Ad Apostolicam, dicitur hoc tempus constitutum in fauorem vtriusque, nimirum conuersi & Monasterij: ac proinde vtriusque consensu posse hoc tempus accidi, & professionem citiùs fieri. quemuis enim posse renuntiare ei quod in suum fauorem est introductum.

Respondeo, Olim id quidem validè fieri potuisse: verùm per Concilium Trident. hoc est correctum. quod insinuant generales illæ locutiones & clausulæ irritantes: *Non admittatur, professio sit nulla, nullum effectum operetur.* & quòd velit non valere renuntiationem bonorum anteà factam. ita Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 33. Vnde concludit, etsi olim cùm quis transferebatur à Religione mendicante ad non mendicantem, vel non mendicante ad mendicantem, poterat renuntiare anno probationis; nunc tamen non posse.

Ad rationem allatam respondet, Etsi olim annus probationis solùm videretur concessus ob fauorem priuatum, ac proinde tunc ei potuisse renuntiari; à Concilio tamen in eo statuendo spectari fauorem publicum, ob graues abusus contra bonum publicum ex illa renuntiatione prouenientes. v.g. vt quis fieret Abbas, qui vix paucis mensibus fuerat Nouitius; atque adeò vt fieret Magister perfectionis, qui nondum aut vix fuerat discipulus. Nemo autem potest renuntiare iuri quod in fauorem publicum introductum. Vide Panormit. in d. cap. Ad Apostolicam, n. 10.

Aduerte tamen, contrariam sententiam in vtroque casu non esse improbabilem, vt docet Sancius l. 2. de matr. disp. 24. & insinuat Nauar. suprà, vbi argumenta varia in hanc adducit.

Aliud est vbi Concil. non receptum.

Octauò, Prædicta de ætate sexdecim annorum, & anno nouitiatus integro, procedere maximè vbi Concilium Trident. est receptum: vbi enim non est receptum, probabile est valere professionem ante annum nouitiatus exactum in Ordinibus non mendicantibus. ita docet Nauarr. lib. 3. tit. de Regular. consil. 28. num. 1. Similiter ante annum sextum decimum ætatis. nam eadem est ratio: nimirum quia lex non recepta vim non habet; & ita Ius antiquum manet in vigore.

Tertiò, Requiritur animus profitendi. si enim hic absit, ita vt nec tacitè nec expressè intendas profiteri, nulla est professio; quia nec votum, nec vlla promissio per se obligat sine voluntate obligandi; cùm tota hæc obligatio à libera voluntate pendeat, vt dictum est c. 40. n. 5. & 6. Dico *per se*; quia potest obligari ratione scandali, vel damni vitandi, quod sequeretur si promissio exteriùs facta non præstaretur. vnde si horum periculum absit, qui sic professus est, posset fugere & recipere se ad exteras prouincias. 60

3. *Animus profitendi.*

Quartò, Vt non fraude vel metu inductus, de quo suprà cap. 17. dubit. 5. & 6. & cap. 40. dubit. 2. & 3.

4. *Non fraude vel metu impulsus.*

Quintò, Vt fiat consensu eius, cuius est incorporare Religioni. Ita Nauarrus comment. 4. de Regul. nu. 74. Sil. Religio 3. q. 19. & alij omnes. Ratio est, quia nulla professio est valida, nisi duæ personæ concurrant, quarum altera se obliget Religioni, tradendo se in ius eius, & obstringendo ad manendum in ea; altera Religionem obliget illi, recipiendo illum in filium, & iura reliquorum illi communicando. continet enim professio obligationem reciprocam inter eum qui illam facit & qui recipit; iuxta cap. Ad Apostolicam. 16. de Regul. & c. Porrectum, eodem. vbi optimè Panor. num. 10. & 11. & Nauarr. lib. 3. de Regularib. consilio 5. Debet autem hic consensus esse liber, non fraude aut metu iniusto extortus, sicut in aliis contractibus. Vnde si Prælatus metu graui iniustè ad id incusso cogatur aliquem admittere ad professionem, professio erit inualida, quia in contractibus ex vtraque parte requiritur libertas. Confir. quia ad valorem professionis non minùs requiritur admissio & receptio quàm traditio: ergo sicuti ad firmitatem professionis requiritur libertas in traditione; ita etiam in receptione. Hæc potestas ordinariè est apud Prælatum; eius enim est incorporare congregationi, huiusque priuilegia & iura communicare, qui illi præsidet. Debet hic etiam (nisi aliud consuetudo vel regula præscribat, aut priuilegium aliud concedat) adhibere consilium Capituli: quia regula Monachorum præscribit, Abbatem præcipua quæque cum consilio Capituli debere explere: admissio autem vnum est ex præcipuis. Vnde sequitur, admissionem esse irritam Iure communi, si absque illo consilio fiat: quia vbi à Iure requiritur consilium, nisi adhibeatur, actus est nullus, cap. Nouit. 4. de his quæ fiunt à Prælato, iuncta Glossa. non tamen tenetur consilium illud sequi, sed satis est exquirere & intelligere, vt docet Silu. v. Religio 3. qu. 13. Alij tamen putant non sufficere consilium, sed etiam requiri consensum. Probari potest ex cap. Ea noscitur. 6. de his quæ fiunt à Prælatis, &c. vbi requiritur consensus maioris vel sanioris partis Conuentus, vt præsentatio vel collatio per Abbatem facta, sit valida. Vnde hæc sententia Iure communi videtur verior. Verùm spectanda maximè est in huiusmodi recepta consuetudo, vt docet Panorm. in cap. Ad Apostolicam. n. 11. de Regular. Episcopus etiam potest admittere ad professionem, sed tantùm in Monasteriis sibi subiectis; Siluester suprà qu. 14. quia est Superior, cui etiam Abbas subest. Si alius admittat absque mandato Prælati, professio est inualida; quia non potest Religioni incorporare. Si tamen nomine Prælati admiserit, potest Prælatus ratificare, vt docet idem Silu. Religio 3. q. 18. 61

5. *Consensus Superioris.*

Si non habens auctoritatem admiserit ad professionem.

Ang.

Ang.v.Professio.num.1.& alij. Anteà tamen non habebit vim professionis, sed solùm voti simplicis, quia non obligat omnino & absolutè sicut professio; sed sub conditione, Si Prælatus ratum habuerit. Si autem nomine Prælati admissus non sit, non poterit Prælatus ratificare: quia *ratum nemo habere potest quod suo nomine gestum non est*, vt habetur reg.9.de regulis Iuris, in Sexto. itaque nisi rursus profiteatur, non erit professus.

Professus sine auctoritate admittentis.

Petes, Vtrùm ex huiusmodi professione maneat obligatus?

Respondeo, Probabile esse, manere obligatum voto simplici ad ingrediendum, si velint illum recipere; quia obligauit se quantum potuit ex parte sua: cum hac tamen tacita conditione, si ipsi vicissim illum vellent recipere. vnde debet inquirere an velint; & si velint, rursus profiteri: si nolint, erit omnino liber.

Contrarium tamen etiam probabile est, & fortè verius; quia in contractibus reciprocis potest reuocari consensus & obligatio, quamdiu ab altera parte non est acceptata, nisi fortè tempus cõcessum sit ad deliberandum. atqui hîc non censetur acceptata; quia altera pars nullam potestatem ad acceptandum habuit. Idem accidit in emptionibus, venditionibus, & aliis contractibus. secùs est si fiat sub ratihabitione Superioris; quia tunc expectanda est illa ratihabitio, cùm in illam consenserint. vide Nauarrum l.3.de Regul.consil.6. num.4.& 5.

62 Sextò, Vt fiat in Religione approbata, c.vnico, de voto, in 6. Non enim sufficit tria vota substantialia emittere, & regulam aliquam ab Ecclesia approbatam profiteri, sed debet etiam alicui Religioni approbatæ incorporari, eiusque membrum effici, idque ab eo qui incorporandi habet potestatem, vt dictum est. Vnde si quis in manibus Episcopi profiteretur regulam S. Benedicti, Augustini, vel Basilij, non ideò efficeretur verus Religiosus. vide Nauar.l.3.consil.tit. de Regul.consil.6. & consil.81. Si fiat in Religione prohibita, (qualis est omnis, quæ instituta est post Cõcilium Lateran. & non approbata) non est vera professio qualis Iure requiritur. vnde nec irritum reddit matrimonium, nec impedit dominij acquisitionẽ. obligat tamen talis professio ad Religionem in genere, iuxta Siluestrum Religio 3.q.10.ex Archidiacono. quod intellige, si illa fuit mens vouentis: secùs si voluit se huic soli obstringere, non vlli alteri: quo casu videtur totum Iure irritum, & nulla obligatio; quia actus non operantur vltra intentionem agentium. Præsumitur autem se huic soli voluisse obligare, nisi expressè aliud intenderit. Aduerte tamen, si talis Religio prohibita permittatur in Ecclesia vt pium institutum, professionem habituram vim votorum simplicium, vt suprà num.14. dictum est.

6. In Religione approbata.

Septimò, Vt tria vota substantialia nuncupet: quia sine his non est perfecta Religio, vt ostensum dub.1. sufficit tamen vt id faciat implicitè, vt suprà num.57. dictum est. vide Panor.cap.Porrectum. num.3.de Regul.

7. Vota substantialia nuncupanda.

Octauò, Vt nulla adsit conditio Religionis substantiæ repugnans; vt si quis profiteatur ea lege vt possit retinere sua bona, viuere suo arbitratu, ducere vxorem moriente fratre, egredi si ferre non poterit: talis enim professio est irrita, nec vllam inducit obligationem. secùs si profiteatur absolutè, quamuis anteà pactus sit vt sibi concedatur aliquod peculium, vel vt maneat domi suæ, retineatque vsum bonorum suorum, dependenter tamen ab arbitrio Superioris, vt patet cap.Insinuante, Qui Clerici vel vouent. & cap. De viduis.27. quæst.1. de quo vide Nauarrum comment. 2. de Regul.nu.15.& 16. Post Concilium tamen Tridentinum talia pacta non possunt fieri sine Pontificis auctoritate.

8. Conditio repugnans substantiæ Religionis.

Nonò, Vt non habeat aliquod impedimentum, quod in illo Ordine censeatur essentiale: hoc enim professionem redderet inualidam. Ratio est, quia per impedimentum redditur inhabilis ad professionem huius Religionis. sicut enim constituta sunt varia impedimenta dirimentia, quibus redditur quis inhabilis ad matrimonium, vel simpliciter, vel cum hac aut illa persona; ita etiam possunt constitui impedimenta, quæ reddant inhabilem ad professionem vel simpliciter, vel in hac aut illa Religione. Si tamen admittat is, qui potest dispensare, & nouit impedimentum, valebit professio: quia admittendo tacitè videtur dispensasse. Si autem ignorauit impedimentum, altero id in examine celante, non valebit; propter causam prædictam, nimirum quia mansit inhabilis. Idem dicendum quando fuit impedimentum, sed non potuit in eo dispensare. Porrò nullum impedimentum habet vim irritandi professionem, nisi à Pontifice sit constitutum vel confirmatum, vt fusè probat Nauar.lib.3.tit.de Regul. consil.5. Sicut enim ipsius solius est constituere impedimẽta dirimentia matrimonij, ita etiam professionis: præsertim cùm Religionis & professionis ratio ab eius approbatione dependeat, vt suprà dubit.1. num.11. ostensum est. Posset tamen Prælatus aliquem admittere cum protestatione, non esse sibi animum admittendi, si habeat hæc vel illa impedimenta: & tunc professio esset irrita, si tale impedimentum suberat, non quòd impedimentum subsit, sed quòd animus admittendi desit. ita Nauar. suprà. Quòd si impedimentum non reddat quidem irritam professionem, tamen fraudulenter sit suppressum in examine, eaque fraus dedit causam receptioni, poterit talis professus posteà eiici à Religione, vt docet Nauar.l.3.tit.de Regul.consil.25. quando enim dolus dedit causam contractui, vel est irritus, vel certè in irritum reuocabilis, iuxta ea quæ dicta sunt suprà cap.17.dub.5. Nec obstat quòd professio semel valida, non possit irritari: quia id verum est quoad obligationem erga Deum, non autem quoad illam quæ est inter Religiosum & Monasterium.

9. Si impedimentum essentiale subsit.

Impedimentum à Papa solo constituitur.

Decimò, Vt persona sit sui iuris, alteri non obnoxia. hinc professio serui absque consensu domini, & viri absque consensu coniugis consummato matrimonio est inualida, vt patet ex dictis suprà dubit.3. Ratio est, quia per professionem traditur potestas & quasi dominium corporis Religioni. atqui isti non habent potestatem sui corporis, ergo non possunt illam tradere. nemo enim potest id quod est alterius dare alteri absque eius consensu. itaque requiritur consensus expressus: nec in re tanti momenti & præiudicij sufficit dissimulatio. Etsi enim is qui tacet consentire videatur, quando agitur ipsius commodum: non tamen quando præiudicium. Deinde vt iste consensus non sit metu graui vel dolo extortus. Si vxor absque dolo alterius & sponte consensit, valebit quidem

dem professio viri: si tamen ipsa non vouit continentiam aut ingressum Religionis, nec potest induci vt id faciat, restituendus ei erit maritus, iuxta cap.1.de conuers. coniugat. tenebitur tamen maritus redire ad Religionem, simulatque ab illius iugo liberatus fuerit. Vide suprà dub.3.

63 *An possit egredi.* Petes Primò, Vtrùm quando professio fuit irrita defectu ætatis, vel quia professus est ante exactum annum probationis, vel quia metu fraudéve impulsus, & multos annos mansit in Religione, possit egredi?

Respondeo, Posse, si absit scandalum: quia vt habet regula Iuris, *Non firmatur tractatu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*. Quod limita, nisi posteà sciens esse irritam, ratificauerit, vel certè nisi expressè ita apud se statuerit, Volo illam esse validam; etiamsi fortè ob aliquâ causam ab initio valida non fuisset. non enim sufficit illam ratificare ex eo quòd putet ab initio fuisse validâ; quia hæc ratificatio proficiscitur ex errore; vnde non est libera, ac proinde non inducit nouâ obligationem. Vide Nauarrum in Summa c.12.n.71. & comment.4.de Regul.num.71.& 75. Vt autem hæc res absque scandalo fiat, & ne fraus aliqua subsit, statuit Concilium Trident. sess.25. de Regularibus c.19. *vt quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile: velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. Quod si anteà habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur. Interim verò nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.* hæc Concilium.

Constitutio Concil. Trident.

64 *Tria requiri vt possit reclamare.* Vbi Notandum Primò, Tria requiri à Concilio, vt inualidè professus reclamans possit audiri.

Primum, Vt reclamet intra quinquennium, nimirum à tempore professionis computandum.

Secundum, Vt causas nullitatis quas prætendit, coram Superiore suo & Ordinario deducat.

Tertium, Vt non dimiserit habitum ante hanc deductionem.

Si aliquid horum adsit, vult Concilium vt non audiatur, nimirum ad eum finem vt iuridicè declaretur liber à vinculo Religionis.

Notandum Secundò, Quod dicitur, *Nullatenus audiendum si habitum dimiserit*; statutum esse in pœnam, vt patet ex verbis sequentibus. vnde non habet locum, si bona fide ad tempus habitum deposuerit: item si habitum resumat. intelligendum enim ex æquo & bono, nempe si habitum dimiserit ita vt non resumpserit. Si enim resumat, est audiendus, vt probat Nauarr. comment. 4. de Regular. in fine. Similiter illud, *Non esse audiendum nisi intra quinquennium*, &c. intelligendum videtur cum simili exceptione, nempe, nisi toto illo quinquennio impotentia reclamandi durauerit, vt docet in simili Glossa in cap.2.de Regular. vbi statuitur, vt qui post annos pubertatis per vim clericus (id est monachus, vt Doctores communiter exponunt) factus est, permaneat in illo statu, nisi ipse, vel parentes eius intra annum apud Principem, Episcopum vel Nuntium Apostolicum reclamauerint. vbi Glossa, *Intellige*, inquit, *si potuit reclamare*. Idem colligitur ex cap. de iis quæ vi, &c. vbi mulieri non obfuit quòd durante metu viri non reclamauerit. Confirm. quia decretum Concilij nititur præsumptione ratificationis intra illud tempus factæ. atqui hæc præsumptio non habet locum, si impotentia reclamandi durauit. Ad hanc impotentiam videtur etiam pertinere ignorantia impedimenti: quia hæc non minùs reddit impotentem ad reclamandum quàm metus. Vnde Panor. in cap. Vidua. 4. nu. 7. de Regul. dicit, Data ignorantia cessare præsumptionem. Itaque quando de impotentia constaret, putarem Iure ordinario absque alia in integrum restitutione audiendum. Idem dicendum quando suberat impedimentum perpetuum, aut temporale durans vltra quinquennium. quia tunc non potest præsumi ratificatio.

Impotentia reclamandi. *Ignorantia.*

Verùm quia regulariter de impotentia reclamandi non constat, opus est plerumque restitutione in integrum, vt quis audiri possit. Nam Concil. absolutè statuit post quinquennium non esse audiendum; pura, Iure ordinario. Itaque hoc seruandum, nisi constet de impotentia reclamandi. Ratio est, quia Concil. intra illud tempus præsumit illum ratificasse professionem, & vult ita à Iudicibus Ecclesiasticis præsumi, & illum pro professo haberi. Vnde silentium illud quinquennij inducit præsumptionem Iuris, & de Iure; contra quod non admittitur probatio: idque ad tollendas inquietudines, sollicitationes, & scandala quæ euenirent, si fine fine liceret religiosis in iudicio suam professionem oppugnare.

Præsumptio Iuris & de Iure.

Simili modo cap.2.de Regular. inducitur præsumptio Iuris & de Iure, ex eo quòd quis intra annum à professione per vim facta non reclamarit. Et cap Vidua, eodem titul. inducitur similis præsumptio ex eo quòd vidua nouitia se actibus professarum immiscuit, inter velatas oblationem Deo offerendo.

Simili modo inducitur præsumptio ratificationis matrimonij metu contracti ex habitatione sesquianni. cap. Ad id 21. de sponsalibus. Et olim ante Concilium Trident. ex copula carnali post sponsalia habita, nascebatur præsumptio matrimonij. cap. Is qui. 30. eodem. Et contra huiusmodi præsumptionem non admittitur in foro externo iuramentum nec probatio per testes, vt habetur tribus proximè notatis capp. quia Ius ex huiusmodi indicio præsumit consensum (vnde vocatur præsumptio Iuris) & statuit vt Iudices consensum præsumant, & ita iudicent: ideoque dicitur præsumptio de Iure; nimirum quia Iure constituta, vt ex ea in foro externo iudicetur. Et hæc est causa cur contra illam non admittatur probatio aut iuramentum.

65 Notandum Tertiò, Non manere tamen tales sine remedio: etsi enim contra præsumptionem Iuris, & de Iure non admittatur probatio in iudicio ordinario; datur tamen ex causa restitutio in integrū Iure extraordinario, vt ex Menochio probat Sancius lib.7. de matrim. pag.253. & colligitur apertè ex L. Si mater. ff. de except. rei iudicatæ. vbi datur restitutio contra sententiam, quæ transiit in rem iudicatam (quod locum habet etiamsi tres sententiæ conformes datæ fuerint,) & tamen pro tali sententia est præsumptio Iuris, & de Iure, per quam omne Ius agendi amittitur. Et cap. Coram.

Restitutio in integrum.

ram. 7. de in integrum restitutione, dicitur, non audiendam Ecclesiam post terminum peremptorium; tamen ibidem per beneficium restitutionis conceditur eadem actio ad certum tempus. Pari modo in præsenti casu potest restitui Ius agendi, quod per lapsum quinquennij amissum erat, minoribus quidem duplici ex causa. Primò, ratione minoris ætatis, etiamsi intra illud tempus sciuerint suam professionem esse irritam, & potuerint reclamare: sicut iisdem datur restitutio contra præscriptionem, etiamsi illis scientibus & negligentibus facta sit. Secundò, ratione impotentiæ reclamandi, siue ex metu, siue ex ignorantia prouenerit. Maioribus autem solùm ex vna causa, nimirum ratione impotentiæ reclamãdi, quam prætendunt, siue ex metu, siue ex ignorantia. Ita Sancius suprà, & Nauar. d. comment. 4. n. 76. dicit, *Si metu vel impotentia reclamandi plus quinquennio duranit, posse illum audiri vel iure vel restitutione.* vide suprà c 6. dub. 18. vbi ostensum est, quando maiori & quando minori detur restitutio in integrum contra præscriptionem. Eadem est ratio in præsenti negotio. Ignorantia tamen Iuris non proderit maiori in foro externo; quia non excusat, nisi sit rusticus, minor, vel mulier: in his enim ignorãtia Iuris toleratur, vt dictum est suprà c. 6. nu. 17. Addit Sancius, probabile esse in foro conscientiæ, maiorem, etsi intra quinquennium sciuit suã professionem esse inualidam, & non reclamauit, posse nihilominùs reclamare post quinquennium, & negare cum iuramento se sciuisse suam professionem fuisse inualidam, nimirum cum hac restrictione tacita, *ad eam ratificandam*; sicut innocens rogatus à Iudice an illac transierit vbi cadauer iacebat, potest negare cum iuramento se illac transiuisse. Iudex enim rogat de transitu, vt ex eo sumat indicium homicidij: at ille non sic transiuit. simili modo qui ante Concil. Trid. cognouerat sponsam animo fornicario, rogatus à Iudice poterat negare cum iuramento se eam cognouisse. Nam Iudex rogabat de actu, vt ex eo præsumeret matrimoniũ. at ille talem actum qui matrimonium efficeret, non habuit. Idem dicendum quotiescumque Iudex procedit ex falsa præsumptione, interrogans aliquid, vnde sumeret indicium falsum, aut falsam præsumptionem facti. Vide suprà c. 31. dub. 3. numero 14.

Restitutio minoris.

Maioris.

Potest negare se sciuisse.

An possit fugere.

Notandum Quartò, Eum qui non potest obtinere restitutionem vt audiatur, eò quòd non possit probare ignorantiam professionis inualidæ, aut aliud impedimentum, posse fugere, modò sine scandalo; nec teneri ad regulam, nisi ratione scandali, vt docent Nauar. comment. 4. num. 77. & 78. & Sancius suprà. quia reuerà non est professus. Simile est in matrimonio præsumpto. Potest enim vir fugere, non obstante præcepto Ecclesiæ, vt passim tradunt Doctores. Neque sanè Conc. Trident. illum intendit obligare in cõscientia ad manendum in Religione. Nam præterquam quòd procedat ex præsumptione, totum præceptum suum dirigit ad Iudices Ecclesiasticos, instruens eos quid in foro externo seruare debeant. Imò oblata commoda occasione tenetur fugere, vel ratificare suam professionem; quia non potest frui commodis Religionis & sustentatione, nisi velit esse Religiosus, aut nisi res ita sint constitutæ, vt non possit se subducere sine scandalo. quamdiu autem non potest se subducere, non tenetur ratificare suam professionem, etiamsi culpâ ipsius professio fuisset irrita; vt si fictè fuisset professus, vt docet Sancius suprà, & Henriquez libro 1. de matrim. cap. 11. numero 11. quia Religio est res tanti momenti, vt non possit infligi in pœnam, sed sponte susci pi debeat, vt suprà dubit. 4. ostensum est. Simili modo qui fictè contraxit matrimoniũ, non tenetur ratificare, si aliud damnum quod præponderet secutum non est. Quo casu expectando commodam occasionem, potest ille quidem alimenta percipere ex Monasterio, sed cum animo compensandi, vel tunc sua industria, vel posteà: quia causam damni sua fictione dedit. Tenetur abstinere à Prælatura, quantum sine nota potest: si non potest, accepter; & gesta per eum erunt valida ratione tituli colorati, communis erroris, & vitij occulti, iuxta ea quæ diximus cap. 29. dub. 8. Tales tamen, præsertim quando culpa intercessit, non poterunt frui priuilegiis Religionis, vt indulgentiis, irritatione votorum à Prælato, ordinatione absque dimissoriis, & similibus, vt notat Sancius: nisi quando id absque graui nota non possunt declinare.

66 *Ratificatio professionis.*

Petes Secundò, quid requiratur ad ratificandum huiusmodi inualidam professionem.

Respondeo, Primò requiritur notitia illius inualiditatis, alioquin ratificatio non erit libera: nisi quis fortè velit expressè illam esse ratam, etiamsi ab initio fuisset inualida, vt suprà numero 63. dictum est.

In dubio teneris.

Secundò, vt intendat illam ratificare. est enim nouum votum. vnde requiritur formalis intentio: neque sufficit negatiuè se habere; quia voti vinculum non contrahitur nisi voluntate positiua, sicut nec matrimonij; maximè cùm hæc res sit maximi momenti, totum vitæ statum spectans. In dubio vtrùm consenseris, verius est te teneri; quia præsumptio Iuris tibi aduersatur. itaq; si post lapsum quinquennij dubitas an ratificaueris intra illud tempus, teneris. Idem dicendum, si dubitas an in actu professionis consenseris; item an liberè consenseris an metu. præsumitur enim consensus, & liber consensus ex ipso actu externo professionis tacitè vel expressè. quia naturaliter comitari solet. itaque teneris; nisi de contrario, saltem per probabiles rationes, tibi constet.

Contrarium insinuat Henriquez lib. 1. de matrim. cap. 11. Qui æquali, inquit, dubio nescit an consenserit (sicut olim quando sponsalia per copulam affectu maritali transibant in matrimonium) potest se liberum censere ab onere matrimonij; sicut ab onere dubij voti. sed quod diximus, verius est ob rationes allatas.

Tertiò, secundùm probabilem quorumdam sententiam, si nouitiatus fuit inualidus, requiritur eius repetitio; vt si ante completam pubertatem factus: si cum inhabilitate ad illum Ordinem. Ita tenet Nauar. lib. 3. de Regul. consil. 5. n. 19.

Non requiritur repetitio nouitiatus.

Sed contrarium est verius, vt rectè docet Sancius. Nouitiatus enim non requiritur, nisi vt ingressus experiatur austeritates Ordinis, & Ordo ipsius mores; vt habetur cap. Ad Apostolicam. 16. de Regular. atqui hoc fieri potest, etiamsi Nouitius sit inhabilis, aut aliud vitium subsit admissioni.

Vtrùm noua acceptatio Prælati.

Quartò, Requiritur noua acceptatio Prælati; sicut quando matrimonium fuit irritum ob aliquod impedimentum, requiritur nouus consensus

sensus vtriusque; ita Azorius lib.14.c.4.q.7. Sed contrarium est verius, siue ex fictione aut metu professio fuerit irrita (vt docet Sà v.Religio.n.23. & Nauar.lib.3.titul.de regular.consil.24.) siue ex inhabilitate aliqua temporali, ratione defectus ætatis, anni probationis, &c. vt docet Nauar. consil.35.numero 3.& 46.num.2. siue ex inhabilitate perpetua, vt docet Sancius; qualis in quibusdam Religionibus est esse ortum ex Iudæis, vel Mauris; commisisse homicidium, &c. Sublata enim ista inhabilitate per dispensationem, sufficit ratificatio Religiosi. Ratio est; nam in primo casu cùm ex fictione vel metu fuit inualida professio, cùm persona esset habilis, admissio fuit valida ex parte admittentis: vnde cùm maneat virtute (nam habetur à Prælato pro Religioso) solùm requiritur consensus ex parte admissi; sicut in matrimonio & aliis contractibus, vt ostensum est suprà, cap. 17. dubit.11. In secundo & tertio, cùm persona est inhabilis, fuit etiam admissio, & consensus Prælati inualidus, ac proinde deberet repeti, nisi aliunde suppleretur. Sed hîc suppletur à Summo Pontifice, qui est supremus Prælatus omnium Religionum, habens potestatem admittendi omnes. Colligitur cap.1. de Regular.in 6. vbi statuit Innocent.IV. vt professio, quæ erat irrita defectu ætatis, conualescat, si in legitima ætate eam expresè ratam habeat, vel professorum habitum suscipiat, & per triduum sine alia probatione gestet: vel vbi non est distincto habitus Nouitiorum & Professorum, habitum per annum gestet. Idem de ratificatione statuitur ab Alexander III. cap. Ad nostram. 8. & cap. Significatum. 11. Extrauag. de regularibus. quibus locis non requirunt aliam Prælati admissionem: sed ipsi statuentes talem ratificationem expressam vel implicitam valere, Religiosum admittunt. Confirm. quia Concil. Trid. præsumit silentio quinquennij ratificari professionem.cap. 2.de regular. præsumitur ratificari silentio vnius anni.ergo non requiritur noua admissio. Secùs est in matrimonio, quando subest impedimentum. quia Pontifex non potest supplere defectum consensus coniugis, eius loco consentiendo: potest tamen supplere defectum consensus Prælati; quia est supremus Prælatus, vt dictum est.

Aduerte tamen, hæc locum non habere, quando Superior, nullitate professionis intellecta, repugnat admissioni, volens ob aliquam causam illum eiicere. Non enim Pontifex intendit admittere ratificationem, Superiore positiuè repugnante; quæ species facti mihi nuper fuit proposita.

Dvbitatio viii.

Quam vim habeat professio in Religione approbata.

67 IN professione continentur tria vota solemnia, quibus homo se totum Deo & Religioni obstringit & dedicat. Itaque ratione diuersorum votorum habet diuersos effectus.

1. Transfert Religiosum in ius Ordinis.

Primò, Transfert Religiosum in ius & potestatem Ordinis & Superiorum, faciens membrum illius: ita vt Superiores possint illum, si discesserit, apprehendere sua auctoritate tamquam rem suam, & reducere ac punire; sicut dux belli militem desertorem, maritus vxorem fugitiuam, dominus seruum fugitiuum. facit hoc professio ratione voti *obedientiæ*, non præcisè quatenus hoc votum obligat Deo, sed quatenus cõtinet tacitam vel expressam promissionem erga Superiorem, & sui traditionem in corpus Religionis, coniunctam cum legitima acceptatione Superioris. Idem facit in Societate votum obedientiæ simplex peracto biennio. Superior enim à Summo Pontifice habet omnem iurisdictionem ex parte principij agentis necessariam; sed per votum obedientiæ modo iam dicto fit applicatio materiæ, in quam hæc iurisdictio se exerat.

Hoc ius Superioris secundùm quosdam non est iustitiæ strictæ, sicut ius ducis in militem, domini in seruum, mariti in vxorem; quorum obligatio est propter mutuum, vel alterius commodũ; (quia Religiosus non obligauit se Ordini vel Superiori propter commodum ipsorum, sed propter suam salutem, vt ab ipsis rectè gubernetur) sed est ius obedientiæ, quod Superiori competit in inferiorem: vnde per fugam non peccat contra iustitiam, sed contra obedientiam & fidem debitam Superiori & Ordini, & contra Religionem debitam Deo. quæ sententia probabilis est, eamque tenet Bañes q.62.art.2.dub.6.& quidam alij recentiores. *An fugiens peccet contra iustitiam.*

Verius tamen puto, peccare etiam contra iustitiam; quia inter Religiosum & Religionem est contractus quidam, per quem ille se tradit in potestatem Religionis ad obsequium Ordinis, & vicissim Religio se illi obstringit ad illum tractandum tamquam filium: vt ostensum est dub.7. vnde in hoc contractu non solùm spectatur commodum priuatum Religiosi, sed etiam publicum communitatis. vide suprà cap.8.dub.3.

Secundò, Facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, ita vt si tentet contrahere, sit irritum; cap. Quod votum, vnic.de voto, in 6. habet hoc ratione voti *castitatis*; non præcisè, alioquin quoduis votum castitatis id efficeret; neque quia acceptatum ab Ecclesia, quia votum castitatis emissum publicè in manibus Episcopi id non facit, cùm tamen ab Ecclesia sit acceptatum: sed facit ex vi constitutionis Ecclesiæ, quæ vt illud votum meliùs seruaretur, illi in professione hanc vim annexuit, vt colligitur apertè ex dicto cap. Quod votum, vbi dicitur, *voti solemnitatem, quoad matrimonium dirimendum, ex sola Ecclesiæ constitutione esse inuectam*. 68 *2. Inhabilitat ad matrimonium.*

Dices, Homo per professionem tradit se Deo & Religioni: ergo si posteà tradat coniugi, Iure naturæ est inualidum: sicut quod tibi donaui & tradidi, non possum alteri validè donare. *Obiectio.*

Respondeo negando consequentiam. Non enim per vota tradit potestatem corporis sui ad vsum matrimonij, sed se tradit Religioni vt ab ea gubernetur; Deo verò, vt ipsi sit velut donarium consecratus; quæ traditiones non inducunt vinculum repugnans vinculo matrimonij, (nam hæc vincula simul stare possunt; vt patet quando coniuges communi consensu vouent continentiam, vel etiam profitentur in Religione) sed solùm repugnans vsui matrimonij. Itaque nec professio nec votum continentiæ irritum reddit contractum matrimonij superuenientem Iure naturæ; sed solùm Iure Ecclesiastico. Hoc tamen Ius *Respon.*

anti-

antiquum esse colligitur ex Concil. Carthag. 4. cap. 104 cui D. Augustinus interfuit; & ex multis Canonibus 27. q. 1. cap. Viduas. ex Gregorio. cap. Quæ autem. Innocentij I. c. Impudicas. ex Concilio Triburiensi, &c.

69 *3. Soluit matrimonium ratum.* Tertiò, Matrimonium ratum nondum consummatum anteà contractum dissoluit. Est fide tenendum, vt patet ex Conc. Trid. sess. 24 can. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem non dirimi, anathema sit.* Idem patet cap. Ex parte. Innocentij III. cap. Verùm. & cap. Ex publico. Alexandri III. de conuers. coniugat.

Quo Iure. Petes, Quo Iure professio id faciat?

1. Sententia, Iure naturæ. Est triplex sententia. Prima est, Iure naturæ id facere: ratio est, quia est mors quædam spiritualis; ac proinde potest dissoluere vinculum spiritale, quale est matrimonij rati, vtpote ex solo consensu ortum: sicut mors naturalis soluit vinculum matrimonij consummati, quod est carnale, ortum ex copula. Deinde quia Iure naturæ licitum est transire ad statum perfectiorem; quando nulli per hoc fit iniuria. hîc autem nulli fit iniuria; quia Ius concedit: ergo, &c. Ita videntur sentire multi Doctores in 4. distinct. 27. D. Thomas, Richard. Durand. Palud. Lopez p. 2. cap. 39. & nonnulli alij. Hæc sententia non est improbabilis.

Sed verius est, professionem non habere hanc vim Iure naturæ. Primò, Quia hæc vincula non repugnant; possunt enim simul stare. Secundò, quia alioquin matrimonium Iure naturæ potiùs dicendum esset solubile quàm insolubile; supperet enim cõmune quoddam remedium, quod vi sua naturali illud dissolueret. Tertiò, Si professio ideò soluit matrimonium ratum, quia est status perfectior; etiam soluet matrimonium consummatum, saltem quando nulla est proles, & coniunx consentit: hoc autem constat esse falsum. Quartò, Professio non est vera mors, sed metaphoricè dicitur mors, quia vita mundana deseritur. Vnde non sequitur solui matrimonium ratum: sicut nec aliæ obligationes priores professione soluuntur. Quintò, Quia matrimonium est vinculum non omnino spiritale, cùm ex mutua corporum ad vsum corporalem traditione nascatur. quomodo ergo ex natura rei soluitur vinculo merè spiritali? Sextò, Si ratio naturalis consulatur, professio superueniens matrimonio potiùs videtur esse irrita, quàm matrimonium dissolui; quia res huic tradita, non potest validè tradi alteri. Denique, Professio Iure naturæ non dirimit matrimonium contrahendum: ergo multò minùs dirimit iam contractum. Antecedens patet; Quia quatenus professio respicit Deum, est solùm promissio sicut votum simplex; non autem propriè traditio: atqui promissio non priuat dominio rei promissæ. retinet ergo talis dominium sui corporis; ac proinde poterit validè illud tradere coniugi. Quatenus autem respicit Religionem, sic continet quidem traditionem sui, sed non magis priuat dominio corporis quàm seruitus. Quare sicut seruitus Iure naturæ non dirimit matrimonium contrahendum; ita nec professio; sed id habet ex Iure Ecclesiastico.

2. Iure diuino. Secunda sententia est, Professionem habere hanc vim Iure diuino positiuo: nam concessu & ordinatione Christi, matrimonij contractum habere hanc tacitam conditionem, Nisi ad Religionem ante consummationem me contulero. Ita multi recentiores, Victoria, Sotus vterque, Ledesma vterque; Angelus, Corduba, Henriquez, & alij, quos citat & sequitur Sanches l. 2. de matrimonio, disput. 19. num. 3. Probatur, quia initium huius rei non inuenitur in Iure Ecclesiastico, sed à principio nascentis Ecclesiæ fuit in vsu: nam beata Thecla contracto matrimonio, & nondum consummato, sponsum deseruit, & se Deo consecrauit, teste Ambrosio libro 2. de virg. col. 3. Idem fecerunt S. Alexius, teste Metaphraste, & S. Cæcilia, vt habetur in eius Gestis, & S. Macarius, vt refert Gratianus ex Hieronymo c. 26. Scripsit nobis. 27. q. 2. Hæc quoque sententia est valdè probabilis.

Tertia est, Id prouenire ex Iure Ecclesiastico iam inde à temporibus Apostolorum instituto: quæ sententia videtur verior; eamque docet Michaël Medina lib. 5. de continentia sacrorum hominum, cap. 86. & 87. Henricus quodlib. 5. q. 35. Hostiensis, Ioannes Andreas, & Antonius de Butrio in cap. Ex publico, de conuersione coniugat. Felinus consil. 26. & multi alij. Probatur Primò, Si professio Iure diuino dirimeret matrimonium ratum iam contractum, non solùm id faceret in Religione approbata, sed etiam in non approbata; quia hæc quoque est status perfectionis, (etsi non habeat omnem eam excellentiam, & firmitatem, quam habet Religio approbata) & continet consilia Christi, & multis sæculis non solent Religiones approbari, sed sensim ipso vsu permittebantur ab Episcopis, nec dabatur Superioribus iurisdictio spiritualis. Confirmatur, quia professio in Religione approbata & non approbata non differunt Iure diuino, sed solùm Ecclesiastico. Secundò, Idem facerent vota simplicia in Societate, & vota Coadiutorum formatorum, præcisa omni noua ordinatione Ecclesiæ; quia per hæc efficitur quis verus Religiosus Religionis approbatæ, vt suprà dubit. 1. ostensum est: atqui id verum non est; etsi enim hæc vota ex ordinatione Ecclesiæ dirimant matrimonium contrahendum illis superueniens, non tamen dirimunt iam antè contractum. ergo, &c. Tertiò, Si professio Iure diuino id facit, sine dubio id habet ratione voti castitatis; eò quòd vsus matrimonij repugnet huic voto: ergo etiam votum castitatis emissum in manibus Episcopi id faciet: quod constat esse falsum. Confirmatur, quia exempla quæ ipsi adferunt, magis probant de voto castitatis, quàm de professione Religionis approbatæ: illi enim Sancti non sunt professi aliquam Religionem approbatam; sed vel castitatem tantùm, vt sanctus Alexius, S. Cæcilia, & S. Thecla; (quamuis huius exemplum non vrgeat, cùm maritum ob infidelitatem relinquere potuerit) vel vitam eremiticam, vt sanctus Macarius. Quartò, Professio Religionis non reddit Iure diuino irritum matrimonium contrahendum, sed solùm ex constitutione Ecclesiæ, cap. Quod votum, de voto. in Sexto: ergo multò minùs illo Iure dirimit iam contractum: hoc enim est multò difficilius. Confirmatur, quia professio hoc habet ratione solemnitatis; sed solemnitas est ex institutione Ecclesiæ: ergo habet ex institutione Ecclesiæ. Quintò, Pontifex potest ex causa graui dissoluere matrimonium ratum, vt probabilior opinio tenet: atque hîc est sufficiens

3. Iure Ecclesiastico.

causa,

causa, nimirum transitus ad statum perfectionis, ad Christi consilia & imitationem: ergo potuit statuere vt in hoc casu dissolueretur: ergo non est recurrendum ad Ius diuinũ. Confir. Quia Summus Pontifex debet habere omnem potestatem necessariam ad suauem & humanæ fragilitati accommodatam Ecclesiæ gubernationem; iugum enim Christi suaue est, & humanæ conditioni attemperatum. at qui suauis gubernatio Ecclesiæ, & saluti animarum accommodata postulat, vt vinculum matrimonij non consummati ob grauissimas causas interdum relaxetur, vt experientia constat. ergo oportuit Summum Pontificem habere hanc potestatem. Idem dicendum de relaxatione votorum & professionis. Confirm. Secundò, quia cùm Summus Pontifex sit Vicarius Christi Domini ad Ecclesiam in eius absentia regendam, nec ad Christum in hac vita sit recursus, quantauis inciderit difficultas; oportet illum habere omnem potestatem quam decet habere Vicarium perpetuum in regno remotissimo, cùm ad Regem nullum est refugium, quæ potestas valdè est affinis potestati ipsius Regis. Vnde sicut talis Vicarius posset in quibusdam legibus sui Regis grauissima aliqua causa vrgente dispensare: ita mirum videri non debet si Pontifex in quibusdam Iuris diuini (nempe quorum obligatio non est à Deo immediatè imposita, sed nititur actu humano, illumque supponit, sicut obligatio matrimonij rati & voti, & si maneret, saluti detrimentum vel impedimentum graue adferret) dispensare possit. Sed de hoc alibi plura.

Ad rationem contrariæ sententiæ Respondeo, Id solùm probare hoc Ius esse antiquissimum, sicut & multa alia, quæ Apostoli, vel Pontifices primis temporibus constituerunt, quorum institutio non inuenitur in Iure scripto, vt suprà dictum est. Exempla illa si quid probant, probant non solùm professionem Religionis approbatæ soluere matrimonium ratum, sed etiam professionem castitatis, & vitæ eremiticæ; & fortasse ita olim fuit ex ordinatione Ecclesiæ: sed posteà statutum est, vt sola professio Religionis approbatæ hanc vim habeat.

70 *4. Priuat dominio.* Quartò. Professio priuat omni dominio bonorum mobilium & immobilium, & reddit inhabilem ad illud, cap. 7. Quia ingredientibus. 19. q. 3. & cap. 9. Si qua mulier. ibidem; quod cap. ex Iure Ciuili, Authent. de sanctiss. Episcopis, collat. 9. §. Si qua mulier, translatum est, & Iure Canonico approbatum. *Dominio priuat* ratione voti *paupertatis*, quia hoc votum in professione continet non solùm abdicationem vsus independentis, sed etiam omnis dominij: hoc enim perfecta paupertas requirit, estque secundùm consilium Domini, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo.* Idem statuit Ecclesia in Religione faciendum, vt tum ex dictis Canonibus patet, tum ex cap. Monachi. 2. cap. Super quodam. 4. & c. Cùm ad Monast. 6. de statu Monachorum.

Dices, Quid si quispiam dum profitetur, intendat dominium non abdicare, sed retinere, saltem ad tempus?

Si intendat non abdicare dominium. Respondeo, Eo casu non fore validam professionem, ac proinde talem non fore Religiosum, spectato Iure communi. & quidem si ita intendat retinere dominium, vt non sit paratus illud abdicare quando Superior iusserit, professio erit omnino irrita: quia non intendit se obligare ad id, quod est de substantia status religiosi: abdicatio enim dominij saltem in præparatione animi, & quoad vinculum abdicandi, ad substantiam Religionis pertinet. Si verò solùm intendat retinere dominium ad tempus, & posteà quando Superiori videbitur illud à se alienare, maior difficultas est; quia id statui Religionis non repugnat. Nihilominùs certum videtur, stante Iure communi, talem actum non habere vim professionis, nec constituere hominem in statu religioso. Primò, Quia professio Iure communi includit actualem abdicationem; ita vt nulla fiat in Ecclesia sine tali abdicatione. vnde qui profitetur, hoc ipso priuatur dominio, perinde ac si naturaliter moreretur, & heredes ei tamquam mortuo succedunt. Secundò, Si quis non intenderet se in omnibus secundùm regulam subiicere Superiori, sed aliquid exciperet, in quo sit sui iuris & arbitrij; aut si pro certo tempore non vellet se obligare nisi ad castitatem coniugalem, non valeret professio: ergo etiam non valebit, si non velit abdicare dominium: Iura enim hæc omnia æquè ad professionem requirunt. Tertiò, Quia Prælatus non habet potestatem ad acceptandum talem actum tamquam sufficientem ad incorporandum Religioni; nam Ius ei resistit, & est contra essentialia regulæ.

Dupliciter potest haberi intentio proprij. Notandum tamen, hanc intentionem retinendi proprium, posse dupliciter haberi in professione. Primò, Ex errore priuato, ita tamen vt iste error non sit causa professionis, nec illam restringat, & tunc non irritat professionem; sed per accidens ei coniungitur. Ille enim intendit profiteri absolutè sicut oportet, sed priuato errore putat se posse retinere proprium saltem ad tempus: qui error non vitiat professionem, cùm illam non afficiat, neque limitet. Simile est in matrimonio, vt si putes te posse seruare continentiam in eo statu, vel ingredi Religionem quando placebit, nihilominùs absolutè contrahas cum animo te obligandi absolutè, & absque limitatione, ad ea quæ ratio matrimonij requirit.

Secundò, Si error sit causa professionis; vel saltem si intendas, vt professionem restringas, nolendo te nisi hoc modo obligare; tunc professio erit irrita. Error enim iste est circa substantiam professionis & obligationis. vnde tollit consensum necessarium, non minùs quàm cùm est error circa substantiam materiæ, vt patet ex dictis suprà cap. 40. dubit. 2. Pari modo intentio illa restringit vim professionis, tollendo id quod Iure communi ad eius substantiam pertinet, nimirum vim abdicandi dominij; & retinet Ius illi repugnans. Vnde puto nullam in foro conscientiæ ex tali professione oriri obligationem, nisi fortè independenter à valore professionis intenderet se ad aliquid obligare.

Dixi, *Stante Iure communi*; quia Ecclesia nouo Iure vel priuilegio posset talem professionem, tamquam sufficientem ad incorporandum Religioni, & ad reliquos effectus professionis suo tempore inducendos, admittere; & tunc valida esset.

Inhabilitatem ad dominium inducit, non ratione voti paupertatis præcisè, quia non ideò quis est incapax iuris & dominij, quòd Deo paupertatem pro- 71 *Inducit inhabilitatem.*

promiserit : nec ratione tacitæ renuntiationis, quia aliud est se dominio spoliare, aliud inhabilem se ad illud reddere ; sed id provenit ex duabus aliis causis. Prima est, Traditio sui in ius Ordinis; ita enim se tradit Ordini, vt partim mancipio, partim filiofamilias comparetur, quorum neuter sibi acquirit, sed ei in cuius potestate est, vt infrà dubit. 11. dicetur. Secunda est, Decretum Ecclesiæ professioni annexum. hoc enim non solùm traditionem illam confirmat, ita vt ille non possit veluti manumitti aut emancipari sicut seruus vel filius, aut sui iuris effici ; sed etiam illum directè incapacem dominij acquirendi facit, sicut eiusdem Ecclesiæ decretum reddit profitentem inhabilem ad matrimonium. Confirmatur, quia non apparet ratio, qua quis se ipsum sua auctoritate ad huiusmodi inhabilē & incapacem facere possit. quantumuis enim quis promittat, voueat aut iuret, se numquam matrimonium cum hac vel illa contracturum, aut rem aliquam comparaturum; non ideò efficitur inhabilis, ita vt si contrà faciat, sit irritum. Idem dicendum de dominij abdicatione : debet igitur hæc res ex lege & potestate Superioris prouenire, sicut irregularitas & inhabilitas ad beneficia, vel officia ; quam nemo sine Ecclesiæ constitutione sibi irrogare potest. Qui autem huiusmodi inhabilitates constituere possint, pertinet ad 1.2.quæst.96. Similis inhabilitas annecti potest voto simplici, & reipsa annexa est votis Coadiutorum formatorum in nostra Societate.

5. Priuat potestate vtendi suo iure.

Quintò, priuat potestate vtendi rebus suo iure, seu absque dependentia à voluntate Superioris. Facit hoc præcisè per votum paupertatis : in hoc enim paupertas Religiosi essentialiter consistit, vt quis non possit vlla re vti, aut vllam rem possidere absque Superioris arbitrio ; & vt sit paratus omni momento omne ius à se abdicare. Vt autem careat reipsa omni dominio, vel vt sit incapax illius, non est de essentia paupertatis religiosæ ; sicut nec de essentia castitatis religiosæ est, non esse coniugatum, aut esse incapacem coniugij.

Consectaria.

Ex dictis sequitur Primò, Religiosum, si aliquid donauerit vel alienauerit absque consensu Superioris, non solùm peccare mortiferè violando votum paupertatis ; sed etiam dispositionem esse irritam, & eos, qui acceperint, teneri ad restitutionem : quia caruit potestate disponendi. Idem dicendum, si fecit quidem ex consensu Superioris, sed Superior consensum dare non poterat : vt si expendit in rem turpem ; vt suprà cap.4.dubit.5. & cap.18.dub.11.dictum est.

Non potest donare.

Non potest testari.

Sequitur Secundò, Religiosum non posse validè testari; quod etiam habetur expressè cap. Quia ingredientibus. 19. quæst.3. & Authent. de Monachis. §. Illud quoque. Ratio est ; tum quia per professionem priuatus est omni dominio, & incapax illius redditus : tum quia quidquid acquirit, Monasterio acquirit : vnde nihil habere potest de quo testetur. vide Nauarrum comment.2. de Regul. num.44. & sequentibus. Potest tamen hæc facultas testandi de aliquibus rebus, quarum administrationem vel vsum habebat, ei concedi per Summum Pontificem, vt idem Nauarrus numero 57. & 58. probat, & Couarru. cap.2. de testamentis numero 17. sicut enim potest ei fieri potestas alienandi donatione inter viuos ; ita etiam donatione mortis causa, & per testamentum ; ad hoc enim non requiritur dominium, sed sufficit administratio, & consensus eius qui illum dare potest. Sic Pontifex aliquando concedit potestatem testandi Religiosis beneficiariis, vt extra Monasterium sua industria viuentibus, vel in Monasterio administrationem aliquarum rerum in proprium commodum habentibus. vt tamen hoc licitè fiat, debet subesse iusta aliqua causa, quia est contra Canones. vnde solus Pontifex hanc facultatem concedere potest, vt docet Nauarrus suprà. quidam putant esse quamdam voti relaxationem & dispensationem : sed verius est non esse, sicut nec est dispensatio voti, quando Pontifex alicui concedit peculium.

72 *6. Commutat vota.*

Sextò, Professio soluit vota simplicia priora, etiam Religionis strictioris ingrediendæ, eaque commutat in vota solemnia Religionis illius in qua agitur ; cap. Scripturæ. 4. de voto, & cap. Qui post votum. 5. de Regularibus, in 6. Simili modo matrimonium dissoluit sponsalia etiam iurata. vide suprà cap.40.dub.16.n.196.

7. Delet omnia peccata.

Septimò, Delet omnia peccata. Ita D. Thomas quæst.89, art.3.ad 3. & Caietan. ibidem. Antoninus 3.par.titul.16. cap.3. §.3. vbi pro eadem sententia adfert Paludanum in 4. dist. 38. quæst.4. artic.1. Thomas Waldensis de Sacramentis, tit.9. cap.80. Angelus v. Religiosus, n.47. & alij Summistæ. Vide Hieronymum Platum lib.1. de bono status religiosi cap.13. vbi hoc eleganter explicat & cōfirmat. Sed hoc intelligendum de reatu pœnæ, quæ remissâ culpâ manet ; culpa enim, præsertim mortifera, non remittitur nisi per contritionem vel vsum Sacramenti. Ratio est, tum quia per professionem vetus homo & veteres mores exuuntur, (saltem proposito & statu ipso) & induuntur noui ; vnde censetur mors quædam vitæ mundanæ : tum quia qui se suaque omnia diuino obsequio mancipat & obstringit, huiusmodi beneficio dignus est. Hinc Patres susceptionem habitus monastici solent comparare Baptismo. Hieronymus epist.8. & 25. Leontius in Vita Simeonis Abbatis, Anselmus lib. de Similitudinibus, c.vltimo, Bernardus lib. de Præcepto & dispensat. quorum testimonia refert Platus. ex quibus etiam colligas, professionem habere hanc vim quasi ex opere operato, sicut martyrium, si nullus ponatur obex.

73 *8. Irregularitatem tollit.*

Octauò, Tollit irregularitatem, quæ est ex defectu natalium, cap.1. de filiis presbyterorum. & cap.1.d.56. ceteras autem Iure communi non tollit ; quia Iure non est expressum, vt docet Abbas in cap. Ex litterarum, de apostatis : aliæ verò tolluntur specialibus variorum Ordinum priuilegiis. Vnde falluntur qui putant tolli irregularitatem quæ est ex homicidio, vel bigamia, vt benè notat Nauarrus comment.2. de Regul.n.60. Nec obstat Authent. de Monachis, vbi significatur, vt quidam dicunt, omnem irregularitatem Religionis ingressu tolli : quia non loquitur de irregularitate, sed de peccatis: ait enim, *vitam monachicam ita hominem Deo coniungere & appropriare, vt omnem humanam labem abradat, & purum reddat*, vt patet ex textu Græco : στιλ& enim ἀνθρώπιν& apud Græcos sunt peccata, & peccatorum sordes, non irregularitas. Adde, irregularitatē, quæ est ex defectu natalium, non penitus tolli per professionem ; (quia talis non potest eligi ad Prælaturam; vt ad Abbatiam virorum aut feminarum, nec ad bene-

beneficium habens curam animarum) sed solùm ex parte, vt possit ordinari, & beneficium simplex obtinere, vt rectè Nauar. suprà, ex cap.1. de filiis presbyterorum.

DVBITATIO IX.

Ad quid teneatur Religiosus ex vi cuiusque voti.

74 *Votum obedientiæ ad quid obliget.*

RESpondeo, Ratione voti obedientiæ tenetur Primò, ad præcepta regulæ.

Secundò, Tenetur non agere contra regulam aut mandatum Superioris ex contemptu: nam per votum obedientiæ subiecit se regulæ & potestati Superioris: ac proinde se obligauit generatim ad viuendum secundùm regulam, & ad obediendum Superiori præcipienti consentaneè regulæ: in qua obligatione primò omnium cõtinetur, vt regulam & mandata Superiorum non contemnat; sed generale propositum retineat iis se conformandi; contemptus enim euertit rationem formalem obiectiuam, atque adeò totum fundamentum obedientiæ. Hinc passim DD. tradunt, Regularem peccare mortiferè, si ex contemptu regulam vel Superioris iussa violat. de quo vide D. Thomam 2.2. quæstione 186. artic. 9. ad primum, & Caiet. ibidem.

Ex contemptu peccare.

Censetur autem ex contemptu violare, qui contrà facit, non ex negligẽtia, vel cupiditate, sed quia non vult regulæ aut Superiori esse subiectus, vt ait Caietanus. deinde qui directè eo fine violat, vt Superioris mandatum, aut regulæ ordinationem ostendat se nihili facere: hæc sunt valdè grauia, nec possunt cadere nisi in malignum animum, Instituti sui, & iudicij auctoritatisque Ecclesiæ, qua Institutum est confirmatum, & potestas Superiori tradita, contemptorem. Putat tamen Caietanus v. Inobedientia, contemptum præcepti in re minima non esse peccatum mortale; de quo infrà c.46. dub.6 num.45.

Præcepta Superioris.

Tertiò, Tenetur ad omnia, quæ Superior iuxta regulam seu Institutum præcipit. & quidem si præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, tenetur obedire sub peccato mortali; tunc enim Superior ex more Religionibus vsitato intendit illum obligare quantum potest, atq; adeò sub peccato mortali. Si autem hac forma præcipiendi non vtatur, non videtur velle obligare sub peccato mortifero, nisi id aliunde constet: videtur tamen obligare sub veniali, si aliquo modo mandet: tum quia non intendit cõsulere & suadere dumtaxat, sed aliquo modo præcipere & obligare, quamuis non tantum, quantum posset. (valdè autem probabile est, Superiorem posse suam potestatem, suumque præceptum ita moderari, vt solùm ad peccatu veniale obliget, etiamsi alioquin materia sit grauis) tum quia ipsa ratio disciplinæ religiosæ postulat vt inferior obtemperet; etiamsi illi extremum præceptum non imponatur. Si tamen ita præcipiat, vt non intendat absolutè obligare pro conditione materiæ, probabile est subditum non obligari sub aliqua culpa, sed solùm sub pœna & correctione regulari; quo modo ipsæ regulæ obligant; de quo plura 1.2.q.96. tractat. de legibus.

Si contra regulam

Quarto, Si Superior præcipiat aliqua *contra regulam*, non tenetur inferior obtemperare; nisi fortè ille possit in ea parte regulæ dispensare, & legitima causa contrarium præcipiendi subsit. ita Caietanus q.104. art.5.

Si supra regulam, vel infra.

Quintò, Si præcipiat aliquid supra regulam, non tenetur inferior. Est communis sentẽtia DD. vt ostendit Corduba in regulam S. Francisci c.10. q.2. Idem dicendum si præcipiat *infra regulam*, id est laxiora quàm regula præscribat, nisi causa iusta subsit. Hinc D. Bernardus lib.1. de præcepto & dispensat. col.4. *Prælati iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec vltra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi. vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Et infrà: *Monentes eos, non cogentes ad celsiora, condescendentes eis, cùm necesse fuerit, ad remissiora.* Ratio est, quia Superior est custos regulæ & Instituti, non auctor; eiq; potestas datur, vt subditos secundùm illam perficiat, non vt ad maiora obliget. quæuis enim Religio suam vitæ mensurã, suum exercitiorum modum sibi præscriptum habet, qui regulis & constitutionibus cuiusque exprimitur, ad quem vt perducatur, instituuntur Superiores. Accedit quòd inferior ex vi voti sui non intendat se obligare, nisi ad viuendum & obediendum secundùm proprium Institutum, vt docet D. Thomas quodl. 10. art. 10. & alij communiter.

Hinc sequitur, non solùm Superiorem Regularem non posse ratione voti obedientiæ obligare subditum ad ea quæ sunt *super* vel *contra* vel *infra regulam*; (nisi ex causa, quæ tamen sit secundùm regulam) sed nec Summum Pontificem: quia hic non potest ampliùs ex vi voti, quàm Superior Regularis; cùm inferior non magis illi quàm huic se intenderit per votum obedientiæ obligare. quamuis vt Pastor vniuersalis Ecclesiæ (cui Dominus omnem potestatem necessariam ad bonam Ecclesiæ administrationem in oues contulit) plura præcipere possit quàm Superior Regularis, verbi gratiâ, capessere Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Religionem; quod tamen Prælatus Regularis præcipere non potest, vt ex D. Bernardi sententia apertè conuincitur.

75 *Supra regulam qua sint.*

Supra regulam, iuxta Cordubam, sunt, ire ad infideles, vbi est manifestum periculum mortis vel seruitutis, ieiunare longo tempore, abstinere à carnibus ad vnum mensem, quando regula non præscribit, & similia.

Ob quas causas possint auferiora præcipi. Clausura Monialium.

Hîc tamen duo Notanda sunt. Alterum est, Etiamsi huiusmodi longę abstinentiæ, & similia quę non sunt secundùm regulam, non possint imponi ad exercitium virtutis; possunt tamẽ ob alias causas. Primò, In iustam pœnam alicuius criminis: id enim est secundùm regulam. Secundò, Si putentur necessaria ad seruanda vota. Sic præcipitur clausura Monialibus arctissima, etiamsi talem antè non vouerint; quia experientia docuit, hanc esse necessariam ad custodiam castitatis, quam vouerunt. Sic etiam possunt præcipi ieiunia, & aliæ austeritates ad superandam aliquam tentationem. si tamen non putentur necessaria, non potest subditus ad ea obligari, vt docet Corduba suprà, & Siluester Religio 6. quæstione 6. Tertiò, Ob aliquam publicam necessitatem possunt quædam austeriora ad tempus omnibus imponi; quia & hoc regulæ consentaneum. Sic Ecclesia præcipit ieiunia, vigilias, &c.

Alte-

Alterum est, Regulas & constitutiones in diuersis Religionibus esse varias; ac proinde potestatem præcipiendi & obligationem obediendi variam esse, & ad plura vel pauciora, prout regula disponit, extendi; nam in regulis Minorum c. 10. præcipitur, *vt obediant in omnibus, quæ non sunt contra regulam vel animam*: in constitutionibus Societatis IESV, *vt obediant in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum.* Itaque omnia supradicta, quando iusta causa præcipiendi subest, censentur secundùm regulam præcipi, & subditus tenetur ex vi voti obedire. In aliis Ordinibus obligatio obediendi non tam latè patet.

Quando censeatur aliquid præcipi secundùm regulam.

Dico *quando iusta causa subest*, quia nullus Superior, nec Pontifex quidem, potest ad aliquid obligare sub peccato mortali, nisi sit materia grauis, capax tantæ obligationis. *grauis*, inquam, vel per se, vel ratione circumstantiarum, quæ iustam causam sic præcipiendi adferant, vt docet Siluester suprà; estque communis sententia Doctorum, vnde nec præcepta diuina obligant sub tali peccato; nisi talis materia subsit.

76 *An in dubio obediendum.*

Petes, Vtrùm in dubio sit obediendum Superiori? Videtur non esse. Primò, quia nemo potest cum dubia conscientia operari: alioquin exponit se periculo peccandi. Secundò, quia in dubio melior est conditio possidentis. at subditus est in possessione suæ libertatis. Tertiò, in dubio fauendum est reo, & illi de cuius præiudicio agitur.

Si dubium sit de potestate.

Dico Primò, Si dubium sit de potestate, nimirum, vtrùm sit legitimus Superior, in tali dubio non est necesse parere. Et hîc locum habet secundum argumentum, *Melior est conditio possidentis.* subditus enim per se ab huius obedientia liber est; ergo non debet ei subijci, nisi moraliter constet esse Superiorem. sic nemo obligatur lege, de qua dubitatur an sit lex. In dubio tamen habendus est Superior, si communis præsumptio illi fauet; argumento in L. Barbarius. ff. de officio Prætoris.

Si dubitetur an sit licitum.

Dico Secundò, Si constat de potestate, sed dubitatur de materia, an sit licitum hoc facere; perseuerante hoc dubio, non potest obedire. Hoc probat primum argumentum. nullo enim casu licitum est facere id de quo dubitat an sit licitum. quia exponit se periculo peccati. Hoc modo intelligendus Adrianus quodlib. 2. a. 2. littera D. cùm dicit; *Nullus dubitans de actu an sit mortalis an non, licitè obedit, ipsò sic dubitante.*

Tenetur dubium deponere.

Dico Tertiò, Tenetur tamen subditus, si potest, consideratis omnibus circumstantiis & principiis practicis, hoc dubium deponere; quo facto tenetur obedire. & hoc sensu communiter docet DD. subditum in dubio teneri Superiori suo obtemperare. D. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 6. in corp. & ad 2. Caiet. & Medina ibid. D. Bonauent. in 2. d. 39. a. 1. q. 3. in fine. Angelus v. Obedientia, nu. 6. Siluest. nu. 2. Fumus nu. 4. Sotus de secreto, num. 3. q. 2. Lopez 1. p. cap. 56. &c. Teneri subditum *deponere dubium* si potest, perspicuum est; quia tenetur considerare actum vt hic & nunc faciendus præcipitur, id est, cum omnibus circumstantiis occurrentibus, illumque expendere non solùm secundùm principia intrinseca & propria actui, sed etiam secundùm extrinseca & communia: & si secundùm hæc appareat esse licitum, tenetur facere. nam dubium tunc non perseuerat practicè, sed solùm speculatiuè, nimirum, an per se absque istis circumstantiis, & consideratis principiis propriis sit licitus: practicè autem constat esse licitum, & prudenti iudicio talis iudicatur. Confirm. Quia Superior est in possessione Iuris imperandi; & in dubio nemo est spoliandus iure suo, ergo parendum. Neque similiter dici potest, etiam subditum esse in possessione suæ libertatis. quia generatim constat illum abdicasse suam libertatem in Superiorem. Vnde cùm in ceteris Superiori subsit, præsumendum etiam in hoc casu subesse, nec esse sui iuris. Principia autem communia, vnde præceptum Superioris possit prudenter iudicari licitum, sunt hæc: multum deferendum auctoritati & prudentiæ Superioris; Superiores à Deo singulari modo gubernari in subditis dirigendis; prudentis esse non suo iudicio in rebus propriis confidere, sed potiùs alterius, & maximè Superioris, quem loco Dei habet; ex recusatione obedientiæ, cùm causa manifesta assignari non potest, posse nasci scandalum aliorum, & ex duobus malis, quod minus est eligendum; & similia, quibus etiam doctissimi viri sese Superioris iudicio accommodare in dubio possunt.

Aduerte tamen, cùm diximus in dubio obtemperandum, limitari à multis DD. vt à Soto, Medina, Lopezio, & aliis nonnullis: nisi obediendo aliquod graue incommodum in persona, honore, vel rebus, ei qui obedit, vel alteri timeatur; non obediendo verò, nihil incommodi metuendum sit. tunc enim si dubium sit de bonitate operis, vel de obligatione præcepti, non tenetur parêre; sed vt obligetur, debet moraliter constare rem esse licitam, & præceptum hîc & nunc esse obligatorium: vt cùm præceptum tendit ad punitionem, sicut quando Iudex reum & testes examinat criminaliter. Nam in dubio fauendum est reo, & ei de cuius damno agitur. etsi enim inferior non sit in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis, seu Iuris, quo se potest in rebus periculosis conseruare. Confir. quia in dubio nõ debet præsumi auctoritas Superioris valere in alterius graue præiudicium, cùm nihil incommodi notabilis ex non obediendo sequatur, vt patet in exemplo de reo & teste; nam inobedientia est occulta, & punitio ista non est necessaria. Idem dicendum in causa vectigalium, & similibus, vbi agitur de graui subditorum præiudicio. Vbi suprà cap. 33. dubit. 1. & 6. Si tamen par vel grauius incommodum sequeretur ex non obediendo; in dubio teneretur obedire; vt si graue damnum publicè vel priuatim impendens non possit aliter impediri, iuxta ea quæ dicta sunt cap. 29. dub. 15. & cap. 31. dub. 3. vbi vtrimque incommoda sunt expendenda: & illis paribus, etiam in dubio obediendum. *Limitatio.*

Dico Quartò, Quando sepositò præcepto, ceteris omnibus circumstantiis spectatis probabile est opus esse illicitum, non tenetur subditus parêre. Ratio est, quia potest se probabili sententiæ conformare. Confir. quia in tali casu, nec votum, nec iuramentum, nec ipsa lex diuina aut naturalis obligat: ergo nec præceptum Superioris. Potest tamen obedire, si contrarium etiam est probabile, vel si per extrinseca principia sibi iudicium prudens de opere formare potest.

Ex voto castitatis tenetur, Primò, Abstinere à coniugio. Deinde ab omni actu interno & externo, qui sit contra castitatem; vt à turpibus cogitationibus & delectatione morosa, à pollutione, 77 *Votum castitatis.*

ab omni actu venereo, à turpi contactu, ab impudico aspectu; denique ab omnibus iis, quæ aliquo modo sunt contra virtutem castitatis. Quidquid enim in sæcularibus extra coniugium est aliquo modo peccatum contra castitatem, est in Religioso etiam sacrilegium contra votum; ac proinde duplicem habens malitiam: ita tamen vt malitia sacrilegij sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; venialis verò, in quibus illa est venialis.

Votum paupertatis. 78 Ex voto paupertatis tenetur, Primò, Vt nihil velit habere, possidere, vel vti tamquam proprium, id est, affectu retinendi iure suo, seu independenter à voluntate Superioris; cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum.

Secundò, Vt sit paratus exui possessione & vsu, omni momento quo Superior iusserit, quia non potest hæc retinere nisi cum dependentia à voluntate Superioris; alioquin esset proprietarius, vt constat ex d. cap. Cùm ad Monasterium.

Tertiò, Non potest aliquid dare vel alienare, nisi cum facultate Superioris; & si contrà fecerit, est irritum.

Dispensare, erogare. Quartò, Si est dispensator aliquarum rerum, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solùm ex præcepto & mente Superioris, ita vt non det alia, nec plura vel pauciora, nec meliora vel deteriora, quàm scit Superiorem velle: qua parte enim recedit à mente Superioris, incurrit in vitium proprietatis; nam ita dispensat ac si esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet.

Cõmodare. Quintò, Non potest mutuò vel commodatò quidquam ex iis, quæ ad vsum ipsi permissa sunt, dare alteri absque Superioris facultate. Ratio est, quia est solùm vsuarius, habens nudum vsum facti; (vt Nicolaus IV. Extrauag. Exiit, ait) idque precariò, quamdiu Superiori videbitur. vsuarius autem non potest alteri vsum rei concedere; hoc enim non est vsuarij, sed vsufructuarij. Institut. de vsu & habitat. §. 1. & 2. In rebus tamen paruis & crebrò occurrentibus censetur esse facultas tacita vel generalis, saltem ad breue tempus.

Ab aliis accipere. Sextò, Non potest ab externis vel domesticis quidquam accipere absque Superioris consensu: sicut enim non potest quidquam retinere sine illius consensu, ita nec acquirere, d. cap. Cùm ad Monasterium. §. Si quidquam alicui.

Vsurpare sibi aliquid. Septimò, Non potest ex rebus, quæ domi sunt, sine illius consensu aliquid sibi vsurpare, siue sint esculenta, siue poculenta, siue libri, siue alia vtensilia; cùm enim nihil istorum ipsius sit, sed communitatis, cuius loco Superior habet administrationem omnium, non potest inuito Superiore quidquam sibi vsurpare: alioquin furtum committit, vsurpans rem alienam inuito domino, seu administratore, qui est loco domini: & consequenter peccat contra votum paupertatis: omne enim furtum in Religioso est contra votum. & prout est mortale vel veniale in ratione furti, ita in ratione sacrilegij, cùm eadem vtriusque sit materia. Deinde vsurpat rem tamquam proprietarius, quia absque dependentia à Superiore: ergo, &c.

Abscõdere. Octauò, Non potest quidquam abscondere vt illud Superioris liberæ dispositioni subducat: hoc enim semper iudicatum fuit continere culpam proprietatis. Colligitur cap. Super quodam. 4. & cap. Cùm ad Monast. 6. de statu Monachorum; vbi Ioannes Andreas, Archid. & alij Doctores notant, *proprium* dici quidquid cedas Prælatum, vel contra eius voluntatem tenes. *Proprium quid.*

Nonò, Non potest expendere in res illicitas aut vanas, etiamsi Superior id ei permitteret. Ratio est, quia Iura & Canones non concedunt administrationem Regularibus, nisi ad res necessarias, vtiles, aut honestas; prohibent autem ad vanas & illicitas: atqui non habent maiorem facultatem quàm Iura eis concedant; nec Superior potest aliquid contra Iura concedere. Vnde peccat Regularis contra votum paupertatis si in huiusmodi expendat; v. g. si in turpia, si in vestes sericas, in sumptuosa conuiuia, in canes venaticos, falcones, equos generosos, in vanas picturas, lectisternia, &c. vide Clem. 1. de statu Monachorum. *Expendere in vana.*

Decimò, Tenetur præstare eam diligentiam in rebus ipsi permissis conseruandis, quam vsuarius, qui precariò vtitur; vnde tenetur vitare culpam latam: hanc enim tenetur vitare omnis qui aliquid precariò accepit; L. Quæsitum est. §. Eum quoque. π. de precario: itaque si res ipsius negligentiâ pereat vel deterior fiat, peccat contra iustitiam, & consequenter contra obligationem voti. Quod confirmatur; quia si dolo illam destrueret, vel deteriorem redderet, peccaret contra votum: ergo etiam si ex culpa lata; nam hæc ad eamdem speciem pertinent, & culpa lata dolo æquiparatur. Quòd si res concessa sit etiam in ipsius proprium commodum, videtur etiam teneri ex culpa leui; sicut in commodato, quod in vtilitatem commodantis & commodatarij præbetur, iuxta L. In rebus. v. Hoc itaque. π. Commodati. & cap. vnico, de commodato. Sed non videtur hoc ita seuerè in Religione interpretandum. *Cõseruare.*

Vndecimò, Denique tenetur cauere ne habeat superflua, saltem notabili quantitate, quæ religiosam mediocritatem notabiliter superant. quia nec Superior id ei concedere potest, cùm sit per Canones prohibitum. Idem dicendum de pretiosis vestibus, vt docet Nauarrus comment. 4. num. 27. quia prohibentur Clement. 1. de statu Monachorum. si tamen ille paratus est omnia ad nutum Superioris relinquere, non est dicendus proprietarius, vt docet Siluester Religio 6. quæst. 7. vers. Quartò, ex Archidiacono. *Superfluũ.*

Circa prædicta tria Notanda. Primum est, 79 Considerandum esse in quibus rebus, & quousque censeatur in singulis Ordinibus & Monasteriis concessa facultas generalis: hæc enim sufficit vt non peccés contra votum, dando vel accipiendo, retinendo vel vtendo. In Monasteriis tamen benè ordinatis non conceditur hæc facultas passim omnibus, nisi in rebus minoris momenti & crebrò occurrentibus. *Facultas generalis.*

Secundum est, Interdum excusari inferiorem per ἐπιείκειαν, à facultate petenda; vt si res vrgeat, nec Superior præstò sit; tunc enim potest agere perinde ac si veniã expressam haberet: nam adest consensus præsumptus. non enim mens est Superioris, vt eo casu non agat quod ratio dictat, aut vt consensum expressum requirat. non tamen adest consensus præsumptus, quando res facilè differri potest, vel Superior adiri. *Epieikeia.*

Dices, Si peterem à Superiore, consentiret. *Obiectio.*

Respondeo, Id satis non esse, alioquin omnes ferè donationes, acceptationes, & vsus, qui à Superiori- *Resp.*

An sufficiat quod concederet si peteres.

perioribus concedi solent petentibus, in Religione essent liciti absque expressa venia: quod est euertere obedientiam regularem. Ratio est, quia non ex eo cessat vinculum legis, quòd Superior dispensaret si peteres; per hoc enim non dispensat reipsa, nec ideò rem istam retinere potes, quia dominus eam donaret si rogares: nam per hoc non donat reipsa. cùm enim conditio illa non ponatur in re, non ponitur quoque id quod ex ea sequeretur. eodem modo dicendum in nostro casu. Itaque requiritur, non solùm vt concederet si peteres, sed etiam vt reipsa censeatur concedere, quamuis non petas; & vt ipse non velit te cum illis circumstantiis petere. Sicut vt vinculum legis cesset per *Epiekeiam*, requiritur vt mens legislatoris sit, hoc casu te non obligare vt agas secundùm verba legis, aut vt peras dispensationem.

Crediderim tamen non esse peccatum mortale, quando sciret, vel bona fide putaret inferior, eum erga se esse Superioris affectum, vt libenter esset concessurus, si sciret ipsum tali re egere, vel tale quid desiderare; tunc enim censetur habere ex voluntate Superioris, saltem virtuali, quæ in affectu illo latet. Peccat tamen venialiter; quia etsi illam rem habeat quodammodò ex voluntate Superioris; modus tamen illam sibi vsurpandi est contra eius voluntatem. Pari modo, in furto non est peccatum mortiferum, quando quis scit affectum domini in se talem esse; aut certè, quando dominus rem parui æstimat, aut ita in aliquem est affectus, vt nollet illum graui obligatione teneri; iuxta ea quæ dicta sunt suprà cap. 12. dub. 8.

80 *Peccatum Religiosi contra votum est duplex.*

Tertium est, Quando Religiosus peccat contra votum, ferè semper esse duplex peccatum; cum duplici malitia diuersæ speciei cõtra diuersas virtutes. Idque primùm manifestum est in peccatis contra votum castitatis: in quibus omnibus ratione materiæ est prauitas luxuriæ contra castitatem; & ratione voti malitia sacrilegij, aut infidelitatis in Deum contra virtutem Religionis. In iis quæ sunt contra paupertatem, præter malignitatem violationis voti, ferè semper connexa est alia contra iustitiam, vt cùm rem alienam inuito domino sibi vsurpat, aut res monasterij clanculùm externis donat. Non tamen hæc absolutè semper adest, vt si clàm Superiore aliquid ab externis accipiat & abscondat, quod ille externus in ius Monasterij venire nolit. Tunc enim etsi peccet contra votum, vsurpando sibi istius rei dominium & vsum, independenter à Superiore; non tamen contra iustitiam. Si tamen illud absolutè daretur absque tali restrictione, transiret statim per acceptationem & traditionem in dominium Monasterij. Nam quidquid Religiosus acquirit, Monasterio, non sibi acquirit. vnde si tunc contra voluntatem Superioris sibi vsurpet, etiam furtum committet. Denique quando contra votum obedientiæ violando præceptum Superioris in re graui agit; peccat non solùm contra votum ac promissionem Deo factam, cui promisit huic homini tamquam eius vicario obedire; sed etiam contra virtutem obedientiæ, quam subditus omnis debet Superiori legitima potestate prædito. atqui Prælatus in Religione habet potestatem regendi & imperandi communicatam sibi à Summo Põtifice, vt suprà dubit. 1. num. 10. dictum: ac proinde hoc ipso quo sumus membrum communitatis illius cui ipse præest, tenemur ei obedire. sicut si quis voueret Deo, obedire Episcopo vel Principi legitimè præcipienti, duplex peccatum admitteret non obediendo. Secùs si confessario vel alteri nullam iurisdictionem in eam communitatem, cuius est membrum, habenti; vt patet ex dictis dubit. 1. num. 10. tunc enim non obediendo solùm peccaretur contra votum.

Dices, Quòd ego sim membrum huius corporis, ac subditus Prælato, id totum prouenit ex voto. ergo solùm peccatur contra votum. tota enim ratio obligationis ex voto pendet. sicut cùm quis habens votum solemne contrahit matrimonium, solùm peccat contra votum, etiamsi contra legem impedimenti dirimentis faciat, quia impedimentum ex voto pendet, & propter votum inductum est vbi enim vnum est propter vnum, ibi tantùm censetur esse vnum. *Obiectio.*

Resp. Negando antecedens propriè loquendo. non enim formaliter per votum, sed per traditionem sui in ius Religionis, & acceptationem Superioris; fit membrum illius corporis & subditus: votum autem solùm est conditio. sicut promissio seruandi statuta Collegij est conditio vt quis fiat collegialis, non tamen per illam formaliter inseritur Collegio, sed per traditionem sui in ius Collegij, & acceptationem Superioris. Itaque obligatio voti, & obligatio parendi Superiori habenti iurisdictionem, sunt diuersæ obligationes. Secùs si ille non haberet iurisdictionem. Quod autem adfertur de voto vt est impedimentum matrimonij; si loquamur de Religioso professo ducente vxorem, committit duplex peccatum, vel potiùs triplex. primò, contra religionem voti: secundò, contra castitatem, præsertim si habet animum consummandi: tertiò, contra iustitiam. facit enim iniuriam Religioni cuius est membrum, & in cuius est potestate, tradendo se in potestatem alterius. si verò de ordinato sacris non Religioso, peccat contra votum & castitatem. Neuter tamen committit peculiare peccatum contra legem matrimonij: quia tota ratio cur impediatur contrahere, pendet ex voto, & ex eo quòd sit in potestate alterius: vnde in contrahendo non reperitur noua deformitas distincta à prædictis. *Responsio.*

Dvbitatio X.

Vtrùm bona Religiosi transeant in Monasterium per professionem, si aliter de illis anteà non disposuerit.

81 Respondeo, & Dico Primò, Si Monasterium habet ius successionis, omnia bona Religiosi, de quibus ipse anteà non disposuit, per professionem iure communi transeunt in illud Monasterium. est communis sententia DD. vide Nauarrum comment. 2. num. 44. & sequent. ius autem succedendi habent omnia Monasteria Regularium, præter Domos & Collegia Societatis Iesv, Minorum de obseruantia, & Cappucinorum. Societas enim per suas Constitutiones hoc iure caret, non solùm in Domibus professis, sed etiam in Collegiis: Minoritæ & Cappucini per suas Regulas. ceteris omnibus Ordinibus virorum & mulierum, etiam Mendicantibus, concessit *Monasteria habentia ius succedendi.*

Mendicantes qui succedant.

Concilium Trident.sess.25. de Regul. c.3. vt bona immobilia possidere possint: vnde etiam vt in eis succedant. nam ante Concilium poterant ceteri Mendicantes succedere, sed tenebantur bona immobilia vendere, vt docet Nauarrus ex aliis n.50. nunc autem possunt retinere.

Probatur conclusio ex Nouella Iustiniani 5. quæ est de Monachis,cap. 5. *Illud quoque decernimus, qui in Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vti quo voluerit modo. ingredientem namq; vnà sequentur omnino res, etiamsi nõ expressim dixerit se illas inducere: & non erit dominus illarum vlterius vllo modo:* quæ posteriora verba etiam habentur Authent.Ingressi,C.de sacrosanctis Ecclesiis. Additur in prædicta Nouella;*Si filios habeat, iis solum legitimã deberi, cetera Monasterio.* & Nouella 123. cap. 38. *Si qua mulier,aut vir Monasticam elegerit vitam,& intrauerit Monasterium, filius non extantibus, Monasterio quod ingreditur, res eius competere iubemus. Si verò talis persona filios habeat, & non antè quàm intret Monasterium, de suis rebus fecerit dispositionem,& legitimam partem filius deputauerit: etiam sic liceat ei postquam Monasterium intrauit, suam substantiam in proprios filios distribuere; ita tamen vt nulli filiorum suorum minuat legitimam partem. pars verò quam filius non dederit, Monasterio competat. Si verò omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, propria sua persona filius connumerata, vnam sibi partẽ omnibus modis retineat,quæ iuri Monasterij competere debeat. Si verò in Monasterio degens moriatur antequam inter filios res suas distribuat, legitimam partem filij percipiant, reliqua verò substantiæ pars Monasterio competat.* eadem habentur Authent. Si qua mulier de sacrosanct. Ecclesiis. & cap. 9. Si qua mulier. 19. qu. 3. Idem probatur cap. 7. Quia ingredientibus. 19. quæst. 3. ex epist. 7. lib. 7. registri Gregorij Magni, vbi sic dicitur: *Quia ingredientibus Monasterium conuertendi gratia, vlterius nulla sit testandi licentia, sed vt res eorum eiusdem Monasterij sint, aperta legis definitione decretum est.*

82 *Ratio Constitutionis Iustiniani.*

Est autem hæc Constitutio rationi valdè consentanea. Primò, Par enim non est vt dum quis se totum mancipat obsequio diuino, res suas faciat seruire mundo; & qui corpus suum tradit ad pœnitentiam, bona sua relinquat sæcularibus ad luxum. postulat enim ratio, vt non solùm se, sed etiam omnia sua Deo seruire faciat. Secundò, Quia cùm in Monasterio viuere, & ab eo alimenta percipere cupiat, par est vt illi potiùs res eius cedant, quàm aliis quibus nihil debet, & à quibus nihil exspectat. Tertiò, Quia cùm sit consilium Christi vt dentur pauperibus, nullis pauperibus conuenientiùs dari possunt, quàm iis qui sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum, & qui possint recipere in æterna tabernacula; quales sunt Religiosi. Denique quia sic augetur cultus diuinus & numerus Deo seruientium.

Quo modo post professionem bona sua distribuat.

Circa prædicta quædam sunt annotanda. Primò, Si is qui profitetur, habet liberos, ei permitti vt distribuat eis sua bona post professionem, si id antè non fecit. facit autem hoc non vt dominus, sed vt administrator constitutus à Iure ad hunc effectum: testari tamen tunc non potest, quia id ei non est permissum, vt docet Nauarrus commentar.2. num. 45. & meritò, quia factio testamenti maiorem præ se fert imaginem dominij,quàm nuda illa distributio.

Dices, Hæc constitutio est Iuris ciuilis, per quod non potest concedi administratio aliqua Religioso professo.

Respondeo, Eam non habere vim vt est Iuris ciuilis, sed vt est recepta Iure Canonico, seu approbata à Summis Pontificibus. vnde etiam relata est in Corpus Decreti à Gratiano cap. Si qua mulier.19.qu.3.de quo vide Nauarrum comment. 2. num. 44. & sequentib. vbi hanc constitutionem explicat & expendit.

Secundò, Ex æquitate canonica legitimam filiis statim post professionem tradendam, nec esse exspectandam mortem naturalem parentis, vt docet Nauarrus num. 48. & Couarr. cap. 2. de testam. num.12. & colligitur ex cap. Cùm simus. 14. de Regularib. nimis enim durum esset, si filij deberent alimenta petere à Monasterio. 83 *Quando filius danda legitima.*

Contraria tamen sententia non est improbabilis, quam tenent plerique Doctores, teste Couarruuia: vsusfructus tamen,quem fortè pater habebat in bonis aduentitiis suorum liberorum,transit in Monasterium vsq; ad mortem eius naturalem, vt docet Nauarrus num. 55.quia omnia transeunt, & Ius nihil particulare de hoc disposuit. quamuis & in hoc contrarium probabiliter teneri possit; de quo videri potest Couarruuias num. 14. Pari modo, pater in sæculo manens, vsumfructum, quem in bonis aduentiuis filij habebat, non amittet per filij professionem, vt idem Nauarrus docet; nam professio filij non potest officere iuri paterno iam antè acquisito. secùs est quando filius egreditur patriam potestatem ob crimen paternum; tunc enim amittit pater vsumfructum vnà cum patria potestate, vt rectè cum aliis docet Molina, de Iustitia,disput.9. *Vsusfructus.*

Tertiò, Si is qui profitetur, non habet liberos vel nepotes, sed patrem vel matrem, auum vel auiam,Iure communi illis debet legitimam: nimirum si hoc Ius eo loco sit receptum. Nec obstat, quòd Monasterium habeatur pro filio vel herede, vt colligitur cap.In præsentia.8.de probationibus, & Nouella 123.cap.37. ac proinde nihil videatur deberi ascendentibus; quia hoc non est verum, nisi ad effectus Iure expressos, qualis non est iste, qui proponitur in casu.

Quartò, Non solùm bona tua libera per professionem transeunt in Monasterium, sed etiam quædam grauata; vt si tibi relictum sit fideicommissum,cum onere vt si absque liberis discesseris, restituatur alicui tertio,vt fratri.si ingrediaris Monasterium, cedit Monasterio, quia est instar filij. Ita expressè habetur d.cap. In præsentia.& d.Nouella. Secùs si grauatum sit vt in aliam piam causam conferatur; vt ibidem habetur. 84 *Fideicommissum.*

Quintò,Etiam feudum cedit Monasterio, modò sit francum, id est, liberum ab obsequio, vel concessum feminæ, vel cum onere obsequij, quod Monasterium præstare possit, vel concessum cum facultate præstandi per alium. Ita Nauarrus n.25. & alij passim. Commoditas feudi durat solùm ad vitam illius Religiosi: eo enim mortuo deuoluitur ad proximos heredes, quibus ex sua institutione debetur; vel si desint, ad dominum directum. Ita Clarus §. Feudum. q.78. n.2. ex Baldo, qui tamen Clarus n.3. addit, sibi non placere sententiam communem, scilicet feudum transire in *Feudum.*

Mona-

Monasterium: sed ratio eius solùm probat de feudis quæ requirunt seruitium sæculare, Religiosis indecorum & prohibitum.

Emphyteusis. Pari modo emphyteusis in Monasterium transit. si tamen dominus directus velit, tenebitur in alium transferre, qui non sit maiori priuilegio præditus, quàm prior emphyteuta. Ita Iulius Clarus §. Emphyteusis. qu. 22. dicitque esse communem sententiam. Ratio est, quia conditio domini directi deterior redditur, cùm amittat spem laudemij, id est, trigesimam vel quadragesimam partem pretij, quam percipere solet quotiescumque venditur. vide suprà cap. 24. n. 57.

Possessio. Sextò, Non solùm dominium, sed etiam possessio transit in Monasterium per professionem. Primò, Quia sicut persona transit in ius Monasterij; ita simul cum illa dominium, & possessio quam illa habebat. Secundò, Quia Monasterium succedit non sicut heres extraneus, qui vt comparet dominium, debet adire hereditatem, & vt possessionem capiat, debet apprehendere; sed sicut filius, seu vt heres qui in Iure dicitur *heres suus*, qui non comparat nouum dominium, sed continuat dominium & possessionem eius cui succedit. Ita Innocentius & alij in cap. In præsentia, de probationibus.

85 *Si disposuit in extraneos.* Dico Secundò, Si ante professionem per testamentum disposuit de bonis in heredes non necessarios, vt in fratres vel amicos, Monasterium iis fruetur vsque ad mortem ipsius naturalem, sicut ipse testator facturus erat si in sæculo mansisset. vnde si illi moriantur ante testatorem, euanescit dispositio, & bona pertinebunt absolutè ad Monasterium, nisi alia mens testatoris fuerit. Ita Nauarrus suprà num. 54. & Couar. c. 2. num. 11. vbi dicit esse communem sententiam.

86 *Si Monasterium caret iure succedendi.* Dico Tertiò, Si Monasterium non habet ius successionis, omnia bona Religiosi (nisi ipse ante professionem aliter de illis disposuerit) statim per professionem deuoluuntur ad heredes ab intestato, perinde ac si ipse morte naturali defunctus esset. est communis sententia DD. quia cùm ipse per professionem se spoliet omni dominio & possessione, nec transeat hæc in Monasterium; sequitur, ea Iure deuolui ad alios heredes. non enim debent ea bona manere adespota & suspensa.

Petes, Vtrùm possit fieri statutũ, vt ij qui transeunt ad Religionem, nõ possint sua bona, vel legitimam sibi debitã secum ad eum transferre, vel in alios pauperes distribuere, sed teneantur illa suis propinquis relinquere, etiamsi illi pauperes non sint? Quod ego propono, non quòd putem aliquem Catholicum & pium Principem tale statutum fecisse, aut facturum: sed quia intelligo talia subinde quibusdam locis à politicis ventilari.

Respondeo breuiter, Tale statutum fieri non posse. Probatur Primò, Quia tali statuto directè oppugnaretur consilium Christi, tamquam iniquum, & noxium Reipub. Christus enim Matthæi 19. adolescenti diuiti animæ suæ salutem quærenti dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo, & veni sequere me.* Illo autem statuto contrarium præcipitur; nimirum, non des pauperibus, sed relinque consanguineis, etiamsi illi pauperes non sint. Atqui oppugnare consilium Christi, graue peccatum est, continens grauem in Christum irreuerentiam cum tacita quadam blasphemia, quasi consilium Christi sit noxium: idque eò maius peccatum est, quò fit maiori auctoritate, & patet latiùs. Nec refert quòd non sit graue peccatum, si quis nolit sequi consilia Christi, cùm non sint præcepta, sed libera: quia longè aliud est, nolle sequi; aliud volentem sequi, vi impedire. Nemo tenetur ingredi Religionem, aut inire matrimonium: volentem tamen ingredi, vel inire matrimonium, impedire, graue peccatum est.

Secundò, Quisque lege diuina & naturali ius habet, vt non solùm se, sed etiam sua Deo offerat, & sibi amicos de mammona iniquitatis concilier, qui eum, cùm defecerit, in æterna tabernacula recipiant: ad quod etiam Dominus Matthæi 6. vehementer hortatur. Ergo impedire huius Iuris executionem, est vera iniuria, idque in re grauissima. Quare cùm omnis iniuria in re graui sit peccatum mortiferum (vt omnes Doctores fatentur) manifestum est, condere tale statutum quo illius Iuris executio directè impeditur, esse peccatum mortiferum, idque eò maius, quò latiùs patet, & ad plures se extendit. Non enim est iniuria priuata, sed publica, ad omnes personas, quibus Deus sua consilia inspirauerit, & ad omne tempus futurum se extendens. Neque dici potest, Neminem vi impediri: quia lex maximam vim infert, cùm ei non possit resisti.

Tertiò, Qui impedit ne quis Christum heredem faciat, meretur ipse exheres fieri non solùm regni cælestis, sed etiam terreni, & bonorum temporalium, cùm ipse omnia ista à Christo omnium Domino acceperit; vt eleganter ostendit Saluianus lib. 3. de Auaritia: vbi etiam in parentibus & priuatis hominibus acriter reprehendit illam in Deum ingratitudinem, dum liberos Religionem ingressuros priuant sua legitima, ne illam Christo consecrent. Atqui tali statuto ingressurus in Religionem vi impeditur ne Christum bonorum suorum heredem faciat. Pauperum enim causa, est causa Christi, præsertim eorum pauperum qui obsequio Christi peculiariter sunt consecrati: vt constat ex illa sententia Domini, quam in extremo Iudicio in iustos & peccatores proferet; & ex illa clausula: *Quod vni ex his minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25.

Quartò, Tali statuto fit etiam iniuria Ordini religioso; nec vni tãtùm, sed plurimis. Etsi enim fortè Religio talis sit, vt nullum ius habeat ad bona sui Nouitij: tamen verum ius habet, ne quis vi vel fraude impediatur, qui ei aliquid relinquere voluerit. Vnde qui sic impedierit, tenetur in vtroque foro ad restitutionem Religioni: sicut cùm quis vi vel fraude impedit ne testator relinquat mihi legatum; vel ne collator mihi conferat beneficium, tenetur ad reparationem istius damni: vt omnes Doctores tradunt. Itaque qui tale statutum conderet, teneretur ad sarcienda omnia damna, quæ inde Religionibus obuenissent.

Quintò, Tale statutum est contra Ius & libertatem Ecclesiæ & status Ecclesiastici, cuius Religio est pars eximia; ac proinde auctor talis statuti incurrit excommunicationem ipso facto contra violatores Iuris Ecclesiæ pluribus Canonibus statutam, quos omnes renouat Concil. Trid. sess. 25. cap. 20. de Reform. Omitto plurima quæ hic ex sanctis Patribus adferri possent. Videatur Basilius qu. 9. in Quæstionibus fusiùs disputatis: vbi

dicit, esse sacrilegium, talia bona detinere. & q.187. in Regulis breuioribus. Hieron. epist. 8. quæ est ad Demetriadem, & epist. 26. ad Pammachium, Ambrosius lib. 1. Officiorum, Gregorius Homilia 37. in Euangelia, & alij.

Dices, Hasce rationes locum habuisse priscis temporibus, cùm Religiones erant pauperes: non verò hoc tempore, cùm Monasteria sunt opulentissima. alioquin decursu aliquot sæculorum, omnia bona sæcularium transirent ad Religiosos.

Respondeo, Non solùm tunc, sed etiam modò locum habere, quia etiam nunc sunt multæ Religiosę domus verè pauperes, quæ ęgrè suos sustentant, & semper debitis grauantur. Multæ etiam aliæ sunt pauperum caulæ, in quibus consilium Christi possit impleri. Si cauendum ne domus Religiosæ supra modum diuescant: id non ita faciendum, vt tenues non possint assurgere ad iustam mediocritatem.

Sed inquiunt, Etiam tenues satis habent, si non admittant plures quàm possint alere: cur admittunt tam multos? quid opus tot Monachis & Iesuitis? Respondeo, Non admitti ab Ordinibus Religiosis plures quàm opus sit ad finem & ministeria proprij cuiusq; instituti. Vt omittam parum dignum esse animo Christiano, velle præscribere Spiritui sancto, qui propositum Religionis inspirat, & restringi numerum seruorum Dei, & operariorum vineæ Domini, ob res istas infimas, & terrenas, ob modicum alimenti, quo opus habent vt viuant, & Deo & Ecclesiæ seruiant. Addo, manentibus in sæculo, per ingressum fratris vel sororis in Religionem nihil detrahi, sed plerumque plurimum accedere; cùm bona substantiæ pars ipsis relinquatur, ex qua ne teruntium quidem habuissent, si illi mansissent in sæculo.

Neque metuendum ne omnia pęnè sæcularium bona ad Religionem transeant. Satis enim huic periculo iam est prouisum; sat multi inuigilant, ne id aliquando fiat: hæresis, atheia vel politicismus facilè impedient, quibus paucis annis plus Ecclesiæ & Religioni ademptum, quàm multis sæculis accesserit. Denique non est modò idem affectus fidelium in huiusmodi causis, qui olim tempore nascentis fidei in singulis prouinciis fuit.

Dvbitatio xi.

Cui acquirat Religiosus post professionem.

Svppono, Religiosum vel habere beneficium aliquod post professionem; vt Prioratum, Abbatiam, Parœciam, Episcopatum; vel non habere.

87 *Si non habet beneficium.* Nunc Dico Primò, Si non habet beneficium, acquirit suo Monasterio vel Ordini, siue id ei ex industria proueniat, siue ex eleëmosynis, siue hereditaria successione, siue alio modo. Colligitur apertè ex Iuribus suprà citatis, & ex c. 16. Abbates. 18.q.2. vbi dicitur, *omnia quæ Monachus acquisierit, ab eo auferenda, & hæc Monasterio profutura.* Dixi *siue hereditaria successione*; quia nō minùs post professionem succedit ex testamento & ab intestato, quàm si esset in sæculo; nec possunt eum parentes legitima priuare; vt patet L. Deo nobis. §. Hoc etiã, de Episcopis & Clericis. ex qua L. etiam patet, nec ob ingratitudinis culpam in sæculō admissam priuari posse: & meritò, quia hæc insigni illa vitæ mutatione videtur abstersa. idem patet ex cap. Non liceat. 19.q.3.

Potest Monachus iure communi succedere ab intestato.

Dices, Quomodo potest succedere, cùm sit incapax dominij, & omne ius in Monasterium sit translatum?

Respondeo, Non habet ius vt in suum commodum succedat aut sibi aliquid acquirat; hoc enim totum in Monasterium translatum est; retinet tamen ius succedendi in commodum Monasterij, vt illi acquirat. Hinc fit vt Monasterium possit adire vel repudiare talem hereditatem etiam ignorante vel inuito Religioso. Imò si hereditas aliqua ante mortem Religiosi delata sit & nondum adita, potest Monasterium etiam post mortem illius eam adire, vt docet Couarruuias cap. 1. de testamentis, num. 31. ratio est, quia ius adeundi ante mortem ipsius, Monasterio erat acquisitum, quod proinde per mortem ipsius non amittit. Religiosus autem ipse sine consensu Superioris validè illam adire non potest.

Religiosus cōparatur partim seruo, partim filiofamilias.

Hinc Religiosus in acquirendo partim comparatur seruo, partim filiofamilias. Seruo, in eo cui acquiritur; quia sicut seruus non acquirit sibi sed domino, ita Religiosus acquirit non sibi sed Monasterio. Filiofamilias, in modo acquirendi; quia sicut hereditas vel legatum delatum filio, potest acceptari à patre, ignorante vel inuito filio; ita Religiosi delatum potest acceptari à Monasterio inuito Religioso. Hereditas tamen delata seruo non acquiritur domino, inuito seruo. vide Nauarrum comment. 2. num. 4. & 30. & Molinam disput. 140. vbi alios refert.

88 *Ius succedendi quomodo reuiuiscat.* Circa prædicta Notandum Primò, In Ordinibus, qui non habent ius succedendi, etsi Religiosi aliis modis possint acquirere Monasterio vel Ordini, non tamen successione ab intestato. nam per professionem omne tale ius amittitur, & quodammodò extinguitur; quamuis non omnino irrecuperabiliter. nam si cōtingat talem Religiosum transferri ad alium Ordinem, qui capax sit, reuiuiscet hoc ius in commodum illius Ordinis. & incipiet illi acquirere successione ab intestato. vnde non tam fuit extinctum quàm cōsopitum. Sed hoc intelligendum de hereditatibus, quæ post transitum ad alium Ordinem deferuntur, non autem de iis, quæ antè obtigerunt; vt docet Couarruuias cap. 1. de testamentis, num. 28. & tribus sequentibus. Idem dicendum si talis Religiosus fiat Episcopus, vt patet cap. Statutum. 18. q. 1. & docet Siluester Religio 4. quæst. 10.

89 *Regularis ab obedientia exemptus cui acquirit.* Notandum Secundò, Quosdam docere, eos Regulares, qui Summi Pontificis priuilegio sunt exempti à potestate Prælati, & foris viuunt, acquirere non Ordini, à cuius obedientia sunt exempti, sed Pontifici; idque siue acquirant ex aliqua pensione ipsis à Pontifice concessa, siue ex eleëmosynis, siue sua iuduſtria, siue successione hereditaria. quæ sententia est satis rationi consentanea. Nauarrus tamen, qui pro hac sententia citatur, comment. 4. de Regul. num. 68. id non docet, sed contrarium, nempe talia acquiri Monasterio. Sed spectanda est consuetudo recepta.

90 *An ex delicto & contractu Monachi teneatur Monasterium.* Notandum Tertiò, Etiamsi Monachus acquirat Monasterio, Monasterium tamen non teneri ex delicto Monachi, quamuis sit Prælatus; nisi quatenus inde aliquid conuersum est in Monaste-

rij

rij commodum, cap. Delictum.76. de regulis Iuris, in 6. vbi dicitur, *delictum personæ in damnum Ecclesiæ non esse conuertendum*. Ex contractu etiam Monachi non tenetur, nisi quatenus tacitè vel expressè ei commissa est aliqua administratio. Si vlteriùs suo vel Monasterij nomine contrahit, probabile est obligari naturaliter, ac teneri dare operam quantum in se est, vt Prælatus approbet. Est tamen in potestate Prælati, contractum ratificare vel irritare, prout commodius ipsi fuerit, vt docet Nauarrus comment. 2. nu. 42. Vnde is cum quo contraxit, non potest resilire, si Prælatus contractum approbet.

Contraria tamen sententia, scilicet ex tali contractu non nasci obligationem naturalem in Religioso, nisi damnum intulerit, est etiam valdè probabilis, & plurimorum Doctorum, quos citat Nauarrus. Iuxta quam dici potest, eum cum quo contraxit, non teneri, & posse resilire, nisi post approbationem Prælati ipse quoque ratificet. vide suprà cap. 17. dub. 8.

91 *Si beneficiarius.* Dico Secundò, Si Religiosus habet beneficium extra suum Monasterium vel Ordinem, acquirit non Monasterio, sed beneficio. Est communis sententia DD. colligitur cap. 1. Statutum. 18. q. 1. vbi dicitur, *Religiosum prouectum ad Episcopatum acquirere non Monasterio, sed Episcopatui.* Idē dicendū si ad Abbatiam extra suum Monasterium, vel ad Prioratum aut Parœciam, etiam illi Monasterio subiectam; vt docet Nauarrus comment. 2. n. 6. Vnde Prælatus non potest illi pensionem de nouo imponere, vel fructus in vtilitatem Monasterij conuertere, quia ad beneficium pertinent; vt idem docet. Nec obstat quòd tale beneficium sit manuale, id quod nutu Superioris dari & auferri possit; quia quamdiu obtinetur, ipsi acquiritur, non Monasterio. si tamen iure vel consuetudine aliqua pensio annua Monasterio soluenda tali beneficio sit imposita, hanc exigere potest.

92 *An omnia beneficio.* Petes, Vtrùm omnia, quæ promotus ad beneficium extra suum Monasterium vel Ordinem quouis modo acquirit, cedant beneficio.

Respondeo, Si sit Episcopatus, omnia cedunt beneficio; etiam ea quæ successione vel donatione obtinet. Insinuatur d. cap. Statutum: & meritò, quia ab Ordine suo est exemptus. Idem dicendum si est Abbas vel Prior in alieno Monasterio; quia tunc est exemptus à suo. De ceteris est distinguendum: si enim habet Parœciam, vel Canonicatum, vel aliud beneficium, quod habeat corpus bonorum seorsim ab aliis, tunc omnia cedent beneficio. Si autem beneficium non habeat corpus distinctum; tunc ea quæ proueniunt ex beneficio, cedent beneficio; quæ verò aliunde, Monasterio. Ita Nauarrus comment. 4. de Regul. num. 69. hoc modo concilians opinionem Bartoli in L. Seruus communis. 7. de stipulat. seruorum, (vbi dicit Bartolus, Regularem beneficiarium ea quæ ex beneficio accepit, acquirere ipsi beneficio; ea quæ aliunde, Monasterio) cum opinione communi Canonistarum, qui dicunt omnia acquiri beneficio, nihil Monasterio.

93 *Regularis beneficiarius an possit disponere de fructibus.* Ex prædictis infert Nauarrus comment. 2. de Regul. n. 10. & 11. & tract. de reditibus Eccles. q. 3. monito 25. Regularem beneficiarium posse disponere de fructibus beneficij ad honestam sustentationem sui, & ad pias causas, perinde ac sæcularis potest de fructibus beneficij sui; & addit id firmè tenendum. Primò, Quia est sententia Card. Zabar. à toto orbe vsu recepta, & à nemine in theoria reiecta. Secundò, Quia apertè insinuatur Clement. 2. §. Sed & tales, de vita & honestate Clericorum: vbi ponitur differentia inter Regularem simplicem & beneficiarium, quòd hic absque facultate Superioris possit immediatè in opera pia impendere, ille non possit. Tertiò, Quia omnis titulus canonicus beneficij tribuit facultatem disponendi reditus in sui congruam sustentationem & opera pia. qui enim est administrator beneficij, est etiam administrator fructuum. Quartò, Quia Prælatus non potest illos fructus aut eorum partem mensæ suæ applicare, nec imponere nouas pensiones aut antiquas augere, vt expressè habetur Clement. 1. de suppl. neg. Prælatorum. quod intelligendum de omnibus Prioratibus, administrationibus, alijsque beneficijs, quæ mensæ Abbatis non sunt vnitæ, & à proprijs Rectoribus administrari solent, etiam si illi ad nutum Abbatis reuocari possint, vt ibidem dicitur; vt tacitè insinuatur & supponitur, fructus horum administrandos esse ab ipsis beneficiarijs.

Hæc sententia est certa, si loquamur de Regularibus, qui præsunt, & non subsunt Prælato Regulari à quo in alijs regantur; vel de ijs, quibus à Summo Pontifice collatio est facta. Verùm non est ita certa de alijs, qui ad nutum Prælati possunt amoueri. etsi enim Prælatus non possit imponere beneficio pensionem; tamen postquam ex beneficio inferior fructus aliquos percepit, quos in commodum suæ Ecclesiæ non erat impensurus, non videtur à ratione alienum vt Prælatus de illis possit statuere, vel præscribere modum expendendi. vnde Franciscus Sarmiento defensionis suæ parte prima, monito 11. contrarium tenet. Sed Nauarri sententia videtur verior, nisi priuilegio vel consuetudine memoriam hominum superante contrarium alicubi sit receptum. Idem docet Nauarrus cum limitatione & distinctione supradicta de omnibus alijs, quæ Religiosus beneficiarius aliunde acquirit. vide consil. 70. de Regul. Vbi tamen Religiosus amotus fuerit, non habet ampliùs administrationem. vnde si quid pecuniæ secum attulerit ad Monasterium, subest dispositioni Prælati. 94 *An sententia Nauar. sit certa.*

Dvbitatio xii.

Quorum beneficiorum Ecclesiasticorum sint capaces.

Dico Primò, Regularis est capax beneficiorum regularium sui Ordinis; vt sunt Abbatia, Prioratus conuentualis, Prioratus claustralis, Præpositura, Parœcia Monasterio annexa. nam vt Clement. 1. de supp. negl. Prælat. dicitur, *Beneficia regularia Regularibus conferenda sunt.* Imò sæculari clerico beneficium, quod per se regulare est, conferri non potest; quia iure incapax: nisi auctoritate Summi Pontificis; qui etiam idcircò non confert ea nisi in Commendam; quo modo videmus passim conferre Abbatias & Prioratus. quod autem sola annexione regulare est, vt sunt quædam Parœciæ, potest conferri sæculari, si regularis non reperiatur idoneus. 95 *Est capax beneficij regularis.*

96 *Etiã quorumdam secularium. 1. Episcopatus.*

Dico Secundò, Est enim Iure communi capax quorumdam beneficiorum sæcularium.

Primò, Episcopatus, vt apertè habetur cap. Nullus Religiosus. 28. de electione, in 6. vbi etsi Pontifex, vt Religiosus sit capax Abbatiæ, requirat vt sit expressè professus; addit tamen, id non esse necessarium vt possit eligi ad Episcopatum.

Vbi notandum est verbum *eligi*, quo significatur, Iure communi esse idoneum. Si enim aliquid obstaret, non posset eligi, sed solùm postulari; cap. finali, de postulatione Prælatorum: de quo vide Siluestrum Religio 7. quæst. 6. Idem patet ex cap. Quorumdam. 24. de electione, in Sexto, vbi etiam statuitur, vt nemo ex Ordine mendicantium aliquid iuris sibi acquirat ex electione, postulatione, prouisione, ad aliquam extra suum Ordinem Prælaturam, in discordia.

97 *Requiritur facultas Prælati.*

Aduertendum tamen, non posse Religiosum, qui sub potestate Prælati est, consentire in electionem vel promotionem sui ad Episcopatum, vel ad aliud beneficium extra suum Monasterium, nisi petita & obtenta licentia sui Prælati; alioquin consensus est inualidus; & in pœnam illius præsumptionis, electio ipso facto est irrita; vt habetur cap. Si Religiosus. 27. de electione, in Sexto. Posset tamen Prælatus cogi per Superiorem ad concedendam facultatem, si necessitas vel vtilitas Ecclesiæ postularet, vt docet Glossa in illud cap. v. Obtenta, referens Tancredum & Bernardum; & Siluester suprà q. 3. & 4. Vel potiùs eo casu recurrendum esset ad Summum Pontificem, vt ipsemet, qui est Superior omnium Prælatorum Regularium, facultatem concedat. Porrò vt Prælatus consensum validum ad hoc præbeat, non opus est consilio aut consensu Conuentus, quamuis id vnum sit ex grauioribus Monasterij causis: ita enim expressè statutum est dicto cap. Si Religiosus. §. Quia verò; idque *vt ordinationes Ecclesiarum ac Monasteriorum, in quibus tales electi exiterint, celeriùs & faciliùs valeant expediri*, vt idem Pontifex ait.

98 *2. Cura animarũ.*

Secundò, Est capax curæ animarum. patet ex cap. Doctos. 21. & multis sequentib. 16. quæst. 1. ex quibus constat, à temporibus Ambrosij consueuisse Monachos ad curam animarum assumi. quòd si Monachi, qui ex Instituto vacant tantùm contemplationi, possunt ad talia beneficia promoueri, etiam possunt Mendicantes, & alij Regulares; quorum functiones isti officio sunt magis affines. Idem tenet Siluester Religio 7. quæst. 4. ex Panormitano. quod intellige, nisi aliquod particulare statutum Ordinis obstet.

Vbi notandum, Si hoc beneficium pleno Iure subsit Monasterio, non requiri auctoritatem Episcopi vt Religiosus promoueatur; sed sufficere voluntatem Prælati Regularis, qui etiam quando placuerit, potest illum amouere, & alium substituere. posset tamen inferior excipere, si probare posset malo animo fieri, vt tradit Nauarrus lib. 3. consil. tit. de Regul. consil. 20. num. 15. Episcopi tamen est illum examinare & visitare, vt patet ex Concilio Trident. sess. 7. cap. 7. & 8. & sess. 24. c. 3. & 18. de reformat. nisi forte Prælatus Regularis ibi iurisdictionem quasi Episcopalem exerceat; nam iis locis ipsius est examinare ad beneficium parochiale, & approbare confessarios: quod & vsus ipse confirmat, cui Episcopi non contradicunt; & ratio quoque probat; nam talis actus est iurisdictionis, non Ordinis: quare cùm ille Prælatus iurisdictionem habeat Episcopalem in suis locis seu terminis, ita vt subditi ipsius non agnoscant vllum superiorem illo in spiritualibus præter Summum Pontificem, non est cur illi potestas ad talem actum denegetur. qua de re vide nostrum Suarem tom. 2. de Sacramẽtis, disput. 28. sect. 5. Si autem beneficium non subsit Monasterio, præter consensum Prælati requiritur & auctoritas Episcopi vt promoueatur; nec posset à Prælato puniri aut deponi, quia exemptus est à eius iurisdictione, & subiectus Episcopo. Colligũt Doctores ex cap. 31. In parœcia. 16. q. 1. vide Siluestrum Religio 7. quæst. 11. Quo casu veluti reiectus est à Monasterio, nec ampliùs eius commodis frui potest, nec habet vocem actiuam nec passiuam in Capitulo, vt docet Panorm. in cap. 2. num. 3. de statu Monachorum. transiatus enim est à Monasterio ad beneficium sæculare. Vnde sequitur, ipsum etiam non habere ius reuertendi ad Monasterium & pristinum locum occupandi, etiamsi deposito onere reuerti velit. sicut enim per translationem illam factum est, vt Prælatus & Conuentus nihil in ipsum iuris habeant, nec possint illum reuocare: ita etiam ipse ius redeundi amisit; vt vtrimque sit paritas: vt apertè colligitur ex Can. Ne pro cuiuslibet. 16. q. 1. vbi Gregorius I. statuit, vt si quis Monachorum ex aliquo Monasterio ad clericatus officium vel sacrum Ordinem accesserit, non ibi aliquam vlteriùs habeat potestatem. Idem expressè tenet Nauar. comment. 3. de Regular. nu. 46. sub finem. & alij passim. Sanè graue onus esset Monasterio, si iam senes, fractos, inutiles officijs monasticis, & moribus sæpè parum religiosis, aut noxijs, teneretur recipere.

Si Prælatus habeat iurisdict. Episcopalẽ.

Sed quid dicendum, si beneficium ita sit annexum Monasterio, vt debeat à Religioso administrari; Abbas tamen non possit conferre, sed solùm præsentare vnum ex suis Religiosis, & institutio fieri debeat ab Episcopo? Videtur enim tunc Religiosus ille beneficiarius exceptus ab obedientia Abbatis, nec posse ab illo reuocari. Resp. Ita sanè videri; quia non est pleno iure subiectum Monasterio, sed solùm quoad Ius patronatus actiuum & passiuum, vt ita loquar, id est, vt Monasterium præsentet & præsentetur. Vnde cùm Prælatus regularis non possit conferre, sed solùm præsentare, non videtur posse auferre. & ita tenet Nauarrus in cap. Non dicatis. num. 7. Hoc tamen limitauerim dupliciter. Primò, nisi aliter in ipsa annexione vel institutione fuerit constitutum; nempe vt Religiosus ille non sit omnino ab obedientia sui Prælati exemptus, & ex causa reuocari ad Monasterium possit. alioquin huiusmodi annexiones essent valdè damnosæ Monasterijs, & daretur Religiosis illis beneficiarijs occasio dissolutioris vitæ. Secundò, nisi Prælatus ius illud iam legitimè præscripserit seu vsuceperit. sufficit autem ad hoc possessio 40. annorum, si nimirum Abbas tanto tempore putauerit bona fide se hoc ius habere, gerendo se tamquam Superiorem erga illum Religiosum; & ille Religiosus se erga Abbatem tamquam suum Superiorem gesserit, habueritq; recursum ad Monasterium tamquam filius Monasterij: vel si Abbas intereà aliquoties vsus fuerit auctoritate reuocandi, & nemo se opposuerit.

Tertiò,

99 3. *Dignitatis.*

Tertiò, Est capax dignitatis in Ecclesia sæculari, vt Præposituræ, & Decanatus, si propriè habent curam animarum sæcularium; quia ratione huius curæ, ad quam Religiosi in primis videntur idonei, iure illis concessum est vt possint beneficia habere.

Canonicatus.

Si verò non habent curam animarum nisi respectu Capituli, dubium est. Tamen probabile est esse capacem, quia nusquam prohibetur. Ita Siluester, Religio 7. qu. 4. & 6. ex Panormitano, & meritò, quia hic etiam ratio curæ & doctrinæ (ob quæ concessum est illis à Iure beneficia obtinere) locum habet. Ad hoc tamen & alia sæcularia beneficia non est Regularis promouendus, nisi necessitas vel magna vtilitas Ecclesiæ postulet, ne & Monasteria præcipuis viris spolientur, & ambitioni porta aperiatur.

Ad Canonicatum & alia beneficia sæcularia Iure communi non sunt habiles. Ita communiter DD. & Panor. in cap. Super eo. 9. de Regular. & in cap. Quod Dei timorem, de statu Monach. Ratio est, quia in beneficiis simplicibus cessat ratio curæ & doctrinæ, ob quam promotio Regularis ad Ecclesiam sæcularem est concessa, vt notat Panorm. in d. cap. Quod Dei timorem. 5. Vnde nec Episcopus in eo dispensare potest. Accedit, quòd hac ratione daretur occasio otij & mollioris vitæ, contra professionem regularem.

DVBITATIO XIII.

Vtrùm Regularis ex suo Ordine possit ad alium transire, & qua ratione.

D. Thom. quæst. 189. art. 2.

100 *Possunt transire ad arctiorem.*

DIco Primò, Omnibus Regularibus Iure concessum est, vt possint ad Religionem arctiorem transire; cap. Licet. 18. de Regularibus. hoc tamen non est laudabile, nisi ob notabilem necessitatem vel vtilitatem. Primò, Quia monet Apost. 1. Cor. 7. *vt quisque in vocatione in qua vocatus est, permaneat*; quod maximè locum habet in statu perfectionis. Secundò, Quia ex hoc transitu plerumque scandalizantur illi qui relinquuntur. Tertiò, Quia faciliùs quisque proficit in Religione in qua consueuit, quàm in alia, cuius consuetudines illi sunt peregrinæ & insolentes, vt notat D. Thomas 2. 2. qu. 189. art. 8. Quod confirmatur sententiâ Abbatis Nesterotis apud Cassianum collat. 14. cap. 5. *Cuique vtile est*, ait ille, *vt secundum propositum, quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat.*

An debeat esse absolutè perfectior.

Dico *arctiorem*, non perfectiorem, quia in hoc transitu non quæritur vtra sit absolutè perfectior; (etiamsi D. Thomas suprà, Siluester & alij quidam Doctores contrarium non improbabiliter tenere videantur) sed vtra arctioris obseruantiæ, in qua tutiùs & meliùs possit salutem suam operari, vt colligitur ex dicto cap. Licet. & tenent communiter Canonistæ. Hinc permittitur omnibus Religiosis, etiam Mendicantibus, transitus ad Ordinem Carthusianorum, vt habetur Extrauagante Martini IV. quæ incipit, Viam ambitiosæ, in communibus; quamuis absolutè hic Ordo non sit omnium perfectissimus. Non est tamen necesse vt illa Religio in omnibus sit arctior; nam Religio Minimorum in victu est arctior quàm Carthusianorum, quia non vtitur ouis nec lacticiniis; & tamen possunt huius cultores, cùm numerentur inter Mendicantes, transire ad Carthusianos. Idem dicendum de Cappucinis. Religio tamen Carthusianorum est arctior in silentio, & solitudine, & Officij diuini prolixitate.

Omnes possunt transire ad Ordinem Carthusianum.

Canonici regulares ad Ordinē Monachorum.

Simili modo permittitur Canonicis regularibus vt transeant ad Religionem Monachorum, vbi disciplina benè seruatur, cap. Sanè. 10. de Regular. quia Monachorum Religio est strictior, vt habetur cap. Quod Dei timorem, de statu Monachorum. Nec obstat cap. Mandamus. 2. & cap. 1. Nullus. 19. quæst. 3. vbi id videtur prohiberi: quia solùm prohibetur ne transitus ille fiat cum detrimento Ecclesiæ, vel ex ira, odio, leuitate animi, aliáve perturbatione, vt ibidem notat Glossa. Ex Ordine etiam Cluniacensium possunt transire ad Cistercienses, cap. Licet; de Regular. Denique sicut Mendicantes possunt transire ad Carthusianos, ita vicissim Carthusiani ad Mendicantes; vt docet Nauarrus tit. de Regular. consil. 68. Siluester Religio, 4. quæst. 6. Paludanus in 4. dist. 38. quæst. 3 art. 1. vbi probat, ex omni alia Religione Iure communi posse transiri ad Ordinē Prædicatorum. Idem docet D Antoninus 3 p. tit. 16. cap. 4. §. 4. citans Ioannem Dom. & Monaldum, qui dicit se vidisse Parisiis determinationem factam per Doctores Vniuersitatis illius, fratrem Carthusianum posse Iure communi transire ad Ordinem Prædicatorum regulariter viuentem. Idem docet D. Bonauentura Opusc. Determinatio qq. circa Regulam S. Francisci, c. 12. vbi dicit, ex quolibet Ordine posse Iure communi Religiosum transire ad Ordinem S. Francisci. Hæc sententia est probabilis, & maximè procedit iuxta opinionem S. Thomæ & aliorum Theologorum, qui putant in transitu isto non tam spectandam austeritatem & solitudinem, quàm perfectionem Religionis & fructum: atqui Religio Mendicantium est perfectior, vt probat Palud. & Anton. suprà, quia est Religio Christi & Apostolorum; nobilissimam & Deo gratissimam functionem, nimirum procurationem salutis animarum, miscens contemplationi. Hæc intellige de Religione vbi disciplina viget, & transitus sine lite aliove graui incommodo fieri potest.

Carthusiani ad Mendicantes.

Hîc tamen aliqua sunt notanda, Primò, Vt hic transitus fiat matura deliberatione, & studio melioris vitæ. Secundò, Vt petatur licentia à Prælato, (ne obedientia contemni videatur) qui tenetur eam dare. si non det, hoc ipso Ius concedit; vt habetur dicto cap. Licet. Si non petita facultate transeat, potest reduci ad prius Monasterium, vt faciat quod Iure debet, iuxta Nauarrum de Regularibus, consilio 59. Si tamen non leuitate animi, sed matura deliberatione transiuit, non est reducendus, vt alij tradunt, & colligitur cap. Sanè, de Regularib. Tertiò, Vt Monasterium ad quod transit, non solùm Instituto, sed etiam vsu & obseruatione sit arctius. Ideò enim fit commutatio, vt ibi sanctiùs & tutiùs viuat. Quartò, Debet explere annum probationis, vt docet Nauar. lib. 3. consil. de Regular. consil. 3. quia Concilium Trident. generatim hunc annum requirit. quo expleto debet profiteri, & iuxta ordinem

101 *Conditiones requisitæ in trāsitu.*

huius

huius professionis obtinebit locum in Capitulo. vt idem docet consil.60. quod intellige, si transit ad Ordinem distinctum, vel ad Monasterium sui Ordinis in quo arctior disciplina. Si transeat vt sit Prælatus, sufficit professio tacita, nec requiritur annus probationis: imò non videtur requiri professio noua, quia substantialia sunt eadem: & ad cetera satis censetur obligari ea lege & consuetudine, qua Prælati Regulares tenentur se communi regulæ & statutis loci conformare. Ita tenet Fredericus apud Nauarrum consil.3.

102 *Ad laxiorem.* Dico Secundò, Possunt etiam Regulares, si iusta causa subsit, cum facultate Prælati transire ad Ordinem laxiorem. Ita docet Panormitanus in cap. Non est.7.& cap. Significatum.11.de Regular. Innocent. ibidem, Hostiensis in Summa, Siluester Religio 4. quæst.2. Nauarr. comment.4. num.11. vbi prædictos citat. Idem tenet Glossa in d. cap. Non est, de Regular. & vsus ipse confirmat.

Dico, *si iusta causa subsit*, quia sine causa nec Pontifex concedere potest; nam interuenit quædam votorum relaxatio, quæ sine causa validè fieri nequit. Cùm autem transitur ad strictiorem, vel illa est absolutè perfectior, & sic solùm fit commutatio in melius, in qua non est opus relaxatione; vel solùm est arctior, & sic etiam fit aliqua votorum relaxatio, quia liberatur ab obligatione operum perfectiorum, eaque commutantur in obligationem operum pœnitentiæ, quæ minùs sunt perfecta, quamuis illi ob fragilitatem magis salutaria. Causæ iustæ sunt; Primò, Si collapsa disciplina in strictiore. Secundò, Si odia & simultates in ea vigeant. Tertiò, Si ipse aliis exosus. Quartò, Si ob corporis debilitatem non possit ferre rigorem. *Causa iustæ.*

Dico, *cum facultate Prælati*, quia quando transitur ad Religionem laxiorem, non sufficit petiisse facultatem, sed oportet obtinuisse: nam Ius non aliter hoc concedit. non tamen si absque facultate dimisso habitu transeat, censetur apostata, vt quidam volunt: quia non deserit absolutè statum religiosum, sed commutat. *Si absque facultate.*

Vtrùm verò incurrat excommunicationem, dubitari potest. Quidam affirmant, ob cap.2. Ne Clerici vel Monachi, in 6. ita Nauarrus cap.27. Enchirid.num.131. in fine, citans Siluestrum & Caiet. Sed contrarium verius ob similem rationem: quia non tam dimittit, quàm commutat habitum Religionis, præsertim quando immediatè assumit alium, neque id facit causâ euagandi, quæ fuit ratio tam seuerè id prohibendi. vnde cùm lex pœnalis strictè sit interpretanda, non videtur extendenda ad hunc casum. Sic tenent Angelus v. Religiosus, numero 37. Dominicus, & Ioannes Andreas in cap.2. Ne Clerici vel Monachi, in 6. Panormitanus in cap. Sanè, de Regularibus, & colligitur cap. Ex parte.10. de tempor. ordin. *Non incurrit excommunicat.*

Petes, Quis possit dare hanc potestatem?

103 *Quis dat hanc facultatem.* Respondeo, Si Monasterium est subiectum Episcopo, hic dare potest. Si est exemptum, Prælatus, qui iurisdictionem quasi Episcopalem in suos habet, dare potest; cum consensu tamen Capituli. Ita Siluester Religio 4. quæst.2. & Glossa in cap. Non est dubium. de Regular. Consensus Capituli requiritur, quia hæc res est vna de maioribus negotiis Monasterij, in quibus iuxta regulam & Canones requiritur Capituli consensus.

Dices, Concil.Tridentinum sess.25.cap.19. decernit, vt nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem. *Obiectio.*

Respondet Nauarrus libro 3. consil.56. de Regular. mentem Concilij esse solùm prohibere ne id fiat absque iusta causa, & sine consensu Conuentus, aut non præmissa causæ cognitione, vt olim interdum fiebat, quibusdam Prælatis id suo arbitratu concedentibus. *Resp.*

Notandum tamen est, Mendicantes Iure communi, etiam cum facultate sui Generalis non posse transire ad non Mendicantes (præterquam ad Carthusianos) absque facultate Pontificis: si contrà fecerint, tam recipientes quàm recepti sunt ipso facto excommunicati, & professio est irrita; vt patet Extrauag. 1. de Regular. quæ incipit, Viam ambitiosæ; in communibus. hæc tamen non videtur recepta; nam Nauarrus consilio 56. de Regularibus absolutè docet, Generalem Ordinis S.Augustini posse facere potestatem trãseundi ad Religionem laxiorem, ex iusta causa; idque probat Iure communi, nec meminit huius Extrauagantis, vel certè illa Extrauagans agit de iis qui iustam causam non habent: quod insinuatur illis verbis, *fucatis coloribus, & vt liberius degant, & beneficia monastica consequi valeant.* 104

Dixi *Iure communi*, quia interdum Generales ex priuilegio possunt dare hanc licentiam.

Circa Mendicantes illud quoque aduertendum; si aliquis ex Mendicantibus transeat ad Carthusianos, vel ad alium Ordinem non mendicantem, etiam cum facultate Pontificis, redditur inhabilis ad omnes dignitates & beneficia intra vel extra Ordinem obtinenda, ad curam animarum, & ad omnia officia, etiam nomine vicario, seu vt locum tenens; & caret loco, & voce actiua ac passiua in Capitulo, vt patet Clementina 1. Vt Professores, de Regularibus, vbi sub nomine officij DD. intelligunt etiam officium prædicatoris. quidam & lectoris Theologiæ; hæc enim omnia dicuntur in Religione officia. Adde, generatim omnes Religiosos translatos ad aliam Religionem, etiam arctiorem, esse incapaces beneficiorum sæcularium, etiamsi curata sint; & debere perpetuò manere in claustro sub obedientia Superioris. Ita statuit Concilium Trident. sess.14. cap.11. Notandum tamen, Ordini Carthusiensium à Iulio II. concessum priuilegium, vt non obstante hac Clementina, possint illi qui ex aliis Ordinibus etiam Mendicantibus ad eos transierint, fieri Superiores, & habere vocem actiuam & passiuam in Capitulo etiam Generali, sicut alij eiusdem Ordinis. 105 *Mendicantes transeuntes, inhabiles ad officia, &c.* *Omnes translati incapaces beneficiorum sæcularium.*

Dvbitatio XIV.

Vtrùm Religiosus ob aliquas causas possit eiici vel dimitti à Religione, & ob quas.

Dico Primò, Certum est, Religiosum ob aliquas causas posse expelli è Religione. Est contra Cardinalem Zabarel. qui, vt tradit Nauarrus, commentario 2.num.33. docuit, ob nullum 106 *Potest expelli.*

lum crimen expelli posse, sed carceribus includendum.

Probatur Primò, Ex praxi omnium Religionum. Secundò, Quia Regula S. Augustini, c.20. & B. Benedicti cap. 28. expressè tradunt posse eiici, si nolit emendari. Tertiò, Regula S. Benedicti cap. 29 habet, Monachum tertiò fugientem, non esse ampliùs admittendum, quod perinde est, ac si reuersum expellas. Quartò, idem præsupponitur in cap. vlt. de Regular. vbi Glossa & Panormitanus id expressè tradunt. Idem habetur cap. Cùm ad Monasterium 6. de statu Monachorum. Ratio est, quia melius est vt pereat vnus, quàm vnitas, vt inquit S. Bernardus. & cap. Resecandæ. 24. quæst. 5. ex Hieron. dicitur: *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant.* Vnde in Repub. sunt exilia, & in Ecclesia excommunicatio. Itaque hoc Ius ex naturali Iure descendit. Carcere autem omnes tales concludere, nimis graue onus Religioni, & sæpè propter amicos fieri non potest, multaque alia incommoda secum trahit.

Causæ expulsionis.

Causæ autem sunt, Primò, Nolle corrigi seu emendari. hæc sola Iure communi expressa. Secundò, Commisisse aliquod crimen, propter quod in illa Religione constituta est eiectio, vel ratione cuius timetur infamia Ordini: sicut enim Ordo non tenetur retinere subditum cum damno disciplinæ, quando est incorrigibilis; ita neque cum damno famæ, si suis sceleribus factus sit infamis. Tertiò, Tacuisse aliquod impedimentum, quod in illa Religione censetur essentiale, vel valdè graue. Ratio est, quia dolus dedit causam admissioni; ac proinde Monasterium non tenetur eum retinere. Nec refert quòd hæ dictæ causæ non sint Iure expressæ, quia sufficit illas approbatas esse à Iuris auctore Sede Apostolica, & cognitas cuilibet ante professionem. accedit quòd sint consentaneæ Iuri Gentium & naturali.

107 *An peccet contra iustitiam.*

Petes, Vtrùm si Religio aliquem dimittat absque iusta causa, peccet contra iustitiam.

Respondeo, Si ille est professus, & recusat dimitti, fit ei iniuria, & Religio iustitiæ lege tenetur eum recipere. Ratio est, quia professio est contractus reciprocus, vt suprà ostentum est, per quem sicut Religiosus obstrictus est Ordini ad manendum & perseuerandum, ita Ordo vicissim obligatur ad illum retinendum, & tractandum tamquam filium, nisi contingat illum Ordini esse noxium.

Si verò nondum est professus, factus tamen est Religiosus per tria vota substantialia, fieri potest vt absque vlla iniuria dimitti queat, etiamsi alia causa non subsit, quàm quòd temporis decursu deprehenditur illi Ordini minùs conueniens. Ratio est, quia statui potest vt vota illa, quibus efficitur Religiosus, habeant tacitè vel expressè hanc conditionem, Si Religio me retinere voluerit: quo posito, etsi ipse obstringatur Ordini, & in ius eius transeat, Ordo tamen non obstringitur illi ex vi acceptationis voti, & contractus, qui in admissione initur. Vnde quantum est ex vi huius contractus, potest ille absque iniuria dimitti; quamuis ipse ex parte sua obligatus sit ad perseuerandum.

Quòd autem hoc absque vlla iniuria statui possit, Probatur Primò, Quia qui admittuntur, sciunt & acceptant, tale statutum ab initio: at scienti & volenti non fit iniuria, vt habet Reg. Iuris 27. in Sexto. Secundò, In multis euentis lure fieri potest vt non sit vltrò citroque obligatio in contractu, sed solùm ex altera parte, quando causa subest.

Multi casus in quibus non est vltrò citroq; obligatio.

Primò, In contractu sponsalium impuberis cum pubere; nam puber resilire non potest; impuberi verò, vbi ad pubertatem venerit, licitum est à contractu recedere, vt communiter tradunt Doctores, & habetur cap. 7. De illis. 1. de desponsatione impuberum.

Secundò, In contractu pupilli sine auctoritate tutoris, & in contractu minoris inito cum maiore sine auctoritate curatoris. hi enim possunt maiorem sibi efficaciter obligare, etsi ipsi non possint obligari illi; vt expressè habetur Institut. de auctoritate tutorum, initio; & §. Pupillus, de inutilibus stipulat & L. Non eò minùs, C. de procuratoribus; de quo dictum suprà cap. 17. dubit. 8.

Tertiò, In contractu sæculàris cum Religioso, teste Nauarro, comment. 2. de Regul. num. 30. & 65. vt ibidem dictum est, & hoc cap. num. 90.

Quartò, In contractu ludentis creditò, cum eo qui præsenti pecunia: hic enim in regno Castellæ post constitutionem Caroli V. si amittat, non potest repetere solutum: ille verò non tenetur soluere, ne quidem in foro conscientiæ, vt tradit Couarruuias ad regulam Peccatum, par. 2. §. 4. num. 8. & Alphonsus Castro libro 2. de potestate legis pœnal. cap. 2. coroll. 2. de quo suprà cap. 26. dub. 2.

Quintò, In professione tacitè facta intra annum probationis, per susceptionem habitus professorum in Ordine non mendicantium, ante Concilium Trident. qui enim ita professus erat, non erat obstrictus illi Religioni: Religio tamen ipsi obstricta erat, ita vt teneretur illum retinere, si ipse manere vellet, vt tradunt DD. in cap. Constitutionem, de Regul. in Sexto.

Sextò, Multis est concessum priuilegium restitutionis in integrum, cum quibus si contrahas, non est par conditio; nam tibi hoc priuilegium non competit. de quo dictum est cap. 17. dubit. 9.

Quòd si in fauorem minoris ætatis, & eorum qui in aliena sunt potestate, & ob similes causas minoris momenti, Iure statui potest hæc inæqualitas, & alteri parti potestas recedendi à conuentione concedi, altera manente obstricta: cur eadem statui non poterit in admissione ad Religionem ob causas maximi momenti; nempe, vt Religio magnis & difficillimis muneribus addicta in Ecclesia, non grauetur personis inutilibus, vel parum idoneis, quique aliis possunt esse impedimento vel scandalo? Sanè longè minus incommodi est tales dimitti, & eorum loco idoneos & selectos suffici, quàm Religionem huiusmodi hominibus grauari, cum magno præcipuarum functionum detrimento. Accedit quòd hac ratione singuli faciliùs contineantur in officio, & meliùs ad suum institutum se applicent, dum vident se posse dimitti, si secùs fecerint. Denique experientia satis probat quàm salutare sit hoc statutum, adeò vt dubitari non possit, quin sit

non

non solùm iustum, sed etiam diuinitus inspiratum: quod etiam satis constat per S. Sedis Apostolicæ & Concilij Tridentini luculentam approbationem.

Dixi *posse dimitti quantum est ex vi admissionis, & illius contractus*; quia si Constitutiones spectentur, non possunt dimitti nisi ob graues causas ibidem expressas. Itaque etsi Religio non obligetur ex vi admissionis, obligatur tamen ex vi Constitutionum.

108 Dices, Si possunt dimitti: ergo non sunt verè Religiosi; quia non habent statum firmum & immobilem. Deinde iniquum videtur, vt postquam renuntiauerint bonis absque vlla spe recuperandi, eiiciantur extra Religionem, & cogantur sibi quærere victum.

Respondeo ad Primum, negando consecutionem. Ad essentiam enim Religionis aut alterius status propriè dicti non requiritur tanta firmitas vt per Superiorem non possis solui; sed sufficit vt teipsum non possis soluere, vt patet in statu seruorum, qui tamen à domino possunt manumitti; & in statu Religiosorum professorum, qui auctoritate Summi Pontificis liberari possunt. Itaque cùm illi seipsos nullo modo possint vinculis votorum eximere, habent eam firmitatem, quæ sufficiat ad statum perpetuum & immobilem. Fateor tamen non habere omnem firmitatem, quam habent professi; sed hæc non est ad essentiam Religionis necessaria, vt suprà dubit. 1. ostensum est. Vide Nauarrum comment. 1. num. 19.

Ad Secundum: Ratione Constitutionum non possunt dimitti sine graui causa: vnde non plus est incommodi, quam in dimissione professorum; & rarissimè contingit vt quis post renuntiationem dimittatur. ob hanc etiam causam interdum permittitur vt renuntiatio ad aliquod tempus differatur.

Dvbitatio XV.

Quid interſit inter eiectum, fugitiuum, & apoſtatam, & ad quid eiectus teneatur, quidve poſſit.

109 *Fugitiuus.* SVppono, *Eiectum* non esse *Apostatam*, nec censeri fugitiuum: *Fugitiuus* enim est, qui sponte discedit, idque vel animo deserendi institutum, & sic est *Apostata*; vel certè vt sit extra potestatem Superioris; & ad tempus liberè vagetur, cum animo redeundi; & sic solùm dicitur *fugitiuus*. *Apostata.* *Eiectus.* Qui *eicitur* non sponte recedit, sed iussus vel compulsus. Itaque qui eiectus vel dimissus discedit, non incurrit excommunicationem, aut alias pœnas apostatarum.

Dimittens habitum. Qui verò fugit dimisso habitu, est excommunicatus; etsi non animo apostatandi id faciat, c. Vt periculosa. 2. ne Clerici vel Monachi, in 6. quia habitum suæ Religionis temerè dimittit. si tamen non dimittat habitum, non est excommunicatus, etsi fugiat ex Monasterio, nisi forte animo apostatandi fugiat: quo casu secundùm quosdam erit excommunicatus, etiamsi habitum retineat.

Sed verius puto Iure communi non esse excommunicatum. nam dicto cap. Vt periculosa, solùm excommunicatur is, qui temerè habitum dimittit. Vnde DD. fatentur quidem talem esse apostatam, quod per se euidens est; (*apostata* enim dicitur à desertione Instituti Religiosi; non autem ab habitus depositione) non tamen dicunt incurrere excommunicationem. Imò Siluester v. Apostasia, quæst. 8. & Caiet. in Summa, eodem verbo, apertè insinuant non esse excommunicatum nisi habitum dimiserit. Confirmatur, quia lex pœnalis non est extendenda vltra verborum proprietatem.

Dices, Si est apostata; ergo incurrit pœnas apostatarum, inter quas est excommunicatio. *Obiectio.*

Respondeo, Posse puniri vt apostatam, videlicet excommunicatione, carceris inclusione, suspensione ab Ordinibus, non tamen incurrit pœnam excommunicationis latæ sententiæ, Iure communi, nisi habitum dimiserit; quod ordinariè fieri solet. *Responsio.*

Dico *Iure communi*, quia quædam Religiones habent priuilegia, quibus ipsarum apostatæ absolutè excommunicantur, etiamsi habitum retineant.

Quod autem ad *eiectos* attinet, quædam hîc sunt notanda. Primò, Si quis solùm eiectus sit ad tempus, vt se emendet, hunc teneri se emendare, habilemque reddere, & tunc rursus se offerre Religioni vt denuò recipiatur. Si verò per sententiam absolutè eiectus sit, non teneri se offerre, imò nec posse compelli per Superiorem Monasterij vt redeat; iuxta Nauarrum consil. 51. de Regularibus, & comment. 2. num. 33. & 36. Ratio ipsius est, quia per sententiam talem, Religiosus desinit esse membrum illius Ordinis, ac proinde eximitur eius iurisdictioni, sicut seruus eiectus à domino, efficitur sui iuris, & desinit esse sub domini potestate. 110 *Eiecti an teneantur redire.* *Sententia Nauarri.*

Si dicas, Cap. vltimum de Regular. (quod est Concilij Lugdun. sub Gregorio X.) iubet vt Visitatores, vel Abbates maiores, vel Priores requirant fugitiuos & eiectos; & cogant Monasteria vt eos recipiant; & si nolint reuerti, eos excommunicent.

Respondet Nauarrus locis citatis, hoc esse intelligendum de eiectis iniustè vel inordinatè, vel saltem non per sententiam definitiuam.

Alij dicunt dispositionem illius cap. non esse ampliùs in vsu: nam ne fugitiuos quidem requirere solent. etsi enim eiecti possint compelli ad reditum per Summum Pontificem, qui etiam statuere potest vt quærantur & reducantur; si tamen hoc statutum non est receptum, vel si contraria consuetudine abolitum, non obligat.

Verius tamen puto, eos teneri reuerti, maximè si à suis Superioribus requisiti fuerint. Probatur Primò, Quia si nolint redire, possunt & debent excommunicari tamquam contumaces, vt expressè habetur d. cap. vlt. de Regular. vbi supponit Concilium eos saltem tunc teneri: non enim illis nouam obligationem imponit, sed eorum Superioribus, vt eos quærant & compellant. loquitur autem de omnibus eiectis & fugitiuis. Secundò, Facto diuortio per sententiam definitiuam, nocens tenetur reuerti, si innocens velit eum in gratiam recipere & sibi reconciliare; vt communiter Doctores tradunt. non enim innocens per diuortium iure suo priuatus est, cùm illud in fauorem ipsius factum sit. quod autem in fauorem alicuius 111 *Verius est teneri redire.*

alicuius inductum est, non debet in eius damnum retorqueri, vt habet reg. Iuris 61. in Sexto. ergo Religiosus per sententiam eiectus tenebitur reuerti, si Ordo illum repetat. sicut enim professio est spiritale coniugium, ita eiectio spiritale diuortium. Tertiò, Quia ex vi votorum & professionis suæ tenetur manere in Religione sua vsque ad mortem: ergo quantum in se est, tenetur id præstare, & impedimenta amouere: ac proinde cùm iam facta sit illi potestas redeundi, tenetur redire, vt soluat quod Deo promisit. Confirmatur, Quia anteà solùm excusabatur per impossibilitatem, eò quòd non esset in ipsius potestate ibi manere: ergo cùm iam id ei factum sit possibile, recurrit vis obligationis. Hanc sententiam insinuat Siluester Religio 6. qu. 12. cùm ait, eiectum cogi posse vt redeat; & D. Bonauentura quæst. 2. in Regulam S. Francisci. Si tamen aliũ Ordinem ingressus fuerit, non tenebitur redire; quia Prælatus hoc ipso quo illum expulit, & habitu priuauit, ei facultatem feciſſe censetur alium Ordinem ingrediendi (non enim cupit illum manere in sæculo) quam reuocare non potest, quando res non est integra.

Non tenetur aliud intrare.

Secundò, Eiectum non teneri intrare aliud Monasterium. Ratio est, quia ad hoc se non obstrinxit. vel enim tenetur redire ad suum, cui erat obligatus; vel ad nullum.

Si vouerat Religionem in genere.

Dices, Quid si anteà vouerat Religionem in genere?

Respondeo, Quidam putant, eo euentu illum teneri ingredi alium Ordinem, si in suo non recipitur; quia manet votum Religionis, cui tenetur & potest satisfacere. Insinuat hoc Sotus libro 7. de Iustitia, quæst. 2. art. 1. ad 3. & quidam alij recentiores.

Sed verius est non teneri. Ratio est, quia hoc votum Religionis in genere, fuit extinctum per professionem factam in hac Religione: omnia enim vota simplicia commutantur in solemnia Religionis; vt suprà c. 40. num. 92. ostensum est. Adde, mentem ipsius non videri fuisse se obligare ad ingrediendam aliam Religionem, si post professionem contingeret eiici ex ista: nisi forte id expresse cogitauerit, & apud se statuerit cùm voueret. quo casu si de eo constaret, putarem debere aliam Religionem capessere, nec posse in sæculo remanere: quia illud votum non fuit per professionem commutatum, cùm nulla ratio commutationis subfuerit. Executio enim eius non concurrit simul cum executione professionis, sed solùm inducitur in locum huius, si contingat hanc impediri.

112 Tertiò, Posse eiectum in sæculo vti veste clericali; quia spoliatus habitu suæ Religionis per sententiam, non tenetur, imò nec potest eo vti; vt docet Nauarrus Comment. 2. num. 36. Superest igitur vt vtatur veste clericali, statui suo conueniente.

Quartò, Non posse acquirere sibi alicuius rei dominium: quia manet verè Religiosus, obstrictus tribus votis substantialibus. Itaque est dominij incapax.

Cui acquirat.

Petes, Cui ergo acquirit? Nauarrus Comment. 2. num. 33. docet non acquirere Monasterio, quia non est amplius illius membrum, nec illi subiectus. sed si exemptus sit, acquirere Summo Pontifici: si non exemptus, Episcopo loci. Hæc sententia est probabilis.

Verius tamen puto cum Molina disputat. 140. ipsum acquirere Monasterio, vel dominium, si est capax; vel saltem commoditatem post mortem suam, si non est capax. Ratio est, quia Monasterium per culpam & punitionem Religiosi, ius suum, quod in bona illius habebat, amittere non debuit. Nec est simile de seruo; tum quia seruus per eiectionem à domino efficitur planè liber, & dominij capax, Religiosus verò minimè: tum quia hic non ita præcisus est à Religione sua, quin teneatur reuerti, si Religio velit; & si se emendauerit, cogi possit Religio illum admittere, nisi iustas causas habeat recusandi.

Verius est acquirere Monasterio.

Infans & seruus expositus.

Dices, Si infans fuerit expositus à parente, eximitur à patria potestate, nec acquirit parenti; similiter si seruus à domino, efficitur liber, vt colligitur cap. vnico, de infant. & languidis; ergo pari modo si Religiosus eiectus fuerit è Monasterio, eximitur iuri illius, nec acquirit illi, sed Pontifici vel Episcopo.

Respondeo negando consequentiam; quia illud statutum est in pœnam crudelitatis parentum & dominorum: pœna autem non debet extendi vltra suum casum; præsertim cùm nulla sit crudelitas aut culpa in expulsione Religiosi. Deinde si hac in re est culpa aliqua, vel illa est in solo Prælato, & sic non debet nocere Monasterio; nam delictum personæ non debet in Ecclesiam redundare, vt habetur Regula 76. in Sexto. Idem dicendum, si est in minore parte Capituli. Vel est in Capituli maiore parte; & sic, etsi Monasterium possit priuari, non tamen priuatum est iure suo ante sententiam. Quòd si beneficium obtinuerit, acquiret beneficio & suæ Ecclesiæ.

De fugitiuis & apostatis dubium non est hos Ordini acquirere; quia Monasterium eos à se non abdicauit.

Quintò, Religiosum eiectum, eorum, quæ ac- 113
quirit, habere administrationem, tum ad alimenta, tum ad pias causas; hæc enim tacitè conceditur dum eiicitur. non tamen potest testari, quia Iure ad hoc inhabilis.

Si expendat in illicita.

Dices, Quid si in illicita expenderit, tenebitúrne accipiens ab eo aliquid ad restitutionem? Videtur teneri, quia ille non est dominus, sed solùm administrator: atqui ob hanc causam obnoxius est restitutioni quod Abbas vel alius Regularis illicitè expenderit, vt suprà dubit. 9. dictum est. Hæc sententia est valde probabilis: nam DD. generatim loquuntur.

Contrarium tamen magis est vsu receptum, idque verius esse docet Molina disput. 276. Ratio est, quia tota commoditas interim dum viuit ita ei relinquitur ac si Religiosus non esset; nec cuiquam curæ est quomodo expendat: nam Monasterium non censet res illius in bonis suis ante eius mortem.

Sextò, Verius est, non recidere in obedientiam 114
Episcopi ex vi sui voti & professionis: etsi Nauarrus multis locis (vt Comment. 2. num. 34. 35. & alibi) contrarium probare nitatur; sed solùm teneri illi obedire, sicut alij de Clero. Ita Molina disputat. 140. & Azor. libro 12. cap. 16. quæst. 11. sic enim toto orbe vsu receptum; nec Episcopi aliquid peculiaris Iuris in illos vsurpant. Ratio est, quia in professione non intendunt se obstringere Episcopo per votum obedientiæ, sed solùm suis Prælatis Regularibus, & Romano Pontifici,

An recidat in obedientiam Episcopi.

qui est omnium Religiosorum communis Superior, cùm ab ipso omnis iurisdictio spiritualis ad illos descendat. Itaque cùm promissio & votum non operetur vltra intentionem promittentis, non tenentur Episcopo ex vi voti; quòd maximè locum habet in iis qui erant ab Episcoporum iurisdictione exempti: nam in non exemptis valdè probabilis est sententia Nauarri, quia ex vi voti subsunt Episcopo. non tamen tenentur se illi offerre vt ipse eos dirigat, & ab ipso in omnibus dependeant, vt vult Nauarrus; quia hunc modum viuendi non vouerunt: sicut nec ad aliam Religionem tenentur; imò nec à Romano Pontifice compelli possunt vt aliam capessant, vt idem Nauarrus docet de Regular. consil. 17.

Septimo, Eiectum non est solutum suis votis; etsi cesset ex parte executio ob defectum materiæ; nempe quia caret Superiore à quo dirigatur, debet tamen ea seruare in præparatione animi. A reliquis verò monasticis obseruantiis, vt à ieiuniis, vigiliis, delectu ciborum, silentio, est liber: quia hæ comitantur vitam monasticam. 115 *An solutus suis votis.*

CAPVT XLII.

De Iuramento & Adiuratione.

Constat Dubitationibus 14.

EXplicatâ naturâ voti, & status Religiosi, qui voto constat; sequitur alius religionis actus, qui iuramentum, iusiurandum, & interdum sacramentum (eò quòd sit rei sacræ attestatio) à Iure & Scriptoribus vocatur. Huic affinis est adiuratio, quæ etiam per aliquid sacrum fit, quam eodem capite tractabimus. De iuramento agit D. Thomas quæst. 89. de adiuratione, quæst. 90.

DVBITATIO I.

Quid sit Iuramentum.

D. Thom. quæst. 89. art. 1.

1 *Iuramentum.* IVRAMENTVM dicitur à *Iure*, quia instar Iuris habendum. vnde à Latinis passim vocatur Iusiurandum. Græcis dicitur ὅρκος quasi ἕρκος, & septum firmum, extra quod non liceat procedere. Est autem *Iuramentum* nihil aliud quàm attestatio diuini Numinis, vel inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.

Attestatio. Est *attestatio*, id est, actio illa seu inuocatio, qua Deus adducitur in testem; quæ actio est opus intellectus, nam est locutio interior vel exterior, supponens actum voluntatis, quo intendimus illum in testem vocare.

2 *Obiectio.* Dices, Ergo qui iurat, petit miraculum: Deum enim præbere testimonium dictis hominum, est res insolens supra naturæ ordinem. Deinde si iuramentum est inuocatio diuini testimonij, ergo est actus orationis; quia inuocatur Deus vt opem ferat ad persuadendum; ac proinde Sancti, quando inuocabant Deum vt miraculis prædicationem comprobaret, iurabant.

Resp. Non petit miracula. Respondeo ad Primum, negando conseq. Non enim iurans petit absolutè vt Deus nunc testetur, sed quando ei placuerit; vel saltem *quando illuminabit abscondita tenebrarum, & reuelabit occulta cordium*, quod testimonium nulli deerit: hoc autem valet ad fidem faciendam; quia non facilè putatur quis ita esse improbus, vt ausit Deum facere testem falsi.

Ad Secundum: Qui iurat, non inuocat diuinum testimonium per modum orantis, sed per modum testantis; sicut dicitur inuocare testimonium Principis vel populi, qui dicit, Testor Principem, testor populum. hoc enim non est propriè orare, deprecari, sed testem constituere, & quantum in se est, ad testandum mouere. Simili modo dicimus, Facio Deum meum Iudicem, meum patronum, procuratorem, vindicem, &c. exprimentes affectum, quo illum ad hæc, quantum in nobis est, mouemus, absque alia deprecatione.

Hinc patet Primò, Cur periurium sit graue peccatum; quia nimirum qui falsum iurat, quantum in se est, facit Deum approbare falsum pro vero; quæ est atrox iniuria. Sicut enim, qui dicit, Deus sit mihi socius, adiutor, fautor huius furti, homicidij, &c. affectu ipso & quantum in se est, facit ipsum auctorem & fautorem peccatorum: sic qui in mendacio dicit, Deus sit mihi testis; facit ipsum, quantum in se est, approbatorem mendacij. 3 *Cur periurium graue peccatum.*

Patet Secundò, Duo requiri ad essentiam iuramenti, intentionem iurandi, seu Deum testem faciendi, & locutionem, qua in testem vocetur. vnde si alterum horum absit, non erit iuramentum. Itaque illis formulis, *Per fidem meam*, *Fide boni viri*, *Fide boni Christiani* vel *Sacerdotis*, vt ordinariè accipiuntur, non est iuramentum, vt docet Nauarrus cap. 12. num. 2. Caiet. qu. 89. art. 6. Sotus lib. 8. q. 1. art. 1. & alij multi. nam qui sic loquuntur, non intendunt iurare, sed solùm significare se loqui ex virtute fidei vel veritatis, quam vir probus, Christianus, Sacerdos, in dictis & promissis suis adhibere debet; & si fallat, vt non habeatur verax aut fidelis. Si tamen intelligant fidem Catholicam, erit iuramentum: qui enim dicit, *Per fidem Catholicam*, *per sanctum Euangelium*, censetur auctorem illius in testem adducere. Nihilominùs si alio sensu & alia mente huiusmodi verbis vteretur, non esset iuramentum; vt si dicendo, *Per fidem meam* feci, dixi, faciam, &c. vellet significare causam efficientem vel impulsiuam. Neque in his est iuramentum, *Per meam conscientiam* (etsi Soto de hoc aliter videatur) *super meam conscientiam*, *in conscientia*, *in veritate*; tantùm enim significant se loqui ex conscientia & veritatis notitia. & idem valent, Per conscientiam, 4 *Duo requiri ad iuramentum.* *Varia formula.*

tiam,& in conſcientia,neque etiam in hac, *Amen, amen dico vobis*, iuxta probabiliorem ſententiam: etſi Origenes tract. 35. in Matthæum, & quidam Patres illum ſecuti, & recentiores contrarium putent. Incredibile enim eſt, Dominum tam ſæpè iuraſſe; quin potiùs veriſimile, numquam iuraſſe, qui omne iuramentum, quantum fieri poſſet, vitandum docuit. tantùm igitur volebat illâ formâ loquendi inſinuare, ſe ex certiſſima veritatis notitia docere. Apud Græcos idem ferè valet *vai*, id eſt, *certè*, *verè*, vt colligitur 2. ad Corinth. 1. v.17.18.19.

In iſtis verò, *Coram Deo* loquor, *Deus ſcit* ita eſſe, *Deus videt* me vera dicere, *videt meam conſcientiam*, prout vulgò accipi ſolent, cenſetur eſſe iuramentum. Sic Apoſtolus ad Gal.1. *Ecce coram Deo quia non mentior.* Si tamen quis non intendat iurare, ſed ſolùm affirmare Deum iſta ſcire, intueri, non erit iuramentum, quia deeſt intentio, vt rectè Caietanus art. 1. & Sotus ſuprà.

Denique in his, *Ie renie Dieu*, vt Galli dicunt, & *Peſe à Dios*, vt Hiſpani, & ſimilibus, potiùs eſt blaſphemia, quàm iuramentum, vt docet Couar. in cap. Quamuis pactum p.1.§.7.n.12. etſi in illo ſecundò implicitè etiam contineatur iuramentum execratorium, vt ex eodem, & ex Soto ſuprà colligitur.

5 *Obiectio. Iuramentum per falſos deos.*

Dices, Quidam iurant per falſos deos, in quibus nihil eſt numinis; vel per creaturas: ergo non omne iuramentum eſt atteſtatio diuini numinis.

Reſpondeo, Iuramentum per falſos deos non eſſe verum iuramentum, nec obligare niſi ex conſcientia erronea; quia nulla reuerentia illis debetur: nec metuendum eſt ne illos videamur feciſſe teſtes falſi. Vnde non eſt per ſe peccatum mortale iurare falſum per Iouem, ſi ſcias Iouem nihil eſſe; quia verè non iuras; ſed iocaris & ludis imagine iuramenti: perinde ac ſi chimæram teſteris, vel rem aliquam ratione carentem; niſi fortè fiat ſeriò, vel ad imperium tyranni, vel cum illis circumſtantiis, vt videaris Ioui honorem diuinum deferre. Infidelis tamen putans Iouem eſſe Deum, erit periurus, ſaltem affectu & culpa; ſi falſum iuret vel promiſſa iurata non ſeruet. Vide Couarruiam ſuprà num.24.

Nec obſtat quòd D. Auguſtinus Serm. 30. de verbis Apoſtoli ſub finem ait, *eſſe periurum, qui falſum iurat per lapidem* (id eſt, *per Iouem*, vt patet ex antecedentibus) *etiam ſi ſciat Iouem nihil eſſe*; quia intelligi poteſt eſſe periurũ ex opinione ethnici, cui tale iuramentum præſtatur, & cui fides in contractibus ſeruanda, vel quia externa ſpecie periurus videtur: nam ſeriò videtur iurare, ſicut qui thus adolet idolo, exteriùs eſt idololatra, etiamſi in animo non habeat illud pro Deo, nec intendat illi honorem deferre. Iuramentum autem per creaturas eſt verum iuramentum: quia cùm ſic iuramus, non volumus ipſas nobis eſſe teſtes, ſed eum, qui in ipſis ſingulari modo præſidet & relucet; cuius ipſæ ſunt templum, ſedes, thronus, tabernaculum, ſcabellum pedum; vt patet Matthæi 5. & 23. de quo infrà dubit. 3. Accipitur enim continens pro contento, & ſignum pro ſignato. Poſſumus tamen etiam Sanctos ſecundùm ſe in teſtes vocare; (vt, Teſtor B. Virginem, S. Petrum; & Apoſtolus 1. ad Timotheum 5. *Teſtor coram Deo, & Chriſto* IESV *& electis Angelis eius.*) ſed tunc non erit propriè iuramentum,

6 *Per creaturas.*

aut actus Religionis, ſed obſeruantiæ; ſeu duliæ ſupernaturalis, ſicut ſuprà dictum eſt de oratione & voto ad Sanctos directo. Ordinariè tamen tales formulæ ita accipiuntur, vt illis cenſeatur primariò in teſtem vocari Deus qui in Sanctis habitat; & ſecundariò ipſi Sancti, qui etiam res noſtras cognoſcunt: ſicque idem actus externus, vt ſubeſt diuerſis intentionibus, ad diuerſas virtutes pertinet.

Additur in definitione, *ad fidem faciendam vel promiſſionem firmandam*, vt explicetur finis immediatus vſus iuramenti, qui duplex eſt, vnde etiam duplex eſt iuramentũ *aſſertorium & promiſſorium.* Docet id Greg. Nyſſenus in Cantica, explicans illud, *Adiuro vos*, &c. *Iuſiurandum*, inquit, *eſt oratio per ſe confirmans veritatem. Eſt autem duplex iuramenti operatio: aut enim quiſpiam ei, qui audit, facit fidem veritatis; aut alius per iuramentum affert neceſſitatem vt minimè mentiatur; vt, Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum; hic fides promiſſi confirmatur iureiurando.*

7 *Finis iuramenti.*

Dices, Multi iurant ex ira, qui non intendunt fidem facere, aut ſe ad aliquid obligare.

Reſpondeo, Illi non intendunt propriè iurare, ſed potiùs imprecari malum, vel patefacere iram.

DVBITATIO II.

De multiplici iuramenti diuiſione.

8 *1. Diuiſio.*

MVltæ ſunt iuramenti diuiſiones: aliud enim verbis concipitur, aliud nutu, vel alio ſigno, vt manu ſublata. ſicut enim votum & profeſſio fit tacitè vel expreſsè, ita & iuramentum.

2. Diuiſio. Per conteſtationem ſimplicem.

Deinde aliud eſt *per ſimplicem conteſtationem*, in quo Deus ſolùm vt teſtis vocatur, v.g. Teſtis mihi ſit Deus, Teſtor Deum, Iuro per Deum; quæ omnia idem valent, vt docet D. Auguſtinus Serm 28. de verbis Apoſtoli.

Per execrationem.

Aliud *per execrationem*, in quo etiam vocatur in vindicem; vt, Puniendo teſtetur, ſi fallo. Sic Apoſtolus 2. ad Cor. 1. *Teſtem inuoco Deum in animam meam.* Item, Peream, Diſpereã, Ita me Deus amet, adiuuet, Ita mihi ſit propitius. nam in his non ſolùm ſignificatur vt ſit propitius, ſi eſt verum; ſed etiam vt non ſit propitius, ſi falſum. Item illud quod olim frequens erat apud populum Iudaicum, *Hæc mihi faciat Dominus & hæc addat*, eumdem ſenſum habet: ſicut & iſta, *Per animam meam, Per caput meum, Per vitam meam.* Simile videtur illud, quo Deus in veteri Teſtamento aliquando vſus eſt, moribus humanis ſe accommodans, vt Pſalm. 94. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* quaſi dicat, *non ſim Deus.* Alij tamen dicunt, *Si* accipi pro *Non.*

Aliquando non noſtram perſonam, ſed aliam nobis coniunctam obligamus Deo, vt in ea nos puniat, ſi fallimus, vt *Per vitam filij, vxoris, Per ſalutem Regis.*

9 *Obiectio.*

Dices, Hoc eſt imprecari malum; quod eſt contra charitatem.

Reſp.

Reſpondeo, eſſe contra charitatem, ſi mentimur; ſi autem verũ eſt quod dicimus, non eſt contra, ſed potiùs ſecundùm charitatem: oſtendimus enim quanti alterum faciamus, eumque ſic honoramus. Neque ſolùm imprecamur malum ſi fallimus, ſed etiam bonum ſi non fallimus. Itaque *Per ſalutem Regis*, idem eſt ac ſi dicas: Ita Deus ſal-

uet, vel non ſaluet Regem; ſaluet, ſi verum dico; non ſaluet, ſi fallo. vtrumque enim includitur. Idem dicendum de iſtis, Per animam meam, Per caput meum, &c.

Petes, Vtrùm *execratorium* differat ſpecie à *conteſtatorio*.

An differant ſpecie.

Reſpondeo, Non differre ſpecie in ratione iuramenti; quia vtroque Deus vocatur in teſtem; ſed in conteſtatorio ſolùm vt generali modo teſtetur & veritatem aperiat: in execratorio, vt aperiat puniendo, ſi fallo. Periurium tamen execratorium videtur ſpecialem malitiam continere contra charitatem ſui, quatenus homo ſibi ipſi imprecatur malum, Deumque ad illud infligendum expreſsè prouocat. vnde pro diuerſitate mali, eſt diuerſa malitia huic periurio coniuncta, vt rectè Caietanus a.1. Hoc tamen intellige cum Caietano, ſi periculum ſit præſentis punitionis, vt ſi fiat v.g. ad altare S. Antonij, vbi peierantes ſtatim ſolent puniri. Alioquin ſi putetur non eſſe periculum, non habebit peculiarem malitiam contra charitatem ratione execrationis: nam in omni iuramento tacitè includitur quædam execratio, quatenus ſe exponit vindictæ, ſi Deum faciat teſtem falſi. Itaque omnia periuria ſunt eiuſdem ſpeciei: quia deformitatem vnius rationis continent. Quare non eſt abſolutè neceſſarium explicare in confeſſione an fuerit per execrationem, an per ſimplicem conteſtationem, excepto illo caſu iam dicto: niſi fortè fuerit ſolemne in iudicio, quod quibuſdam locis eſt reſeruatum Ordinario.

Periuria omnia ſunt eiuſdem ſpeciei.

10 Tertiò, Aliud eſt *per Deum*, aliud *per creaturam*. Poteſt autē creatura ſpectari quadrupliciter. Primò, Secundùm ſe. Secundò, Vt in ea elucet vel apprehenditur numen diuinū. Tertiò, Vt eſt aliquid ad nos pertinens, quod obligamus Deo. Quartò, Vt falsò putatur habere aliquid diuinitatis.

3. Creatura quadrupliciter ſpectari poteſt. Quadrupliciter per creaturam poteſt iurari.

Si primo modo, Sic per creaturam non eſt verum iuramentum: quia vel ipſa per ſe teſtis eſſe non poteſt, vel non vt prima veritas. vel enim ipſa non cognoſcit quid dicamus; & ſic ſtultum eſt illam in teſtem adducere: de quo vide Nauarrum c.12. Enchir.n.5. vel cognoſcit; (vt Sancti) & ſic poteſt quidem vocari ſecundùm ſe in teſtem, ſed non vt ſuprema veritas. vnde non eſt propriè iuramentum, ſed actus duliæ, vt antè dictum eſt.

1. Per creaturam ſecundùm ſe ſpectatam.

2. Per creaturam vt continet Deum.

Si ſecundo modo conſideretur, vt continens ſingulari modo & ſimul quodammodò inuoluens diuinum numen; ſic per illam eſt iuramentum. hoc modo qui iurat per cælum, cenſetur iurare per eum qui in cælo habitat; qui per terram, per illum qui terram ſuſpendit de nihilo, cui ipſa inſtar pedum ſcabelli; qui per templum, per eum qui ibi colitur, vt patet Matth. 23. vbi Dominus corrigit errorem Iudæorum, qui putabant iuramenta per creaturas (vt per templum, per altare) non obligare, niſi eſſent tales, quæ ſeruirent eorum commodis: vt per aurum templi; per donum, quod altari imponitur. Sic dum iuramus per Euangelia, intelligimus ſimul eorum auctorem; dum per Crucem, crucifixum; per reliquias Sanctorum, numen diuinum ibi ſingulari modo aſſiſtens, & in Sanctis habitans. Hoc modo ſi quis Deum in omni re norit contemplari, per omnem creaturam iurare poteſt, quia ipſe omnium viuentium vita, & omnium exiſtentium eſſe, & fundus eſſentialis, vt Dionyſius loquitur; omnia creans, formans, ſuſtentans, & aſſiduo influxu conſeruans. Non tamen ſolemnis iurare per res viles, vel ſordidas, ob ſpeciem indecentiæ; ſed ſolùm per nobiliores, in quibus manifeſtiùs elucet, quæque abſque indecentia adhiberi poſſunt.

Si tertio modo conſideretur, erit iuramentum *execratorium*, vt cùm iuramus per animam, per vitam parentis, vel rem aliā nobis valdè charam. Sic Ioſeph iurauit per ſalutem Pharaonis, (Gen.42.) à qua ipſius felicitas pendebat, obligans illam Deo, ſi verum non eſſet quod dicebat. Quamuis hoc etiam poſſit intelligi per ſimplicem conteſtationem, vt docet D. Thomas art.6. Verius tamen exiſtimo fuiſſe formulam iurandi vſitatam apud Ægyptios: nihilq; aliud eſſe *Per ſalutem Pharaonis*, quàm per eum qui ſaluat & tuetur dignitatem Regiam Pharaonis, nempe per Deum. nam phraſi Hebræa communiter in aliis linguis recepta *Deus* dicitur *ſalus regum & regnorum*, quia ea conſeruat & tuetur. ac proinde hoc iuramentum non videtur fuiſſe execratorium.

3. Vt exponitur vindicta.

Si quarto modo ſpectetur, tamquam ipſa aliquid diuinitatis habeat; erit blaſphemia & ſpecies idololatriæ. Similiter blaſphemia erit, ſi quis inuerecundè iuret per membra Chriſti, & Sanctorum, quaſi in illis ſit aliquid pudendum. vide Couarr. in cap. Quamuis pactum. §.1.n.16.& 17.

4. Vt ipſa habet aliquid diuinitatis.

Petes, Vtrùm iuramentum per creaturas ſit eiuſdem ſpeciei ac per Deum?

An ſit eiuſdem ſpeciei.

Reſpondeo, eſſe, ſi ritè fiat; quia qui iurat per creaturam in modum ſimplicis conteſtationis, implicitè teſtatur ipſum Deum. qui per modum execrationis, etiam teſtatur Deum explicitè vel implicitè; etſi ſimul maledictionem inuoluat.

Quartò, Aliud eſt *ſimplex*, aliud *ſolemne*. Solemne eſt, quod habet aliquam notabilem circumſtantiam externam, vt ſi fiat coram teſtibus vel Notario, vel in tribunali, vel tactis Euangeliis, reliquiis, &c. Simplex, quod caret huiuſmodi circumſtantia. vtriuſque eadem vis coram Deo. Si tamen ſolemne violetur, eſt maius peccatum ob ſcandalum.

11 *4 Diuiſio.*

Quintò, Aliud eſt *aſſertorium*, aliud *promiſſorium*, aliud *comminatoriū*. *Aſſertorium* adhibetur ſolùm vt credatur aliquid, quod aliter probare nō poſſumus, ſiue ſit præſens, ſiue præteritum, ſiue etiam futurum; etſi hoc rariùs: vt ſi iurem Petrum cras moriturum, aut futuram pluuiam, &c.

5. Diuiſio. Aſſertorium, promiſſorium, comminatorium.

Promiſſorium eſt, quo intendimus nos alteri obſtringere, ſeu quo confirmamus noſtram promiſſionem.

Comminatoriū eſt, quo minamur alteri pœnam.

Differunt hæc, quòd in aſſertorio nullam intendimus nobis imponere obligationem, ſed ſolùm facere fidem, vt aliquid credatur. In promiſſorio intendimus nos obligare ei, cui promittimus. In comminatorio intendimus nos obligare non ei, cui minamur, ſed abſolutè ad infligendam alteri pœnam; nempe, vt conſtricti reuerentiā iuramenti non audeamus condonare.

Deinde in primo requiritur tantùm vna veritas, quæ expreſsè aſſeritur. hæc ſi abſit, ſemper eſt peccatum mortiferum, quantumuis res ſit exigua: quia omnes veritates in ordine ad teſtimonium Dei eiuſdem ſunt rationis. In ſecundo & tertio requiritur duplex, nempe vna præſens, quòd habeas animum exequendi: altera futura, quæ conſiſtit in executione. Harum prior eſt principalis, & neceſſariò requiſita; ſi enim abſit, erit

Veritas vetita quiſlibet in ſingulis.

per-

periurium mortiferum. Altera est secundaria, & sæpè absque peccato abesse potest. Sæpè enim expedit, quod prudenter promissum vel comminatum est, non mandari executioni, mutatis circumstantiis. Sic Dauid iuramentum comminatorium aduersus Nabal non est executus, 1. Reg. 25. vel quia tacita suberat conditio, vel quia calore iracundiæ conceptum.

12 6. Diuisio. Sextò, Aliud est *absolutum*, aliud *conditionale*. hoc habet tacitam vel expressam conditionem. Tacita conditio subest vel ex Iuris dispositione, vel ex iurantis intentione.

Ratio harum diuisionum. Ratio harum diuisionũ est. In iuramento quinque spectari possunt: Primò, Id quod iuramento confirmatur, & ratione huius est diuisio quinta & sexta. Secundò, Id per quod iuratur, & sic est tertia. Tertiò, Modus, quo Deum testamur, & sic habetur secunda. Quartò, Circumstantia notabilis exterior, & sic habetur quarta. Quintò, Signa quibus exprimitur, & sic habetur prima.

Dvbitatio III.

Vtrùm licitum sit iurare, siue per Deum, siue per res creatas.

D. Thomas artic. 2. & 6.

13 Multi hæretici olim docuerunt, non esse licitum iurare; vt Messaliani, qui & Euchitæ dicti, Pelagiani, VValdenses; & nostro tempore idem docent Anabaptistæ, qui etiam id exactè seruant. Idem docuit VViclef in contractibus humanis. Vide Castro contra hæreses v. Iuramentum, & Iansenium in Concord. c. 40.

Iuramentum esse licitum. Sed contrarium est fide tenendum. Primò, Quia in Scripturis legimus viros sanctissimos in contractibus iurasse. Genes. 21. Abraham fœdus init cum Abimelech, & illud iuramento confirmat; idem facit Isaac, Gen. 26. cum eodem Abimelech, vel eius successore; & Iacob, Genes. 31. cum Laban. Alij ob alias causas sæpè iurarunt. Moyses Deut. 4. *Testes inuoco cælum & terrã, citò vos perituros*: & c. 3. idem repetit. Dauid sæpè iurauit, *Viuit Dominus*, q. d. per vitã Dei. & Psal. 62. ait: *Laudabũtur omnes qui iurant in eo*, id enim erat signum esse Dei veri cultores: & Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis*; Apostolus quoque in nouo Testamento, ad Rom. 1. 2. ad Cor. 1. ad Philip. 1. 1. ad Tim. 5. Imò ipse Deus sæpè legitur iurasse, Psalm. 94. 109. &c. non quòd iuramentum Dei firmius sit quàm simplex assertio, (hæc enim omnem firmitatem habet, quæ à diuina auctoritate potest accedere) sed partim quia homines magis iurato credere solent, quàm iniurato; partim vt illis magis inculcet & ostendat immobilitatem consilij sui, vt ait Apostolus ad Hebr. 6. ne videlicet suspicentur subesse aliquam tacitam conditionem, cuius mutatione fieri possit vt non eueniat quod Deus promisit; vt interdum in prophetiis comminatoriis accidit. Ita D. Thom. in illum locum Apostoli.

Cur Deus iuret.

Secundò, Probatur ex vsu omnium gentium, & omnium tribunalium. omnis enim controuersiæ finis est iuramentum, teste Apostolo ad Hebræos 6.

Tertiò, Iuramentum est cultus latriæ apud omnes gentes: per hoc enim tacitè testamur, Deum habere prouidentiam rerum humanarum, & omnium rerum cognitionem & potestatem.

Quartò, Iuramentum facit vt reuerentia & timore diuini Numinis, veritatem dicamus, pacta custodiamus, fidem seruemus, pacem retineamus, ab iniuriis abstineamus, controuersias desinamus; quæ omnia valdè bona sunt, & rebus humanis necessaria.

Obiicitur Primò, Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis, redde autem Domino iuramenta tua. ego autem dico vobis non iurare omnino; neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni Regis. sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Et Iacobi 1. *Nolite iurare quodcumque iuramentum.* Omissis variis interpretationibus, quas videre est apud Iansenium, Maldonatum, & alios,

14 *Obiectiones.* *1. Locus Matth. 5. de iuramento.*

Respondeo, Christum hîc corrigere duos errores Pharisæorum: quorum alter erat, Licitum esse quauis occasione iurare per creaturas. Alter, Iuramentum per creaturas non obligare; vt suprà dictum est ex cap. 23. Matth. Itaque docet *non iurandum omnino*, id est, nullo iuramento, nec per Deum, nec per creaturas; intellige quantum in nobis est, seu nisi necessitas compellat. Iuramentum enim non est de genere eorum, quæ per se bona sunt & frequentanda, vt ieiunium, oratio, eleëmosyna; sed quæ solùm bona censentur, posita necessitate, vt antidota & medicamenta, & sicut occidere hominem, capere alienum. Ratio est, quia irreuerentia est, tantum testem adducere ad confirmandam rem parui momenti, aut quando necessitas non postulat, vt optimè ostendit Chrysostomus Homilia 9. in Acta. Quando verò res est grauis, & alia ratio commoda non suppetit, bonum est iuramentum adhibere, si debita circumspectione & reuerentia fiat. Colligitur hæc expositio tum ex ipsa Scriptura, tum ex D. Augustino, lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 30. & 31. eodem modo intelligendus est locus Iacobi. Addit Dominus, *quod his abundantius est*, (extra necessitatem) *à malo est*, id est, à diabolo, ἐκ τοῦ πονηροῦ: qua voce diabolus significari consueuit, cùm πονηρὸς propriè non quamuis, sed morum maliriam denotet, vt suprà cap. 37. num. 20. dictum est. Ita hunc locum explicant aliqui Græci, & noster Maldonatus. Significat ergo Dominus, iuramentum extra necessitatem adhibitum, vbi simplex affirmatio vel negatio sufficit, à diabolo, non à Deo introductum esse; ideoque valdè cauendum. Vnde etiam in veteri Testamento fuit prohibitum; Ecclesiastici 23. *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* & paulò pòst: *Vir multùm iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga*; & quæ sequuntur: quæ sanè à concionatoribus valdè sunt inculcanda. vide Chrysostomum Homilia 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. ad populum Antioch. vbi omnibus viribus hanc consuetudinem exterminare conatur.

Resp. Duo errores Pharisæorũ circa iuramentum. *Quomodo iuramentum dicatur esse à malo.*

Obiicitur Secundò, Multi Patres docent, *Iudæis tamquam paruulis esse permissum iurare per Deum, vt minus malum, ne iurarent per creaturas; sicut permissus illis fuit libellus repudij: Euangelicam autem veritatem non recipere iuramentum, cùm omnis sermo fidelis pro iureiurando sit.* Ita Hieronymus in caput 5. Matthæi, Chrysostomus Homil.

15 *Obiect. 2.*

mil.15. in Geneſim, & Homil.9. in Acta. Baſilius in illud Pſal. 14. *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit.*

Reſpond. Reſpondeo, Patres loquuntur de iuramento per Deum paſſim adhibendo abſque neceſſitate; hoc enim illis cauſa maioris mali vitandi permiſſum fuit, ne videlicet more ethnicorum iurarent per creaturas & idola: Dominus autem hanc permiſſionem ſuſtulit. itaque veritas Euangelica non recipit iuramentum; intellige, abſque neceſſitate, quo modo in vſu erat apud Iudæos. non enim in omni euentu volunt eſſe illicitum iuramentum, præſertim per Deum, vt ex Hieronymo & Baſilio patet, ſed ſolùm quando res ſine iuramento poteſt expediri. Chryſoſtomus maximè inſectatur iuſiurandum per Deum, ſed id facit vt in contrarium nitendo, conſuetudinem prauam iurandi in populo reprimat.

16 Obiicitur Tertiò, Cap.9. Clericum. 22. qu. 1.
Obiect.3. Concilium Carthaginenſe 4. decernit, *Clericum per creaturas iurantem eſſe acerrimè obiurgandum, & ſi perſtiterit in vitio, excommunicandum.* Hieronymus etiam loco citato apertè docet, *Iudæos iurantes per creaturas, honore & obſequio diuino illas veneratos fuiſſe.* & Innocentius III. in c. Etſi Chriſtus, de iureiur. dicit, *Dominũ prohibuiſſe iuramentum non per Creatorem, ſed per creaturas, ne per tale iurameutum transferretur ad creaturas honorificentia Creatoris.*

Reſpond. Reſpondeo, Cap illud Clericum, loqui de iurante per creaturas more ethnico, tamquam Deos quoſdam; (vt per Iouem, per Mineruam, per Solem.) quamuis enim non credantur dij, tamen turpe eſt Chriſtiano & ſcandaloſum ſic iurare; quia externo actu videtur illis deferri cultus diuinus; & periculum eſt ne ſenſim putetur aliquid diuinum illis ineſſe. ſimili modo videtur intelligendum cap. Etſi Chriſtus.

Quòd ſi Iudæi hoc modo per creaturas iurauerunt, id factum more ethnico & ex praua intelligentia, hinc tamen non ſequitur, quin benè fieri poſſit à rectè intelligente.

Obiect.4. Obiicitur Quartò, Iuramentum eſt cultus quidam Dei: atqui non licet cultum diuinum ordinare ad res humanas; ergo non licet vti iuramento ad contractus. Omiſſa ſolutione Caietani,

Reſp. Reſpondeo Primò, Iuramentum eſſe cultum diuinum, non abſolutè, ſed in certo negotio, quando aliter fidem facere non poſſumus. ſicut enim in aliis anguſtiis ad diuinam opem confugere poſſumus, ita in hac; idque Deo eſt honorificum. Secundò, Poſſumus vti re diuina ad finem humanũ, quando alia ratio non ſuppetit, & illa res non æſtimatur ex ſolo humano commodo. Sic ad ſanitatem conſequendam vtimur aliquando Sacramentis, reliquiis Sanctorum, votis, &c. & Deus ad hominum ſalutem vſus eſt incarnationis myſterio.

Ex his ſatis conſtat, iuramentum eſſe licitum, etiam ad humanos contractus.

17 Vt tamen in vſu non peccetur, requiruntur tres
Tres comites iuramenti. comites, vt docet D. Thomas art. 3. & ceteri Doctores, videlicet, *veritas, iuſtitia, & iudicium*, quæ inſinuantur Ieremiæ 4. *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia.* quaſi dicat, non iurabis tunc ampliùs per idola, ſed per Deum verum, idque ſuper re vera, & iuſta, & cum debita diſcretione & reuerentia.

Si veritas deſit, vel putetur deeſſe, vel dubia ſit iuranti, eſt peccatum mortiferum. Debet enim eſſe moraliter certum id ad quod Deum in teſtem vocamus; alioquin exponimus nos periculo faciendi eum teſtem falſi. Fieri tamen poteſt vt ſit peccatum veniale; vt ſi iures ex aliqua negligentia cognoſcendæ veritatis, non tamen graui. Ita Siluester v. Periurium, qu.1. *Si veritas deſit, &c.*

Si iuſtitia deſit, id eſt, ſi res non ſit licita, erit peccatum mortale, vel veniale, pro grauitate materiæ, vt infrà num. 18. dicetur.

Si iudicium, vt ſi ſuper re leui, vel quæ maius bonum impediat, ferè non erit pluſquam veniale. ita communiter Doctores.

Dvbitatio iv.

Quando iuramentum promiſſorium liberè factum obliget, quando non.

NOtandum eſt, Id quod promittitur, vel eſt bonum exequi, vel eſt malum, vel indifferens. Item vel promittitur ſub aliqua conditione, vel ſub nulla. 18

Dico Primò, Si executio eius quod eſt promiſſum, eſt peccatum, iuramentum promiſſioni adiectum non obligat. inuoluit enim contradictionem, obligari quempiam ad peccatum: tali iuramento dicitur deeſſe Iuſtitia.

Petes, Quale peccatum eſt, ſi iures te facturum aliquid, quod ſcis eſſe peccatum? *Iurans id, quod ſcit eſſe peccatum.*

Reſpondeo, Si deſit animus exequendi, erit periurium, defectu veritatis primariò requiſitæ; ac proinde erit peccatum mortale. Si autem adſit animus, iam ratione illius affectus, quem includit, erit peccatum mortale vel veniale pro grauitate operis exequendi.

An autem per ſe, quatenus eſt teſtificatio Dei ſuper re illicita facienda, habeat diſtinctam malitiam, dubitari poteſt. Multi Doctores ſentiunt, ſi opus quod te iuras facturum, ſit peccatũ mortale, iuramentum quoque mortale futurum; ſi opus ſit veniale, iuramentum fore veniale. Ita Sotus lib.8. q 1. art.3. Caietan. art.7. Anton. p.2. tit.10. cap.4. §.1. & alij. Sed hæc ſententia difficultatem habet: vel enim Deum adducis ſolùm vt teſtem propoſiti tui, & operis futuri; & ſic non videtur referre vtrùm opus ſit peccatum mortale an veniale: vel vt approbatorem & ſponſorem; & ſic vtrobique videtur eſſe peccatum mortale. nam facere Deum approbatorem peccati venialis, eſt blaſphemia. Deinde Deus non adducitur in iuramento vt approbator aut ſponſor, ſed ſolùm vt teſtis: qui enim aliquem teſtatur, non agit vt ille approbet vel ſpondeat, ſed ſolùm vt veritatem latentem aperiat, & vt idem dicat quod ipſe dicit: ergo ſi veritas ſubſit, non videtur in ratione iuramenti eſſe peccatum mortale. *An iuramentum, ſuper re illicita.*

Dices, In eo eſt magna irreuerentia, quòd auctoritate diuina ſe velit firmare in malo propoſito, quaſi Deo placeret, & ipſe vellet illud fieri. *Obiectio.*

Reſpondeo, Non apprehendit opus tamquam Deo placens, nec cupit vt Deus illud approbet; ſed concipit confuſè, eſſe immutabile, quod iuramento confirmatum fuerit, & ſic adhibet illud, vt ſuum malum propoſitum immutabile reddat: qua in re eſt quidem magna inordinatio, tamen non videtur mortifera. *Reſp.*

Verùm

Verùm cùm contraria sententia ferè sit communis, ab ea non est recedendum. Itaque si id, quod iuramento quis proponit facere, sit peccatum mortale, ipsum quoque iuramentum ex parte sua malitiam mortalem habebit; nisi fortè inadvertentia excuset.

19 Dico Secundò, Pari ratione non obligat, quando promissio, cui additur, tribuit licentiam peccandi, aut est contra legem, aut contra publicam vtilitatem. Vide suprà cap. 17. dubit. 7. numer. 54. vbi allata sunt exempla, & ratio singulorum explicata.

Promittens latroni non denuntiaro. Ex quibus sequitur, Eum, qui promisit latroni, se illum non denuntiaturum iudici; si agitur de delictis committendis, non teneri: quia daretur licentia peccandi. Si autem de commissis, vel ille est status rerum vt denuntiatio sit præcepti, & tunc cessat obligatio iuramenti; quia non obligat contra præceptum Superioris: vel solùm est consilij, & tunc non videris posse denuntiare; nisi relaxetur vinculum iuramenti. quia cùm sit in fauorem alterius, & possit sine peccato seruari, videtur obligare donec relaxetur. Nisi fortè agatur de denuntiatione Euangelica necessaria ad emendationem. Vide Panormitan. in cap. Quemadmodum. 25. de iureiur. num. 7. & 14. Si tamen iuramentum de non accusando vel denuntiando criminaliter ob crimen commissum esset metu extortum, probabile est non obligare, vt infrà n. 26. dicetur.

20 *Indifferēs, & minus bonum.* Dico Tertiò, Si quis iuret aliquid se facturum quod est indifferens vel quod non fieri est melius; non obligatur, nisi fortè sit factum in fauorem alterius. Colligitur ex D. Thoma art. 7. Caietano ibidem, & in Summa v. Periurium. Nauarro cap. 12. n. 12. Soto l. 7. q. 1. art. 3. circa 2. conclus. vbi dicit esse in hoc eamdem rationem voti, & iuramenti.

Probatur, Quia quando iuramentum non est in fauorem alterius, solùm potest obligare per modum voti, cùm solùm Deum respiciat: atqui votum de re tali non obligat; ergo nec iuramentum. Secundò, Quando iuramentum factum est in fauorem alterius, non obligat ipso nolente, vel condonante debitum: ergo si factum sit in proprium fauorem, non obligabit, si is, qui fecit, mutet propositum, & nolit impleri. Exempla sunt, Si iures te hodie non ambulaturum, non egressurum domo; vel contrarium huius, nullo fine honesto, sed vel ex indignatione, vel ob aliquod commodum aut incommodum naturæ. Item si iures te initurum matrimonium absque vlla promissione alteri facta, non daturum eleëmosynam, non mutuaturum, &c.

21 *Obiectio.* Dices, Teneris facere ne Deum adduxeris in testem falsi: si enim non facis quod iurasti, falsum erit, Deumque falsi testem feceris.

Resp. Non iurat tunc falsum. Respondeo, Non fore falsum; quia huiusmodi iuramenta habent tacitam conditionem, Nisi mutauero, Nisi aliter visum fuerit. cùm enim nullius interfit ea impleri, præterquam iurantis; iure suo cedere potest, & sibi ipse condonare.

Dixi, *Nisi factum sit in fauorem alterius*: tunc enim ob igat, etiamsi sit de re indifferenti, nisi ille remittat; quia in promissione facta homini, spectatur quid gratius sit homini, non quid in se melius. Secùs in promissione facta Deo, cui semper magis placet quod est melius.

Dico quartò, Quando promissio vel propositum de re bona habet tacitam aliquam conditionem, vel restrictionem, siue ex mente loquentis, siue ex dispositione Iuris, vel recepta consuetudine; iuramentum illi appositum censetur eamdem conditionem habere: est communis DD. de qua vide Couarruuiam in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. in principio. Probatur, quia iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit; *accessorium* enim *sequitur naturam principalis*; vt habet regula Iuris 42. in Sexto. Itaque si actus habet tacitam conditionem, etiam iuramentum habere censetur. Confirmatur, quia iuramentum non additur promissio, propositum vel contractus aliter accipiatur quàm per se accipi soleat, sed vt eo modo intellecta, quo solent intelligi, non possint reuocari. Itaque non tollit nec excludit solitas conditiones. Exempla sint: Iurasti Petro seruare promissa, subintelligitur tacitè, nisi ipse quæ tibi promisit non seruet. Facta pace cum inimico, iurasti te illi non nociturum; nimirum ex causa præterita, siue, Nisi ipse causam nouis inimicitiis dederit, aut nisi ob flagitia proscribi contigerit, &c. Iurasti puellæ te illam ducturum, scilicet, Nisi ipsa fornicetur, vel in morbum incurabilem, paupertatem, infamiam, &c. incidat, vel nisi ipse Religionem ingressus fueris. Iurasti seruare secretum, scilicet, Nisi vergat in damnum alterius. Iurasti te castigaturum filium vel famulum, scilicet, Nisi fortè inde nasceretur maius incommodum, vel nisi veniam deprecando impetrauerint, vel ob aliquam causam aliud expediens visum fuerit. Iurasti parere Superiori, scilicet, Nisi excommunicetur; nisi officio priuetur. Iurasti honoris causâ te non præcessurum alterū, scilicet, Nisi te cogat: cùm enim sit in fauorem ipsius, censetur relaxare, dum non vult prior intrare; vel subintelligitur, quantum in te est, vt vult Caietanus art. 7. & Nauarr. numer. 5. Promisisti aliquid absenti cum iuramento; sed nemo iuramentum nomine ipsius acceptauit, vel certè is qui acceptauit, non poterat validè acceptare; non teneris; quia promissio habet hanc tacitam conditionem, *Si validè acceptetur*. Hoc tamen intellige, nisi alia sit mens iurantis, vt si intendat illam tacitam conditionem excludere. tunc enim tenebitur, ne Deum faciat testem falsi; nisi is in cuius fauorem factum est, condonet: vel nisi iuramentum habeat vim voti, aut fiat intuitu pietatis: vt si iures te fore Religiosum. Si enim intendas id Deo promittere, habet vim voti. imò est tacitum votum iuramento confirmatum. itaque Deus illud acceptat, nec potes vllo colore resilire, cùm duplici vinculo tenearis. Si autem non intendas quidem promittere, sed solùm proponas intuitu pietatis, & vt te in proposito confirmes, apponis iuramentum, non habebit quidem vim voti, quia deest intentio promittendi; tamen necessariò seruandum iuramentum, ne Deum facias testem falsi: quia non habet tacitam conditionem, quæ falsitatem excludat. cùm enim factum sit studio salutis, redundat in honorem Dei: ac proinde interest Dei, propositum illud impleri. quare accedente iuramento, planè confirmatur. Itaque etsi propriè non habeat vim voti, est tamen voto simile. Quod dictum est de tacita conditione, idem dicendum de quauis alia restrictione seu limitatione. Iurasti seruare statuta Capituli, scilicet, Quæ nunc sunt in vigore, &

22 *Tacita conditio vel restrictio.*

Varia exempla.

Mens iurantis spectanda.

maioris momenti, seu quæ ex vi iuramenti sunt in vsu: non enim se iuramento vult astringere ad minima; neque ad ea, quæ non seruantur, vel si seruentur, non ex religione iuramenti: neque etiam ad statuta futura, nisi aliud intenderit. Iuramentum enim strictam habet interpretationem ob periculum animæ; vt docet Panormitan. in cap. Clericus, de Iureiurando, Siluester Iuramentum 4.q.23. Iurasti dicere in causa quidquid nosti, scilicet, Si secundùm ordinem Iuris dici debet, non autem si occultum sit.

Hæ & similes conditiones in iuramento promissorio sunt expendendæ, vt sciatur eius obligatio. Insunt autem hæ conditiones promissioni cui iuramentum apponitur, interdum ex parte rei promissæ, siue ex dispositione Iuris id fiat, siue ex natura rei, siue ex communi hominum intelligentia vel consuetudine; interdum ex parte ipsius promittentis, qui talem conditionem tacitè vel expressè apponit. Numquam autem iuramento appositio huiusmodi conditiones excusæ censentur, nisi quando ipsum in eum finem apponitur, vt excludantur, ne promissor se per illas ab executione promissionis possit eximere.

Dvbitatio v.

Vtrùm violatio iuramenti promissorij, præsertim in re parua, sit peccatum mortale.

23 *Violatio iuramenti in re magna.*

Respondeo, Si promissio sit rei notabilis, violatio iuramenti erit peccatum mortiferum. Est communis sententia Doctorum. Probatur, Quia iurando, quantum in te est, fecisti Deum testari non solùm te habere animum faciendi, sed etiam te facturum, nisi iustum impedimentum interueniat. Itaque nisi facias, quantum in te est, facis vt Deus falsum testatus sit.

In re parua, an sit peccatum mortale. Sententia Caietani.

Sed difficultas est, si in re parua violetur. Caietanus art 7. distinguit. Vel enim, inquit, res parua est tota materia promissionis, vel pars solùm. Si sit tota materia, violatio iuramenti in re parua erit peccatum mortale; quia tota promissio violatur; vt si iuramento promiseris assem, & nihil soluas. Si autem solùm sit pars materiæ, erit tantùm peccatum veniale; vt si promiseris tres aureos, & vnum assem in solutione prætermittas. Idem tenet Couarruuias lib.1. variar. c.1. n.2. Simili modo distinguit in voto.

Alij generatim docent, si res promissa sit parua, siue ea sit tota materia, siue pars tantùm, non fore nisi veniale; Siluester, Iuramentum 4.q.1. Sotus lib.8.q.1.ar.7.& q.2.ar.3. Nauar.c.12.n.10. Idem tenet Antoninus p.2.tit.10.c.4.§.1. Vtraque sententia probabilis est.

Verius est esse peccatum mortale.

Verius tamen videtur, violationem iuramenti in re parua, si seriò promissa sit, nec sit aliquid quod excuset, esse peccatum mortale, siue sit tota materia, siue pars. Ita Gabriel in 3.d.22.q.2.concluſ.4.& 7. Tabiena v. Iurament.n.11. Caietan. in Summa v. Periurium, Fumus eodem, num. 12. Valentia disp 6.q.7. puncto 2.

Probatur Primò, Qui rei paruæ promissionem, quã iuramento confirmauit, non implet, is quantum in se est, facit Deum testem falsi: hoc autem est peccatum mortale, cùm sit magna in Deum iniuria: ergo. Maior probatur, quia dum ita iuras, ipso affectu & quantum potes, facis Deum testari te hoc præstiturum: ergo si non præstes, cùm possis, facis quantum in te est vt Deus falsum testatus sit. Secundò. Eiusdem rationis est, falsum reddere id, quod Deus anteà testatus est, & facere vt Deus in præsenti falsum testetur: atqui hoc est peccatum mortale, siue res sit parua, siue magna; ergo & illud. Tertiò, Homo sub peccato mortali tenetur curare vt sit veritas in iuramento assertorio. idque ideò ne Deum faciat testem falsi: ergo sub eadem obligatione tenetur curare vt etiam in promissorio sit veritas. Solùm est differentia, quòd veritas iuramenti assertorij debeat esse præsens, & sit speculatiua: veritas promissorij sit futura, pendens ab ipso iurante. Sed hæc diuersitas non facit vt ipse non teneatur pari modo procurare, esseque sollicitus vt verum sit quod iurauit. Quartò, Iuramentum respicit materiam non quatenus est magni vel parui momenti, multùm vel parùm vtilis homini; sed quatenus vera: ergo ex magnitudine vel paruitate materiæ non debet iudicari eius obligatio, sed ex veritate: atqui omnes veritates sunt eiusdem rationis in ordine ad testimonium diuinum: eiusdem enim rationis est, in re parua, & in re magna falsum testari: ergo eiusdem rationis est, in re magna & in parua Deum testem falsi facere.

24 *Si promissarius non curet.*

Aduerte tamen, non esse peccatum mortale, si putet promissarium non curare rem paruam, & facilè condonaturum; modò alioquin paratus sit soluere, si secùs esset. quo modò is, qui iurasset dare tres aureos, & in solutione omitteret vnum assem, posset excusari: vel si promissio habeat aliquam tacitam conditionẽ aut restrictionem; tunc enim iuramentum non violatur vlla ex parte, sed integrè impletur iuxta mentem iurantis.

25 *Differentia voti & iuramenti.*

Petes, Cur iuramenti violatio in re parua potiùs est peccatum, quàm violatio voti in simili?

Respondeo, Quia in voto spectatur an res sit parua an magna in ordine ad honorem Dei. Si parua, non censetur honor Dei ex violatione voti nisi parum lædi; & sic solùm est veniale. in iuramento hoc non spectatur, sed solùm curatur vt sit verum quod iuratur; quia Deus adducitur in testimonium veritatis.

Dvbitatio vi.

Vtrùm iuramentum promissorium metu graui extortum obliget.

26 Videtur non obligare. Primò, Quia talis promissio est irrita, vel saltem arbitrio promittentis potest in irritum reuocari; vt ostensum est suprà c.17.dub.6. ergo & iuramentum illi appositum: nam iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit. Secundò, Votum tali metu extortum non obligat, vt ostensum est c.40.dub.3. ergo nec iuramentum. Tertiò, Tali iuramento deest consensus; nihil enim tam contrarium consensui, quàm vis & metus; vt habetur L. Nihil consensui. ff. de regul. Iuris. Quartò, cap. Quamuis pactum. 2. de pactis, in 6. dicitur: *Pactum, si iuramento, nec vi nec dolo præstito, firmatum fuerit, omnino seruari debet.* ergo à contrario sensu, si vi vel dolo præstitum sit, non debet seruari. Confirma-

firmatur, quia iuramentum dolo elicitum non obligat, vt dicemus dubitatione sequenti. ergo neque metu extortum: quia vis & dolus æquiparantur. vt patet d. cap. Quamuis pactum. Quintò, L.2. C. si aduersus venditionem, dicitur: *Per vim autem vel metum iustum extorta* (sacramenta) *etiam à maioribus, maximè ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant, nullius esse momenti iubemus.* vbi generatim Imperator Iustinianus omnia iuramenta metu extorta vult esse nullius momenti. Ob hæc & alia argumenta plurimi tenent, huiusmodi iuramenta esse inualida, nec egere relaxatione. ita sentit Panorm. in cap. Cùm contingat. 28. num. 3. de iureiur. vbi docet, quando actus secundùm se est lege prohibitus (id est Iure irritus, vel in irritum reuocabilis, vt exponit Couarruuias l. 1. variar. c. 4. n. 6.) iuramentum quoque metu appositum esse irritum. pro qua sententia citat Vincentium Mediolanensem insignem Canonistam; Panorm. sequitur Alciatus in d. cap. Cùm contingat, not. 3 Felinus in c. 2. de iureiur. Francus in cap. 2. de pactis, in 6. & D. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 6. §. Quintus casus. Hi omnes docent non esse opus absolutione, quando iuramentum metu præstitum fuit super contractu inualido, vt refert Couarruuias de matr. p. 2. c. 3. §. 5. num. 2. Idem tenent multi alij quos citat Sancius lib. 4. de matrim. disp. 20. num. 3. dicitque sententiam esse probabilem, eamque in praxi seruari apud Iudices sæculares affirmat Couar. l. 1. variar. c. 4. n. 7. nimirum quatenus eum, qui sic iurauit, admittunt ad agendum ante absolutionem à vinculo iuramenti.

Sententia multorum DD. non obligare.

Contraria tenenda.

Verùm contraria sententia est multò probabilior, & meo iudicio pænè certa; nempe tale iuramentum metu expressum obligare, modò factum sit animo obligandi, & de re licita. Est communis sententia Theologorum in 3. d. 39. D. Thom. & Caiet. q. 89. art. 7. Idem tenent plerique Canonistæ, quos citat Couar. de matrim. suprà, & Alex. Imolensis in cap. Verùm 15. de iureiur. dicit esse opinionem communem.

Probatur Primò, ex Canonibus cap. Si verò. de iureiur. vbi de eo, qui grauissimo metu compulsus fuerat renuntiare beneficio suo, & eam renuntiationem religione iuramenti confirmare, dicitur debere petere absolutionem. & ratio additur, *Quia non est tutum quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ.* & cap. Verùm, eodem tit. dicitur, eos, qui inuiti pro vita aut rebus seruandis iuramenti vinculo se obstrinxerunt, esse absoluendos: ita enim consueuisse facere Romanos Pontifices. Vide plura suprà cap. 17. dub. 7. num. 51.

Probatur Secundò, ratione, quia Iure naturæ tenemur efficere vt verum sit quod iurauimus, ne Deum faciamus testem falsi: hoc enim est magna iniuria in tantam Maiestatem; quam ne committamus, antè mors nobis præoptanda. Neque refert vtrùm id, quod iuramento promissum est, sit per se actus virtutis, an non; sufficit rem esse indifferentem, quæ sine peccato posita promissione fieri possit. Quod confirmatur, quia soluere vsuras non est per se bonum, sed potiùs habet speciem mali, cùm præbeat occasionem maioris iniquitatis: & tamen si iuramento promisisti, teneris, cap. Debitores. 6. de iureiur.

Dixi, *modò factum sit animo se obligandi*, quia si absque tali animo factum sit, quidam docent non obligare. de quo infrà dubit. 8. Idem dicendum si addiderit restrictionem aliquam, vel clausulam tacitam.

Hinc sequitur Primò, Eum, qui pro redimenda vita promisit cum iuramento latroni 100. aureos, teneri soluere, vt docet Caiet. ar. 9. Sotus l. 8. q. 1. a. 7. & alij. etsi enim latro ex hac promissione nihil iuris acquisierit, eique nulla iniuria fiat si non soluas; tamen Deus ius habet vt verifices id, ad quod illum testem adduxisti. Vbi tamen soluisti, potes repetere: quia momentanea solutione satisfacis, quando iniuria causam dedit. quòd si latro condonet, etiam coactus metu, non teneris. Idem dicendum si Prælatus absoluat, vel Superior latronis relaxet. Ratio est, quia hæc omnia tacitè in tali iuramento subintelliguntur. 27

Promittens latroni 100.

Sequitur Secundò, Eum, qui iureiurando promisit se rediturum ad carcerem, quamuis iniurio- 28
sum, teneri, etiamsi sciat se iniustè plectendum. Ita *Iurans redire ad carcerem.*
Caiet. & Sotus suprà, Silu. Iuramentum 4. q. 26. Toletus l. 4. cap. 22. Colligitur ex D. Thoma a. 7. ad 3. vbi dicit iuramentum coactum in foro conscientiæ inducere obligationem, etiam cum damno temporali. Probatur Primò, Ista promissio fuit prudens; quia absque illa non poterat obtinere reditum ad res suas componendas: ergo eius executio est licita: licitum enim est exequi, quod prudenter promittitur. si licita: ergo si firmetur iuramento, est seruanda. Nec refert quòd res sint mutatæ, sublato metu & coactione: quia circa rem promissam non est facta mutatio: promisit enim redire absolutè, etiamsi coactio & metus tunc abfutura essent; & tamen prudenter promisit: ergo etiam prudenter exequi potest. executio enim nihil est aliud quàm promissionis completio. Secundò, Supposita promissione redeundi, iste reditus non solùm est licitus, sed etiam est honestus, vtpote opus virtutis fidei, veritatis, & fortitudinis, vt ex sensu omnium gentium constat: ergo si iuramentum accedat, nascitur obligatio. Tertiò, Si quis violet tale iuramentum, communi iudicio censebitur periurus, & iniurius in numen diuinum, quod in testem adduxit; nisi fortè cum aliqua restrictione animo concepta iurauerit.

Aduerte tamen, quosdam Doctores contrarium 29
docere, scilicet non teneri redire, si carcer erat in- *Quorundam sententia.*
iustus, vt tyranni, vel Iudicis non competentis; vel Iudicis legitimi, sed non procedentis secundùm ordinem Iuris. Ita Nauarrus c. 12. n. 18. qui pro se adducit Tabienam v. Iurare. §. 10. Panorm. in cap. Si verò. 8. de iureiur. Glossam communiter receptam in Clement. Pastoralis, de sententia & re iudicata. v. Per violentiam. Io. Andream in Spec. Rubr. de iureiur. Idem docet Couarr. l. 1. var. c. 2. num. 7. vbi citat Baldum, Curtium seniorem, Ancharanum, & Maiorem in 4. d. 15. q. 22. additque non solùm non teneri redire; (de quo dicit non esse dubitandum) sed si redierit, grauiter peccare. Fundamentum huius sententiæ est, quia redire in tali casu, est seipsum quodammodò occidere, & vitam suam prodigere: hoc autem est illicitum, quia tenetur homo vitam suam conseruare. Confirmatur Primò, Quia detentus tali carcere tenetur capessere fugam si potest: ergo si liber sit, non potest redire. Confirm. Secundò, Quia iuramentum non est seruandum quando vergit in deteriorem exitum;

exitum, cap. Quintauallis, de iureiurando: at hîc vergit:ergo. Hinc sequitur,non solùm non teneri, sed etiam non posse redire. Hæc sententia est probabilis & secura in praxi, propter Doctores.

Est sententia probabilis.

Sed quod diximus est verius ob rationes allatas, vnde

Ad rationes.

Respondeo, Illud fundamentum non esse verum.qui enim ob iustam causam se in certum vitæ discrimen coniicit,non censetur seipsum occidere, aut vitam prodigere. Nec homo tenetur quouis euentu vitam conseruare ; sed si commodè & decorè potest : hîc autem iusta causa subest ; tum ne videatur mendax,& promissi violator,quod minimè decet virum grauem ; tum ne censeatur periurus. Itaque exponit vitam propter opus virtutis, quod laudabile esse,ostêsum est suprà c.9.dub.6.

Ad Primam Confirmationem: Non tenetur fugere, si promisit, præsertim cum iuramento, non fugere. imò etiamsi absque iuramento promiserit.

Ad Secundam:Tunc iuramentum censetur vergere in deteriorem exitum, quando executio est illicita ; vel si sit licita, quando est maioris boni impeditiua, & iuramentum non est factum in fauorem tertij ; vt si iurasti non ingredi Religionem. Colligitur ex D.Thoma art.7. ad 2.

30 Petes, Quale peccatum est violare tale iuramentum metu extortum ? Multi Doctores, præsertim Canonistæ, putant esse solùm veniale. Ita Panormitanus in cap. Si verò. 8. de iureiuran. Ioannes Andreas, Hostiensis, & alij in cap. Verùm.18. eodem,Angelus v.Periurium,nu.7. vbi citat pro se Petrum Aureolum, Cardin. & I. Andream.Probant ex dicto cap.Verùm. 18. de iureiur. vbi Pont. Cælestinus III. respondet, eos, qui inuiti pro vita vel rebus suis seruandis iurarunt, si non seruauerint, non esse tamquam pro mortali crimine puniendos.

Quale peccatum violatio talis iuramenti.

Est peccatum mortale.

Sed communis sententia Theologorum est, esse peccatum mortale, præsertim si materia sit grauis,& is in cuius fauorem factum est, vel alius potestatem habens, non relaxet. Ratio est, quia facere Deum testem falsi, est grauis iniuria. Caiet. & Sotus suprà. Nauar.num.14. Siluest. Iuram.4. qu.7. & alij.

31 Ad cap. illud Respon. Tantùm vult dicere, in foro ecclesiastico externo non esse puniendos pœna Canonibus in periuros constituta ; sed mitiùs agendum ; quia metus culpam attenuat, & venia ex parte dignos reddit. Ita Glossa ; vel vt Caietanus ait, hoc pertinet ad iudicium præsentis clementiæ Pontificiæ; alioquin eodem c. satis significatur eos esse periuros.

Ad argumenta initio proposita.

Ad Primum argumentum nu. 26. positum Respondeo, Vt iuramentum obliget, non requiri vt promissio per se obligationem inducat ; satis est vt executio eius sit licita.

32 Dicitur, Iuramentum sequi naturam contractus,non quoad esse firmum vel irritum, vt per se notum est ; sed quoad conditiones tacitas, & alias limitationes,quas contractus ex Iure, consuetudine,vel contrahentium mente habet.

Dices, Promissio metu extorta habet hanc tacitam conditionem, Nisi ob iniuriam illatam reuocauero, aut obligationem elisero : ergo ratione istius conditionis poterit iuramenti vis elidi & non impleri.

Respon. Si talem conditionem dum iuraret expresse cogitauit, & saltem mente adiunxit, fateor non teneri. poterat enim ratione iniuriæ quam patitur,huiusmodi restrictionem facere. Si autem de ea non cogitauit, sed simpliciter iurauit, tenetur : quia iuramentum eo fine exigitur, vt talis conditio, quæ aliàs Iure naturæ promissioni sic iniustè extortæ inerat, excludatur, & promissor non possit vti iure quod alioquin ratione illius conditionis competebat. Itaque per iuramentum censetur & præsumitur vsus istius Iuris exclusus, nisi conditio illa expressa voluntate fuerit instaurata, siue interiùs in animo, siue exterius voce.

Ad Secundum : Alia est ratio voti, alia iuramenti;nam in voto spectatur solùm vtrùm executio operis sit Deo gratior,an eius omissio. In iuramento, vtrùm executio sit licita, & promissario commoda.

Ad Tertium : Non deest consensus, qui Iure naturæ ad substantiam actus est necessarius : qui enim metu consentit; absolutè,voluntariè,& liberè consentit ; secundùm quid inuoluntariè. hinc dicitur consentire voluntariè mixtè. vide suprà cap.17.num.43.

Ad Quartum: Solùm inde sequitur,non debere seruari omnino ; id est, ita vt non possit obtineri relaxatio. Illud enim *omnino* excludit dispensationem,vt inquit Glossa in cap.2 de pactis,in 6. & Archidiaconus ibidem. Confirmatur : Etsi vis & dolus in multis aliis æquiparentur, tamen hac in re minimè. nam metus non excludit consensum plenum sicut dolus.

Ad Quintum : Illud Authent. non videri receptum ab Ecclesia, ne via sternatur periuriis. Imò expressè videtur ei derogatum per c. Verùm. 15. & cap. Si verò. 8. de iureiur. & cap. 2. de pactis, in 6. quibus locis dicitur iuramentum seruandum, *quando non vergit in detrimentum salutis æternæ.* Excipiendum tamen videtur iuramentum de non facienda querimonia maleficij, id est, de accusando vel denunciando ; quod videtur statim irritum reddi, si metu sit extortum. Id enim bonum publicum postulare videtur. alioquin non posset hæc querimonia sine periurio fieri, quod in damnum publicum redundaret. Verius tamen puto, etiam hoc iuramentum, nisi à Superiore relaxetur,obligare,excepto casu quo tenetur denuntiare ad malum impediendum, vel quo iuridicè interrogatur, ob regulam illam generalem, quia extra illos casus non vergit in detrimentum salutis æternæ.

Dvbitatio vii.

Vtrùm iuramentum dolo vel errore extortum obliget.

NOtandum est, dolum & errorem posse versari vel circa substantiam rei, vel circa qualitatem. Si circa substantiam, vt si putes vitrum esse gemmam, vel aurichalcum esse aurum ; certum est, iuramentum appositum contractui, cui talis error causam dederit, irritum esse, quia deest consensus. itaque qui læsus est ex huiusmodi contractu vel promissione, non tenetur ; quia mens ipsius non fuit contrahere super hac re, sed super alia. 33

Si dolus circa substantiam.

Sed difficultas est, si dolus versetur solùm circa rei qualitatem, vel causam promissionis aut contractus, 34

Si circa qualitat.

tractus. Doctores generatim docent, si dolus causam dederit, iuramentum non obligare. Probatur Primò, Quia vbi dolus est, excluditur voluntas, L.1.ff. de dolo. Secundò, Quia iuramentum non obligat extra mentem & intentionem iurantis, cap. Quintauallis. & cap. Veniens, de iureiur. atqui intentio iurantis non est se hoc casu obligare; nam mens eius tacitè repugnat: si enim sciret rei qualitatem, nollet contrahere. Tertiò, Quia Deus non acceptat iuramentum, nisi secundùm intentionem eius qui bona fide iurat, non autem secundùm intentionē eius qui fraude extorsit; cap. Humanæ aures. 22.qu.5. Ita Nauar. cap.12. num.13. vbi insinuat hanc sententiam esse communem; Silu. Iuramentum 4.q.8. ex Archid. Panor. Ioan. Andrea, & Frederico. Idem qu.19. Emmanuel Sà v. Iuramentum. Idem expressim docet Panorm. in cap. Cùm contingat. 28.num.3. & 23. de iure iurando; cuius opinionem esse communem fatetur Alciatus in illud notab.3. D. Anton. par.2.tit. 10. cap.6.§. Quintus casus. vbi docet, quando dolus dat causam contractui, iuramentum non egere absolutione: vbi non dat causam (vt si voluisset contrahere, etiamsi non fuisset deceptus) tunc iuramentum requirere absolutionem: & hanc debere facilè dari in odium deceptoris. Couar. lib.1. variar. cap.4.n.6. approbat sententiam Panormitani. omitto alios.

Est sententia probabilis.

Hæc sentētia mihi omnino videtur vera, tum ob rationes allatas, tum maximè ob has, Primò, Quia promissio, cui error vel dolus causam dedit, etiamsi (quando non fuit error circa substantiam rei vel causam principalem, & quasi formalem ipsius actus) per se obliget donec reuocetur; tamen detecto errore potest in irritum reuocari, idque vel ob tacitam conditionem, quæ huiusmodi promissioni inesse censetur, scilicet, Nisi rem talem vel talem esse deprehendero; vel ob tacitum dissensum & repugnantiam animi; vel quia prudenti iudicio talis euentus censetur exceptus: etsi hæc tria parum differant. Accedente autem iuramento, hæc conditio & exceptio non tollitur. iuramentum enim non additur, vt mutet qualitatem actus, sed vt illum secundùm naturam ipsius confirmet. Vnde dici solet, Iuramentum sequi naturam actus super quem cadit. Itaque actus retinet omnes suas conditiones & tacitas restrictiones, quas aliàs per se habet: nisi iurans expressè aliud intendat, volens sibi etiam in illis libertatem adimere. Secundò, Quia iuramentum promissorium interpretandum, Si res in eodem statu permanserint, si notabiliter mutatæ non fuerint, vt docet Siluester Iuramentum. 3 quæst.1.§. Nam tertiò, ex communi sententia Doctorum. atqui non censetur manere in eodem statu, quando posteà aliquid se aperit, quod anteà latebat: nam paria sunt in Iure, aliquid superuenire, & apparere seu incipere cognosci: sicut è contrario paria sunt, non esse, & non apparere; vt colligitur L.77. ff. de contrahenda empt. Denique quotiescumque post iuramentum aliquis casus euenit, quem prudenti iudicio non censeris voluisse tua promissione comprehendere, non obligaris ex vi iuramenti: ergo si ab initio idem casus subsit, sed ignoretur, non censetur comprehensus promissione, ita vt obligeris quando sciueris.

35 Explico exemplis. Primò, Iuramento promisisti puellæ nuptias, putans esse virginem; posteà intelligis occultè fornicatam; non teneris iuramento, quia error dedit causam promissioni: non enim voluisses promittere, si sciuisses; & iudicio prudentis hic euentus censetur exceptus.

Exempla.

Secundò, Iuramento promisisti emere domum Petri, quia putabas bonam; posteà deprehendis vitium in fundamentis, vel esse subiectam lemuribus; non teneris, ob eamdem causam.

Tertiò, Puella dolo inducta à fratribus, renuntiauit cum iuramento hereditati paternæ pro certa dote; non tenetur, si hereditas multò pluris valebat; vt docet Fredericus consil.115.

Quartò, Vendidisti domum tuam, & iuramento promisisti stare contractu: posteà deprehendis te graniter læsum, potes agere ad suppletionem pretij: non enim iuramento intendisti cedere iure tuo, si deceptus esses in pretio; omitto alia. Neque contra hanc sententiam sic explicatam sunt vlla argumenta difficilia. Secùs nonnihil se res habet in votis; quia promissio fit Deo, vt patet ex dictis c.40. dubit.2. vnde si semel est valida, non potest in irritum reuocari propter ea quæ posteà se aperiunt. secùs in promissione quæ fit homini, quæ potest reuocari errore detecto: & hoc sensu iuramentum dicitur inualidum.

Dvbitatio viii.

Vtrùm si quis ficto animo aliquid iuramento promittat, obligetur, & quale peccatum hoc sit.

NOtandum est, in iuramento promissorio posse distingui tria externa, scilicet iuramentum externum, promissionem, & executionem: & tria interna, scilicet intentionem iurandi, intentionem promittendi seu obligandi seipsum, & intentionem exequendi. Itaque tribus modis fieri potest vt quis animo ficto iuret. Primò, Si quis exteriùs iuret sine animo iurandi. Secundò, Si iuret animo quidem iurandi, non tamen se obligandi. Tertiò, Si iuret animo non implendi. 36 *Tripliciter ficte iurari potest.*

Si primo modo iures, scilicet absque animo iurandi, non obligaris ex vi iuramenti coram Deo; quia reuerà non iuras, nec intendis iurare aut Deum testari, sed simulare & fingere te iurare. sicut qui fingit se contrahere matrimonium, exteriùs verba contractus pronuntians absque animo contrahendi, non obligatur contractu matrimonij. Similiter qui fictè promittit, non obligatur vi promissionis. denique omnis actus, qui essentialiter requirit intentionem agentis, est inualidus, si ea intentio desit; vt patet in collatione Sacramentorum, excommunicatione, absolutione, &c. quod maximè locum habet in promissione, donatione, & contractibus, quorum vis tota ex intentione pendet. *Si desit animus iurandi.*

Aduerte tamen, si occasione talis iuramenti obueniat damnum parti, teneris illud sarcire, quia causam dedisti: nisi fortè per iniuriam extortum fuisset; tunc enim iure tuo aduersus illum vti censeris sic iurando. Similiter si scandalum iuramento non seruato nasceretur, teneris ratione scandali. Denique in foro externo cogēris seruare prout sonat; nisi fortè metu extortum fuisset: tunc enim est per Iudicem relaxandum. *Si hoc sit causa damni.*

De

37 *Si desit intentio obligandi. Prima sententia, non obligari.*

De secundo modo est maior difficultas, sunt que duæ sententiæ. Prior est, eum, qui iurat animo se non obligandi, non teneri vi iuramenti. Ita D. Bonauentura in 3.d.39.ar.3.q.2. Scotus ibid.q.vnica, art.3. Silu. Iuramentum 4.q.7. vbi citat Panormit. & alios, & q.19. Angel. Iuramentum. 5.n.31. vbi citat Richardum, & alios, Gabriel d.39. quæstion. 1. art.2. concl.5.

Probari potest hæc sententia, Primò, Qui in aliquo contractu apponit clausulam, quæ sit contra substantiam contractus, non obligatur; quia talis clausula irritum reddit contractum: vt si contraham matrimonium, ita vt nolim obligari ad reddendum debitum, aut ad vinculum perpetuum: si vendam domũ, ea lege vt eam à me non alienem: si promittam alicui 100. aureos, sic tamen vt nolim teneri: atqui hîc apponitur clausula, quæ sit contra substantiam iuramenti; ergo iuramentum non obligat. Nec refert quòd verbis non exprimatur, quia exprimitur mente, à qua sola contractus vim habet. Secundò, Qui ita iurat, reuerà non habet animum seriò iurandi, sed solùm exteriùs verbis; sicut qui contrahit matrimonium cum animo non se obligandi ad reddendum debitum, non censetur seriò velle contrahere: nemo enim potest simul intendere contradictoria. quòd si putet se posse sic contrahere, decipitur, nec ideò contractus vim habet. Tertiò, Deus non acceptat iuramentum, nisi secundùm hominis intentionem, cap. Humanæ aures. 22. quæst. 5. vbi dicitur, *diuina iudicia talia foris nostra verba audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Hæc sententia est valdè probabilis, quia ferè communis, & rationibus probabilibus nititur.

38 *Altera est verior.*

Altera est, Tale iuramentum, si seria intentione iurandi factum sit, obligare, etiamsi animus se obligandi defuerit. Ita Caietanus ar.7. circa Respons. ad 4. quem sequitur Sotus l.3.q.1. art.7. & multi recentiores; quæ mihi videtur verior.

Probatur Primò, Quia obligatio est omnino inseparabilis à iuramento promissorio; nec est in potestate hominis, efficere vt sit tale iuramentum, & ex eo non nascatur obligatio. Secundò, Quicumque aliquid iurat, tenetur efficere vt verum sit quod iurat, nec vlla arte potest hanc obligationem euadere; quia cauendum ei quàm maximè, vt non adducat vel adduxerit Deum in testem falsi: ergo tenetur exequi quod iurauit se facturum, volente eo in cuius fauorem iurauit. Tertiò, In iuramento promissorio est duplex veritas; præsens, scilicet quòd habeas animum implendi: & futura, quòd reipsa implebis: sed non potes efficere vt non obligeris ad veritatem præsentem: ergo neque vt non astringaris ad futuram. Quartò, Ex iuramento nascitur obligatio, non ratione intentionis obligandi, vt in contractibus; sed ex natura operis, sicut ex damno illato nascitur obligatio restitutionis; & ex facto vnde damnum metuitur, nascitur obligatio impediendi: ergo etiamsi intentio obligandi absit, nihilominùs orietur obligatio vi iuramenti.

Obligatio iuramenti non ex intentione, sed ex ipsius operis substantia nascitur.

39 *Respondetur ad rationes diuersa sententia.*

Ad Primam rationem contrariæ sententiæ Respondeo, Hoc esse verum in contractibus, quorum obligatio tota pendet ex intentione: nam hi consistunt in eo, quod est se obligare alteri, & alterum sibi: secùs in iuramento, quod consistit in eo, quòd Deum adducat in testem veritatis præsentis vel futuræ. hoc enim efficaciter facere potes, etiamsi dicas te eius reuerentiâ nolle teneri ad exequendum; nam nihilominùs tenebris, ne eum facias testem falsi circa executionem. Itaque talis clausula, Quòd nolis obligari, non potest efficaciter addi iuramento promissorio, sicut nec contumeliæ, nec detractioni, vel alteri actui, ex quo secuturum est damnum vel alia iniuria in alterum. Addo, illam clausulam non esse contra substantiam iuramenti; quia potest Deus verè in testem adduci, etiamsi nolis eius reuerentiâ obstringi; sed vt summum est contra effectum.

Ad Secundum: Negandum est, talem non habere animum iurandi; supponimus enim, illum velle adducere Deũ in testem, quamuis inde nolit obligari: nam simili modo potest quis testari Regem, & nolle teneri eius reuerentia vel sponsione.

Quomodo possint intendi contradictoria.

Ad Confirmationem: Non potest quis intendere contradictoria expresse, & efficaci affectu: potest tamen implicitè & inefficaciter; vt quando quis vult peccare, & tamen non vult esse reus mortis æternæ.

Ad Tertium: Deus non acceptat, &c. Hoc intelligendum est quoad id quod quis iurat, non autem quoad modum obligandi vel non obligandi.

Discrimen inter votũ & iuramentum.

Ex quibus apparet discrimen inter votum & iuramentum: qua in re falluntur Caietanus, Sotus, & quidam recentiores, putantes vtrobique esse eamdem rationem: nam obligatio promissionis pendet ex intentione, obligatio iuramenti ex ipso facto externo.

40 *Si absque animo implendi.*

Si tertio modo iures, scilicet *absque animo implendi*, quidam insinuant, non nasci obligationem. Silu. enim, Iuramentum 4.q.26. ex Panorm. dicit, eum, qui iurauit se rediturum ad carcerem iniquum, non teneri, si iurauit animo euadendi: secùs si animo se obligandi; & D. Bonauent. in 3.d.39. art.3. qu.2. apertè insinuat, eum, qui iurauit non animo implendi, sed euadendi periculum, non teneri. Confirmatur, quia quicumq; habet animum non implendi, censetur etiam se nolle obligare, vt docet Valentia disp.6.qu.7.p.4. quorsum enim vellet si obligare, si nollet implere? Sanè si rogaretur, statim diceret hanc esse mentem suam. Itaque sicut probabile est non teneri eum qui iurat absque animo se obligandi; ita probabile erit eum non teneri, qui animo non implendi; quia in hoc, illud tacitè censetur contineri.

41 *Animus implendi non requiritur ad obligationem.*

Hæc sententia non videtur improbabilis, quando iuramentum iniquè extortum est. Contrarium tamen est verius & multò probabilius; vt patet ex iis, quæ suprà cap. 40. num.7. de voto dicta sunt. Et probari potest, Primò, Quia est verum iuramentum, factum animo iurandi, & adducendi Deum in testem: ergo inducit obligationem verificandi quod iuratum est, ne facias Deum testem falsi circa executionem. Nec refert vtrùm metu extortum sit an non: quia hæc obligatio prouenit ex natura iuramenti. Secundò, Quia in contractibus, animus non soluendi non tollit obligationem; ergo neque in iuramento. Tertiò, Prius est obligari quàm exequi: obligatio enim non nascitur ab executione, sed executio ab obligatione; ergo ex eo quòd desit animus explendi, non tollitur obligatio, nec animus obligandi: quia sublato posteriore, non tollitur quod prius est. Denique hæc est communis sententia Doctorum.

Ad Confirmat. Qui facit aliquem actum vnde necessariò nascitur obligatio, non potest præsumi nolle

nolle se obligare, nisi expresso actu id nolit; nam ipso actu contrarium facit: quod maximè locum habet in casu proposito; quia obligatio iuramenti non pendet ex intentione iurantis, vt dictum est, sed ex ipso facto. Nec obstat, quòd diceret se nolle obligari, si rogetur; quia quiuis contrahens cum intentione non soluendi, idem diceret, si rogaretur; tamen non ideò censetur se noluisse obligare, cùm absolutè intenderit cõtrahere, & contrahendo se obligauerit. Itaque talis præsumptio locum non habet, quando factum contrarium obstat.

42 *De culpa grauitate in 3. modo.* Quod ad grauitatem culpæ attinet; si tertio modo fictè iures, videlicet absque animo implendi, erit periurium mortiferum: quia cùm duplex veritas requiratur in iuramento promissorio; præsens & futura, deest veritas præsens, nempe animus exequendi. quòd si posteà non exequaris, accedet noua culpa letalis, quia deerit veritas executionis, Deumque de nouo facies testem falsi.

In 2. modo. Si secundo modo, ita vt ipsa fictio versetur circa obligationem, (vt cùm non intendis te obligare) est etiam peccatum mortale, vt rectè Siluester Iuramentum 4. q. 7. Primò, Quia deest veritas præsens, id est, animus exequendi; iurat enim se facturum, quod non intendit facere. Secundò, Quia non intendit se obligare; in eo enim est peculiaris irreuerentia, quòd velit Deum adducere in testem, & tamen nolit eius testimonio obstringi. vnde videtur esse grauius peccatum sic iurare, quàm solùm animo non implendi. Confirmatur, quia si iurares animo implendi, nolendo te obligare non solùm homini promissione, sed neque Deo ratione iuramenti; insignem iniuriam Deo irrogares: ergo addit peculiarem malitiam. quòd si solùm intenderes te non obligare homini, aliquod ius ei tribuendo, sed soli Deo ratione iuramenti, cum intentione exequendi; erga hominem non videretur esse peccatum mortale, quia nihil falsi significatur verbis iuramenti, & non deest animus obligandi, quem natura iuramenti requirit, etiamsi desit animus promittẽdi homini.

In 1. modo. Si primo modo, ita vt fictio sit circa actum iurandi, (vt cùm non intendis iurare, sed simulare iuramentum) distinguendum est: vel enim id, quod iuras, est verum, vel est falsum. si est verum, probabile est non esse peccatum mortale, siue iuramentum sit assertorium, siue promissorium; quia nec homini notabilis fit iniuria, nec Deo grauis irreuerentia. Non homini; quia in opere externo idem futurum est atque si ex animo iurasses; & si opus sit, in foro externo ex tali iuramento cogi potes. Non Deo; tum quia reuerà non adducitur in testem, sed solùm id fingitur & simulatur; tum quia etsi externo actu adducatur, adducitur solùm in testem veritatis.

Iurãs verbis verum absque animo iurãdi.

Contrarium tamen videtur verius, si iures mandato Iudicis, vel in contractu magni momenti: oportet enim tunc sincerè & ex animo iurare; alioquin censetur grauis deceptio, quæ etiam euertit vsum & finem iuramenti, rebus humanis tam necessarium. Ita Caietan. suprà art. 7. ad 4. Sotus art. 7. Si tamen iniquè exigeretur, non esset peccatum mortale sic iurare, vt Sotus docet contra Caietan. quia nulli fit iniuria.

43 *Iurãs verbis falsum.* Si verò sic falsum iures, plerique putant esse peccatum mortale. Ita Caietanus & Sotus suprà, Couarr. in cap. Quamuis pactum. 1. p. §. 5. num. 3. & alij passim. Ratio est, quia externo actu Deus adducitur testis falsi; quod perinde est ac si quis offerret illi sacrificium Iudaicum, v. g. agnum vel vitulum, absque animo sacrificandi; vel adoleret thus idolo absque animo venerandi. Sed hæc ratio non videtur conuincere, alioquin esset peccatum mortale iurare in tali casu cum restrictione mentali: nam externo actu Deus adducitur in testem falsi; & cum simili restrictione adolere thus idolo, laudare Mahumetem, vel solemnia illa Turcarum verba pronuntiare, *Vnus Deus & prophetæ illius Mahumet*, est peccatum mortale. satis enim est, in honore exhibendo actum externum ita fieri, & cum illis circumstantiis, vt meritò videri possit velle sacrificare, laudare, &c. Itaque contraria sententia videri possit non improbabilis, scilicet non esse id peccatum mortale, si per iniuriam cogaris, & falsitas sit penitus occulta: quia neque reipsa iuras falsum, cùm non intendas Deum in testem vocare, sed simulare: neque secundùm prudentem æstimationem potes censeri iurasse falsum; tum quia falsitas est penitus ignota, tum quia iusta causa erat alia mente iurandi. & in hoc casu locum habere posset sententia Panormitani, Angeli, & aliorum, qui volebant iuramentum metu expressum non obligare sub mortali: de quo suprà dubit. 6.

Verùm satius est tenere cum communi, ob rationem allatam.

DVBITATIO IX.

Vtrùm si alio sensu quàm alter intelligit iures, obligeris, & quale peccatum hoc sit.

NOtandum est, hoc dupliciter fieri posse: Primò, Si oratio sit ambigua, & tu de industria alium sensum intendas, quàm is qui iuramentum exigit. Secundò, Si non sit per se ambigua, sed illi tacitè aliquam restrictionem addas. Rursus vel sponte iuras, vel compulsus ab alio, idque vel Iure vel iniuria.

44 *Iuramentũ vi sua obligat secundùm mentem iurantis.* Dico Primò, Qui alio sensu iurauit, non tenetur præcisè ex vi iurisiurandi, nisi iuxta suum sensum. Ita Couarr. in cap. Quamuis pactum. p. 1. §. 5. in principio, Caietan. & Arragonius art. 7. Sotus l. 8. quæst. 1. art. 7. circa 4. argumentum, & multi alij. Probatur Primò, Iusiurandum vi sua solùm obligat ad id quod per ipsum est confirmatum & assertum; quia ad hoc solùm is qui iurat, Deum in testem adduxit: sed solùm id assertum est, quod iurans in mente habuit: ergo solùm ad illud præstandum obstringit. Secundò, Quia iuramentum sequitur naturam promissionis, cui accedit: atqui promissio non obligat vltra intentionem promittentis; ergo nec iuramentum. Tertiò, *Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant. Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. apud homines, cor ex verbis; apud Deum verò verba pensantur ex corde*; vt ait Gregorius l. 26. Moral. cap. 7. & habetur 22. q. 5. cap. 11. Humanæ aures. ergo cùm ex intimis alio sensu proferantur, Deus etiam sic ea accipit, & ita illa confirmare censetur.

45 *Obiectio.* Dices, Reuerentia diuina obligat non solùm vt verifices id quod intendisti iurare, sed etiam quod aliis rationabiliter visus es iurasse: si enim id non serues, videberis periurus, & quantum in te, mi-

nues apud illos honorem diuinum. Confirmatur ex cap.9. Quacumque arte.22. quæst.5.ex Isidoro lib.2.de summo bono c.31. *Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit.*

Resp. Respondeo, Ob hoc argumentum multi DD. videntur sentire contrarium: sed facilè possunt conciliari: nam etiamsi iuramentum non obliget per se & vi sua nisi secundùm mentem iurantis, vt dictum est: tamen ratione damni vel scandali secuturi, potest obligare iuxta mentem exigentis; & hoc solùm probat argumentum allatum. reuerentia enim diuina etiam obligat ad vitandum scandalum in materia religionis; & non solùm vt nihil agas quod contra honorem diuinum verè sit; sed neque quod videatur esse. Deus etiam accipit sicut alter intelligit; quia censet te ad hoc obligatum non præcisè vi iuramenti; sed quia teneris alterum non decipere, causam damni & scandali non dare. sepositò tamen periculo damni & scandali, nulla obligatio grauis nascitur in foro conscientiæ: nam deceptio illa per se non est mortifera. In foro tamen externo cogendus est implere quod secundùm verborum legitimam interpretationem visus est promisisse.

Quomodo obliget iuxta mentem exigentis.

Vtrùm autem teneatur parère si res sit integra, & impletio illi valdè detrimentosa, & scandalum absit, quæri potest. de quo vide suprà cap.18. num.61.

46 Dico Secundò, Quando quis se sponte sua offert ad iurandum, vel legitimè ad hoc compellitur, peccat mortiferè, si alieno sensu iuret. Ita Nauarr.c.12.n.8. Caietan. Sotus, Arragon. suprà, & alij. quod maximè verum est in Iudiciis & contractibus: in his enim est grauis deceptio partis, in illis fit contra obedientiam Superioris, & peruertitur Iudicium. Accedit, quòd quando non subest causa legitima vtendi illa calliditate, videatur falsum iurasse: præsumitur enim iurasse ad mentem exigentis, vt communiter fieri consueuit.

Institores iurantes. Petes, An sit peccatum mortale, quando institores iurant rem sibi tanti vel tanti stetisse, alio sensu quàm emptores intelligant? Ratio dubitandi est, quia dicunt se alia ratione iustum pretium ab emptoribus non posse obtinere, nec per hoc velle aliquid iniusti committere.

Respondeo, Non facilè id esse credendum; tamen si verum sit, non videri eo casu peccatum mortale; sed tunc mortale censendum, quando hac ratione intendunt decipere, & extorquere suprà iustum, vel obtinere pretium summum, quod alioquin emptor dare noluisset; vel alia ratione sunt ei causa damni.

47 *Si iusta causa subsit.* Dico Tertiò, Quandocumque aliquis iniustè cogitur ad iuramentum, vel aliàs habet iustam causam celandi mentem suam oratione ambigua, vel tacita restrictione; non peccat, etiamsi alieno sensu iuret. quod intellige, si necessitas vel vtilitas iuramentum exigat. De *oratione ambigua* est ferè communis sententia, Soti, Caietani, Arragon. suprà, & aliorum. Ratio est, quia cùm non teneatur loqui ad mentem alterius, potest orationem in aliam sententiam vsurpare, & aliena à proposito alterius respondere: & consequenter si ratio postulet, potest illi in eo sensu adiungere iuramentum.

Restrictio occulta. De *restrictione occulta* negant Sotus, Caietanus, Arragon. & quidam alij; quia oratio illa, quæ exteriùs profertur, est falsa: vt si promittas latroni 100. tacitè addendo, si debeo, si ius habes, &c. exteriùs mentiris, quia oratio externa id non significat.

Sed contrarium est probabilius, & tenet Nauarrus cap.12. nu.8.9. & 19. & comment. in cap. Humanæ aures.22.q.5. Siluester, Iuramentum 3. quæst.2. Iuramentum 4. q.7. Angelus, Iuramentum 5. num.9. Adrianus in 4.q. de sigill. confessionis. Maior in 4.d.15. quæst.18. Toletus lib.4. cap.21. & l.5. cap.58 à Valentia disp.5. q.13. p.2. & disp.6. q.7. p.4. & alij multi. v.g. Si reus non iuridicè rogetur, potest dicere, Non feci; mente addendo, in carcere: Non habui complices; puta, in alio crimine. Ita Toletus cap.58. Si venis ex loco, qui putatur falsò infectus peste, potes custodibus oppidorum respondere, te inde non venire, te illac non transisse, intelligendo vel addendo tacitè, Hoc die, vel vbi sit infectio: sic enim respondes ad intentionem eorum remotam; ita Siluest. v. Iuramentum 3. q.2. Toletus l.4. cap.21. Nauarr. suprà. Addit Toletus, *quamuis locus sit infectus peste, si tamen viator non sit infectus, potest vti æquiuocatione; quia non facit contra præcipuam intentionem illorum.* quod intellige, si sit omnino certus à se nihil esse periculi.

Exempla.

Probatur, Quia in his & similibus euentis non tenetur homo totam mentem suam circa rem de qua interrogatur aperire: ergo nec tenetur omnia verba exprimere, quibus ea aperiatur. poterit igitur partem exprimere, & partem tacitus addere. Confirmatur, Quia non magis tenetur totam mentem suam exteriùs declarare coràm isto, quàm dum solus agit & secum loquitur: cùm iste nihil ad hoc iuris habeat. sed dum secum loquitur, non tenetur totum exprimere; sed potest partem in animo retinere: ergo etiam cùm agit cum illis ad quorum mentem non tenetur respondere.

Probatur esse licita.

Nec obstat, quòd illud, quod exprimit, per se sit falsum; quia non intendit per se & solitariè affirmare, sed coniunctum cum eo, quod tacitus addit, cum quo est verum. quod enim exprimitur, solùm est pars totius orationis, quæ cōstat partim locutione mentali, partim externa. quòd autem talis coniunctio rectè fieri possit, si causa subsit, patet Primò, ex Gregorio homil.1.in Ezechielem, vbi dicit, Prophetam connectere orationem externam cum interna, & ideò incipere suam propheriam particulâ copulatiuâ, *Et factum est*, &c. Secundò, Multis Scripturæ exemplis; Genes. 27. *Ego sum primogenitus tuus Esau*; scilicet iure & priuilegio. Iudith 10. quædam dicit sancta Iudith, quæ vix aliter à mendacio excusari possunt, quàm aliqua conditione vel restrictione tacitùs addita. Marci 13. *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius*; scilicet vt Legatus & hominum Doctor. Sic Legatus solet dicere se nescire, quod non habet in mandatis vt aperiat. Ioannis 7. *Ego non ascendam ad diem festum hunc*, scilicet modò, vel manifestè, vt soleo. Neq; etiam obstat quòd alter inde decipiatur, quia non directè intendis decipere, sed tegere tuam intentionem, ne ipse eam cum tuo incōmodo cognoscat. quòd autem ipse falsum iudicium sibi formet, ad hoc solùm permisiuè te habes, quia iure tuo vteris: & ipse si omnino prudenter agere voluisset, debuisset iudicium suspendere, & cogitare posse iustam causam celandæ veritatis subesse. accedit,

cedit, quòd nihil incommodi ex illa deceptione ei proueniat.

48 *Quando fas adhibere iuramentum.*

Ex his patet, quotiescumq; licitum est vti oratione ambigua, vel tacita restrictione; licitū etiam esse vti iuramento, si necessitas vel notabilis causa postulet. numquam tamen licitum est vti hoc artificio orationis, nisi quando iustè possumus veritatem occultare; vt si aliquod malum vel incommodum aliter non possit auerti. Si absque iusta causa fiat, est abusio orationis contra virtutem veritatis, & ciuilem consuetudinem, ac proinde est peccatum; etsi propriè non sit mendacium.

Si ioci causa.

Quòd si tali orationi, cùm iusta causa non subest, addatur iusiurandum; vt si iures Principem esse in oppido, intelligendo pictum, ioci causâ, erit graue peccatum; quia est magna irreuerentia, suis iocis Deum testem adhibere. Fortè tamen non erit mortiferum, si scandalum absit; nam reuerà non est periurium, cùm id quod iurare intendis, falsum non sit. quia tamen falsum esse exteriùs videtur, in foro externo periurium esse præsumeretur.

Iurās quòd se non commendarit.

Ex dictis etiam colligitur quid dicendum sit, quando quis electus ad magistratum cogitur (vt quibusdam locis fit) sub graui pœna acceptare, & nihilominùs cogitur iurare se nihil egisse vt commendaretur. Eo enim casu si contrà fecit, & res adhuc est integra, tenetur quantum in se est curare ne electores, apud quos se commendauit, habeant rationem illius commendationis, sed purè spectent bonum cōmune, & merita personarum. quod si illi fecerint, poterit iurare quòd se non commendauerit, intelligendo tacitè *commendatione efficaci*, ex qua sit electus. De tali enim intelligendum est statutum postulans iuramentum. verba enim cum effectu intelligenda sunt. actus enim inefficax perinde est ac si non fuerit. Non enim tenetur delictum occultum fateri quod est impertinens ad propositum. Sic si aliquid promisisti alicui electorum vt te eligeret in Prælatum; si ille te non eligat, vel tuæ promissionis nullam rationem habeat, electio non est vitiosa: & si cogaris, potes cum debita limitatione interna iurare te nihil promisisse. Ratio autem cur teneatur, re adhuc integra, reuocare suam commendationem, est, quia tenetur curare vt possit iurare secundùm mentem statuti; alioquin tacitè consentit in periurium, illius periculo sponte se exponens. Si autem res non est integra (vt si electio iam facta est) vel non possis reuocare quod fecisti; adhuc sentio te posse iurare cum restrictione mentali: nimirum, quia non fecisti publicè, vel eo modo vt sit probabile in iudicio. quia non teneris fateri crimen occultum, cùm non est infamia, aut probatio semiplena, aut indicia æquipollentia, vt communiter Doctores tradunt; de quo suprà cap. 31. dub. 3. Confirmatur ex doctrina Alexan. Imolensis & Bartoli communiter recepta in L. 2. C. Si seruus aut libertus. n. 2. Vbi docent, eum qui eligendus est in Iudicem, si interrogetur an habeat aliquod impedimentum, non teneri vitium occultum (v. g. infamiam ibi occultam) pandere: nimirum quando impedimentum est tale, vt non impediat officij administrationem. si non tenetur fateri, poterit etiam sano sensu iurare, se illius expertem, si necesse fuerit, vt si nec officium nec iuramentum detrectare possit.

Secùs est cùm quis rogatur de impedimento matrimonij vel Ordinum: tum quia hæc impedimenta impediunt executionem: tum quia sponte quis se ad illa offert. Quòd si sub graui aliqua pœna cogeretur matrimonium vel Ordinem capessere, non teneretur occultum impedimentum, vnde infamia gigneretur, patefacere: & sufficeret, coactione cessante, facere quod Ius præscribit.

Addo tamen, grauiter peccare eos, qui vbi huiusmodi sunt statuta & iuramenta in vsu, se commendant: quia præterquam quòd faciunt contra statutum in re graui, faciunt etiam contra iuramentum futurum, quod intendunt iurare; & ita consentiunt in periurium. vnde & posteà tenentur suam commendationem irritam reddere, si res adhuc est integra: & in iurando non possunt vti restrictione interna, si vllo modo absque graui incommodo possunt illud vitare, etiam magistratum detrectando.

Dvbitatio X.

Vtrùm fas sit deferre iusiurandum ei, quem putas peieraturum.

49 REspondeo, Fas non esse, nisi iusta causa subsit: quia quantum in nobis est, tenemur tantam Dei iniuriam & proximi peccatum vitare & impedire. vide D. Augustinum ser. 11. de Sanctis, vbi refert exemplum de quodam Tutolymeno, qui diuinitus in raptu flagris affectus fuit, eò quòd iuramentū à proximo in tali casu exegisset. *Tutolymenus.*

Potest tamen sæpè iusta causa subesse, ob quam hoc sit licitum. Primò, Si sis Iudex, & pars id postulet, vel aliàs ratio officij exigat; vt cùm adducuntur testes, vel proceditur via inquisitionis. Ita D. Thomas q. 98. art. 4. & Caiet. ibidem. Couar. in cap. Quamuis pactum, p. 1. §. 6. num. 3. & alij. Iudex enim non debet sequi priuatam scientiam, sed præscriptum Iuris, adhibendo ea quibus solet elici veritas: alioquin daret iustam occasionem scandali; quod illi magis cauendum, quàm peccatum priuati, quando tamen Iudex id commodè potest declinare, (vt si aliud remedium facilè possit adhibere) tenetur. sic non potest exigere iuramentum à Clerico de relinquenda concubina, vt habetur cap. Clericos. 3. de cohabitatione Clericor. & mulier. quia metuendum est ne periurium incurrat; & alia remedia supperunt. Secundò, Si alterius causam agas, & ratio officij tui postulet vt ab aduersario iusiurandum petas. si enim omittas, videberis præuaricari. Tertiò, Si speras illum reuerentiâ Numinis non ausurum peierare, & aliàs magni tua interfit. D. Thomas suprà: quia quod exigitur, per se licitum est, & finis qui speratur, bonus, & iusta necessitas interuenit. Quartò, Addi potest, si eius periurio possis vti in tuum commodum, v. g. ad eius fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam, vt sic iniuriam euadas, aut Ius obtineas: tunc enim licitum est illius periurium permittere. Sic Deus ob bonos fines multa mala permittit: sic licitum permittere furtum famuli, vel filij, vt explores indolem, vt ipsos corrigas, vt tibi in posterum caueas. *Casus quibus licet. Iudex Ecclesiasticus.*

50 Petes, Quid si norim illum iuraturum per Mahumetum, vel idolum? *Si per falsos deos.*

Respondeo, Nihilominùs in contractibus & aliis causis, vbi est iusta ratio ad damnum vel iniuriam cauendam, potes exigere, vel etiam coge-

re vt iuret; non quidem determinatè tali modo, sed absolutè & in genere: quod est quotidianum apud mercatores qui cum infidelibus cõtrahunt. Sic Laban iniens fœdus cum Iacob, iurauit per Deum Abraham,& Deum Nachor, Gen. 31. sine tamen iusta causa non licet. Vide Augustinum epist. 154. ad Publicolam, & Serm. 30. de verbis Apostoli, qui totus est de iuramento.

51 *Vtrũ maius peccatum.* Petes, Vtrum sit maius peccatum, iurare per verum Deum fallaciter,an per falsum veraciter?

Respondeo,Per se maius peccatum esse, iurare per falsum deum veraciter, si ex animo iures: quia veneraris illum animo & affectu pro vero Deo, quod est idololatria. potest tamen minus esse peccatum, vel ratione ignorantiæ, per quam gentiles multùm excusantur; vel quia non iuras ex animo: & hoc modo intellige D. Augustin. epist. illa 154.vbi contrarium affirmare videtur.

Dvbitatio xi.

Vtrùm sit maior obligatio iuramenti quàm voti.

D.Thomas art.8.

52 *Iuramentum promissorium.* NOtandum est,hanc quæstionem potissimùm habere locũ in iuramento promissorio, quo aliquid Deo vel homini promittitur. Ac primùm, si aliquid iuramento promittas Deo, certum est te magis obligari, quàm si solùm voueas Deo; quia illud iuramentum etiam continet votum. vnde est duplex in eo vinculum. Nec refert vtrùm expressè an tacitè promittas; vt si iures te daturum eleëmosynam; quia tale iuramentum soli Deo factum, censetur continere votum: continet enim tacitam promissionem ad ipsum directam. Sed

Difficultas est,si nihil Deo promittas,sed solùm homini,vtrùm talis iuramenti maior sit obligatio, quàm voti,quo simile quid Deo voues. D.Thom. *Sententia D. Thomæ.* negat;quia magis tenemur esse fideles Deo in promissis, quàm reuerentes in verificando quod per nomen eius promisimus. qui enim est infidelis Deo,peccat contra reuerentiam & fidelitatem; qui autem non verificat quod per Deum iurauit, solùm contra reuerentiam Deo debitam. Hæc sententia est probabilis, eamque sequuntur Caietan. & alij Thomistæ,& multi DD. Sed contrà

53 *Rationes ob quas iuramenti obligatio videtur maior.* Obiici potest Primò, Qui non implet quod iurauit, facit Deum testem falsi: at hoc est grauius, quàm ei non seruare fidem in promissis; per illud enim tribuitur Deo aliquid, quod ipsius naturæ repugnat; per hoc solùm officium debitum defertur. Secundò, Periurium contra veritatem præsentem (vt cùm quis iuramento assertorio iurat falsum, vel promissorio absque animo implendi) est grauius peccatum quàm violatio voti: ergo iuramentum magis obligat, saltem ad illam veritatem procurandam, quàm votum ad soluendum promissum. Antecedens patet,tum ex grauissimis pœnis, quæ periuris apud omnes gentes statutæ sunt; plectuntur enim vel morte, vel manus aut linguæ præscissione, vel aliis modis corporaliter; & Iure Canonico depositione: tum quia sunt infames vel ex vno actu: tum denique quia in tali periurio censetur esse maior contẽptus Numinis. qui autem semel vel iterùm violat votum,non habetur ita sceleratus, nec infamis. Tertiò, Iuramentum duplicem obligationem inducit; obligat enim non solùm erga Deum, sed etiam erga hominem, cui fit iniuria si violetur: votum solùm obligat Deo;ergo,&c.

Dices, Potest quis iurare nemini aliquid promittendo; vt si iures te daturum eleëmosynam. *Obiectio.*

Respondeo, Tale iuramentum fit intuitu Dei, vt illi placeas; itaque continetur in eo tacita promissio erga Deum, quæ iuramento confirmatur: vnde erit in eo duplex vinculum. Quòd si quis tale iuramentum ita faciat, vt non intendat quidquam alicui promittere, sed solùm affirmare quid sit facturus, nihilominùs hoc vinculum per se fortius erit vt verificet quod dixit, quàm vinculum voti, vt ex secundo argumento patet. *Resp.*

Ob has rationes hæc sententia est valdè probabilis, quam tenet Ioannes Maior in 4. d. 38. qu. 5. Michaël Medina lib. 5. de continentia c.22.& 23. & alij quidam recentiores. Nauarr.c.22.num.32. conciliat has sententias conciliare; dicitque sententiam Maioris esse veram, quando vtrumque fit principaliter in honorem Dei, vel vtrumque principaliter in commodum proximi. sententiam autem D.Thomæ esse veram, quando votum fit principaliter in honorem Dei, iuramentum in commodum proximi. vbi satis indicat Nauarrus, iuramentum per se & ceteris paribus maius vinculum inducere. Quod si verum est, sequitur etiam in hoc vltimo casu (quando votum fit potissimùm in honorem Dei, & iuramentum in commodum proximi) magis obligare; nam in iuramento est duplex obligatio, scilicet religionis erga Deum,quæ per se est firmior; & iustitiæ erga proximum: in voto solùm est vna obligatio, scilicet religionis erga Deum. *Conciliatio Nauarri.*

Ad rationem alterius sententiæ: Periurium non solùm est contra simplicem reuerentiam Deo debitam, sed etiam contra perfectionem diuinam: nam periurus, quantum in se est, facit Deum testem falsi. In violatione voti, esse contra reuerentiam & contra fidelitatem, non sunt duæ malitiæ disparatę,sed altera pendet ex altera; ideò enim est contra reuerentiam, quia est contra fidelitatem debitam ex promissione supremo Domino: violare enim fidem domino suo, irreuerentia est in illum & quamuis essent distinctæ, non tamen omnino æquarent malitiam periurij. 54 *Ad rationẽ contrariæ sententiæ.*

Ratio tamen D. Thomæ benè probat, opus, quod ex voto fit, esse Deo gratius, & magis meritorium quàm quod ex iuramento; quia illud immediatè offertur Deo, & ex affectu illum honorandi: itaque induit speciem actus religionis. hoc verò ordinariè non procedit ex tali affectu, sed ex affectu iustitiæ erga proximum, vel timore iniustitiæ aut periurij; neque exhibetur Deo, sed proximo.

Dvbitatio xii.

Quibus modis tollatur obligatio iuramenti, & cuius auctoritate.

DVpliciter tolli potest obligatio à iuramento. Primò, Impediendo ne illam ab initio inducat. Secundò, Tollendo iam inductam. Impediri potest obligatio iuramenti per legem, si lex statuat vt iuramentum contractui vel promissioni alicui adiectum,sit irritum, & nullam inducat obligatio- 55 *Impeditur obligatio iuramenti per legem.*

ligationem. Sic Concilium Trident. sess. 25. c. 16. de Regul. irritum reddit iuramentum adiectum renuntiationi bonorum, si fiat ante bimestre, quod præcedit professionem : de quo suprà cap. 41. num. 39. 40. Sic in regno Lusitaniæ irriti reddunter per legem omnes contractus, obligationes, conuentiones, promissiones, remissiones, & distractus iuramento confirmati, si alioquin ad forum sæculare eorum cognitio pertinebat : nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit. Simili ferè modo in regno Castellæ ; exceptis quibusdam contractibus, vt refert Molina disputat. 149. Quod ideò factum est, ne lites super huiusmodi contractibus traherentur ad forum Ecclesiasticum. iuramentum enim facit, vt causa, quæ aliàs merè est ciuilis, fiat fori mixti. vt patet ex cap. fin. de foro competenti, in 6.

56 *Quomodo fiat vt obligatio impediatur.*

Sed difficultas est, quomodo potestas humana hoc possit, cùm obligatio naturaliter & necessariò resultet ex iuramento ; Iure enim naturæ tenemur cauere ne Deum faciamus testem falsi, vt suprà ostensum est num. 38. Omissis variis sententiis ; quæ rem non explicant, nec punctum tangunt,

1. Reddēdo inhabilem ad acceptandum

Respondeo, Dupliciter intelligi posse id fieri. Primò, Eum in cuius fauorem fit, reddendo inhabilem ad acceptandum. cùm enim iuramentum promissorium non obliget, nisi promissio acceptetur ab eo in cuius fauorem factum est ; si hic sit inhabilis ad acceptandum, nulla potest nasci obligatio. Quòd autem talis inhabilitas etiam lege ciuili induci possit, non videtur dubitandum ; quia lex ciuilis potest reddere inhabilem ad officia, ad contractus, ad alienationes, ad acquisitionem bonorum, & similia : cur non etiam ad validè acceptandum alterius promissionem? Verùm hic modus non videtur sufficiens : quia etiamsi acceptatio sit inualida, & contractus irritus, iuramentum tamen non reuocandi talem contractum potest esse validum, vt patet in contractu minoris quo alienat rem immobilem sine auctoritate Iudicis, adhibito iureiurando de non contraueniendo : & in contractu pupilli qui pubertati proximus.

2. Condonando obligationem.

Secundò, Intelligi potest id fieri condonando seu remittendo obligationem, hoc ipso quo iurans tentat illam inducere : cùm enim iuramentum promissorium non obliget, si ille, cui fit, statim remittat, (nam sub hac tacita conditione, *Si velis, Si non remiseris*, fieri censetur) etiam non obligabit, si Superior illius ex iusta causa remittat. hæc enim remissio non est minùs efficax quàm remissio inferioris, cuius interest, & eam virtute continet : vnde non minùs resistit obligationi, quàm illa. quare etiam lex irritans eidem obligationi resistet, cùm talem remissionem continere censeatur. Et hoc modo videntur etiam leges ciuiles, posita iusta causa, posse impedire iuramenti vinculum in materia ciuili. de quo vide Couarru. in cap. Quamuis pactum par. 1. §. 3. num. 25. & sequentibus.

3. Prohibendo executionem.

Alio modo impediri potest obligatio, quando prohibetur executio, ita vt sine peccato fieri non possit : quomodo putant multi impediri obligationem pœnæ conuentionalis sponsalibus appositæ & iuramento confirmatæ, de quo suprà cap. 17. dub. 7.

57 *Quo modo tollatur ità inducta.*

Obligatio iam inducta tolli potest quinque modis.

Primò, Mutatione materiæ ; vt si res iurata fiat impossibilis iuranti, aut illicita, Superiore vetante : quo modo etiam potestas sæcularis subinde vti potest. *1. Mutatione materiæ.*

Secundò, Condonatione ; vt si is, in cuius fauorem factum est, remittat obligationem ; quiuis enim potest condonare promissionem factam in suum fauorem, etiamsi facta sit in modum voti ; vt si voueas Deo, & iures te ducturum Catharinam pauperem, vel daturum illi dotem vt meliùs nubat. Contrarium tenet Sotus lib. 8. de Iustitia quæst. 1. art. 9. & quidam alij. *2. Condonatione.*

Sed Probatur : Quia qui facit tale votum vel iuramentum, non intendit se obligare nisi sub tacita conditione, Si ille, de cuius commodo agitur, velit acceptare. non enim intendit inuitum ad beneficium acceptandum cogere, vel nolenti obtrudere : ergo si ille nolit, vel condonet, non obligatur ; cessat enim conditio sub qua obligatio inducta est. eodem ex iusta causa vti potest ciuilis potestas.

Tertiò, Commutatione ; vt si ille, cui factum est, concedat aliud opus loco illius quod iuramento promissum est, præstari. Vbi Notandum est, quando talis commutatio facta est, iurantem non teneri ex vi iuramenti ad illud in quod facta est ; quia illud iuramento non promisit : sed ex pacto, quo illud loco alterius acceptauit. Pari modo si iurasti soluere ad certum diem, & creditor terminum proroget ad mensem, non teneris post illum diem ante finem mensis ex vi iuramenti, sed solùm ex pacto. Secùs tamen est in commutatione voti : quia dum acceptas commutationem, tacitè Deo promittis id in quod fit commutatio ; quæ promissio cùm Deo fiat, habet vim voti. Ratio est, quia Prælatus commutans non condonat nomine Dei priorem obligationem, nisi ea lege vt loco illius aliam suscipias ; non erga seipsum, sed erga Deum ; quia non suo, sed Dei nomine agit : atqui hæc obligatio erga Deum est voti : ergo, &c. Confirmatur, quia si creditor commutet volente debitore aliquod debitum in aliud, hoc ipso, quo debitor acceptat, censetur illud promittere & se obligare. *3. Commutatione.* *Discrimen inter commutationem voti & iuramenti.*

Vt autem intelligatur à quo hæc commutatio fieri possit, Notandum est, omne iuramentum promissorium fieri vel in honorem Dei, & sic continet votum ; vel in fauorem hominis, & tunc vel acceptatur, vel non acceptatur. Si fiat in honorem Dei, (vt si iures te auditurum Sacrum, daturum alicui pauperi eleëmosynam, seruaturum continentiam) commutari potest ab eo, qui simile votum potestate ordinaria commutare potest, vt communiter docent DD. 58 *A quo fieri possit commutatio iuramenti.*

Vnde sequitur Primò, Episcopum & alios Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, posse omnia talia iuramenta, præter ea quæ implicant votum Pontifici reseruatum, commutare. Secundò, Omnia talia iuramenta extingui professione Religionis approbatæ. Tertiò, Quemuis posse talia à se facta in melius commutare, quod colligitur apertè ex cap. Peruenit. 2. de iureiurando. Nec refert, etiamsi tale iuramentum cedat in commodum tertij ; quia si promissionis verba ad illum directa non sint, nullum ille ius acquirit, sicut suprà cap. 40. n. 90. de voto dictum est. Si autem fiat in fauorem hominis, & validè sit acceptatum, non potest commutari ab alio, ipso *Corollaria 3.*

inuito, nisi interceſſerit iniuria, vel in pœnam iuſtam, vel bonum commune aliud poſtulet, vt ſtatim dicemus.

59 *An Regulares poſſint. Multorum ſententiâ poſſunt.* Petes, Vtrùm Regulares, qui ex priuilegio & poteſtate delegata commutant vota, poſſint etiam commutare iuramenta de eadem materia? Multi ſentiunt poſſe. Primò, Quia iuramenti vinculum per ſe minus eſt quàm voti, ſecundùm D. Thomam & plurimos DD. at cui cõceſſum quod maius eſt, cenſetur etiam conceſſum quod minus: Secundò; Quia obligatio iuramenti promiſſorij per ſe euaneſcit, ſublata promiſſione per condonationem vel commutationem: ergo qui poteſt vinculum promiſſionis ſeu voti tollere, poteſt etiam tollere vinculum iuramenti. Confirmatur, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis; reg. 42. de regulis Iuris, in 6. ſed iuramentum eſt acceſſorium voto: ergo ſublato voto tollitur iuramentum. Tertiò, Quia huiuſmodi iuramenta etiam ſunt vota; ergo qui poteſt in omnibus votis, poteſt etiam in illis iuramentis. Hanc ſententiam tenet Petrus Arragonius art. 12. Didacus Lopez tract. de voto q. 5. num. 42. Viualdus cap. 14. q. 8. & alij multi recentiores. Idem ſentire videntur, qui dicunt idem iudicandum de abſolutione à voto, & à iuramento, vt Silueſt. Iuram. 5. q. 3. Sotus lib. 8. q. 1. art. 9. Fumus v. Iuram. num. 19. & alij.

60 *Obiectio. Priuilegia.* Dices, Hæc facultas commutandi & diſpenſandi eſt priuilegium: priuilegia autem ſunt ſtrictè interpretanda, cap. Cùm in illis. 16. cap. Cui de non ſacerdotali. 27. de præbendis, in 6. quia Iuri communi derogant: vnde etiam dicuntur odia Iuris: odia autem ſunt reſtringenda, vt habetur regula 15. de regulis Iuris, in 6.

Reſp. Reſponderi poteſt, talẽ facultatem, conceſſam in fauorem aliquorum particularium, cenſeri priuilegium, & odium Iuris; ac proinde ſtrictè eſſe interpretandam: ſecùs verò quando conceſſa in fauorem publicum; etiamſi alicui particulari conceſſa ſit; tunc enim cenſeri non priuilegium & odium Iuris, ſed fauorem & beneficium Principis. vnde latè eſſe interpretandam, quantum verba patiuntur, iuxta regulam dictam, *Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari.* Ita Panormitanus in cap. final. de ſimonia, & Gloſſa ibid. & alij paſſim. quod multò magis locum habet, quando conceſſa eſt non particulari alicui, ſed integro Ordini: tunc enim non ſolùm non cenſetur odium Iuris, ſed etiam æquatur Iuri communi, inſerto corpori Iuris, adeò vt per Bullas & alias reſeruationes ei non derogetur, niſi habeant expreſſam clauſulam derogatoriam: quod etiam ſignum eſt eſſe merum fauorem & beneficium, ac proinde latiſſimè interpretandum; beneficium inquam, non tam Ordinis, quàm populi Chriſtiani. Nec obſtat ſi dicatur vinculum iuramenti eſſe fortius; hoc enim intelligendum manente vinculo promiſſionis: ſi tamen hoc per condonationem ſoluatur, ſtatim per ſe euaneſcit vinculum iuramenti. Hinc videmus, iiſdem cauſis ſolui ſponſalia iurata, quibus ſoluuntur ſimplicia; quia eamdem tacitam conditionem habent.

Contrarium tenet Nauarr. cap. 27. n. 275. Enchiridij. Ioannes Azorius lib. 11. cap. 10. qu. 2. & quidam alij recentiores, quorum ſententia eſt magis conformis ſtylo Curiæ Romanæ. ſolet enim tamquam ſpeciale priuilegium concedi poteſtas commutandi iuramenta.

Sed vtendum videtur diſtinctione. Si enim iuramentum fiat animo promittendi Deo, ita vt includat votum; commutari poteſt ab iis qui vota ſimilia commutant. Ratio eſt, quia iuramentum eſt voto acceſſorium. vnde qui poteſt tollere obligationem voti, eo ipſo poteſt tollere obligationem iuramenti. acceſſorium enim ſequitur ſuum principale; & ſublato fundamento, ruit quod illi innititur. Simili modo qui poteſt tollere promiſſionem factam homini, poteſt etiam iuramentum tollere quo illa promiſſio confirmata fuit. Excipio promiſſionem minoris iuramento confirmatam. quia iuramentum diſpoſitione legis facit ipſum quaſi maiorem, vt infrà num. 61. dicetur. Si verò non fiat animo promittendi Deo, ſed ſolùm firmandi ſe in bono propoſito; vel ſi apponatur voto principaliter & non acceſſoriè, non poteſt commutari à priuilegiatis, niſi priuilegium habeat vt poſſint commutare iuramenta abſque præiudicio tertij. Ratio eſt, quia tale iuramentum vel non includit votum, vel ſaltem non eſt voto acceſſorium, ſed additur principaliter & immediatè ad obligandum ſe ad opus. Vnde cùm vinculum iuramenti ſit valdè diuerſum à vinculo voti, poteſtas conceſſa circa vota non poteſt extendi ad iuramenta. Tunc autem iuramentum eſt voto acceſſorium, quandò ſolùm fit ad confirmandum votum, ne videlicet contrà fiat quamdiu manet obligatio promiſſionis. & tunc iuramentum retinet omnes tacitas conditiones quas habet votum. itaque cùm votum habeat hanc conditionem, *niſi condonatum vel commutatum fuerit*, &c. poſita hac conditione, ceſſat vis iuramenti. Similiter ceſſat, ſi quo caſu deſinat obligatio voti. nam iuramentum ſolùm obligat, quamdiu manet vis voti ſeu promiſſionis. Tunc verò non eſt acceſſorium ſed principale vinculum, quando apponitur non ſolùm ad confirmationem voti, ſed per ſe primò ad firmandum animum in bono opere ſiue ceſſet obligatio voti, ſiue non. nam mens eſt obligare ſe ad opus, quia Deo gratum, ſalutare animæ, &c. Vnde non ceſſat obligatio talis iuramenti, niſi contingat opus non eſſe Deo gratum, vel maius bonum impediat, vel reddatur impoſſibile. Nec alias tacitas conditiones habet tale iuramentum.

Dupliciter apponitur iuramentum.

Quando ſit acceſſorium voto.

Quando non ſit acceſſorium.

Quartò, Tolli poteſt irritatione, vt quando materia iuramenti promiſſorij ſubeſt alterius poteſtati, ſiue ille ſit Eccleſiaſticus, ſiue laicus; ſiue perſona publica, ſiue priuata. ſicut dictum eſt de voto. Hoc modo interdum irrita redduntur à Conciliis & Summis Pontificibus iuramenta, quæ fiunt in Capitulis à Canonicis de ſeruandis ſtatutis & conſuetudinibus, de acceptando vel non acceptando beneficio, & ſimilia. & quæ fiunt in Vniuerſitatibus à Baccalaureis de non ſuſcipiendis alibi gradibus, & alia id genus; vt notat Caietanus art. 9. cenſetur enim in huiuſmodi ſemper excepta poteſtas Superioris, quam inferiores per ſuum iuramentum reſtringere non poſſunt. 61 *4. Irritatione.*

Hinc patet, omnes eos poſſe irritare iuramenta, qui vota eiuſdem materiæ irrita reddere poterant.

Hìc tamen excipienda iuramenta minorum: etſi enim curatores poſſint irrita reddere vota realia ipſorum, quatenus eorum adminiſtrationi officiunt, vt ſuprà cap. 40. dub. 14. dictum eſt: non tamen iuramenta, vt colligitur L. 1 & 2. C. Si aduerſus venditionem; vbi etiam non conceditur illis reſtitutio in integrum, etiamſi ex contractu læſi ſint,

Iuramenta minorum non irritantur.

sint, si iuramento illum confirmarunt: quia iuramentum supplet defectum ætatis, eosque dispositione legis efficit maiores, vt ibidem Doctores notant. Nec refert quòd prædictæ leges loquantur solùm de contractibus; quia eadem est ratio in votis, vt patet ex dicta L. 1. non enim minùs perfidia & periurium in votis locum habere potest, quàm in contractibus.

Impuberum tamen iuramenta irritari possunt à tutoribus, sicut & vota; quia nihil Iura in contrarium statuerunt, & aliàs non sunt sui iuris, sed subsunt in omnibus regimini tutorum; & habetur expressè 22.q.5.cap.Pueri.15.

De iuramentis filiifamilias dicendum sicut de votis eiusdem. Vnde sicut pater potest in irritum reuocare vota filij de bonis aduentitiis, non solùm ante vigesimumquintum annum facta, sed etiam in vlteriore ætate, eò quòd illa iuri ipsius officiunt; ita etiam iuramenta de iisdem: non enim per ætatem eximitur à patria potestate, vt communiter tradunt DD. in L. vlt. §. Pupillus. 7. de verb. obligat. nec ratione illius acquirit vsumfructum aut administrationem suorum aduentitiorum. Vide Sancium lib.6.de matr. disp.39.n.10.

62 *5. Dispensatione.*

Quintò, Dispensatione, seu absolutione. hæc fit auctoritate solius Superioris. Et quidem si iuramentum habeat speciem voti, absoluere ab eo potest, qui potest à voto eiusdem materiæ absoluere ordinaria potestate. Si autem solùm delegatam potestatem à voto absoluendi habeat, multorum quidem iudicium est, etiam posse à iuramento eiusdem materiæ. sed dicendum est iuxta distinctionem datam suprà num. 60. Si verò factum est in fauorem tertij, & acceptatum, Superior absoluere non potest, nisi legitima causa subsit; quia non potest ius alterius tollere sine iusta causa. Causæ iustæ sunt; Primò, Si metu vel fraude extortum. Secundò, Si alia iniustitia intercessit; vt cùm vsurarius exigit iuramentum de soluendis vsuris. Item quando quis in contractu grauiter læsus est, & coactus est illum iuramento confirmare, vel non aduertens illam læsionem, sponte confirmauit. Tertiò, In iustam pœnam. Quartò, Si bonum commune postulet; vt si filiusfamilias cum iuramento renuntiet Macedoniano; de quo suprà cap.20. num.9. si cum iuramento promittas non accusare, &c.

Causa dispensandi in iuramento præstito in fauorem tertij.

63 *Quomodo possit vinculum iuramenti laxari.*

Sed difficultas est, qua ratione possit Superior in his euentis iuramenti vinculum relaxare. non enim sicut Prælatus nomine Dei condonare potest promissionem Deo factam, ita etiam condonare potest obligationem, qua teneris Deum non facere testem falsi, cùm nec ipse Deus hanc obligationem tollere possit: hoc enim esset dare licentiam periurij, ac irreuerentiæ & iniuriæ in Deum.

Hanc difficultatem apud nullum Auctorem inueni explicatam; cùm tamen sit satis obscura & perplexa. Mihi dicendum videtur, iuramenti vinculum non posse vllo modo tolli, nisi appositione vel subtractione alicuius conditionis, quæ tacitè censebatur ex natura rei vel Iuris dispositione inclusa promissioni, vel iuramento promissioni apposito. Qui enim aliquid promittit alteri, tacitè subintelligit has conditiones, *Si velis, Nisi remittas, Nisi Superior, cui materia subest, contradicat, Nisi ipse sua auctoritate condonet*, &c. Hinc dici solet, in iuramento censeri exceptam Superioris auctoritatem. Itaque quando per iniuriam extortum est, ille Superior potest relaxare iuramentum, qui sua auctoritate potest remittere solutionem. quod vt meliùs intelligatur,

Subtractione conditionis soluitur.

Notandum est, in iuramento promissorio binas interuenire obligationes erga eum in cuius fauorem præstatur. quarum altera præcisè oritur ex promissione, altera ex ipso iuramento. Ex promissione oritur quædam obligatio saltem fidelitatis aut veritatis; cui si non satisfacias, censeris perfidus aut mendax. Verùm si promissio per iniuriam extorta est, facilè potest hæc obligatio elidi ab eo qui iniuriam passus est, ita vt ne quidem ex decentia aut honestate teneatur ei satisfacere, quando est solitaria. potest enim ratione iniuriæ seipsum restituere in integrum, vel vti quasi compensatione, non soluendo promissum, cùm solùm agatur de commodo promissarij qui per iniuriam promissionem extorsit. Ne autem promissor id facere possit, & sic eludere promissarium, exigi solet iuramentum quo Deus vocatur in testem, nimirum vt puniat promissorem nisi præstet quod promisit, & ita promissor reuerentia & timore Dei moueatur ad soluendum; sicque ex iuramento nascitur noua obligatio erga promissarium ad præstandum promissum in ipsius commodum. Ita enim Deus adducitur in testem promissionis & solutionis futuræ, vt nisi eam præstes, censearis Deo fuisse irreuerens & iniurius, vt qui illum feceris testem falsi.

Duæ obligationes in iuramento promissorio.

Vnde patet, hìc esse duas obligationes, seu duo debita erga promissarium, quibus censeris ei debere soluere promissum; alterum ex fidelitate vel veritate, alterum ex vinculo Religionis erga Deum. Vtraque tamen obligatio ex natura rei habet hanc tacitam conditionem, *Nisi promissarius remiserit*, vel, *Nisi legitimè remissio interuenerit*. Potest enim promissarius omnem obligationem, & omne debitum quod illi siue ex promissione nuda, siue ex iuramento accedente, obuenit, condonare, cùm totum in ipsius gratiam & fauorem factum sit. Itaque si promissarius condonet promissionem seu promissionis executionem, totum debitum euanescit, etiamsi promissio iuramento fuerit stabilita: quia obligatio iuramenti erat accessoria promissioni, eique tamquam fundamento nitebatur, & hanc tacitam includebat conditionem. Vnde non potest condonari promissio, quin simul condonetur & euanescat obligatio iuramenti. potest tamen condonari obligatio iuramenti, salua manente obligatione promissionis vel contractus, quia hæc non pendet ab illa, cùm sit prior, & fundamentum illius. Vnde quando contractus aliquis inter duos est initus, & vtrimque iuramento confirmatus, potest vterque alteri facere gratiam iuramenti, condonando obligationem ex iuramento ortam, salua manente propria obligatione contractus. Idem dicendum quando promissio aliqua fuit iuramento stabilita: potest enim promissarius, in cuius fauorem & promissio & iuramentum factum est, condonare omnem obligationem quæ ad implendam promissionem erga ipsum ex iuramento orta est, salua manente obligatione nudæ promissionis.

Duobus modis potest tolli obligatio iuramenti.

Ex quibus patet, duobus modis posse tolli obligationem iuramenti, nimirum mediatè & immediatè. Mediatè tollitur, quando condonatur ipsa promissio seu eius executio. tunc enim ex consequenti simul euanescit obligatio iuramenti. Im-

mediatè, quando condonatur ipsa obligatio orta ex iuramento erga promissarium ad exequendam promissionem.

Relaxat Superior per modum condonationis.

His positis tamquam certis & perspicuis, facilè intelligi potest quomodo Superior possit relaxare iuramentum. Sicut enim is in cuius fauorem & commodum præstitum est, potest illud relaxare; ita etiam eius Superior, cui vel ille pleno iure subest, sicut pupillus tutori, vel Religiosus Prælato, vel saltem cui materia promissa subest, ita vt possit eam prohibere, vel de ea disponere, sicut filius familias in quibusdam subest patri, & subditus suo Principi. Sicut enim Superior potest cogere inferiorem vt obligationem iuramenti remittat, quando iusta causa id postulat vel subest, ita ipse per se potest eam remittere, illo nolente vel non comparente; vel aliàs quando sic expedit, & tunc consensus Superioris supplet defectum consensus inferioris. Vnde cùm Christus Dominus omnium sit Superior, potest ipse omnem talem obligationem condonare. Et consequenter idem potest Summus Pontifex Christi vicarius in omnibus Christianis, quando iusta causa subest; quia Deus omnem illi potestatem concessit, quæ erat necessaria ad ritè gubernandam Ecclesiam, & ad obuiandum periculis animarum quæ ex obligationibus iuramentorum & votorum solent inter homines incidere. Nisi enim talis potestas Ecclesiæ data esset, grauissima sequerentur incommoda, & multæ animæ ratione huiusmodi vinculorum perirent.

64 *Quarationesummus Pontifex.*

Itaque Summus Pontifex, vt Christi Vicarius & omniũ Christianorum Superior, potest immediatè tollere & condonare omnem obligationem ex iuramento promissorio ortam erga aliquem, quando iusta causa subest; quæ condonatio non minùs efficax est, quàm si ipse promissarius, in cuius fauorem iuramentum erat, eam fecisset.

Nec obstat quòd iuramentum factum sit infideli qui Pontifici non subest: satis enim est, eum, à quo infidelis per iniuriam iuramentum extorsit, ei subditum esse. Sic enim ad Pontificem pertinet eum in rebus quæ ad salutem eius pertinent gubernare, & vinculis iniquis soluere. Et quamuis non sit propriè Superior illius infidelis, ac proinde non possit nomine proprio condonare obligationem ipsi factam; tamen cùm sit Vicarius Dei qui omnium est Superior, potest nomine Dei condonare obligationem illam subdito suo per iuramentum ab infideli iniectam.

Et Episcopus.

Pari modo Episcopus potest dispensare in iuramento promissorio, etiamsi in fauorem eius qui ipsi non est subditus, factum sit, modò iusta causa subsit. iusta verò causa subest, quando per iniuriam exactum est, siue metus interuenerit siue non. Hinc Doctores in cap. Debitores 6. de iuramento, generatim docent, iusiurandum quo quis vsurario promisit soluere vsuras, ab Episcopo relaxari posse. Etsi enim vsurarius ille non sit subditus Episcopi, ac proinde non possit Episcopus proprio nomine tamquam Superior illius condonare obligationem, tamen potest illam condonare tamquam Vicarius Dei qui omnium Superior.

Simili modo possunt huiusmodi iuramenta per iniuriam extorta relaxare Religiosi, quibus per priuilegium Sedis Apostolicæ concessum relaxare iuramenta, quorum absolutio non est in præiudicium tertij. Quando enim per iniuriam exactum est, nullum ius strictum acquisitum est exactori, aut alteri in cuius fauorem exactum: ac proinde absolutio non censetur esse in eius præiudicium, id est in damnum iniquum.

Sæpè etiam iusta causa relaxandi iuramenti etiam debito modo præstiti & exacti, est punitio delinquentis, & cautio periculorum quæ ab ipso impendent. Hoc modo relaxatur iuramentum subditorum quo obstricti sunt suo Principi vel alteri Superiori; quando ille ob crimen per Summum Pontificem, vel aliàs per suum Superiorem legitimè priuatur dignitate vel officio, ratione cuius ei præstitum erat iuramentum, vel quando suspenditur ab officij sui executione. vt patet cap. Absolutos. 16. de hæreticis, vbi sic dicitur: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, dominij & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur astricti.* vt subditi, serui & vasalli. Idem dicendum de iis qui publicè excommunicatis simili modo obstricti erant, vt habetur cap. Nos sanctorum. 15.q.6. ex Gregorio VII. 65 *Relaxatio in pœnam.*

Denique interdum ratione boni communis relaxari potest, vt cùm quis promisit alteri cum iuramento non accusare, non denuntiare, non contrariestari, & similia. nisi enim talia relaxari possent, crimina detegi & puniri, iudicia exerceri, innocentia defendi, iniquitas opprimi non posset; quæ omnia sunt contra bonum commune. Hæc tamen iuramenta per se non cessant, sed seruanda sunt, nisi quando alioquin teneris hæc officia præstare; vt si proximus aliter non putetur emendandus, aut si à Iudice legitimè rogeris. tunc enim hæc iuramenta non egent relaxatione. Quòd si talia iuramenta non sponte facta in gratiam alterius, sed metu extorta sint, non obligant, nec egent relaxatione, vt colligitur ex L. 2. C. Si aduersus vendit. vide suprà dubit. 6. in fine. *Ratione boni communis.*

Circa prædicta Notandum est, non omnem relaxationem iuramenti esse dispensationem propriè in iuramento. Cùm enim is, in cuius commodum factum est, illud condonat, non est dispensatio, nec actus spiritualis potestatis, sed nuda condonatio. Similiter cùm sit per Superiorem illius posità legitimâ causâ; vt si Iudex ad puniendum vsurarium qui absque Principis permissu vsuras fecisset, condonaret seu irritaret obligationem iuramenti præstiti vsurario à mutuatariis de soluendis vsuris. Verùm tunc est propriè dispensatio, quando Prælatus Ecclesiasticus, vel alia persona Ecclesiastica ab illo auctoritatem habens, tamquam Dei Vicarius, & nomine Dei obligationem condonat, & vinculum iuramento inductum dissoluit. Vnde patet, dispensationem iuramenti esse solius potestatis Ecclesiasticæ. 66 *Quando censeatur dispensatio.*

Dvbitatio xiii.

Quid sit adiuratio, & in quæ competat.

D. Thom. quæst. 90.

Respondeo & Dico Primò, *Adiuratio* est rei sacræ contestatio ad permouendum alterum. 67 *Adiuratio.*

sicut

sicut enim *iuramentum* est contestatio rei sacræ, per quam homo alteri seipsum obligat & ordinat ad aliquid; ita *adiuratio* est, quando rem sacram contestamur, & veluti in rem præsentem adducimus, vt eius reuerentiâ permoueamus alterum ad aliquid faciendum vel non faciendum. dum enim adiuramus aliquem, Deum ipsum, eiusq; numen, quantum in nobis est, adducimus, vt eius reuerentia, timore vel amore, alterum permoueamus ad id quod petimus, idque eo modo, vt si nolit, videatur Deum quasi parui pendisse. sic enim illum adducimus, vt ipsemet nobiscum quasi petere videatur. non tamen idcircò alter obligatur, nisi sit inferior, cui possimus imperare: gratissimum tamen Deo est, si reuerentia vel amore ipsius, adiuranti obsequatur.

68 *Fit duobus modis.* Dico Secundò, Adiuratio duobus modis fieri potest, præcipiendo, & deprecando, vt docet D. Thomas art. 1.

Exemplum prioris est 2. ad Timoth. 4. vbi Paulus adiurat Timotheum, *Testificor coram Deo & Christo* IESV, *per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum*, &c. & 1. ad Thessal. vlt. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc.* Matt. 26. Princeps sacerdotum adiurat Christum *per Deum viuum.* Genes. 24. Abraham adiurat seruum *per Dominum cæli & terræ.* Denique sic adiurantur dæmones in exorcismis Ecclesiæ.

Exemplum posterioris est in precationibus Ecclesiæ, quando per Christum petit exaudiri. Item in Litaniis, Per *mysterium sanctæ incarnationis tuæ*, Per *aduentum tuum*, &c. Quamuis si propriè loqui velimus, hoc potiùs sit obsecratio, quàm adiuratio. generatim tamen adiuratio dici potest, quando aliquid diuinum interponitur, vt eius reuerentia vel amore alterum flectamus.

69 *Sola rationalis natura adiuratur.* Dico Tertio, Sola natura rationalis est idonea quæ per se adiuretur; quia hæc sola potest percipere diuina, eorumque reuerentia & amore impelli ad agendum. sic Deum adiuramus obsecrando per bonitatem, misericordiam, & omnes miserationes ipsius, per Christi passionem & merita, per merita B. Virginis, & Sanctorum. quæ omnia allegamus, exhibemus, & veluti offerimus illi, vt horum intuitu & amore permoueatur ad præstandum quod cupimus. Simili modo possumus adiurare Sanctos.

Vbi aduertendum est, dum Sanctos & eorum merita interponimus, tacitè etiam ipsum Numen diuinum, quod illis est causa sanctitatis & meritorum, subintelligi; alioquin si solùm bonitas, quæ est in meritis & sanctitate illorum, spectetur, non tam est actus Religionis, quàm obseruantiæ in hac allegatione.

70 *Dæmones adiurãtur imperio.* Dæmones quoque adiurari possunt, non obsecrando, sed imperando & terrorem hac Dei & rerum diuinarum contestatione incutiendo. adiuratio enim non tantùm fit vt quis amore vel affectu reuerentiæ in Deum commoueatur; sed etiam vt timore concutiatur, & sic abscedat vel nocere desinat. Sic etiam Ecclesia per exorcismos, qui sunt adiurationes quædam solemnes ab Ecclesia institutæ, dæmones expellit tum ab hominibus, tum etiam ab aliis creaturis: estque in Ecclesia Ordo exorcistarũ, ad hoc munus institutus. Imò hæc potestas est propria Ecclesiæ, & veræ religionis nota: nulla enim alia religio potest dæmones eiicere. Vide Iustinum apologia 1. pro Christianis, & dialogo cum Tryphone, Tertull. in Apologet. cap. 37. August. lib. 10. de ciuit. cap. 22. Fuit quidem apud Iudæos ante Christi aduentum, cùm apud ipsos erat vera religio: sed posteà vna cum religione desiit apud ipsos, & translata est ad Ecclesiam Christi, vt colligitur Act. 19.

Dixi, *non obsecrando*: quia obsecrare aliquem, est se illi subiicere tamquam maiori, & illius beneuolentiam & societatem captare; vnde etiam est signum beneuolentiæ erga illum: nullo autem modo possumus nos dæmoni subiicere, aut illius fauorem expetere, aut beneuolentiam erga illum gerere. Primò, Quia est hostis Dei, omniumque Deo adhærentium; nihilque aliud nisi honorem Dei & salutem animarum impedire studet. itaque in iniuriam Dei cedit, si honor, aut aliqua beneuolentia ei deferatur: sicut iniurius est in Principem, qui hosti proscripto beneuolentiam politicam exhibet. Secundò, Quia nihil vmquam sponte facit, nisi vt decipiat & noceat saluti: itaque omne ipsius beneficium est maleficium. Hinc Apostolus 1. ad Cor. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* & 2. ad Cor. 2. *Vt non circumueniamur à satana: non enim ignoramus cogitationes eius.* & B. Petrus epist. 1. cap. 5. *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* 71 *Commercium cum dæmone, cur illicitum.*

Vnde sequitur, non esse licitum à dæmone in obsessis posito petere, nisi ea quæ pertinent ad eius expulsionem; vt quod sit eius nomen, quàm sint multi, quare ingressus; (hæc enim petiit Dominus Marci 5.) vel ad aliorum vtilitatem, vt docet D. Antoninus 2. p. tit. 12. cap. 1. §. 5. qualia ab hoste absque vllo signo beneuolentiæ peti possunt. Si tamen aliqua solùm ex curiositate petantur, non videtur peccatum mortale; vt docet Nauarrus cap. 11. num. 28. ex Caietano; quia quando ipse non aduocatur, sed se sponte offert in corpore assumpto, vel obsesso, non censetur talis collocutio signum societatis & beneuolentiæ, præsertim notabilis. *Quæ possint peti à dæmone in obsessis.*

Res inanimæ per se & directè adiurari non possunt, quia non intelligunt; sed adiuratio dirigitur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, easque mouere potest, vt ait D. Thomas artic. 3. Sic exorcizatur aqua, sal, domus: partim enim inuocatur virtus diuina, vt in vsu harum rerum assistat, & diaboli vim coërceat: partim per virtutem diuinam præcipitur diabolo vt abscedat, & in his non noceat. Item locustæ, mures, grandines, tempestates, & similes rerum humanarum noxæ, vt Deus damna eorum auertat, & diabolus per illa non noceat. Vide Sotum lib. 8. de Iustitia quæst. 3. art. 3. 72 *Res inanimæ quo modo adiurentur.*

Huc pertinet adiuratio illa S. Brixij, qui infantem triginta dierum adiurauit vt diceret si ipse esset pater eius, vt quidam sparserant: cui infans respondit, *Non pater meus es tu*, vt refert Gregorius Turon. l. 2. histor. Franc. cap. 1. continebat hæc adiuratio tacitam orationem, qua Deus rogabatur vt infanti vocem daret.

DVBITATIO XIV.

Quid periurium, & quæ eius pœnæ.

NOmen *periurij* dupliciter accipitur. Primò, Proprie, pro iuramento, cui deest veritas, siue 73 *Periurium dupliciter accipitur.*

siue præsens, vt si falsum sciens confirmes; siue futura, vt si fidem datam & iuramento confirmatam sine iusta causa non serues. Secundò, Generatim, pro omni iuramento, cui ex tribus comitibus aliquid deest, siue *iustitia*, siue *iudicium*, siue *veritas*. Si enim iustitia desit, etiam quodammodò deest veritas: quia quod promittitur, seruari non potest. Si verò iudicium, tunc etsi fortè ex parte rei non desit veritas, tamen periculum est ne desit; vt cùm quis iurat re non satis perpensa. Quando tamen Iura loquuntur de periurio, intelligunt primo modo.

Periurij 4. modi.

Inter periuria primum locum tenet cui deest veritas præsens, nempe quo quis sciens & volens falsum confirmat. Deinde cùm quis fidem iuramento promissam violat. Tertiò, Quando iurat contra iustitiam. Quartò, Quando absque iudicio.

74 *Pœna periurij.*

Pœnæ periurij propriè dicti apud omnes nationes sunt valdè graues, vt docet Couarruuias in cap. Quamuis pactum. p. 1. §. 7. num. 2. Apud Scythas & Ægyptios plectebantur pœna capitis, apud Indos manuum pedumque extremorum accisione. In multis locis puniuntur præcisione manus. Iure Ciuili sunt infames, si periurium erat in nocumentum alterius; non autem si nemini noceat, vt docet Glossa in L. Si quis maior. 14. C. de transactionibus. Iure Canonico etiam sunt infames; cap. Infames. 16. & cap. 17. Quicumque. 6. quæst. 1. quod intellige, si res est notoria. Hæc tamen infamia non adducit propriè irregularitatem, nisi irrogata sit per sententiam Iudicis: vt si quis de periurio sit condemnatus; tunc enim irregularis est, & eget dispensatione, etiam post vitæ mutationem. alia infamia tollitur bona vita, obliuione, & loci mutatione, vt Couarruuias & alij docent. Præterea in foro externo imponitur illis grauis pœnitentia; nam d. cap. Quicumque, dicitur: *Quicumque sciens peierauerit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos pœniteat sequentes, & numquam sit sine pœnitentia; & numquam in testimonium recipiatur. communionem tamen post hoc recipiat.*

Petes, Vtrùm periurium sit grauius homicidio? Quidam putant esse grauius. Ita Siluester v. Periurium, q. 2. D. Thomas quodl. 1. art. 18. & Sotus l. 8. de Iustitia, q. 2. ar. 3. Primò, Quia hoc est contra Deum & virtutem religionis; illud contra proximum & Iustitiam particularem. Secundò, Quia homicidæ interdum defertur iuramentum ad se purgandum, & ille mauult fateri homicidium, quàm incidere in periurium. Sed hæ rationes non conuincunt, vt ostendit Gabriel in d. 39. q. 2. art. 3. dub. 4. 75 *An periurium grauius homicidio.*

Itaque contraria sententia est Gabrielis ibidem, vbi pro eadem adfert Richardum. Idem tenet Maior ibidem q. 5. & Angelus. Ratio illorum est, quia homicidium est directè contra charitatem, periurium contra religionem. sed neque hæc ratio conuincit: quia, vt benè Siluester ait, homicidium est directè contra Iustitiam particularem. Deinde non est directè contra charitatem Dei, sed proximi; quæ non est præferenda virtuti religionis.

Vtraque sententia est probabilis. Puta tamen, homicidium omnibus spectatis esse grauius & detestabilius; tum ob grauissimum & irreparabile damnum, quod proximo directè infertur; tum quia difficiliùs multò committitur: periurium autem facilè committitur, & solùm indirectè honor Dei læditur; non enim id intenditur. Accedit, quòd violatio voti non censeatur tantum peccatum, quantum homicidium, etsi honor Dei in eo lædatur. Est tamen periurium crimen valdè graue, dignum depositione; vt habetur cap. Cùm non ab homine. 10. de Iudiciis. *Vtraque sententia probabilis.*

His adde, omnia *periuria* propriè dicta, nimirum quæ sunt contra veritatem, esse eiusdem speciei. quia eiusdem rationis deformitas & irreuerentia est, Deum facere testem falsi, siue res sit magni momenti, siue parui; siue id fiat in iuramento assertorio, siue promissorio. Potest tamen accedere alia deformitas ratione nocumenti, vel peruersionis Iudicij, &c. Vide suprà dubit. 2. numero 9.

CAPVT XLIII.

De Superstitione, eiusque speciebus.

Complectitur Dubitationes 10.

EXplicatis functionibus religionis, dicendum est de vitiis oppositis. Hæc duplicia sunt: quædam per excessum cultus, quæ nomine *superstitionis* comprehenduntur; quædam per defectum vel contemptum, quæ nomine *irreligiositatis*: qualia sunt periurium, tentatio Dei, sacrilegium, & simonia. periurio enim & tentatione ipsi Deo in se iniuria irrogatur: sacrilegio verò & simonia (quæ est species sacrilegij) in rebus sacris. De periurio & simonia dictum est suprà; de tentatione & sacrilegio dicemus infrà cap. 45. hoc verò capite de superstitione.

DVBITATIO I.

Quid sit superstitio, & quænam eius species.

D. Thom. quæst. 92. & 93.

VPerstitio dicta est vel ex eo quòd homines nimij erant in precando & immolando vt liberos relinquerent sibi superstites, vt vult Cicero lib. 2. de natura deorum: vel quòd relictis veteribus diis colerent superstitem memoriam suorum maiorum, 1 *Superstitio vnde dicta.*

tum, vt placet Lactantio lib. 4. diuinarum Instit. cap. 28. vel certè quòd homines nimiùm timerent iram deorum supernè impendentem & quasi superstantem, vt vult Seruius in 8. Æneidos; quæ originatio videtur maximè accommoda. Porrò Lactantius reprehendit Ciceronem, quòd putarit superstitionem esse excessum in vera religione, cùm in hac excedi non possit: Deum enim non posse nimiùm coli. vnde ipse vult superstitionem tantùm esse cultum falsorum deorum, & eos solos superstitiosos, qui multos & falsos deos colunt: eos verò religiosos, qui vnum &, verum.

Superstitio potest esse in cultu veri Dei.

Verùm etsi maximè in cultu falsorum deorum *Superstitio* committatur; tamen etiam in cultu veri Dei hoc vitium locum habere potest; non enim Iudæi hoc tempore religiosi, sed superstitiosi dicendi sunt: & hæretici, qui aquam pro vino vel semen humanum, aut sanguinem infantum in Eucharistia offerebant, superstitiosi erant, etsi verò Deo hæc offerebant. Itaque superstitio vtrumque complectitur, cultum falsorum deorum, & excessum in cultu veri Dei, vt rectè docet D. Thomas art. 1. & D. August. lib. 3. de doct. Christiana cap. 18. & 20. *Excessum* dico, non quòd Deus vero cultu nimiùm coli possit, vel maiore quàm dignus sit; (omnis enim cultus, quem creatura ei exhibere potest, infinitè eius dignitate minor est) sed quia assumuntur alia quàm debent, quæ ad illum honorandum non sunt idonea. itaque est excessus non respectu dignitatis diuinæ; sicut cùm Comes vel Marchio afficitur honore regio; sed respectu eorum, quibus coli debet.

Excessus in cultu.

2 *Quid superstitio.*

Est igitur generatim *superstitio falsa religio*, id est, vitiosus cultus veri vel falsi numinis. Si quis excedat in vero cultus nimiùm continuando, v. g. orando ita diu & continenter vt se lædat, vel necessarium officium prætermittat, non est superstitio; quia cultus iste secundùm se bonus est: sed solùm vitiatur per circumstantiam extrinsecam, quæ in omni opere cauenda.

Duæ eius species, superstitio cultus incongrui, & superstitio ratione rei cultæ.

Hinc patet, duas esse ipsius species, in quas immediatè diuiditur, scilicet superstitionem cultus indebiti, seu incongrui, & superstitionem ratione rei cultæ. illa est cultus peruersus veri Numinis; hæc est cultus falsi. Dupliciter enim in cultu excedi potest; vel enim assumitur id, quod non congruit; vel exhibetur ei, cui non congruit. Prior modus propriè dici potest ἐθελοθρησκεία, quasi dicas, *religio voluntaria*, id est, mera voluntate, non iusta ratione assumpta. (quo nomine vtitur Apostolus ad Colossenses 2.) quamuis hoc nomen etiam possit generaliter accipi, vt simul cultum falsorum deorum comprehendat; quia hic quoque voluntate humana, non recta ratione constat; quomodo videtur illud Apostolus accipere, vt plerique interpretantur. Alter modus propriè dicitur δεισιδαιμονία, quasi dicas, *dæmonum timor & reuerentia:* nam omnis cultus idolorum ferè est cultus dæmonum. hoc nomine Festus appellabat religionem Iudaicam, Act. 25. v. 19. & Paulus Act. 17. superstitionem Athenienſium.

3 *Superstitio cultus incongrui. Cultus falsus.*

Rursus *superstitio cultus incongrui* diuiditur in superstitionem cultus falsi, & superstitionem cultus superflui.

Cultus falsus dicitur vel ratione falsæ significationis; vt si quis Deum colere vellet cærimoniis Iudaicis, quæ significant Christum venturum: vel quia imitatur & simulat verum cultum, cùm non sit; vt si quis falsis miraculis vel testimoniis doctrinam fidei confirmare vellet, vel falsas reliquias proponeret. Item si quis mutaret formam vel materiam Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, animo colendi Deum. Sic hæretici huius temporis superstitionem falsi cultus admittunt in sua cœna: profitentur enim se imitari Christum, & eius institutum sequi, cùm suas inuentiones suaque somnia pertinacirer sectentur.

4 *Quale peccatum cultus falsus.*

Hæc superstitio ex genere suo est peccatum mortale, quia ex infidelitate, vel crassa ignorantia rerum fidei proficiscitur, & continet falsam significationem contra doctrinam fidei, vel certè notabilem irreuerentiam in Deum. Vide Nauarrum in Enchiridio cap. 11. n. 27. Fumum v. Superstitio, n. 2. Caiet. in Summa v. Superstitio; & 2. 2. q. 93. art. 2. Fieri tamen potest vt non sit mortiferum, vt si ex ignorantia excusabili proueniat. Sic multi Æthiopes excusari possunt, qui circumciduntur, putantes se per hoc Christum imitari; quia sic instituuntur à suis Episcopis & sacerdotibus, nec vmquam contrarium audiuerunt.

5 *Superfluus.*

Superstitio cultus superflui est, cùm præter Ecclesiæ morem ponitur religio in quibusdam circumstantiis vel rebus, in quibus non est ponenda; vt in numero, colore, situ, v. g. vt tot sint candelæ, non plures; vt cera potiùs sit alba, quàm flaua, &c. Denique ad hanc speciem pertinere videtur, cùm quis in Horis dicendis & Sacro faciendo, relictis rubricis & directorio Ecclesiæ, alias cærimonias pro sua deuotione adhibet, vt docet Caietanus v. Superstitio, Toletus lib. 4. c. 14. Nauarrus c. 11. num. 23. Hæc tamen ordinariè non videntur esse plusquam venialia, vt iidem Doctores notant: quia ex bona intentione fiunt; nec videtur in his committi grauis irreuerentia, cùm diuino cultui non repugnent. posset tamen esse tanta in cærimoniis Missæ peruersio, vt à mortali culpa non esset excusanda.

Est peccatū veniale.

6 *Superstitio ratione rei cultæ.*

Superstitio ratione rei cultæ diuiditur in tres species, iuxta D. Thomam, *idololatriam, diuinationem, & obseruantiam superstitiosam.* vel enim colitur diabolus, vt honoretur tamquam numen, & hæc est idololatria: vel vt aliquid occultum reuelet, & sic est diuinatio: vel vt iuuet & dirigat in operando, & sic est superstitio vanarum obseruationum.

Magia.

Vbi aduerte, magiam debere referri ad superstitionem vanarum obseruationum, si omnes superstitiones his tribus speciebus complecti velimus: propriè tamen loquendo distinguitur à vanis obseruationibus, tamquam aliquid deterius. Itaque si hoc nomen vanarum obseruationum strictè sumamus, erunt quatuor species superstitionum ratione rei cultæ, & magia quartum locum obtinebit.

DVBITATIO II.

Quid sit idololatria, & quantum peccatum.

D. Thom. qu. 94. art. 1. 2. 3.

7 *Idololatria.*

NOtandum est Primò, *Idololatriæ* nomine significari omnem cultum falsorum deorum, vt dæmonum, solis, lunæ, siderum, hominum mortuorum, & similium. etsi enim hæc propriè

priè non sint *idola*; tamen à gentibus plerumque non nisi in idolis colebantur. Itaque omnis cultus, quo creatura instar Dei colitur, *idololatria* dicitur; quia plerumque in idolo & per idolum exercebatur.

Idolum. Est autem *idolum* imago vana & instabilis, vel rei quæ non est; vnde Eustachius ait, Homerum pro eodem accepisse εἴδωλον, σκιὰν, καὶ ὄνειρον, id est, idolum, vmbram, & somnium: imò apud Homerum εἴδωλον esse quiddam vmbra imbecillius, quia est vmbra rei quæ non est; vt eius, qui videtur in somnio, vel hominis defuncti. sic εἴδωλα καμόντων, apud Homerum sunt defunctorum vmbræ. Vnde meritò imagines falsorũ deorum vocantur εἴδωλα, quia sunt similitudines numinum quæ non sunt. Imagines autem Sanctorum & Christi Domini, idola dici non possunt, quia sunt imagines rerum verarum, institutæ ad repræsentandum id quod illis verè inest. Sicut nec imago Regis idolum dici potest, quia repræsentat id quod est.

8 *Idololatria dupliciter accipitur.* Notandum Secundò, Nomen *idololatriæ* dupliciter accipi. Primò, Speciatim & propriè pro cultu, quo creatura colitur loco Dei. Secundò, Generatim & metaphoricè, pro omni peccato, quo quis mortiferè inhæret creaturæ. Sic Apostolus ad Ephes. 5. *auaritiam* vocat *idololatriam*. & ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*. Et Hieronymus in cap. 2. Amos, explicans illud, Super tribus sceleribus Iudæ: *Auarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem & Beelphegor colit. lasciua mulier, quæ cùm sit in deliciis, mortua est, adorat venereas voluptates*. Ratio est, quia id propter quod homo recedit à Deo vt ei adhæreat, censetur pluris facere quàm Deum; ac proinde illud habere loco Dei; & ita est illi instar idoli.

1. Metaphoricè.

2. Propriè. Verùm hoc loco accipimus *idololatriam* propriè; quo modo nihil est aliud quàm cultus, quo quis aliquid creatum colit loco Dei, seu eo cultu qui soli Deo congruit. Hoc autem fit non tantùm sacrificio, quod per se soli Deo debetur; sed etiam quouis alio signo honoris, quo illi excellentiam aliquam Deo propriam tribuere, vel te illi tamquam deo vel deæ submittere intendis. vt si aperias caput ad statuam Mineruæ, tamquam numini belli & sapientiæ; si hymno celebres, si per illam iures, si aliquid illi voueas.

9 Vbi aduerte, Sicut in cultu religionis concurrunt tres vel quatuor actus; ita in idololatria. Primò, Opinio diuinitatis vel perfectionis Deo propriæ. Secundò, Affectus reuerentiæ, quo quis vult se illi tamquam numini submittere. Tertiò, Externum signum, quo interior existimatio & submissio significetur; quod signum quale sit, non refert. nam omnia externa signa honoris præter sacrificium, communia sunt Deo & creaturis: sed ex intentione vtentis determinantur ad excellentiam diuinam vel creatam significandam, vt suprà cap. 36. dub. 3. dictum est.

10 *Grauitas huius peccati.* Hinc patet, peccatum idololatriæ genere suo grauissimum esse; quia honorem diuinum & diuinitatem ipsam, quantum in se est, transfert ad creaturam: sicut grauissimum in Repub. censetur crimen, si quis alium quàm legitimum Principem pro Rege agnoscat & habeat, eique honorem regium deferat. Est itaque crimen læsæ maiestatis diuinæ, sicut illud humanæ.

Obiectio. An odium sit grauius. Dices, Odium Dei & blasphemia ex odio, est maius peccatũ: ergo idololatria nõ est maximum.

Resp. Resp. Esse maximum inter ea quæ opponuntur cultui diuino & religioni. Deinde ex genere suo est maximum: quia si fiat ex perfecta notitia & libertate, includit odium & blasphemiam, vt docet D. Tho. ar. 3. vt si quis noscẽs verum Deum, vellet alium facere Deum, eique honorem diuinum tribuere, non posset id facere nisi quodammodò odisset verum Deum, & insinuaret non esse Deum; quod est summa blasphemia.

Dico *quodammodò*, quia hoc peccatum, etiamsi fiat cum plena scientia, non necessariò includit odium directũ Dei: sicut qui alium Regem agnoscit, non est necesse vt legitimum directè oderit; quia non vult hoc vt ei malè sit, sed vt alteri benè, & vt se præstet ab illius potentia securum. Indirectum tamen odium includit, quia ex intentione malum infert, priuando Deum, quantum in se est, suo honore singulari. Si quis tamen formali odio directè in Deum feratur, optando illum non esse, vel esse miserum, &c. hoc peccatum est grauius idololatriâ: quia grauius est, diuinitatem è medio absolutè tollere, quàm illam alteri tribuere. vnde grauius peccatũ est ἀθεΐα, quàm πολυθεΐα. item grauius est, velle alicui malũ vt ei malè sit; quàm illud idem velle vt alteri benè sit. Quòd si fiat ex odio directo, tunc erit absolutè maximũ peccatorum.

Odium directum Dei est grauius.

Sed etsi idololatria ex genere suo sit tantum peccatum; tamen ratione dispositionis subiecti, potest in plerisque idololatris esse minus peccatum, quàm sit hæresis in Christianis: quia illa potiùs ex ignorantia, quàm ex malo affectu erga Deum verum, aut veram religionem procedit; hæresis verò non ex ignorantia, sed ex malo affectu & contemptu veræ religionis & Ecclesiæ Dei. vide D. Augustinum lib. 21. de ciuit. cap. 25. & Chrysost. homil. 50. ad populum. Simili modo fieri potest, vt idololatria exterior sit maius peccatum, quàm ea quæ ex interna infidelitate procedit: vt si fidelis committat idololatriam ex metu, vel vt placeat Principi. etsi enim interiùs non agnoscat idolum pro Deo, nec affectum reuerentiæ illi deferat, sicut infidelis; tamen externo actu tribuit illi diuinitatem, vel saltem simulat se tribuere, cùm sciat ei non competere, quod in maiorem iniuriam Dei & scandalum aliorum cedit.

Idololatria exterior.

Ob eamdem causam homicidium, adulterium, periurium, in Christianis potest esse maius peccatum quàm idololatria sit in ethnico; quia ignorantia valdè diminuit culpam. vnde Dominus Lucæ 12. *Seruus qui cognouit voluntatem domini, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis. qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*.

Aduerte tamen, non esse verum, quod hîc ar. 1. docet Caiet. fidelem, qui solo actu externo committit idololatriam, esse excommunicatum: quia nusquam in Iure extat talis excommunicatio, de quo vide Siluestrum v. Hæresis 3. q. 6. & Nauarr. cap. 11. nu. 27. Excommunicantur quidem hæretici, & apostatæ; sed hic hæreticus dici non potest, cùm hoc vitium in pertinaci assensu mentis consistat: nec etiam propriè apostata, quia retinet fidem Christi non deserit, sed solùm externam professionem: quamuis ex actu externo præsumatur in foro externo fidem deserere, & consequenter in excommunicationem incurrere, præsertim quando metu graui non compulsus id committit. 11

An excommunicatus.

DVBI-

DVBITATIO III.

Quæ fuerit origo idololatriæ, quis progressus.

D. Thomas artic. 4.

12 *Origo idololatriæ.*

RESpondeo, Prima origo idololatriæ fuit desiderium præsentiæ mortuorum: nempe quo parens mortuum filium prosequebatur, ei statuam erigens, in qua veluti præsentem retineret & cerneret. Huic accedebat tyrannis, per quam iubebat eum à domesticis coli, vt non mortuus, sed in deos relatus videretur. Colligitur hoc Sapientiæ 14. vbi sic dicitur: *Initium fornicationis, exquisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ est. neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Superuacuitas enim hominum hæc adinuenit in orbe terrarum, & ideo breuis illorum finis est inuectus. Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cœpit; & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta,* &c. Nec obstat quod quidam dicunt, primum, qui erexit idolum, fuisse Ninum, qui illud statuerit parenti suo Belo, vt pro deo coleretur: ita Commentarius, qui tribuitur Ambros. in c. 1. Epist. ad Romanos. Eusebius in Chron. Isidorus lib. 8. Etymol. c. 11. quia iste fuit fortè primus qui publicè erexit, constructo templo, & potestate regia populos ad illius cultum compulit. cum hoc tamen stat, vt priùs parens priuatim filio idolú & cultum constituerit, vt Sapiēs refert. Imò si quis benè aduertat, vtramque originem insinuat, cùm ait: *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut Regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & ligni imposuerunt.* affectui enim seruierunt, quando desiderio prolis mortuæ statuam erexerunt, & colere cœperunt: Regibus verò, quando statuas vel illorum, vel ab illis erectas coluerunt.

Primus idololatriæ modus, in cultu mortuorum.

Ad hanc idololatriam pertinet genus theologiæ, quod fabulosum vocabat Varro, vt refert D. Augusti. li. 6. de Ciuit. c. 5. & à Poëtis tractatur. sic cœpit coli Iupiter, Mars, Mercurius, & similes; quibus Poëtæ tribuunt adulteria, stupra, præpositeram libidinem, fraudes, bella, & alia crimina grauissima: magno sanè diaboli artificio; vt homines dum similia faciunt, putent se deos imitari. Deinde hæc consuetudo sensim serpsit imitatione per genus humanum, accedente oblectatione, quæ capitur tum ex pulchritudine & artificio statuarum; tum quòd per eas, absentes nobis quasi præsentes sistamus, vt ibidem Sapiens ait: accedente etiam fraude diaboli, qui se statuis immiscebat, eisque motum, vocem, & quasi vitam dabat, ac responsa per eas edebat.

13 *Secundus in cultu statuarum.*

Hinc ortus est secundus idololatriæ modus, quo ipsæ statuæ per se, tamquam numine plenæ & animatæ coli cœperunt: & quia diabolus statuis illis, mox vt dicatæ erant, se insinuabat; putabant ethnici se posse deos facere, quam potestatem miratur & extollit Mercurius Trismegistus, vt refert D. Aug. lib. 8. de ciuit. cap. 23. Ad hunc modum pertinet theologia ciuilis, iuxta Varronem, vt docet idem Augustinus lib. 6. cap. 5.

Posteà capti pulchritudine & admiranda virtute corporum cælestium & elementorum, nec considerantes vnde eam haberent, etiam his cultum diuinum cœperunt exhibere, & eorum imagines dedicare. vnde Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritū, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt. Quorum si specie delectati, deos putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est.* Et hic est tertius idololatriæ modus, ad quem pertinet theologiæ genus physicum, iuxta Varronem suprà: quem non parum confirmarunt Philosophi, præsertim Pythagorici & Platonici, qui putabant mundum esse animatum, singulasque eius partes habere animam, quam volebant esse numen quoddam & quamdam diuinitatem: quam sententiam etiam docuit Varro, teste Aug. l. 7. de ciuit. cap. 6

3. *In cultu partium mundi.*

Præterea crescente praua consuetudine, eousq; hæc idolomania inualuit, vt si aliquid esset quod aliquam vtilitatem vel noxam adferret hominibus, mox pro deo coleretur, vt commoda sui generis conferret, incommoda auerteret. Sic bouem, ouem, capram, canem, serpentem, crocodilum, murem Ægyptium, quem ichneumonem vocant, imò febrem, & πεδίλιον coluerunt. prouenibat id ex falsa imaginatione, quòd putarent omnibus huiusmodi rebus vim aliquam inuisibilem præsidere, & connexam esse, à qua regerentur; quam proindè precibus & sacrificiis conciliandam & placandam censebant.

14 *In cultu cuiusuis rei vtilis vel noxiæ.*

Denique omnibus ferè rebus & operibus, quæ ad vsum humanum pertinent, deos vel deas diuersas præficiebant vt meliùs succederent, vt ostendit D. Aug. lib. 4. cap. 8. de ciuit. & lib. 6. c. 9. & lib. 7. cap. 23. Cùm enim persuasum haberent, ad negotia huius vitæ, vt rectè cedant, & aduersitates vitentur, occulta quadam directione alicuius numinis, & inuisibilis cuiusdam virtutis opus esse (hæc enim apprehensio naturaliter omnibus est insita) hoc numen cùm nescirent esse simplex & vnicum, in partes innumeras pro diuersitate negotiorum vel operum secuere, & singulis negotiis singula numina præposuere, v.g. aliud rei bellicæ, aliud mercaturæ, aliud agriculturæ, aliud venationi, aliud nuptiis, &c. Rursus sicut negotia alia sunt aliis præstantiora, magisque vniuersalia & latiùs patentia; ita etiam numina statuerunt alia aliis maiora & præstantiora, singula tamen in suo ordine, & ad proprium negotium putarunt esse suprema, & ab aliis independentia. Et quia spiritalia apprehendere non poterant, posuerunt hæc numina seu virtutes inuisibiles, vel in hominibus mortuis, quos putabant ob aliquam industriam vel beneficium mortalibus collatum ad hoc eleuatos, vt tali vel tali numine pleni essent, eoque veluti animati; vel in statuis, quibus putabant numen certo modo connecti postquam in deos erectæ & dedicatæ essent; vel in partibus mundi, v.g. sole, luna, stellis, mari, fontibus, fluminibus, quas putabant huiusmodi virtute quasi animari, aut assiduè possideri; vel in animalibus aut arboribus, quibus etiam numen sibi accommodatum præesse vel adesse putabant.

Ex dictis patet, primam idololatriam fuisse cul-

tum hominum mortuorum; qualis est cultus Iouis, Saturni, Martis, & similium. secundam, ipsarum statuarum, & dæmonum in statuis. tertiam, elementorum & partium mundi, vt solis, lunæ, siderum. quartam, aliarum rerum generi humano commodarum, vel noxiarum.

15 *Omnes dij gentium dæmonia.*

Petes, Quomodo ergo Psal. 95. dicitur; *Omnes dij gentium dæmonia?*

Respondeo, Quia quidquid gentes colebant, per idola & in idolis colebant: hæc autem dæmoniis plena erant, quæ statuas ipsas veluti animabant: & ita dæmones in ipsis colebantur. Intendebant enim gentes honorem deferre numini, quod in statuis se manifestabat; quod ipsi quidem putabant esse numen solis, lunæ, Iouis, Veneris, aut alterius rei: tamen reuerà erat diabolus, qui illarum rerum & personarum nomina assumebat, vt ipse sub illis coleretur: de quo vide Lactantium lib. 2. diuinarum instit. cap. 16. & Euseb. de præparat. euangel. lib. 4. cap. 6. Hinc Apostolus 1. ad Corinth. 10. *Scimus quia nihil est idolum in mundo*; (id est, nulla est diuinitas in mundo, quæ per idolum repræsentetur) *sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant*, (nimirum qui in statuis se exhibent) *& non Deo: nolo vos socios fieri dæmoniorum.* Vide D. Augustinum lib. 8. de ciuit. cap. 24. vbi hanc responsionem insinuat.

Aduerte tamen, pro *dæmonia* in Hebræo esse *Elilim*, quæ vox etsi à 70. rectè vertatur *dæmonia*, tamen etiam significat *res vanas*, & consequenter idola, quia nihil his vanius aut imbecillius: & ita sensus est, *omnes dij gentium vani*; cui benè respondet altera pars versiculi per antithesim, *Dominus autem cælos fecit.* q.d. omnes dij gentium nullius virtutis, sed noster Deus est omnipotens, &c.

16 *Platonici etiam summũ Deum colebant.*

Nec obstat, quòd Platonici & alij Philosophi etiam coluerint Angelos, quos appellabant minores deos, & præterea summum Deum, deorum minorum patrem & conditorem; idque absque statuis: quia Propheta loquebatur de diis populorum qui publicè colebantur, non autem de diis aliquorum Philosophorum, quos ipsi colebant priuatim: quamuis etiam dum hos se colere existimabant, diabolum, qui se fingebat esse de numero illorum, coluerint. Ita etiam diabolus est auctor hominibus colendæ creaturæ loco Dei, vt hunc honorem aliqua arte ad se transferat, sibique impendi, etsi sub alieno nomine, curet; vt tradit D. Augustinus tum alibi, tum l. 8. de ciuit. cap. 24.

Dvbitatio iv.

Vtrùm idololatria sit tantummodò in cultu, quo creatura instar Dei colitur.

17 *Sententia hæreticorum.*

Qvidam hæretici docent, nõ solùm tunc propriè *idololatriam* committi, quando creatura colitur loco Dei, sed etiam quando Deus verus colitur aliquo cultu quem ipse non mandauit. vnde concludunt, Catholicos idololatriam committere quando colunt Deum vel Sanctos per imagines; quia Deus hoc non mandauit. Ita docet Herbrandus Lutheranus, vt refert noster Gregorius à Valentia, 2. 2. disput. 6. q. 11. puncto 1. quem ibi fusè refutat. Idem antè docuit Caluinus lib. 1. Instit. c. 11. n. 8. & 9. vbi id etiam ex eo confirmat, quòd Iudæi adorantes vitulum aureum in deserto, non intenderint cultum deferre illi imagini, quam scirent nullam vim habere; (neque enim tam citò potuisse obliuisci eorum quæ Deus fecerat in Ægypto & mari rubro) sed Deo vero per ipsam: iudicari tamen idololatras, quòd id fecissent per imaginem, quod Deus ipsis non mandauerat. Idem censet de paganis, quorum idololatriam vult in eo consistere, quòd Deum verum voluerint sibi præsentem habere per imagines, & in illis eum coluerint. Sed hæc sententia non solùm est hęretica, sed etiam absurda & apertè falsa. 18 *Est absurdum.*

Primò, Quia nomen *idololatria* in Scriptura sacra, & apud Scriptores ecclesiasticos numquam accipitur nisi pro cultu quo creatura colitur loco Dei, vel pro affectu, quo quis adhæret creaturæ tamquam Deo, seu fini vltimo: adeò vt etiam quando metaphoricè capitur, (vt cùm auaritia vocatur idololatria) respiciat creaturam quodammodò tamquam Deum.

Secundò, Apertè falsum est, Iudæos & paganos in idolis coluisse verum Deum: nam de gentibus dicitur ad Roman. 1. *Seruierunt creaturæ potius quam creatori.* 1. ad Cor. 10. *Quæ gentes immolant, dæmoniis immolant, & non Deo*; & alia innumera. De Iudæis, Deuter. 32. *Immolauerunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant: noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* quid dici potest clarius contra illud figmentum Caluini? Idem habetur Psal. 105. Denique sexcentis locis reprehenduntur quòd Deum reliquerint, & deos, qui nihil possunt, nihil norunt, nihil sentiunt, adorent. *Ethnici.* *Iudæi.*

Tertiò, Si volebant fingere similitudinem veri Dei, vt per eam ipsius recordarentur, & cultum ad ipsum dirigerent, cur potiùs finxerunt formam vituli, quàm alterius rei, cùm Deus numquam sub hac forma illis apparuerit? Itaque hoc euidens signum est, voluisse illos colere primarium deum Ægyptiorum Apim, qui forma bouis pingebatur: idque faciebant, quia putabant illius ope se eductos, vt apertè Scriptura insinuat; & fortè eo fine faciebant, vt illius auxilio in Ægyptum redire possent.

Quartò, Iudæi habebant Deum verum præsentem per signa externa multò expressiora, scilicet per columnam ignis nocte & per nubem interdiu, quæ diuino nutu mouebantur & sistebantur: non ergo credibile est, eos fecisse similitudinem vituli, vt præsentem haberent Deum verum, sed deum Ægyptium.

Quintò, Ridiculum est, dicere, ideò aliquem cultum esse malum vel idololatriam, quia non est à Deo mandatus: multa enim sunt bona in omni genere virtutum, quæ non sunt mandata; vt in abstinentia, in eleëmosyna, in oratione, in gratiarum actione, in laude, voto, &c. Nec vnquam aliquis sapiens obsequium sibi delatum iniuriæ loco habuit, aut repudiauit, eo solo nomine, quòd illud non mandasset. quæ enim esset ista exotica barbaries, nullum officium admittere, nisi sub pœna mortis præceptum? Imò subditus aut seruus, qui nullum obsequium aut cultum vult deferre suo Principi vel domino, nisi præcepto compulsus, hoc ipso parum obsequiosus, & parum amans honoris sui Principis, & parum illi addictus aut vtilis censetur. Vnde meritò Dominus 19

Lucæ

Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

20 *Fundamentum hæreticorum.* Dicent fortè, non ideò malum esse quia Dominus non mandauit, sed quia vetuit omnem cultum, quem non mandauit: nam Deuter. 12. v. vlt. dicitur: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Hoc est antiquum eorum fundamentum, per quod, opus omne non præceptum volunt esse malum, si fiat cum opinione cultus, id est, animo placendi Deo.

Sed millies à Catholicis responsum est, ibi non excludi nisi ea quæ diuinis præceptis aduersantur, vt sunt cærimoniæ gentilium, de quibus agitur ibidem; vt patet duobus versiculis immediatè præcedentibus: testimonia enim Scripturarum intelligenda sunt iuxta subiectam materiam. vnde ea quæ sunt consentanea, vel iuuant ad præcepta diuina, non excluduntur. Confirmatur, quia non obstante hoc præcepto, Iudæi instituerunt aliquot dies festos, quos Deus non præceperat, vt patet Esther 9. Iudith 15. & 2. Machab. 10. & Apostolus 1. ad Cor. 7. commendat abstinentiam coniugij tamquam Deo gratissimam; quam tamen ait non esse à Deo præceptam. *Aliquem cultum non præceptum esse licitum.*

Sextò, Etiamsi nullus cultus esset licitus præter eum quem Deus præcepit, non tamen idcircò esset idololatria. sicut qui non colit Principem debita cærimonia, non eo ipso agnoscit alterum pro Principe, aut defert alteri honorem Principi debitum.

Confirmatur Primò, Quia alioquin Iudæi modò dum circumciduntur, iauantur, seruant Sabbatum, edunt agnum, & alias cærimonias obeunt, vt legem seruent & Deo placeant, dicerentur propriè committere idololatriam, quod est contra communem hominum sensum. Secundò, Is, qui orat negligenter & animo vagabundo, esset idololatra: ille enim cultus non solùm est à Deo non præceptus, sed etiam vetitus. Tertiò, Ministri Lutherani & Caluinistæ obeuntes ministerium noui euangelij, committerent idololatriam; (vt rectè colligit Valentia) quia Deus nusquam hunc cultum eis præcepit. quamuis fortè multò deteriùs in hoc peccent, quàm si idololatriæ priuatim operam darent: tunc enim se solos perderent; nunc verò & infinitos secum in barathrum præcipitant, & totam Christi religionem ac doctrinam euertunt.

21 Argumenta illorum nullius sunt momenti, & solùm egent inspectione locorum Scripturæ vnde desumpta: ex illis enim clarè liquet, ibidem agi non de cultu veri Dei, sed idolorum. Vide Valentiam suprà.

Obiectio. An intendant colere verum Deum. Dices, Gentiles & Iudæi, quando adorabant idolum aliquod, putabant illud esse verum Deum: ergo ex intentione ipsorum cultus ille tendebat in verum Deum. Sicut si diabolus in persona Christi loqueretur per imaginem crucifixi, & tu putans esse Christum, adorares ipsum, honor iste tenderet in Christum. Confirmatur, Propter quod vnumquodque, & illud magis: sed ipsi colebant idola propter diuinitatem; ergo magis colebant diuinitatem.

Respon. Respondeo, negando primam consequentiam: inde enim solùm sequitur, eos cultum suum direxisse in id quod stolidè putabant esse verũ Deum, non autem in verum Deum. Sicut si quis agnoscat & honoret pro Rege aliquem Regis hostem, sibi absque ratione persuadens illum esse verum Regem; non potest dici honorare verum Regem. Perinde enim faciunt idololatræ, ac si quispiam, non facta priùs diligenti inquisitione quis & qualis sit Rex, deligeret aliquem ex plebe in Regem, ob aliquod commodum ab ipso perceptum, eique honorem deferret: qui sanè non censeretur velle honorare eum qui verè est Rex, sed alium, cui nefariè hanc dignitatem tribuit.

Ad probationem: Est dispar ratio. idololatria enim dirigit cultum externum, & internam submissionem ad personam vel rem creatam, cui diuinitatem absq; ratione attribuit; iste verò ad personam increatam, nempe ad Christum; non enim intendit se submittere diabolo, nec illi putat inesse diuinitatem, sed Christo. In eo tantùm fallitur, quòd diabolum apparentem in persona Christi putet esse Christum; & sic tribuit illi diuinitatem sub ratione formali personæ Christi: qui error non est Iuris, sed facti: potest tamen hîc etiam esse graue peccatum; si enim facilè possis aduertere non esse Christum, vel meritò dubites, & non adhibita inquisitione vel debita cautione, adores tamquam Christum, committes idololatriam, saltem interpretatiuè & æstimatione morali; ac proinde peccatum mortale: etsi enim formaliter & expressè non intendas colere diabolum, sed Christum: tamen ita agis ac si intenderes aut certè parum curares vtri è duobus cultum deferas. Si verò non possis id facilè aduertere, ita vt ignorantia vel inconsideratio non censeatur crassa, sed leuis tantùm; non erit quidem peccatum mortale; quia non erit absolutè voluntarium: à veniali tamen excusari non poterit; quia erit voluntarium imperfectè, scilicet ratione illius negligentiæ in considerando. quòd si nulla negligentia interueniat, erit formaliter actus latriæ, & materialiter tantùm idololatria; quia quòd tendat in creaturam, nullo modo est volitum. Ad confirmationem: etsi Gentes id, quod colebant, intendissent colere propter veram diuinitatem, & ipsa diuinitas fuisset ratio formalis obiectiua; tamen in eo peccassent, quòd hanc tribuerent rei creatæ, & colerent creaturam tamquam terminum integrum, & obiectum quod adorationis. Vt si quis haberet veram apprehensionem diuinitatis, & putaret eam conuenire alicui homini, vel alteri creaturæ, sicut inerat Christo, vel alio modo peculiari. Qua ratione Montanistæ, qui putabant Montanum esse Paracletum, non poterant scelus idololatriæ effugere, si consentaneum suæ opinioni cultum ei deferebant. Similiter qui Simonem Magum credebant esse virtutem illam magnam, quæ condidit Angelos, quam se esse iactabat. Idem dico, si Christus non esset verè in Eucharistia: nam adoraretur id quod ibi latet, ob veram diuinitatem quam non haberet, & ita latria tribueretur creaturæ, quod nihil est aliud quàm vera idololatria. Vnde ipse Ecclesiam suam pernicioſissimè decepisset, dicendo, *Hoc est corpus meum.* nam his verbis necessariò impulisset eam in idololatriam. Deinde, tantum scandalum Ecclesiæ per talia verba datum debuisset tandem aliquando tollere, & suam mentem clarè explicare, vt Ecclesia errare in re tanta desineret. sed id non fecit, quin potiùs infinitis modis eam in hac sententia & adoratione confirmauit. Quare tam absurdum & blasphemum est, di-

cere Christum in Eucharistia verè non esse, quàm dicere Ecclesiam suam pernicioſissimè decepisse, & fraudulenter feciſſe idololatricam. Hoc obiter dixerim ob pestes huius æui. ex quibus patet quomodo possit idololatria esse, cùm creatura colitur ob veram diuinitatem, si hæc illi verè non competit. Sed reuerà Ethnici non colebant res creatas propter veram diuinitatem, sed propter tenuem diuinitatis speciem & vmbram, quam putabant esse veram diuinitatem, nescientes quid sit vera diuinitas, & cui tribuenda: & ita non sequitur, illos coluisse veram diuinitatem. Potest tamen dici, veram diuinitatem ab eis cultam remotè, nimirum quatenus conceptus illius confusus mouet hominem ad cultum deorum; sicut conceptus confusus felicitatis mouet ad appetitionem tam falsæ quàm verę felicitatis; & conceptus confusus boni, ad appetitionem boni, tam delectabilis quàm honesti.

Dvbitatio v.

Quid sit diuinatio, & quænam eius species.

22 *Diuinatio* propriè tantùm est futurorum, quæ ex causis indeterminatis proueniunt, quorum prænotio est solius Dei. vnde dicitur diuinatio, quasi actio diuina & propria diuinitati. Græci μαντείαν vocant ἀπὸ τῆ μανίας, à furore, vt ait Cicero libro 1. de diuinatione. fit autem vel reuelatione diuina, & sic vocatur *prophetia*; vel ope dæmonis, & sic propriè dicitur *diuinatio*, estque species superstitionis. Hoc modo passim accipitur in Scripturis; vbi soli illi vocantur diuini, qui ope dæmonis diuinant, vt notat Hieronymus in cap. 3. Michææ. Hoc modo accepta *diuinatio* nihil est aliud, quàm illicita vsurpatio notitiæ vel prædictionis futurorum contingentium. Sumitur tamen passim latiùs, vt extendat se etiam ad aliorum occultorum, quæ quis humano modo cognoscere non potest, illicitum studium & patefactionem: nam *diuini* vocantur, qui occultum furem indicant, qui res perditas ostendunt, qui causas occultas mortis vel morbi animalium aperiunt, &c.

23 *Generatim accepta quid sit.* Itaque *diuinatio* est, quando quis ope vel disciplina dæmonis, de aliquo occulto, quod humano modo cognoscere non potest, inquirit.

Dæmones multis modis possunt plura de futuris nosse quàm homines. Vbi aduerte, etiamsi dæmones non possint certò cognoscere futura quæ à libero arbitrio alterius pendent, vt docet D. August. lib. de Diuinat. dæmonum cap. 5. & 6. & lib. 2. de Genes. ad litteram cap. 17. tamen possunt longè plura de rebus futuris alijsque occultis nosse quàm homines, idque quinque modis.

Primò, Quia cognoscunt exactè omnes causas naturales & vim earum; vt solis, lunæ, siderum, elementorum, plantarum, animalium, &c. vnde facilè colligere possunt qui effectus ex iis secuturi sint, vel absolutè, vel si certo modo applicentur. Sic facilè possunt prædicere ventos, tempestates, naufragia, mortes.

Secundò, Quia sciunt quid ipsi & alij dæmones malorum socij, Deo permittente facturi sint. sic poterant prædicere euersionem familiæ Iob, & ipsius calamitates.

Tertiò, Quia summam habent experientiam, millies enim obseruarunt quid ex quo sequi in causis liberis soleat; quibus rebus voluntas humana huc vel illuc impelli: vnde sæpè fit vt de futuris liberis verè coniectent.

Quartò, Quia vident in longinquis locis causas iam positas, vel effectus inchoatos, & possunt celeritate naturæ illos præuertere, & alibi prænuntiare. sic prædicere solent incrementa Nili in Ægypto, visa copia aquarum in Æthiopia, vt refert Athanasius in Vita B. Antonij.

Quintò, Possunt interdum aliquid de rebus futuris cognoscere ab Angelis, Deo permittente, vel ex Scripturis, quas meliùs intelligunt quàm homines.

Porrò diuinatio fit bifariàm. Primò, Per expressam dæmonis inuocationem, vt cùm diuinator intendit, & eo fine aliquid agit, vt ipse se immiscear. Secundò, Sine expressa inuocatione, interueniente tamen quadam tacita: & hoc rursus dupliciter; vel enim fit per solam inspectionem dispositionis aliquarum rerum; vt motus, situs, figuræ, vocis, lineamentorum: vel per considerationem eius quod ex aliqua actione humana ad hoc directa prouenit; vt cùm consideratur quæ figura in plumbo liquefacto aquæ iniecto resultet, aut quid in sortibus obueniat. 24 *Diuinatio fit dupliciter.*

Itaque generatim sunt tres species diuinationis. Ad primam pertinet *necromantia:* ad secundam *augurium:* ad tertiam *sortilegium*; singulæ autem harum rursus habent multas species & modos. *Tres species diuinationis.*

Prima enim species, in qua diabolus expresè inuocatur, complectitur multos modos, prout diabolus variis modis consulitur; aut consultus variis modis respondet. Primò, Consuli potest per sacrificia animalium; & tunc respondere solet per signa quædam apparentia in extis animalium: hoc genus vocatur *haruspicium.* Secundò, Per preces in idolis; & tunc respondere solet per idola; & vocatur *oraculum.* Tertiò, In suis prophetis, quos ipse possidet, qui vocantur *pythonici* & *pythonissæ* & ἐγαστρίμυθοι, & tunc respondere consueuit per vmbilicum, vel per partes pudendas; (dignum sanè os tali numine) vt docet Origenes libro 7. contra Celsum in principio. Quartò, Inuocari solet certo modo, vel loco, vel cum certa vnctione, aliisque cærimoniis, cubando, vt respondeat per somnia: & tunc facit hominem somniare ea quæ vult ipsi persuadere, & vocatur ὀνειρομαντεία. Quintò, Sæpè inuocari solet, vt excitet aliquem mortuum qui respondeat: hæc vocatur νεκρομαντεία. Hac vsa est pythonissa, petente Saule cùm vellet sibi excitari Samuelem, 1. Reg. 28. quamuis non illius vi Samuel apparuerit. Sextò, Aliquando petitur vt respondeat per caput hominis mortui; & dicitur κρανιομαντεία. Septimò, Denique multis aliis modis per varias adiurationes, vnctiones, figuras, specula, aliaque signa, quæ ipse instituit, inuocari solet à diuinis, vt occulta patefaciant, & ipse variis modis respondet. 25 *1. Fit per expressam inuocationem. Variis modis diuinatur.*

Primò, Per speciem aliquam præstigiosam, oculis obiectam. Secundò, Per vocem in auribus formatam, quam nemo alius audire potest. Hi duo modi pertinent ad *præstigium.* Tertiò, Per varia visa in imaginatione: hæc *pseudoprophetia* dici potest. Quartò, Per aliquã figuram externam, quam ipse in re aliqua inanima efficit, & conspici facit. quæ quidem si conspiciatur in terra, vel re terrestri,

stri, vt in metallo, lapide, planta; generatim vocatur γεωμαντεία; si in aqua, ὑδρομαντεία; si in aëre, ἀερομαντεία; si in igne, πυρομαντεία. Huc pertinent diuinatio per cribrum, quæ Græcis dicitur κοσκινομαντία; per peluim aqua plenam, quæ λεκανομαντεία; per speculum, quæ ἐσοπτρομαντεία; & similes, quibus dæmon inuocatur, & in quibus, signis quibusdam respondet. de quibus vide plura in erudito Opere nostri P. Martini Delrionis.

26 *Diabolus imitatur modos reuelationis diuinæ.*

Ex quibus patet, diabolum omnes ferè modos, quibus vera religio Deum consulit, & quibus Deus ipse vicissim suis seruis respondere solet, esse imitatum, vt hac ratione speciem aliquam diuinitatis capter & ostentet. Solet enim Deus respõdere per propitiatoriũ, per sacrificia, per Prophetas numine diuino plenos, per somnia, per mortuos viuis apparentes, per Angelũ specie humana indutum, per voces in auribus Prophetarum formatas, per visa imaginaria, per varias species & affectiones in elementis procuratas, vt ex Scripturis & historia Ecclesiastica facilè ostendi potest.

27 *Quale peccatum in prima specie diuinationis. Expressa societas cũ dæmone cur graue peccatum.*

Petes, Quale peccatum sit in hac prima specie diuinationis.

Respondeo, In omnibus modis huius speciei esse graue peccatum mortiferum. Primò, Propter expressam societatem cum dæmone, quæ per se graue crimẽ est, ob duas causas. Prior est, quia est societas & amicitia cum professo & perpetuo hoste Dei; ac proinde redundat in iniuriam & contemptum Dei; (sicut in Republ. societas & commercium cũ hoste Principis, est crimen læsæ maiestatis) maximè cùm omne studium diaboli in omnibus actionibus sit honorem Dei obscurare & animas perdere. Itaque cùm à diabolo opem petis, perinde facis atque si opem petas ab hoste Principis & Reipub. qui in ea ipsa ope ferenda conetur te perdere, & Principi contumeliam facere. Altera est, quia exponit se periculo apostasiæ à Deo, & damnationis æternæ. facilè enim diabolus, Deo permittente, hominem, qui societatem ipsius flagitat, suis artibus à Deo auertit, sibique obstringit, ita vt rarò contingat elabi, vt experientia docet. tanta enim est ipsius potentia, tam multiplex nocendi artificium, vt nisi Deus sua benignitate illum coërceret, facilè totum mundum breui tempore sit peruersurus: qui autem societatem cum illo petit, ingratus est in hanc Dei benignitatem: vnde meretur vt Deus permittat ipsum tyrannidi illius subiici. Vnde benè dixit Caietan. qu. 95. art. 4. quòd sicut consuetudo cum Angelis in hac vita est inchoatio quædam æternæ beatitudinis; ita commercium cum dæmonibus est initium quoddam æternæ damnationis, cuius etiam signum est fœditas, miseria, & horridus vultus eorum, qui ipsis obstricti sunt. Itaque omne commercium cum diabolo sacrilegũ est, & religioni aduersum; quia contra fidem & honorem Deo debitum, qui postulat ne cum hoste tractemus. est etiam ex parte superstitiosum, tum quia periculum apostasiæ & superstitionis, qua diabolus pro Deo colatur, continet: tum quia plerumque cum eo tamquam cum numine quodam agitur. Hinc prohibetur hæc societas multis locis in Scripturis, Leuit. 19. Deut. 18. Eccli. 34. & alibi; & Leuit. 20. diuini iubentur interfici.

Commercium cum dæmone.

28 *2. Causa.*

Secundò, Est peccatum mortiferum in hac diuinatione, quia diabolo tribuitur id, quod Deo est proprium, quod intellige cùm ab illo quæritur de futuris liberis, quorum cognitio solius Dei est. Vnde Isa. 41. dicitur: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Itaq; cùm de huiusmodi consulitur, tribuitur ei honor diuinus, & committitur tacita blasphemia. Hoc tamen non habet locum, quando consulitur de aliis, quæ ipse naturaliter scire potest.

Tertiò, Sæpè coniuncta est huic diuinationi infidelitas vel hæresis; vt si quis credat diabolũ esse aliquod numen, vel non esse miserum, aut damnatum, aut scire futuros mortalium euentus, &c. sæpè etiam pactum inbest cum diabolo, in quo renuntiatur Christo, Baptismo, & Sacramentis omnibus; & renuntians se tradit diabolo. aliquando idololatria, & varia sacrilegia. Itaque de his omnibus isti diuini tum in foro pœnitentiæ, tum in foro externo sunt diligenter examinandi, vt infrà cap. 44. dub 4. de magis dicemus. 3. *Causa.*

Quartò, Si diuinus de occultis inquirat vt ipse sanctus vel Propheta habeatur, accedit malitia sacrilegæ ambitionis & hypocriseos. si solùm vt ipse sciat, erit curiositas, quę tamen per se non addit malitiam mortalem diuinationi.

Petes, Vtrùm sint excommunicati, qui diuinationes exercent, vel diuinos consulunt? 29

Respondeo, Videri excommunicatos, propter Canonem, Si quis ariolos. 24. quæst. 5. vbi dicitur ex decretis Gregorij III. *Si quis ariolos, haruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis eorum vsus fuerit, anathema sit.* & cap. Sortes, ibidem, prohibet Leo IIII. *sortes diuinatorias*, sub anathematis interdicto. Quidam tamen, inter quos Siluest v. Superstitio qu. vlt. putant non esse ipso facto excommunicatos, sed excommunicandos, vt eadem qu. in aliis Canonibus dicitur. nisi fortè huic facto coniuncta sit hæresis. Nec obstat ille Canon; quia *anathema sit*, potest significare excommunicationem ferendam, vt *sit exul, sit extorris*, id est, eiiciatur in exilium, &c. Vide Nauar. cap. 27. num. 12. Deinde hoc nomen non semper significat excommunicationem propriè dictam; nam generatim denotat quidquid est valdè execrabile vel exitio deuotum. quomodo aliquando accipitur in sacris Canonibus antiquorum Cõciliorum, & apud Apost. 1. Cor. 12. *Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema* IESV: vel vt Græca habent, IESVM, id est, nemo IESVM execratur. & cap. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum* IESVM *Christum, sit anathema*, ad Rom. 9. v. 3. & alibi; vnde etiam in mortuos anathema dicitur, qui tamen excommunicari non possunt.

Altera species diuinationis, quæ continet inuocationem tacitam, & capitur ex sola dispositionis quarumdam rerum inspectione absq; alia hominis actione, tribus generatim modis agitur. Primò, Ex consideratione motus, situs, vel numeri aliquarum rerum. Secundò, Ex obseruatione vocis, aut cantus, aut soni alicuius. Tertiò, Ex lineamentis, figuris, coloribus. 30 *De 2. specie diuinationis.*

Si primo modo fiat; vel consideratur motus & situs siderum ad diuinandũ de futuris; & sic erit *astrologia iudiciaria*, cuius pars *genethlialogia*: vel motus, aut situs, aut numerus auium, & erit *auspicium*.

Si secundo modo; vel capitur ex garritu auium, & vocatur *augurium*; vel ex voce humana alia intentione prolata; aut ex hominis sternutatione, & hoc vocatur *omen*.

Si tertio modo; vel considerantur lineamenta manus, & hæc dicitur χειρομαντεία; vel frontis, & dicitur μετωποσκοπία; vel dorsi, & dicitur νωτομαντεία; & alia huius generis.

Ad hos modos reducitur diuinatio, quæ ex motu, situ, voce, numero, lineamentis aliorum animalium, vel aliarum rerum capitur; omnium enim eadem est ratio, nec differunt nisi materialiter.

31 Tertia species, quæ capitur ex iis, quæ fortuitò ex actione humana ad diuinandum directa prouenient, fit etiam variis modis, vt rectè docet diuus Thomas q.95. art. 3. sed omnes pertinent ad *sortes*, de quibus infrà dub.8. *De 3. specie diuinationis.*

Notandum est, omnes modos diuinandi secundæ & tertiæ speciei, ex genere suo esse peccata mortifera; vt docent omnes Doctores: cuius rationem infrà dubit. 5.& 6. adferam. Rarò autem per simplicitatem excusari possunt; quia qui volunt diuinare de futuris, non sunt simplices, sed versuti, & plerumque maligni. in vanis tamen obseruationibus ad praxim pertinentibus, est facilior excusatio; hîc enim non intenditur prædictio, sed cautio alicuius mali, vel prosper successus, vt infrà dicetur; in quibus homines facilè sunt creduli, ex affectu commodi, vel incommodi timore. Quomodo in istis speciebus sit inuocatio implicita dæmonis & superstitio, dicetur infrà num.36.37.47.52.& 62.

Dvbitatio vi.

Vtrùm omnis prædictio ex astris sit illicita.

D. Thomas art. 5.

32 Respondeo breuiter, Non omnis prædictio ex astris per se illicita est, sed eorum tantùm euentuum, quorum astra causa esse non possunt; vt sunt ea, quæ ex libero arbitrio, tamquam integro vel partiali principio pendent.

Duplex Astrologia. Naturalis qua sit.

Hinc distingui solet duplex Astrologia, *Naturalis & Iudiciaria.*

Naturalis est, quæ ex astrorum, maximè planetarum ortu, occasu, cõiunctione, oppositione, varioque aspectu tum inter se, tum ad stellas fixas; item ex colore, scintillatione seu micatione, de futuris elementorum affectionibus coniectat; vt de serenitate, pluuijs, tempestatibus, nubibus, grandine, æstu, frigore, & similibus, quæ à cælo pendent, de quibus multa Virgilius in Georgicis, & Aratus in Phænomenis. Hæc nõ est quidem prohibita; tamen magna ex parte est incerta & parum vtilis; excepta ea parte, quæ sumitur ex ortu, occasu, aspectu, & colore solis ac lunæ. nam virtus reliquorum astrorũ est valdè obscura, & omnis experientia, quæ de illis haberi potest, incerta. Primò, Quia sciri non potest an talis effectus proueniat à sidere, v.g. Veneris, an Iouis, an aliunde. Secundò, Numquam hactenus idem aspectus siderũ restitutus est; idq; ob motum proprium sphæræ octauæ & nonæ: & sic nulla certa experientia capi potuit. Tertiò, Quia ex aliis causis, vt à ventis, vaporibus, æstu, frigore, aër potest esse varie affectus; vnde facilè actionem siderum variabit; varia enim affectio medij mutat actiones causarũ. Quartò, Denique vt quis aliquid certi in particulari possit prædicere ex astris, multa scire debet, quæ humanam scientiã longè superant. Primùm enim perspectas habere debet omnes astrorum proprias virtutes: si enim aliquæ illum latent, non potest scire an effectus non impedietur. Deinde non solùm quid singula per se possunt, sed etiam quid coniunctim, & in quouis aspectu, v.g. in aspectu trigono, tetragono, hexagono, oppositio, &c. qui aspectus infinitis modis variari potest. Præterea simul considerare debet, quid omnibus locis operentur, ne fortè alibi quid faciant, quod effectum hoc loco impediet. Sæpè videmus nubes imbriũ grauidas & ad pluuiam proximè paratas, discuti à ventis alibi excitatis, ne hîc se effundant. Vnde patet quàm hęc res sit supra facultatem humanam, & quàm vanæ sint prædictiones, quę quotannis euulgantur per Ephemerides. quamuis & hoc, ex euentu, qui rarò respondet, satis cognosci possit. Vnde Ioannes Picus lib.2. contra Astrologos cap.9. ait, ex 130. prædictionibus nobilissimi cuiusdam Mathematici de mutatione cæli & auræ, se, adhibita accurata obseruatione, tantùm 7. veras deprehendisse, idque iureiurando confirmat.

Qua parte sit vtilis.

33 *Cur incerta experientia.*

Quanam noscenda ad prædictiones Astrologicas.

Quòd si de pluuiis, ventis, & similibus, certò aut multùm probabiliter pronuntiare nõ possunt; multò minùs de inclinationibus hominum, eorumq; temperamentis; vt hunc fore iracundum, melancholicum, &c. quia horâ natiuitatis illius, talis vel talis erat siderum aspectus, qui procreat copiam bilis, melancholiæ, &c. quod confirmari potest, Primò, Nam istæ inclinationes multò magis pendent ex temperamento parentum & alimentis eorum, quàm ab astris. Deinde quia impossibile est notare exactè aspectum siderum in cælo, quem habent ipso natiuitatis puncto: quod tamen iuxta Astrologos est necessarium: at minimus hac in re error totum iudiciũ reddet falsum; nam in ictu oculi omnis aspectus siderum mutatur, tum inter se, tum respectu prolis. cælum enim octauum intra centesimam vnius horæ particulam plusquam trecenta millia milliarium cõficit; vt ex doctrina Astronomorum patet: quam velocitatem inferiores orbes in suis gradibus nõ exæquant. Tertiò, Quia gemini simul editi sæpè diuersissimas habent propensiones, temperamenta, mores, euentus; vt patuit in Esau & Iacob.

34 *De temperamento ex astris & hora natiuitatis non potest probabiliter iudicari.*

Si dicas id fieri quia aliqua parua nascendi mora intercedit, quæ in tanta cæli pernicitate magnam adducit mutationem: iam singula membra debebunt habere diuersa temperamenta & fata; vt pulchrè contra Astrologos ratiocinatur beatus Gregorius homil.10. in Euangel. Quartò, Quia ad hęc prędicenda non erat considerandum punctum natiuitatis, sed animationis in vtero, quod sciri nequit. non enim minùs astra agunt in infantem, quando est in vtero, quàm dum egreditur. si enim vis eorum sese in profunda terræ penetrat, quantò magis in vterum maternum? Confirmatur, quia tunc maximè astra suos effectus imprimere debent, quando fœtus est tenerrimus; hoc autè est tempore animationis, & reliquo, quo existit in vtero. Itaq; mera amentia est ex aspectu siderum, qui tempore natiuitatis viget, velle de tẽperamento vel inclinationibus prolis iudicare.

Naturalis Astrologia non est per se peccatũ.

Aduerte tamen, hoc iudicium, si vlteriùs non procedat, sed sistat in naturalibus affectibus & temperamento, non esse damnatum per Canones aut

aut Leges; sed permitti, sicut multa alia friuola, quæ per se noxia non sunt, permittuntur.

35 *Astrologia iudiciaria.* *Astrologia iudiciaria* est, quæ aspectu siderum obseruato iudicat de futuris euentis à libero arbitrio aliqua ratione dependentibus; vt de conditione vitæ, de matrimoniis, de liberis, honoribus, opibus, de infortuniis, inimicitiis, præliis, exilio, carcere, morte, aliisque casibus humanis. Interdum iudicat etiam de præteritis ex præsenti constellatione; vt docet Origenes apud Eusebium l. 6. Præparat. euangel. cap. 9. vt quis huius sit parens, cuius fortunæ & conditionis fuerit, quis furtum vel homicidium commiserit, huius cultores vocantur Astrologi, Genethliaci, Mathematici, (quamuis aliàs hoc nomen honestum sit) & aliquando Chaldæi; quia hi præcipuè huic vanitati erant dediti. Scriptura vocat *augures*, Isa. 47.

Est peccatum mortiferum. Huius Astrologiæ vsus est per se malus & graue peccatum mortiferum.

Probatur Primò, Ex Scriptura, Deut. 18. *Gentes istæ, quarum possidebitis terram, augures & diuinos consulunt; tu autem aliter à Domino Deo tuo institutus es.* vbi per *augures* intelligitur Astrologi, vt docent Hebræi; & colligitur apertè Isa. 47. *Stent & saluent te augures cæli*, (Sept. *Astrologi cæli*) *qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt tibi vera prædicerent.* Vbi etiam insinuat Propheta, ex astris non posse calamitates bellorum & euersiones regnorum prædici. Ierem. 10. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt.*

Secundò, Probatur ex vtroq; Iure: nam L. Nemo. & L. Etsi. C. de maleficis & Mathematicis; iubetur puniri Astrologi iudiciarij eodem modo, quo Necromantici & alij magi. Et in Concilio Tolet. 1. cap. vltim. dicitur: *Si quis Astrologiæ vel Mathesi credendum esse duxerit, anathema sit.* Vide plurima de his in Decreto 26. qu. 3. 4. 5.

Tertiò, Quia omnes Patres hanc damnant. Vide præ ceteris D. Augustinum lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 17. & lib. 2. de doctrina Christ. c. 21. 22. 23. 24. lib. 5. de ciuit. cap. 1. & sequentibus; quibus locis contra hanc vanitatem fusè disputat, & ostendit eam pertinere ad occulta cum dæmonibus commercia. Idem post expositionem Psal. 61. agit de pœnitentia cuiusdam Mathematici, quem & libros comburere, & publicam pœnitentiam agere coëgit. Vide etiam Ciceronem lib. 2. de diuinat. & Phauorinum in disceptatione contra Chaldæos, apud Gellium lib. 14. noct. Atticarum cap. 1. vbi hæc Astrologia refutatur: denique disputationem Bardesanis Syri & Origenis contra eosdem, apud Eusebium, de Præparatione euang. lib. 6. cap. 8. & 9.

36 *Inducit fatum.* Quartò, Probatur ratione: Primò, Quia hæc diuinatio supponit actiones humanas pendere à stellis; quod est grauis error contra fidem; inducit enim fatum, & consequenter tollit liberum arbitrium, Deumque facit auctorem peccatorum; vt eleganter ostendit Origenes apud Eusebium, suprà. vnde omnes antiqui Astrologi posuerunt *Fatum* tamquam fundamentum suæ artis, quod dicebant esse immutabilem omnium euentuum dispositionem, à stellis dependentem; vt testatur Origenes suprà, & Augustinus lib. 5. de ciuit. cap. 1.

Regula Astrol. à dæmone, & ita diabolus honoratur. Secundo, Vtendo hæc diuinatione subiicis te disciplinæ diaboli, ex cuius traditione, per homines curiosos ab ipso deceptos, regulæ huius artis & similium processerũt; vt docet Lactantius lib. 2. diuinarum instit. cap. 17. Apuleius apud Augustinum lib. 8 de ciuit. cap. 16. & ipse D. Augustinus multis locis. non enim seria aliqua humana ingenij inquisitione inuentas esse vel ex eo patet, quòd nulla in his experientia capi possit, vt antè ostensum est: omnis autem inuentio humana est per experientiam. Itaque tacitè honoras diabolum, vtendo eius documentis, eique futurorum prænotionem, quæ soli Deo est propria, tribuis. & hac ratione est peccatum superstitionis.

Obiectio. Veritas illarum est à dæmone. Resp. Dices, Si diabolus aliquid veri tradat, possum illa veritate vti; quia veritas non est ipsius, sed Dei, & omnis notio veritatis à Deo est.

Respondeo ita esse, si id, quod traditur, per se verum sit; secùs si in se sit falsum & vanum; nec habeat veri speciem, nisi diabolo procurante. tales autem sunt regulæ Astrologorum, Aruspicum, Chiromanticorum, & similium: in seipsis enim sunt vanissimæ, & nullam cum natura rerum affinitatem habent; sed vt veræ videantur, diabolus effectum procurat.

37 *Allicit ut diabolus.* Tertiò, Quia per vsum huius artis allicitur diabolus vt procuret ea quæ prædicuntur, vt docet D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 24. loquens enim de Mathematicis & aliis curiosis diuinatoribus, ait: *Illi enim spiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitũ per suspiciones & cõsensiones eius viderint.* Et paulò antè: *Quæ omnia tantum valent, quantum præsumptione animorum* (id est, anticipata opinione) *quasi communi quadam lingua, cum dæmonibus fœderata sunt. quæ tamẽ omnia plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ seruitutis. nõ enim quia valebant animaduersa sunt; sed animaduertendo & signando factum est vt valerent: & ideò diuersis diuersa proueniunt, secundùm cogitationes & præsumptiones suas*, &c. Cùm enim diabolus videt ista credi, dat operã vt eueniant, vel videantur euenire, vt homines in hac pestifera opinione confirmet. Vnde patet secundùm D. Augustinum in vsu Astrologiæ subesse tacitum fœdus cum diabolo, quo ipse promittat Astrologis se illa procuraturum, si credantur & prædicantur; ac proinde in eodem vsu contineri etiam tacitam inuocationem vt ista procuret, & dogmata sua verificet.

Hæ duæ rationes locum etiam habent in reliquis diuinationibus secundi & tertij generis, quæ fiunt absque expressa inuocatione: vnde etiam D. Augustinus de omnibus loquitur, & omnes eodem modo condemnat.

38 *Verùm astra possint poni saltem signa euentuum.* Dicet fortè aliquis Astrologus, se non facere stellas causas futurorum euentuum, sicut faciebant antiqui; sed signa dumtaxat; Deum enim in cælo, veluti in tabula quadam, descripsisse omnes euentus etiam liberos, ab initio sæculi vsque in finem futuros; quo modo in membranis per Prophetas descripsit ea, quæ futura erant circa Christum & Ecclesiam: quam sententiam expressè tradit Origenes apud Eusebium suprà: vbi cùm fusè & eruditè ostendisset stellas non esse causas futurorũ euentuum, eò quòd sic introducatur fatum, tollatur libertas, & Deus constituatur malorum auctor: docet tamen esse signa diuinitatis, instituta ad omnia futura præsignanda: signa enim non officere libertati, sed causas. Quemadmodũ enim potestas arbitrij humani minimè tollitur, etsi Deus quæcumque facturi sumus præuiderit: ita

quælibet signa ad præsignandum diuinitus constituta, libertati nostræ nequaquam obesse: statuit igitur Origenes, vniuersum cælum quasi volumē quoddam apertum & membranam expansam, omnia futura in se descripta continentem. Probat Primò, Ex oratione Ioseph, vbi Patriarcha Iacob introducitur sic loquens: *Legi in tabulis cæli quæcumque contingent vobis, & filiis vestris.* Secundò, ex illo Apoc. 6. *Complicabuntur cæli vt liber*; vbi declaratur, inquit, *significatiuas futurorum rationes adimpletas fore*, sicut prophetias adimpletas dicimus cùm iam euenerunt. Eamdem sententiam secutus est Albertus Magnus in Speculo, (si tamen hic liber est illius) & Cardinalis ab Alliaco q. 30. in Genesim, & lib. de Legibus & sectis; vbi etiam docet, totam Christi vitam, eiusque miracula ex astris prædici potuisse.

39 *Respon. Refutatur hac sententia. Non esse signa naturalia.* Respondeo Primò, Fundamentum huius sententiæ esse absurdum & impossibile. vel enim stellæ sunt signa naturaliter significantia, vel ex arbitraria Dei institutione. si naturalia sunt, necesse est vt sint vel causæ futurorum euentuum, vel effectus illorum; (quorum vtrumque est manifestus error contra fidem, & rationem naturalem) vel vt aliquam naturalem cōnexionem cum euentis futuris habeant, ratione eiusdem causæ communis; sicut iris est signum serenitatis, quia causa, quæ facit iridem, solet plerumque facere serenitatem: & sol *cæruleus imbres denūtiat, igneus euros*, teste Virgilio; quia causa, cur hi colores in sole appareant, solet imbres & ventos gignere: & hoc etiam modo sidera non possunt esse signa futurorum euentuum; quia Deus est agens liberum; vnde ex eo quòd talia sidera fecerit, eisque talem motum dederit, colligi non potest quòd tales vel tales euentus causabit. Secundò, Quia Deus non est per se causa operum humanorum, sed solùm per liberum arbitrium hominis. Tertiò, Quia non potest dici causa operum malorum; quare saltem hæc non poterunt sic præsignari. Quartò, Quia impossibile est, tam infinitam varietatem euentuum humanorum significari distinctè rebus tam paucis, tam vniformiter se habentibus: nam ea, quæ semper eodem modo & necessariò fiunt, non possunt præsignare ea, quæ liberè, & numquam ferè eodem modo fiunt: signum enim debet accommodari signato, & illud quodammodò sequi, vt ei possit accommodari & respondere. Itaq; cælestia illa vel non significant actiones humanas, vel actiones humanæ necessariò eueniunt.

Triplicitèr potest aliquid esse signum naturale.

40 *Non esse arbitraria.* Si dicas, ea significare ex diuina institutione; sicut voces inter homines, eadem obiici possunt: nam ea quæ necessariò & vniformiter fiunt, non sunt idonea signa rerum contingentium & infinitam varietatem subeuntium; sed similem varietatem habere debent. vnde non minor pænè est vocum varietas quàm rerum.

Deinde nemo, ne Angelus quidem, hanc significationem poterit intelligere, nisi Deus eam reuelauerit. quis enim scire potest quid Deus hoc vel illo aspectu vel concursu stellarum velit significari, nisi ipse mentem suam patefaciat; cùm hæc significatio sit denominatio extrinseca ab actu diuino, nihil ponens in ipso signo? itaque inutilis erit tota illa descriptio, & superuacanea; cùm absque reuelatione nihil iuuet; & reuelatio sola sufficiat. Denique per se absurdum est & ridiculum, Deum in illis stellis describere, quis, quo loco, quibus parentibus nascetur, quibus nuptiis, honoribus, opibus potietur, quæ scelera commissurus, qua morte obiturus, & similes minutias, quæ mille modis in eodem variari possunt. Quare cùm hæc sententia nullam probabilitatem habeat, non possunt Astrologi per eam excusari. Oratio autem Ioseph, quam citat Origenes, est apocrypha. Illud ex Apoc. cap. 6. *Cælum recessit sicut liber inuolutus*, solùm significat, cælum oculis subductum fuisse & desiisse videri.

41 *Respons. 2. Hæc sententia non excusat Astrologos.* Respondeo Secundò, Etiamsi sententia ista probabilis esset, tamen excusari non possent Astrologi à dæmonum commercio & superstitione; quia hanc significationem humanum ingenium assequi non potest, vt etiam Origenes fatetur. Itaque necesse est vt eam norint vel diuina reuelatione, vel diaboli traditione. Quòd autem illorū regulæ non sint ex diuina reuelatione, satis constat: tum quia sæpissimè falsæ sunt; tum quia sunt eædem, quæ aliorum Astrologorum, qui stellas faciunt causas euentuum; nisi quòd in illis loco *causæ* dicatur *signa*, v. g. vbi alij Astrologi dicunt *sidus Martis facere homicidam*, hi dicunt, *sidus Martis significare homicidā*; vt inquit D. Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 1. vbi hanc sententiam refert & refutat: itaque eadem prorsus est prædictio. Quare cùm eædem sint regulæ, (vno dumtaxat verbo mutato) & eædem omnino prædictiones; perspicuum est prouenire ab eodem magistro, qui hanc moderationem adhibuit ad dedecus artis & fraudes tegendas, & discipulos suos tutandos. Vnde etiam hìc diabolo tribuitur prænotio futurorum, quæ Dei est propria; quod ad superstitionem pertinet. Deinde tacitè inuocatur vt procuret quod prædicitur. cùm enim ipse præscire nequeat quid euenturum sit, nisi se immiscceat, necesse est si regulas suas tueri velit, manum adhibeat.

Confirmantur hæc omnia, quia absolutè damnatur ab Ecclesia & sanctis Patribus omnis huiusmodi prædictio, siue tamquā ex causis, siue tāquam ex signis capiatur: nā reuerà eamdem sollicitudinem, curiositatem, desperationē, animositatem, præsidentiam, religionis cōtemptum, dæmonum societatem, apostasiam animis hominū inducit. non enim tam curant homines scire causas euentuum, quàm præscire ipsos euentus. quibus præscitis nihil non audent, vt præsciant nihil non agūt, si spes sit præsciendi. Deniq; hæc astrologia est fundamentū magiæ & omnis diuinationis, vt docet Agrippa magus lib. 2. Occultæ philosophiæ cap. 54. nam signa magica plerumque sub aliquo synasterismo seu constellatione fabricanda sunt, & ea per quæ quis diuinat, similiter ad aliquos siderum aspectus referenda sunt & componenda.

Iudiciaria astrol. est fundamentum magiæ.

Petes, Vtrùm sit peccatum mortiferum, etiamsi non prædicant tamquam certò euenturum?

42 *Si non certò affirmant.* Respondeo, Si aliquid particulare prædicāt absolutè, v. g. hunc tali vel tali morte hoc tempore vel loco periturum; hunc futurum homicidam, furem, Episcopum, & similia; grauiter peccant, & sunt puniendi, etiamsi postea dicant se non certò sed probabiliter affirmare voluisse: quia alioquin omnes facilè se excusarent, & contra iudices defenderent. Secundò, Si prædicūt aliquid, maximè in particulari, cum circumstantiis, quarum non possunt reddere rationem nisi ex regulis Astrologiæ iudiciariæ; v. g. quia hora natiuitatis erat talis cæli cataslasis, non sunt excusandi, etiamsi solùm dixerint

dixerint esse probabile aut verisimile: quia cùm reuerà nihil tale ex astris colligi possit, omnis talis prædictio referenda est ad disciplinam malignorum spirituum, & occultam eorum societatem. Et sanè pernicioſum est, putare regulas illas esse probabiles, cùm eadem ferè incommoda sequantur: & ipsi astrologi, quos Ecclesia damnat, sæpè non plus dicant. fatentur enim suas prædictiones non esse semper certas, & posse interdum aliter euenire. nihilominùs meritò reiiciuntur tamquam impostores, & occulta commercia cum diabolo habentes, fallaciique eius disciplinæ dediti. Si verò solùm in genere pronuntient, ita vt probabilis ratio reddi possit ex ætate, dispositione corporis, temperamento, consuetudine vitæ, aut aëris affectione, quæ ex siderum concursu vel aspectu prouenit; non sunt condemnandi.

43 *Vnde prædicant vera.*

Petes, Vnde ergo fit vt astrologi interdum etiam in particulari vera prædicant?

Respondeo, Id fieri ex quatuor vel quinque causis; vt colligi potest ex D. Augustino lib. de diuinat. dæmonu cap. 3. & habetur cap. Sciendum. 26. q 4. & lib. 2. de Genesi ad litteram, cap. 17. Primò, Id fit ex eo, quòd dæmon sæpè procuret quod prædictum est, vt pestiferam artem commendet. vnde maximè illi cauendi qui sæpiùs vera dicunt, vt monet idem Augustinus lib. 2. de Gen. cap. 17. quia certius est illos cum dæmone habere commercium. Secundò, Quia interdum casu ita accidit, vt idem docet lib. 7. confess. c. 6. Tertiò, Quia animus hominis, cui bona denuntiantur, excitatur ad audendum, omniaque tentanda vt assequatur; persuadet enim sibi fauorem cæli & numinis se habere: & è contrario cui mala, deiicitur in desperationem, putans numen sibi esse aduersum; & sic mirum non est si vtrique quod prædictum est obueniat. sic exercitus sæpè vicerunt & victi sunt. Quartò, Quia res sæpè ex aliis circumstantiis sagaci ingenio coniici potest. Quintò, Quia sæpè dæmon suggerit sibi nota, præsertim cùm hoc genus hominum plerumque expressum cum illo pactum & commercium habeat, vt docet D. Augustin. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 17. in fine. His adde, eos multò sæpiùs falsa prædicere quàm vera, sed illa non notari: imò Phauorinus apud Gellium lib. 14. cap. 1. ait, partem millesimam eorum, quæ quotidie prædicunt, veram non esse. Vide de eadem re Ciceronem lib. 2. de Diuinatione, vbi dicit: *Promiserunt astrologi Pompeio, Crasso, & Cæsari latissima omnia: non nisi iam senes domi cum summa gloria morituros: at quisque eorum infeliciter & immature periit.*

Dvbitatio vii.

Quousque diuinatio ex aliis signis, ad secundam speciem pertinentibus, vt ex motu, volatu, vocibus auium, vel aliorum animalium, aut hominum capi possit.

D. Thom. art. 1.

44 *Quomodo hæc signa inspiciantur.*

NOtandum est Primò, Hæc signa non posse inspici tamquam causas euentuum futurorum, (neque enim vllus vmquam haruspex aut chiromanticus ita illa accepit aut intellexit) & multò minùs tamquam effectus illorum euentuum, cùm præcedant illos. Itaque considerantur vt signa instituta & directa ab eadem causa, à qua euentus illi vel efficienter prouenium, vel saltem vt res futuræ, præuisi sunt: quo modo Origenes dicebat, aspectus siderum, futuros euentus præsignare.

Notandum Secundò, Hæc signa posse prouenire vel à sola causa naturali, vel ex peculiari directione diuina, vel procuratione dæmonis. His positis,

45 *Possumus illis vti vt signis naturalibus.*

Dico Primò, Licitum est ex huiusmodi signis prædicere omnes euentus, qui per illa, vt à causa naturali proueniunt, significari possunt; seu illos euentus, qui ab eadem causa naturali sequi solent. Sic ex volatu auium aut cantu prædici possunt tempestates, venti, pluuiæ, serenitates, de quibus multa rei rusticæ Scriptores, & Virgilius in Georgicis, & Aratus in Phænomenis, versus finem. hi enim motus in auibus & aliis animalibus ex eo prouenium, quòd dum mutatio auræ ingruit,

Quomodo motus & cantus auium sit signũ tempestatis.

Vertuntur species animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat
Concipiunt. hinc ille auium concentus in agris;

vt ait Virgilius. mutatio enim aëris afficit corpuscula auium, vel cerebrum aut spiritus animales, quam affectionem occulta naturæ consensione phantasia statim percipit, & per modum conuenientis aut disconuenientis apprehendit, & exteriùs volatu vel voce significat: homines non ita præsentiunt ista, tum quia phantasia aliis est intenta; non enim gubernatur à rebus externis in homine vt in bestiis, sed à ratione & libera voluntate: tum quia insita non est hominibus (nisi fortè ratione morbi, debilitatæ partis, aut peculiaris temperamenti) occulta illa & peculiaris sympathia cũ mutatione cæli, quam videmus in variis animantibus. Fatui tamen & stupidi, quia brutis affines; & sensibus non ratione reguntur, magis diuinant de rebus naturalibus quàm prudentes; & dormientes magis quàm vigilantes; & morti propinqui (nisi fortè doloribus vel stupore sensuum impediantur) magis quàm sani: partim quia corpora faciliùs afficiuntur externis mutationibus, partim quia phantasia faciliùs percipit.

Huc etiam pertinent coniecturæ Medicorum de temperamento, inclinationibus, ingenio, valetudine, longa breuique vita; quas ex habitu corporis, ex conformatione vultus & figura membrorum, ex colore & similibus capiunt. Item prædictiones illorum de morbis, morte, sanitate, crisi bona vel mala; ex pulsu, colore, sudore, aliisque naturæ excretionibus, suppressionibus, motibus, conturbationibus, & aliis signis, de quibus Hippocrates in Coïcis; & Galenus opusculo de Crisibus, & aliis locis.

Dico Secundò, Quando certum est vel probabile, aliqua signa prouenire à Deo, vel singulari eius prouidentia dirigi ad aliquid præsignandum, (quod tamen perrarum est) non est illicitum aliquam ex illis prædictionem capere de euentibus liberis. Sic columba deferens ramum oliuæ virentibus foliis, erat signum, placatum esse Dominum, & aquas diluuij exhaustas, Genes. 8. Sic iris est signum non ampliùs delendi mundi per aquas, Genes. 9. Verbum Rebeccæ, *Bibe domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant*, erat signum ipsam fore vxorem Isaac, Gen. 24. id enim pro signo petierat Eliézer famulus Abrahæ.

46 *Si dirigantur à Deo.*

Sic

Sic narratio somnij de pane subcinericio, Iudic.7. erat signum Gedeoni cædendorum hostium: & verba illa Philisthinorum, 1.Reg.14. *Ascendite ad nos*, erant signum Ionathæ, ipsos fore cædendos: Deus enim hæc ita dirigebat & instituebat vt talia significarent, idque occulta inspiratione iis, qui inde omen caperent, significabat.

47 *Si non dirigantur à Deo.* Dico Tertiò, Si non constet, vel non sit probabile, huiusmodi ex peculiari Dei prouidentia ad certum euentum liberũ præsignandum destinari, superstitio est ex talibus diuinationem capere. Itaq; superstitio est, ex volatu, garritu, situ, numero auiũ aut aliorum animalium; ex lineamentis manus, vel aliarum partium corporis, secundùm regulas augurum & chiromanticorum, de futuris à causa libera pendentibus pronuntiare. Exempla complura vide apud Valerium Maximum lib.1.cap.4.5.6.

Ratio, cur sit superstitio. Ratio est, quia signa ista non significant illos euentus naturali modo, cùm neque sint illorum causæ, neque illorum effectus, neque vnà cum illis ab aliqua communi causa pendeant: neque ex directione peculiari diuinæ prouidentiæ; tum quia plerumque sunt fallacia; tum quia sic potiùs à viris sanctis obseruarentur quàm à magis & incantatoribus: ergo significant illos euentus ex directione & institutione dæmonis, qui huiusmodi signa instituit, & euentum, quem præsignari voluit, interdum procurat, vt mentes hominum superstitione & curiositate implicitas, quocumque luber, impellat. Confirmat id D. Augustinus lib.2. doct. Christ. cap.24. ex augurum ritu, *qui*, vt ipse ait, *& antequam obseruent, & postea quam obseruata, signa tenuerint, id agunt ne videant volatus, vel audiant voces auium*; quod est euidens argumentum, hæc nihil valere nisi ex dæmonum pacto.

Itaque qui ex talibus diuinat, Primò, Se subiicit disciplinæ diaboli, vtens regulis ab ipso traditis, tacitumque cum illo commercium habet. Deinde, Attribuit illi futurorum liberorum prænotionem, quæ Deo soli est propria. Tertiò, Tacitè illum inuocat vt procuret quod prædictum est, ne ars fallere videatur. Huc pertinent omnia, quæ dubit.5.num.37.dicta sunt ex D.August.lib.2.de doct. Christ. cap. 23.& 24. Fieri tamen potest vt solùm sit veniale peccatum; vt si homo cogitet, in hoc vel illo casu fieri posse vt talia signa sint à Deo ad aliquid ipsi insinuandum directa; & ideò aliquid faciat vel omittat vt sibi caueat vel consulat in omnem euentum: modò id per se licitum sit. hoc modo feminæ & homines parui iudicij huiusmodi signa obseruare solent, & actiones suas ex illis moderari.

Interdum est peccatũ veniale.

Quòd interdum vera ex huiusmodi prædicantur, prouenit ex iisdem causis, ex quibus suprà n.43. Astrologos aliquando verum diuinare diximus. Vide exempla quædam huc spectantia apud Valerium Maximum locis suprà notatis.

48 *Obiectio.* Obiicies Iob.37. *Qui in manu omnium hominum signat, vt singuli nouerint opera sua.* vbi videtur commendari chiromantia; & Gen.44. Ioseph dicit fratribus, *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* & œconomus eius, *Scyphus, quem furati estis; ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet:* ergo Iosephus fuit augur, vel saltem videri voluit; non voluisset autem vir tam sanctus & sapiens talis esse vel videri, si id malum fuisset.

Resp. Respondeo, Illâ sententiâ ex lib. Iob adductâ iuxta Lyranum & D. Thomam significari, Deum imprimere varias inclinationes ad varia opera, in potentia operatiua, vel in phantasia cuiusque, vt singuli norint quid sibi congruat. alij enim inclinationem habent ad Mathesim, alij ad Musicam, alij ad Poësim, alij ad Metaphysicam, alij ad hanc artem mechanicam, alij ad aliam. item pro temporum diuersitate & opportunitate ad diuersa quoque incitantur aggredienda, vt in agricolis constat.

Quidam recentiores, vt Mercerus & Vatablus, sic exponunt, *qui in manu*, id est, per potentiam suam, qua imbres, niues & tempestates inducit, *omnes homines signat*, id est, domi concludit, eos impediens ne possint visere operas suas in agris. Sed 70. & noster Interpres intelligunt de *manu hominis*, non *Dei*. Deinde minutum est illud, quòd homo non possit suos visere operarios.

Vnde accommodatiùs sic intelligetur: *Qui in manu omnium signat*, id est, qui per tempestates, niues, imbres, manus omnium hominum claudit, & otiosas reddit, impediens ab operibus agriculturæ & pasturæ. *Signare in manu* dictum est more Hebræo, pro signare & claudere manum. *Vt singuli sciant opera sua*, id est, vt singuli sibi prospiciant quid quouis tempore agere debeant. vel vt singuli sciant, opera sua pendere à Deo: vnde 70. vertunt, *vt singuli norint infirmitatem suam.* Vide nostrum Pinedam hunc locum fusè & egregiè explicantem.

Ad locum Genesis dici potest cum D. Thoma art.7. ad 1.& D.August. qq. in Genesim cap.145. id à Iosepho ioco dictum; vel illum locutum ex vulgi opinione, qua summus augur habebatur. Adde, nomen *augurandi* esse generale, & extendi ad omnem diuinationem, etiam ex signis à Deo directis. Itaque Ioseph non voluit videri *augur* vel *diuinus* talis quales erant alij in Ægypto, sed longè excellentior; vt qui spiritu Dei diuinaret, sicut iam antè aliquoties ostenderat; & pro tali illum habebant Ægyptij. 49

DVBITATIO VIII.

Quousque diuinatio ex somniis sit licita.

D.Thomas art.6.

NOtandum est, *somnia* posse prouenire ex quinque causis. Primò, Ex singulari Dei prouidentia. Secundò, Ex constitutione cæli vel aëris. Tertiò, Ex affectione corporis humani. Quartò, Ex præuiis cogitationibus. Quintò, Ex procuratione dæmonis. Nunc 50 *Somnia ex quinque causis.*

Dico Primò, Si constet, vel probabile sit, somnium ex peculiari Dei prouidentia fuisse immissum, fas est homini ex eo capere futurorum prænotionem: Deus enim illa non immittit, nisi ad aliquid significandum, quo hominem moueat vel instruat.

Potest autem id fieri duobus modis. Primò, Apprehensione verborum, quando Deus per Angelum facit vt phantasia vel sensus cõmunis concipiat per modum auditus, & veluti alio loquente, certa verba, quibus quid fieri debeat, significetur: & simul mentem reddit certam, vel interna illustratione, vel occulto quodam gustu & experimento, *Dupliciter in somnis aliquid significatur.*

mento, non subesse fraudem. Tale fuit somnium Ioseph de Virgine non deserenda, de fuga in Ægyptum, & de reditu ex Ægypto, Matth. 1. & 2. & somnium Magorum de non redeundo ad Herodem, & alia plurima in Scripturis. Sæpissimè enim Deus in somnis loquebatur; vnde Num. 12. dicitur, *Si fuerit Propheta inter vos, per somnium loquar ad eum.* hoc genus somnij vocatur χρηματισμὸς, Latinè *oraculum*, vt docet Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis.

Secundò, Apprehensione aliquarum rerum, quæ vel similes sint rebus euenturis, vel aliquam saltem analogiam cum illis habeant. Hoc si perspicuè rem exhibet sicut futura est, vocatur ὅραμα, id est *visio*: si obscurè & ænigmaticè, dicitur ὄνειρος, Latinè *somnium*. Tale fuit somnium Iacob, Gen. 31. v. 10. de ouibus; vbi etiam prior modus admiscetur, nam loquitur ei Angelus in somnis; & somnia Ioseph, Gen. 37. pincernæ & pistoris, Genes. 40. Pharaonis de 7. bobus & 7. spicis, Gen. 41. Nabuchodonosor de statua illa mystica, Daniel. 2. & alia in Scripturis & profanis Auctoribus. Tale etiam fuit somnium Theodosij, quando adhuc priuatus per quietem vidit sibi coronam Imperij per Episcopum Meletium imponi, cùm tamen ea de re non cogitasset, nec Episcopum illum nosset; vt refert Theodoretus lib. 5. hist. c. 6. & 7. & S. Polycarpi, cui in somnis suum ceruical comburi visum est; quo præsignatum fuit illi genus sui martyrij.

51 *Vnde possit discerni.* Petes, Vnde poterit cognosci vtrùm sit à Deo, an à dæmone?

Respondeo, Id cognosci partim ex eo ad quod homo per somnium impellitur; vt si ad deserendum sæculum, ad timorem inferni, ad dolorem peccatorum incitetur, existimandum esse à Deo: partim ex effectu, qui relinquitur; vt si inde remaneat illustratio animi, consolatio sancta, promptitudo ad obsequium Dei: partim ex intimo quodam sapore & gustu; aliter enim afficiunt mentem somnia diuinitus immissa, aliter aliunde prouenientia, vt docet Gregorius lib. 4. dial. c. 48. *Sancti*, inquit, *viri inter illusiones atque reuelationes, ipsas visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernunt, vt sciant vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur.* vnde B. Monica (vt refert August. lib. 6. confess. cap. 13.) *dicebat se discernere intimò quodam sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter reuelantẽ te, & animam suam somniantem.* cùm enim sint supernaturalia, sapiunt etiam plerumque aliquid diuinum & supernaturale, ita vt si homo diligenter consideret, facilè aduertere possit à Deo prouenire. Interdum tamen res est obscura, & tunc opus est consilio sapientum, ne fraude dæmonis, quod multis accidit, circumueniamur. Idem dicendum quando significatio est obscura. quando autem est clara, & simul constat esse à Deo, nullo modo est dubitandum de euentu.

52 *Si non est probabile, esse immissum à Deo.* Dico Secundò, Si non est probabile, somnium esse à Deo, non est licitum ex eo capere prænotionem de euentis liberis. Ratio est, quia somnia non possunt illa futura præsignare naturâ suâ, nec etiã vt prouenium à causis naturalibus, vt ex dictis patet: ergo solùm ex directione Dei, vel malignorum spirituum: ergo quando non est probabile esse à Deo, si quis ex illis diuinet, subiicit se disciplinæ dæmonis, eique tribuit futurorum prænotionem, & tacitè illum allicit vt procuret quod ipse putat præsignatum.

Nec refert si dicas te hæc non intendere; quia ipso facto & interpretatiuè intendis; positis enim illis circumstantiis, talis diuinatio ad nihil aliud valet, nec vllam habet speciem assequendæ veritatis, nisi eo modo accipiatur. Itaque ex genere suo est peccatum mortiferum; vnde prohibetur Leuit. 21. *Non augurabimini, neque obseruabitis somnia.* & Eccles. 34. *Vana spes & mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes*, &c. & infrà: *Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* quod quàm verùm sit, ostendit Gregorius lib. 4. dialog. cap. 49. de quodam, *qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa vitæ spatia promissa sunt: cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis collegisset; ita repente defunctus est, vt intactas omnes relinqueret, & ipse secum nihil ex bono opere portaret.* *Est peccatum mortale ex genere suo.*

53 *Potest esse peccatum veniale.* Potest tamen esse veniale. Primò Ratione simplicitatis; quia homo rudis facilè putat esse à Deo. Secundò, Quia solùm tenuiter ipsis credit. Tertiò, Si propter somnium metuat aliquid aduersi, vel speret aliquid prosperi, cogitans secum (etsi nullo fundamento) illud fortè à Deo immissum, ideoque aliqua faciat vel omittat, modò ea non sint contra aliquod præceptum naturale vel positiuum; vt docet Caietanus in Summa, v. Somniorum obseruatio, & Nauarr. cap. 11. n. 33. Si tamen quis ita deditus esset obseruationi somniorum, vt passim illâ in rebus agendis vteretur, non posset à peccato mortali excusari. Multò maius peccatum est, quando quis per somnia quærit diuinationem, certo modo vel ritu se componendo ad somnium: hoc enim expressè est inuocare diabolum. Sic olim ethnici præmisso ieiunio in pellibus cæsorum animalium dormire solebant, vt responsa in somnis acciperent. vnde Virgilius:

Pellibus incubuit stratis, somnosque petiuit.

de quo vide Cælium Rhodiginum l. 27. Antiquarum lectionum cap. 14. facile autem est diabolo somnia qualia lubet immittere, concitando humores & spiritus; sic enim varia visa excitantur in febribus in atra bile, in phrenesi, aliisque morbis & affectibus. 54 *Quærens diuinationem per somnia.*

55 *Si sit à causa naturali.* Dico Tertiò, Si somnia putantur esse ex causa naturali, licitum est ex illis coniecturam de euentis, quæ ab illa causa prouenire solent, facere: vt de mutationibus auræ, de morbis, de corporis temperamento, de humorum redundantia; de quibus multa scripsere Medici, Hippocrates de insomniis; & Galenus de præsagio ex insomniis. cælum enim & aër impressionem aliquam in corpus humanum, sanguinem & spiritus faciunt, ratione cuius per sympathiam phantasia consentanea visa apprehendit, maximè per quietem, dum sensuum externorum operatione non distrahitur, eo ferè modo, quo dictum est fieri in auibus vigilantibus.

56 *Coniecturæ de corporis affectibus ex somniis.* Sæpiùs tamen & certiùs ex somniis capiuntur coniecturæ de affectionibus corporis, quàm de mutationibus cæli; quia immediatè ex corporis dispositione oriuntur. Hoc modo si quis incendia per somnium videat, flaua bile infestari iudicatur: si fumum, caliginem, profundas tenebras, funera, & alia id genus tristia, atra bile. Si pluuiã, niues, grandines, glaciẽ; pituita, vel frigido phlegmate. Si somniet se volare, aut velocissimè currere,

rere, signum est leuis & temperatæ complexionis. Si grauia onera ferre aut in angustis locis, vbi vix se mouere queat, versari, signum est, vim animalem multitudine humorum grauari. Si ea quæ ad libidinem pertinent, signum est redundantiæ spermatis. Si versari in cœno, fimo, indicium est abundare humoribus putridis, aut intestinorum excrementis. Sic qui somniarat crus effectum sibi lapideum, paulò pòst præter opinionem omnium factus est crure illo paralyticus. Sic etiam Galenus eum, qui somniarat se in cisterna plena sanguine constitutum, coniecit plethora sanguinis laborare. Vide hæc & plura apud illum in Libello de præsagiis somniorum.

Huc pertinet somnium illud, quo aliquod spectrum irruere & opprimere hominem videtur, quod ἐφιάλτιν & ποιγαλίωνα Medici vocant, Latini incubum. hoc enim prouenit à crasso tetroque vapore in cerebrum irruente, & vias spirituum animalium intercipiente, vt docet Galenus lib. 3. de locis malè affectis, cap. 4. Itaque signum est crassi & melancholici sanguinis, & eruditatum, & esse periculum epilepsiæ, si quis crebrò patiatur. hoc genus vocatur *phantasma*, Cicero *visum* vocat.

Dico Quartò, Quando somnia prouenium ex præuiis curis vel cogitationibus, nihil de futuris significant, sed solùm insinuant suam causam. hæc vocantur propriè ἐνύπνια, id est, *insomnia*.

Ex dictis constat, quinque genera somniorum distingui posse, *oraculum, visionem, somnium, insomnium, phantasma*. de quibus fusè agit Macrobius ex sententia veterum, lib. 1. In somnium Scipionis. sed quæ diximus, ad nostrũ institutum sufficiunt.

Dvbitatio ix.

Vtrùm vsus sortium sic licitus.

D. Thomas art. 8.

57 *Sortes.* NOtandum Primò, *Sortes* dici quando aliquid eo fine agitur vt eius euentu spectato, innotescat aliquid occultum, v. g. quid cui competere debeat. ad hoc autem necessarium est, vt sortibus sua significatio imponatur; siue vt præcedat aliqua conuentio inter partes, (si inter plures aguntur) vel homini secum, quid quæque significare, quam vim habere debeat.

Tria sortium genera. Sunt autem tres sortium species ex fine petitæ, *diuisoriæ, consultoriæ, diuinatoriæ*. *Diuisoriæ* sunt, quando indicio sortiũ quæritur quid cui tribuendum, siue illud sit res possessa, siue honor, siue pœna, siue functio aliqua. *Consultoriæ*, quando inquiritur sortibus diuinum consilium, vt sciatur in negotio obscuro quid agendum. *Diuinatoriæ* sunt, quando per eas inquiritur de futuris euentis.

58 Notandum Secundò, Directionem sortium posse expectari vel à cælo, vel à casu, vel à Deo, vel à dæmone. His positis,

1. Sortes diuisoriæ. Dico Primò, Sortes diuisoriæ licitæ sunt, si euentus expectetur à casu, vel ex peculiari Dei prouidentia: non tamen in rebus omnibus licitæ sunt, sed in plerisque. Primò, In rebus externis, & aliis quæ aliter commodè non possunt distribui. Sic hereditates, & alia bona communia sæpissimè sorte diuiduntur. Huc pertinet contractus sponsionis & sortium, qui frequens est inter homines, consentiunt enim partes vt eius sit res vel electio, cui sors & casus fauerit. Secundò, In functionibus, vbi de honore vel periculo agitur; vt quando oppidum inuadendum, sorte inter milites diuersarum nationum decidi solet, quæ natio prior inuadere debeat. Sic D. Augustinus epist. 180. scribit sorte eligendum sacerdotem, qui tempore pestis & persecutionis maneat in oppido, & fidelibus res sacras administret. Tertiò, In dirimendis litibus, maximè de rebus sæcularibus, L. Si cùm ambo, π. de Iudiciis. Quartò, In pœnis, vt cùm duo vel plures sunt rei mortis, & Princeps vt clementiam in sancienda disciplina adhibeat, vult aliquos punire, aliis ignoscere. Denique quotiescumque non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo vel incommodo debeat præferri. Vide D. Augustl. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 28.

An officia. Officia tamen, etiam si sæcularia sint, regulariter non sunt sorte distribuenda, sed conferenda maximè idoneis, quos diligens inquisitio & examen rationis, non casus & cæca sors ostendit. nihilominùs si plures sint benè idonei & ferè pares, poterit res sorti committi. Hoc tamen permissum non est *In benefic.* in electionibus ad beneficia ecclesiastica, vt patet cap. Ecclesia, de sortilegiis, sub finem. Fortasse tamen ad litem beneficiariam, quando ratio commodior iniri non potest, terminandam, sortes non essent improbandæ; quia non est mens Ecclesiæ vt lites diu protrahantur, & aliàs Iure naturæ id non solùm est licitum, sed etiam optimum consilium, nec Ecclesia id vsquam prohibuit.

59 *Obiectio. Saul, Matthias.* Dices, Saül sorte electus est, 1. Reg. 10. & Matthias Apostolus, Actor. 1.

Respons. Respondeo, Non esse dubitandum quin Saul ita electus sit inspiratione diuina: nam electioni eius præerat Samuel, qui illum antè vnxerat iussu Dei: vnde etiam sortes certissimè à Deo ita erant dirigendæ vt ipsum essent confirmaturæ. Idem de Matthia Apostolo: quod colligi potest tum ex mirabili illa exhortatione Petri, quæ tota erat à Spiritu sancto; tum ex communi oratione omnium, qua petebant vt Deus ostenderet quem elegisset. Quidam tamen ex textu Græco putant Matthiam non sortibus, sed suffragiis electum. sed manifestè repugnat textus Græcus & Latinus. nõ enim Græcè est, ἔδωκαν ψήφους αὐτοῖς, *dederunt eis suffragia*: sed, ἔδωκαν κλήρους αὐτοῖς, *dederunt sortes eis*, vt Interpres vertit: vnde sequitur, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν, *& cecidit sors super Matthiam*. Nec obstat quod subiungitur, καὶ συγκατεψηφίσθη, quod *per suffragia annumeratum* indicat; quia nihil aliud significatur quàm ipsum communi decreto vel cõsensu, postquam viderunt sortem in illum cecidisse, vndecim Apostolis connumeratum; quod nihil aliud fuit, quàm iudicium sortium communi suffragio vel decreto fuisse approbatum. Accedit, quòd sicut alij Apostoli immediatè à Christo, non suffragio humano, electi erant; sic etiam decuisse vt eligeretur is, qui in locum Iudæ succederet. Denique magna exteriùs apparebat paritas; vnde nõ facile erat humano iudicio alterum alteri præferre. Dionysius Areopagita lib. de ecclesiastica hierar. cap. 5. parte 3. putat sortem appellari à Scriptura (quando dicitur, *cecidit sors super Matthiam*) *diuinum quoddam donum, insinuans illi cœtui, quem Deus elegisset*: fieri enim potest vt Deus sortem mox approbauerit, collato dono prophetiæ vel sapientiæ, vel vt sortes miraculosè omnibus aduertentibus dire-

In quibus habeant locum.

direxerit. non enim negari potest quin verè sortes miserint;cùm expressè dicatur,*dederunt sortes illis*, quod de tali dono intelligi non potest. Item,*cecidit sors super Mathiam*.

60 Dico Secundò, *Consultoriæ* sortes regulariter sunt illicitæ, nisi quando humanum consilium non suppetit, vel nisi Deus inspiret illis vtendum. ratio est, quia sine necessitate velle vt Deus suam voluntatem peculiari modo manifestet, pertinet ad Dei tentationẽ,vt D.Thomas ait.Deinde Deus non promisit se has sortes temperaturum : ergo vanum est inducere in animum, hanc Dei esse voluntatẽ,quam sortes indicant : imò etiam est periculosum; quia facilè dæmon se immiscebit & hominem decipiet. vnde meritò hic vsus reprehenditur à D.Augustino epistola 119. cap.20. & à Leone IV. ad Episcopos Britanniæ; habetur c.7. Sortes. 26. quæst. 5. *Sortes*, inquit, *quibus cuncta vos vestris diffluminatis Prouinciis, quas Patres damnauerunt,nihil aliud quam diuinationes & maleficia esse decernimus.quamobrem volumus illas omnino damnari; & inter Christianos vltrà nolumus nominari,& ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.*

2. *Consultoria.*

Si desit humanum consilium.

Quando tamen humanum consilium non suppetit, licitum est has sortes adhibere, cum bona spe, fore à Deo singulari prouidentia moderandas,iuxta illud Prou.16.*Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*.Hoc tamen faciendum cum magna reuerentia, & adhibita precatione vt Deus adesse & eas regere dignetur. Huc referri possunt exempla quædam superiùs posita de sortitione in oppugnatione oppidi, & in deligendo sacerdote tempore pestis, vel persecutionis, & similia : si tamen eo fine sortes iaciantur vt diuina voluntas exquiratur;secùs si euentus à casu expectetur;nemo enim casum consulit. itaque tunc ad diuisorias referuntur. Item si diuina inspiratione mittantur; sicut dictum est de electione Saulis & S. Mathiæ Apostoli. quò etiam pertinet exemplũ, quod habetur Ios.7.vbi indicio sortium inuentus est Achan, qui de anathemate aliquid sibi vsurpauerat. Simili modo deprehensus est Ionas à nautis,Ionæ 1.& quamuis hi ex inspiratione diuina id non facerent, nec euentum à Deo, sed à dæmonibus expectarent,Deus tamen propter Ionam eas moderatus est.

61 Dico Tertiò, Diuinatoriæ sortes omnino sunt illicitæ:vnde prohibentur cap.1. de sortilegiis, & 26.q.5.cap.Sortes, cap.Peruenit.18.cap. Si quis Clericus.3.cap.Contra.18.cap.Episcopi.12.quibus locis prohibentur sortilegia,sicut aliæ diuinationes & incantationes.

3. *Diuinatoria.*

Ratio est,quia vel expectatur earum moderatio à Deo, vel à cælo,vel à casu,vel à dæmone : atqui non est expectanda à Deo;quia non est probabile, Deum illas ad præsignanda futura vel occulta aperienda temperaturum: nusquam enim id promisit, & euentus sæpissimè contrarium ostendit. Denique nulla est necessitas ordinariè tam peculiaris concursus; vnde vanum est sine alio fundamento illum expectare. Nec à cælo,quia hoc esset actiones humanas à cælo suspendere, & fato subiicere. non enim possunt sortes euentis futuris vi cælorum & astrorum accommodari, nisi vel vtraque à cælo necessariò proueniant, vel euentus ipsi cælo sint præcogniti, vt sortes iis possit aptare : quo modo Deus futura præsignare vel occulta declarare per sortes potest. Non etiam à casu moderatio earum expectatur; quia vt sortes casu sic vel sic cadunt, nihil præsignare possunt : ergo expectatur à dæmone : ac proinde dæmoni tribuitur futurorum prænotio, & ipse tacito quodam pacto & consensu inuocatur; tum vt sortes regat, tum vt effectum præsignatum procuret. Quòd autem Agrippa lib.2. Occultæ philosophiæ cap.54.contendit,in anima humana esse sufficientem potestatem ad sortes dirigendas, præsertim si accedat cælestis opportunitas, id est,congrua constellatio; vanum est, & vnum ex magiæ fundamentis,vt infrà dicemus c.44 dub.2.

Dvbitatio X.

Quæ & quotuplices sint vanæ obseruationes, & quale in his peccatum.

D.Thomas quæst.69.

62 *Vanæ obseruationes* dicuntur, cùm aliqua fiunt vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo nec à natura vllam vim habent : item cùm ex consideratione alicuius euentus fortuiti coniicit quis aliquid prosperi vel aduersi,& inde actiones suas moderatur.Harum tres sunt species, ad quas omnes reduci possunt,vt ex D.Thoma colligitur, *ars notoria,obseruantia sanitatum,& obseruantia euentuum*. *Ars notoria* est ratio quædam consequendi scientiam infusam per quædam ieiunia, inspectiones figurarum, & similia adminicula vana & inefficacia.

Vanæ obseruationes.

Ars notoria.

Esse hoc peccatum mortale,constat;quia saltem tacitè inuocatur diabolus, eique attribuitur potestas infundendi animæ subitò habitus scientiarũ; quod solius esse Dei docet D.Augustinus lib.10. de ciuit.c.9 ex testimonio ipsius Porphyrij. Cùm enim hæ cærimoniæ non habeãt illam vim à Deo, (si enim eam haberent, Ecclesia id non ignoraret) nec à natura rerum quæ adhibentur,nec ab astris; consequens est, effectum non posse expectari nisi à diabolo; cui proinde tribuitur potestas scientias animæ infundendi.

Est peccatum mortiferum.

Nec obstat quòd aliqui repentè videantur operâ diaboli scientiam Scripturarum cõsecuti, quod experientia quotidiana confirmat apud Anabaptistas, sumpto bolo detestabilis illius cœnæ; quia diabolus illos occupat; & per os illorum legit, Scripturas profert,& disputat; eosque ita dementat,vt se hæc omnia nosse putent; quomodo quidam mania laborantes videntur sibi valdè sapientes,& omnia scire:cuius signum est,quòd redeuntes ad fidem Catholicam, recedente spiritu nequam, sint rudes, vt erant ante hæresim.

Obseruatio sanitatum est, quando adhibentur aliqua verba, vel alia signa, aut cærimoniæ inanes ad hominum vel aliorum animalium curandos morbos,sistendum sanguinem, mitigandos dolores, ad conseruandam vitam vel valetudinem, ad se præstandũ immunem contra læsiones hostium vel casus fortuitos, & similia. Huc item pertinet cùm adhibentur quidem medicamenta naturalia, tamen iis aliqua friuola adiunguntur tamquam necessaria. Eodem etiam pertinent omnia periammata,amuleta,breuia,inuolucra, reliquiæ,verba sacra,preces descriptæ,quæ gestatur à quibus-

63 *Cærimoniæ vanæ.*

Amuleta.

dam ne possint lædi, aut ne effluat sanguis, aut ob similes alios fines; si contineant aliquas circumstantias parergas, tamquã necessarias. omnis enim circumstantia inutilis, si tamquam necessaria adhibetur, facit vt opus sit superstitiosum: cũ enim illa non iuuet vt causa, necesse est vt adhibeatur instar signi; quòd cùm non sit à Deo, consequens est vt ad pacta occulta cum dæmonibus pertineat. Quod confirm. quia effectus non potest expectari à vi naturali illius rei; nec etiam à Deo, qui talia nec per se, nec per Ecclesiam instituit: ergo expectatur à malignis spiritibus. Eõdẽ referendæ sunt imagines astronomicæ sub certa constellatione fabricatæ; vt si quis sub signo leonis sculpat in auro figuram leonis, quam dicunt valere contra phantasmata melancholica, hydropem, pestem, febres, de quibus multa scribit Cornelius Agrippa lib. 2. de Occulta philosophia à c. 35. vsq; ad 48. vnde mirum est quid Caietano hoc loco art. 2. in mentem venerit vt eas defenderet. certum enim est, figuram illam leonis, arte impressam, nõ facere aurum illud magis idoneum ad influxum & impressionem signi Zodiaci, quod leonem vocant, suscipiendam, quàm faceret figura bouis vel aquilæ. Itaque pertinet illa figura ad occulta pacta cum dæmonibus; qui viso tali charactere, tali modo & cærimonia insculpto, alliciuntur ex pacto à seipsis constituto ad præstanda illa, ad quæ ex ipsorum disciplina & regulis homines persuasi sunt ea valere. de quo plura cap. sequenti dubit. 2. Denique huc pertinet si quis aliquas reliquias, vel schedulas sacris verbis aut signo crucis inscriptas gestet, cum certa persuasione se propterea non posse lædi ab hostibus, aut mori sine confessione: quia etsi nihil superstitionis admisceatur exteriùs, animus tamen illis rebus superstitiosè vtitur; nempe ad effectum, quem neque naturâ suâ, neque ordinatione diuina habent, scilicet ad certam salutem animi vel corporis, &c.

Circumstantiæ variæ.

Imagines astronomicæ.

Reliquiæ cum certa persuasione affectus gestatæ.

De Salutatoribus.

Sed difficultas est, quid dicendum sit de quibusdam quos Hispani vocãt Salutatores; quorum quidam hic ante aliquot menses multos milites grauiter vulneratos curabat. Primò faciebat tres cruces super vulnus, dicendo Hispanicè, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: idque cum quadam inhalatione. Deinde prolato vino & oleo dicebat Hispanicè: In nocte sanctissimæ Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, beata Virgo salua virginitate peperit Dominum nostrum. Per mysterium istud altissimum supplico diuinę maiestati, vt hoc oleum & vinum benedicere dignetur ad vulnerum curationem, per istorum sanctissimorum verborum virtutem. Deinde applicabat vulneri, & breui admodum tempore sequebatur curatio.

Respon.

De qua re consultus respondi; cum distinctione: vel illa virtus putatur annexa isti formulæ verborum, ita vt à quocumque adhibeatur, effectum habeat; vel censetur annexa personæ, sic vt ab aliis eodem modo adhibita nihil operetur. Si priore modo se habeat, non dubito quin sit vitanda tamquam superstitiosa. Non enim habet hanc vim à natura, vt suppono, & satis per se notum est: nec etiam à Deo; quia Deus nulla signa per se efficacia instituit præter Sacramenta; & hæc non ad curationem corporum, sed animorum: neque etiam ab Ecclesia, vt constat; quia Ecclesia talem modum curandi non instituit, imò nec instituere potuit: quia non potest signa per se efficacia instituere, præsertim ad effectus corporales. Vnde etiam sacramentalia non habent vim nisi per modum impetrationis ad obtinendum à Deo aliquod auxilium gratiæ præuenientis, vel diuinæ protectionis aduersus dæmonum infestationes, & similia incommoda; quo fit vt sæpè non habeant effectum. Accedit, quòd illa debeant ab Ecclesiæ ministris, & nomine Ecclesiæ applicari.

Si forma per se efficax.

Superest ergo, vt habeant vim ex institutione & occulto pacto dæmonis inuisibiliter concurrentis, & sanantis hominem remediis naturalibus, quæ ipse optimè nouit. Nam subitò vulnera curare non potest; nec absque adminiculis rerum naturalium, vt herbarum, liquorum, fossilium, & similium. Sed quia potest ipse vim & quintam essentiam (vt vocant) facilè ex illis extrahere, & aptissimè applicare nemine aduertente; fit vt breuiori tempore, quàm vlli medici, curare possit.

Si verò secundo modo formula illa se habeat, non ausim condemnare superstitionis. Primò, quia in omnibus signis à dæmone institutis, quæ ex pacto illius operantur, vis operandi est annexa ipsis signis immediatè; ita vt à quocumque applicentur, eumdẽ effectum habeant, modò applicatio cum tali animo fiat. Diabolus enim cupit cum omnibus concurrere, qui ipsius signa adhibent, vt omnes sibi obliget. Quòd si effectus aliquando non sequatur, id prouenit, vel quia signa ex præscripto ipsius non applicantur, vel aliqua conditio vel pactum ex parte personæ deest; vel quia diuinitus impeditur. Secundò, quia constat, quibusdam à Deo concedi gratiam curationum, eamque non auferri, etiamsi malæ sint vitæ. Itaque præsumi potest, istum de quo agitur hac gratia esse præditum, si nihil quod apertè sit superstitiosum, in vsu illius deprehendatur. At hîc nihil tale videtur adhiberi. Nam verba illa nihil continent præter inuocationem sanctissimæ Trinitatis, confessionem natiuitatis ex beata Virgine, & inuocationem diuinæ virtutis per mysterium sanctissimæ Natiuitatis Domini super oleum & vinum ad curationem vulnerum. Illud autem postremum, *Per virtutem istorum sanctissimorum verborum*, potest sano modo intelligi, nimirum de virtute rei significatæ, non autem de virtute quæ annexa sit sono verborum. possent etiam ista verba mutari in alia magis aperta. Similiter signum crucis non potest esse suspectũ, nisi aliqua parerga ei coniungantur.

Si efficacia est in persona.

Inhalatio.

Solùm difficultas superest de inhalatione super vulnus. At hæc non videtur omnino damnanda, quia illa potest habere peculiarem vim etiam naturalem, siue naturalis ordinis ad talem effectum ratione temperamenti personæ, vel occultæ proprietatis quibusdam diuino munere insitæ: vt colligitur ex Francisco Victoria, Relectione de arte Magica, n. 16. & confirmat exemplis ex Plinio de Psyllis & Marsis. Scribit enim Plinius lib. 28. historiæ naturalis cap. 3. fuisse Psyllos in Africa, & in Italia Marsos, ex quorum familia qui ducebant originem, tales fuisse, quorum corpora tactu ipso suctuque modico leuabant percussios à serpentibus, & manu imposita corpori venena extrahebant: alios verò fuisse, quorum corpora solo aspectu erant terrori serpentibus; & quemdam in dolium coniectum experimenti causa circummulcentibus linguis illæsum penitus extitisse. alios

De Marsis & Psyllis.

item

item quorum sudor medebatur multis morbis; alios quorum saliua contra ictus serpentis valeret, &c. Idem lib.7.c.2. docet aliquando aliquas partes humani corporis nasci ad aliqua mirabiles: sicut, inquit, Pyrrhi regis pollex in dextro pede tactus lienosis medebatur. Possem alia plura referre ex Cardano. Crediderim tamen hæc non esse ita naturalia, vt ex temperamento sequantur; sed pertinere ad occultas proprietates diuinitus insitas, vel dona quædam quæ dicuntur gratis data, & referri aliquo modo possunt ad gratiam sanitatū, concessa in commodum hominum quibusdam locis, maximè vbi id erat necessarium: vt de Psyllis scribitur, quorum regio serpentibus abundat. Sic quidam habent gratiā curandi strumas; quam passim habere putatur masculus, qui septimo loco continuato ordine nascitur. Sanè non est dubitandum, quin Deus possit quibusdam hominibus vel familiis eam vim cōcedere, vt suo tactu vel halitu vel odore possint aliquos morbos curare, sanguinem sistere, spiritus euanescentes cohibere, partem læsam corroborare, venena extrahere, & similia. Quare etsi gratia sanitatum plenè alicui concessa, sicut erat collata Apostolis, & aliis miraculorum patratoribus, non sit alligata istis externis actibus; tamen collata solùm ex parte, vel ad certum morbum, potest esse alligata externis actibus tamquam instrumētis necessariis. Sic Reges Galliæ non curant strumas, nisi contactu loci affecti, & Marsi ac Psylli non nisi contactu curabant. Omitto curationes mirabiles ad S. Hubertum. Ob has rationes videtur mihi iste vsus posse permitti, nisi alia aliqua, quæ putentur superstitiosa, interueniant. Idque maximè, quòd Auctores Hispani, qui de istis scribunt, & optimè res illas norunt, vtpote apud quos sunt vsitatæ, non audeant damnare, & dicant posse permitti. Ita Franciscus à Victoria suprà, cùm dixisset se dubitare, & aliqua attulisset in contrarium; nimirum tales curatores sæpè esse malæ vitæ, vnde verendum ne sint impostores, & effectus potiùs sit à dæmone quàm à Deo; statim subdit: Hæc dico non definiendo; nam gratiæ dantur propter bonum commune. fieri potest vt Dominus illam misericordiam velit impertiri hominibus per istos, qualescumque illi sint. Deinde alio modo excusat exemplo Psyllorum & Marsorum. Nauar. cap.11.num.36. absolutè dicit illos licitè posse fungi suo munere, quia est gratia gratis data; & citat Margaritam confessorum. idem fusè docet noster Azor lib.9. Moralium cap.25. quæst.2. allatis exemplis ex Plinio de Psyllis & Marsis.

64 Petes, Quale peccatum est in huiusmodi obseruantiis?

Respondeo, Earum vsum ex genere suo esse peccatum mortale, maximè quando opus externum superstitiosum est. Ratione tamen ignorantiæ & bonæ fidei plerique excusantur à mortali; nisi ignorantia sit valdè crassa, vel adsit dolus; vt si moniti à Parocho vel aliis, quibus tenentur credere, nolint desistere, vel suborto dubio non inquirant. vide Nauarrum cap.11.num.33.

65 *Obseruantia euentuum* est, quando fortuitò aliquid occurrit vel accidit homini, ex quo sibi vel alteri aliquid aduersi vel læti coniectat, & inde actiones suas moderatur. vt si quis manè domo egrediens, pedem offendat, ideoque domum reuertatur, putans vel metuens iter infaustum fore: si calceos induens sternutet, & idcircò lectū repetat, vt omen auertat: si egresso foras prima occurrat virgo, & idcircò putet diem fore sterilem; prosperum verò & fœcundum, si meretrix. Vide hæc & plura exempla apud D. Augustinum libro 2. de doctrina Christiana c.20. & Chrysost. hom.21. ad populum Antiochenum. Sic occursus vulpis, & canis prægnantis, vel Æthiopis, censebantur infortunati. Similiter quidam putant dies aliquos infortunatos; vnde nihil illis aggredi audent; alios fortunatos. quò pertinent quidam Canones superstitiosi ad rem medicam pertinentes, quales multos habet Ioannes de Indagine lib.4. vt, non abluendum caput diebus Martis: ad subuentionem hypochondriorum dies auspicatos esse Iouis, Lunæ & Solis; inauspicatos, Martis & Mercurij: natis in Leone, infaustos esse diem Iouis & Saturni: & similes næniæ sine iudicio confictæ. quasi verò planetæ cælestes dies istos peculiariter sibi vindicent, quibus suas vires effundant, quomodocumque calendaria ab hominibus disponantur.

Obseruantia euentuum.

66 Notandum est, hunc modum superstitionis esse valdè affinem diuinationi; differt tamen in duobus. Primò, Quòd in diuinatione homo de industria quærat signa vnde diuinet; hîc verò non quæruntur, sed coniectura capitur ex iis quæ fortuitò incidunt. Secundò, Quòd ibi quęratur principaliter notitia; hîc verò directio operationum.

Discrimen inter diuinationem & vanam obseruationem.

Est autem hæc obseruatio peccatum mortiferum ex genere suo: sæpè tamē est veniale, ratione ignorantiæ & bonæ fidei. homines enim communiter non apprehendunt in his quidquam mali, sed vtuntur tamquam regulis à maioribus traditis, & experientiâ comprobatis, & ad causas sibi ignotas referunt, vt docet Caietanus v. Superstitio obseruationum. Addit Caietanus, posse hominē quandoque absque omni peccato ex aliquo præsagio cauere prudenter ab imminentibus, dubitando ne præsens occursus sit signum futuri, ex communi vtriusque causa, cælesti vel diuina; vt si quis cadens corporaliter, timeat aliquem casum sibi futurum in statu vel honore. Idem sentit in obseruatione somniorum, & diuinatione. Sed hoc limitandum, posse fieri, quando adsunt circumstantiæ, ex quibus tale quid prudenter vel rationabiliter timeri aut suspicari possit. alioquin à peccato veniali excusari non potest; nam est gradus quidam ad superstitiones, & ad mentem curis vanis implicandam.

Est peccatum mortiferum.

CAPVT XLIIII.

De Magia.

Constat Dubitationibus 6.

DVBITATIO I.

Quid sit magia, & quotuplex.

SEQVITVR *Magia*, quæ est quarta species superstitionis, per quam mira quædam & insolita ab hominibus fiunt, dæmonum operâ. Accipitur hoc nomen aliquando generaliter; & ita duplex distinguitur *magia, naturalis & superstitiosa. Naturalis* est ratio quædam operandi mira per causas naturales, absque dæmonis opera. Huius extant multæ regulæ & exempla apud Cardanum de varietate rerum, Alexium Pedemontanum, Baptistam à Porta, & alios: qui tamen Auctores quædam superstitiosa passim admiscent. Et quamuis hæc *magia* per se mala non sit, tamen est periculosa; quia ingenia humana rebus curiosis & inutilibus implicat, & ex curiosis magis curiosa reddit, ac sensim ad magiâ superstitiosam introducit: nam sub specie occultæ operationis naturæ, diabolus facilè se admiscet, & ita occultæ virtuti causæ naturalis tribuitur, quod ipsius præstigiis agitur. Vnde videmus, maximos quosq; magos velle haberi tantùm professores magiæ naturalis, & omnia sua conari tegere imagine quadam occultæ virtutis naturæ. etsi enim interdum quasdam causas naturales adhibent, hę tamen vel nihil prorsus valent ad effectum intentum, vel insufficientes sunt; & sic necesse est, quædam signa, quæ ad magiam superstitiosam pertineant, adiungere. quare meritò D. August. l. 8. de ciuit. c. 19. dicit: *Omnia miracula magorum, doctrinis sunt & operibus dæmonum.* & Apuleius apud Aug. eodem lib. c. 16. dicit, *ad dæmones pertinere diuinationes augurum, haruspicum, vatum, atque somniorum: ab his quoque esse miracula magorum.* & Lactantius l. 2. diuin. instit. cap. 17. dicit: *Inuenta dæmonum sunt astrologia, haruspicina & auguratio; & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica.* & cap. 14. *Magorum ars omnis & potentia horum adspirationibus cõstat.* Idem docet Ioannes Franciscus Picus l. 7. de prænotione rerum cap. 2. Omnes itaque libri, qui magiam naturalem tradunt, suspecti habendi sunt, & tamquam periculosi vitandi iuuentuti.

Duplex magia.

1

2

Magia superstitiosa.

Magia superstitiosa est ratio quædam operandi mira per signa ope dæmonum. Sicut enim magia naturalis vtitur causis naturalibus, ita hæc vtitur signis, quæ sunt causæ morales: his enim ex pacto allicitur dæmon vt faciat quod magus petit, & sic ipsa signa facere videntur. vnde D. August. lib. 21. de ciuit. cap. 6. *Alliciuntur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus creauit; vt nõ animalia cibis, sed vt spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congerunt, per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum.*

Est à dæmonibus instituta.

Instituta autem sunt hæc signa & tota disciplina primùm à dæmonibus, vt ibidẽ Aug. docet. *Neq; enim potuit*, inquit, *nisi ipsis docentibus disci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur: vnde magicæ artes, earumq; artifices extiterunt.* Vbi tamen aduerte, dæmones non delectari signis per se spectatis, sed quatenus illis honorantur, aut ab eorum instituto pendent. hoc modo intellige Augustinum. Idem luculentè docet Euseb. l. 5. de præparatione Euang. cap. 7. ex Porphyrio; & Cyprianus oratione de idolorum vanitate. Vnde parum refert quis inter homines inuentor primus, seu primum instrumentum per quod diabolus mundo hanc pestem infudit, extiterit, Greg. Turonensis lib. 1. hist. Francorum c. 6. scribit, Cus primogenium Cham diabolo imbuente fuisse totius magicæ artis inuentorem, quem Persæ ad se venientem vocauerunt Zoroastrem; hunc igne cælesti consumptum, ab ipsis pro Deo habitum. D. Clemens lib. 4. recognitionum, putat etiam ante diluuium viguisse, & post diluuium à Chamo traditam filio Mizraim, à quo Ægyptij, Babylonij, & Persæ genus ducunt; qui his artibus maximè dediti fuere. Hunc appellatum Zoroastrem communior opinio est, quam refert D. August. l. 21. de ciuit. c. 14. Zoroastrem inuentorem magiæ fuisse Regem Bactrianorum, vixisse temporibus Nini Regis Assyriorum, à quo & bello superatum; hunc solùm in lucem editum mox risisse.

Hæc *magia* duplex est, vel potiùs duplicem finem habet: vel enim refertur ad ostentationem, aliúdve commodum suum vel alienum; & sic vocatur nomine cõmuni *magia*: vel refertur ad aliquam noxam inferendam alteri, & propriè dicitur *maleficium* aut *veneficium*, qualis est, quæ vulgò dicitur *sortiaria*. Græci hanc vocant φαρμακείαν, id est, *venenariam*; illam θεωρίαν, quasi dicas *diuinam operationem*, & τερατουργίαν, id est, *operationem portentorum* & rerum mirabilium. De magia & aliis superstitionibus scripserunt eruditè nostri, Bened. Pererius, & Mart. Delrio; ille breuiter, hic copiosissimè. Nobis satis est fundamenta aperire, & selectiora dumtaxat persequi; qui plura volet, ab illis petat, licet.

3

DVBITATIO II.

Quæ sint magiæ fundamenta.

DIabolus, vt non statim appareret ipsum esse operum magicorum auctorem, & vt faciliùs hominibus curiosis hanc artem commendaret, excogitauit quædam principia & fundamenta, quibus positis, hæc ars videretur licita, & in naturalium rerum concursu, cooperatione, sympathia & antipathia fundata.

4

Primum est, Mundum & singulas mundi partes esse animatas anima intelligente, quæ & ipsis vitam tribuat, & vim intelligendi & sentiendi habeat. Secundùm, Nomina deorum & dearum, vt Iouis, Iunonis, non esse nomina malorum dæmonum, sed animarum istarum naturalium. quatenus

1. Fundamentum magorum.

2. Fundamentum.

nus enim quæque animarum istarum habet vim intelligendi, eatenus vocari nomine masculino: quatenus autem animat corpus, feminino. Itaque Plutonem & Proserpinam nihil esse aliud quàm animam terræ, quatenus duplicem illam vim habet: Neptunum & Thetim, animam aquæ: Iouem fulminatorem & Iunonem, animam aëris: Phanetam & Auroram, animam ignis: nouem Musas & nouem Bacchos, esse animas nouem cælorum; animas septem planetarum significari nomine Saturni, Iouis, Martis, Solis, &c. quibus etiam alia nomina & epitheta tribuunt. vocant enim Saturnum patrem deorum, dominum temporis, dominum altum, magnum, sapientem, arcanæ contemplationis auctorem, absconditorem, custodem & ostensorem, auctorem vitæ & mortis. Lunam vocant Dianam, Lucinam, Proserpinam, Hecatem, reginam cæli, summam numinum, reginam manium, elementorum omnium dominam, rectricem mundi, calcantem tartarum, &c. similia plurima epitheta diuinitati propria ceteris tribuunt.

Hæc duo fundamenta excogitata sunt, vt quando magi expressè inuocant dæmones, non videantur ipsos inuocare, sed animas stellarum, vel elementorum, quas dicunt esse bonas virtutes, à Deo in ministerium & vtilitatem hominis, qui illis vti nouerit, per mundum distributas.

5 *Refutatur primum fundamentum. Elementa non esse animata.* Sed hæc omnino vana sunt: Primò, Absurdum enim est dicere, terram, aquam, aërem, ignem, esse animata anima rationali & sentiente. si enim habent animam sentientem, etiam debêt habere vegetantem, quæ sentienti subseruit, & sanguinem spiritumq; illius functionibus suppeditat. debent etiam habere organa suis figuris & temperamétis distincta. non enim potest esse sensio sine organo conuenienti, vt Aristoteles lib.2.de anima probat, & omnia sentientia nobis nota declarant. Item si illa anima intelligit, bruta, plantæ, saxa & metalla non solùm sentient, sed etiam intelligent: erunt prædita sapientia, scientia, arte, prudentia: tenebût logicam, physicam, metaphysicã, mathesim, theologiam, & similia, quæ nullus sanæ mentis dixerit. Rursus, partes elemẽtorum dum separantur à toto, vel retinent animam, & sic erunt innumerabiles animæ in singulis elementis; vel amittunt eam, & rursus vnitæ toti recipiunt, & sic morientur assiduè, & resurgent. Denique illæ animæ cùm sint intelligentes, erunt liberi arbitrij; ergo iustæ vel iniustæ, beatæ vel miseræ, in via vel in termino; quorum nihil probabiliter dici potest. Secundò, Absurdum etiam est, cælum & stellas animatas

6 *Stellas non esse animatas.* ponere: est enim contra communiorem sententiam SS. Patrum & Theologorum, & numeratur à D. Hieronymo epistola ad Pãmachium & Auitum, inter errores Origenis. Nicephorus etiam lib.17.hist.c.28.inter anathematismos, quos Synodus 5. Constant. contorsit in Origenem, ponit etiam hunc: *Si quis dicit, cælum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supra cælos sunt, animatas quasdam esse & materiales virtutes, anathema sit.* Eadem sententia erroris damnata est à Facultate Parisiensi, tamquam occasionem idololatriæ præbens. Vnde Conradus Wimpina lib. de superstitione cap.7.& 8.docet, diabolum philosophis inseruisse opinionem de anima mundi, vt cultum diuinum tribuerent creaturæ & partibus mundi. Hinc ferè omnes Platonici vel magi fuêre, vel magiæ fauêre; adeò vt etiam Marsilius Ficinus ab hac peste non fuerit omnino immunis, vt patet ex lib.3.de vita cælitus comparanda.

Præter rationes prædictas, quibus illud refutari 7
potest, hæc vna sufficiat, quòd sacra Scriptura & Religio Christiana nullas agnoscat creaturas rationales præter homines & Angelos. Si aliæ essent, non deberent ignorari, cùm ad eamdem societatem pertineant.

Nec obstant quædam locutiones Scripturæ, vt docet Damascenus lib.2. de fide orthodox.cap.6. in fine, sic scribens: *Nullus etiam cælos aut luminaria arbitretur animata; inanima enim sunt & insensibilia. quare si Scriptura dicit: Lætentur cæli & exultet terra; Angelos, qui sunt in cælo, & homines, qui in terra, ad lætitiam vocat. Nouit etiam Scriptura prosopopœia vti, & de rebus inanimis tamquam animatis disserere; vt, Mare vidit & fugit,* &c. *Adrtiones in contrarium.*

Similiter non obstat quòd quidam Patres cælo animam & spiritum tribuere videantur; quia intelligunt animam assistentem, non informantem, quæ nihil est aliud, quàm intelligentia motrix cæli, vt Peripatetici loquuntur. Vide D. Thomam 1.p.q.70.ar.3.& comment.nostrorum Conimbr. in lib.2.de cælo cap.1.q.2.

His adde, Etiamsi essent tales animæ, parum ta- 8
men iuuare posse magicas operationes; tum quia alligatę essent suis corporibus, nec rebus humanis possent interesse; tum quia non possent iuuare nisi per virtutes astrorum, nimirum per lumen & influentias, (si tamen præter lumen & calorem sunt influentiæ) quæ minimè ad effectus magicos sufficiunt. Præterea vel illæ animæ essent bonæ vel malæ: si bonæ, non vellent iuuare ad opera vana & noxia, qualia ferè sunt magorum: si malæ, quid opus est ad illas confugere, cùm dæmones ad iuuandum in huiusmodi sint paratissimi?

Ex his patet, nominibus illis non animas inuocari, quæ nullæ sunt, sed dæmones, qui se fingunt esse animas stellarum & elementorum, vt sub his nominibus ipsi colantur.

Tertium fundamentum est, Præter Angelos bo- 9
nos & dæmones malos, esse multa genera dæmonum bonorum, quorum alij sint cælestes, & præsint stellis, & animabus illarum: alij elementares; ex quibus alij sint ignei, alij aërei, alij aquatici, alij terreni. Ita tradit Agrippa lib.3.cap.16. Eadem est sententia Platonicorum. *3. Fundamentum.*

Sed est contra Scripturas, & Ecclesiæ doctrinam, quæ nullos dæmones nisi malos agnoscit. vide D. Augustl.lib.8.de ciuit.cap.13.& 14.& sanè si boni sunt, quomodo iuuant ad opera vana & curiosa, ad ostentationem, ad maleficia? quomodo homines decipiunt, & in varias fraudes impellunt? si boni, cur magia sub pœna mortis in veteri Testamento prohibita? cur damnata ab Ecclesia? cur olim proscripta à Repub. Romana? statim enim Euangelio illucescente Resp. Romana, etsi persisteret in infidelitate & cultu idolorum, tamen magiam cœpit cognoscere esse perniciosam, & malorum spirituum auxilio subnixam; vt ex gestis Martyrum constat, & L.2.C.de maleficis & mathematicis.

Quartum fundamentum est, Animam huma- 10
nam, quando in magnum desiderium exardescit, habere sufficientem potestatem ad imprimendam verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus vim quamdã, quæ naturaliter efficax sit, & ener- *4. Fundamentum.*

giam habeat ad effectum desideratum; modò illa proportionem quamdam ad hunc effectum habeant, quæ in eo significando sita sit. v.g. si alicui velis inferre noxam aliquam, adhibenda sunt verba, vel alia signa, quæ noxam illam aliquo modo designent: si concitare ad amorem, debent ea adhiberi, quæ amorem significent, depictis duobus sese mutuò complectentibus, vel alia ratione: si ad odium, duobus inter se pugnantibus.

5. *Fundamentum.* Quintum est, Imagines & characteres siderum, & signorum cælestium sub congrua sibi constellatione fabricatos, concipere vim siderum, ad occultos & mirabiles effectus, ad quos ipsa sidera valent. Hæc duo fundamenta excogitata sunt ad persuadendum, omnes incantationes, adiurationes, characteres, & sigilla, quæ ab ipsis adhibentur, naturaliter operari per vim ipsis à sideribus vel ab ipsa anima impressam, atque adeò omnem operationem magorum per signa, esse naturalem.

11 *Refutantur hæc duo fundam.* Sed hæc omnino vana esse, nec vlla probabili ratione niti, constat ex Philosophiæ principiis. Primò, Quia anima imaginando vel desiderando non potest res externas alterare, aut illis aliquam qualitatem imprimere: nam actiones illæ sunt immanentes, quę nullum effectum in rem separatam producunt. possunt quidem concitari spiritus & humores; sed hæc ipsi substantiæ animæ sunt præsentissima, & naturalem ad illam subiectionem habent. Quòd autem magi dicunt, esse similem subiectionem & obedientiam rerum externarum ad animam, quando vehementi desiderio fertur, est contra rationem, & omnem experientiam, & contra illud Domini, Matth.6. *Non potest ad staturam suam adicere cubitum vnum.* & Matth.5. *Non potes vnum capillum album facere aut nigrum.* si non possumus rem tam coniunctam mutare, quomodo rebus externis vires effectrices imprimere?

Secundò, Verba non sunt capacia talis virtutis; nam in substantia nihil sunt aliud quàm voces & soni meri; quibus nihil magis euanidum, aut ineptum stellarum virtutibus, aut aliis qualitatibus excipiendis. Vnde sicut vox non potest esse propriè alba aut nigra, (alio enim sensu Græci φωνὴ λευκὴ, & Latini claram vocem dicunt) lucida aut tenebrosa, calida aut frigida; ita nec accipere vires à stellis vel anima impressas, quibus corpora immutet. sed nec significatio quidquam ad hoc iuuare potest: quia nihil in ipsis vocibus ponit, cùm solùm sit denominatio extrinseca ab institutione hominis, quæ præteriit. Vnde ridiculum est in vocibus requirere significationem effectus, vt possint virtutem physicam ad effectum illum producendum recipere.

Idem dicendum de aliorum signorum significatione. cùm enim hæc nihil sit aliud quàm extrinseca quædam rationis ordinatio vel relatio circa vocem facta, non potest vllo modo esse dispositio ad aliquam qualitatem realem suscipiendam; nec iuuare quidquam ad physicam actionem, sed solùm ad moralem, quæ fit alliciendo naturam intelligentem ad aliquid ex pacto efficiendum. Itaque pertinent omnia illa signa & significationes ad pacta quædam cum spiritibus malignis, vt sæpè ostendit D.August.l.2.de doct.Christ.c.21. & sequent.

Tertiò, Etsi anima aliquid imprimeret illis signis; id tamen statim euanesceret, nec posset hærere & diu operari: at signa magica diutissimè vim habent. Denique non possent operari in res valdè dissitas; quod tamen signa magica præstant.

12 *De imaginibus & characteribus Astronomicis.* Vanissimum etiam est quod de imaginibus & characteribus astronomicis docet: vt cùm dicunt, imaginem leonis insculptam auro, sole existente in prima facie leonis, (id est, in aliquo ex decem primis gradibus illius signi) & manè exoriente, concipere vim contra phantasmata melancholica, hydropem, pestem & febres. Eamdem, si fiat sole in corde leonis existente, & medium cæli obtinente, accipere vim contra calculum & nephriticos dolores, & alia huius generis innumera, quibus eorum libri sunt pleni.

Hæc vana esse, Probatur Primò, Quia ipsa astra tales vires non habent, vel si habent, non constat quænam ex omnibus illa sint: hoc enim nulla experientia deprehendi potest. Secundò, Etiamsi constaret quænam astra hanc vim habeant, tamen ea ab hominibus secerni, colligi, & veluti seorsim conuasari non potest: nam omnia agunt in omnem partem, & effectus inter se miscentur; vnde nullius astri mera & sincera virtus colligi potest. Tertiò, Si quam vim habent, eam potius imprimentherbis, lapillis, & metallis, in quæ lõgo temporum tractu assiduè agunt; quàm rebus arte factis, quæ ad breue tempus illis obiiciuntur. Item si quid istis imprimerent, id statim euanesceret, nec posset ad vsum adhiberi. Quartò, Figura arte impressa non est idonea dispositio ad qualitatem, aut virtutem physicam excipiendam: videmus enim ignem, solẽ, & alia æquè agere in aurum, vitrum, & similia subiecta, qualiscumque demum figura in illis descripta sit. vnde sæpè Aristoteles docet, res mathematicas abstrahere à materia sensibili. Itaque superstitiosum est insculpere formam leonis, scorpij, aut alterius animalis, vt possit excipere vim illius astri, quod tali nomine ab hominibus vocatur. Quintò, In cælo non sunt tales figuræ, quales ponunt mathematici, sed illæ confictę sunt ex aliqua confusa & rudi similitudine dispositionis astrorum cum tali figura, vt omnia astra 48. figuris seu asterismis possint comprehendi & exprimi. Itaque non magis est ibi imago leonis quàm vulpis, virginis quàm asini, arietis quàm lupi, scorpij quàm catuli, & ita de ceteris. potuissent enim hæc aliis rebus assimilari, si mathematicis placuisset. Simili modo ponunt 36. facies in Zodiaco, quas mirificè describunt, & miram vim habere asserunt. Ex quibus perspicuum est, ad excipiendam virtutem leonis cælestis, non magis valere imaginem leonis terreni, quàm bouis vel hominis: idemq; dicendum in ceteris: vt mirum sit, Caietanum q.69.a.2.potuisse in mentem inducere, huiusmodi imagines aliquid valere. refutat easdem D.Aug.l.10. de ciuit.c.11. & D.Thomas q.69.ar.2.& lib.3.contra gentes c.105.

Alia ceremoniæ adhiberi solita. Adde, his imaginibus interdum adiungi alios characteres; interdum etiam illis adhiberi suffitus ex thure, galbano, storace, aloë, & similibus, vt vim habeant; quod est mera idololatria.

Ex his patet, effectus & operationes magorum non posse per hæc fundamenta reduci ad causas naturales. quare cùm alia non habeant, supereſt eas referendas ad malorum dęmonum opem, cum quibus plerique eorum etiam expressa pacta contrahunt.

DVBI-

DVBITATIO III.

Quomodo cognosci poterit an aliqua operatio ad magiam pertineat, & quibus indicijs spiritus redeuntes discerni.

13 *Tribus modis id cognoscitur.*

RESpondeo, Id tribus modis cognosci posse. Primò, Ex conditione causarum, quæ adhibentur. Secundò, Ex conditione operationis. Tertiò, Ex conditione effectus.

1. Ex conditione causæ.

Quod ad primum attinet, Ipsa conditio & qualitas causæ indicat magiam; Primò, Si expresè inuocetur diabolus. Secundò, Si preces adhibeantur, quibus falsa permixta sunt; vt Christum habuisse febres, & spasmum. Tertiò, Si verba exotica. Quartò, Si characteres, imagines, sigilla. Quintò, Si ligaturæ, si specula, vnctiones, & similia, præter Ecclesiæ morem: cùm enim effectus ad quem diriguntur, non possit expectari ex virtute talium causarum, vt quæ nullam in se habeant: nec etiam à Deo, cùm nec ab ipso, nec ab Ecclesia, quæ Spiritu Dei regitur, sint instituta, imò ab ipsa Ecclesia reprobentur; sequitur eum expectari à malignis spiritibus, qui huiusmodi rebus tamquam signis alliciuntur ad præstandum id ad quod ipsi ea instituerunt. itaque omnia ista sunt magicæ illecebræ, & tacitæ dæmonum inuocationes. Nec obstat quòd interdum nihil nisi verba sacra, aut versiculus aliquis sacræ Scripturæ adhibeatur; quia talis versiculus non dirigitur ad Deum, nec eo sensu profertur, quo sacer est; sed animo profano, vt aliquis effectus vanus, vel alius, ad quem ex Deo vel Ecclesiæ institutione non valet, proueniat. Sic illo versiculo, *consummatum est*, quidam vtuntur ad luxationes equorum curandas: & illo, *In camo & fræno*, &c. ad sopiendos canes. Itaque implicitè diriguntur ad dæmonem, qui etiam in rebus sacris sua signa instituit, vt & homines faciliùs decipiat, & Deo maiorem contumeliam faciat.

Dæmon aliquando in rebus sacris sua signa constituit.

14 *2. Ex conditione operationis.*

Secundò, Ex conditione operationis, vt cùm repentè curatur equus vel homo, absque diuino miraculo; cùm breuissimo tempore multa milliaria conficiuntur; cùm operatio ad rem valdè distantem se extendit; vt si hîc pungatur imago cerea Petri, & ille alibi doloribus conficiatur.

3. Ex conditione effectus.

Tertiò, Ex conditione effectus, si hic industriam humanam superet: sunt autem huiusmodi complura, quæ à magis operâ dæmonũ, vel reipsa vel in speciem fiunt, possuntque reduci ad tria genera. Vel enim fiunt circa elementa; vel circa alia corpora, præsertim hominum aut animalium; vel circa animas & spiritus. quæcumque autem exhibent reipsa, possunt etiam exhiberi in speciem per præstigium.

Circa elemẽta quid possint.

Circa elementa excitare possunt tempestates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos, ijsque lædere & euertere arbores, segetes, animalia, ædificia, & similia; vt experientia quotidiana docet, & ex lib. Iob c. 1. euidenter colligitur. non enim difficile est illis spiritibus nubes alijs in regionibus collectas, & ventos alibi spirantes, huc vel illuc, quò Deus permiserit, impellere, ibique sistere, stipare, collidere. Simili modo possunt facere inundationes, terræ motus, ruinas ædium, repentina incendia, & similia, si Deus id illis permittat. possunt excantare segetes, seu transferre ex agro in agrum; quod olim videtur fuisse adeò frequens, vt legibus duodecim tabularum apud Romanos vindicari debuerit. possunt transferre arbores & pomeria integra: idque vel singulis transplantatis, vel superficie terræ ad certam altitudinem simul abrepta & translata. Vnde Plinius l. 17. cap. 25. dicit, *Suo tempore Vectij Marcelli oliuetum vniuersum viam publicam transgressum, & aruа inde è contrario in locum oliueti profecta.* Neque hoc mirum videri debet; possunt enim plurimi simul ad huiusmodi opus concurrere.

15 *Circa corpora hominum.*

Circa corpora hominum & animalium: Primò, Possunt ea celerrimè transferre de loco ad locum; sunt enim & ipsi celerrimi & potentissimi, quibus nulla potestas super terram comparari valeat; Iob. 11.

An sagæ reipsa trãsferantur.

Hîc tamen Notandum est, non deesse qui negent sagas reipsa transferri à dæmone, & eas, quæ se putant transferri ad conuentus, dicunt decipi. hanc enim translationem, & cetera quæ in conuentibus sagarum fieri videntur, vt conuiuia, tripudia, adorationes dæmonis, nefarios concubitus, & similia, non fieri reipsa exteriùs, sed solùm in imaginatione: sopiri enim ipsas, & dæmonem hæc omnia facultati phantasticæ ita repræsentare, ac si reipsa fierent, ita vt illæ mulierculæ sibi persuadeant se hæc omnia reipsa egisse: quod confirmant exemplis quarumdam, quas constat sopitas fuisse, quæ tamen postea excitatæ narrabant se mira fecisse & vidisse.

Sententia pernicioſa.

Sed hæc sententia falsa est, & Reipub. perniciosa. Falsa; Primò, Quia repugnat innumeris experientijs, & exemplis eorum, quos translatos fuisse reipsa deprehensum est; de quo vide Alphonsum Castro l. 1. de iusta hæreticorum punit. cap. 16. & Malleum maleficarum Iacobi Sprengeri, & nostrum Delrio l. 2. disquisit. magic. q. 16. Secundò, Repugnat innumeris reorum & non reorum confessionibus, non tantùm mulierculorum, sed etiam virorum prudentum omnis ordinis & conditionis. Tertiò, Repugnat etiam rationi. cur enim diabolus id nõ possit, cuius tanta potentia vt non sit ei par in terra? aut cur Deus id non permittat, cùm magi & sagæ in id consentiant, & diabolum ad hoc aduocent; & ipse Dominus se permiserit à diabolo ex deserto deferri in pinnaculum templi, & inde in montem excelsum, vt ex cap. 4. Matth. colligitur, & Patres passim docent?

Est Reipub. perniciosa; Primò, Quia patrocinatur crimini grauissimo & nocentissimo Reipub. & Ecclesiæ; & impedit illius dignam castigationem. Iudices enim, quibus hæc opinio est persuasa, vel non puniunt sagas, vel non nisi leuiter, concessâ vitâ. hinc fit vt innumeri eo inficiantur, & diabolus tutò grassetur. Secundò, Condemnat omnia pænè tribunalia orbis Christiani, tam Ecclesiastica quàm sæcularia, non solùm imperitiæ & imprudentiæ, quòd non possint distinguere inter ea quæ fiunt reipsa, & quæ sola imaginatione; sed etiam iniustitiæ & crudelitatis, quòd tam sæua morte afficiant homines ob maleficia, quæ ipsi reuerà non fecerunt, sed solùm somniarunt & illusione diabolica sibi visi sunt fecisse. Itaque hæc opinio nullo modo est toleranda.

Nec obstant exempla quarumdam, quæ adhibita vnctione consopitæ fuerunt, & mira se interim egisse putarunt: quia hoc interdum diabolus

facit vt idem putetur semper fieri, & ita persuadeat Iudicibus totam hanc rem esse imaginationis,& nemini exteriùs nocere.

16 Dices, Si interdum deluduntur, ergo non poterunt tutò puniri; quia fortè sunt innocentes. vnde enim constare potest hanc non deludi?

Respondeo negando consequentiam: Primò, Quia rarum est vt ita deludantur. itaque præsumi debent non delusæ,nisi probetur contrarium: sicut in aliis criminibus,qui fatetur,non præsumitur delusus,si est sanæ mentis. & si alij de ipso testantur,non potest præsumi diabolum loco illius fuisse suppositum; sed hoc clarè tunc probandum; alioquin secundùm leges iudicandum.

Secundò, Plerique optimè norunt distinguere vtrùm sola imaginatione, an reipsa quid actum sit: cur ergo illis fides non adhibeatur? Tertiò, Ex indiciis & variis circumstantiis à prudente & perito Iudice facilè deprehendi poterit quomodo res gesta sit. Sæpè enim apparet aliquis effectus exterior; sæpè accedunt aliorum testimonia; sæpè ipsæ personæ sunt boni & integri sensus, & fatentur rem exteriùs gestam; explicant causam,& modum,& locum,& tempus,& personas coram quibus, &c. Quartò, Quia etiam illæ,quæ in somno delusæ, puniri possunt; tum propter expressum pactum cum dæmone & apostasiam ordinariè coniunctam;tum propter desiderium & conatum faciendi ea,quæ consopitæ videntur facere, & approbationem postquam ad se redierint:ideò enim se inungunt, & signa magica ponunt, vt illa fiant reipsa; & posteà cùm putant facta, approbant & gaudent, & proponunt rursus facere, quæ se iam fecisse putant: inter quæ sunt idololatria, commercium cum dæmone, renuntiatio Christianismi, studium aliis in corpore vel substantia nocendi,& similia. vide plura de his apud Delrium lib.5.sect.16.

17 Similiter non obstat cap.12. Episcopi.26.q.5. *Cap. Episcopi.* vbi significatur,sagas non reipsa trãsferri, aut alia similia perpeti; sed solùm imaginatione: quia non agitur illo cap. contra sagas aut maleficas, quales nostræ sunt; (vt docet Alphonsus Castro dicto lib.1.c.16.) sed contra alias quasdã mulierculas, *quæ deceptæ à diabolo variis illusionibus, credebant se nocturnis horis cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire; eiusq; iussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius seruitium euocari*; vt dicto c. Episcopi, habetur. Si enim erant sortiariæ & maleficæ, cur tam immane flagitium in illis non reprehenditur? cur sola praua credulitas damnatur? Deinde etiamsi concederemus fuisse sortiarias, nihil referret; quia non damnatur in illis quòd crederent ea,quæ nostræ de se referunt; nimirum se à diabolo in specie hirci ad conuentum sagarum transferri; ibidem conuiuia & tripudia cum ipso & veneficis agitari, diabolum adorari, nefarios cum ipso concubitus misceri, &c. sed quòd crederent longè alia,nimirum, hæc & similia esse vera, Dianam & Herodiadem esse deas; illis honorem & obsequium esse exhibendum; posse ab his naturas rerum mutari & transformari;esse veras bestias ab ipsis conditas, quarum ope per aërem vectarentur. nihil horum credunt nostræ sagæ; sciunt enim esse diabolum, quicum habent negotium. Denique si hic Canon aliquid contra nostram sententiam faceret, sequeretur eum fidem perdere,& esse infidelem,qui crederet sagas per diabolum specie hirci transferri; quod omnino absurdum est.

Secundò, Possunt etiam corpora hominum & animalium transformare; non quidem intrinsecè figuram mutando, sed extrinsecùs ex vaporibus aliam circumponendo. Sic aliqui operâ dæmonis conuertuntur in speciem lupi, & dicuntur λυκάνθρωποι, quasi dicas lupihomines: accommodant enim se ad speciem bestiæ quantum possunt, manibus & pedibus incedendo: & diabolus adiicit reliqua,circumposita alia figura,ita vt speciem lupi exactè referant. deinde ingreditur,mutat phantasiam,& animum ferinum inducit; quod ei perfacile est, commotis humoribus & venenatis succis adhibitis: denique agilitate lupina corpus regit. hinc fit vt tales inuadant, lacerent & deuorent homines, vt veri lupi solent. Potest etiam veram bestiam, homine repentè sublato, substituere; ita vt ipse homo oculorum iudicio videatur in lupum conuersus: quomodo D. Augustinus lib.18. de ciuit. cap.18. docet, socios Diomedis conuersos fuisse in aues, & Iphigeniam in ceruam. Simili modo credibile est, virgas magorum fuisse conuersas in serpentes: non enim diabolus causas naturales virgis applicãdo poterat tam breui tempore ex materia tam dissimili veros serpentes efficere. Potest etiam,homine consopito,ipsemet formam bestiæ assumere, & in ea varia ministeria subire, & interim per alium dæmonem efficere vt ille homo dormiens videatur sibi in bestiam mutatus hæc omnia præstare. Hoc modo D. Augustinus loco citato putat socios Vlyssis mutatos à Circe venefica in porcos: & alios quosdam suo tempore, veneno in caseo accepto à feminis stabulariis, conuersos in iumenta, quæ onera gestabant quamdiu illæ volebant,& posteà videbantur sibi in formam humanam reuerti. Denique potest hanc mutationẽ facere nudo præstigio. sicut enim melancholici & phrenetici videntur sibi mira exteriùs videre, cùm totum sit interiùs ex qualitate & commotione humoris; ita etiam operâ dæmonis fieri potest vt mira exteriùs videantur vel audiantur sola humorum agitatione & infectione. hac ratione potest exhibere palatia, vrbes, exercitus,flumina,incendia,tempestates,fulmina,tonitrua,& similia. 18 *An possint corpora transformare.*

Ex his patet, quatuor modis has transmutationes à magis operâ dæmonis fieri posse.non tamen est negandum quin possit dæmon aliquas veras transformationes efficere, applicando actiua passiuis; quales etiam ab hominibus fieri possunt; etsi ipse plura,subtiliora,& expeditiùs possit.sic potest efficere ranas,mures,muscas,&c. Item quæ ex semine; sed infusis seminibus in locum naturalem genituræ.

Tertiò, Possunt inferre morbos occultos, qui nulla arte medica valeant curari. facile enim diabolo est instillare venena ignota, eaque ita regere vt lentè operentur, vel infringere vim medicamentorum; vel si sinat illa operari, potest renouare quotidie noxam, intercipere vias spirituum & humorum, & aliis mille modis nocere: potest etiam inferre in corpus humanum pilorum villos, clauorum & vitrorum fragmenta, & alia huiusmodi, quæ maleficiis affecti excernunt. 19 *Irrogare morbos.*

quamuis

quamuis etiam præstigio facere possit vt hæc videantur è corpore eiici, cùm reuerà ibi non fuerint.

20 *Curare morbos.* Quartò, Possunt curare morbos omnes, qui naturalibus remediis curari possunt, & omnes qui à dæmonis actuali nocumento pendent. Possunt impedire sanguinis è vulnere effluxum; imò omnes læsiones, quæ gladio, igne, aliisque instrumentis irrogari possunt, si Deus permittat. facile enim ipsi est, ictum iuxta corpus hominis excipere, & impetum frangere, & ea quæ vim ignis impediant assiduè interponere; sed Deus rarò hæc permittit.

Eruere thesauros. Quintò, Possunt eruere thesauros occultos, & opes mari abditas; sed Deus rarissimè id permittit; quia esset maxima ad malum illecebra. vnde videmus omnes pænè magos & sagas esse pauperes, viles, abiectos.

21 *Reddere inuisibilem.* Sextò, Possunt etiam aliquo modo se efficere inuisibiles: idque vel efficiendo vt subitò transferantur aliò, astantibus non aduertentibus; quo modò fortè Apollonius se inuisibilem reddidit, quando à Domitiano capiendus erat; de quo Philostratus in vita ipsius: vel aliquod corpus instar veli interponendo, quod simile sit corporibus adiacentibus, v.g. parieti, tapeti, &c. vt ab illis non videatur distinctum: vel alienam figuram interponendo, vt etsi videatur, non agnoscatur: vel certè subtrahendo aut impediendo spiritus visorios, qua parte ad illius obiecti visionem debent concurrere.

22 *Immittere dæmones.* Septimò, Possunt immittere dæmones in hominem, & facere vt ab iis obsideatur, Deo permittente. huius multa exempla extant in historiis. Possunt etiam eosdem expellere, idque vel ex pacto cum ipsis & volentibus iisdem; (quamuis simulent se cogi ad egrediendum vi incantationis) vel ex pacto cum dæmone potentiore, qui etiam inuitos expellere potest: de quo vide Gregorium lib.1.dialog.c.10. hoc tamen numquam facit iste dæmon, nisi vt magis noceat; vt exemplo Gregorius docet.

23 *Circa animam.* Circa animam humanam coniunctam corpori, omnia ea possunt opera dæmonum, quæ ex corporis dispositione & imaginatione pendent; vt inferre amentiam, incitare ad amorem, odium, libidinem erga hunc vel illum, & similia. facile enim est dæmoni efficere vt obiectum aliquod assiduè obuersetur phantasiæ in modum conuenientis vel disconuenientis, & simul concitentur humores & spiritus consentaneè affectui amoris vel odij, &c. Huc pertinent philtra, & odiorum maleficia; de quibus vide Gregorium l.1. dialog. c.4.

Circa animas separatas nihil possunt magi, quia nec dæmones ipsi aliquid in has valent; præterquam quòd damnatis possint irrogare supplicia secundùm modum & mensuram à diuina iustitia pro meritis cuiusque constituta. Itaque non possunt illas ab inferis excitare, & viuis repræsentare; sicut nec tortor potest reum ducere quò libuerit. quòd si id non possunt in animas damnatas, quantò minùs in sanctas, quæ ipsis, veluti domini & Iudices, sunt admodum formidabiles?

24 *An Samuel excitatus fuerit.* Nec obstat illud 1. Regum 28. vbi cùm Saul petiisset excitari Samuelem per pythonissam, ipse Samuel apparuit, vt verior sententia tenet, quæ maximè confirmatur Ecclesiastici 46. vbi Samuel dicitur post mortem prophetasse, & Regi interitum prædixisse. non enim Samuel vi magica excitus prodiit; sed iussu diuino in pœnam impij Regis; cuius signum est, quòd magicam incantationem præuenerit: vnde & turbata fuit pythonissa; & rectus capite sursum elato, è terra emerserit; contra morem vmbrarum magicarum; quæ pedibus sursum versis, & capite deorsum prodire dicuntur. insinuare hoc videtur pythonissa, cùm ait: *Deos vidi ascendentes è terra*; id est, virum instar Dei, vel similem Deo. etsi enim Elohim sit numeri pluralis; tamen plerumque apud Hebræos accipitur pro vno; quo modo hìc accipi patet ex verbis proximis, *Qualis est forma eius?* itaque non de vmbris, sed de Samuele augusto modo apparente loquitur pythonica. Spectra autem illa, quæ ad inuocationem magorum se exhibent, sunt dæmones, qui se horum vel illorum animas fingunt.

Petes, Quibus indiciis poterunt spirituum apparitiones internosci, vt non decipiamur acceptantes malos pro bonis? 25

Respondeo, Indicia mali spiritus sunt ista: Primò, Si ad præsentiam vel vsum rerum sacrarum diffugiat, nimirum signi crucis, aquæ benedictæ, nominis IESV, B. Virginis, aut alicuius Sancti, sacrarum reliquiarum, sacræ imaginis, agni Dei, cerei benedicti, stolæ sacræ, & similium, quibus Ecclesia vti consueuit contra diabolicas fraudes, quæque veræ Religionis sunt τεκμήρια & certa signa. Item si hæc improbet aut dissuadeat. hæc enim indicia sunt manifesta, dæmonem esse.

Secundò, Si falsam vel prauam causam suæ apparitioni prætendat, vt si dicat se redire imperio alicuius magi: aut vt aliqua reuelet, quæ frivola sint, curiosa, vel noxia.

Tertiò, Si aliqua dicat, quæ sunt contra fidem & Ecclesiæ doctrinam; vel suadeat aliquid, quod sit à moribus Sanctorum alienum. sicut puella, quæ nuper prope Louanium repentè reuixit, & mira per triduum coram omnibus retulit. horum summa erat, se vidisse sanctissimam Trinitatem, & ibi intellexisse, parentibus & fratribus nullam superesse spem salutis, nisi ipsa rediret ad corpus & pro illis martyrium subiret, & illi deinde ex ordine idem martyrium paterentur. Modus martyrij erat iste: Imponendus erat faciei puluillus, deinde validè pedibus erat conculcanda, donec fracto capite vita exprimeretur. persuasit vt sibi id fieret. inde processum ad fratres, quorum primus cœptus calcari, grauiter est læsus; sed interuentu vicinorum res impedita. Exempla vetera extant plurima.

Quartò, Si sua oratione excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minùs ordinatum affectum. numquam ad talia alloquium boni spiritus excitabit.

Quintò, Si blandè accedat, sed posteà relinquat mœrorem, desolationem, turbationem animi, tenebras: hoc enim signum esse mali spiritus, docuit S. P. N. Ignatius in suis Exercitiis, & D. Macarius hom.7. sicut enim boni spiritus est illuminare, solari, & tranquillitatem animi adferre; ita maligni est relinquere in animo tenebras, mœrorem, perplexitatem, turbationem; nam quisque sibi consentanea operatur.

Sextò, Si rem non patitur tractari cum Superiore,

riore, vel confessario: boni enim spiritus non quærunt tenebras, nec volunt ordinem, quem sancti Patres & sacra Scriptura tradiderunt, peruerti: facile enim ipsis est & Superiores permouere.

Septimò, Si in forma tetra aut abiecta appareat, v. g. Æthiopis, serpentis, bufonis, canis; vel cum fœtore, tumultu, horrore, clade discedat.

Octauò, Si vbi semel præstitum est quod subsidij causâ petiit, rursus quæsitis aliis occasionibus friuolis redeat: animæ enim, vbi satisfeceris, vel non redeunt, vel semel tantùm redeunt, vt gratias agant. dæmones quia paucis congressibus conficere nequeunt quod volùt, varias occasiones quærunt vt sæpè appareant. vnde hæc crebritas debet esse suspecta. vide Thyræum lib. 1. de apparit. spirit. cap. 16. Peltanum de purgat. cap. 5. & Delrium lib. 2. q. 26. sect. 3. vide etiam infra dubit. 5. alia quædam huc pertinentia.

Dvbitatio iv.

Quale peccatum sit magia.

26 *Per se est mortiferum.* Respondeo, Ex genere suo esse mortale; quia continet tacitam vel expressam dæmonis inuocationem, ac proinde societatem & beneuolentiam erga illum. Fieri tamen potest vt aliqui actus magici excusentur à peccato mortali ratione ignorantiæ; vt si quis ignoret, vel non aduertat tacitam illam inuocationem, cùm hæc sæpè sit valdè occulta. plerumque tamen ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cuius tenetur abstinere donec plenius de re cognouerit: quod si non faciat, peccat saltem venialiter. Ratione leuitatis materiæ præcisè non videtur vmquam esse veniale: quia quòd in re parua vel ludicra dæmon inuocetur, per se non minus crimen est, quàm si id fieret in magna. similiter tacita vel remota inuocatio, si plena consideratio adsit, est eiusdem rationis ac expressa. sæpè tamen contingit vt quando res est modica, non apprehendatur mali magnitudo; & sic potest esse veniale defectu animaduersionis. *Ignorantia potest excusare.*

27 *Crimina coniuncta.* Notandum est, huic crimini in iis, qui ei sunt addicti, ordinariè alia crimina grauissima esse cõiuncta; de quibus à confessariis & iudicibus sunt interrogandi. Primum est, Hæresis: multi enim ex his non credunt diabolum subiturum pœnas æternas, aut esse damnatum & miserum; & eos, qui ipsi adhærent esse damnandos, aut eum nihil posse nisi Dei permissu, & similia. Denique pauci ex his sunt firmi in fide; & plerique deprehenduntur vel hæretici, vel nullius religionis. Secundum, Apostasia; abnegãt enim Christum & Christi fidem, & sæpè ipsum Deum: renuntiant Baptismo & Confirmationi, eaque conantur in se quibusdam cærimoniis extirpare. Tertium, Idololatria; accipiũt enim diabolum loco Dei, huic fidem spondent, se totos dedunt & mancipant, sacrificia offerunt, aliosque deferunt honores. Quartum, Blasphemiæ in Deum, in Christi humanitatem, in B. Virginem, & Sanctos omnes. Quintum, Sacrilegium; sæpè enim in suis incantationibus vtuntur rebus sacris, & interdum ipsa sanctissima Eucharistia. Sextum, Luxuria; vt nefariæ cum dæmone commixtiones. Septimum, Damna proximorum; vt homicidia, præsertim infantium, è quorum corpusculis decoctis conficiunt vnguina, puluercs, & alia magica symbola; varij morbi hominibus irrogati, mortes animalium, vastationes segetum, & similia. Ex quibus patet, magos & sagas dignos esse morte, & omnino è Republica exterminandos ob apostasiam, idololatriam, nefandos concubitus, & similia, etiamsi fortè damna non intulerint. vnde etiam Exodi 22. præcipitur, *Maleficos non patieris viuere.*

Dvbitatio v.

Quæ remedia aduersus maleficia possint adhiberi.

Remedia maleficij esse possunt vel naturalia, vel supernaturalia, vel moralia. *Naturalia* plerumq; paruam vim habent; quia diabolus facilè omnem illorum actionem eludit, si velit. bonum tamen est illa initio experiri, ex præscripto medicorum adhibendo ea, quæ ipsi ex symptomatibus congrua iudicabunt: vt si indicia sint veneni, si abundet humor melancholicus, vel alius, quo diabolus in hac affectione vti videtur: si alicui parti intemperies illata, & similia. 28 *Remedia naturalia.*

Supernaturalia, seu Ecclesiastica, sunt optima. hæc decem numerari possunt. 29 *Ecclesiastica.*

Primum est, *Magna fides* & fiducia in diuina protectione. Colligitur hoc clarè ex Psalmo 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, & quæ sequuntur; quibus docemur, diabolum nihil posse in eos, qui omnem spem in Deo locant. Idem patet multis exemplis. vide Cassianum collat. 8. c. 18. & 19. Paulinum in vita D. Ambrosij, Gregorium l. 1. Dialog. c. 4. *Magna fides.*

Secundum est, *Susceptio Baptismi*, si non sis baptizatus. Huius extat memorabile exemplum in historia Perüana Petri Chieza p. 1. c. 18. Ratio est, quia Baptismo exuimus veterem hominem, quem diabolus induxit, & induimus Christum: efficimur eius membra, eius filij, & domestici; transferimur de potestate tenebrarum in regnum Filij Dei, vt Apostolus ad Colos. 1. ait. *Baptismus.*

Tertium, *Confessio peccatorum.* Sæpè enim ob peccata permittitur diabolo potestas in hominẽ, quibus deletis, illa quoque euanescit; quibus permanentibus, frustrà alia remedia adhibeas, vt docet Petrus Cluniacensis l. 1. de miraculis cap. 6. de quo etiam vide lib. 1. vitæ S. Bernardi cap. 8. Itaque qui maleficiis infestantur siue in se, siue in rebus suis, exhortandi ad accuratam peccatorum confessionem & vitæ emendationem. 30 *Confessio.*

Quartum, *Sumptio Eucharistiæ*, vel eius præsentia: nulla enim conuentio lucis ad tenebras, nec Christi ad Belial. hoc pacto maleficia fuisse curata, refertur in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 10. & D. Augustinus l. 22. de ciuit. c. 8. scribit, domum quamdam ab infestatione dæmonum liberatam oblato in ea Sacrificio. Palladius l. 1. histor. c. 19. refert, S. Macharium, cùm ei oblata esset femina maleficio affecta, dixisse, Illud propterea vim in eam habuisse, quòd quinque septimanis à sacra Eucharistia abstinuisset. *Eucharistia.*

Quintum, *Exorcismi Ecclesiæ*. hi varij sunt: alij enim instituti sunt ad expellendum dæmonem à corporibus hominum, alij ab infestatione ædium, alij ad illum compescendum, ne damna per tempestates, vel alia ratione inferat. Horum autem maxi- 31 *Exorcismus.*

maximam esse vim, patet tum ex vsu quotidiano: tum quia in Ecclesia est ordinatio specialiter instituta à Christo, vel (vt quidam volunt) ab Apostolis ad dæmones pellendos & coërcendos, vt patet ex Concil. Carthag. 4 c. 7. & ex Cypriano epistola 2. 55. & 76. & aliis Patribus: tum quia preces illæ & adiurationes fiunt nomine Ecclesiæ Christi sponsæ. Refert Iosephus l. 8. antiq. cap. 2. Salomonem quoque instituisse coniurationes, quibus dæmones fugentur. non tamen constat quales hæ fuerint, sanctæ an superstitiosæ: quia non extant, nec scitur quando instituerit, in cultu veri Dei, an in idololatria.

32 *Aqua benedicta.* Sextum, *Aqua benedicta*. hæc habet vim ex precibus Ecclesiæ, per quas factum est vt diuina virtus ei assistat, ac quodammodò insideat & cõnexa sit ad dæmonis infestationes auertendas. hoc remedio plurimi vsi sunt, vt B. Marcellus Episcopus, apud Theodoretum l. 5. histor. c. 21. S. Macarius, apud Palladium l. 1. c. 19. S. Bernardus l. 2. Vitæ eius cap. 3. & alij innumeri; estque modò frequentissimum apud Indos.

Reliquiæ Sanctorum. Septimum, *Reliquiæ Sanctorum*, & res aliæ ab Ecclesia benedictæ, vt Agnus Dei, cerei sacri, panis & sal benedictum; & similia. Horum exempla quotidie se offerunt.

33 *Signum Crucis.* Octauum, *Signum Crucis*. huius est vis magna contra omnes diaboli machinationes. Primò, Quia continet tacitam inuocationem sanctissimæ Trinitatis, per meritum passionis Christi. sicut enim voce, sic gestu Deum inuocare & mentem nostram exprimere possumus. Secundò, Quia continet totius doctrinæ Christianæ compendiariam professionem. significatur enim (præsertim adiuncta formula, *In nomine Patris*, &c. quia fieri solet) Primò, In Deo esse vnam essentiam, potentiam, maiestatẽ; & tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Deinde, Patrem esse principium, Filium procedere à Patre, Spiritum sanctum ab vtroque, & hunc esse amorem & vinculum vtriusque. Tertiò, Filium à Patre descendisse in vterum Virginis, hominem factum, & nos per mortem suam transtulisse à sinistris ad dexteram, à damnatione ad gloriam. hæc omnia Ecclesia, & fideles eius intendunt hoc signo insinuare & profiteri. Quartò, Quia crux est instrumentum, quo Christus diabolum vicit, & eius potentiam fregit; quod etiam ipsum Christum crucifixum refert & obiicit. Vnde crux triplici modo vim habet. Primò, In modum inuocationis. Secundò, Tamquam opus fidei & professio Religionis Christianæ. Tertiò, Ratione diuinæ virtutis ex ordinatione diuina assistentis: nam etiam in infidelibus vim habet, vt constat de Iuliano apostata ex historiis Ecclesiast. & de quodam Iudæo ex lib. 3. dialog. S. Gregorij cap. 7. His addi potest quartus, scilicet, quatenus diabolo ingerit memoriam probri & ignominiæ, quam per crucem accepit, & timorem virtutis Christi. Hæc sufficiunt ad hoc signũ contra hæreticos defendendum. Simili modo reliquæ cærimoniæ Ecclesiasticæ defendi possunt. nihil enim sunt aliud quàm professiones tacitæ veritatum fidei, & sacræ precationes. excitant etiam animum ad maiorem reuerentiam, & recreant sua varietate & pulchritudine. De efficacia crucis aduersus dæmones extãt infinita exempla. vide Chrysostomum homil. 8. in epist. ad Colossi. Lactant. lib. 4. c. 27. Cyprianum, vel quicumque est auctor, sermone de passione Domini, Vitam D. Bernardi l. 2. c. 2. & 3. & nostrum Gretzerum, de cruce.

Cærimoniæ Ecclesiæ.

Nonum, *Inuocatio nominis* IESV, *B. Virginis*, Angeli custodis, & etiam aliorum Sanctorum. exempla plurima extant apud Auctores. 34 *Inuocatio nominis* IESV.

Decimum, *Oratio*, præsertim coniuncta ieiunio Hęc valent etiam ad pessimum quoddam genus dæmoniorũ expellendum, vt patet Matth. 17. Vide Gregorium l. 3. dialog. cap. 33. & Palladium l. 2. hist. c. 28. Qui plura supradictorum exempla desiderat, consulat Delrio lib. 6. c. 2. *Oratio.*

Moralia remedia voco, quæ pertinent ad pactum cum dæmone dissoluendum, quando ex pacto nocet: quod fit amouendo signa magica, ad quorum præsentiam nocumentum irrogat; de quo dubitatione sequenti.

DVBITATIO VI.

Vtrùm liceat tollere ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa maleficia, posita à maleficis, eo fine vt diabolus desinat nocere.

HÆc quæstio ante complures annos ad me è longinquo missa fuit, multis argumentis pro parte negante (quam viri quidam docti & pij tenere dicebantur) instructa: quam deinde tractaui in materia de matrimonio, cap. de impedimento maleficij. verùm quia propria est huius loci, quæ ibi dicta, huc transferenda, bonâ illorum, qui aliter sentiunt, venià, putaui: solius enim veritatis & proximi iuuandi amore hæc à me tractantur: & eos qui secùs sentiunt non damno, sed pietatis, doctrinæ & dignitatis causa veneror. Fundamentum partis negantis præcipuum est, quòd tollere illa signa vt diabolus nocere desinat, videatur quędam implicita illius inuocatio, vel pactionis implendæ monitio. Sed 35

Signa magica non posse tolli maleficio.

Dico Primò, Nullo modo fas esse aliquo maleficio signa magica tollere, quamuis ad id paratum sese maleficus offerret. Est certa, & communis DD. sententia, excepto Angelo v. Superstitio, §. 13. & Petro Aureolo, quem Angelus adducit. hi enim etsi concedant non esse licitum facere incantationes, licitum tamen putant, alterius, qui ad id paratus sit, incantatione & maleficio vti, vt à nobis vel aliis noxam maleficij tollamus. Confirmatur hæc sententia, quia licitum est petere ad vsuram ab vsurario parato dare, & exigere iusiurandum ab eo, qui paratus est per falsos deos iurare: vt suprà ostensum. Sed horum sententia refutatur ab omnibus tamquam error. vide Caietanum tomo 2. opusc. 12. Siluest. v. Maleficium quæstione 8. & Castro libro 1. de iusta hæreticorum punit. cap. 5. Ratio est, quia illa malefici operatio est intrinsecè mala, cùm sit vsus artis magicæ; & tacita vel expressa dæmonis inuocatio ad aliquem effectum obtinendum: ac proinde nullo modo benè fieri potest: ergo nec petere, nec cõsentire potes vt fiat; iuxta illud ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Secùs est cùm petitur iuramentũ ab eo, qui putatur per falsos deos iuraturus, aut mutuum ab eo, qui solet exigere vsuras: nam id, quod

Angeli & Aureoli sententia.

quod hîc petitur, malum non est, & benè fieri potest, si velit is à quo petitur.

36 *Posse amoueri industria naturali.*

Dico Secundò, Ius tamen est cuique, tollere & destruere illa signa absque maleficio, vbi inuenta fuerint. Est communis sententia Doctorum, qui hanc doctrinam attingunt. Inter quos Henricus à Gandauo quodl. 5.q.33. Scotus in 4. dist. 34. vbi dicit, *ridiculum esse quærere an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum: non enim*, inquit, *solùm licet, sed etiam est meritorium, destruere opera diaboli.* Idem docet Gabriel iisdem ferè verbis in 2.d.8.q.2.a.4.dub.2. Caiet.to.2.opusc.12. *Duobus modis*, inquit, *contingit maleficium à maleficis solui. Primò, Per simplicem dissolutionem seu destructionem maleficij prius facti, puta dissoluendo ligaturam capillorum, cum annulo ligneo*, &c. *& hoc absque dubio licitum est, nec est opus malefici vt maleficus est, sed hominis scientis impedimentum boni proximi sui: quia hic nulla euenit dæmonum inuocatio, sed sola dissolutio signi; quo durante diabolus statuerat malum alterius continuare. Secundò, Per inuocationem dæmonum, seu aliud maleficium: & hoc absque dubio peccatum est mortale.* hæc ille. Idem docet Silu. v. Maleficium, n.2. Castro l.1. de iusta hæret. punit. cap.15. valdè fusè. Dominicus Sotus d.34.q.vni.art.3. *Potest quisque conuenire maleficum, & rogare, & pecuniâ ab illo extorquere, vt illas ligaturas, quas habet sepultas, aut suspensas; aut alicubi asseruatas, inde dimoueat; quia illud maleficum facere virtus est*, &c. Ioseph. Angles in Florib. q.6. de maleficiatis. Nauar. cap.11.n.29. Petrus Binsfeldius in tit. de malef. & mathem. q.5. & alij. Hi omnes docent hanc sententiam vt indubitatam. incredibile autem est omnes decipi, præsertim cùm non agatur de positiuo aliquo dogmate, cuius ratio sola Dei sit voluntas, sed de veritate naturali ad moralem philosophiam, vbi ingenij acumen maximè valet, pertinente.

37 *Probatur ratione.*

Probatur ratione. Primò, Si esset illicitum amouere huiusmodi signa vt diabolus nocumentum desinat, id esset quòd ille actus amouendi censeretur esse tacita quædam dæmonis inuocatio: sed id verum non est: ergo non est illicitum amouere. Maior est euidens, & conceditur ab Auctoribus diuersæ sententiæ; nulla enim potest alia vel in speciem causa fingi; sepono enim scandalū, quod vbique vitandum est. Minor probatur, quia amotio illa signorum neque ex natura rei est inuocatio dæmonis, vt per se patet; neque ex intentione amouentis: non enim intendit dæmonem inuocare, sed inuocationem per magum illo signo factam impedire, & dissoluere. neque ex pacto aliquo antecedente; quia qui amouet signū, non est pactus cum dæmone vt ad amotionem signi desinat nocere. Nec refert, quòd fortè magus id pactus sit, quia qui amouet signum, non intendit ex pacto ipsius magi operari, aut dæmonem inducere vt pactum cum mago initum soluet; sed solùm intendit pactum nocendi rescindere; quod licitè & meritoriè potest. Confirmatur à simili; si quis cum hoste esset pactus vt dato certo signo (v.g. suspenso funiculo coccineo, sicut fecit Raab, Iosue 2.) accurrat, & mœnia conscendat, vel ignem vrbi iniiciat, & ego tale pactum scirem, possem illud signum tollere, nec vllo modo cenferer consentire illorum pactis; sed potiùs illa odisse & destruere: ergo similiter, si sciam inter magum & dæmonem esse pactum vt dato certo signo (v.g. posito capillorum glomo sub limine) noceat, potero illum glomum tollere, vt euersa pacti conditione, non noceat: neque censebor vllo modo in illud pactum consentire: cur enim hic potiùs quàm ibi consentire videar?

Secundò Probatur, Si quis verbis alliceret dæmonem vt mihi vel alteri noceat, possem omni ope impedire; similiter si per scripturam vel characteres: cur non etiam possum impedire si aliis signis illum accersat? quid enim interest, verbis ne an scriptis, an aliis quibusuis signis dæmonem allicias ad nocendum? possum igitur illa signa remouere & destruere vt dæmon desinat allici, & consequenter vt desinat nocere.

Tertiò, Qui habet pactum cum sicario, vt posito certo signo ad fenestram vel ostium Petri, ipsi vel rebus eius noxam inferat, tenetur signum, quod ad hunc finem ibi posuit, tollere, si aliter nocumentum impedire non potest; similiter & quiuis alius, qui illud nouit: ergo etiam qui tale pactum habet cum diabolo, & quicumque nouit signum pacti, tenetur illud tollere, vt damnum impediatur.

Sed contrà obiiciuntur multa argumenta. 38

Primum: Est certum dæmoniorum genus, quod non eiicitur nisi in oratione & ieiunio, vt Dominus Matth. 17. ait: ergo si hoc genus ingressum esset per maleficium, non liceret eius egressum procurare per signi ablationem.

Respondeo Primò, Si hoc argumentum aliquid concludit, etiam conuincit non licere exorcismis agere in hoc casu. Secundò, Quomodo potest nobis constare an sit ex illo genere? fortasse enim est ex alio, ac proinde nihil vetat quin possim tentare per signorum amotionem. Tertiò, Dominus agit de dæmonum eiectione, qui hominem possident, quos non legimus eiici per amotionem signorum, sicut neque permittuntur ingredi operâ magorum, nisi fortè rarissimè, & interueniente nocumento, quod dæmon magicis signis illectus infert.

Secundum argumentum: Hieronymus in Vita S. Hilarionis refert, cùm quædam puella per incātationes à dæmone obsessa adducta esset ad Hilarionem, *noluisse virum sanctum, antequam purgaret virginem vel adolescentem, signa iubere perquiri; ne aut solutis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem:* ergo perquirere & tollere signa vt nocumentum cessaret, ad incantationem pertinet.

Respondeo Primò, Hieronymum non dicere, *ne solutis incantationibus recederet*, sed *recessisse videretur*, scilicet, vulgo spectanti, cui merito id visum fuisset, si vir tantus ad hoc auxilium confugisset, maximè cùm dæmon hoc consilium suggessisset, indicato signorum loco, & dixisset se illis ligatum teneri, neque posse egredi illis non sublatis.

Secundò, Hieron. disiunctiuè dicit, *ne aut solutis incantationibus recessisse videretur, aut ipse sermoni dæmonis accommodasse fidem:* verebatur enim Hilarion, ne si signa quæri iussisset, alterum horum sequeretur. Adde, prorsus indignum fuisse tanto viro, signa illa iubere inquiri, quasi absque illis non posset expellere, qui excellenti miraculorum dono præditus erat.

Tertium argumentū: Qui signum tollit vt cesset noxa, miscet se pacto, quod maleficio cum dæmone 39 *Non miscet se pacto magico.*

mone interceſſit;quod eſt huiuſmodi,vt ſigno poſito dæmon nocere incipiat,ablato deſinat.

Reſpondeo Primò,Plerumque ſolùm eſt vnum pactum,ſcilicet vt poſito tali ſigno noceat. quando enim diabolus aliquo ſigno debet allici vt faciat aliquid extraordinarium, non eſt opus nouo pacto vt deſinat facere, ſed ſatis eſt vt deſinat allici; quod fit ſublato ſigno. hinc enim ſequitur vt deſinat operari, eò quòd vis prioris pacti, ex quo ad operandum eſt inductus,ſit eliſa. Secundò,Etſi forte tale pactum eſſet inter magum & dæmonem,is tamen qui ſignum tollit, id ignorat,& poteſt exiſtimare tale pactum non eſſe, ſicq; ſignum illud tamquam dæmonis illecebram ſubmouere. Tertiò,Quamuis ſciret eſſe tale pactú, non tamen idcircò ſe huic miſceret,aut ei vllo modo conſentiret: quia amotione ſigni non intendit dæmonem inducere ad pactum ſeruandũ, neque vtitur amotione ligaturæ veluti ſigno alterius pacti; ſed ſolùm intendit deſtruere ſignum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur:hæc enim multùm diſtinguuntur : aliud enim eſt amouere ſignum ea mẽte vt moneas dæmonem vt ſeruet pactum,& ex fide data deſinat nocere; aliud amouere vt deſtruas dæmonis quaſi realem inuocationẽ, & pactum cum mago initum, vt per ſe patet. quando enim aliquod ſignum ex natura ſua non eſt ordinatum ad aliquid ſignificandum, facilè per intentionem aliò referri poteſt; vt patet in adoratione Naaman Syri, 4. Regum 5. qui adorante Rege in templo Remmon, ſimul flectebat genua ante idolum, vt Regi ſibi innitenti ſe aptaret.quæ actio etſi videbatur eſſe idololatria, tamen reuerà non erat; quia non intentione adorandi idoli,ſed ſuſtentandi domini fiebat. Multò apertiùs id cernitur in propoſito : cùm enim amotio ſignorum, facta eo fine vt ceſſet dæmonis noxa, non ſit inuocatio dæmonis ex natura rei, ſed potiùs euerſio prioris pacti; neque etiam ex intentione amouentis, vt quæ illi prorſus ſit contraria, nullo modo cenſeri poteſt illicita.

40 Quartum argumentum: Qui ſignum tollit ſpe nocumenti ceſſaturi, hunc effectum non expectat à cauſa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à voluntate Dei : ergo expectat à diabolo : ac proinde eſt opus ſuperſtitioſum; nam perinde eſt ac ſi diabolo dicat,Pactus es amoto ſigno te ceſſaturum; ecce amoueo ſignum, præſta quod promiſiſti.

Effectus priuatiuus poteſt à dæmone expectari.

Reſpõdeo,Effectus qui hîc expectatur,non eſt aliqua actio poſitiua dæmonis,ſed ceſſatio ſeu priuatio actionis,quem effectũ licet à dæmone expectare : multa enim quotidie facimus vt diabolus aliquid non faciat,vel ceſſet facere,non ſolùm coactus diuina poteſtate, ſed etiam quaſi offenſus & abhorrens; vt dum geſtamus agnos Dei, & reliquias, dum vtimur aqua benedicta, dum benedicimus domos & templa : cur non etiam poſſimus deſtruere ſigna magica, vt deſinat nocere, tamquã non ampliùs ad nocendum allectus? Itaque non quouis modo illicitum eſt expectare effectũ priuatiuum à dæmone, ſed expectare illum ex fide data & accepta, ſeu ex vi alicuius pacti cum dæmone initi;quod hîc non fit: non enim expectatur ex vi pacti,ſed ex euerſione pacti ſeu inuocationis: eſt enim effectus priuatiuus, qui ſufficienter ex hoc ſequitur, quòd non ampliùs per ſignum prouocetur, ſeu quòd prius pactum deſtruatur.

Vnde qui ſic expectat ceſſationem à diabolo, non perinde facit ac ſi dicat, Præſta quod promiſiſti : ſed potiùs perinde facit ac ſi dicat, Pactum tuum cum mago reſcindo, ſigna tua quæ inſtituiſti ad nocendum, deſtruo; non eſt ergo quòd noceas ampliùs.

Quintum argumentum: Diabolus numquam 41
ceſſat ſponte à nocumento corporali, niſi vt grauiùs noceat in anima: beneficia enim illius nocentiora ſunt omnibus vulneribus, vt teſtatur D. Leo Serm. 19. de paſſione: ergo per ceſſationem nocumenti, quæ fit amoto ſigno, grauius damnum infert vel amouenti, vel maleficiato, vel vtrique.

Reſpondeo negando conſequentiam;Etſi enim diabolus id fortè intendat, non tamen ſemper aſſequitur quod intendit, præſertim cùm in noſtra ſit poteſtate per Dei gratiam ne in animo noceat. Neque verum eſt, expectari ceſſationem tamquam beneficium eius; niſi quis dicat, eum, qui amouet ſignum proditionis vrbis, expectare ceſſationem proditionis tamquam beneficium proditorum.

Sextum argumentum: Diabolus non eſt alli- 42
gatus ſignis; poteſt enim nocere ſine ſignis,& deſinere nocere etiam poſitis ſignis, & non deſinere ſublatis ſignis : ergo fruſtrà tolluntur ſigna, niſi intercedat pactum,vt illis ſublatis deſinat nocere. *An poſſit nocere ſine ſignis.*

Reſp. Primò,negando conſequentiam : Tolluntur enim ſigna vt euertatur pactum magicum & tacita dæmonis inuocatio, vt dictum eſt. Quòd autem diabolus poſſit continuare vel non continuare nocumentum, parum refert,modò conſtet, ſemper vel ferè ſemper deſinere nocumentum ſublato ſigno.

Secundò,Sæpè diabolus non poteſt nocere corporaliter, niſi humana malitia ei cooperetur : ita enim ligata eſt eius poteſtas, vt nihil ferè ſolùs poſſit in hominis corpus vel bona externa,vt patet ex Hiſtoria Iob, niſi Deo id ei ſpecialiter permittente : quia tanta eſt eius malitia, vt nihil prætermitteret mali,quod poſſet inferre; humana tamen poteſtas non ſic ligata eſt (quia homo homini reſiſtere poteſt) quæ dum dæmoni cooperatur, plura ei Deus permittit,quàm ſoli. Vnde Franciſcus Victoria Relect.de arte mag. ſub finem, *Mirum*, inquit, *eſt & myſterium, quòd cum dæmones per ſe nocere non permittantur, tamen non adeò impediuntur nocere per homines, vt magos, lamias, & alias maleficas :* quod etiam ceteri Doctõres tradunt. Quare falſum eſt,dæmonem ordinariè poſſe nocere ſine ſignis magicis,ſicut poteſt cum illis; vel poſſe continuare noxam ſublatis ſignis, ſicut poteſt poſitis ſignis. Hinc fit vt non fruſtrà tollantur; nam illi fortaſſe permiſſum non eſt ſublato ſigno nocere. Neque hinc ſequitur,Deum habere aliquod pactum cum dæmone : ſicut ſi Rex non impediat hoſtem in iis quæ facit cooperantibus ſubditis; non inde ſequitur, Regem habere pactum cum ſuo hoſte.

Septimum argumentum: Si licet ſigna malefica 43
amouere, vel ad eam rem malefici opem implorare: ergo qui maleficium patitur, tenetur id procurare,ſi aliud remedium non occurrat. *An teneat procurare amotionem.*

Reſpondeo,Poſſe contingere vt teneat ſignum amouere, ſi ſciam,& commodè poſſim : maximè autem ad id tenetur maleficus qui poſuit: nec video quomodo de hoc dubitari poſſit.neque refert

quòd DD. hoc expreſsè non doceant; ſatis eſt id ex eorum doctrina ſequi. ſicut enim maleficus, qui diabolum inuocat verbis vel ſcriptis vt noceat cuipiam, tenetur ceſſare ab iſta inuocatione, non ſolùm quia ſuperſtitioſa, ſed etiam quia noxia; ita quoque tenetur ſigna poſita, quibus allicitur ad nocendum, tollere, ſi aliter nocumentum impediri nequit. Et confirmatur, quia ſicut is qui poſuit puluerem tormentarium certo loco, vbi damnum illaturus eſt, tenetur illum tollere, ſi aliter damnum nequit auertere: ita qui ſignum poſuit, ex quo nocumentum ſequitur, illud amouere debet. quid enim refert quòd puluis vi naturali ſit nociturus, ſeu vi morali, ſeu vi pacti; quando æquè certò & efficaciter nocumentum ſequitur? Sanè perinde ſe habet illud ſignum, ac ſi vis diabolica illi eſſet alligata. vnde tamquam res nocentiſſima eſt tollendum.

44 *Abradere pilos maleficarum.* Octauum argumentum: Si licet ſigna amouere; ergo rectè faciunt qui maleficis ad quęſtiones vocatis abradunt omnes pilos corporis, ne quo maleficij ſigno corpori adhæreſcente, reddantur inſenſibiles, & ita non poſſint cogi ad confeſſionem: atqui hoc eſt ſuperſtitioſum. Confirmatur ex Victoria relectione de magia, nu. 16. vbi dicit: *Si ad expulſionem dæmonum radunt pilos aut capillos aut aliquid huiuſmodi, eſt magia manifeſta.*

Reſpondeo, Si id faciant ne ſub capillis aliquod tale ſignum occultatum lateat, non ſunt damnandi ſuperſtitionis. Vide Damhouderium. An ſatis decorè faciant, non diſputo.

Quod Franciſcus Victoria ait, ad propoſitum non facit: loquitur enim de expulſione dæmonum è corporibus hominum, per gratiam gratis datam, qualem habent viri ſancti, ad quam expulſionem nihil facit raſura pilorum. non enim pili ſunt ſignum maleficum, ibi poſitum à mago; ac proinde non ſunt amouendi vt pactum aliquod magicum ceſſet.

Argumentum nonum. 33. quæſtione 1. cap. 4. Si per ſortiarios, Hincmarus Rhemenſis enumerat remedia contra maleficium concubitus coniugalis, nec meminit huius remedij, nec alij Patres meminerunt.

Reſpon. Primò, Non eſt neceſſe huius remedij mentionem facere, quia vulgò ſatis notum ſemper fuit, nec decuit eos niſi remedia Eccleſiaſtica & diuina proponere. Secundò, Si illicitum putabant hoc remedium, non ſolùm debebant eius nullam facere mentionem, ſed etiam expreſsè prohibere, cùm ſcirent eſſe vulgare; quod nobis argumento eſt, eos non improbaſſe. Adde, eos loqui in caſibus, in quibus humana auxilia non ſuppetunt: plerumque enim ignorantur ſigna & eorum loca, niſi à magis indicentur. Vnde niſi remedia Eccleſiaſtica & diuina profint, cenſent impedimentum maleficij eſſe perpetuum, iubentque eos ſeparari: quod tamen non facerent, ſi ſigna maleficia cognita eſſent, & illis ſublatis maleficiũ poſſet ſolui. Communis enim Doctorum ſententia eſt, impedimentum non cenſeri perpetuum, quando ope humana ſine nouo maleficio tolli poteſt.

45 Dico Secundò, Non ſolùm fas eſt tollere ſigna magica, ſed etiam, per ſe loquendo, ponere alia, quibus poſitis expirat vel deſtruitur pactũ prius, & diabolus deſinit nocere; vel certè priora ſigna vim ſuam amittunt. Colligitur ex iiſdem DD. & Probatur Primò, Quia licitum eſt aliquid facere, quo poſito finitur prauum pactum, & diabolus deſinit nocere: hoc enim non eſt ſignum pacti noui, ſed euerſio vel impedimentum antiqui. Nec refert vtrùm hoc proueniat ex eo quòd diabolus tali ſigno offendatur, an quòd ipſemet ſtatuerit vt tali re interueniente pactum non conſtet, ſi non fiat modo deprecatorio, aut affectu aliquo beneuolentiæ. Exempla ſint: Si venefica te tangat, infliceris; ſi tamen illam mox repercutias, impeditur noxa: vel quia diabolus ſtatuit tunc non nocere; vel quia ſignum veneficæ non eſt tale quale ipſe requirit. Item cùm à ſaga quis eſt infectus, dicitur ceſſare nocumentum, vel reddi inefficax, ſi infectus det illi panem & ſalem, vel ab illa panem accipiat; fortaſſe propter Euchariſtiæ myſterium. Nec refert quòd diabolus ipſe fortè hoc ſtatuerit; quia ſolùm ſtatuit his poſitis non nocere, & vt pactum præcedens expiret: atqui licitum eſt aliquid facere quod per ſe indifferens eſt, vt diaboli pactum expiret, & nocumentum ceſſet: hoc enim non eſt ſignum amicitiæ; quia etiam erga inimicum poteſt quis talibus ſignis vti abſque vlla ſpecie beneuolentiæ.

Dices, Hìc expectatur effectus à dæmone.

Reſp. Non expectatur vllus effectus poſitiuus, ſed ſolùm ceſſatio à malo, qualis effectus expectari poteſt, modò non ex amicitia. Secundò, Licitum eſt tollere ſigna vt deſinat pactum & nocumentum: ergo licitum eſt apponere alia ſigna ad eumdem finem. Tertiò, Licitum eſt petere verbo à diabolo vt deſinat nocere, modò id non petatur deprecando, aut ex amicitia aliqua, ſed indignando: ergo idem licitum eſt petere ſigno. Secùs eſt ſi petas vt aliquid agat; hoc enim eſt beneuolentiæ. Quartò, Si diabolus haberet tale pactum cum mago, vt poſito tali ſigno noceat donec ponatur ſignum aliud contrarium, & non eſſet aliud remedium ad deſinendum nocumentum, poſſet magus illud alterum ſignum adhibere: ſicut enim poſſet diabolo dicere, Ceſſa; ita poteſt idipſum ſigno aliquo exprimere.

Hæc tamen omnia intelligẽda ſunt de pura ceſſatione; non autem de aliqua actione poſitiua, aut fauore eliciendo à diabolo. vnde ſi putaretur nocumentum per actionem poſitiuam eiuſdem vel alterius dæmonis deſinendum, non liceret: ſimiliter ſi res ſit dubia. non enim licitum eſt vti remedio ſuperſtitioſo, aut de quo dubium eſt an contineat tacitam dæmonis inuocationem: hoc enim eſt ſe exponere manifeſto periculo ſuperſtitionis; niſi fortè id fiat cum expreſſa voluntatis contrariæ proteſtatione. Pari modo fas non eſt à mago petere vt maleficium diſſoluat, ſi dubitas an abſque nouo maleficio id poſſit: quia id de quo dubium eſt an ſine peccato fieri poſſit, ſicut abſolutè non eſt faciendum, ita nec abſolutè ab alio petendum vt faciat. ſecùs quando conſtat ſine peccato fieri poſſe: & cauſa iuſta petendi ſubeſt, vt ſuprà c. 42. dub. 10. dictum eſt. Nec refert etiamſi putem iniquo modo id facturum: id enim eius malitiæ imputãdum, non meæ petitioni, cùm petam id quod licito modo facere poteſt; ſicut cùm exigo iuramentum ab eo, quem per falſos deos vel pſeudoprophetam Mahumetum iuraturum ſcio, non mihi imputatur illud ſacrilegium; vt loco citato oſtenſum. Hinc patet, non peccaſſe militem, qui equum ſuum miſit curandum ad hippiatrum, à quo naturaliter curari poterat; quamuis multùm formi-

46 *Si iniquo modo ſaturus ſit.*

formidaret id eum superstitiosè præstiturum, sicut & fecit. Si tamen miles præsens fuisset, & vidisset illum signa superstitiosa parantem adhibere, non potuisset permittere : quia permittere vt circa te, vel rem tuam, te præsente, magica medicatio fiat, est in illam consentire ; quia sine tuo consensu nemo tibi vel rebus tuis in tuo conspectu medicamina applicare potest : imò est moraliter illis vti, & applicare. Medicus enim se habet instar instrumenti respectu eius qui eum adhibet, qui per illum curare dicitur. Vnde propriè dicimus nos vti opera Medicorum.

CAPVT XLV.

De Irreligiositate.

Habet 5. Dubitationes.

EXpositis vitiis religioni oppositis per excessum; proximum est vt dicamus de iis, quæ eidem opponuntur per defectum, quæ nomine *Irreligiositatis* comprehenduntur, & à D. Thoma quatuor numerantur; vt dictum est c. 43. in principio: *Tentatio Dei, Sacrilegium, Periurium, Simonia.* His adde *Blasphemiam* & *Infidelitatem*, id est, voti violationem. Etsi enim *blasphemia* à D. Thoma 2.2. quæst. 13. statuatur vitium confessioni fidei oppositum, tamen etiam opponitur religioni per defectum cultus, vel potiùs contemptum: sicut conuitium & contumelia in hominem opponitur obseruantiæ. Vnde propriè ad irreligiositatem pertinet. similiter *infidelitas*, quatenus hoc nomine significatur voti violatio. Alia enim deformitas est in eo quòd fides Deo data violetur, & promissum non præstetur; alia in rei sacræ Deoque consecratæ indigna contrectatione. Vnde videtur species à sacrilegio distincta, quamuis sacrilegium quoddam interdum sit coniunctum, vt infrà numero 11. dicetur. De *Periurio, Infidelitate,* & *Simonia* suprà satis dictum est. Itaque supereſt *Tentatio, Sacrilegium* & *Blasphemia*; de quibus hoc capite nobis est tractandum.

DVBITATIO I.

Quid sit tentatio Dei, & quale peccatum.

Diuus Thomas quæst. 97.

1 *Tentatio.*

TENTATIO generatim est dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, vt sciatur qualis sit potentiâ, scientiâ, bonitate, voluntate, &c. vt cùm quis examinatur in aliqua scientia, vel cùm fit alicui contumelia, vt videatur quid facturus sit. neque tantùm dicitur quis tentare dum id facit vt ipse sciat, sed etiam quando aliorum causâ : quo modo Deus dicitur tentasse Abraham, Iob, Tobiam, & alios sanctos, vt mundo illorum virtutem manifestam faceret, & in exemplum proponeret. Aliquando *tentare* idem est quod ad malum incitare: inde enim capitur experimentum virtutis vel vitiositatis hominis : quomodo diabolus & concupiscentia dicitur hominem tentare, & Deus dicitur *intentator malorum, ἀπείρας & κακῶν, & nemi-*

2 *Tentatio Dei.*

nem tentare, Iacobi 1. In proposito, *Tentatio Dei* est quando quis absque iusta causa aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum diuinæ potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, misericordiæ, voluntatis, aut alterius attributi. Colligitur ex D. Thoma art. 1. & sequenti.

Dico, *absque iusta causa.* quia si iustam causam habeat, non erit tentatio; vt si fiat ex diuino instinctu, vel habeat quis donum miraculorum, aut sanitatum ; vel si honor Dei & Religionis defensio postulet opus ad quod tale experimentum sit necessarium. Voco autem *experimentum* diuinæ potentiæ, &c. omne extraordinarium opus vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem præstitum, quo eius potentia, sapientia, iustitia quasi experiendo cognoscitur. Debet autem hoc à Deo peti vel expectari : alioquin non dicetur fieri ad capiendum experimentum. vnde non erit tentatio Dei; vt si quis se coniiciat in ignem, vt se interficiat, non expectans vt à Deo conseruetur illæsus. Hic enim non committit hoc peccatum, sed solùm sui homicidium. Consistit itaque huius vitij deformitas in illa irreuerentia, quæ Deo fit, cùm absque iusta causa opus aliquod vel auxilium extraordinarium ab eo petitur vel expectatur. Vult enim Deus ordinem naturalem seruari, & causas naturales iam institutas adhiberi, quantum fieri potest, neque absque necessitate statuit hunc ordinem prætermittere, nisi cùm ipsi ob causas occultas aliter visum fuerit. Itaque cùm nulla est necessitas, & nullum nobis suppetit indicium istius voluntatis, irreuerenter agimus, extraordinariam opem ab eo petendo, vel expectando. Nimia est illa familiaritas, & veluti cum socio, non considerans illius maiestatem & nostram indignitatem, neque sese intra suum modum continens, & veluti dedignans modis ordinariis vti. Sicut enim reuerentia Dei in eo sita est, quòd considerata illius maiestate, & nostra vilitate, non audemus nos liberè & soluto curis animo rebus diuinis ingerere, diuina scrutari, cum Deo agere, ab eo quidlibet petere; sed semper metuimus & circumspicimus, ne liberiùs, solutiùs, audaciùs quàm conueniat nostræ humilitati & illius celsitudini, cum eo agamus : ita irreuerentia nascitur ex defectu illius considerationis, & consistit in quadam audacia & libertate tractandi diuina, vel agendi cum Deo, & quidlibet ab eo petendi, nulla habita ratione illius maiestatis, & propriæ vilitatis. Vnde patet, hoc vitium esse contra reuerentiam diuinam, quatenus illi reuerentiæ aduersatur petitio auxilij extraordinarij absque necessitate.

Malitia huius vitij in quo sita.

Reuerentia Dei.

3 *Fit dupliciter : expresè, implicitè.*

Potest autem hæc tentatio fieri dupliciter, Primò expresè, quando directa intentione talis experimenti capiendi aliquid agitur; vt si petas miraculum, vt tu vel alius sciat Dei in aliquo negotio voluntatem; si salias in puteum, vt experiaris an Deus te sinet lædi, quomodo fecit quidam Monachus apud Cassianum Collat. 2. Abbatis Moysis c. 5. Si petas miraculum, vt scias vtrùm Deus possit face-

re. quæ tentatio eò grauior est, quòd coniunctam habeat infidelitatem, & ex ea procedat.

Secundò, interpretatiuè, quando non intendis tale experimentum sciendi causâ, facis tamen aliquid ob alium finem, quod ex se auxilium Dei extraordinarium requirit, illudque temerè à Deo expectas & expetis. vt si quis vellet abstinere cibo & potu tota Quadragesima, vt Christum imitetur, persuasus Deum vires præbiturum; nisi diuino instinctu id in animum inducat, vt Simeon Stylites. si alicui alteri periculo sine necessitate se committat, à quo sine extraordinaria ope Dei non possit eripi, eamque opem à Deo temerè expectet. Huc pertinent purgationes vulgares, quæ fieri solent ferro candenti, vel aqua feruente, in quibus expectabatur incolumitas ab ope diuina extraordinario modo præstanda. quæ reprobantur à Iure cap. Omnibus, & c. Consuluisti 2. q. 4. Item purgationes quæ duello, in quo expectabatur vt Deus tueretur partem innocentem. quod damnatur cap. Monomachiam, ibidem. & cap. 1. & 2. de Purgatione vulgari, & à Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reformatione.

4 *Quale peccatum.* Porrò hæc tentatio Dei, peccatum est; mortiferum quidem, Primò, Quandò prouenit ex crassa ignorātia, vel dubitatione earum rerum, quas homo scire debet; vt potentiæ, sapientiæ, misericordiæ, iustitiæ, prouidentiæ, aut alicuius articuli fidei. Secundò, Quando cōiunctum est cum aperto vitæ periculo, aut grauis læsionis; vt si te ex turri des præcipitem, putans Deum te excepturum, quod prohibitum est Deut. 6. vt constat ex cap. 4. Matth. Item si in graui morbo remedia naturalia spernas, temeraria persuasione expectans à Deo sanitatem supernaturali modo. Est autem in huiusmodi peccatis duplex malitia; nimirum propria huius vitij, quæ in eo sita est, quòd homo non satis reuerenter agat cum Deo, petendo vel expectando ab illo sine iusta causa opem extraordinariam, vt dictum est. quia irreuerentia sæpè non est mortifera, sed venialis tantùm, & malitia alicuius alterius vitij, v.g. infidelitatis, vel læsionis aut occisionis sui, &c. pro ratione materiæ in qua versatur opus, aut finis qui intenditur, vel alterius circumstantiæ.

Nec obstat quòd Deus olim videatur sæpè purgationibus vulgaribus periculosissimis miraculo fauisse; vt ex multis Historiis constat, quas commemorat noster Delrius lib. 4. de Magia c. 4. quia id factum vel ob simplicitatem illius sæculi, cùm multi etiam Episcopi putarent in quibusdā euentis esse licitas; vnde etiam erant satis vsitatæ: vel quia innocentes suspecti ad eas cogebantur. interdum quoque euentus non respondebat.

Tertiò, Quando est periculū scandali; vt si quis publicè absque necessitate offerat experimentum miraculosum ad confirmationem fidei; nisi fortè sentiret se dono miraculorum præditum, vel peculiari instinctu Dei se ad hoc impelli.

Quartò, Si ex curiositate, vt videat res mirabiles, petat miracula: est enim magna in Deum irreuerentia; quia agit cum illo tamquam cum ludione, & fautore curiosorum. Veniale autem erit vel ratione ignorantiæ non crassæ, aut inconsiderationis, vel ratione exiguitatis materiæ aut periculi. Vide Toletum lib. 4. c. 16. & Caietanum in Summa v. Tentatio.

5 Si iusta causa suppetit, non erit peccatum, nec propriè tentatio Dei. Iusta causa est Primò, Diuina inspiratio. Sic Abraham Genesis 15. petiit à Deo signum, vnde sciret semen suum possessurum terram Chanaan, quam ei Dominus promittebat: & Gedeon, Iudicum 6. petiit bis signum in area & vellere, vnde cognosceret an reuerà Deus per ipsum vellet populum liberare, sicut Angelus dixerat. eódem pertinet illud Isaiæ 7. vbi Dominus videtur præcipere Achaz vt signum petat: *Pete*, inquit, *tibi signum*, (scilicet futuræ liberationis) *à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Quamuis dici possit, Dominum non præcepisse, sed obtulisse. peccauit autem Achaz recusando petere, quia ex infidelitate noluit. Secundò, Necessitas; vt si infidelis, cui alia ratio cognoscendæ veritatis non occurrit, bona mente petat miraculum, vt sciat vtrùm hęc doctrina sit à Deo. Sic Epiphanius hæresi 30. narrat Christum apparuisse cuidam Iudæo, & præcepisse vt peteret miraculum; & sic crederet.

Si iusta causa sit, non est propriè tentatio Dei.

Dvbitatio II.

Quid sit sacrilegium.

Diuus Thomas quæstione 99.

6 *Sacrilegium vnde dicatur.* *Sacrilegium* dicitur à *sacris legendis*, id est surfurandis: Græcè ἱεροσυλία, quod idem valet, ac συλεῖν τὰ ἱερά, quod est prædari vel violare sacra: vtrumque enim συλᾶν seu συλεῖν denotat. Accipitur interdum generatim, vt etiam cōtineat impios cultus: sic sacrificia idolorum vocantur ab Augustino & aliis Patribus sacrilega sacra; & pacta cum dæmonibus, sacrilega pacta. Propriè tamen accipitur *pro violatione rei sacræ*, siue pro iniuria & irreuerentia quæ fit Deo indigna tractatione rei sacræ. Multis enim modis Deo iniuria irrogari potest, blasphemia, idololatria, magia, variis superstitionibus, periurio, & indigna rerum sacrarum tractatione: sed ea sola quæ postremo modo fit, propriè *sacrilegium* dicitur. *Res sacra* vocatur, *Quid sit.* quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata est, siue sit persona aliqua, vt sacerdos; siue res alia, vt templum, altare, calix. Hæc dicitur *violari*, quando *Violatio.* indignè seu contra reuerentiam Deo in rebus ipsi dicatis debitam tractatur. Hinc patet, *sacrilegium* distingui à *periurio* & *tentatione*, quòd his ipsi Deo immediatè & in se iniuria irrogetur: *sacrilegio* verò in rebus ipsi dicatis. A *simonia* verò iuxta 7 *Discrimen eius à cęteris.* Caietanum distinguitur, sicut furtum vel rapina ab emptione rei alienæ à latrone. sicut enim furtum & rapina sonant commutationem inuoluntariam, emptio à latrone voluntariam; ita sacrilegium dicit circa rem sacram commutationem inuoluntariam: agitur enim inter Deum & hominem, & res Deo sacra contra ipsius voluntatem malè ab homine tractatur. simonia verò agitur inter duos homines, & fit consentiente parte.

Sed hoc discrimen benè probat in simonia aliquid amplius includi, quàm in ratione sacrilegij; 8 *Simonia videtur species sacrilegij.* tamen non conuincit in illa non contineri malitiam sacrilegij: nam qui vendit rem sacram, indignè eam tractat, & violat eius sanctitatem contra voluntatem Dei, qui est illius Dominus; ac proinde sacrilegium committit. Confirmatur, quia huius-

huiusmodi contractus est contra reuerentiam Deo in rebus sacris debitam, nec minùs cedit in ipsius iniuriam & contemptum, quàm violatio loci sacri.

Nec refert quòd id fiat consentiente parte; inde enim benè sequitur, non fieri parti iniuriam; non tamen tollit iniuriam quæ fit Deo, sed potiùs auget. quia etiam ipsa sanctitatem rerum illarum emendo violat, & contra reuerentiam Deo in rebus illis debitam agit. Itaque simonia videtur species quædam sacrilegij: consistit enim in eo, quòd speciali modo, nempe emendo & vendendo, res sacra violetur. Confirmatur ex Gregorio cap. 1. Audiuimus 1. quæstione 3. *A sacrilegio hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione canjatur.* Vbi Glossa: *Dicitur hic quod sacrilegium & simoniam committunt qui Ecclesias vel Ecclesiastica beneficia per pecuniam acquirunt vel concedunt.*

DVBITATIO III.

Quomodo species sacrilegij sint distinguendæ.

Diuus Thomas art. 3.

9 *Vnde sacrilegiorum distinctio.*

REspondetur, Esse distinguendas secundùm diuersitatem rerum sacrarum, seu iuxta diuersam rationem sanctitatis, quæ in rebus sacris reperitur. Ita D. Thomas art. 3. tantò enim, ceteris paribus, sacrilegium est grauius, quantò maiorem sanctitatem obtinet res ea quæ violatur. Dico, *ceteris paribus*; quia non tantùm consideranda est rei sanctitas, sed etiam conditio operis, quo violatur, vtrùm multum an parum illi sanctitati repugnet. maius enim peccatum est confringere imagines Sanctorum, quàm indeuotè accedere ad Eucharistiam.

10 *Tria genera rerum sacrarum.* *Tres species sacrilegij.* *1. Species.*

Diuus Thomas ponit tria genera rerum sacrarum: tribuitur enim sanctitas *personis & locis, & aliis rebus ad cultum Dei ordinatis*; & hoc modo statuit tres species sacrilegij. Primam, Qua violatur persona. Secundam, Qua locus. Tertiam, Qua res aliæ. Ad primam speciem pertinet percussio Clerici, fornicatio Ordine sacro initiati, Religiosi, & Religiosæ, & cuiuslibet votum castitatis habentis. Idem tenet Caietanus de violatione cuiuslibet voti personalis: hoc ipso enim quo aliquod opus virtutis Deo voues, teipsum illi dedicas & consecras, vt ei cultum exhibeas. itaque si omittas, violas tuam personam vt sacra est, iuxta Caietanum.

11 *Præcipua malitia violationis voti in perfidia.*

Aduerte tamen, Præcipuam malitiam contra religionem in violatione votorum esse, non qua parte res Deo dicata indignè tractatur; (in qua indigna tractatione consistit sacrilegij ratio) sed qua parte non seruatur promissio Deo facta, & fides irrita redditur, vt Apostolus loquitur. Votum enim est promissio Deo facta, qua non tam sanctificatur aut sacra efficitur persona vouens, quàm res quæ vouetur: atqui violatio promissionis per se non est sacrilegium, sed perfidia. Itaque perfidia in Deum est præcipua in huiusmodi peccatis: quæ potest accidere, etiamsi aliàs propriè nulla res sacra malè tractetur; vt fit quando per nudam omissionem rei votæ peccatur. Vnde peccatum contra votum, propriè & per se est perfidia in Deum, sicut peccatum contra iuramentum est periurium.

Est tamen etiam in omni violatione voti aliquo modo ratio sacrilegij, clariùs aut obscuriùs, perfectiùs vel minùs perfectè. Qui enim vouet castitatem, corpus suum Deo consecrat, vt immune & purum maneat ab omni contaminatione libidinis: ex qua consecratione & dedicatione peculiarem sanctitatem contrahit; contra quam si agatur, erit propriè sacrilegium. hinc virgines Deo dicatæ dicuntur sponsæ Christi. In votis autem, quibus alios virtutum actus, vt paupertatē, obedientiam, orationem, peregrinationem, ieiunium vouemus, non tam apertè cernitur hæc sanctificatio personæ. nihilominùs quia persona aliquo modo se dedicat cultui diuino, obligando se per votum ad cultum Deo tali opere exhibendum, videtur & ipsa quodammodò sacra fieri; & ita potest ibi sacrilegium aliquo modo locum habere, dum voluntariè contra illam sanctitatem agitur, vel omittitur id quod ipsa postulabat: quamuis, vt verum fatear, parum propriè id sacrilegium dicatur. Aduerte tamen, in huiusmodi perfidiam & sacrilegium non esse duo peccata, sed vnum tantùm; quia alterum ex altero necessariò sequitur, soloq; respectu distinguuntur. In votis realibus res, quæ vouetur, sanctificari censetur. Vnde si hæc posteà ad profanum vsum applicetur, sacrilegium erit: nisi fortè illius fiat iusta redemptio. hoc tamen potiùs ad tertiam speciem pertinet.

12 Ad primam quoque sacrilegij speciem pertinet pertractio personarum Ecclesiasticarum ad tribunal sæculare, exactio vectigalium ab iisdem per Principes sæculares, contra Canones; quia Ecclesia in reuerentiam status sacri voluit illas ab his esse immunes, & hac immunitate seruanda Deum in illis per sæculares honorari: quod meritò facere potuit, vt ostensum est suprà cap. 33. dub. 3.

13 *2. Species.* Ad secundam speciem pertinent omnia, quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri. Primò, Effractio vel incendium loci sacri, euersio altaris. Secundò, Effusio iniuriosa sanguinis, effusio seminis, excommunicati vel infidelis sepultura, extractio violenta personæ, quæ asyli causa eò se contulit: quod intellige, nisi sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel commiserit enorme maleficium in loco sacro fiducia asyli, de quibus vide Siluestrum, Immunitas 3. q. 2. Ratio est, quia Ecclesia in reuerentiam loci sacri & cultus diuini voluit loca sacra ab his esse libera, & huiusmodi priuilegio illa honorari. Tertiò, Huc etiam referri possunt mercatus, deambulationes, clamores, & alia huiusmodi profana, quæ per se cultum diuinum impediunt, cap. Decet. 2. de immunitate Eccles. in 6. quanis in his posterioribus non semper sit peccatum mortale, maximè si scandalum absit, & non sit grauis excessus, nec cultus diuinus impediatur. Quartò, Furtum in loco sacro, & quidem si asyli & securitatis causâ res ibi sit deposita, vt reuerentiâ loci tuta sit, circumstantia loci sacri addit furto malitiam sacrilegij mortiferam: quia sanctitas loci sacri violatur & cōtemnitur. acceperat enim locus sacer, vel potiùs Deus, quatenus loco sacro præsidet, rem illam in suam veluti fidem & custodiam. Si autem eam ob causam ibi deposita non sit, probabile est rationem

14 *Furtum in loco sacro.*

sacrilegij mortiferam non esse; quia res illa custodiæ loci sacri non erat concredita, sed per accidens ibi posita. Quare non censetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari quàm per confabulationes, risus, detractiones, contractus sæculares, & similia; in quibus tamen, si scandalum absit, & cultus diuinus non impediatur, non videtur malitia sacrilegij mortifera: non enim habent ista peculiarem repugnantiam cum loci sanctitate, sed solùm generalem, sicut omnia peccata externa; nec Ecclesia peculiariter statuit horum abstinentiâ locum sacrum honorari; sicut constituit ibi non fieri actum matrimonij, effusionem sanguinis, homicidium, &c.

15 *3. Species. Variis modis res dicuntur sacræ.*

Ad tertiam pertinent ea peccata, quibus aliæ res sacræ temerantur. Dicuntur autem aliæ *res sacræ*, vel quia sanctitatem efficiunt, vt Sacramenta: vel quia rebus sacris administrandis sunt instrumenta, vt vasa sacra, vestes sacræ, ornamenta: vel quia sacra significant, vt verba sacra: vel quia ea repræsentant, vt imagines Christi & Sanctorum: vel quia sunt particulæ aut res sacrorum, vt reliquiæ: vel quia sunt mensura actionum sacrarum, vt dies Dominici & festi: vel denique quia ad sustentationem sacrorum sunt dedicata, vt bona Ecclesiarum. Hæc omnia continentur nomine *rei sacræ*, vt distinguitur à persona, iuxta D. Thomam.

16 *Violatio Sacramentorum.*

Inter hæc primum locum tenent Sacramenta. Itaque ad hanc speciem sacrilegij Primò referenda est omnis iniuria, omnisque abusio Sacramentorum: item perceptio & administratio eorumdem in statu peccati mortiferi. & quia inter Sacramenta supremum locum tenet Eucharistiæ; quæ non solùm sanctitatem efficit, sed etiam ipsum fontem sanctitatis realiter continet; violatio huius est grauissimum sacrilegium, vt rectè diuus Thomas dixit. quod intellige de sacrilegiis quæ committuntur in res sacras, non autem quæ in personas: nam grauius est sacrilegium, quod committitur in ipsam Christi humanitatem in sua specie se exhibentem, quale erat Iudæorum, Christum malè tractantium & occidentium. Nec obstat quòd in Eucharistia sit etiam persona Christi, eiusque sanctissima humanitas viua & intelligens; quia non exhibet se in modum naturæ intelligentis, sed rei inanimæ. Vnde D. Thomas Eucharistiam refert inter res sacras, non inter personas sanctitatem habentes.

Sanctiff. Eucharistiæ Sacramentum.

Secundò, Abusio & violatio vasorum sacrorum; vt si quis vtatur calice consecrato ad potandum, sicut Baltassar vasis templi: si ex vestibus sacris conficiat sibi caligas vel thoraces, sicut multi fecerunt hæretici; si res huiusmodi surripiat.

17 *Abusio S. Scripturæ. Hæretici sacrilegi.*

Tertiò, Abusio sententiarum S. Scripturæ ad superstitiones, ad facetias, ad amatoria, &c. Item ad stabiliendas hæreses, vt docet D. Thomas ar. 2. vnde omnes hæretici hac ratione sunt sacrilegi; iniuriam enim faciunt verbo Dei, eo abutentes ad stabilienda pernicioſa mendacia: qua in re etiam ipsum Deum auctorem mendacij faciunt, & sic tacitè etiam blasphemiam committunt. Item irreuerentia omnis, quæ committitur in recitando vel cantando Officio diuino, sacrisque cærimoniis obeundis: hæc enim omnia reuerenter & decorè, tamquam res quæ ratione significationis & institutionis suæ sacræ sint, peragi debent. Eódem pertinet musica lasciua vel profana rebus diuinis adhibita: qua in re multis locis peccatur, & meritò à Summo Pontifice & Prælatis Ecclesiæ remedium adhiberi deberet. *Musica profana.*

Quartò, Mala tractatio vel confractio imaginum sacrarum, si id fiat vt Sancti per eas non colantur, vel ex contemptu illorum, sicut fit ab hæreticis. si indecorè pingantur, vel sculpantur; vt cùm D. Virgo instar feminæ mundanæ exprimitur. in his etiam tacita blasphemia continetur.

Quintò, Si reliquiæ Sanctorum indecorè habeantur, si dissipentur, eo animo ne colantur.

Aduerte tamen, si hæc indigna tractatio reliquiarum & imaginum spectetur vt est iniuria in ipsos Sanctos, sic non esse sacrilegium, sed peccatum contra obseruantiam & reuerentiam Sanctis debitam ob eminentiam sui status, & opponitur duliæ. Sed habet rationē sacrilegij quatenus hoc ipsum redundat in iniuriam Dei, cuius sunt ministri, & filij cum ipso regnantes, & ipsius gloriæ consortes. Sicut enim ad honorem Dei pertinet, vt ipsius filij, quos ipse tantopere euexit, & tam sublimes fecit, ipsius intuitu honorentur; ita & multò magis illorum dedecoratio in ipsum refunditur. Sic domestici regis & familiares honorantur maximè ob respectum & coniunctionem quam habent cum rege, & contumelia ipsis temerè facta videtur ad regem pertinere.

Sextò, Si dies sacri operibus seruilibus vel aliis prohibitis violentur. Omissio Sacri non tam videtur esse sacrilegium quàm cultus debiti neglectus. sacrilegium enim sonat indignam rei sacræ tractationem: vnde dicit aliquem positiuum actum circa rem sacram. Itaque in operibus seruilibus potiùs cernitur ratio sacrilegij, quia per ea sanctitas diei (quæ consistit in eo, quòd dies ille deputatus sit cultui diuino, per auditionem Sacri & abstinentiam operum seruilium, præstando) violatur & quasi contaminatur: quamuis & hic satis imperfectè ratio sacrilegij reperiri videatur. Confirmatur, quia sacrilegium est contra præceptum negatiuum, *Non violabis sacra*; omissio Sacri contra affirmatiuum. Itaque est contra virtutem religionis, tamquam priuatio actus debiti religionis. 18 *Omissio Sacri.* *Sanctitas diei festi.*

Septimò, Inuasio bonorum vel Iurium Ecclesiasticorum, retentio Ecclesiæ legatorum, &c. hæc enim sæpè in Iure sacrilegia vocantur; vt patet multis Canonibus, 17. quæst. 4. etsi enim hæc bona nullam in se sanctitatem habeant, tamen Iure naturæ & Canonico ob reuerentiam, quæ cultui diuino debetur, debent esse ab occupatione sæcularium immunia.

Circa prædicta aduerte, non omnia sacrilegia, quæ ad hunc tertium modum pertinent, esse eiusdem speciei propriè loquendo, sicut nec omnia, quæ ad primum, vel secundum. sicut enim longè aliter Sacramenta sunt sacra, quàm vestes sacræ, vel verba sacra, vel reliquiæ Sanctorum; ita quoque indigna horum tractatio diuersæ rationis malitiam continet. Dicuntur tamen eiusdem speciei, nimirum generalis & subalternæ, quæ alias sub se species peculiares continet. 19

DVBITATIO IV.

Quando sacrilegium censendum sit esse peccatum mortiferum, quando veniale.

20 *Quale peccatum.*

REspondeo, Mortiferum esse, Primò, Quando procedit ex contemptu rei sacræ; vel cultus ad quem refertur: talia sunt sacrilegia hæreticorum, cùm vasa sacra, Sacramenta, altaria, templa, imagines Sanctorum, reliquias & similia violant, profanant, proterunt, vastant: cùm Sacerdotes, Religiosos, vel alios viros Ecclesiasticos, quia tales sunt, malè tractat, contumeliis afficiunt, &c. tunc enim ipsum sacrilegium, seu violatio sanctitatis rei directè est intenta. Secundò, Quando fit aliquid voluntariè in materia graui, quod peculiarem repugnantiam habet cum rei sanctitate; vt si habens votum castitatis fornicetur, si actus matrimonij fiat in loco sacro, etsi occultè, extra casum necessitatis, &c. si longum opus seruile die festo.

Secùs si materia sit parua; vt si opus sit breue, vel si non habeat repugnantiam peculiarem cum sanctitate rei, sed solùm generalem. quo modo omnia peccata repugnant sanctitati loci & temporis, & personæ; vt si quis loco sacro, vel die sacro detrahat proximo, se inebriet, malum alteri imprecetur, contractum iniquum faciat, &c. tunc enim malitia sacrilegij per se non est nisi venialis, etiamsi peccatum, cui coniungitur, per se mortiferum sit. Tertiò, Quando ex ignorantia vel negligentia crassa fit aliqua notabilis iniuria rei sacræ; vt si quis malè baptizet, consecret, absoluat; si in irregularitate vel censura ordinetur vel ordinet; si in peccato mortali vel excommunicatione Sacramentum administret, vel accipiat, & alia huiusmodi. Si autem ignorantia vel inaduertentia, ex qua procedit opus, sit leuis, erit solùm veniale: si inculpata, nullum.

21 *Pœnæ sacrilegorum.*

De pœnis sacrilegorum vide multa 17.q.4.

Solùm Notandum est hoc loco, non omnes sacrilegos incurrere pœnâ excommunicationis latæ sententiæ ipso facto, sed quosdam tantùm. Primò, Percussores Clericorum; cap.27. Si quis suadente.17.q.4. Secundò, Incendiarios, qui Ecclesias vel alia loca sacra incendunt & vastant; cap. Tua nos.19.de sententia excommunicationis; estque communis sententia Canonistarum. Verùm iste Canon hoc non efficaciter probat, vt ostendit Caietanus v.Excommunicatio, cap.22.& Nauarrus cap.27.n.94. solùm enim dicitur, *etiam incendiarios, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam mittendos:* vnde Glossa dicit primùm excõmunicandos per Episcopum, iuxta hunc Canonem, & tunc publicandos. nullus autem alius Canon est, per quem ipso facto excommunicentur, vt docent Caietanus & Nauar. suprà. Itaque nisi consuetudine à Prælatis approbata (quæ ex communi sententia Doctorum orta esse potuit) excommunicati sint, videri possint non esse ipso facto excommunicati. Suares noster & quidam alij dicunt, illos esse excommunicatos per cap. Conquesti.22. de sentent.excomm. vbi excommunicantur qui effringunt & spoliant Ecclesias: qui enim incendunt, possunt dici illas effringere, cùm omnino destruant; & spoliare, quia hoc nomine quæuis damnificatio rebus Ecclesiæ illata continetur; vt si quis frangat, vel laceret, vel comburat imagines, vestes sacras, &c. non minùs spoliat, quàm qui hæc secum asportat. Hæc sententia mihi probatur; cùm enim hic Canon editus sit in Ecclesiæ fauorem, verba amplè sunt interpretanda, quantum orationis proprietas patitur.

22

Tertiò, Qui effringunt & simul spoliant Ecclesiam vel alium locum pium; d.cap. Conquesti.22. de sententia excommunicationis. Vbi nota, alterum non sufficere, sed vtrumque debere coniungi, effractionem & spoliationem; vt Caietanus cap.21. v.Excommunicatio, & Nauar.num.94. docent.

Quartò, Qui gabellas, collectas, & similia imponunt Clericis, vel imposita exigunt, vel exigi curant absque Summi Pontificis concessu. de quo & aliis quibusdam contra libertatem Ecclesiasticam, vide Bullam Cœnæ Domini. vide etiam Concilium Trident. sess.22. cap.11. de inuasoribus bonorum & Iurium Ecclesiasticorum, & locorum piorum.

DVBITATIO V.

Quid sit blasphemia, quotuplex, & quàm graue peccatum?

23

BLasphemia generatim significat omne conuitium & maledictum in aliquem, præsertim alicuius dignitatis & excellentiæ, vt ex Auctoribus profanis constat, & ex Apostolo 1.ad Corinth.4. *Blasphemamur & obsecramus.* & ad Titum 3. *Admone illos neminem blasphemare:* hoc est maledicere, conuitiari, vt Hieronymus ibidem docet. Tamen ex vsu Patrum & Theologorũ ordinariè accipitur pro contumelia in Deum, qui est summiæ excellentiæ & dignitatis: nimirum cùm aliquid dicitur, quo eius honori derogatur. Vnde D. Augustinus lib. de Moribus Manichæorum cap.11. *Est autem blasphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque tam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere. De hominibus namq; dubitari potest: Deus verò sine cõtrouersia bonus est.* Quod igitur in homines est contumelia, hoc in Deum est blasphemia. Nauar.cap.12.num.81. sic definit: *Blasphemare est tacitè vel expressè verbo vel scripto contra Deum vel Sanctos eius aliquid contumeliosum dicere.* Sed qua parte tendit in Sanctos, non tam videtur esse blasphemia, quæ Deum impetit, & religioni opponitur; quàm peccatum contra honorem Sanctorum, oppositum duliæ. Verum tamen est quod Nauarrus dicit. Nam contumelia Sanctorum in Deum redundat; & hac ratione habet rationem blasphemiæ, non autẽ quatenus sistit & terminatur in Sanctos. Formaliter itaque definiri potest: *Blasphemia est iniuriosa in Deum locutio;* siue: *Est locutio in Deum contumeliosa;* siue: *Est contumelia in Deum verbo irrogata.* 24 *Contumelia.* *Cotumelia* generatim dicitur omnis inhonoratio, seu omne signum vel factum, quo honori alterius derogatur. Directè enim opponitur honori. Nam etsi potissimùm fiat verbis, quæ significandi principatum obtinent; sæpè tamen fit aliis signis, vt ex vsu probatorum Auctorum constat; & docet D.Thomas q.72.art.1. Alia enim est contumelia ver-

Quid sit.

verborum,alia factorum;vt si quis alteri in faciem spuat,si alapa feriat,&c. Sed ea tantùm contumelia in Deum est *blasphemia*,quæ verbis agitur:sicut non omnis honoratio Dei est laus, sed ea sola quæ verbis fit. Blasphemia autem directè opponitur laudi diuinæ. Itaque sicut *laus* est honor qui Deo verbis & sermone defertur, cùm excellentia eius prædicatur: ita *blasphemia* est contumelia quæ sermone infertur, cùm indignè de Deo quis loquitur. Potest autem iste sermo vel esse interior,& sic erit blasphemia cordis; vel exterior, & erit blasphemia oris. Potest etiam fieri instrumento Musico, vel scriptura. Omnibus enim his modis vsitatum est inter homines loqui.

Contumeliæ quæ aliis signis fiunt, v.g.quas Iudæi Domino nostro inferebant conspuendo, velando, alapis cædendo, inter latrones crucifigendo,& similes, non erant propriè blasphemiæ,quia non erant iniuriæ verborum, sed factorum;neque consistebant in malè loquendo, sed in malè & iniuriosè ipsius personam tractando; quamuis simul plurimas verborum iniurias seu blasphemias his adiunxerint, erantque non tam sacrilegia quæ versantur immediatè non circa ipsum Deum, sed circa res ipsi dicatas & consecratas; quàm infandæ contumeliæ in ipsam personam diuinam ob suam atrocitatem proprio nomine carentes & ineloquibiles.

25 *Est contra Religionem.*

Ex his patet, blasphemiam propriè & formaliter esse contra religionem,cùm sit cõtumelia quædam verbalis in Deum,& eius turpitudo sita sit in eo quòd verbis honori diuino detrahatur.

Non obstat quòd D. Thomas 2.2. q.13. art.1. velit blasphemiam opponi confessioni fidei; quia id verum est de ea quæ ex animo infideli procedit, vt cùm hæreticus (quia sic sentit) dicit Filium esse minorem Patre; Deum esse auctorem malorum. Hæc enim blasphemia est confessio infidelitatis, ac proinde opponitur contrariè confessioni fidei; sicut infidelitas fidei.Ea verò quæ non procedit ex animo infideli,sed ex ira,præsertim si imprecando vel optando fiat,non opponitur propriè confessioni fidei.Non enim opponitur priuatiuè, sicut omissio confessionis fidei vrgente obligatione, vt per se constat: neque etiã contrariè, quia non censetur confessio infidelitatis,aut doctrinæ fidei denegatio, sed solùm contumelia quædam, & læsio honoris diuini. Cõfirmatur,quia talis nihil enuntiat quod sit contra doctrinam fidei,sed solùm optat & imprecatur, non quia putat id fieri posse, aut esse conueniens, sed vt se de Deo quodammodò vindicet.Simili modo qui odit Deum,optat illum non esse, aut non esse omnipotentem; non tamen agit contra fidem, aut eius professionem : quia non iudicat nec significat id ita esse, aut esse possibile, aut conueniens in se; quamuis iudicet esse conueniens suo affectui.

26 *Est distincta malitia.*

Addo, etsi pleræque blasphemiæ etiam aliquid contra fidem enuntient aut insinuent; hæc tamen deformitas formaliter est distincta ab ea quæ cõstituit rationẽ blasphemiæ. Alia enim malitia est, nolle credere, vel repugnare doctrinæ fidei; alia, repugnare honori diuino. Nam illud est cõmune multis aliis quæ non sunt contra honorem diuinum,nec vllam blasphemiam continent; v.g. negare purgatorium, indulgentias, Sacramentum matrimonij, & similia,est contra fidei confessionem,non tamen est blasphemia.Non enim omnes hæreses sunt blasphemiæ.Itaque ratio blasphemię consistit in eo, quòd dicatur aliquid repugnãs non fidei cõfessioni,sed honori diuino. quamuis semper aliquo modo implicitè vel explicitè illud sit coniunctum. Idem confirmatur ex eo quòd blasphemo in confessione non sufficiat si dicat, Feci contra fidei confessionem, vel dixi hæresim; sed oportet dicere,Blasphemaui:& tamen omnia peccata quatenus præcisè repugnant confessioni fidei,sunt eiusdem speciei; sicut omnes hæreses,vt sunt contra fidem,sunt eiusdem speciei.

Blasphemia tripliciter diuidi potest. Primò, ex parte actus, qui vel est interior vel exterior; & sic alia est *blasphemia cordis*,alia *oris*. Quidam addunt *blasphemiam operis*,cùm ipso opere falsum de Deo significatur; v.g.per idololatria, vel aliis in Deum factorum contumeliis : sed hæc propriè non est blasphemia,vt dictum est:quia blasphemia est iniuria verborum,non factorum. Secundò,ex parte modi; & sic alia est *enuntiatiua*, alia *imprecatiua*, alia(vt sic dicam) *dehonestatiua*. 27 *Diuisio.*

Enuntiatiua fit affirmando vel negando, idque tripliciter. Primò, cùm Deo aliquid tribuitur, quod eius excellentiæ non congruit; vt si dicatur auctor malorũ,crudelis,iniustus : si probroso nomine compelletur. Secundò,cùm negatur id quod ipsi competit;vt cùm negatur trinitas personarum, vel generatio Filij, vel æqualitas Filij cum Patre, vel processio Spiritus sancti ex Filio.Eodem pertinet cùm dicitur,Renego Deum:quamuis quidam putent id dici per modum iuramenti; vt sensus sit, Nisi ita sit,nego Deum.Sed reuerà est blasphemia saltem conditionalis. Non enim adducitur Deus in testem,sed negatur existere,nisi quod dicitur sit verum.qua in re est maxima iniuria, quòd ex tam vili causa homo tam indignè de Deo loquatur,& paratus sit illi tantam contumeliam absolutè irrogare. Tertiò,cùm id quod proprium est Dei,tribuitur creaturæ, vt cùm Pharisæi dicebant : *In Beelzebub principe dæmoniorũ eicit dæmonia.* quibus in verbis duplex erat blasphemia. Nam diabolo tribuebant id quod manifestè diuina fiebat virtute:& Christo,qui erat Deus, tribuebãt commercium cum diabolo. Similiter cùm idolo vel creaturæ dicitur : Tu es Deus meus,tu me ab hostibus meis liberasti.Sic cùm Israëlitæ dicebãt de vitulo conflatili : *Isti sunt dij tui Israel,qui te eduxerunt de terra Ægypti*; Exodi 32. Hi tamen tres modi non distinguuntur specie, sed sunt vnius rationis,vt docet D.Tho.q.13.a.1.ad 3. Nam attribuere Deo quod ei non conuenit, & remouere ab eo quod ei conuenit, non differunt nisi secundùm affirmationem & negationẽ; quæ non variant rationem iniuriæ vel contumelię,sicut nec rationem notitiæ vel erroris. Ea autem quæ Deo sunt propria tribuere creaturæ, nihil videtur aliud, quàm tribuere Deo quod ipsi non cõuenit, & significare ipsum non distingui à re creata,vt ibidem docet.

Imprecatiua blasphemia est, cùm quis optat siue imprecatur Deo malum. Talis est blasphemia damnatorum,& pessimorum hominum.

Dehonestatiua est, cùm quis membra Christi, vel Sanctorum, indecorè & inhonestè nominat. Vide Nauar.cap.12.num.85.& Caiet. in Summa v.Blasphemia.

Petes, Vtrùm sit blasphemia,cùm iuratur,vel ex ira dicitur, caput Dei, corpus Dei, sanguis, mors Dei : quibus loquendi modis milites lingua vulgari 28

gari sæpè solent vti. Respond. Si velint indicare, Deum ista habere secundùm diuinitatem, est vera blasphemia; quia tribuitur diuinitati, quod ei non congruit: si verò loquantur in genere; & velint significare illa in Deo esse, eo modo quo in Ecclesia audiuerũt illa Deo competere, non est blasphemia; quia post incarnationem Domini illa verè Deo conueniunt. ita Caietan. & Nauarrus suprà. Sunt tamen pessimi modi, & valdè ad blasphemiam vergentes. quia illæ locutiones potiùs indicant ista per se conuenire diuinitati, & proferuntur modo satis indecoro.

29 Tertio diuiditur ex parte termini: hoc modo alia est in Deum immediatè, alia immediatè in Sanctos, vel in creaturam, vt ad Deum pertinet, mediatè verò in Deum. Prior iam satis explicata est. Altera quæ in Sanctos, non habet rationem blasphemiæ propriè vt in ipsos terminatur; sed contumeliæ oppositæ honori Sanctorum, & obseruantiæ ipsis debitæ. quatenus tamen in Deum redundat, habet rationem blasphemiæ, vt dictum est suprà.

Blasphemia in Sanctos.

Dices, Cultus & laus Sanctorum non habet rationem latriæ, sed duliæ tantùm & obseruantiæ supernaturalis: ergo neque contumeliæ Sanctorum habent rationem blasphemiæ. Respond. negando consequentiam: quia minus requiritur ad rationem peccati quàm virtutis. Vt enim dicatur latria, requiritur vt directè intendatur honor Dei tamquam principale motiuum: vt autem sit iniuria Dei & contumelia, non requiritur vt ea sit directè intenta, sed sufficit vt ex opere quodammodò redundet, idque sit animaduersum. Sicut si quis diceret, aulicos Regis, quos ipse magni facit, & honorari vult, esse homines imprudentes, vel mendaces, vel parum dignos illo gradu, &c. iniuriam faceret Regi: quia significaret Regem vel ignorare istos illorum defectus, vel talibus hominibus delectari, &c. Pari modo, cùm quis maledicit creaturæ, non est blasphemia, si id fiat absque respectu ad Deum. Vnde non est peccatum mortale, si absit iniuria alterius: si verò id fiat in ordine ad Deum, quatenus est res Dei, sic est blasphemia in Deum. nam est ipsi Deo imprecari malum in suis bonis externis; vt cùm quis maledicit rebus sui inimici, ipsi malum imprecatur. Similiter si quis aliquid in creaturis calumnietur tamquam non benè factum, vel quasi meliùs & perfectiùs in sua specie fieri potuerint. Maledicere autem creaturæ quatenus nobis fuit occasio peccati, vel magnarum calamitatum, per se non est peccatum. sic Iob maledixit diei natiuitatis suæ; & Dauid montibus Gelboë. secùs si molestia sit parua. Hæc enim non est iusta causa maledicendi; quomodo aurigæ maledicũt interdum suis equis, & nautæ ventis. Verùm ordinariè non est nisi peccatum veniale, vt docet Caiet. 2.2.quæst.13.art.1. & Nauar.c.12.n.86.

Maledicere creaturæ.

30

31 Quod ad peccati huius grauitatẽ attinet, constat ex genere suo esse mortiferũ valdè graue. Est enim contumelia in Deum, & ipsum Deum directè impetit. Cùm enim aliter Deo nocere non possit homo, lingua sua veluti funda contumelias & verborum iacula in eum vibrat. Et quidem si sit directè volita, vt dum fit animo conuitiandi Deo, siue ex odio in Deum, siue ex furore iracundiæ, sic est grauissimum inter ea quæ religioni opponuntur; quia intenditur malum Dei: in ceteris autem hoc non intenditur. Vnde etiam est grauius idolatria, periurio, violatione voti, & sacrilegio. Hoc modo Glossa in cap.18. Isaiæ ex Hieronymo dicit: *Omne peccatum comparatum blasphemiæ, leuius est.* Imò ex hac parte videtur grauius infidelitate: quia per infidelitatem non intenditur malum Dei. Si autem non fiat animo conuitiandi Deo, sed ex ira in hominem vel impatientia, sic non est grauius idololatria, & quibusdam aliis: est tamen peccatum mortiferum valdè graue; quia grauiter lædit honorem diuinum: sicut qui proximo detrahit, vel contumeliam facit aduertens quid agat, grauiter peccat; etiamsi directè non intendat illum lædere, sed ex quadam loquacitate, vel nimia libertate id fiat. Fieri tamen potest vt sit veniale. Primò, Si ioco vel in modum apologi dicatur; vt subinde fit in quibusdam narratiunculis. Tunc enim non est vera blasphemia: quia non intendit aliquid significare, quod sit Deo indignum, etsi modis loquendi non satis idoneis vtatur. Secundò, Si non aduertat saltem perfectè quid dicat; siue id fiat ex passione aliqua & subita indignatione, siue ex praua consuetudine, lingua mentem præuertente, vt docet Nauar. numero 84. Hoc ipso enim quo deest animaduersio, deest nouum voluntarium, & noua libertas; ac proinde noua culpa letalis. Vnde si nullo modo aduertat, vacabit omni culpa etiam veniali. Cui tamen ex consuetudine id accidit, tenetur sub peccato mortali illam consuetudinem corrigere, & operam dare ne in huiusmodi actus etiam inculpatos prorumpat: quia sunt honori diuino iniuriosi. Vnde id omittendo censetur honorem Dei parui pendere, & parum curare quòd ipsi faciat contumeliam. Itaque etsi in confessione non teneatur illos actus explicare, cùm non sint voluntarij vt actus, sed vt effectus, & solùm confusè in illa omissione & negligentia; tamen tenetur explicare se habere talem consuetudinem, eamque neglexisse emendare. Idem dicendum de simili consuetudine in iurando.

Potest esse veniale.

Petes Primò, Vtrùm blasphemia possit esse venialis ex materiæ paruitate? Respond. Non posse, quia nulla in Deum contumelia potest esse parua, si cum plena animaduersione fiat. Sic neque periurium, neque idololatria venialis esse potest. 32

Petes Secundò, Vtrùm omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei? Caietan.q.13.art.1. affirmat. ait enim: *Aduerte, quòd quia species blasphemiæ non diuersificãtur per Deum & Sanctos, nec per tria illa in littera numerata, nec per enuntiationẽ & desiderium, nec per honorẽ, famam, & huiusmodi; in vna & eadem specie est blasphemia Dei & sanctorum, siue id fiat per modum maledictionis, siue cõtumeliæ, siue irrisionis, siue detractionis.* Et infrà: *Hinc habes confessor, quod varietas blasphemiarũ pro diuersitate specifica non est inquirẽda, sed pro maiori grauitate iudicanda.* Hæc sententia Caiet. est satis probabilis, si sola blasphemiæ malitia consideretur. Confirmatur; quia valdè probabile est, omnes contumelias seu apertas iniurias contra honorem alterius esse eiusdem speciei: similiter omnes detractiones siue iniurias occultas, quibus fama lædituꝛ, vt docet Emmanuel Sà in vltima editione Romana: ergo idem dicendum de contumeliis in Deum. Et quamuis detractio & contumelia in homines distinguantur, sicut furtum & rapina: quia contumeliâ lædituꝛ honor violentè, nimirum in præsentia

An eiusdem speciei.

tia hominis, vel vt ipse cognoscat & sentiat; detractione occultè, vt non sentiat: tamen in Deum hæc distinctio locum non habet. Nam omnia in eius præsentia fiunt. Vnde contumelia & detractio in Deum sunt eiusdem rationis, vt docet D. Thomas q.76.art.4.ad 1. & Caiet. hoc loco.

33 *Quomodo confitenda.* Addo tamen Primò, Si blasphemia procedat ex odio, vel desperatione, vel infidelitate, id esse necessariò in confessione explicandum: quia etiamsi ipsa malitia blasphemiæ per se sit eiusdem rationis, tamen accedit noua & distincta malitia ex motiuo à quo procedit, & cuius affectu imperatur. Vnde cùm malitia horum actuum sit planè distincta à malitia propria blasphemiæ, accedit blasphemiæ noua deformitas, quatenus ab illis procedit, & tamquam actus externus informatur. Secundò, aperiendum quoq; vtrùm procedat ex odio in Deum, vt fit in damnatis, & interdum in pessimis hominibus, an ex iracundiæ furore. Nam & hæc peccata sunt diuersæ rationis, & consequenter ipsi actui externo diuersam malitiam impertiunt. Tertiò, vtrùm fuerit directè volita, vt cùm fit animo faciendi contumeliam Deo; an indirectè solùm, vt cùm fit ex ira erga hominem, ad ostendendam animi indignationem, vel ex impatientia absque prauo motu in Deum. Etsi enim indirectè volitum censeatur absolutè voluntarium, & esse eiusdem speciei ac volitum directè; tamen id non habet locú, quando obiectum volitum est aliqua iniuria vel deformitas honestati virtutis contraria; vt patet cùm inobedientia vel ingratitudo est volita directè. Longè enim alterius rationis peccatum est, cùm facis aliquid directa intentione vt legem vel præceptum Superioris violes; aliud cùm solùm indirectè id velle censeris: vt dum alia intentione vis & facis opus, quod contra legem esse nosti. Idem patet in violatione voti, iuramenti, & aliarum virtutum. Quare idem dicendum cùm quis directa intentione blasphemat, Dei contumeliam intendens. Hæc enim est formalissima blasphemia. Ratio est, quia cùm aliquid directè est volitum, est peculiaris & positiuus affectus erga illud obiectum, qui ab illo speciem accipit: qui affectus non est in eo qui solùm indirectè & interpretatiuè illud vult. Vnde si illud obiectum sit aliqua malitia, affectus ille incomparabiliter peior est, quàm is quo solùm intenditur aliqua voluptas, vel aliud non per se malum. habet enim positiuam tendentiam in malum tamquam in suum proprium obiectum: cumque in illud tendat tamquam in finem, respicit illud sub ratione illimitata, & non solùm vt est in hoc vel illo actu. Itaque altiori modo est malitia in actu, cùm est directè volita, quàm cùm indirectè solùm. Sic incomparabiliter peius est violare legem odio legis, quàm affectu voluptatis vel commodi: & facere alicui iniuriam affectu ipsi nocendi, quàm tibi consulendi. Pari itaque modo multò peius est blasphemare Deum vt ipsi contumeliam irroges, quàm vt iram tuam in hominem declares. Vnde non dubium est, quin hoc in confessione tamquam peculiaris species, in qua ipsa malitia est directè volita, sit aperiendum. Quartò, si fuerit blasphemia in Sanctos, id etiam aperiendum: quia etsi fortè, qua parte redundat in Deum, est eiusdem rationis ac aliæ blasphemiæ; tamen additur noua malitia, quatenus ipsum Sanctum in se iniuria afficit. Verius tamen puto, blasphemiam in Sanctos etiam vt in Deum redundat, esse diuersæ rationis; quia solùm mediatè circa Deum versatur, nisi fortè fiat expresè in ipsos quatenus habent respectum ad Deum.

Quando directè volitum efficiat distinctam speciem.

34 *Pœna blasphemiæ.* De pœnis in blasphemos vide Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 12. In veteri lege iussit Dominus lapidibus obrui, Leuit. 24. *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi, sive ille ciuis sive peregrinus fuerit.* Iure etiam ciuili morte plectendi: Auth. Vt non luxurientur. in fine. Sed hæc pœna his temporibus ob defectum religionis & iustitiæ non seruatur, vt ait Lucas de Penna in L. Omnes. C. de delatoribus. & Iulius Clarus §. Blasphemia, num. 3. atroces tamen quibusdam locis puniuntur morte; aliæ triremibus, exilio, linguæ abscissione vel per tusione, vt refert Clarus. Iure Canonico laicis blasphemantibus olim erat constituta solemnis pœnitentia, vt patet cap. 2. de maledicis. Sed hæc modò non est in vsu. Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 9. §. Ad abolendam. iubet vt non absoluantur in foro conscientiæ absque grauissima pœnitentia. Hic tamen prudentia opus, & conditio ac capacitas personarum consideranda. Fumus v. Blasphemia, in fine dicit, hoc non esse vsu probatum: vnde totum relinquitur prudentiæ Confessoris, sicut in aliis criminibus. Ibidem statuitur, vt qui blasphemantem audierit, eum acriter obiurgare teneatur, si citra periculum id fieri possit. Ad quod etiam tenemur, etiamsi non speretur emendatio, modò aliud malum non timeatur; v.g. ne ampliùs blasphemet. Ratio est, quia tenemur honorem diuinum tueri. hic tamen prudentia opus est. Sufficit plerumque rei grauitatem absque alia verborum asperitate ob oculos ponere. Nulla censura huic sceleri annexa, nec Iure communi absolutio reseruata Episcopo. Quibusdam tamen locis Episcopi sibi reseruant: sed hoc DD. intelligunt de blasphemia publica.

Pœnitentia.

Corripiendi.

Hactenus de Religione & vitiis ei aduersis.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

DE RELIQVIS VIRTVTIBVS IVSTITIÆ ANNEXIS, IN QVIBVS EST RATIO DEBITI LEGALIS, VEL MORALIS.

ILLAE *virtutes dicuntur esse annexæ Iustitiæ, eiusque veluti partes quædam, in quibus cernitur quidem aliquod debitum ad alterum; tamen illud vel est adeò magnum, vt illi non possit satisfieri ad æqualitatem; vel est ita paruum, vt non inducat obligationem legalem & strictam, sed solùm moralem, quæ ex quadam honestate virtutis procedit: estque talis, vt nisi illi satisfiat, honestas morum conseruari non possit, vel non commodè & decorè possit. vide D.Thomam qu.80. art. vnico. Prioris generis sunt, Primò,* Religio. *Secundò,* Pietas. *Tertiò,* Obseruantia. *Quartò,* Obedientia, *quæ est pars* obseruantiæ. *Posterioris, Primò,* Gratitudo. *Secundò,* Vindicatio. *Tertiò,* Veritas, *cui opponitur* mendacium *&* hypocrisis; iactantia *&* ironia. *Quartò,* Amicitia, *cui opponitur* adulatio *&* litigium. *Quintò,* Liberalitas, *cui opponitur* auaritia *&* profusio. *Sextò,* Ἐπιείκεια *seu* Æquitas. *De Religione iam dictum est, de ceteris nunc breuiter dicendum, vt singularum ratio constet. Fusior tractatio non est necessaria, quia pleræque difficultates aliis locis sparsim sunt tractatæ. Itaque hæc Sectio continebit duo capita. Prius erit de virtutibus prioris generis. Posterius de illis, quæ sunt generis posterioris.*

Quæ virtutes iustitiæ annexæ.

Duplex debitum.

CAPVT XLVI.

De reliquis virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est debitum legale.

Constat 6. Dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit pietas, & quæ eius officia.

D.Thomas quæst. 101.

1 *Pietas pro religione.*

NOTANDVM est, hoc nomen accipi tripliciter, vt colligitur ex D. Augustino lib.10.de Ciuit.c.1. Primò, vt sit idem quod Græcis Εὐσέβεια & Θεοσέβεια; & sic non distinguitur à *religione*, & idem est *esse pium*, quod esse *religiosum*, seu cultui diuino addictum. cumq; omni opere bono Deus dicatur coli, iuxta D. Augustinum & Scripturæ phrasim, omne opus bonum dicitur opus *pietatis*. Hoc modo accipitur passim in Scripturis, vt 1. ad Tim.4. *Exerce te ipsum ad pietatē. pietas (*Θεοσέβεια*) ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* vbi nomine *pietatis* videtur intelligere studium internę deuotionis, & sincerum affectum erga Deum & proximū: opponit enim illam corporali exercitationi, quæ consistit in multis ieiuniis, vigiliis, labore manuum, aliisque corporis affli-

afflictionibus, vt rectè exponit Anſelmus. Eodem modo ſæpiùs accipitur in eadem epiſtola ; & Iſaiæ 11. *Spiritus ſcientiæ & pietatis.* 2. Machabæorum 12. *Qui cum pietate dormierunt.* & alibi ſæpè. Hinc cultores Dei paſſim vocantur *pij* : idololatræ & peccatores, *impij* : quod nomen maximè in atheos competit, qui diuinitatem & omnem θεοσέβειαν tollunt.

2 *Pro miſericordia & benignitate.*

Secundò, Accipitur pro *miſericordia*, ſeu benigno affectu, præſertim erga filios opis noſtræ egentes. hoc modo *pietas* ſæpè tribuitur Deo ; vt quando dicitur *pius* Pater, *pius* Saluator; Eccleſiaſtici 2. *Quoniam pius & miſericors.* 2. Paralip. 30. *Pius enim & clemens eſt Dominus*, vbi Græcè eſt οἰκτίρμων, quod miſericordiam ſignificat.

3 *Quid pietas.*

Tertiò, Pro ſpeciali virtute, qua colimus parentes, tamquam vitę & educationis nobis ſecundùm Deum auctores. hoc modo accipitur hîc à diuo Thoma, & definitur à D. Auguſtino libro 83. qq. q. 3. ex Cicerone hoc modo : *Pietas eſt per quam ſanguine iunctis patriæque beneuolis, officium & diligens tribuitur cultus.*

Vbi notandum eſt, *pietatem* Primo & principaliter reſpicere Parentes, quia hi poſt Deum ſunt præcipui auctores ortus & educationis. Secundò, Patriam, quia etiam patria aliquo modo eſt principium ortus ; tum quia parentes fouet, tum quia opportuna ad ortum & educationem ſuggerit. *patriam* voco oppidum, vicum, Prouinciam cum habitatoribus ſuis. Tertiò, Alios conſanguineos; non quòd illi ſint ortus principium, ſed quia in illis quodammodò repræſentantur nobis parentes, qui mediatè vel immediatè nobis ſunt ortus principium. ob eamdem rationem poteſt etiam extendi ad liberos & ad vxorem; quia in liberis repræſentantur nobis parentes noſtri, & vxor eſt inſtrumentum per quod natura à parentibus accepta in poſteros deriuatur. rarò tamen in praxi vimur hac conſideratione : filios enim diligimus & honoramus tamquam aliquid noſtri; quia ſunt veluti pars à nobis deciſa, in qua natura noſtra conſeruetur. itaque noſipſos potiùs, quàm parentes noſtros in illis intuemur & curamus : vxorem verò, quia vna caro nobiſcum, & quia adiutrix ad procreationem liberorum, & ad omnia vitæ ſubſidia. Nihilominùs tamen, quia in his conſideratur coniunctio ſanguinis & naturæ, rectè à Cicerone & D. Thoma hi affectus ad pietatem referuntur; quæ generatim ad omnes propagine coniunctos pertinere dicitur.

Pietas generatim ad omnes ſanguine iunctos pertinet.

4 *Debitum quod pietas intuetur.*

Notandum Secundò, Rationem, quam *pietas* in ſuis obſequiis principaliter reſpicit, eſſe debitum illud, quod habemus erga parentes & erga patriam, quatenus ſunt nobis principium ortus & educationis, (quæ etiam bonam inſtitutionem complectitur) quod debitum, præſertim erga parentes, tale eſt, vt exhaurire illud nequeamus, reddendo illis æquiualens, iuxta Ariſtotelē. quod intellige, in eodem rerum ordine, & obſequiis ordinariis: nam beneficium à parente & etiam à patria acceptum, obſequiis ſupernaturalibus vel extraordinariis compenſari & etiam vinci poteſt : vt ſi filius conuertat parentem & patriam ad fidem Chriſti; vel ſi vitam pro eorum liberatione exponat. qua de re vide diſputationem apud Senecam lib. 3. de beneficiis cap. 34. & 35. vbi oſtendit, beneficium paternum à filio etiam vinci poſſe. Hoc tamen non ſoluit filium obligatione naturali, qua patri obſtringitur; quia ſemper manet filius. Adde, debitum illud, quo peculiariter patriæ noſtræ præ reliquis Prouinciis vel locis obſtricti dicimur ratione beneficij ortus, non eſſe ita magni momenti; vt pulchrè oſtendit Lipſius in ſua Conſtantia c. 11. quia hoc beneficium potiùs eſt aſtrorum & elementorum quàm anguſti natalis ſoli. Hinc videmus viros ſapientes vulgarem illum patriæ affectum non magni feciſſe ; quaſi non hic vel ille vicus, aut oppidulum aliquod patria ſit, ſed mundus totus. quia tamen communia elementorum & cælorum beneficia ad nos non niſi per loca, quæ incolimus, perueniunt, non eſt, ceteris paribus, hic affectus patriæ omnino contemnendus.

Ex dictis colligi poteſt Primò, Quòd ſit *obiectum quod*, & *obiectum cui*, & *ratio formalis obiectiua* huius virtutis ; quæ tria, ſicut in omni virtute ad Iuſtitiam pertinente, ita etiam in hac reperiri debent. *Obiectum* enim *quod* huius virtutis eſt cultus, & obſequium externum, ad quod hæc virtus ordinatur. actus enim externus virtutis habet ſe per modum obiecti reſpectu actus interni, & conſequenter reſpectu ipſius habitus. Nec obſtat, quod idem actus ſit opus eiuſdem virtutis ; quia virtutes operatiuæ faciunt ſuum obiectum ; & in eo diſtinguuntur à ſpeculatiuis, quæ illud ſupponunt, non faciunt. Deinde non eſt opus virtutis immediatè à virtute elicitū ; hoc enim non poteſt eſſe obiectum; ſed imperatum & productum mediante alia potentia, cui operi non repugnat eſſe obiectum virtutis imperantis. conſiſtit autem hic cultus partim in honore parentibus ſuo tempore & loco deferendo; partim in neceſſariis vitæ ſubſidiis præbendis, quando ea aliunde non habent; vt ſi capti ſint ab hoſtibus, liberentur ; ſi egeſtate laborent, ſuſtententur ; ſi preſſi mœrore, recreentur ; vt colligitur Matth. 15. In quem locum vide Hieronymum & D. Thomam art. 2. cùm enim ipſi nobis ſint cauſa vitæ & educationis, tenemur viciſſim Iure naturali cuiuſdam gratitudinis, illorum vitam & ſtatum, ſi in periculo verſetur, quantum in nobis eſt, conſeruare. alioquin indignus eſt vita, qui vitæ ſuæ auctorem negligit: ſicut è contrario dignus, qui fouet. vnde in Lege promittitur longæuitas illis, qui parentes honorant. Neque ſolùm hæc naturalia obſequia continet ille cultus, ſed etiam ſupernaturalia, quibus iuuentur ad ſalutem: nam etiam hæc illis præ ceteris debentur.

5 *Obiectum quod, & cui; ratio formalis obiectiua.*

Quis cultus parentibus debitus.

Obiectum cui ſunt parentes & conſanguinei, patria, & patriæ beneuoli: pietas enim cultum defert parentibus, tamquam vitæ auctoribus, & propter parentes aliis conſanguineis, quia in ipſis parentum ſanguis exiſtit ; deinde patriæ, & propter patriam ſociis, & patriæ fœderatis. Sicut enim conſanguinei honore & obſequio digni ſunt, quia parentes in ipſis quodammodò conſpicimus; ita beneuoli patriæ, quia in ipſis fauorem & auxilium patriæ conſpicimus.

6 *Obiectum cui.*

Ratio formalis obiectiua poteſt conſiderari vel in *obiecto quod*, vel in *obiecto cui*. In *obiecto quod* nihil eſt aliud quàm ratio *debiti* : hæc enim non ſolùm tenet ſe ex parte ſubiecti, ſed etiam obiecti in Iuſtitiæ partibus. In *obiecto cui* eſt ratio *principij ortus noſtri* ; quæ rationes ita ſe habent, vt altera alteri ſubordinata ſit. ideò enim pietas præſtat cultum & obſequium parentibus & patriæ, quia hoc illis eſt debitum ; ideò autem eſt debitum, quia

7 *Ratio obiectiua.*

ipſi

ipsi sunt principium ortus. vnde hæc est prima ratio obiectiua, quam hæc virtus mediatè respicit. ab hac autem altera illa, (nempe ratio *debiti*) quam respicit immediatè, speciem accipit. vnde etiam hæc virtus ab eadem speciem habet, etsi mediatè. habet igitur speciem ab vtraque ratione obiectiua, ab altera mediatè, ab altera proximè. Idem cernitur in aliis Iustitiæ partibus, vt suprà cap. 2. dub. 1. num. 7. dictum est.

Vtrùm autem filius aliquando propter officium pietatis impediatur ab ingredienda Religione, vel si ingressus sit, teneatur egredi, dictum est suprà cap. 41. dub. 3. vide D. Thomam q. 101. art. 3.

8 Colligitur Secundò, Hanc virtutem meritò sibi primum locum post religionem vindicare; quia parentes sunt veluti secundarij quidam dij respectu filiorum, tamquam secundaria principia essentiæ, vitæ & doctrinæ. vnde repræsentant filiis quodammodò ipsum Deum, qui est primarius & summus omnium parens. Hinc fit vt post præcepta primæ tabulæ, quæ ad cultum Dei pertinet, primum secundæ tabulæ sit de honore parentibus exhibendo. Hæc tamen intellige, considerato statu hominis naturali, & intra limites legis naturę; nam in ijs, quæ ad statum supernaturalem pertinent, parentum non est illa auctoritas.

9 *Pietas in parentes spiritales.* Vnde quæ dicta sunt de *pietate* in parentes carnales, accommodari possunt cuidam virtuti, quæ respicit debitum, quod parentibus spiritalibus (qui nobis secundùm Deū sunt auctores vitæ spiritalis, per quam sumus Christiani vel Religiosi) debemus, quæ etiam *pietas* dici potest, sicut illi *parentes* dicuntur: non enim his minus debetur, quàm parentibus carnis, quia ab illis naturæ diuinæ communionem & vitam quamdam supernaturalem accepimus; sine qua parum proderat totum id quod à parentibus carnis nostræ habemus. sed hæc virtus non distinguitur ab *obseruantia* supernaturali.

Dvbitatio II.

Quid sit obseruantia.

D. Thomas q. 102.

10 *Quibus deferenda.* Respondeo, Sicut virtus *pietatis* defert cultum parentibus, quia sunt auctores vitæ & educationis, ita *obseruantia* omnibus Superioribus, quia sunt auctores nostræ gubernationis. quicumque enim nos aliqua in re gubernant, aliquo cultu digni sunt; & cultus eis, ratione huius eminentiæ coniunctæ cum beneficio gubernationis, est debitus. Sic honor & obsequium debetur magistro à discipulo, duci à milite, Magistratui à ciue, Principi à subdito, Abbati à Monacho, Episcopo à Clericis, domino à seruis. in his enim omnibus est excellentia quædam & auctoritas per quam gubernant alios.

11 *Obiectio.* Dices, Non solùm eos, qui nos gubernant, obseruantiæ cultu prosequimur, sed etiam eos qui sapientia, sanctitate, virtute, vel auctoritate sunt insignes; quamuis nullam in nos iurisdictionem habeant, aut nulla in re nos dirigant: ergo hæc virtus non respicit debitum ex gubernatione prouenies.

Resp. Respondeo negando consequentiam; quia etsi isti actu nulla in re nos gubernent, tamen idonei sunt gubernare, ratione excellentiæ quam habent; & ideò cultus illis debetur. Itaque obseruantia respicit tamquam *obiectum cui*, id quod est principium gubernationis actu vel potentia, vt docet D. Thomas art. 1. ad 2. primariò tamen id quod actu gubernat, secundariò quod aptum est gubernare. Quare cùm omnis virtus ad hoc rectè disponat hominem, facit eum obseruantiæ cultu dignum, vt docet Caietanus qu. 103. art. 4. quamuis debitum erga hunc hominem non sit tantum, quantum erga illum qui actu gubernat. cuius signum est, quòd si omittas cultum debitum Superiori, possis puniri per leges; secùs si cultum aliis debitum negligas; quamuis in hac omissione peccatum esse possit. *Extendit se primario ad eos qui actu gubernāt, secundariò ad idoneos gubernare.*

Hinc patet Primò quid sit *obseruantia*; est enim virtus cultum deferens Superioribus & aliis personis excellentibus, quæ nos gubernant, vel gubernare sunt idoneæ. vbi explicatur actus virtutis, & obiectum quod, & obiectum cui, & ratio obiectiua. Actus enim est, *deferre cultum*, id est, honorem & obsequium, quando ratio postulat. Idem cultus est *obiectum quod*, cùm sit opus externum virtutis, quod virtus intendit. *Obiectum cui* est Superior & quęuis persona excellens. *Ratio obiectiua* in obiecto cui est excellentia, vt est principium gubernationis actu vel potestate. hinc oritur *ratio obiectiua proxima*, quæ cernitur in *obiecto quod*, nempe ratio debiti ob talem causam. 12 *Quid sit obseruātia. Obiecta eius.*

Ex quibus facilè intelligi potest definitio illa, quam ex Cicerone refert D. August. libro 83. qq. q. 31. *Obseruantia est per quā homines aliqua dignitate antecellētes, cultu quodam & honore dignamur.*

Patet Secundò, quid intersit inter pietatem, & obseruantiam: *pietas* enim defert cultum debitum alicui vt principio ortus & educationis; *obseruantia* debitum vt principio gubernationis: quæ debita sunt diuersæ rationis, sicut & beneficia & causæ ex quibus oriuntur. vnde 13 *Diferimen pietatis & obseruantiæ.*

Patet Tertiò, *Pietatem* esse præstantiorem obseruantia, per se loquendo; & ceteris paribus magis obligare, vt docet D. Thomas qu. 102. art. 3. quia maius magisque intimum est beneficium ortus & educationis, quàm gubernationis reliquæ vitæ, in eodem ordine rerum. 14

Dices, Magis obligamur erga Principem, quàm erga parentem: si enim vterque esset in extrema necessitate, Princeps esset parenti in ope ferenda præferendus: atqui Princeps colitur *obseruantia*, parens *pietate*; ergo obseruantia magis obligat quàm pietas.

Respondeo, Principem esse parenti præferendum, non præcisè vt me gubernat, quo modo illi debeo *obseruantiam*; sed vt patriam gubernat, & commune bonum continet, qua ratione illi debetur officium *pietatis*, vel *Iustitiæ legalis*. *Pietatis* quidem, quia hæc est etiam ad patriæ benefactores: *Iustitiæ legalis*, quia bonum commune continet. Pari modo patria colitur officio *pietatis*, si spectetur vt principium ortus; *Iustitia* verò *legali*, si spectetur vt quoddam totum, seu corpus politicum, cuius ego sum pars. respectus enim & debitum partis ad totum, ad Iustitiam legalem pertinet, vt suprà cap. 1. dub. 3. ex D. Thoma dictum est. Denique etiam *obseruantiâ* coli potest patria, si consideretur præcisè vt est mihi auctor gubernationis per suas leges & statuta. potiùs tamen erga patriam, sicut & erga parentem dicitur esse pietas, quàm obseruantia: vel quia ista 15 *Quomodo Princeps parenti præferendus.*

virtus est præstantior,& præuenit alteram;vel quia parens & patria potiùs sonant principium ortus quàm gubernationis.

16 *Gradus obseruantiæ & pietatis.* Porrò Primus gradus huius virtutis, sicut & pietatis, est propositum, quo quis statuit parentibus & maioribus omnibus honorem & obsequium debitum impendere.

17 Secundus est, Æquo animo ferre eorum molestias, asperitatem, morositatem, iniurias; nec propterea ab officio desistere;iuxta monitum Sapientis, Ecclesiastici 3. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes illum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas illum in virtute tua, eleemosyna enim patris non erit in oblitione.* si tamen in via Domini (vt in consiliis Christi sequendis) impedire vellent,non sunt hac in re tolerandi;vnde Dominus Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum,& vxorem,& filios,& fratres,& sorores; adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* In quem locum vide Gregorium Homil. 37. in Euang. Rectè Chrysostomus Hom.84. in Ioannem: *Sicut cùm spiritualia impediunt parentes, ne cognoscendi quidem sunt;ita cùm nihil impediunt,merito omnia ipsis tribuenda,& omnibus anteponendi.* Hieronymus Epist.1.quæ est ad Heliodorum: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine & scissis vestibus, vbera, quibus te nutrierat,mater ostendat;licet in limine pater iaceat; per calcatum perge patrem; siccis oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est,in hac re esse crudelem.* vide totam illam Epistolam. Idem tradunt reliqui Patres.

Parentes si officiant pietati, non sunt audiendi.

Tertius est, Cum voluptate illis seruire, & incommoda eorum tolerare. vide plura apud nostrum Bernardinum Rossignolium lib.4. de Perfectione Christiana cap 23.

Dvbitatio iii.

De diuisione obseruantiæ.

18 Mvltæ sunt obseruantiæ species,sicut & multę dignitatum & excellentiarum. Illę tamen magis interna æstimatione & affectu reuerentiæ distinguuntur,quàm opere externo,vt patet ex dictis cap.36. dub. 2. Idem enim opus externum,vt procedit à diuerso affectu interno,& ad testandam diuersam excellentiam ordinatur, est diuersæ speciei moralis,& diuersæ virtutis.

Obseruãtia politica. Primò igitur diuidi potest obseruantia in *politicam*, & *religiosam*. *Politica* est quæ ob dignitatem politicam vel excellentiam humanam cultum defert: talis est qua coluntur Principes, Magistratus, & alij dignitate sæculari conspicui: item magistri à discipulis, domini à seruis, patroni à clientibus.

19 *Religiosa.* *Religiosa* est, quæ ob dignitatem vel perfectionem cum religione coniunctam vel diuinum numen respicientem,cultum exhibet;vt quando quis honoratur vt sacerdos, vt Propheta, vt sanctus,vt beatus. Dicitur *religiosa*, non quia actus eius est à virtute religionis, sed quia ipsi religioni affinis, & cum ea coniunctus.

Naturalis. Hæc rursus duplex est: alia enim est *naturalis*, qualis fuisset in statu nudæ naturæ, & modò esse potest,vbi sacerdotium & cultus diuinus sola ratione naturali vel constat, vel æstimatur. Alia *supernaturalis*, quæ ob ministerium supernaturale, vel ob aliquam excellentiam supernaturalem cultum defert. talis est qua honorantur sacerdotes, Episcopi, Pontifices, & alij Ecclesiæ ministri & Religiosi; si tamen eorum dignitas apprehendatur & æstimetur vt oportet. cùm enim hæc non sit politica, sed supernaturalis, & ad Deum specialem ordinem habeat; necesse etiam est, vt æstimatio interna,affectus reuerentiæ, animique submissio sit alterius rationis, quàm in cultu politico; & consequenter externus quoque cultus, quo hanc submissionem nostram & illorum excellentiam testamur,induit alterius virtutis rationem;signum enim accipit speciem ex ordine ad rem signatam. Multùm ergo falluntur hæretici, cùm putant homines in hac vita non posse nisi cultu politico coli. qui enim ob causam sacram & supernaturalem defertur, sacer est & supernaturalis, non politicus; etsi externa nota submissionis politico cultui accommodetur.

Supernaturalis obseruantia diuiditur in *duliam* 20
& *hyperduliam*. *Dulia* dicitur, quæ cultum exhibet Beatis, ob sanctitatem vel beatitudinis statum. *Dulia.*
eamdem puto etiam extendi ad viatores, quando ob sanctitatem vel dignitatem supernaturalem honorantur: sanctitas enim huius vitæ & futuræ est eiusdem ordinis; etsi ibi sit perfectior.

Deferuntur tamen Sanctis beatis quidam externi cultus, quibus eorum gloria significatur; qui non consueuerunt mortalibus tribui. Ad eumdem ordinem pertinent dignitates & officia Prælatorum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ. Meritò autem vocatur hic cultus *dulia*, quia Sanctos debemus æstimare & reuereri tamquam nostros dominos, & summa animi demissione nos erga illos veluti serui erga dominos gerere; felices nos ducendo,si in seruos recipere dignentur.

Hyperdulia vocatur, quæ cultum exhibet creaturæ ob singularem & præcellentem ad Deum vnionem aut respectum, vt beatæ Virgini, quia mater Dei; & humanitati Christi, quia Verbo diuino subsistentialiter vnita. esse enim matrem Dei, est singularis & suprema quædam dignitas, qua maior infra Deum, seu in supposito quod non est Deus,cogitari non potest; ratione cuius debetur ei singularis æstimatio, reuerentia, & submissio animi,ab omni creatura rationali. vnio verò hypostatica cum Verbo,est summa dignitas creaturę communicabilis,quia per eam creatura efficitur Deus. quia tamen non efficitur Deus per essentiam, sed per vnionem & communicationem idiomatum, ideò si ipsa consideretur præcisè vt terminus integer cultus, non colitur latriâ, sed hyperduliâ. de quo plura diximus 3.p.qu.25. *Hyperdulia.*

Vtrùm autem sint habitus specie diuersi,à quibus hi cultus procedunt, non ita constat. valdè probabile est, cultum hyperduliæ, & etiam duliæ, qui defertur ob aliquam dignitatem vel relationem supernaturalem ad Deum, posse elici ab habitu religionis; quia tota ratio colendi est Deus, seu respectus ad Deum. quamuis etiam probabile sit, dari proprium habitum & distinctum, qui absque consideratione Dei, immediatè possit, ob illas morales dignitates & excellentias,cultum internum & externum exhibere: sicut in habitibus intellectus, etiamsi ex vi assensus principiorum possis assentiri conclusioni, tamen datur habitus scientiæ; quo immediatè possimus assentiri conclusioni,absque consideratione principiorum. 21 *Vtrùm sit vnus habitus.*

Quod

Quod attinet ad cultum, qui defertur ob beatitudinem vel sanctitatem, hic omnino referendus est ad habitum à virtute religionis distinctum. vide suprà cap. 36. dub. 3.

DVBITATIO IV.

Quid obedientia, & quænam eius functiones.

D. Thomas q. 104.

22 NOtandum est, *obedientiam* dici quasi *obaudiẽtiam*, quòd vox & præceptum Superioris audiatur & admittatur: Græci ὑπακοὴν dicunt, quasi subauditionem. accipitur autem hoc nomen tum pro *obedientia formali*, tum pro *materiali*. *Materialis obedientia* est omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etiamsi non ea intentione expressim fiat. satis enim est illa intentione fieri potuisse; quæ intentio si adesset, illi formalem obedientiæ rationem superadderet. Hæc obedientia non est specialis virtus, sed omnes virtutes complectitur, quæ aliquem actum cadentem sub præceptum habent.

Materialis obedientia.

Formalis. *Formalis obedientia* est, quæ ideò expressè aliquid facit, quia præceptum est. hæc est virtus specialis; quia etsi ad omnis virtutis materiam se extendat, tamen sub speciali ratione honesti id facit, videlicet quatenus opus eius debitum est ratione præcepti.

23 Itaque *obiectum quod* huius virtutis, est omne opus præceptum. ad hoc enim volendum & faciendum hæc virtus per se & directè inclinat. *Obiectum cui*, Superior; huic enim dicimur obedire. Vnde qui non habet vllum Superiorem cui possit obedire, is non habet obedientiam. quamobrem hæc virtus non convenit Christo secundùm naturam diuinam, eò quòd Superiorem non habeat: quamuis secundùm naturam assumptam, quæ Superiorem habet, ei perfectissimè competat. *Ratio obiectiua in obiecto quod*, est debitum auctoritati Superioris ratione præcepti. obedientia enim vult & facit opus præceptum, quia ratione præcepti cœpit certo modo esse debitum; non quidem ita, quasi in commodum vel honorem Superioris faciendum sit, sicuti opus religionis; (plerumque enim in eo spectatur commodum inferioris) sed quia ratione præcepti ita fit necessarium, vt sine aliquo contemptu interpretatiuo & vilipensione auctoritatis Superioris non possit eius executio prætermitti. Sicut cùm Deus aliquid reuelat, illud obiectum ita fit necessarium ad credendum, vt sine iniuria aliqua primę veritatis, eius fides non possit prætermitti. Itaque quia teneor vitare illam iniuriam Superioris, teneor non omittere sed exequi opus præceptum; & hoc debitũ voco rationem formalem *obiecti quod*. Potest etiam dici, rationem *obiecti quod* esse specialem illam honestatem, quam accipit ex eo quòd sit præceptum auctoritate Superioris. Sicut enim ex reuelatione diuina res fit digna creditu, & necessariò credenda: ita ex præcepto diuino res fit digna factu, & necessariò est facienda. Auctoritas enim diuina mediante præcepto illam materiam veluti informat, & hanc dignitatem ac bonitatem tribuit. Sed hic modus parum differt à priore, imò prior videtur conformior praxi: quia etsi obedientia faciat opus, quia dignum est fieri ob præceptum Superioris; tamen non solùm dignitatem illam respicit, neque ea sola mouetur, sed potissimùm mouetur necessitate; nimirum quia necessarium est factu, ne Superioris auctoritas violetur. Deinde de ratione præcepti est, vt non solùm faciat opus dignum factu ob diuinam auctoritatem, sed etiam necessarium: alioquin non tam erit præceptum, de cuius ratione est inducere obligationem, quàm consilium. *Ratio obiectiua in obiecto cui*, est auctoritas seu potestas Superioris. Ideò enim Superiori obediendum, quia Superior est, & potestate regendi præditus: sicut ideò credendum Deo, quia prima veritas est.

Hinc patet, primam *rationem formalem obiectinam* in hac virtute esse *Ius & potestatẽ regendi*, seu imperandi, circa quam potestatem cõsiderandum est, eam ex triplici radice prouenire. Primò, Ex ratione *causæ & effectus*: causa enim naturaliter habet potestatem in effectum. hac ratione Deus potest imperare omni creaturæ rationali; quia ipse est auctor, & illa est opus & figmentum eius. Idem suo modo competit parentibus in filios. Secundò, Ex ratione *totius & partis*: pars enim naturaliter subest toti, & regitur à toto. hoc modo Respublica habet auctoritatem in singula membra. Tertiò, Ex ratione *agentis, & patientis, vel instrumenti*. Agentis enim est mouere patiens, & causæ principalis suum instrumentum. Sic marito competit potestas in vxorem, quia naturaliter præstantior, & in illa combinatione se habet instar agentis; & domino in seruum, quia seruus est instrumentum domini. Idem dicendum de hero & famulo conductitio. Ab his mediante commissione deriuatur ad alios, qui eam ex se non habent: ex prima enim radice descendit omnis potestas Ecclesiastica, hoc est ea quæ gubernat in cultu diuino, & in ordine ad vitam æternam. Nam primò à diuinitate (quæ omnem potestatem in creaturas habet à seipsa ratione causæ) descendit in humanitatem; idque plenissimè & illimitatè, iuxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* A Christi humanitate proximè deriuatur ad Summũ Pontificem, sicut ab Ordinario in Vicariũ. Vnde in eo est tota plenitudo potestatis ecclesiasticæ hominibus communicata. Ab hoc descendit vlteriùs ad omnes Rectores ecclesiarum & Religiosarum congregationum, secundùm varias restrictiones locorum, personarum, actionum. A secunda radice per commissionem prouenit omnis potestas politica Imperatorum, Regum, Principũ, Magistratuum: & consequenter omnium eorum qui ab his auctoritatem habent. Respublica enim libera per se & ex natura rei habet potestatem regendi sui & omnia sua membra: vnde eam potest alteri committere, siue vni, siue pluribus; idque secundùm varias limitationes & conditiones, prout ei expediens visum fuerit. Ex tertia per commissionem potest deriuari aliqua potestas priuatim aliquid imperãdi, & certas aliquas functiones. Omnis enim cui primariò aliqua potestas imperandi conuenit, potest eam alteri committere, & suum in ea vtenda constituere vicarium: quia est ordinarius, cui vniuersè conuenit posse suam potestatem delegare.

24 *Ius imperandi ex triplici radice.*

Potestas Ecclesiastica.

Potestas politica.

Omnis ordinarius potest delegare.

Neque his obstat quòd omnis potestas dicatur esse à Deo: quia Deus est prima radix. Prouenit autem ab eo dupliciter, per positiuam ordinationem, & per naturalem institutionem rerum. Priore modo deriuatur ab ipso tota potestas Ecclesiastica seu supernaturalis; posteriore tota potestas politica. hoc ipso enim quo fecit singulos homines sui iu-

25 *Quomodo omnis potestas à Deo.*

ris, & dedit inclinationem ad vitam communem & politicam; censetur etiam dedisse communitati, quæ ex singulis illis iunctis conflatur, potestatem regendi sui, & singula sua membra. Nam naturaliter ex potestate singulorum sic in societatem vitæ coëuntium resultat potestas communitatis. à communitate autem vlteriùs per commissionem deriuatur ad Reges & Principes; ab his ad officiales inferiores. Hoc sensu dicitur potestas politica esse à Deo; non quòd potestas Principum aut etiam Reipublicæ sit ex immediata Dei commissione, sicut potestas Summi Pontificis, vt quidam parum peritè voluerunt tueri: sed ratione institutionis naturæ socialis, conficientis vnum corpus politicum. Similiter potestas patris in filium, & mariti in vxorem, est à Deo mediante institutione qua instituit procreationem liberorum, & coniugium maris & feminæ. Domini in seruum est à Deo mediante auctoritate Reipublicæ qua seruitus & herilis potestas instituta; vel interueniente cessione, cùm quis libertatem suam sponte in ius alterius transfert, se illi seruum vel gratis vel pretio constituendo.

Ex his perspicuũ est, potestatem imperandi esse quadruplicem. Alia enim est diuina, alia humana: & hæc vel est Ecclesiastica, vel Politica, vel domestica, quibus potest vinculum voti vel iuramenti superuenire, ita vt tenearis obedire non solùm lege obedientiæ, sed etiam ex voto vel iureiurando.

26 *An quadruplex obedientia.*

Dices, Si est quadruplex potestas imperandi, ergo etiam est quadruplex species obedientiæ: sicut enim potestates sunt diuersæ rationis, ita etiã affectus obediendi propter illas videtur esse diuersæ rationis. nam potestas est ratio formalis in *obiecto cui*: obedimus enim Superiori propter illam potestatem. atqui diuersitas obiecti formalis inducit diuersitatem specificam in affectibus; ergo affectus obediendi sunt specie diuersi. Confirmatur: quia velle facere opus quia id debitum auctoritati diuinæ, est alterius rationis, quàm velle idem quia debitum auctoritati humanę. Simili modo possumus ratiocinari de auctoritate Ecclesiastica & Politica.

Verius est esse vnius rationis.

Responderi posset, Non esse magnũ incommodum, si vbi diuersum est genus potestatis imperandi, diuersa quoque specie ponatur virtus obediendi. Sed verius videtur, virtutẽ obediendi, qua obeditur præcepto diuino, & qua humano, non esse specie distinctam, sed eiusdem rationis. quod indicat D. Bernardus Tractatu de Præcepto & dispensatione, circa principium: *Siue Deus*, inquit, *siue homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendũ est cura, pari reuerentia deferendũ, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Ratio est, quia obedientiæ non est, operari in commodum aut honorem Superioris, sicut facit religio; tunc enim deberet considerare diuersitatem auctoritatis, & cuique congrua deferre: sed operatur in commodum proprium propter obligationem præcepti sufficienti auctoritate impositam. Itaque respicit auctoritatem Superioris, non vt est tanta vel tanta, sed vt est sufficiens ad obligandum per præceptum. grauitas enim præcepti & obligationis in obedientiæ functionibus non sequitur magnitudinem potestatis, sed materiæ præceptæ.

Potestas diuina in omni Superiore quodammodò reperitur.

Cuius ratio vlterior est, quod in omni potestate imperandi quodammodò includatur potestas diuina, à qua illa descendit, & omnem vim obligandi accipit; & in omni præcepto humano (loquor de iusto & legitima auctoritate facto) includitur præceptum diuinum, quo præcipit Deus vt subditi suis legitimis Superioribus obtemperent, quod præceptũ est Iuris diuini naturalis. Etsi enim non teneamur Iure diuino ad ea quæ sunt Iuris humani, si per se considerentur, seu in sensu diuiso; tamen suppositio præcepto vel Iure humano, tenemur ad ea Iure diuino in sensu composito, hoc est, si considerentur vt præcepto humano subsunt: quia Iure diuino iubemur implere iustum Superioris præceptum, & consequenter ipsum opus materiale, quod ipse præcepit. Itaque numquam obedimus præcepto humano, quin simul implicitè obediamus præcepto diuino: & numquam violamus præceptum humanum, quin simul violemus præceptum diuinũ. Vnde non minùs violatur auctoritas diuina in transgressione præcepti humani, quàm in transgressione diuini; cùm in humano diuinum sit inclusum. Confirmatur: quia omnis potestas obligandi in præcepto humano est ex vi præcepti diuini. Quare non est quòd diuersas obedientiæ species pro diuersitate potestatum constituamus: quod etiam docet D. Thomas quæst. 104. art. 2. ad 4. Quæ ibi adnotat Caietanus, obscura sunt. Ex quibus patet, quomodo etiam in Superiore politico Deum intueri, & in eius præcepto diuinum præceptum agnoscere debeamus.

Ad argumentum in contrarium allatum patet ex dictis. Illa enim diuersitas potestatis habet se per accidens ad obedientiam, eâque ratione illius extrinseca: quia obedientia in opere suo non spectat vt cuique potestati pro sua dignitate satisfaciat quasi honorem deferendo (hoc enim pertinet ad obseruantiam & religionem) sed vt præceptum Superioris impleat etiam in suum commodum, præscindendo à magnitudine potestatis à qua hoc præceptum est impositum. Accedit quòd potestas suprema includatur implicitè etiam in infima; & hac ratione vtraque eamdem specie obligationem suo præcepto inducit, vt ostensum est.

Dupliciter potest quis obedire præcepto.

Ad confirmationem. Si consideretur conditio & excellentia potestatis imperantis, & opus fiat affectu illi satisfaciendi; admiscetur alia virtus, qua talis potestas honoratur; vt si obedias mandato diuino, quia id debitum est tantæ maiestati, admiscetur virtus religionis: si mandato Pontificis, quia id postulat dignitas Vicarij Christi, erit actus obseruantiæ religiosæ: si mandato Principis, quia id debitum eius dignitati, erit actus obseruantiæ politicæ. Itaque dum quis sic obedit, duæ virtutes concurrunt; virtus quidem obedientiæ, quatenus opus procedit ex affectu satisfaciendi præcepto præcisè considerato; virtus verò religionis, vel obseruantiæ, quatenus simul procedit ex affectu debitum honorem & obsequium soluendi tali vel tali dignitati seu excellentiæ. Confirmatur: quia dum obedio præcepto Superioris, simul honorem & obsequium ei defero: nam tali modo operandi tacitè insinuo internam æstimationem, quam de illius excellentia habeo, & me illi subiicio. vnde possum idipsum in obediendo expressè intendere, idque iuxta conditionem potestatis cui obedio: atqui hæc intentio pertinet ad virtutem qua talis potestas honoratur: ergo in tali modo obediendi illa virtus admiscetur. Insinuat hæc D. Thomas art. 3. ad 1.

Diximus suprà, *obedientiam respicere præceptum Superioris*. Sed contrà facere videtur, quòd Religiosus non dicatur perfectè obediens Prælato, qui expe-

27 *An obedientia requirat præceptum.*

expectat præceptum, & absque eo nihil vult facere. similiter nec seruus domino, nec filius patri, nec vxor marito: imò sancti Patres commendant maximè eam obedientiam, quæ præceptum non expectans, ad nutum obedit. vide Basilium Constitut. Monast. c. 23. & Bernardum de præcepto & dispensat. col. 4. ergo obedientia non solùm respicit præceptum, sed etiam nutum & inclinationem Superioris.

Obedientia dupliciter accipitur.

Respondeo, *Obedientiam* sæpè accipi pro virtute, qua quis morem gerit alteri, præsertim Superiori, faciendo quod ille cupit, siue præcipiat, siue non. & hoc modo obedientia non solùm respicit præceptum (nisi hoc nomen latè sumatur, vt comprehendat *omne id quod Superior fieri cupit*, etiamsi propriè non præcipiat) sed etiam inclinationem & nutum Superioris: nam huic in bonis & adiaphoris propter Deum se accommodare, per se honestum est & laudabile. Iuxta hunc modum non dicitur perfectè obediens, qui requirit præceptum propriè dictum, sed qui statim cognita propensione Superioris, facit opus. vnde Albertus cap. 3. de Virtutibus, ait: *Verus obediens numquam præceptum expectat, sed solùm voluntatem Prælati sciens vel credens, feruenter exequitur pro præcepto; exemplo Domini nostri* IESV *Christi, cui voluntas & complacentia Patris summum præceptum fuit.* Talis obedientia maximè requiritur in Religiosis; estque necessaria non solùm ad bonam & suauem gubernationem, sed etiam ad perfectionem religiosæ vitæ. sicut enim valdè imperfectus & reprehensibilis est Christianus, qui nihil vult facere, nisi quod Deus vel Ecclesia strictè præcepit: ita valdè reprehensibilis est Religiosus, qui Superiori aut Regulis se non accommodat, nisi interueniat tale præceptum. ratio est, quia Superior locum Dei tenet, eique loco Dei inferior se subiecit. Itaque in illo Deum intueri debet, eiusque vocē tamquam Dei vocem accipere, iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*; quod præclarè docet D. Bernardus lib. de Præcepto & dispensat. col. 6. Sicut ergo si à Christo visibiliter regeretur, eius voluntati morem gerere deberet, etiam absque præcepto; (id enim perfectio charitatis & religionis, ad quam Religiosus adspirat, postularet) ita morem gerere debet voluntati Superioris, qui Christi locum tenet, & eius præest nomine.

Nomen præcepti aliquando latè capitur.

28 Petes, Ad quam virtutem pertinet iste obediendi modus? non enim ad virtutem obedientiæ strictè acceptæ; quia non interuenit strictum præceptum.

Cuius virtutis opus sit.

Respondeo, Pertinere ad virtutem illam, quæ generatim & vulgò obedientia dicitur, cuius ratio præcisè in eo consistit, quòd quis se voluntati Superioris in operando accommodet, siue præcipiat, siue non: hoc enim per se peculiarem honesti rationem & laudem habet. potest etiam esse actus imperatus religionis, charitatis, & aliarum virtutum. Si enim obtemperes Superiori ex reuerentia erga Christum, cuius ille est vicarius, erit actus Religionis: si autem quia Christo gratum, erit actus charitatis. Pari modo, si facias ex reuerentia erga Prælatum, erit actus obseruantiæ: si quia illi gratum est, erit amicitiæ seu beneuolentiæ. vide Gregorium lib. 4. expos. in 1. lib. Regum, cap. 10. Secundùm tamen modum loquendi S. Scripturæ & sanctorum Patrum, propriè virtus obedientiæ est, quando quis ex animo præstat quod Superior mandat, siue mandatum obliget, siue non obliget; siue id faciat ex reuerentia Superioris, siue ex reuerentia Christi quem in Superiore intuetur, siue vt Deo placeat, siue vt seipsum suosque affectus mortificet. Simili modo dicitur quis temperans, abstinens, patiens, qui actus externos illarum virtutum præstat, ex quocumque honesto affectu id fiat. Non enim ex interno affectu, sed ex materia & opere externo virtutes distinguunt: quod valdè notandum.

DVBITATIO V.

Quæ conditiones in obedientia, præsertim religiosa, maximè commendentur.

RESpondeo, Tres potissimùm, *cæcitatem, promptitudinem, fortitudinem: obedientia* enim perfecta debet esse *cæca, prompta, & fortis.* 29

Cæca dupliciter, Primò, Ad imperfectiones & vitia Superioris, vt hæc non consideret, nec ob hæc minùs ad obediendum parata sit; sed solùm consideret eum, cuius locū tenet: ad hunc enim quàm maximè oculatam esse decet. monet hoc Dominus Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite; secundum vero opera illorum nolite facere.* & Apostolus ad Ephes. 6. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes,* &c. multò ergo magis hoc requiritur in Religiosis respectu suorum Prælatorum. *1. Cæca obedientia.*

Secundò, Debet esse cæca ad rationes præcepti scrutandas; nempe vt non velit scire causas cur quid præcipiatur; sed satis ei sit præcipi vel proponi ab eo qui locum Dei tenet, nec constet per se esse illicitum. hanc conditionem maximè commendant Patres; Basilius Constitut. Monastic. capite 23. *Quemadmodum pastori suo oues obtemperant, & viam quamcumque ille vult, ingrediuntur; sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato.* Deinde docet, Religiosos debere se gerere *sicut instrumentum in manu artificis,* quod sine repugnantia seruit ei ad omnia ad quæ voluerit. Cassianus de Institut. renuntiantium lib. 4. cap. 41. *Quartum hoc præ omnibus excole, vt stultum te secūdum Apostoli sententiam facias in hoc mundo, vt sis sapiens; nihil scilicet discernēs, nihil diiudicans ex his quæ tibi fuerint imperata; sed cum omni simplicitate & fide obedientiam semper exhibeas; illud tantummodò sanctum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel Superioris examen indixerit.* Et cap. 10. loquens de Monachis Ægypti: *Vniuersa complere quæ fuerint ab eo præcepta, tamquam si à Deo sint cælitus edita, sine vlla disquisitione festinant.* D. Greg. l. 2. cap. 4. in 1. Regum: *Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.* D. Bernard. l. de Præcept. & dispensatione col. 6. *Siue Deus, siue homo vicarius Dei mandatum quodcumq; tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria* *Superiori tamquam Deo obtemperandum.*

traria non præcipit homo. & infrà: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. quid enim interest, virum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus innotescat suum placitũ Deus?* Idem alij passim; & in primis præclarè S. P. N. Ignatius in sua de obedientiæ virtute epistola.

30 *Cur caca obedientia commendetur.*

Ratio cur hoc tantopere commendetur, est, Primò, Quia sine tali modo obedientiæ vix potest constare pax & bona administratio in congregatione religiosa: erunt enim assiduæ disputationes & altercationes inter subditos & Superiores.

Secundò, Quia est contra humilitatem & modestiam religiosam, velle à Superioribus rationes exigere mandatorum: hoc enim non est se gerere vt subditum, sed vt parem; neque facere opus quia præcipitur, sed quia iudicatur expediens; sicut cùm homo illud suo iudicio & arbitrio facit.

Tertiò, Quia debet in Superioribus agnoscere Christum, & illis tamquam Christo obedire; vt passim docent Patres, & D. Bernardus suprà. vnde in Regula S. Benedicti dicitur, *Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur.* Idem colligitur ex Apostolo ad Ephes. 6. vbi iubet etiam seruos obedire dominis suis sicut Christo; & ex verbis Domini, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.*

Dices, Superior non est Christus, nec infallibiliter à Christo regitur: nam & falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & in præcipienda fallere potest.

Quid si fallatur.

Respondet D. Bernardus: *Quid hoc refert tuâ, qui conscius nõ es? præsertim cùm teneas de Scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirent; quia Angelus Domini exercituum est.* & infrà: *A quo denique diuina potiùs consilia requiruntur, quam ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde quem pro Deo habemus, tamquam Deum, in his, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus.* hæc ille. Itaque etiamsi absolutè falli possit Superior: tamen id non est vnquam in particulari præsumendum, nisi de eo constet; eò quòd singulari modo à Deo dirigatur; vtpote ab ipso ad alios in via salutis dirigendos constitutus.

In dubio obtemperandum.

Vnde etiam quando res post diligentem discussionem manet dubia, & de nullius graui præiudicio agitur, debet inferior obedire, vt omnes Doctores tradunt; de quo suprà cap. 41. n. 77. Deinde etiamsi fortè in aliquo falleretur, id tamen inferiori non nocebit, nec quidquam de merito ipsius detrahet; quia est error ipsi inculpatus, qui non impedit quò minùs obedientia sit actus virtutis ex charitate vel religione proficiscens. Sicut cùm quis dat eleëmosynam homini opulento vel impio, putans esse pauperem vel sanctum: actus enim ex ipso motiuo, quo voluntas ad electionem operis impellitur, virtutis rationem accipiunt.

31 *Certior directio ad salutem in obedientia.*

His accedit quarta ratio, quòd homo in hac vita non possit scire quid sibi in particulari expediat ad salutem: sæpè enim illa exercitia, quæ ipsi videntur maximè salutaria, sunt occasio lapsus & perditionis. vnde cuique in hac vita maximè desiderandum est, vt ita à Deo in omnibus dirigatur, sicut ipse nouit illius saluti expedire: in hoc enim situm est donum perseuerantiæ: atqui si hoc vllo modo à Deo obtineri potest, obtinetur per simplicem & cæcam obedientiam: ergo hæc maximi facienda. Minor probatur, quia si Christus per se ipsum visibiliter nos regeret in terris, & ad hunc finem prorsus illi nos permitteremus, & rogaremus ita ab illo regi; non est dubium quin nos ita regeret: ergo cùm suo loco constituerit Superiores, quibus tamquam sibi ipsi voluit nos morem gerere; si nos illi totos permittamus propter Christum, fiduciâ bonitatis & prouidentiæ ipsius, non videtur dubitandum quin ita nos reget, sicut saluti expedire nouit. non enim minùs potest nos regere per suos Vicarios, quàm per suam præsentiam corporalem. alioquin magno nobis damno fuisset huius præsentiæ subtractio; quod tamen falsum esse constat ex Scripturis. Hæc ratio benè expensa maximè debet mouere Religiosum vt totam vitæ suæ directionem Superiori purè permittat; sibi persuadendo, illud, quod ipse constituerit, meliorem exitum in ordine ad salutem habiturum.

Altera conditio est *Promptitudo* ad exequendũ; 32 nempe vt non expectet strictum præceptum, non differat, non tergiuersetur, non excuset, non lentè & cum torpore ad opus accedat. hanc commendat Bernardus libro de Præcepto & dispens. col. 4. *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne, quod iniũgitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans, in infinitum extenditur.* & tamen Superior non potest obligare nisi ad ea, quæ intra terminos professionis continentur, vt idem docet. vnde loquitur de non obligatoriis. Idem Sermone de virtute obedientiæ: *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic se totum intra se colligit, vt mandatum peragat imperantis.* Idem commendat Basilius c. 23. constitut. monasticarum.

2. *Promptitudo.*

Valdè tamen notandum est, non in omnibus 33 hanc promptitudinem exhibendam; sed in iis tantùm quæ ad Religionis exercitia, vel regularem disciplinam, aut mortificationem pertinent. Si enim Prælatura, Episcopatus, vel aliud munus honorabile imponitur, non est ordinariè laudabile se promptum & alacrem exhibere; sed expedit modestè deprecari, & expectare etiam præceptum; præsertim si agatur de Prælatura extra Ordinem suscipienda: sic enim doctissimi & sanctissimi viri fecerunt, qui quantum potuerunt huiusmodi dignitates semper detrectarũt, nec nisi compulsi acceptarunt, ita fecerunt SS. Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Magnus, Bernardus, Anselmus, Thomas, Laurentius Iustinianus, & alij. Ratio est, quia tam multæ dotes requiruntur vt quis sit idoneus ad Prælaturam, præsertim ad Episcopatum, (vt patet ex Apost. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.) vt arrogantiæ sit, putare se omnibus illis præditum. Accedit, quòd status ille multis expositus sit periculis, propter opes & honores, propter occasiones & potestatem malè agendi, propter onus conscientiæ alienæ, propter defectum monitorum, propter delicias & blandimenta carnis, propter assiduas curas, distractiones & rerum externarum tractationem, & alia id genus salutis turbamenta.

In quibus hac promptitudo exhibenda.

Dignitates non facilè acceptãda.

Confirmatur hæc omnia ex D. Gregorio l. 35. si- *Confir. testimonio Gregorij.* ue vltimo Moralium cap. 13. vbi docet, obediẽtiam in quibusdam rebus debere nihil propriæ affectionis habere, sed solo alterius imperio moueri;

in

in aliis contrà, debere multum habere de suo: *quia*, inquit, *nonnumquā nobis huius mundi prospera, nonnumquam verò iubentur aduersa; sciendum summopere est, quòd obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem si de suo aliquid non habet, minima: nam cùm huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem enecuat, si ad hæc etiā proprio desiderio anhelat. rursum cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci & contumeliæ iubentur, nisi ex seipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit*, &c.

Idem confirmat exemplo Moysis & Pauli: Moyses enim à Deo ipso vocatus ad præfecturam populi, ex humilitate detrectat & excusat, & alium præfici rogat. Paulus verò ex diuina reuelatione Ierosolymam proficiscens, vbi grauia passurus erat, non detrectat, sed alacriter ad omnia se comparat. *Moyses itaque* (inquit Gregorius) *ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israëliticæ plebi præferatur. Paulus ad diuersa etiam ex suo voto ducitur; quia malorum imminentium cognitionem præcipit, sed deuotione spiritus etiam ad arctiora feruescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit iubente declinare: iste Deo dura & aspera disponente, se studuit ad grauiora præparare. Præeunte ergo vtrorumq; ducum infracta virtute, instruimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius sæculi ex sola iussione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus.* Hæc ille.

34 *Obiectio.* Dices, Religiosus voluntatem Superioris ducere debet pro diuina: atqui fas non est diuinæ voluntati refragari; ergo.

Resp. Respond. Maior vera est, Primò, In præceptis. Secundò, Extra præceptum, in iis, quæ pertinent ad vitæ directionem, & exercitia Religionis. Tertiò, In honoribus verò & Prælaturis acceptandis, non est voluntas diuina vt statim acceptemus; sed vt quantum in nobis est declinemus, deprecemur, & expectemus præceptum. Idem placet prudenti Superiori, qui etiam huiusmodi declinationem laudare, & celerem acceptationē vituperare consueuit. facit enim inferior declinando huiusmodi, consentaneè suo statui; sicut & Superior imponendo: quare vterque facit laudabiliter. Itaque inferior declinando non facit contra voluntatem Superioris, nisi materialiter, donec accedat præceptum. Quod confirmatur exemplo Moysis, qui detrectabat præfecturam populi, quam Deus illi volebat imponere; quā in re non taciebat contra voluntatem diuinam, nisi materialiter; nam Deo idipsum placebat, vt ex Gregorio dictum est, nisi cùm nimiùm tergiuersabatur; tunc enim dicitur iratus Dominus, Exodi 4. vers. 14. vt sciamus in hac quoque re modum seruandum.

Declinādo non facit contra voluntatem rationabilem Superioris, nisi materialiter.

35 3. *Fortitudo.* Tertia conditio est, Vt *sit fortis*, scilicet in opere præcepto aggrediendo, & perseuerando in illo; vt non detrectet exequi difficilia, & postquā incepit, non resiliat ob difficultates occurrentes. Huius exemplar exhibuit *Dominus, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis:* ad Philip. 3. Hanc fortitudinem commendat D. Basilius cap. 20. monast. constitut. *Oportet*, inquit, *in primis, vt is, qui se ad vitæ huius rationem cōtulerit, stabili, firma, immobilique voluntatis constantia sit, iudicioque tali, vt à malignis spiritibus neque concuti, neque loco pelli queat. Deinde animi firmitate tanta, vt ad mortem vsque constantiam martyrum exhibeat, tum diuinis præceptis retinēdis, tum obedientia erga magistros suos conseruanda. hoc enim totius vitæ instituti est caput.* Chrys. Hom. 3. in 2. ad Corinth. valdè fusè. Cassianus de Instit. renuntiant. lib. 4. c. 20. & alij.

Petes, Vtrùm obedientia sit præstantior ceteris virtutibus? 36 *An sit aliis virtutibus præstātior.*

Respond. Posse id quæri vel de obedientia omnibus Christianis communi, quam *Christianam* vocare possumus: vel de *obedientia religiosa*. Si loquamur de *Christiana*, hæc est præstantior ceteris virtutibus moralibus, excepta religione. Ratio est, Primò, Quia per hanc virtutem homo se subijcit Deo, Superioribus ecclesiasticis & temporalibus, in omnibus eorū præceptis exequendis, quæ subiectio valdè difficilis est, & ad plurima se extendit: hoc autem multò præstantius est, quàm restituere ablata, seruare modum in voluptatibus, & cetera, quæ per alias virtutes morales à religione distinctas, præstantur. Secundò, Quia continet actiones omnium virtutum, quatenus sunt in præcepto. respicit enim debitum, seu obligationē ex præcepto prouenientem in omni virtutis materia. Tertiò, Quia *obedientia sola virtus est, quæ ceteras menti inserit, insertasque custodit*, vt S. Gregorius l. vlt. Moral. c. 12. ait: ex motiuo enim obedientiæ homo impellitur ad officia & functiones omniū virtutum, (v.g. nunc ad ieiunium, nunc ad audiendum Sacrum, nunc ad frequentanda Sacramenta, nunc ad eleëmosynā, & sic de ceteris) per quas functiones illæ virtutes generantur, augētur & conseruantur.

Christiana obedientia præstantior ceteris moralibus, exceptā religione.

Obedientia ceteras virtutes inserit.

Hinc tamen non sequitur, esse omnibus virtutibus priorem: tum, quia illa necessariò prior est, qua auctoritas præcipientis innotescit, nempe fides: tum quia sæpè actus aliarum virtutum fiunt absque præcepto; tum quia infusio gratiæ & virtutum potest præcedere omne opus virtutis, vt patet in paruulis. Ita D. Thomas ar. 3. ad 2.

Non tamen est prima.

Similiter non sequitur eam esse præstantiorem Theologicis, quia hæ immediatè cum Deo mentem coniungunt, & ad omnes alias se extendunt; fides dirigendo, spes & charitas imperando, idque ex altiori motiuo; nec tantùm ad opera præcepta, sed etiam ad consulta pertinent. Idem dico de virtute religionis: hæc enim ipsum Deum colit, cùm obedientia eius præceptum dumtaxat intuetur. Deinde religio officia aliarum virtutum non minùs ad suum finem, quàm obedientia refert. Nec obstat quòd *obedientia sola* dicatur ceteras virtutes menti inserere; quia *sola* obligat ad actus omnium virtutum, nimirum quando sub præceptum cadunt: & sola omnia præcepta intuetur; quæ dum seruantur, omnes virtutes acquiruntur.

Non est præstantior Theologicis & religione.

Si de *obedientia religiosa* agatur, hæc etiam ceteris moralibus, etiam obedientia communi (non tamen religione) est excellentior. Primò, Quia per illam homo non solùm in communibus & aliàs præceptis, (vt obedientia communis) sed etiam in totius vitæ directione subijcit se alteri propter Deum. itaque deserit propriam voluntatem & potestatem viuendi arbitrio suo, & consequenter omnia solatia & oblectamenta, quæ homines hinc capere solēt. quod sanè maius est & difficilius, quàm relinquere opes, aut honores, aut carnis oblectationes. opes enim & honores sunt bona externa, quę interdum ethnici propter cognitionem rerum naturalium adipiscendam deseruerunt: oblectationes carnis solùm ad corpus & sensus externos pertinent, & cum turpitudine verecundiaque con-

37 *Obedientia religiosa præstantia.*

iunctæ; vnde etiam à multis ethnicis spretæ. At potestas viuendi iudicio & arbitratu suo, est bonum spiritale, & præcipuum homini quà homo est, quod nullus vmquam Philosophus sibi contemnendum aut deserendum duxit. Itaque hoc ipsum propter Deum relinquere, est maioris perfectionis & meriti, quàm relinquere opes, vel honores, vel carnis illecebras.

Confirmatur, quia in eo deseritur proprium iudicium & arbitrium in vitæ directione; ac proinde omnia ea, quæ homo iudicio suo agere, pati, consequi, habere, retinere, elargiri potest. Itaque per hanc obedientiam homo non minùs deserit sponte, quam per seruitutem amittit inuitè; quæ tamen morti æquiparari solet.

38 Secundò, Quia cùm in hac obedientia subijciat se Religiosus homini propter Deum, includit ipsa non solùm nudam virtutem obedientię, quæ respicit debitum præcepti, sed etiam virtutem religionis & charitatis; vt colligitur ex D. Thoma ar. 3. ad 1.

Tertiò, Quia obedientia religiosa est ex voto: hæc enim subiectio Deo promittitur: vnde est instar sacrificij, quo homo seipsum totum, animam & corpus, intellectum & voluntatem, & totam vitæ rationem Deo offert. Itaque etiam hac ratione includit virtutem religionis.

Obedientia quomodo melior quã victima.

Hinc facilè intelligi potest quomodo *melior sit obedientia quàm victimæ*: etsi enim oblatio victimarum sit actus religionis; tamen subiectio suæ voluntatis sub Deo (in qua consistit obedientia) est etiam actus religionis, si fiat ex voto, aut ex reuerentia erga maiestatem diuinam; vel charitatis, si studio gratificandi Deo. deinde res nobilior exhibetur: nam vt ait Gregorius lib. vlt. Moral. c. 12. hunc locum ad suum propositum exponens vel accommodans: *Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur*, id est, propter Deum deseritur. Quamuis alium sensum videantur habere verba illa; (quæ sunt Samuelis & Saül 1. Reg. 15.) nimirum melius esse, omissis victimis non præceptis, facere quod Deus præcepit; quàm omisso diuino præcepto offerre victimas voluntarias, aut etiam prohibitas; sicut fecit Saül.

Ex dictis colligi possunt quatuor obedientiæ gradus.

39 Primus est, Exequi exteriùs quod præcipitur.

Quatuor gradus obedientiæ.

Secundus est, Voluntatem suam omnino subijcere voluntati Superioris, ita vt libenter facias propter Deum, quidquid ipse mandauerit.

Tertius est, Subijcere iudicium suum iudicio Superioris, credendo id melius esse, vel meliorem exitum habiturum quod ipse iusserit.

Quartus, Hæc obseruare non solùm in ijs quæ strictè præcipit, sed etiam quæ non præcipit, sed solùm fieri desiderat.

Dvbitatio vi.

Quid inobedientia, & quale peccatum.

D. Thomas qu. 105.

40 Sicut dictum est *obedientiam* dupliciter accipi; ita quoque *inobedientia* dupliciter vsurpatur, *materialiter* & *formaliter*. *Materialis inobedientia* est cuiusuis præcepti præuaricatio. hoc modo omne peccatum est inobedientia quædam; nam per omne peccatum violatur aliquod præceptum magnum vel paruum, in re graui vel leui, cum perfecta vel imperfecta animaduersione; adeò vt contradictionem implicet, esse peccatum, & non esse contra præceptum. Itaque hæc notio inobedientiæ includitur in omni peccato, tamquam ratio generica, vel vt circumstantia quædam generalis; iuxta diuersum modum explicandi rationem peccati.

Omne peccatum inobedientia quadã est.

Simili modo in omni peccato est offensio Dei, quatenus est contra amicitiam & amorem ipsi debitum; vilipensio & quidam contemptus, vt est contra æstimationem Dei; irreligiositas, vt est contra reuerentiam & honorem; ingratitudo, vt est contra beneficiorum ipsius recognitionem. *Inobedientiæ* tamen ratio clariùs apparet in omni peccato, magisque videtur intrinseca: quia descisere à lege & regula operandi, in omni gente peccatum dicitur. vnde *peccatum* ex D. Ambrosio definiri solet *cælestium inobedientia mandatorum, & diuini præuaricatio præcepti.*

Multa turpitudines & malitiæ generales in omni peccato.

Formalis inobedientia.

Formalis est, quando quis præceptum violat ea intentione vt illud violet, & ei suo facto aduersetur. hac ratione est propria species peccati ab aliis distincta, per quam contemnitur præceptum, vel ipse præcipiens.

Notandum autem est, hanc inobedientiam esse 41 contra duplex præceptum, videlicet contra præceptum, quod expressa intentione violatur, à quo habet suam speciem, & rationem inobedientiæ formalis; & contra præceptum, quo talis violatio prohibetur; scilicet, Non contemnes præceptum Superioris, non violabis ex contemptu: & hinc habet rationem genericam, sicut alia peccata: nam hoc modo est contra præceptum materialiter, & solùm materialis inobedientia; cùm hoc præceptum non contemnatur.

Petes Primò, Vtrùm sicut datur præceptum, quo 42 vetatur inobedientia formalis, ita quoque detur præceptum, quo obedientia formalis præcipiatur.

An obedientia formalis sit præcepta.

Respondeo, non dari, si loquamur de executione bonorum operum. ratio est, quia numquam est necessarium vt faciamus opus bonum præcisè quia debitum ex præcepto: sufficit vt illud faciamus propter intrinsecam ipsius honestatem, aut vt Deo placeamus; sic enim abundè satisfacimus præcepto: *plenitudo enim legis est dilectio.* Itaque nullum inuenitur præceptum Dei, aut Ecclesiæ, quo iubeamur facere opus hac intentione: omnia enim præcepta iubent opus fieri simpliciter secundùm propriam honestatem.

Nec obstat præceptum, quo iubemur *obedire* 43 *Superioribus, eisque subiacere:* huic enim satisfit, partim si ea quę iubent faciamus, etiam si non illa intentione formali satisfaciendi præcepto: partim si velimus illis subesse; quod velle possumus propter amorem Dei, absque formali affectu obedientiæ. Dum tamen implemus aliquod præceptum, obligamur non habere intentionẽ implectioni contrariam: hoc enim esset contemnere præceptum. cum hac tamen intentione non implendi præcepti, potest impleri præceptum re ipsa; ita vt non sis illius præuaricator, nec tenearis rursus opus præceptum exequi: nam per præceptum solùm intenditur vt opus virtutis fiat, non autem vt ex affectu satisfaciendi præcepto fiat. vt tamen euites internum peccatum contra præceptum, requiritur vt reuoces animum non implendi præcepti; & ita cupias opere illo præterito satisfeciſſe obligationi. Ordinariè tamen homo non implet præceptum

ceptum, nisi cum expressa vel implicita intentione implendi: quia sine intuitu præcepti vix fieri potest vt opportunè se applicet ad operis præcepti executionem. In executione tamen non tenetur hoc motiuo vti, ita vt opus ex illo procedat, sed satis est vt procedat ex affectu propriæ honestatis.

44 *An possit hic modus præcipi.* Petes Secundo, Vtrū Prælatus non possit imperare subdito suo Religioso, vt hoc modo operetur.

Respond. Verius videri, non posse. ratio est, quia iste modus operandi non est necessarius vt opus sit actus virtutis; potest enim esse actus virtutis ratione propriæ bonitatis, vel quia fit ex affectu charitatis aut religionis, absq; intuitu præcepti. vnde non videtur subesse iusta causa, cur talis modus operandi præcipi possit circa aliquod opus. Sed nec secundùm se præcipi potest, nempe vt velis & proponas sic operari. tum quia si non potest præcipi vt sic opereris, multò minùs vt sic velis operari; velle enim est propter operari: tum quia actus interni secundùm se præcipi humana potestate non possunt, sed solùm vt sunt necessarij ad constituendum actum externum in aliqua specie virtutis, vt plerique DD. tenent: vel si possunt præcipi, non tamen omnes, sed ij tantū ad quos Iure diuino vel naturali, absque determinatione temporis, loci, vel modi adstringimur; in quibus potestas Ecclesiæ hæc potest determinare. de quo plura 1.2.q.96.

45 *Quale peccatum.* Petes Tertiò, Quale peccatum sit formalis inobedientia.

Respondeo, Ex genere suo esse peccatum mortale. potest tamen esse peccatum veniale, vel defectu perfectæ attentionis, vel ratione leuitatis materiæ materia autem leuis hîc, est præceptum de re leui, vel quod solùm obligat sub peccato veniali. Ita Valentia disp.7. qu.9.puncto 3. Idem insinuat Caietanus in Summa v. Inobedientia, dicens, *in inobedientia formali interuenire peccatum veniale, propter imperfectionē actus, vel materiæ minimæ.* & Lopez 1.p.cap.55. in fine. Verùm hoc eget limitatione & explicatione. Dicēdum igitur, hanc inobedientiam nasci immediatè vel ex contemptu præcepti, vel præcipientis. Si ex contemptu præcipientis, vel contemnitur expresè Deus ipse; & hoc est directè contra æstimationem & reuerentiam ipsi debitam, ac proinde contra virtutem religionis, quæ tota tali contemptu euertitur; vnde est graue peccatum mortale. Vel contemnitur homo, qui est Superior; & tunc considerandum est quomodo contemnatur. si enim contemnas ipsam potestatem, tamquam nullius momenti; vel ipsum hominem, (etiam ob aliam causam) ita vt absolutè nolis illi parēre, erit peccatum mortale. Si autem non contemnas potestatem, nec recuses parē re in rebus maioris momenti, etiamsi contemnas personam ob defectum eruditionis, prudentiæ, nobilitatis, &c. & ex hoc contemptu aliquod præceptum eius in re leui violes, fortè non erit mortale. Similiter si offensus Superiori, quasi in vindictam id facias: negari tamen nequit quin sit graue peccatum veniale. *Cōtemptus præcepti & præcipiētis.*

Si autem nascatur ex contemptu præcepti tantùm, vel est præceptum rei grauis, & sic est etiam peccatum mortale: vel est rei leuis, & minoris momenti; estque vel præceptum diuinum vel humanum. si sit diuinum, & contemnas tamquam inutile aut vanum, & ideò nolis ei parēre; sine dubio est peccatum mortale: continet enim tacitam blasphemiam. Si non reputes inutile, sed solùm parui æstimes, quia non obligat sub peccato mortali; & ideò violes, fortè non erit peccatum mortale: erit tamen graue veniale, quia magna est inordinatio, si ideò pecces vt ostendas te peccatum veniale parui facere. Si autem non sit præceptum diuinum, sed humanum, & in materia leui, faciliùs potest eius contemptus esse peccatum veniale: quia homo potest in præcipiendo errare; & cum hoc stare potest obedientia, respectu præceptorum maioris momenti. 46

Cetera, quæ de præcepto & obedientia dici possent, pertinent ad 1.2.qu.96.

CAPVT XLVII.

De virtutibus Iustitiæ annexis, in quibus est solùm debitum morale.

Constat Dubitationibus 9.

TALES sunt Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Æquitas; quibus sua vitia opposita adiungemus.

DVBITATIO I.

Quid sit gratitudo, & quod eius officium.

D. Thomas quæst.106.

1 *Gratitudo quid.* GRATITVDO generatim est virtus, quæ respicit debitum ex beneficio accepto natū, & vt illi aliquo modo satisfaciat, repēdit aliquid benefactori; vt actionem gratiarum, obsequium, cultum, vel aliud beneficium. Itaque extendit se ad omnes, à quibus aliquid beneficij accepimus; nimirum ad Deum, parentes, Superiores, & homines priuatos.

Vtrùm autem sit vna virtus, vt ad omnes hos se extendit, an plures, ita tamen vt idem tificetur religioni, pietati, & obseruantiæ, quatenus earum obiecta respicit, dubium est.

Videri possit esse vna, Primò, Quia *obedientia* 2 statuitur vna virtus, eò quòd respiciat debitum ortum ex præcepto; nec diuersa est pro diuersitate præcipientium, aut præceptorum: ergo similiter *gratitudo* erit vna virtus respiciens debitum proueniens ex beneficio accepto, nec erit diuersa pro diuersitate beneficiorum, aut benefactorum. videtur sanè vtrobique eadem ratio. *An sit vna communis gratitudo.*

Secundò, Compensare pro suo modulo beneficium acceptum, à quocumque demum acceptum sit, habet peculiarem rationem boni; sicut satisfacere præcepto, à quocumque demum sit impositum, specialem honestatem & laudem continet: ergo est aliqua peculiaris virtus, quæ hanc rationem

nem honesti præcisè & nudè consideratam respiciat,nimirum virtus gratitudinis.

Tertiò, Etiamsi homo interdum se applicet ad colendum Deum ex intuitu beneficiorũ;tamen ratio formalis cur Deum colat,non sunt beneficia, sed eminentia primi principij. ideò enim cultu latriæ dignus est,eique hic cultus congruit,non quia beneficia cõtulit, sed quia habet excellentiam primi principij rerum. beneficia quidem obligant nos ad cultum ; (non enim aliter possumus pro illis satisfacere,nisi reddendo cultum) ipse tamen cultus formaliter non impenditur ob beneficiorum collationem;sed beneficia sunt causa impulsiua & applicatiua animi ad cultum, sicut præceptum in omnibus virtutibus; non autem formalis ratio colendi. honoramus enim Regem propter beneficia, tamquam causam impulsiuam ; propter dignitatem regiam, tamquam causam formalem. vnde consequens videtur,*gratitudinem*,qua grati sumus erga Deum, distingui à virtute *religionis*;qua verò in parentes , à virtute *pietatis* ; qua in Superiores, à virtute *obseruantiæ*. erit enim vna virtus , quæ vniformiter debitum ex beneficio natum respiciet, & pro eo satisfacere studebit; quamuis actus,quos ob hunc finem imperat, sint diuersarum virtutum. Hæc sententia est valdè probabilis, & facilè defendi potest.

Beneficia sunt causa impulsiua ad actus religionis, pietatis, & obseruantiæ.

Valdè probabile est, esse vnam communem distinctam.

3 Nihilominùs contraria est diui Thomæ art. 1. q.106. nimirum *gratitudinem* , si erga Deum spectetur, non esse habitum à virtute *religionis* distinctum: si erga parentes, non distingui à *pietate*: si erga Superiores, non distingui ab *obseruantia*. Si tamen consideretur vt respicit priuatum benefactorem,& debitum ex eius beneficio prouenientes,hac ratione esse virtutem specialem à supradictis distinctam; quia hac ratione respicit specialem rationem debiti,quæ non est tam stricta,quàm in prædictis virtutibus , nimirum erga Deum , parentes & Superiores : non enim est debitum legale , sed morale tantùm. Itaque iuxta hanc sententiam *gratitudo* est specialis virtus,quę propriè solùm respicit benefactorem particularem.

Contraria magis ex mente diui Thomæ.

Qua ratione sit virtus specialis.

Confirmatur hæc sententia, quia virtutes annexæ iustitię,distinguendę sunt secundùm speciales rationes debiti ad alterum : atqui primum & principale debitum est illud , quo obstringimur Deo vt primo principio ; quod debitum intuetur religio. Secundo loco est illud , quo parenti & patriæ, vt principio secundario;quod respicit pietas. Tertiò,quo Superioribus,vt principio gubernationis, & beneficiorum communium ; cui respondet obseruantia. Quarto loco est illud, quo obstringimur priuatis ratione beneficiorum particularium; & huic satisfacit gratitudo. Itaque *gratitudo* est virtus particularis , distincta à supradictis : sicut quodlibet posterius distinguitur à priori tamquam deficiens ab eo. Ita D. Thomas art. 1. vbi

4 Notandum est , Sicut in obiecto, cui *religio* defert cultum, continentur excellenti modo obiecta, quæ reliquæ tres virtutes respiciunt ; (Deus enim vt est primum principium rerum, est *pater, dominus , & benefactor per excellentiam)* ita in *religione* continentur reliquæ tres virtutes eminenter. est enim *religio* eminens *pietas , dulia* & *gratitudo*. simili modo in obiecto *pietatis* continetur excellenter obiectum *obseruantiæ* & *gratitudinis*. parens enim vt est principium generationis, habet potestatem gubernandi,& est maximus benefactor. vnde *pietas* erga parentem est excellens quædam *obseruantia* & *gratitudo*. Denique in obiecto obseruantiæ continetur obiectum gratitudinis; quia gubernatio est magnum beneficium. vnde in virtute *obseruantiæ* quodammodò continetur *gratitudo*.

In religione continetur pietas, obseruantia, & gratitudo eminenter.

Verùm hęc omnia solùm probant,actus illarum virtutum esse actus gratitudinis materialiter, sicut sunt actus obedientiæ : quia etsi illis actibus beneficia accepta compensentur, non tamen respiciunt formaliter hanc compensationem . colere enim Deum,honorare parentes vel Superiores, non est formaliter eorum beneficia compensare, sed materialiter tantùm;quia sunt actus,qui hac intentione fieri possunt,etsi in sua specie hanc intentionem non includant.

Nec obstat quòd *religio* dicatur eminens *gratitudo* , tum quia hoc non impedit quin detur aliquis actus , quo formaliter in Deum grati simus : tum quia etiamsi religio contineat eminenter rationem gratitudinis , vt hæc respicit priuatum benefactorem, non tamen vt respicit ipsum Deum : sic enim solùm est materialis gratitudo , vt patet ex dictis. Addo tamen, *gratiarum actionem* erga Deum, esse actum religionis secundùm se, (etiamsi ex affectu compensandi beneficij prouenial) quatenus in illa agnoscimus & testamur illum esse primum principium & fontem beneficiorum acceptorum : sicut oratio per se est actus religionis,quatenus est quædam protestatio diuinæ potentiæ , prouidentiæ & bonitatis, etiamsi ex affectu spei procedat.

Officia gratitudinis sunt quinque:Primum,Beneficij æstimatio. Secundum, Benigna acceptatio. Tertium,Gratiarum actio. Quartum,Grata commemoratio. Quintum , Repensio. Colligitur ex D. Thoma art.3.q.5. 5 *Officia gratitudinis.*

Primum est *Beneficij æstimatio*; nempe vt ostendamus nos illud æstimare,si non ex rei magnitudine,saltem ex affectu & animo donantis : hic enim in beneficijs gratuitis potissimũ est ponderandus. vnde conferentes aliquod beneficium , præsertim maioribus,solemus excusare & rogare, ne rem ipsam,quæ datur,sed affectum, quo datur, intueantur: vnde Seneca l.1.de Benef.c.6. *Beneficium non in eo,quod fit aut datur,consistit,sed in ipso dantis & facientis animo.*& Cicero l.1.de Offic. *Acceptorum beneficiorum sunt delectus habendi, & in primis quo quisque studio vel beneuolentia fecerit, ponderandũ.*

Secundum,*Benignaacceptatio*; si enim repudies, vel absque indicio, quo significes gratum esse, acceptes, videris contemnere, vel certè parui facere beneficium & affectũ donantis. Si autem benignè acceptes,ipso modo illum honoras,& affectui eius quodammodò satisfacis. vnde Seneca lib.2.de Benef.cap.35.*Vis reddere beneficiũ? accipe benignè*;& cap.24. *Qui grate beneficium accipit , primam eius pensionem soluit:* gaudio enim afficitur donator,videns beneficium suum gratum esse , & aliquid commodi vel oblectationis afferre donatario:tunc enim censet se non frustrà collocasse, & fructum, quem principaliter intendit, retulisse.

Tertium, *Gratiarum actio:* hæc nihil est aliud, quàm beneuola protestatio gratiæ acceptæ , seu beneficij gratis & absque debito dati,cum quadã sui subiectione & demissione,ad ipsum benefactorem directa. hæc actio est quædam beneficij compensatio;quia per illam honoratur benefactor,& alter se illi quodammodò submittit tamquam maiori : dare enim gratis , est signum abundantiæ & perfectio- 6 *Gratiarum actio quid.*

fectionis;accipere gratis est signum defectus & egestatis.secùs de muneribus, quæ honoris causa à subditis dantur Principibus: hæc enim non sunt beneficia,sed veluti honoraria tributa. Hinc fit vt gratiarum actio non semper sit necessaria, nec soleat vsurpari à magnatibus erga homines infimæ sortis. Vt autem conuenienter fiat,magis accommodanda est ad affectum benefactoris, quàm ad beneficij quantitatem, vt ostendit diuus Thomas art.5.cuius ratio est, quia gratitudo respicit beneficium, prout est gratis impensum,id est, absque intuitu mercedis,vel debiti: hoc autem ex affectu pendet.Huic adde aliam;quia affectus benefactoris longè maior est, quàm beneficium externum: vellet enim longè maiora donare, si facultas vel opportunitas adesset.

Quartum est,*Grata commemoratio*,videlicet vt primò apud nos tempore & loco simus memores beneficij accepti. vt enim ait Seneca lib.3.c.1.*Ingratissimus omnium est, qui beneficij oblitus est: cui enim totum beneficium elapsum est,gratus fieri numquam potest*. Deinde vt apud alios, quando occasio se offert, libenter referamus: hoc enim ad honorem & laudem benefactoris pertinet; vnde est quædam compensatio.

7 Quintum est, *Beneficij relatio*, quando vicissim beneficium re vel obsequio redditur.circa quod

Beneficij relatio.

Notandum Primò, Si non suppetit quod rependas, reddendam huius loco bonam imprecationem; vt, *Deus remuneret, compenset id centuplum*, vel pias ad Deum pro salute benefactoris preces. hæc enim nemini desunt; & his vtcumque beneficia temporalia compensantur, & interdum etiam vincuntur.

Secundò, Si suppetit aliquid, non statim referendum beneficium, sed opportunitas expectanda.ratio est,quia, vt inquit Seneca lib.4. de Beneficiis in fine,*qui festinat reddere,non animum habet grati hominis, sed debitoris*; nam non videtur æstimare id, quod in beneficio est præcipuum, scilicet gratuitum animum benefactoris: ita enim soluit, ac si ille non gratis, sed intuitu compensationis dedisset. deinde ostendit beneficium non esse gratum, & se illud animo reiicere; nam *reiiciendi genus est, protinus aliud in vicem mittere, & munus munere expũgere*,vt ibidem Seneca ait. Denique es ingratus in benefactorem, dum videri beneficio affectus non vis, aut illi ratione beneficij obstrictus. Vnde Seneca suprà: *Qui nimis cito cupit soluere, inuitus debet; & qui inuitus debet,ingratus est*; nimirum quia non vult agnoscere beneficium. Sed hoc intellige, nisi alter expectet statim remunerationem;vt quando intuitu illius confertur; vel nisi aliæ circumstantiæ aliud poscant.

8 Tertiò, In compensando magis nobis spectandum animum benefactoris, quàm rem datam,curando pro nostra facultate vt beneficium, quod reddimus, respondeat potiùs illius affectui, quàm rei. Itaque si maior vel etiam æqualis potestas adsit,plus rependendum est, quàm sit acceptũ. vnde Cicero l. 1. de Offic. *In referenda gratia (si modo Hesiodo credimus) imitari debemus agros fertiles, qui plus multo adferunt,quam acceperunt*: si enim reddis æquale,non videtur esse redditio gratiæ,sed solutio debiti;tantumdem enim accepisti. Oportet igitur reddas amplius, vt ratione excessus sit beneficium; & ita beneficium beneficio compensetur; & affectus affectui respondeat.

Dvbitatio II.

Vtrùm innocens magis teneatur ad actionem gratiarum, quàm pœnitens; & quomodo gratitudo excitanda.

D. Thomas art. 2.

9 NOtandum est, hanc quæstionem supponere aliam,videlicet, Vter maius beneficium acceperit à Deo: qui enim maius accepit, tenetur magis ad actionem gratiarum. Dupliciter autem potest beneficium dici maius, Primo, Quia res quæ datur, est melior, aut maioris æstimationis. Secundò, Quia magis datur gratis; vtrumque enim ratio beneficij complectitur. Similiter gratiarum actio dupliciter potest esse maior. Primò, Quia est professio maioris boni accepti. Secundò, Quia profitemur esse magis gratis datum. Vnde patet, has magnitudines in beneficijs esse diuersarum rationum, similiter in actionibus gratiarum; cùm ex causis diuersarum rationum proueniant, vnde etiam non possunt commodè inter se comparari.His positis,

Beneficium maius dupliciter similiter & actio gratiarum.

10 Respondeo, Innocentem teneri quodammodò ad maiorem actionem gratiarum, quatenus actio gratiarum est professio boni accepti; est enim innocentia maius bonum, quia includit continuam existentiam iustitiæ in homine,quæ magis optabilis est,quàm iustitia interrupta per peccatum mortale.Itaque si bona data spectentur,tenetur magis, & ad maiorem gratiarum actionem, profitendo se gratis maius bonum accepisse. Pœnitens verò magis tenetur,si spectentur gratiæ;quia enim ei maior gratia facta, seu magis gratis datum, tenetur id magis profiteri; & ita ipsius gratiarum actio debet esse maior in confessione gratiæ: alterius verò in confessione doni in se spectati.

Quomodo innocens teneatur ad maiorem actionem gratiarum.

11 Aduerte tamen, etsi bonum innocentiæ per se maius sit & optabilius; tamen bonum, quod confertur pœnitenti, maius est respectu pœnitentis, quàm bonum collatum innocenti respectu ipsius. & hac ratione pœnitens absolutè magis obligatur ad gratiarum actionem,& non solùm ex parte. Primò, Quia pœnitenti vsque ad tempus lapsus collatum est æquale auxilium & æqualis protectio,vt supponimus.quòd enim hic ceciderit,non prouenit ex defectu auxilij diuini,quasi illud minus fuerit,quàm in altero;sed ex propria libertate,qua potuit auxilio non vti,& illo præsente consentire peccato. itaque vsque ad illud tempus non debet Deo minores gratias,quàm innocens. A tempore verò lapsus vsque ad restitutionem iustitiæ inclusiuè, non accipit minus beneficiũ quàm alter,sed multò maius, facta comparatione ad accipientes. ipsi enim longè maius est beneficium, quòd à Deo toleretur dum est in peccatis,quòd ad gratiam excitetur,quòd pœnitentia inspiretur, peccata condonentur, iustitia restituatur; quàm alteri sit beneficium illud, quo à Deo intereà in iustitia accepta conseruatur. nam vel vna remissio peccatorũ præcisè considerata tanti æstimanda est à peccatore, quanti iustitia & spes vitæ æternæ ei qui non est peccator.Sicut maleficus,qui liberatur à pœna ignis,cui iam erat addictus, non minùs gaudet, nec minoris hoc beneficium æstimat, quàm vir probus gauderet, si conferretur ei regnum: liberatio enim

Quomodo pœnitens magis teneatur.

Beneficium remissionis peccatorũ.

enim à summo malo est instar summi boni. Itaque hac ratione tenetur absolutè ad maiorem gratiarum actionem. Deinde quia dona, quæ peccatori dantur, magis gratis dantur: gratis enim datur, quod absque meritis datur. quò ergo quis longiùs abest à merito,& ab omni dignitate,qua possit videri dignus munere;eò magis gratis ei datur:peccator autem longissimè abest ab omni dignitate, qua dignus sit venia & amicitia Dei; ergo hac ex parte summũ est illius beneficium,& consequenter summam & humillimam debet gratiarum actionem. vnde etiam in compensationẽ huius beneficij tenetur ad humiliora obsequia,& maiorem sui demissionem, quàm innocens. Beneficium enim,qua parte datur magis indigno, compensatur maximè demissione sui,confessione suę indignitatis,& obsequiis humilibus: sicut qua parte est excellentius,compensatur maximè æstimatione,laude, prædicatione illius boni, & datoris,& obsequiis maioribus.

12 Illa autem distinctio Caietani inter *magis obligari ad gratiarum actionem,& obligari ad maiorem actionem gratiarum*; cùm ait, pœnitentem magis obligari ad gratiarum actionem quàm innocentem, hunc tamen obligari ad maiorem gratiarum actionem; neque rem explicat, neque vera est: nam pœnitens etiam ad maiorem actionem gratiarum tenetur, quatenus debet confiteri sibi maiorem gratiam factam, magisque gratis donatum, & beneficia accepta respectu sui esse maiora. Deinde sicuti obligatio crescit ex magnitudine gratiæ,ita etiam ex magnitudine boni collati:ergo qui obligatur ad maiorem gratiarum actionem,ceteris paribus etiam magis obligatur.

13 *Quomodo gratitudinis affectus excitandus.*

Ex dictis colligi potest quomodo *gratitudo* in Deum sit excitanda.

Primò enim consideranda sunt ipsius dona in seipsis; quàm magna,quàm varia, quàm innumerabilia, siue quæ ad animam, siue quæ ad corpus pertinent. corporalia enim omnia facta sunt propter hominem, vt ab illis obsequiũ, commodum, oblectationem & auxilium aliquod ad salutem caperet; vt sol, luna, sidera, cæli ipsi,& motus eorum, elementa, & omnia quæ in eis & ex eis: de quibus vide Senecam lib.4.de Beneficiis c.5.& 6. Spiritales quoque substantiæ ad eius ministerium deputatæ: *omnes enim sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*; ad Heb.1. Itaque omnes creaturæ vel conditæ propter hominem,vel benignitate conditoris seruiunt homini,vt eum dirigant ad salutem; & hæc omnia externa sunt. Iam interna omnem æstimationem superant: præter enim integritatem corporis,& sensuum,quorum nullum vel cum regno amplissimo commutare velis, dedit animam immortalem & inexterminabilem, capacem vitæ æternæ:dedit vim intelligendi, qua totũ mundum & ipsum Deũ pulcherrimè in te depingas; & vim amandi, qua omnes virtutes atque adeò Dei amicitiam, omnis boni supernaturalis fontem, consequaris. Ad gloriæ suæ consortium te supra naturæ conditionem destinauit,in filium adoptauit,spiritus sui participem fecit; media salutis obtinendæ facilia contulit, assiduè sua benignitate ad bonum excitat ac iuuat,& à malis innumeris protegit. visionem sui, qua ipsi planè similes veluti quidam dij,diuinitate fulgentes,euadamus, promittit, & omnium bonorum suorum fruitionem. Adhæc iacentem in peccatis,& reũ æternæ mortis,gratia sua excitauit & erexit, peccata condonauit, iustitiam & ius vitæ beatæ restituit. hoc autem beneficium remissionis peccatorum tantum est, quantum malum est mors æterna. Constituit præterea thesaurum meritorum suorum veluti fontem gratiarum perennem, quo à peccatis, quotiescumque opus fuerit,ablui possimus,Sacramentis inclusum. Denique,quod omnem vincit admirationẽ, reliquit nobis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, corpus & sanguinẽ ipsius, cum anima dotibusque eius omnibus, cum vnione hypostatica & diuinitate perfectè continens, & nobis repræsentans ac reipsa exhibens. Hæc si quis attentè consideret & expendat,abyssum beneficiorum inueniet.

Secundò, Considerandum est, hæc omnia præstita indignis,ingratis,& supplicio dignis.

Tertiò, Consideranda maiestas & sublimitas Dei conferentis: quò enim maior est qui beneficium confert,eò pluris æstimatur beneficium; amari enim & æstimari à magnis, magnum per se est beneficium.

Quartò, Considerandus modus,quo Deus hæc præstitit; quàm extraordinariis viis, quantis difficultatibus & laboribus: ideò enim semetipsum exinaniuit & factus est homo; ideò tot labores, tot asperitates,tot probra,tot supplicia,& mortem denique crucis sustinuit;hoc enim mirificè auget beneficij rationem. magnum est beneficium, si rex maleficò ad mortem damnato benignè condonet, & illum pristinæ dignitati restituat;sed incomparabiliter maius erit, si dum aliud remedium liberandi non suppetit, iubeat filium suum è solio descendere, vestibus regiis spoliari,& morte plecti, vt ille liberetur.

Quintò,Considerandus affectus,quo Deus omnia beneficia sua nobis contulit, nimirum, non vt ipsi inde sit melius, sed vt nobis sit quàm optimè, & per ea ad beatitudinis suæ communionem aptet & disponat. vide Albertum de Virtutibus cap.25. & nostrum Rossignolium lib.4. disciplinæ Christianæ c.25. vbi sententias quasdam sanctorum Patrum de gratitudine adducit.

Ex his diligenter perpensis intelliget homo, infinita quadam obligatione & immenso debito se obstringi Deo tum ad perpetuam & humillimam gratiarum actionẽ,tum ad vitam suam diuino obsequio penitus consecrandam, & honorem ipsius omni industria promouendum. etsi enim tantum laborauerit pro gloria Dei, quantum Apostolus Paulus, nondum tamen millesimam diuinorum beneficiorum partem exæquauerit. 14

Aduerte tamen,hoc debitum ad ista omnia præstanda non esse legale, seu strictum; nouerat enim Deus imbecillitatem & vanitatem sensus nostri, ideoque noluit imperare, etsi iustissimè potuisset; sed est debitũ morale,seu decentiæ: hoc enim perfecta ratio gratitudinis postulat; ita vt sine eo præstito non possimus,nisi imperfectè, grati audire.

Dvbitatio iii.

Quid ingratitudo, & quale peccatum.

*D. Thomas quæst.*107.

Dvpliciter admittitur *ingratitudo, formaliter* & *materialiter*: hæc enim distinctio non solum in inobedientia, sed etiam in sacrilegio, impieta- 15

pietate, inobseruantia, & similibus vitiis, in quibus contra virtutem oppositam peccari ex contemptu & alio fine contingit, locum habet.

Formalis ingratitudo est, quando beneficium, vel benefactoris animus contemnitur, vt non videaris ei obnoxius, seu debitor ratione beneficij: sicut formalis inobedientia est, quando contemnitur præceptum, vel potestas Superioris, vt ei non videaris subesse, aut non pareas. hoc modo ingrati sunt, qui beneficium, vel affectum benefactoris eleuant, aut sinistrè interpretantur, ne videantur ei aliquid debere, aut ne cogantur esse grati agendo gratias; aut ne impediantur à malo ei rependendo. Iuxta hæc intellige quod habet D. Thomas art.2. ad 1. & Caietan. ibidem, & in Summa v. Ingratitudo: non enim satis explicant in quo hæc ingratitudo consistat.

Formalis ingratitudo.

16 Hæc ingratitudo ex genere suo est peccatum mortale, vt docet D. Thomas art.3. cum Caietano suprà: contemptus enim beneuoli affectus benefactoris, & sinistra interpretatio beneficij non videtur minus peccatum, quàm iudicium temerarium, cùm tale iudicium inuoluat: iudicat enim affectum esse simulatum, vel alio quàm beneuolo animo rem dari. hoc autem iudicium ex genere suo est peccatum mortale, vt constat ex communi DD. sententia; de quo suprà cap. 29. dubit.2. Accedit, quòd homines longè magis offendantur huiusmodi contemptu, quàm iudicio temerario; vnde magis lædit charitatem. potest tamen esse veniale, vel ob imperfectum consensum, vt quando ex repentino choleræ motu accidit; vel ob materiæ exiguitatem, vt si beneficium sit paruum; contemptus enim parui beneficij non censetur notabilis iniuria benefactoris, modò absit scandalum. si enim ita fieret vt benefactor grauiter offenderetur, posset esse peccatum mortale.

Est mortale ex genere.

Potest esse veniale aliunde.

Varij gradus contemptus.

Adde, quòd varij sint gradus contemptus: contemnitur enim aliquid tamquam noxium, aliud vt vile & dignum probro, aliud tamquam minùs vtile vel dignum quàm exteriùs videatur, vel gradus eius requirat. In omni autem contemptu est iudicium, quo res vel persona iudicatur talis, & voluntas tractandi illam exteriùs vel interiùs pro tali. Itaque si contemptus non sit grauis, sed leuis; vt si beneficium aliquod temporale & affectum benefactoris reputes minoris momenti, ne illi videaris obnoxius, non erit peccatum mortale; modò occasionem gratis offensionis ipsi non præbeas.

17 *Materialis ingratitudo* est, quando absque contemptu, vel omittitur debitum gratitudinis officium, vel committitur aliquid contra benefactorem. colligitur ex D. Thoma art. 3. & Caietano ibidem. Officium autem gratitudinis est quintuplex, vt suprà num. 5. & 6. dictum est. D. Thomas art.2. reducit ad tria. Primum est, Beneficium agnoscere. Secundum, Laudare, & gratias agere. Tertium, Retribuere loco & tempore, pro sua facultate. Itaque tripliciter officium gratitudinis prætermittitur: & quia id, quod est vltimum in generatione, est primum in resolutione, ideò (inquit D. Thomas) Primus gradus ingratitudinis est, Beneficium non retribuere. Secundus, Dissimulare, non agendo gratias. Tertius, Nolle agnoscere. Circa quæ

Materialis ingratitudo.

Tripliciter officiii gratitudinis prætermittitur.

Tres gradus ingratitudinis in omittendo.

18 Aduerte, non retribuere beneficium, non esse peccatum, nisi quando benefactor est in necessitate, & tu illi opem ferre potes; vel quando ex omissione putatur iure offendendus. beneficium enim cùm gratis collatum sit, non inducit strictam obligationem, nisi quando benefactor eget opera nostra; vel id necessarium est ad vitandam eius offensionem. vnde non erit peccatum mortiferum, nisi quando charitas sub peccato mortali ad tale officium obligaret. In gratiarum actione omittenda faciliùs peccatur; quia hæc omnibus est facilis, & statim fieri debet. sepositа tamen offensione benefactoris, non videtur hæc omissio esse peccatum mortale; quia nihil inde notabilis incommodi percipit. Loquor de ea, quæ facienda homini, non Deo: est enim gratiarum actio cultus quidam Deo ob immensitatem beneficiorum eius debitus, quamuis tempus reddendi non sit determinatum; vnde de ea loquendum sicut de obligatione dilectionis super omnia.

Nolle agnoscere beneficium hominis priuati (de quo nobis est sermo) non videtur quoque per se mortale: quia parum incommodi adfert benefactori, sepositа ipsius offensione. posset tamen ratione grauis offensionis & turbationis, quæ inde prouentura putaretur, esse graue peccatum. 19

Porrò ad supradictos tres gradus ingratitudinis, quæ in omittendo constituunt, addendi tres alij, qui in committendo. Itaque Quartus est, Retribuere mala pro bonis. Quintus, Vituperare beneficium. Sextus, Reputare beneficium loco maleficij; qui est summus ingratitudinis gradus. hi tamen gradus, præsertim secundus & tertius, pertinent ad ingratitudinem formalem.

Tres in committendo.

Ex dictis facilè intelligi potest, qui sint gradus ingratitudinis erga Deum.

Primus enim est, Non conari obsequio & cultu diuina beneficia pro suo modulo compensare. 20

Secundus, Rarò vel numquam gratias agere.

Tertius, Rarò vel numquam de diuinis beneficiis cogitare.

Sex gradus ingratitudinis in Deum.

Quartus est, Malum pro bono reddere. Ad hunc gradum pertinet omne peccatum. vnde omne peccatum est ingratitudo in Deum, sicut & inobedientia: repugnat enim obligationi illi, qua ratione beneficiorum acceptorum ipsi obstringimur, ad ea cauenda, quæ ipsum offendunt.

Quintus est, Extenuare, negare vel vituperare beneficia Dei. huc pertinet, si neges beneficium redemptionis Christi & gratiæ necessitatem. qua ratione Pelagiani à sanctis Patribus vocabantur ingrati; contra quos D. Prosper scripsit opusculum Aduersus ingratos.

Sextus, Illa loco maleficij æstimare: quod faciunt damnati; & etiam quidam impij huius sæculi, qui non reputant loco beneficij, sed potiùs maleficij, quòd Deus non sinat ipsos perpetuò hoc mundo frui.

DVBITATIO IV.

Quid sit vindicatio, & cuius virtutis opus.

D. Thom. quæst. 108.

Vindicatio, Græcè ἐκδίκησις, *est vltio iniuriæ*, videlicet cùm pro iniuria rependitur pœna. 21 Itaque est redditio mali pro malo; mali pœnalis pro malo culpabili. Latiùs accipitur apud D. Augustinum lib. 83. qq. q. 31. cùm definitur *vindicatio;*

Vindicta ob varias causas irrogari potest.

catio, per quam vis aut iniuria, & omnino omne quod obstuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur: nam defensio priuata auctoritate fieri potest; nec in malum alterius tendit. secùs in vindicta. Potest autem hæc fieri ob varias causas.

Primò, Ea intentione, vt ei, qui te læsit, malè sit, nihil aliud spectando. illi enim malè esse, apprehendis tamquam tuum bonum. hoc modo est actus odij, & contra charitatem proximi.

Secundò, Vt emendetur; quo modo pater vindicat delicta filij, & magister discipuli. hoc modo est actus charitatis proximi; *quæ charitas* (vt inquit D. Bernardus epist. 2.) *piè solet sæuire sine dolo mulcere, patienter nouit irascı, humiliter indignari.* & Prouerb. 3. *Quem diligit Dominus, corripit.*

Pœna congruit malefactori.

Tertiò fieri potest, quia per se decens est malefactorem puniri; & pœna per se congruit & quodammodò debita est malefactori, sicut laus benefactori; idque vt rectus ordo seruetur, & quod extra ordinem recti prolapsum est, ad ordinem reuocetur. hac ratione est actus virtutis specialis; quia rationem specialem honesti respicit. Sic Deus per vindictam omnes eos, qui ab ordine pulchertimo Iustitiæ & legum diuinarum prolapsi sunt, & ordinatissimam dispositionem fœdè perturbarunt, ad ordinem Iustitiæ reducet, infligendo congruam pœnam; vt nihil in mundo remaneat informe, nihil inordinatum, nihil confusum, sed omnia pulchrè suis locis & gradibus sint dispositа, vt sæpè docet D. Augustinus. vide illum lib. 5. de ciuit. cap. 9. & lib. 11. cap. 17. & 18. & lib. 1. de ordine, multis locis.

Reparatio iniuriæ.

Quartò, Vt fiat aliqua reparatio iniuriæ, & satisfactio: dum enim ille punitur propter iniuriam illatam, restituitur ex parte honor parti læsæ, eique aliqua satisfactio exhibetur; qui enim lædit, plus iusto suo affectui indulget, sibique sumit, & alteri detrahit: dum autem punitur, illud ei quodammodò adimitur, cùm contrà voluntatem patiatur. Et quia id agitur in gratiam læsi, censetur ei donari: & sic fit nonnulla compensatio, vt experientia probat. tunc enim animus læsi acquiescit, & sibi satisfactum putat. est igitur in vindicatione moralis quædam restitutio honoris, & iniuriæ reparatio. hic finis intimè coniunctus est cum tertio, & ex eo necessariò resultat.

Quintò, Vt qui læsit, & alij eius exemplo, in posterum ab iniuria coërceantur. hic finis est magis extrinsecus: vnde post hanc vitam non amplius spectabitur, sed solùm tertius & quartus. In hac tamen vita spectatur tum à Deo, tum à Iudice humano, sicut tertius & quartus.

22 *Quomodo sit virtus specialis.*

Igitur *vindicatio* facta intuitu tertij & quarti finis, videtur esse specialis virtus, qua inclinamur ad reddendum malefactori pœnam debitam pro iniuria; sicut gratitudine ad reddendum benefactori obsequium debitum pro beneficio: hoc autem debitum in quadam congruitate & decentia consistit. Si autem fiat intuitu quinti finis, scilicet vt coërceatur à maleficio, sic est actus eius virtutis, ad quam pertinet defensio Reipub. vel priuati, vel suiipsius. est enim hæc *vindicatio* quædam defensio. Itaque sicut hæc defensio pertinere potest ad Iustitiam legalem, ad pietatem, ad amorem Reipub. vel hominis priuati, vel suiipsius; ita etiam vindicatio.

23 Vt autem hæc meliùs percipiantur, Notandum est, *vindicationem*, vt sit actus virtutis, conuenienti modo fieri debere. si enim fiat priuata auctoritate, non est actus virtutis, sed vitij; quia est vsurpatio alienæ potestatis, nempe Superioris, ad quem solum executio huius actus pertinet: vnde illa multis locis in Scripturis prohibetur. Ad Romanos 12. *Non vosmetipsos defendentes* (Græcè ἐκδικοῦντες, id est, vlciscentes) *charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam,* &c.

Debet fieri auctoritate non priuata, sed publica.

Permittuntur tamen passim in Repub. priuatæ quædam vindictæ paruæ, si fiant ex incontinenti, accepta iniuria: hoc enim aliquo modo putatur necessarium ad publicam pacem, vt quisque à minoribus iniuriis, quæ ad tribunalia non solent deferri, tutus sit. Hoc modo quidam Doctores eum, qui percutit alterum alapa, pugno vel baculo, dicunt statim posse repercuti, ne alter audacior in posterum ad similia euadat; esse enim hoc genus quoddam defensionis. Sed de hoc dictum supra cap. 9. dubit. 12.

Paruæ vindictæ permissæ.

Eo autem seposito, priuatus non potest per se actum vindictæ facere, sed solùm curare fieri per publicam potestatem. Vt autem fit à publica potestate, potest pertinere ad varias virtutes. Si enim Iudex vindictam faciat, quia id debet Reipub. ratione officij quod gerit, erit actus Iustitiæ commutatiuæ. Iudicis in ordine ad Rempub. quæ illum ad Ius administrandum veluti conduxit: si autem quia id debet Reipub. ratione obligationis, quam habet erga illam vt pars ad totum, quatenus pars debet curare bonum totius, sic est actus Iustitiæ legalis: si quia debitum patriæ, est actus pietatis: si quia leges præscribunt, est actus obedientiæ: si quia pars postulat, est actus Iustitiæ commutatiuæ respectu partis. Porrò in ordine ad malefactorem erit actus virtutis particularis, quæ *iustitia vindicatiua* dicitur. Si Iudex faciat illam quia congruit eius meritis, aut vt fiat aliqua reparatio iniuriæ; ob eumdem finem pars læsa illam desiderare potest; eritque eiusdem virtutis actus.

24 *A publica potestate potest fieri ex varia virtute.*

Dices, Desiderare vindictam vt reparetur iniuria, videtur esse actus odij, quia desideras alteri malum, vt illi sit malè, & hoc reputas tuum bonum; quod proprium est odij.

Respondeo, Esse magnum discrimen: in odio enim desideratur alteri malum, solùm vt ei sit malè; idque absque modo vel mensura: in vindicta solùm secundùm mensuram delicti. ibi sistitur in malo proximi; hìc in recto ordine Iustitiæ. ibi non fit reparatio iniuriæ eo modo quo debet fieri; sicut nec in damno, cùm quis propria auctoritate latronis bona inuadens, damnum acceptum sibi sarcit; hìc verò fit debito modo.

25 *Cur non sit actus odij.*

Aduerte tamen, quando pars læsa expetit vindictam ob iniuriam priuatam, hoc desiderium esse actum amoris proprij: id enim petit in proprium commodum vel honorem. Itaque cùm hoc desiderium non sit actus virtutis, sed quid indifferens, vindicatio, vt ex vi huius sequitur, non est actus virtutis, sed indifferens. huic tamen desiderio coniungitur aliud, quo quis non vult vindictam mandari executioni, nisi legitimo modo, scilicet per potestatem publicam, & iuxta mensuram delicti: & hic affectus est Iustitiæ vindicatiuæ; & consequenter ipsa vindicatio, vt ex vi huius sequitur: proprium enim opus Iustitiæ vindicatricis est non vindicta absolutè, sed debitus in vindicta modus. Simili modo cùm quis petit solutionem debiti,

26 *Appetitio vindictæ ex quo affectu procedat.*

vel

vel damni reparationem, illud desiderium est ex affectu proprij commodi, & sic non est actus virtutis, sed quid adiaphorum: huic tamen coniunctus est alius affectus, quo non vult illam reparationem fieri, nisi secundùm regulas Iustitiæ, & hic est actus Iustitiæ. Id enim quod volumus affectu proprij commodi, possumus ex affectu Iustitiæ vel alterius virtutis velle exequi secundùm leges illius virtutis; & sic executio operis quoad modum est actus virtutis, quoad substantiam præcisè consideratum, non est.

Quo modo vindicatio sit actus virtutis.

27 *Melius ignoscere priuatas iniurias.*

Ex dictis sequitur, multò melius esse propter Deum ignoscere, quàm vindictam expetere; nisi fortè publicum bonum aliud postulet. ratio est, quia appetitio vindictæ ob iniuriam priuatam, per se non est virtus. cùm ex amore proprij commodi oriatur; vnde nemo propter hoc laudari solet. Ille autem affectus circa modum executionis, etiamsi sit actus virtutis, tamen hæc virtus est valdè parua, multum habens adiunctum ex amore proprio, à quo & ipsa applicatur ad moderandum actum punitionis. est hîc etiam periculum ne & affectus charitatis violetur, & odia excitentur. Denique res non est optimi exempli. In condonatione est officium charitatis in Deum & proximum, est imitatio Christi Domini & Patris cælestis, est consilium euangelicum, est ædificatio proximi, est victoria sui, est magna pax animi & tranquillitas vitæ, est singularis fiducia impetrandæ remissionis à Deo: remissio enim peccatorum ijs, qui proximis iniurias remittunt, peculiariter promissa est. Denique sæpè est lucrum animæ malefactoris. Interdum tamen ratio postulat vt desideremus vindictam, vt diximus; tum vt malefactor in posterum coërceatur, tum ad exemplum aliorum, ne similia audeant attentare. hoc tamen magis in iniuriis Dei, quàm nostris faciendum. Interdum tamen etiam in nostris, ita tamen vt pœna, quam petimus irrogari, minor sit iniuriâ acceptâ. vide epistolam D. Basilij ad Candidianum.

Aliquando vindicta expetenda.

28 *Vitia opposita.*

Vindicationi per excessum opponitur *crudelitas*: per defectum *omissio*, vel *nimia remissio* in malefactoribus castigandis, ex qua fit vt eorum audacia crescat.

DVBITATIO V.

Quid sit veritas, & quæ eius functiones.

D. Thomas quæst. 109.

29 *Veritas duplex.*

VEritas propriè est conformitas iudicij ad rem iudicatam, vel signi ad rem significatam: sed hoc loco accipitur pro virtute, quæ procurat vt in sermone, scriptura, gestibus, aliisque signis, quibus aliquid significare intendimus, sit veritas, saltem secundùm nostram conscientiam, seu prout eam nouimus: siue quæ curat vt sit conformitas & consensio linguæ & mentis, signorum externorum & internæ conscientiæ: vnde hæc virtus dicitur *veritas*, quia veritatem in signis, quibus aliquid significare volumus, affectat & procurat. facit itaque nos rectè vti signis, quæ nobis data sunt ad mentem alteri patefaciendam; qui rectus vsus in eo consistit, vt signa sint menti conformia.

30 *Est virtus specialis.*

Ex quibus patet Primò, Veritatem esse virtutem specialem à ceteris distinctam; quia speciale bonum rationis spectat, videlicet veritatem in dictis & factis; & specialis laus est in oratione & vita colere veritatem.

Patet Secundò, Esse virtutem annexam Iustitiæ: tum quia versatur circa ea quæ dirigunturad alterum; nimirum circa signa quibus aliquid alteri intendimus significare: (signa enim non sunt data homini propter se, sed propter alterum, cui aliter mentem suam aperire nequit) tum quia spectat in his rationem debiti, non legalis seu stricti, sed moralis.

31 *Obiectum huius virtutis.*

Obiectum igitur materiale huius virtutis est, signa externa, quibus mentem nostram patefacimus proximo. *Ratio obiectiua* est, esse verum, seu conforme menti, quatenus id quodammodò debitum proximo. *debitum*, inquam, non ex parte ipsius, sicut benefactori debetur compensatio; sed ex parte nostra, ne nos turpes simus, & parum ad vitam ciuilem idonei. nam Primò per se turpe est, linguam à mente dissidere, & cum ea veluti pugnare. Deinde sine veritate vita socialis non benè & commodè constare potest. Itaque hoc debitum est solùm morale, & ex honestate virtutis proueniens. quod intellige de debito veritatis per se consideratæ, sepositio omni alio vinculo: nam in contractibus debetur ex iustitia, in iureiurando ex lege religionis.

Obiectum cui, est proximus. huic enim debetur hæc veritas; quia talis est, qui cum conuersatio & amicitia haberi possit.

32 *Functiones veritatis.*

Functiones huius virtutis sunt, Primò, Amor veritatis in dictis & factis. hic est primus & intrinsecus actus huius virtutis: nam ipsa essentialiter in habituali amore veritatis consistit.

Secundò, Cautio ne quid contra iudicium mentis dicatur, aut significetur: ad hoc autem obligat lex huius virtutis pro omni tempore.

Tertiò, Patefacere iudicium mentis. ad hoc non obligat pro quouis tempore: nam sæpè expedit mentem non aperire, sed tegere; & multis aliis circumstantiis opus est vt patefacere mentem sit opus virtutis: vnde meliùs diceretur opus huius virtutis esse, quando mens patefacienda est, procurare vt oratio menti sit conformis. hoc enim est quod hæc virtus spectat tamquam proprium bonum in debita materia. materia autem debita non est, nisi adsint circumstantiæ, quæ efficiant vt mens honestè aliis patefieri possit.

Quartò, Inquirere veritatem rei, quando aliquid absolutè affirmandum vel negandum est. qui enim affirmat vel negat aliquid, cuius est nescius vel dubius, non est verax, quia dicta non sunt conformia menti, aliter enim loquitur, aliter sentit. Deinde quia omnis virtus, vt præster opus suum, debet adhibere conuenientem circumspectionem & diligentiam, ne offendat.

Quintò, Exequi promissa: hoc enim necessarium vt promissio sit vera; quamuis ad hoc magis ex virtute fidei obligemur. quam esse distinctam à virtute veritatis, suprà cap. 18. dub. 8. ostensum est. hæc tamen intelligenda, nisi quid accidat quod excuset, vt ibidem dictum est: promissio enim multis euentis non est præstanda.

DVBITATIO VI.

Quid mendacium, quotuplex, & quale peccatum.

D.Thomas quæst. 110. 111. 112.113.

33 *Quid sit.* MEndacium propriè est locutio contra mentem, cùm videlicet aliud loquimur exteriùs, aliud interiùs sentimus. Nomine *locutionis* accipi potest omnis significatio, siue verbis fiat, siue gestu, siue alia ratione. potest enim mendacium fieri nutibus & gestibus; his enim sæpè vice verborum vtimur. vnde *simulatio* est mendacium in gestu. Porrò sicuti ad actũ veritatis tria requiruntur; scilicet voluntas dicendi verum, (id est edendi signum conforme menti) ipsa locutio, & significatio, mentis iudicio conformis: ita tria ad mendacium requiruntur, voluntas dicendi falsum, ipsa locutio, & significatio mentis iudicio contraria. ex quibus consequitur quartum, id est, *deceptio alterius*. sed hoc non est necessarium ad rationem mendacij, sicut nec intentio deceptionis, vt rectè diuus Thomas art. 1. potest enim quis velle mentiri, vt non possit conuinci ex propria confessione, etiamsi norit alterum non crediturum. regulariter tamen qui mentitur, intendit falsam opinionem alterius animo ingenerare, seu decipere. vnde deceptio est affectus ordinariè consequens mendacium.

Tria ad mẽdacium requiruntur.

34 *Mendaciũ actui veritatis opponitur formaliter.* Ex his patet Primò, *Mendacium* formaliter & directè opponi *veritati*, seu veritatis actui: quia sicut hæc procedit ex affectu veri, seu vt locutio sit conformis menti; ita illud ex affectu falsi, nempe vt oratio à mentis iudicio dissentiat: non quòd falsitas per se ametur; sed quia absolutè est volita, etsi propter aliud. & sicut actus veritatis est expressio veri opinione nostra; ita mendacium est expressio falsi opinione nostra. Dico *opinione nostra*; quia si dicas verum, cùm putes esse falsum, mentiris, & mendacium formaliter dicis; nam ex affectu falsi & intentione significandi falsum loqueris; quamuis materialiter seu præter intentionem verum sit quod dicis. è contrario si dicas falsum, cùm putes verum, ex virtute veritatis & formaliter verum dicis; quia ex affectu veri, & intentione significandi veri, etsi materialiter falsum sit.

Non semper opponitur materialiter.

35 Patet Secundò, Non esse mendacium cùm quis vtitur amphibologia, vel restrictione tacita: quia non intendit dicere falsum, nec loqui contra mentem; sed vel mentem suam aliter exprimere quàm alter intelligit, vt in amphibologia: vel non totam exprimere, sed solùm ex parte, altera parte orationis interiùs retenta; de quo dictum est suprà cap.42.dub.9. & cap.31. dubit.3. & cap. 11. dubit.20.

36 *Malitia mendacij.* Tertiò, Malitiam huius peccati intrinsecã consistere in abusu signorum, quòd illis vtamur contra naturalem institutionem & finem. cùm enim signa non sint data nisi ad exprimendum iudicium mentis, vtimur illis contra iudicium mentis, ita vt sit contradictio inter mentem & linguam. quod enim lingua affirmat, mens negat; & quod mens negat, lingua affirmat: atqui per se turpe est & vituperabile, vt in vno eodemque homine inter interiora & exteriora sit contradictio; cùm exteriora debeant interioribus conformari. sic ergo vti signis externis vt contradicant iudicio interno, per se malum est. Ad hanc accedit alia, quòd mendacio proximus decipiatur; vnde offendit amicitiam & politicam conuersationem. Itaque omne mendacium malum est, Primò, Quia in eo est voluntas falsi & contradictionis, quia contradicit quis suæ conscientiæ. Secundò, Quia regulariter in eo est voluntas deceptionis proximi. intendit enim, qui mentitur, alteri falsam opinionem ingenerare. Tertiò, Quia in eo est falsitas & repugnantia cum propria conscientia. Quartò, Quia est deceptiuum proximi; & violatiuum amicitiæ. Ex his duo priora pertinent ad malitiam mendacij formalem, ratione cuius imputatur ad culpam; duo posteriora ad obiectiuam, ratione cuius non potest vllo casu rectè appeti.

Hinc omne mendacium prohibetur in Scripturis; Ecclesiastici 7. *Noli velle mentiri omne mendacium.* hic tamen locus non omnino conuincit de omni, vt ostendit D. Augustinus lib. de mendacio cap.17. Prouerb. 13. *Verbum mendax iustus detestabitur.* & cap.30. *Vanitatem & verbum mendacij longè fac à te.* ad Colosſ. 3. *Nolite mentiri inuicem.* hæ locutiones vim habent vniuersalis. vnde Innocentius III. cap. Super eo, de vsura, dicit, *diuini præcepti verbo constanter vetari, ne quis etiam pro alterius vita seruanda mentiatur.* Idem fusè docet diuus Augustinus libris duobus ad Consentium, quorum alter est de mendacio, alter contra mendacium. Denique est communis sententia Patrum & Theologorum in 3. d. 37. & 38. quam & Aristoteles probe intellexit, quando Ethicorum lib.4.cap.7.ait: *Per se autem mendacium quidem malum & vituperabile est; verum autem, & honestum & laudabile.*

37 *Prohibetur in Scripturis.*

Aduerte tamen, olim non defuisse qui putauerint licitum esse mendacium, quando videtur necessarium ad vitandum aliquod graue incommodum, vel obtinendum maius bonum. Ita sensit Origenes in 6. Stromatum, vbi approbat sententiam Platonis, quam habet lib. 3. de Repub. *Deo quidẽ indecens & inutile esse mendacium; hominibus verò quandoque vtile & necessarium, vt eo tamquam medicamento vtantur.* Idem fusè tradit Abbas Ioseph apud Cassianum collat. 17. cap. 8. vbi inter cetera dicit, *mendacio vtendum tamquam elleboro, quod sumitur imminente aliquo exitiali morbo.* cui videtur Cassianus consentire. Eamdem sententiam videtur approbare Chrysostomus in fine lib. 1. de sacerdotio, & Homil. 32. & 53. in Genesim. Denique Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & plerique Græci in cap. 2. ad Galatas, dum docent obiurgationem Pauli fuisse simulatam, & factam ex composito: licitum enim esse, boni alicuius causa, vti simulationibus: atqui *simulatio est mendacium in facto.*

38 *Quiputarint mendacium aliquando esse licitũ.*

Verùm hanc sententiam esse falsam, & contra Scripturas, fusè docet D. Augustinus, præsertim lib. priore, qui est de mendacio, cap. 5. 6. 7. & sequentibus; & satis patet ex dictis. Eamdem damnat Hieronymus apologia 1. contra Rufinum, arguens ob illam Origenistas. vide Sixtum Senensem annotat. 89. & 107. Putarem plerosq; ex prædictis Patribus excusari posse, quòd *mendacium* vocent etiam orationem alio sensu dictam, vel habentem tacitam mentis limitationem, ita vt alter aliud intelligat & decipiatur; & nomine *simulationis*

39 *Est contra Scripturas.*

Quomodo aliqui ex Patribus possint excusari.

nis etiam *dissimulationem* intelligant; vt patet ex Chrysostomi & Hieronymi exemplis. poterat etiam illa obiurgatio Pauli fieri ex composito absque propriè dicto mendacio & vera simulatione: sicut aliquando ex composito obiurgamus aliquem, vt tertius, qui offensus est, placetur, vel ne audeat imitari factum ipsius: quæ obiurgatio intelligenda est secundùm externam speciem facti, quod malum videtur, vel videri possit. sed de hoc plura 1.2.quæst.103. art.4. de cessatione legalium.

Exempla S.Scripturæ. In exemplis aliis, quæ adferuntur ex Scripturis, vel satis clarum est non esse propriè dictum mendacium aut simulationem, sed solùm veritatis occultationem; vt quando Abraham dixit Saram esse sororem suam; quando Michol posuit statuam in lecto Dauid; quando Moyses spoliauit Ægyptum; quando Paulus circumcidit Timotheum, totondit caput in Cenchris, &c. Vel possunt excusari per restrictionem mentalem; vt cùm Iacob dixit se esse Esau primogenitum Isaac, & multa, quæ dixit Iudith ad Holofernem. Vel non est opus excusare; vt ea quæ Dauid dixit ad Achimelech, quæ Ionathas ad Saul de Dauidis absentia, quæ Iehu ad sacerdotes Baal, quæ Raab pro exploratoribus, quæ obstetrices ad Pharaonem. hæc enim narrantur, non laudantur à Scriptura; etsi laudetur interdum bona intentiò per se spectata.

40 *Mendacium per se est peccatum veniale tantùm.* Aduerte tamen, mendacium per se non esse peccatum mortale, sed solùm veniale, quia inordinatio illa neminem grauiter lædit: & deceptio proximi, quando nihil interest sic an aliter res habeat, est parui momenti, nec euertit vitam socialem, etsi illi nonnihil incommodet.

Obiectio. Dices, Diuus Augustinus lib. de mendacio capite 6. & sequentibus, apertè indicat, omne mendacium esse peccatum mortiferum: nam vult, etiam illum, qui pro vita corporali vel sua vel aliena conseruanda mentitur, amittere æternam; vnde sequitur esse mortiferum. quòd si tale mortiferum est, quod tamen inter omnia mendacia pænè est leuissimum, vt constat ex cap.14. eiusdem libri; consequens est, cetera quoque omnia mortifera esse. Et confirmatur ex illo Psalmi 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* & Sapient.1. *Os, quod mentitur, occidit animam.*

Resp. Respondeo, Bona pars eorum, quæ illo libro habentur, non dicitur asserendo, sed disputando: nam vt D. Augustinus lib.1. Retract. cap.vltimo scribit, *Istius libri magna pars in inquisitionis disputatione versatur.* neque ipsi omnino satisfecit; vnde etiam de Opusculis suis librum illum auferre decreuerat, quia obscurus & anfractuosus, & omnino molestus ei videbatur: quam ob causam scripsit alterum contra mendacium, vt ibidem refert. Intentio ipsius solùm erat ostendere omne mendacium esse malum, adeò vt ob nullam causam sit licitum: ad quod probandum induxit quasdam Scripturæ sententias, quæ non de omni, sed de solo pernicioso contra Deum vel proximum sunt intelligendæ; quales sunt duæ illæ in confirmatione allatæ; vt facilè ex antecedentibus & sequentibus ostendi potest.

41 *1. Diuisio mendacij.* Quod ad diuisionem mendacij attinet, triplicitèr diuidi potest. Primò, Secundùm propriam rationem, scilicet vt opponitur veritati. hoc modo diuiditur à D. Thoma ex Aristotele 1.4. Ethic.c.7. in *Iactantiam* & *Ironiam*. Sed hoc intellige non de omni mendacio, sed de eo, quo quis in ijs quæ ad laudem suam pertinent, mentitur.

Iactantia. *Iactantia* (Aristoteli ἀλαζονεία) est cùm quis maiora de se prædicat quàm insint. hic Aristoteli vocatur ἀλαζὼν, id est, *iactator*.

Ironia. *Ironia* est, cùm minora quàm insint, vel cùm laudabilia quæ insunt, negat. hi Aristoteli vocantur εἴρωνες, *dissimulatores*. si parua sunt & manifesta quæ de se negat, dicitur Aristoteli βαυκοπανοῦργος, quasi dicas *delicatus veterator*. Si quis se iactet de malo quod fecit, non est propriè iactantia, quia deest mendacium; sed est vana gloriatio, similis iactantiæ; eò peior, quò res de qua gloriatur peior est. Si autem illud non fecit, est peccatum iactantiæ; quia est mendacium, quo de se maiora prædicat quàm insint.

Nec obstat, quòd illud quod de se dicit, malum sit; quia accipit illud instar boni & laudabilis, & ita opinione ipsius bonum est.

42 *Iactantia quale peccatum.* Est autem *Iactantia* per se seu ex genere suo peccatum veniale, continens malitiam mendacij & vanæ gloriæ. Potest tamen esse peccatum mortale quinque casibus, vt colligit Caietanus quæst.112. art.2. ex D. Thoma.

Aliquando mortiferùm; idq; ex euentu. Primò, Si quis se iactet cum iniuria Dei, sibi tribuendo quod Dei est, sicut rex Tyri, qui dicebat, *Deus ego sum*, Ezech.28.

Secundò, Cum iniuria proximi, sicut Pharisæus Lucæ 18. qui contemnebat, se iactando, publicanum.

Tertiò, Si procedat ex superbia vel inani gloria mortifera; vt si quis glorietur de donis Dei, tamquam sit illis dignus.

Quartò, Si iactet se cum intentione nocendi proximo, aut emungendi pecunias iniustè, aut exponendi se periculo nocumenti; vt cùm quis se prædicat præclarum medicum, aduocatum, &c.

Quintò, Si ita sit addictus iactantiæ, vt paratus sit peierare vel aliud peccatum mortiferum committere. his adde

Sextum casum, Quando quis iactat se de opere, quod est peccatum mortiferum; nam videtur illud approbare. Si tamen solùm narret vt inde appareat eius dexteritas, ingenium, virilitas, absque approbatione vel affectu ipsius operis, non videtur esse mortiferum.

43 *Est peior quàm ironia.* *Iactantia* peior est quàm *Ironia*, teste Aristotele suprà; quia regulariter ex turpiori causa procedit, nimirum ex cupiditate vanæ gloriæ vel lucri. Qui verò *ironiâ* vtitur, minus dicendo, vel negando quæ insunt, plerumque id facit vt fastum & iactantiam fugiat, vt Aristoteles ait; sicut Socrates faciebat, qui, vt idem testatur, gloriosa omnia de se negabat. Fieri tamen potest vt ex peiore motiuo procedat, & tunc peior erit; vt si quis minora de se diceret, animo peruertendi alios, sicut hæretici faciunt, dum sibi omnia bona detrahunt, & omnia Deo soli tribuunt, vt videantur humiliores, & gloriæ Dei studiosiores; de quibus maximè intellige illud Ecclesiastici 19. *Est qui nequiter humiliat se; & interiora eius plena sunt dolo.* & Prouerb. 26. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius.*

44 *2. Diuisio. Iocosum.* Secundò, Diuidi potest ratione finis vel effectus, in *iocosum*, *officiosum*, & *pernicioſum*. *Iocosum* est, quod causâ voluptatis vel suæ vel aliænæ di-

Officiosum. næ dicitur. *Officiosum*, quod causâ vtilitatis: vtrumque autem tale esse debet vt nemini noceat.

Perniciosum. *Perniciosum* est, quod alicui iniustè nocet, siue alteri prosit, siue non: seu quod est contra honorem Dei, vel bonum proximi. tale est omne mendacium in religione, in Sacramento Confessionis, in iuramentis, in detractione, in falso testimonio, in contractibus iniquis, &c. est autem hoc mendacium peccatum mortale, quia est contra charitatem Dei, vel proximi: ratione tamen materiæ, vt si nocumentum sit paruum, potest esse veniale; vt in parua detractione vel deceptione proximi. reliqua duo genera solùm sunt peccata venialia; nam culpa mendacij minuitur ex eo quòd ad aliquod bonum siue delectabile, siue vtile, siue ad alicuius mali auersionem absque vllius iniuria ordinetur.

45 Tertiò, Diuidi potest ratione signi, quo quis vtitur. hoc modo aliud consistit in verbis, aliud in factis. illud propriè vocatur *mendacium*, de quo iam satis dictum est: hoc *simulatio*, quæ nihil est aliud quàm mendacium in actionibus vitæ; nimirum cùm quis per has intendit aliud significare, quàm interiùs in animo sentit. hoc modo mentiuntur, qui externis gestibus & actionibus præ se ferunt gaudium, dolorem, compassionem, amorem, amicitiam, & similia, cùm nihil tale subsit.

3. Diuisio. *Simulatio.*

Hypocrisis. Huius species est *hypocrisis*; quod nomen etsi propriè significet simulationem seu fictionem alienæ personæ, vt solet fieri in theatro & scena, vt docet D. Augustinus lib. 2. cap. 3. de serm. Domini in monte, tamen in sacra Scriptura & apud Auctores Ecclesiasticos accipitur pro ea, qua quis se simulat esse iustum, cùm non sit.

Quale peccatum. Est autem *hypocrisis* per se peccatum veniale, sicut mendacium & iactantia: potest tamen esse peccatum mortale. Primò, Ratione finis; vt si quis simulet se iustum, sanctum, Prophetam doctorem veritatis, vt falsam doctrinam seminet; sicut faciunt hæretici, præsertim ministri. hi sunt verissimi hypocritæ, interiùs lupi, exteriùs oues; quos in primis cauendos Dominus monuit, Matthæi 7. Item si talia simulet, vt ad Ecclesiasticam dignitatem indignus irrepat, aut alio modo noceat.

46 Secundò, Si hoc nomen simul inuoluat contemptum sanctitatis vel religionis internæ, qui sæpè cum hypocrisi est coniunctus. Hoc modo multi politici huius ætatis sunt hypocritæ: solùm enim curant vt exteriùs videantur iusti vel Catholici, cùm internam religionem nihili faciant. talis hypocrisis est peccatum mortale, ratione illius contemptus quem includit. hoc modo sæpè reprehenditur in Scripturis, vt notat D. Thomas q. 111. art. 4. vt Matth. 6. & 23. Lucæ 12. & 16. Isaiæ 63. Iob 8. & 20. &c.

Gradus mendacij. Gradus mendacij à D. August. lib. de mendacio cap. 14. ponuntur octo; quorum primus & infimus est, cùm quis mentitur ad impediendum stuprum seu castitatis violationem sibi vel alteri inferendam. Secundò, Cùm ad impediendum homicidium. Tertiò, Ad impediendam fortunarum direptionem. Quartò, Cùm placendi cupiditate. Quintò, Cùm sola mentiendi libidine. Sextò, Cùm quis ita mentitur, vt vni prosit & alteri obsit. Septimò, Cùm ita mentitur vt nulli prosit, & obsit alicui. Octauò, Quando mentitur in doctrina religionis. hi gradus ab infimo mendacio crescunt ad summum. Tres primi gradus pertinet ad mendacium officiosum; quia nemini nocent, & præterea aliquam vtilitatem adferunt, dum graue malum, vel stupri, vel mortis corporalis, vel amissionis pecuniarum vitatur.

Vbi aduerte, D. Augustinum insinuare, maius malum esse pati stuprum quàm mortem; quod facilè admiserim; maximè propter periculum peccandi, quod illi voluptati coniunctum est. Vnde minus peccatum est mentiri ad vitandum stuprum, quàm ad vitandam mortem: sicut minus est ad vitandam mortem, quàm ad cauendum damnum pecuniarium. Quò enim maius est bonum propter quod mentiris, eò mendacium est minus peccatum; quia malitia & deformitas illius minùs est voluntaria: qui enim nollet mentiri, nisi necessitas magni boni consequendi vel mali auertendi cogeret, satis ostendit sibi non placere per se mendacium, & se inuitum & cum displicentia illius per se considerati, ad illud descendere: idque eò magis, quò causa, qua impellitur, maior est, vel saltem iustior apparet. Hinc dici solet, bonitatem intentionis minuere malitiam operis. *Stuprum est morte deterius.* *Intentio bona minuit peccatum.*

Quartus & quintus gradus pertinent ad mendacium iocosum. minus tamen culpæ est in quarto quàm in quinto; quia minùs turpe est mentiri vt alterum oblectes, quàm vt libidini mentiendi satisfacias. Sextus, septimus & octauus pertinent ad mendacium pernicioſum.

Dvbitatio vii.

Quid sit affabilitas, & quæ vitia illi aduersa.

D. Thomas quæst. 114. 115. & 116.

47 *Affabilitas quid.* *Affabilitas* est virtus, quæ procurat vt conuersatio nostra cum proximis in rebus seriis sit grata, & talis qualem esse decet, spectata conditione nostra, personarum quibuscum agimus, negotiorum, & reliquis circumstantiis; ita vt neque nimis blandè neque nimis asperè in congressibus nos geramus.

Eutrapelia. Dico, *in rebus seriis*: nam vt in *iocis* sit nostra conuersatio grata, præstat alia virtus, quam Aristoteles lib. 4. Ethic. c. 9. vocat εὐτραπελίαν, quæ nos decorè facit vti iocis & ludicris, quæ animi causa assumuntur, ita vt nec in illis modum excedamus, tamquam scurræ; nec ab illis abhorreamus tamquam agrestes quidam & rupicones.

48 *Affabilitas.* *Affabilitas* apud Græcos proprio nomine caret, teste Aristotele cap. 6. non malè tamen quis εὐφροσυνοφίαν vocauerit, ex Isocrate ad Dæmonicum. apud Latinos vocatur *affabilitas* & *comitas*, vt ex Cicerone 2. Offic. constat. Etli enim non in solo alloquio consistat, sed etiam in aliis actionibus & officiis, quibus nos accommodamus proximo, vt ipsi nostra consuetudo grata sit; tamen potissimùm in sermone & affatu sese ostendit; sicut & *adulatio* & *litigium*. Addit Aristoteles, esse similem *amicitiæ*: nam exteriùs ita se ad omnes gerit tamquam ad amicos. Differt tamen ab *amicitia* propriè dicta; quia hæc nihil est aliud quàm mutua beneuolentia in peculiari quadam communione fundata; quæ communio & consociatio causa est amandi alterum sicut seipsum, & comiter cum illo tractandi. Sic inter milites est amicitia, ratione societatis & communionis militiæ: inter eruditos, ratione

49 *Differt ab amicitia.*

tione communionis in eruditione: inter consanguineos, ratione communionis sanguinis: inter Religiosos, ratione societatis vitæ religiosæ: inter Deum & hominem, ratione communionis bonorum supernaturalium, & maximè ratione communionis gloriæ, quam præstolamur in cælo, qua Deo erimus simillimi. Interdum communio est causa inimicitiæ, non per se, sed quia impedit bonum alterius. Sic figulus figulum odit, & faber fabrum, iuxta Hesiodum. Denique quando communio ad nimis multos se extendit, laxior fit amicitia, & facilè euanescit: sic communio religionis Christianæ, quæ olim, cùm pauciores essent Christiani, erat vinculum arctissimæ amicitiæ, postea cœpta est negligi, tamquam ad amicitiam, sine alio magis particulari nexu, insufficiens. Sed de his plura in tractatu de charitate, & apud Aristot. 8 Ethic.

At *affabilitas* non requirit talem communionem; neque ideò benignè cum alio tractat, quòd illi sit amicus, aut ei benè velit; sed quia ita congruit ad vitam socialem.

50 *Obiectum materiale.* *Obiectum* igitur materiale *affabilitatis* est tota conuersatio hominis cum proximo, consistens in colloquiis, conuictu, & actionibus, quibus cum illo tractamus. Hæc omnia nititur affabilitas ita moderari, vt proximo nostra consuetudo grata sit & delectabilis; (seruata tamen decori ratione) idque ideò quia hoc debitum est, non quidem ex parte proximi, quasi ipse aliquo beneficio id meruerit, vel ad hoc aliquod ius habeat, (quomodo aliquid est debitum parentibus, Principibus, Superioribus, benefactoribus;) sed ex parte nostra, quia naturæ socialis sumus, & sine hac moderatione non sumus benè idonei ad vitam socialem. sicut dicere *veritatem* extra contractus & alia negotia, in quibus haud magni interest nosse sic an sic res habeat, debitum est non ex parte proximi, cui loquimur; sed ex parte nostra, vt dictum est suprà dub.6. Itaque hoc *debitum* solùm est morale, seu ex honestate virtutis; & minus quàm debitum gratitudinis, vel obseruantiæ.

Formale. Vnde patet, *obiectum formale*, seu rationem obiectiuam huius virtutis esse attemperationem nostræ conuersationis cum proximo, qua ita sit ei accommodata secundùm normam rationis, vt ei sit grata, idque quia hoc debitum vitæ sociali. hanc enim attemperationem hæc virtus in ipsa conuersatione tamquam in proxima materia intendit & procurat. Huic tamen virtuti non repugnat, si interdum seueriùs cum illo agamus, quando res postulat; non enim omni tempore tenemur nos affabiles cuiuis offerenti præstare; sed quando culpa illius vel iusta ratio aliud non postulat.

Obiectum cui est proximus; huic debemus affabilitatem, quia nos & ipse ad vitam socialem & amicitiam apti sumus.

51 *Vitia opposita.* Dupliciter in hanc virtutem peccatur, excessu delectandi, & defectu: id est, *blanditia* & *morositate*. quidam enim nimiùm student in conuictu esse blandi & placidi: vnde in omnibus se accommodant aliis, omnia probant, omnia laudant: qui si id faciant vtilitatis causa, vocantur *adulatores*, Aristoteli κόλακες, quibus Principes sæpè obsepti; magnarum aularum magna pestis. Si solùm vt placeant, vocantur *blandi*, Aristoteli ἄρεσκοι, à studio placendi. Alij nimis parum curant placere, sed vbique sunt difficiles, vbique contradictores, nusquam se accommodant: hi vocantur *morosi* & asperi, Aristoteli δύσκολοι καὶ δυσέριδες, genus hominum parum ad societatem & amicitiam idoneum. sunt tamen in hoc varij gradus; alij enim plus, alij minùs hoc absynthio morum sunt imbuti. D. Thomas hoc vitium vocat *litigium*, ex antiqua versione; proni enim sunt homines morosi ad contradicendum, & consequenter ad litigium: quam ob causam Aristoteles vocat eos δυσέριδες, id est, *contentiosos*, vel *pugnaces in contentionibus*.

Adulatores. *Blandi.* *Morosi.*

52 *Quale peccatum adulatio.* *Adulatio* per se est solùm peccatum veniale; quia est tantùm excessus in studio placendi & oblectandi in communi congressu. potest tamen esse peccatum mortale trifariàm, vt docet diuus Thomas qu.115.art.2. Primò, Ratione materiæ; si laudes alicuius peccatum, præsertim mortiferù; iuxta illud, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Et Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*; vt cùm quis laudatur à constantia in hæresi, à rebellione, &c. Sic plerumq; adulatores vitia nominibus virtutum tamquam fuco honestant & laudant: de quo pulchrè D. Basilius in illud Psal.61. *Cucurri in siti*. Secundò, Ratione finis; si adulêris vt noceas, vt ad libidines pertrahas, &c. Tertiò, Ratione effectus; vt cùm per adulationem præbetur occasio alicuius grauis peccati, etiam præter intentionem: nihil enim est quod tam facilè mentem hominis corrumpat, quàm adulatio; teste Hieronymo epist. ad Celantiam. vide plura de hoc vitio apud D. Antoninum par.2.tit.10.cap.2.§.2.

53 *Quale morositas & litigium.* *Morositas* etiam, seu litigium per se est solùm peccatum veniale; quia tantùm adfert proximo nonnullam molestiam & tædium in congressibus; quæ res non censetur grauis aut contra charitatem; nec euertit vitam socialem, etsi ei nonnihil incommodet, eamque minùs suauem reddat. est tamen deterior quàm adulatio, si vtrumque præcisè & per se spectetur; nam peius est esse molestum in congressibus, quàm nonnihil excedere blanditiis: illud enim longiùs abest ab officio huius virtutis, cuius est delectabilem efficere nostram consuetudinem. ratione tamen finis, vel materiæ, vel effectus consequentis, adulatio ordinariè est multò deterior: vnde magis ab adulatoribus, quàm ab asperis ingeniis cauendum, vt etiam insinuat Propheta Psal.140. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*.

DVBITATIO VIII.

Quid sit liberalitas, & quæ vitia ei opposita.

D. Thomas quæst. 117. 118. 119.

54 *Quid liberalitas.* LIberalitas, Aristoteli ἐλευθεριότης, est virtus, quę moderatur amorem pecuniæ, & reddit nos faciles & promptos ad eas expendendas quando ratio dictat: vt rectè docet D. Thomas quæst.117. ar.1.2.& 3. ex Aristotele lib.4. Ethic.cap.1. *Pecuniam* vocamus non solùm nummos, sed *omnia, quorum pretium pecunia metitur*, vt Aristoteles ibidem ait. cùm enim cupiditas pecuniæ & diuitiarum in hominibus admodum sit vehemens, & grauia inducat incommoda, (*omnium enim malorum radix est cupiditas*, teste Apostolo) oportuit esse aliquam virtutem, quæ hanc cupiditatem

Pecunia.

moderaretur: hanc vocamus *liberalitatem*.

Circa quid versetur & quomodo.

Itaque *liberalitas* immediatè versatur circa æstimationem & affectum diuitiarũ, vtrique modum imponendo, & faciendo eas æstimari & amari in suo gradu, non suprà, nec infrà; mediatè circa earum vsum: idque dupliciter. Primò, Tollendo impedimentum rectivsus. hoc ipso enim quo temperat amorem earum, promptiores nos reddit ad eas erogandas, quandocumque casus inciderit quo id iudicetur conueniens: nimius enim earum amor & cupiditas promptam erogationem impediebat. Secundò, Inclinando directè ad earum elargitionem, vel potiùs ad certum in elargiendo modum. Liberales enim maximè ex eo vocantur, quòd libenter & hilariter de rebus suis largiantur aliis: idque non quia hi egent, hoc enim est misericordiæ; nec quia amici, hoc enim amicitiæ; neque ob beneficia, quia hoc gratitudinis: nec intuitu compensationis, quia hoc amoris concupiscentiæ, qui maximè repugnat liberalitati: sed quia hic modus elargiendi, in vita politica & sociali decet hominẽ, & consentaneus est eius affectui & habitui. Itaque inclinat propriè in modũ qui in largiendo seruandus est, quatenus hic congruit illius affectui, siue vt effectus illius, siue vt signum; & vitæ sociali.

55 Ex quibus patet Primo, Hanc virtutem esse magni momenti, quod ad primarium eius officium attinet: nam res est summè vtilis & necessaria in hac vita, cupiditatem diuitiarum esse compressam, & secundùm rationis regulam temperatam. & hoc munus potest habere in omnibus, etiam pauperibus, imò in nullis magis, quàm in iis qui voluntariè pauperes sunt, qui minimè cupiditate diuitiarum tenentur: quamuis in his aliquid maius sit quàm liberalitas vulgaris: quia est diuitiarum contemptus & fuga, propter amorem bonorum cælestium & Christi imitationem: qui est gradus heroicus liberalitatis.

Liberalitas in gradu heroico.

Secundarium officium, scilicet elargitio & modus debitus in ea seruandus, quatenus præcisè declarant hunc moderatum affectum & quamdam vilipensionem diuitiarum, est minoris momenti; etsi per hanc liberalitas se maximè ostendat: nec omnibus conuenit; cùm non omnes habeant quæ largiantur.

56 Porrò ad illam moderationem cupiditatis diuitiarum considerandum est Primò, Quid ipsæ sint in se, quàm viles, quàm exiguæ, quàm incertæ & instabiles. Secundò, Ad quid valeant; nimirum ad fastum, ad oblectationes sensuum, & ad omnem mali licentiam. Tertiò, Quantas curas & molestias secum trahant. Quartò, Quàm paucis natura contenta, & quàm multa illi superflua. Quintò, Denique melius & honestius esse dare, quàm accipere.

Considerationes incitantes ad hanc virtutem.

57 Patet Secundò, Obiectum materiale & immediatum huius virtutis, seu materiam proximam esse *cupiditatem pecuniæ*: huic enim cupiditati modum imponere, est primarius finis huius virtutis, & consequenter *modus* ille est obiectum formale. mediatum est *erogatio pecuniæ*: nam & huic modum imponere debet, vt libenter, hilariter & copiosè, prout ratio decori in vita ciuili postulat, fiat. vt tamen erogatio sit materia seu obiectum liberalitatis, debent adesse circumstantiæ illæ, cum quibus ipsa secundùm substantiam suam honestè fieri possit, alioquin circa illam non erit liberalitas, (cuius materia debet esse honesta) sed profusio. Hæc autem erogatio, quia tendit in alium, estque quodammodò debita ex honestate huius virtutis, vt per eam affectus internus se prodat, facit vt hæc virtus ex parte sit similis iustitiæ, & numeretur inter eas, quæ iustitiæ dicuntur annexæ. materia remotissima huius virtutis est *pecunia*: circa huius enim elargitionem & vsum versatur. quæ intellige non de ingenti summa; hæc enim ad magnificentiam pertinet, vt infrà lib. 3. cap. 2. dub. 4. dicetur, sed de mediocri & ordinaria.

Obiectum, & materia.

Petes, Vtrùm in Deo sit propriè liberalitas. 58

Respond. Si *liberalitas* accipiatur pro virtute moderãte cupiditatem diuitiarum, sic in Deo non est liberalitas, nisi metaphoricè, sicut nec ira: sed quia hoc nomen propriè & magis ordinariè accipi solet pro affectu ad promptè, copiosè, & absque intuitu compensationis de rebus suis erogandum aliis, siue interueniat cupiditatis moderatio, siue non; ideò absolutè dicendum est in Deo propriè esse *liberalitatem*, & quidem maximam; sicut & beneficia ipsius maxima sunt & propriissimè beneficia; quorum collatio est actus liberalitatis. ipse enim est propensissimus ad erogandum, & quidem hilariter, copiosè, & merè gratis, idque quia decet ipsius benignitatem & beneficam naturam.

An liberalitas in Deo.

Liberalitati opponuntur duo vitia, *auaritia* & *profusio*. *Auaritia* (quæ ἀνελευθερία Aristoteli vocatur; quia res illibera & homine maximè indigna) excedit in æstimatione & amore diuitiarũ, & consequenter in illis nimiùm retinendis, vel nimio studio quærendis, vel per quæuis media, vt per fas & nefas: vnde apud Græcos etiam dicitur πλεονεξία, à studio plus habendi. opponitur tamen liberalitati per defectum; quia deficit in erogando; non enim erogat quando ratio postulat: ab erogatione autem potissimùm liberalitas appellatur. 59

Vitia opposita. Auaritia.

Hoc vitium etsi per se sit solùm peccatum veniale, vtpote inordinatus amor diuitiarum; tamen est valdè periculosum. facilè enim hic amor ita crescit, vt propter diuitias homo parui pendat præcepta diuina, paratus quiduis ad eas assequendas patrare. vnde crebrò & grauissimè reprehenditur in Scripturis: Ecclesiastici 10. *Auaro nihil est scelestius*: nimirũ quia paratus est quamuis iniuriam facere proptér diuitias, vt ex versu præcedente patet: deinde statim additur: *Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Ad Ephes. 5. Apostolus dicit *auaritiã esse idololatriam*, quia auarus auro afficitur præ Deo, omnia paratus propter aurum agere & pati. 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. radix enim omnium malorum est cupiditas.* nimirum quia nullum est malum, ad quod cupiditas diuitiarum aliquando non impellat.

Est periculosa.

Vnde meritò auaritia inter peccata capitalia numeratur, quæ sunt veluti fontes & radices multorum aliorũ. Hinc Greg. lib. 31. moral. c. 31. septem auaritiæ filias enumerat. *De auaritia*, inquit, *prodit fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur.* Quarum ratio sic breuiter iuxta D. Thomam explicari potest. *Auaritia* enim excedit in duobus, in retinendo, & in acquirendo. Vt excedit in retinendo, parit filiam *obdurationẽ cordis*, claudens viscera sua ad preces pauperis: vt verò in acquirendo, sic in af-

60 *Est vitium capitale.*

Filiæ auaritiæ.

in affectu quidem parit *inquietudinem* & superuacaneas curas, semper in crastinum sollicita. nam vt Ecclesiastæ 5. dicitur, *Auarus non implebitur pecunia.* In effectu autem interdum impellit vt *vim* proximo inferas; (vt faciunt fures & raptores) interdum vt dolo vtaris, vt sæpè fit in contractibus: qui dolus, si committatur simplici verbo, erit *fallacia*; si additum fuerit iuramentum, erit *periurium.* Si verò committatur in opere, vel id fiet circa rem aliquam, & erit *fraus*; vel contra personam, & dicetur *proditio.* Ex quibus etiam patet, prædictas filias ex auaritia oriri secundùm rationem causæ finalis: impellit enim auaritia ad ista peccata, sicut intentio ad electionem. omnia enim ista fiunt ex inordinato affectu pecuniæ vel retinendæ, vel acquirendæ: vnde cùm in moralibus finis habeat rationem principij, modus iste nascendi propriè est moralis.

Quale peccatum.

Aduerte tamen, etsi hoc vitium dicatur capitale, non tamen idcircò putandum semper esse mortiferum; sed tunc solùm, cùm propter diuitias consequendas, vel retinendas, paratus fuerit aliquod præceptum obligans sub mortali, violare.

61 *Profusio.*

Profusio, Aristoteli ἀσωτία, aduersatur liberalitati, tum defectu in opibus conseruandis, tum excessu in erogandis: prodigus enim dat quibus non oportet, vt histrionibus, adulatoribus; vel plusquam oportet, vt cùm magnis expensis facit quæ paruis fieri possunt; vel in res friuolas multa expendit. hoc tamen vitium per se non est nisi veniale, quia homo est dominus suæ pecuniæ, & pecunia ex infimis bonis; estque minus quàm auaritia. Primò, Quia est vicinius liberalitati. Secundò, Prodigus est vtilis multis; auarus nec sibi nec aliis prodest. Tertiò, Quia faciliùs emendatur. His accedit, quòd auaritia sit ignominiosior, cùm per eam homo se faciat mancipium pecuniæ, rei infimæ: vnde Cicero quodam loco ait, *nihil esse tam angusti tamque parui animi, quàm amare pecuniam.*

Per se est veniale. Est minus peccatum quàm auaritia.

62 *Aliquando est mortiferum.*

Potest tamen profusio esse peccatum mortale, Primò, Ratione finis, si ad finem referatur in quo est peccatum mortale. Secundò, Ratione effectus; cùm quis se reddit impotentem ad soluenda debita, vel quando, vt profusè expendat, omittit eleëmosynas in casu extremæ vel grauis necessitatis. Tertiò, Ratione offensionis proximorum. Quartò, Ratione peculiaris obligationis expendendi superflua in pias causas. sic profusio ex bonis Ecclesiasticis est peccatum mortale. Denique sæpè profusio est causa auaritiæ: qui enim multa profundunt, cùm opes non sint ipsis inexhaustæ, coguntur malis artibus, auarisque modis aliunde conquirere, vt fomenta vitio profusionis suppeditent. hinc plerumque fit, vt qui sunt in quibusdam profusi, in aliis sint auari, parum vel nihil pauperibus erogando, & iniquè corrogando vt profusionem continuent. Exempla habemus in multis mercatoribus & Nobilibus. vide Aristotelem 4. Ethicorum cap. 1. sub finem.

Profusio & auaritia se mutuò gignunt.

DVBITATIO IX.

Quid sit ἐπιείκεια *seu æquitas.*

D. Thomas quæst. 120.

63 *Quid sit.*

Ἐπιείκεια est quando aliquid agitur contra verba legis, eò quòd bonum commune, vel ratio virtutis, vel certè ratio maioris boni, id postulet. cùm enim leges vniuersaliter proponantur, & regulæ vniuersales multas patiantur exceptiones; sæpè casus incidunt, in quibus malum esset verba legis sequi; v. g. lex sit, *Depositum esse reddendum:* accidit autem vt quis gladium depositum repetat causa pugnandi cùm inimico; non est parendum verbis legis, sed contrà faciendum. hoc igitur est officium huius virtutis, quæ Græcis ἐπιείκεια, Latinis *æquitas* dici potest. Item lex sit, *Nemo mœnia transcendat:* incidit casus, vbi nisi mœnia transcendero, hostis vrbem capiet: æquitas iubet facere contra verba legis. Idem dicendum de lege ieiunij, audiendi Sacri, confitendi, & aliis innumeris. nec solùm in positiuis, sed etiam in naturalibus quibusdam generaliter expressis locum habet, vt rectè Caietanus qu. 120. art. 1. docet; vt, *Non occides, Depositum reddes*, &c. Secùs si lex naturalis considereretur propriè, nempe cum illis circumstantiis, cum quibus habet legis naturalis rationem: sic enim in omni casu seruanda, tamquam per se iusta & recta. vnde nullam ἐπιείκειαν admittit. Hac ratione dicitur hæc virtus esse *directiua & correctiua* legum, quando ob suam vniuersalem expressionem deficiunt à recto, vel repugnant maiori bono; quia inclinat vt contra verba legis agatur, idque ob altiorem quamdam considerationem. vnde patet, quando quis eximitur per dispensationem à lege, hanc virtutem non habere locum; quia non est opus correctione legis, cùm non cesset eius obligatio ob vniuersalitatem.

Est directiua legum & correctiua.

64

Iudicium, quo dirigitur hæc virtus, vocatur *gnome*; sicut iudicium, quo diriguntur ea quæ fiunt secundùm verba legis, vocatur *synesis*; vt dictum est suprà lib. 1 cap. 2. de Prudentia, dub. 3. *Synesis* enim secundùm D. Thomam, est iudiciũ rectum de rebus agendis, ductum ex consideratione verborum legis & finis proximi, quem lex respicit. v. g. esse hodie mihi ieiunandum, quia Ecclesia præcipit, vel quia caro castiganda, & subijcienda spiritui. quòd si ieiunium grauiter læderet valetudinem, gnome ex altioris principij consideratione iudicat verba legis non esse hîc seruanda, sed esse comedendum; nempe ex eo, quòd lædere valetudinem, sit contra charitatem sui, & impediat obsequium Dei vel proximi; quæ cùm sint maioris momenti, quàm id quod legislator in sua lege intendebat, cessat obligatio verborum legis.

Gnome eam dirigit.

Synesis alias virtutes.

Petes, Vtrùm æquitas sit vna aliqua virtus?

An sit vna virtus.

Respondeo, Valdè probabile est, non esse vnam virtutem à reliquis distinctam, vel saltem talem virtutem non esse necessariam. ratio est, quia *æquitas* in omni genere legum, & in omni materia virtutum locum habet, & non respicit vnam rationem formalem; (sicut obedientia, quæ vbique intuetur debitum præcepti; & iustitia legalis, quæ debitum ciuis erga Rempublicam) sed diuersas rationes honesti (ob quas à verbis legis recedit) in diuersis materijs, imò in diuersis casibus circa eamdem legem intuetur: quod ex prædictis exemplis est perspicuum. nam legem illam de mœnibus non transiliendis, non seruat hoste imminente, ex affectu boni communis: depositum negat, ex affectu iustitiæ vel charitatis proximi: legem ieiunij non seruat, ex affectu charitatis sui, vel proximi, vel obsequij diuini, quod est religionis: aliquando etiam ex affectu iustitiæ erga proximum; vt si non possit aliter reddere debitum vxori, vel soluere creditoribus. Itaque cùm virtus speciem contra-

65 *Valdè probabile est non esse.*

contrahat ex obiecto, cuius affectu operatur, & hoc obiectum sit valdè varium,& diuersorum generum,perspicuum est, æquitatem quoque ad varias virtutes pertinere. Confirmatur,quia quando lex propter suam generalitatem offensura esset aliquam virtutem, nobis eius verba sequentibus; illa virtus sufficiens est vt contra verba legis honestè agamus, modò prudentia adsit quæ dirigat, vt ex prædictis exemplis colligitur: ergo nõ est opus ad hoc aliqua peculiari virtute appetitus, sed solùm prudentiâ, quæ ostendat, legis verba in hoc casu huic vel illi virtuti aduersari; ac proinde tali modo & fine contrà agendum: quæ prudentia multis deest, vel ob scrupulos, quibus impliciti, verbis legis ita perstringuntur, vt rationes altiores, ob quas in hoc vel illo euentu sequenda non sint, expendere nequeant; vel ob iudicij tenuitatem.

Singulæ virtutes vt habeant rationem æquitatis.

Ex his sequitur, singulas virtutes habere rationem æquitatis, quatenus contra verba legum ex affectu propriæ honestatis operantur, ac proinde non distingui æquitatem à singulis,nisi ratione.

66 *Obiectio.*

Dices Primò, Æquitas respicit correctionem legis: atqui hæc est vna quædam ratio obiectiua. Secundò, Aristot. 5. Ethic. cap. 10. dicit, *æquum esse quoddam iustum & melius quam iustum legitimum; esse enim correctionem iusti legitimi.* Item *æquitatem esse quamdam iustitiam, & iustitia legali meliorem:* hoc autem non potest dici de quauis virtute.

Respons.

Respondeo ad Primum: *Correctio* legis propriè fit per prudentiam vel gnomen, quæ est pars prudentiæ, & regula huius virtutis. Dicitur autem fieri per hanc virtutem, tum quia fit per regulam qua hæc virtus dirigitur, tum quia opus huius virtutis repugnat verbis legis, & ita ipso opere lex corrigitur. vnde non est necesse hanc virtutem accipere speciem ab hac correctione; quia non ideò facit opus vt legis verba non seruet, aut vt legem corrigat; sed propter aliam rationem honesti, quæ cogit à verbis legis recedere; quæ ratio varia esse potest.

67 τὸ ἐπιεικές.

Ad Secundum: *Æquum* est quoddam Ius seu iustum; quia est conforme menti legislatoris, quæ est legis anima, vel potiùs altior quædã lex, quàm ipsis verbis contineatur. vnde etiam est melius quàm *Ius legitimum*; quia altiorem finem respicit. *legitimum* enim Ius, verbis legis & proximo legis fine continetur. *æquum* verò continetur sola mente legislatoris, & altiorem finem habet. vnde etiam est correctio Iuris legitimi: nam Ius legitimum prætermittitur,vt æquitatis ratio seruetur; hic tamen finis altior non est vnius rationis: vnde nec vnam constituit virtutem. Simili modo *æquitas est quædam iustitia*; quia satisfacit menti legislatoris; estque melior iustitia legali, si *iustitia legalis* accipiatur pro ea,quæ solùm satisfacit legi scriptę. melius enim est sequi mentem legislatoris secundùm altiorem finem, quàm sequi verba secundùm finem inferiorem. Si autem *iustitia legalis* accipiatur generatim pro virtute, quæ satisfacit verbis legis, vel menti legislatoris; sic æquitas est pars iustitiæ legalis; vt rectè diuus Thomas art. 2. ad 1. explicat.

Sed ex his non sequitur, esse vnam virtutem secundùm Aristotelem; quia neque iustitia legalis Aristoteli vna virtus est; sed omnis virtus,quatenus legi satisfacit, vt suprà lib. 2. cap. 1. dubitat. 3. ostensum.

68 *Quomodo possit vna virtus statui.*

His tamen addo, Sicut *obedientia* constituitur vna virtus,quæ respicit præceptum seu legem,maximè verbis expressam: ita *æquitatem* posse statui vnam virtutem, quæ respiciat tacitam legislatoris mentem; quæ est, vt in certis euentis non agatur secundùm verba legis, sed secundùm dictamen altioris finis: nam in omni materia virtutis potest quis hac consideratione legem corrigere, & contra verba legis honestè operari, vt menti legislatoris obtemperet. sicut enim per se honestum est præcepto expresso Superioris se conformare; ita etiam per se honestum est,tacitæ menti Superioris se conformare, quando verba legis non sunt sequenda. Hoc modo videtur intelligendus diuus Thomas, qui *æquitatem* vnam virtutem statuit, & præfert iustitiæ legali, quæ verbis legis obtemperat. vbi etiam per *iustitiam legalem* videtur intelligere *obedientiam*. Eodem modo potest explicari Aristoteles. Iuxta hunc modum *æquitas* definiri potest, virtus inclinans ad recedendum à verbis legis, quando ob vniuersale bonum deficit à recto, vt intentioni legislatoris nos accommodemus. Fatendum tamen est, quando æquitate vti- 69
mur, & à verbis legis recedimus intuitu altioris considerationis, nos id non facere principaliter vt nos menti legislatoris accommodemus; (quamuis eo motiuo vti possimus) sed ne aliam virtutem offendamus. vnde suprà dixi, præter virtutes particulares non esse distinctam virtutem (quæ vocetur ἐπιείκεια seu æquitas) necessariam. sed quamuis necessaria non sit, est tamen vtilis, vt quis etiam illo motiuo operetur.

Ex quibus patet, hanc virtutem eodem ferè 70
modo Iustitiæ annexam esse, quo obedientia; quia sicut hæc satisfacit legi & præcepto, eius verbis se conformando;ita illa satisfacit intentioni, à verbis legis recedendo.

Hæc dicta sint de Iustitia & Iure, & virtutibus illi annexis: & ita finis esto libri secundi.

LIBER